Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Chile
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS
BIBLIOTECA DE LOYOLA.
Sala 1
Estante 8
Plúteo 7

Universidad de Deusto
Biblioteca

DIVI IOANNIS

CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI OPERVM

TOMVS SECVNDVS:

EA COMPLECTENS, QVÆ FACIVNT AD elucidationem Matthæi, Marci, & Lucæ, quatenus haberi potuerunt: quibus addita est breuis enarratio in Matthæum.

Horum inuenies catalogum proxima pagina.



SOCIETATIS JESU PARISIENSIS BIBLIOTHECA

PARISIIS,
M. D. LXXXVIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECVNDI TOMI CATALOGVS.

Commentariorum Chrysostomi in Euãgelium Matthæi, Homiliæ LXXXIX. fol.1.A
Homiliæ XC. & XCI. ex cap. XXVII. & XXVIII. 603.B. 609.A.
Commentariorum in Euangelium Matthæi, Incerto auctore, Homiliæ LIIII. 617.A

FRAGMENTORVM EX EVANGELIO *Matthæi, Homiliæ* XXVII. *hoc ordine digestæ.*

Ex cap. II. Cùm natus esset Iesus in Bethlehem Iudææ. in Epiphania domini. 970.C
Ex eodem cap. super illud, Angelus domini apparuit in somnis Ioseph &c. In festo Innocentium. 974.A
Ex eodem, De natali sanctorum Innocentium. 975.B
Ex eodem cap. in illud, Defuncto Herode, ecce apparuit angelus &c. In vigilia Epiphaniæ. 976.D
Ex cap. IIII Ductus est Iesus in desertum &c. in dominica prima quadragesimæ. 978.A
Ex cap. V. Cùm vidisset Iesus turbas ascendit in mõtem. 982.C
Ex eodem cap. Qui fecerit & sic docuerit, maximus vocabitur in regno cœlorum. 987.A
Ex eodem, Audistis quia dictum est antiquis, Diliges proximum tuum &c. In festo sanctorum Ioannis & Pauli. 988.B
Ex cap. VI. super oratione dominica, Pater noster qui &c. 990.C
Ex eodem cap. Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ. In feria quarta cinerum. 993.B
Ex eodem cap. super eodem. 995.B
Ex cap. VII. in illud, Cauete à pseudoprophetis. 997.B
Ex cap. IX. Ascendens Iesus in nauiculam transfretauit, &c. Dominica XVIII. post Pentecostem. 999.B
Ex eodem super illud, Transiens inde Iesus, vidit hominem sedentem, &c. De cõuersione Matthæi. 1000.B
Ex cap. XIIII. Herodes apprehensum Ioannem posuit in carcere. In decollatione sancti Ioannis Baptistæ. 1002. A
De eodem. 1007.A
Ex cap. XV. Egressus Iesus secessit in partes Tyri & Sidonis, &c. De muliere Chananæa. 1009.A
Ex cap. XVIII. Væ mundo ab scandalis, necesse enim est vt veniant. 1015.D
Ex eodem, super illud, Domine si peccauerit in me frater meus, quoties dimittam ei. 1017.D
De eodem dicto euangelico. 1018.D
Ex cap. XIX. Si licet homini dimittere vxorem suam quacunque ex causa. In inuentione sanctæ Crucis. 1024.C
Ex eodẽ cap. in illud, Ecce nos reliquimus omnia, &c. In commemoratione sancti Pauli. 1029.B
Ex cap. XXI. Cum appropinquasset Hierosolymam, &c. Dominica prima aduentus domini. 1033.B
Ex eodem cap. De arbore ficus à Domino arefacta. 1038. B
Ex cap. XXII. Abeuntes Pharisæi, cõsilium inierunt, &c. Dominica XXII. post Pentecost. 1041.A
Ex eodem cap. Accesserunt ad Iesum Pharisæi & interrogauit eum vnus, &c. Dominica XVIII. post Pentecostem. 1042.A
Ex cap. XXV. Quandiu fecistis vni ex minimis meis, &c. De diuite & paupere, & de Eleemosyna facienda. 1046.B

MARCVS.

In Euangelium Marci, Homiliæ XIIII. 1049.A

EX EVANGELIO LVCÆ *fragmenta.*

De natiuitate sancti Ioannis Baptistæ, Sermo. Ex cap. I. 1082.A
Ex cap. II. Et reclinauit eum in præsepio, &c. De natiuitate domini, Homilia. 1089.A
Ex cap. X. De eo qui incidit in latrones, Sermo. 1092.A
Ex cap. XV. De patre & duobus filiis, Homil. 1094.B
Ex cap. XVI. De diuite, Homilia. 1099.A
Ex eodem cap. De Lazaro & diuite, Homiliæ IIII. 1104.B
Ex cap. XIX. De Zachæo. 1149.C

ADIECTA EST HVIC TOMO.

Breuis enarratio in Matthæum. 1153.A

ANIANI

ANIANI IN EXPOSITIONEM DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI, EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI, SVPER EVANGELIVM BEATI MATTHÆI, PROLOGVS.

Domino verè sancto, & beatissimo Horontio episcopo.

PIISSIMI patris affectum, & sapientissimi artem magistri in me pariter exerces, quem inter has, quas pro fidei vobiscum amore perpetimur, tentationum procellas, & à mœrore, simul & à torpore subducis; animúmque anxietate marcentem, ad studium scripturarum remittis. Iubes enim beatissime, vt Commentarium sancti Ioannis Constantinopolitani episcopi, quem in Matthæo euangelista nonaginta & vno libro explicuit, in Latinam linguam, quo possim sermone transfundam. Quod vtinam tam à nobis commodè fieri possit, quàm à te & opportunè, & vtiliter imperatur. Quid enim vel ad prudentiam eruditius, vel ad exercitationem ignitius, vel ad dogma purgatius nostrorum auribus offeratur, quàm præclara hęc tam insignis animi, ingeniíque monumenta? Et hoc maximè tempore, quo per occasionem quarundam nimis difficilium quæstionum, ædificationi morum, atque ecclesiasticæ disciplinæ satis insolenter obstrepitur. Pro qua certè beatus Ioannes cùm in aliis operibus, tum in hoc quoque tantus ferè vbique, támque alacer assurgit; vt euangelistæ dicta interpretando, pro euangelica perfectione nobiscum pugnare videatur. Quid enim ille magis hominibus inculcat, quàm venturam suam † nobilitatem, quæ aduersus Manichæi rabiem omnium recta sapientium consensu, concentúque laudatur? Laudatur autem vel in admirabilis gloriam conditoris, vel ob concitanda studia virtutis, vel ad castiganda vitia voluptatis. Quid inquam pressius ille commendat, quàm ingenitæ nobis à Deo libertatis decus, cuius confessio præcipuum inter nos gentiléque discrimen est? Quid hominem ad imaginem Dei conditum, tam infœliciter Fati violentia, & peccandi putant necessitate deinctum, vt his † etiam pecoribus inuidere cogatur. Quid ille aduersus eosdem magistros potius insinuat, quàm Dei esse possibilia mandata, & hominem totius vel quæ iubetur, vel suadetur à Deo, capacem esse virtutis? Quo quidem solo, & iniquitas ab imperante propellitur, & præuaricanti reatus afficitur. Iam verò iste eruditorum decus, cùm de Dei gratia disserit, quãta illam vbertate, quanta etiam cautione concelebrat? Non enim est in alterutro aut incautus, aut nimius, sed in vtroque moderatus. Sic liberas ostendit hominum voluntates, vt ad Dei tamen mandata facienda, diuinæ gratiæ necessarium vbique fateatur auxilium: sic continuum diuinæ gratiæ auxilium commendat, vt nec studia voluntatis interimat. Cùm autem in cunctis ferè doctrinæ partibus, tum præcipuè in exhortatione morali, atque in omnibus ecclesiasticæ regulis disciplinæ; ita nostrorum concinit per vniuersa sententiis, vt eos penè quos numquam vidit, omnino ad omnem scripturarum intelligentiam informasse credatur. Quanto enim exhortandi, id est emendandi, vel etiam exornandi homines amore teneatur, hoc præcipuè opere declarat. In quo, cùm susceperit commentatoris officium, certam vniuscuiusque libri partem expositione complens, reliqua amica sibi, & quàm perfectissima potest exhortatione, producit. In ipsis quoque expositionum locis, quæ quidem plena sunt acuminis, ponderis, consequentiæ, eruditionis, medullæ, nihil magis intendit aliud, quàm ne vel exigua mortalitatis puncta prætereat: quasi qui omnino penè solus consilium diuinæ legis inspexerit. Quæ cum innumeris sit intexta causis, ad vnum tamen finem omnia reducit, vt scilicet homines, quibus data est, ad amorem Dei studiúmque virtutis accendat. Quòd verò istud non ad ostentationem quandam faciat, & fœtentem illam gloriæ vanitatem, cum tota & doctrinæ illius, & morum, qui etiam in scriptis eius relucent, continentia, tum etiam vitæ finis ipse testatur. Nempe omni ille sermone non solummodò emendat, sed etiam armat au-

† naturæ suæ.

† vt in his.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ditoris animum. Nempe tota eius & principalis intentio est, non tam priuatam istam, & inter prosperorum opaca latitantem honestatem docere; quàm illâ quotidie tanquam in acie dimicantem, & quæ absque vllo dispendio sui tribulationum & cædatur imbribus, & vratur ardoribus, instituere virtutem. Hanc ipsam ita ille insignis ecclesiæ magister, & verus Christi discipulus impleuit, vt illa omnia, quæ de asserenda etiam per mortem virtute disseruit, non tam aliis, quàm sibi omnino soli inculcasse videatur. Denique vitam illam, omni ab adolescentia sanctitate fulgentem, & in sacerdotio mille insignibus perfectionis ornatam, etiam passionibus pro iustitiæ amore decorauit. Quòd certè alicui, ecclesiis in pace degentibus, prouenire, ingentis animi, procúlque ab omni hominum gloria remotæ mentis, raræque omnino virtutis est. Quod autem in septimo istius libro operis indicatur, adhuc Antiochiæ presbyter hæc, quibus illam tunc ecclesiam ædificabat, scripta composuit. Ex quo magis magísque perspicitur, illum non temeritate quadam, aut dissonante, à suis moribus libertate, in regali postea vrbe pontificatum tenentem nota illa & maxima aduersum se commouisse certamina; sed ita se instituisse semper, támque constanter atque firmiter contra omnes iniquorum cateruas, pro veritatis ac iustitię parte iurasse, vt quamlibet aduersus eum vel sacerdotum nomina, vel regum arma cõcurrerent, depellere quidem illum sacerdotali possent throno, numquam tamen depellere possent veritate. Optimam itaque meditationem in occasione rebus exequens, maluit pontificis honorem confessoris dignitate cumulare; quam adulatoris fœditate corrumpere. Iam verò illud, quasi peculiare quoddam custodit, ac proprium, vnde à te præcipuè pro similitudine studij possit adamari, quòd scilicet semper solicitus, semper vigilans, semper noxiæ securitatis, vel potius mortiferi stuporis inimicus, vbique vtilitatem compunctionis, compunctus ipse commendat. Quocirca forsitan eius oratio nusquam ferè in pompam eleuatur dicentis, sed tota ad vtilitatem aptatur audientis. Est enim stylus ipse, quod quidem in suo opere magis animaduerti potest; ecclesiæ auribus accommodatissimus, priscum illud, sed eruditum dicendi genus exprimens: medius, æqualis, maturus, pudicus, alienus omni ab incuriæ culpa, pompáque luxuriæ. Non squalidus quidem, nec tamen floridus, non impolitus, sed neque nimia subtilitate limatus, non asperitate horridus, nec tamen amœnitate lasciuus, maximam vbique copiam, admirabilémque indicans facultatem, nusquam tamen ambitionem loquendi: eò fit, vt illum magis simplex lector intelligat, & laudet disertus. Certè quod ab aliis quoque plurimis audire potuisti, omnes iam ecclesiasticæ Græcorum bibliothecæ post tam varias veterum scriptorum, splendidásque diuitias, post tot insignium magistrorum tam clara lumina, huius præcipuè voluminibus ornantur. Denique & sancti Basilij admirabilem illam curam loquendi, & Antiochi plausibilem pompam, & sublimem illum Gregorij cothurnum, facilè intelligas hac Ioãnis medietate superata. Ita enim stylum suum inuiolata, vt diximus, facultate regnantem, scripturarum vbique & sapore imbuit, & tingit colore, vt illi quidem de apparatu eloquij remittere, iste verò de maiestate scripturarum coruscare videatur. Solæ ab eo forsitan adolescentulorum minus blandè mulceantur aures, quibus in ludo positis literarum, non tam placẽt solida, quàm picta, quique pulchra potius, quàm vtilia sectantur; nec tam agentia diligunt, quàm sonantia; magísque gaudent florum amœnitate conspergi, quàm frugum vbertate nutriri. Hunc igitur si satis minorem̃ se in Latino apparere feci, non tam mihi Domine venerabilis, quàm tibi imputare debes: qui me ad eum tranferendum tanto & authoritatis imperio, & blandimento charitatis hortatus es, vt illi aliquid, immò verò plurimum de honore dũtaxat styli auferre mallem, quàm crimen in te diutius recusando committere, Sanè pro qualicunque hac mea opera amplissimum orationum tuarum munus reposco: quo scilicet nos, vt exemplo, ita etiam precibus tuis iuues, vt aliquid de illius viri virtute possimus imitari. Memor nostri esto semper in Christo Domine meritò beatissime

DIVI

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI
EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI
SVPER MATTHAEVM COMMENTARII,
Homilia prima, Aniano interprete.

OPORTVERAT quidem nihil nos indigere auxilio literarum, sed tam mundam exhibere vitam, vt librorum vice, gratia Spiritus sancti vteremur: & sicut atramento illi, ita corda nostra inscriberentur à Spiritu. Quia verò hanc à nobis excussimus gratiam, agè vel ad secundam nauigationem animum adiiciamus. Equidem quod primum illud fuerit profectò sublimius, & ex verbis suis Deus, & ex operibus ostendit. Nam & Noë & Abrahæ, eiúsque posteris, & Iob & Mosi, non per literas, sed per semetipsum locutus est, quia scilicet munda eorum corda repererat. Postquam verò omnis populus Iudæorum in vitiorum ima delapsus est, necessariò iam inde literæ dantur, ac tabulæ, & ea quæ per has administratur admonitio. Et hoc non tantum veteris testamenti sanctis, sed etiam noui accidisse perspicimus. Siquidem nec Apostolis scriptum aliquid tradidit Christus, sed pro literis, sancti Spiritus se illis daturum gratiam repromisit: Ille, inquit, suggeret vobis omnia. Atque vt discas, quia hoc multò sit illo melius, audi Dominum per prophetam loquentem: Et disponam, inquit, vobis testamentum nouum. Dabo leges meas in mente eorum, & in corda eorum perscribam eas, & erunt omnes docibiles Dei. Paulus quoque hanc eminentiam designando, dicebat se accepisse legem, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Quia verò progrediente iam tempore, alij quidem propter dogmata, alij verò propter vitam & mores grauiter impegerunt; ea rursus quæ constat literis admonitione fuit opus. Iam ergo considera quam sit extremæ omnino dementiæ, vt qui tanta deberemus vitæ perfectione pollere, vt nihil prorsus literis egeremus, sed scribẽda spiritui sancto corda pro paginis præberemus; quale inquam est, si, postea primam illam perdidimus dignitatem, atque eò redacti sumus, vt scriptis indigeamus; ne secundo quidem remedio ad nostram vtamur salutem. Si enim literis egere, & non gratia Spiritus sancti splendere culpabile est; vide quanti sit criminis nec per istud auxilium velle proficere: sed quasi frustra ac vanè posita cœlestia scripta despicere, & maius absque dubio subire supplicium. Quod ne accidat, diligenter hæc quæ scripta sunt, ponderemus; & discamus quemadmodum vetus lex promulgata sit, quemadmodum etiam nouum conditum sit testamentum. Quónam igitur tunc modo illa lex data est & vbi, & quando post Ægyptiorum profectò perniciem in eremo, in monte Sina, & fumo & igne ascendẽte de monte, & tuba terribiliter insonante, & tonitruo crebrius comminante, & coruscante fulgure, & Mose in ipsam caliginem nubis intrante. In nouo verò non ita. Non enim neque in eremo, neque in monte, non cum fumo & caligine, non cum tenebris & procellis: sed sumente initium die, in domo sedentibus cunctis, multa cum mansuetudine, vniuersa fiebant. Siquidem adhuc illis ferocioribus, & effrænioribus humano quodam terrore opus erat, vt solitudine, monte, igni, fumo, tubarum sono & cæteris talibus: sublimiores verò, ad perfectiora doceri faciles, & qui iam corporalium intellectum vsu virtutis excesserant, horum quæ diximus, non egebant. Quòd si & super Apostolos factus esse sonus refertur; non propter ipsos tantum, sed ob præsentiam factus est Iudæorum: propter quos & diuisus ille in specie linguarum ignis apparuit. Si enim post hęc etiam mirabilia dixerunt quod pleni essent musto Apostoli; quanto magis ista dixissent, si nihil tale vidissent? Et in veteri quidem testamento, cum Moses ascendisset in montem, descendit Deus. In nouo verò cum nostra in cœlum, immò in ipsum regalem̃ thronum esset eleuata natura, Spiritus sanctus descendit de cœlo. Qui si esset minor (vt etiam blasphemat impietas) nunquam illa quæ aduentu eius facta sunt, maiora essent, magísque miranda. Nam & tabulæ istæ sunt. absque dubio meliores, & virtutum merita clariora. Non enim descenderunt Apostoli de monte, tabulas lapideas afferentes in manibus sicut Moyses; sed sanctum spiritum mente portantes, & thesaurum quendam dogmatum, donorúmque gestantes, cunctorúmque fontem ex se effundentes bonorum, omnia circuibant: viui quidam libri, viuæque leges effecti per gratiæ largitatem. Sic tria millia, sic etiam quinque millia hominum, sic innumerabiles populos toto terrarum orbe attraxerũt; Deo per illorum linguam cunctis accedentibus differente, à quo etiam Matthæus repletus spiritu ista conscripsit: Matthæus ille publicanus. non enim ab arte sua illum erubuerim nuncupare, nec illum omnino, nec reliquos. Hoc est enim quod maximè ostendit Spiritus sancti gratiam, eorúmque virtutem. Euangelium verò, non abs re quidem, scriptionem suam vocauit. Siquidem pœnarum sublationem, veniam peccatorum, sanctificationem, atque iustitiam, redemptionem, adoptionem, etiam filiorum, & cœlorum hæreditatem, & cum Dei filio fraternitatem, omnibus tum inimicis, tum improbis & in tenebris sedẽtibus nuntiauit. Nunquid possit esse æquale his tam bonis nuntiis? Deus in terris, homo in cœlo: facta est omnium vna permixtio, angeli cum hominibus iungebãt choros; homines choris addebantur angelicis, atque cœlestibus aliis, superníque virtutibus. Erat cernere antiquum repentè prælium dissolutum, Deum hominibus reconciliatum, diabolũ verò cõfusum: dæmones cum tremore fugientes, mortem* peremptam) paradisum apertum, maledictionem remotam, peccatũ de medio sublatum, exagitatum errorem, veritatem reuersam, pietatis sermonem vbique seminatũ, vbique crescentem, cœlestem cõuersationem in terræ regione plantatam, virtutes supernas

Ioan.14. Hier.31. & Io.6. 2.Cor.3. Act.2. Quare opus suum Matt. Euangelium vocauerit. * Ἀπωλωλότα, id est, peremptã aut dissolutã, alij legunt δεδεμένον, id est vinctam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

familiariter nobiſcum loquentes, & ad terras ſæpe angelos ventitantes, éxque his ſpem firmam futurorum. Propterea igitur Euangelium iſta vocatur hiſtoria, quaſi ſcilicet omnia alia verba inania doceantur, ac vacua, quibus ſolent præſentia iſta promitti: vt copia diuitiarum, vt potentiæ magnitudo, vt principatus & gloriæ, vel honores, & quæcunque alia bona eſſe homines arbitrantur. Quæ verò piſcatorum ſunt annunciata verbis, propriè ac verè Euangelia nominantur: non tantùm quia firma ſunt, ac penitus immobilia: ſupráque noſtram eminentia diuinitatem; ſed quia cum omni etiam facillitate nobis donata ſunt. Non enim laboribus noſtris, atque ſudoribus; non doloribus & ærumnis: ſed per Dei in nos tantummodo charitatem, tam grandia hæc promiſſa ſuſcepimus. Sed principio requirendum eſt, quænam illa cauſa ſit, quod cùm tam multi ſint diſcipuli, duo tantùm ex Apoſtolis ſcribant, & duo eorum qui Apoſtolos ſunt ſecuti: vnus enim Petri, alter Pauli diſcipulus, præter Ioannem atque Matthæum Euangelia condiderunt. Quia ſcilicet nihil ambitione moti faciebant, ſed omnia ad vtilitatem referebant. Quid igitur? Non ſufficiebat vnus Euangeliſta cuncta memorare? Sufficiebat quidem; ſed cùm quattuor ſint qui Euangelia conſcribant, nec eiſdem certè temporibus, aut in eiſdem locis, neque pariter congregati, neq; mutuo colloquentes; & tamen quaſi vno ore omnia pronunciant: fit hoc ſine dubio, veritatis grande documentum. Verùm è contrario, inquis, iſta res accidit: in multis enim diuerſi inter ſe inueniuntur, ac diſſoni. Immò hoc ipſum maximũ eſt teſtimonium vetitatis. Si enim ex toto & in omnibus conſonarent, & cum nimia diligentia, atque cura, atque ad tempora, ac loca omnia, vſque ad ſingula æqualiter verba concurrerent; nemo inimicus credidiſſet vnquam, quin illi communi ad decipiendum conſilio congregati, quaſi ex humana quadam conſpiratione Euangelium condidiſſent. Non enim ſimplicitatis fuiſſe tam ſolicitam conſonantiam iudicarent. Nunc verò quæ videtur in rebus exiguis diſſonantia, ab omni illos ſuſpicione defendit, & ſatis clare ſcribentium exiſtimationem tuetur. Si verò aliquid de temporibus ac locis variè dixerunt, nihil quidem dictorum præiudicat veritati. Sed tamen prout donauerit Deus progredientes, etiam iſta declarare tentabimus: illud poſt hæc quæ diximus poſtulantes, vt diligenter notetis, quod in illis principalibus cauſis, in quibus & vita noſtra & prædicationis ſumma conſiſtit; nuſquam aliquis illorum vel in minimo diſcrepare conuincitur. Quæ verò iſta ſunt? Nempe quod Deus homo factus ſit, quod mirabilia operatus, quod crucifixus, quod ſepultus, quod reſurrexit, quod aſcendit in cœlum, quod iudicaturus eſt, quod ſalutaria præcepta conſtituit, quod non contrariam legem intulit priori, quod filius Dei eſt, quod vnigenitus, quod germanus & verus, quod eiuſdem cum patre ſubſtantiæ, & quæcunque ſunt talia. In his quippe omnibus, maximam illorum inueniemus eſſe concordiam. Si verò in miraculis non omnes omnia dixerunt: ſed hic quidem illa, alter verò alia narrauit, nihil te omnino conturbet. Nam ſi vnus vniuerſa dixiſſet, ſuperfluus iam fuiſſet numerus cæterorum: ſin varia omnes inter ſe ſcripſiſſent, ac noua omnia, nullum potuiſſet conuenientiæ apparere documentum. Propterea & communiter multa dixerunt, & nihilominus quiſque proprium aliquid ac ſpeciale conſcripſit: vt neque ſuperfluus eſſe videretur & temerè adiectus, ac ſimul veritatis dictorum exactum præberet nobis indicem. Lucas igitur etiam cauſam ponit, propter quam venerit ad ſcribendum: Vt habeas, inquit, eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem: id eſt, vt ſæpe commonitus certus ſis, ac in certitudine permaneas. Ioannes verò, ipſe quidem cauſam ſcriptionis tacet: vt autem habet maiorum ſermo, & à patribus ad nos delatus; nec ipſe ad ſcribendum abſque certa ratione deſcendit. Sed quia illa iam trium fuerat intentio, vt in ſuſcepti morarentur hominis ſacramento, & de ipſa deitate dogma periclitabatur taceri ad ſcribendum Chriſto inſpirante motus acceſſit: quod ex ipſa hiſtoria, & de Euangelij declaratur exordio. Neque enim ab inferioribus cœpit, vt cæteri: ſed ad ſuperiora continuò, ad quę vrgebatur, aſcendit, propter quæ librum ipſum profectò compoſuit. Neque enim ſolum in principiis, ſed per totius ferè Euangelij textum, grandior cæteris ingreditur, atque ſublimior. Matthæus accedentibus his qui ex Iudæis Chriſto crediderant, & rogantibus, vt quæ verbis docuiſſet, hæc eis in literis ſeruanda dimitteret, Hebræo dicitur Euangelium ſcripſiſſe ſermone. Marcus quoque in Ægypto idipſum rogantibus traditur feciſſe diſcipulis. Et iccirco Matthæus quidem, vtpote Iudæis ſcribens, nihil amplius ſtuduit oſtendere, quam quòd ex Abrahæ & Dauid Chriſtus ſtirpe deſcenderat. Lucas verò, quippe qui omnibus in commune loqueretur, ſermonem, ſuperius extendit, ad ipſum vſque Adam generationes retrorſum numerando perueniens. Et ille quidem ſtatim ab ipſa generatione Chriſti ſumit exordium. Nihil enim magis delectare Iudæum poterat, quàm ſi Chriſtum Abrahæ & Dauidis nepotem eſſe diceret: hic verò diuerſè. Nam prius multa commemorat, & tunc demum generationum catalogum texit. Horum igitur omnium conſonantiam, orbe quoque ipſo teſte monſtramus: quia ea quæ ſunt dicta ſuſcepit, teſtibus quoque ipſis veritatis inimicis. Siquidem multæ poſt illos hæreſes pullularunt, contraria his quæ ſcripta ſunt opinantes. Et earum quidem aliæ, omnia quæ Euangeliſtæ ſcripſerant, receperunt: aliæ verò quibuſdam ſententiis à reliquo opere amputatis, ſic apud ſe ſcriptas conſeruant. Quòd ſi pugna aliqua eſſet in dictis, neque iſtæ quæ ex aduerſo loquuntur hæreſes omnia recepiſſent; ſed tantummodo illam partem, quam ſibi cernerent conuenire: neque iſtæ quæ partem aliquam receperunt, *de eadem aduerſus alias diſputaſſent.] Quippe, cùm nec ipſæ clauſulæ lateant, ſed palam præ ſe ferant eam quæ eſt cum toto orationis corpore cognationem. Vt enim ſi partem aliquã ſumas ex latere, & in exigua portione cuncta inuenies, ex quibus totum cõſtat animal, id eſt, & carnem, & oſſa, & neruos, & venas, arterias, & ſanginem, & totius, vt ita dixerim, maſſæ vim atque naturam ex ipſius parte cognoſcas: ſic etiam in ſcripturis, in vnaquaque paticula dictorum, totius potes cernere affinitatem. Si verò inter ſe Euangeliſtarum ſententiæ diſſonarent, nequaquam hoc receptum fuiſſet; & olim iam ipſum dogma fuiſſet deſtructum: omne enim regnum, inquit, diuiſum aduerſus ſeſe deſolatur. Nunc verò vel hoc ipſo ſancti Spiritus clariùs maieſtas refulget, ſuadens hominibus, vt erga principalia illa magiſque neceſſaria vacantes, nihil ab his minutis lædantur. Vbi autem eorum vnuſquiſque degens ſcripſerit, non valde eſt cur contendamus: quòd verò aduerſus ſe non ſcripſerint, ex toto operis contextu docere tentabimus. Tu verò tale eſt quod facis ſemper huiuſmodi diſſonantia accuſando, quale eſſet, ſi illos iuberes per omnia eiſdem vti elocutionum modis, eadémque verba ſemper proferre. Taceo quod hi ipſi, qui ad omnem põpam de rhetorica & philoſophia gloriantur, multos, & plurimos, & de eiſdem cauſis ſcribentes libros; non modò ſimpliciter diſcreparunt, ſed etiam ſibi contraria pleráque dixerũt. Et certè aliud eſt diuerſo modo quid dicere,

In proœmio B. Lucæ.

Ex eadẽ parte cõuicti fuiſſent.] Diuerſa hic eſt lectio. alij enim διελέχθησαν, alij verò διηλέγθησαν legũt. Luc. 1.

re, aliud aduerſo. Nihil inquam horum loquor. Procul à me abſit, de illorum inſipientia pro euãgeliſtis ſatisfactionem parare. Neque enim volo de mẽdacio adſtruere veritatem. Illud ſanè libentèr rogarim, quonã modo authoritatem diſſona meruiſſent? quonam pacto obtinere potuiſſent? vnde admirationi eſſent pugnãtia inter ſe, atque aduerſa dicẽdo? Credebatur inaudita loquentibus, toto orbe laudabantur docentes. Cúmque multi teſtes eorum prędicationis exiſterent, tum etiam inimici, hoſtéſque plurimi: non enim in vno aliquo ſcribẽtes angulo ea quæ ſcripſerant, occultauerũt; ſed terras, mariáque luſtrantes, in cõſpectu & auribus omniũ volumina ſacra replicabãt: quæ ſicut etiam nunc fieri videmus, ipſis quoque præſentibus legebãtur inimicis; nec quidquam tamẽ ex his quæ dicta ſunt, quemquam offendit: nec immeritò. Erat enim diuina virtus quæ aderat vbique, & apud omnes cuncta peragebat. Cæterum ſi non iſtud fuiſſet, vnde publicanus, vnde piſcator, vnde illiteratus quiuiſſet vnquã tam ſublimiter philoſophari? Quę enim ſapientes ſæculi, ne per ſomnũ quidem aliquando imaginari potuerunt; hæc iſti cum aſſeueratione manifeſta annunciant atque perſuadent, ídque faciunt non tãtum in viuis agentes, ſed etiam vbi fato functi ſunt: & non duobus, non viginti hominibus, non centum aut mille, aut decem millibus; ſed vrbibus, & gentibus, & populis, & terræ prorſus ac mari, Græciæ ſimul ac Barbariæ, & habitabilibus partibus orbis, ipſíque deſerto. Et certè ea perſuadebant, quæ naturam noſtram longè probantur excedere. Siquidem relinquentes omnino terram, de cœleſtibus diſſerebant; docentes, nobis aliam ſupereſſe vitam victúmque alium, & diuitias & paupertatem & libertatem & ſeruitutem aliam, ſed & vitam aliámque mortem, alterum mundum, & conuerſationem nouam, omniáque mutata. Non ſicut Plato qui ridiculam illam cõdidit rempublicam, aut Zeno, vel ſi quis alius de republica conſcripſit, legéſque compoſuit. Siquidem hæc ipſa ſunt, quibus facilè monſtratur, quoniam malignus ſpiritus, & dæmon quidem ferus, hoſtíſque naturæ noſtræ, & impugnator caſtitatis, totiúſque honeſtatis inimicus, omnia ſurſum deorſúmque permiſcens, eorum mentibus inſpirauit. Cùm enim communes omnibus faciant coniuges, nudáſque ad palæſtram virgines ducant, ad ſpectaculum hominum (& libidinis irritamentum) cùm occultas concilient nuptias, omnia ſimul miſcentes & conturbantes, ac peruertentes leges, finéſque naturæ: quid de his aliud pronũciari poteſt? Nam quod omnia illa inuenta ſint dæmonum, & contra naturam probentur eſſe quæ dicunt; poterit nobis eſſe teſtis ipſa natura, quæ talia audire non patitur: cùm iſta non ſub perſecutionum metu, non cum periculis & præliis, ſed cum omni ſecuritate docentium licentiáque dicantur, multa inſuper cura, ambitúque magno ſermonis ornata. Hæc verò quæ à piſcatoribus prædicata ſunt, exagitatis vndique, ſæpius verberatis, inter pericula iugiter conſtitutis, abſque vllo loquentibus cultu & arte verborum & imperiti & eruditi, & ſerui & liberi, & reges & milites, & Græci & Barbari, omni cùm reuerentia ſuſceperunt. Neque verò dicere poteris, parua hæc eſſe, nimíſque humilia, & ídeò facilè à cunctis ſuſcepta: cum vtique multò hæc ſint illorum dogmatibus celſiora. Virginitatis enim, illi, nec in ſomno imaginati ſunt dignitatem; nec contemptum habendi atque ieiunia, nec quidquam aliud de ſublimiore doctrina. Noſtri autem magiſtri, non ſolùm opus turpe condemnant, neque tantummodo concupiſcentiã prohibere contenti ſunt, ſed & aſpectum impudicum, & inhoneſta verba, riſúmque laſciuum, ſed & habitum inordinatum, inceſſum inconditum, atque clamorem, & omnino vſque ad humilia precepta deducunt diligentiam diſciplinæ. Itaque vniuerſum prorſus orbem virginitatis plantatione compleuerunt; & de Deo rebúſque cœleſtibus ea philoſophari docent, quæ illorum nullus aliquando potuit vel mente concipere. Vnde enim ſapere hæc illi poſſent, qui monſtrorum atque ſerpentium, aliorum etiam viliorum imagines deitatis nomine conſecrarunt? Attamen tam ſublimia illa noſtrorum dogmata & ſuſcepta, & credita ſunt, & florent quotidie, atque ſuccreſcunt; eorum verò exagitata ſunt, paſſímque diſperdita, & aranearum telis faciliùs diſſoluta. Idque meritò: ſiquidem dæmones illa prædicabant. Propter quod ibi, præter laſciuiam morum, multa etiam dictorum obſcuritas & caligo eſt, & ad intelligendum grandis afflictio. Quid enim irriſione magis dignum, quàm illa eſt diſciplina, * in qua, vt cætera omittam; cum innumeris verſibus philoſophus diſputauerit, multa & obſcura oratione, ſuam cumulat prolixitatem dicendi; vt quid ſit iuſtum poſſit oſtendere? Ita etiam vt ſi vtile quid haberent, tantæ tamen obſcuritatis titulo, valde id vitæ hominum eſſet incommodum. Si enim vel agricola, vel ærarius, ſi faber aliquis, vel nauta, aut quiſpiam cæterorum qui manuum ſuarum opere paſcuntur, velit quidem ab arte propria, iuſtóque labore diſcedere, vt conſumpris tot annis ſtudeat ſcire quid iuſtum ſit, & fortè antequam diſcat, interimatur fame: peregrinabitur profectò propter hoc iuſtum, neque aliquid aliud vtile addiſcens, & vitam violenta morte diſſoluens. At non etiam noſtra ſunt talia, ſed iuſtum, honeſtum, vtile, omnémque vsum virtutem in paucis ſyllabis, in breuibus verbis atque manifeſtis nos Chriſtus edocuit: tum dicendo quoniam in duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ, id eſt, in Dei & proximi charitate: tum iubendo, Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, hæc & vos facite illis. Hæc eſt enim lex & prophetæ. Quæ certè & ſeruo & ruſtico, & viduæ, & puero, & ei qui valde imprudens videatur eſſe, facilia ad intelligendum ſunt, & prorſus expoſita. Tales quippe ſunt ſententiæ veritatis: ídque exitus rerum ipſe teſtatur. Siquidem omnes ferè quæ ſunt agenda didicerunt; nec didicerunt modò, verumetiam quæ didicerant, efficere curarunt: & non in vrbibus ſolum atque medio foro, ſed in ipſis quoque verticibus montium. Etenim ibi maximè euangelicam videas florere philoſophiam, & angelorum choros in humano corpore refulgere, conuerſationémque omnino cœleſtem in terris micare. Nobis ſiquidem piſcatores diſciplinam ſcripſere viuendi, non ex pueris eligi aliquos ad diſcendum iubentes, vt philoſophis moris eſt; neque certum numerum annorum prefinientes ad conſummanda ſtudia virtutum: ſed cunctis generaliter ætatibus diſſerentes. Illud enim puerorum ludus eſt, hoc veritas rerum. Locum quoque diſciplinæ huic certum dederunt, cœlum profectò: & informatorem eius Deum proculdubio eſſe docuerũt. Qui etiam leges, quibus vtimur, dedit, quales & oportuit. Prędmia verò virtutum in hac diſciplina, non ramus oleæ, nec corona oleaſtri foliis immixta, nec publicè in prytaneo apparata cõuiuia, nec æreæ ſtatuæ, nec imagines coloribus adumbratæ, & friuola iſta atque vaniſſima: ſed vita nullo vnquam fine claudenda, & filiorum Dei collata nobilitas, cúmque angelorum choris iungenda lætitia, & ante regalem thronum ſecura præſentia, & perpetuum eſſe cum Chriſto. Doctores verò iſtius diſciplinæ ac principes publicani ſunt, & piſcatores, pelliúmq; ſutores, non qui exigua ętate vixerint, ſed qui adhuc viuant, in æternúmque permaneant. Et iccirco defuncti quoque multũ valẽt prodeſſe diſcipulis.

πολιτείαν.

Philoſophiæ gẽtilũ & Apoſtolorum differentia.

Matt. 22. Ibid. 7.

Universidad de Deusto Biblioteca

Huic itaque disciplinæ, non cum hominibus bellū est, sed aduersus sæuissimos dæmones, contráque incorporeas illas potestates. Propter quod & dux talis exercitûs nullus est hominum, nullus est angelorum, sed ipse proculdubio Deus. Arma quoque istorum militum, naturam ipsius belli consequenter imitantur. Non enim ex ferro parantur ac pellibus, sed ex veritate, fide atque iustitia, cæterísque virtutibus. Quoniam igitur de huiusmodi disciplina etiam hic liber est conscriptus, & nobis de ipsa disputare propositum est, diligentius audiamus Matthæum perspicuè super eadem disserentem. Non enim sunt eius dicta, sed Christi, qui ipsius informator est disciplinæ. Hanc ergo solicite consideremus, vt in illa etiam mereamur adscribi, & in eorum fulgere numero, qui priùs eam seruando nituerunt, & immarcescibiles illas acceperunt coronas. Et multi quidem hunc librum satis apertum esse opinantur, ac planum; solos prophetas intellectu putantes esse difficiles. Sed hoc quoque eorum est, qui altitudinem sensuum sibi penitus reconditorum prorsus ignorant. Propter quod obsecro, vt multo cum studio sequamini nos, vt ipsum Euangelij pelagus intremus, Christo nobis præbente in hoc itinere principatum. Vt autem sit facilior iste ad intelligēdum liber, rogamus ac hortamur (quod in aliis quoque scripturis facere consueuimus) vt præueniatis animo, atque voluatis eum qui à nobis elucidandus est locus; vt intellectui lectio viam parans, quod etiam in Eunucho illo factum est, multam nobis conferat facultatem docendi.

Act. 8.

Etenim plurima sunt quæ inquiruntur, ac varia. Considera igitur quanta in ipso Euangelij principio quæstionum sylua nascatur. Primò quidem, cuius rei gratia per Ioseph generationum ordo decurrat, de quo non nascitur Christus. Secundò, vnde manifestum sit, quod à Dauid originem ducat, cùm parentes Mariæ, ex qua certè natus est, habeantur incogniti: neque enim generationes ex Virginis parte numerantur. Tertiò quàm ob causam Ioseph quidem generatio, qui certè nihil ad generationem contulit Christi, tam diligenter asseritur: Virgo autem, quæ etiam mater eius effecta est, non ostenditur ex quibus parentibus, auis, proauísque nascatur. Post hęc etiam illud inquirendum esse videtur, qua de causa generationes per viros nominans, meminerit etiam fœminarum. Et quia semel id fieri placuit, cur non omnes fœminas nominarit. Nam meliores quasque transcurrens, vt Saram & Rebeccam, earúmque similes: eas tantummodo quæ de aliquo vitio celebratæ sunt, eduxit in medium: id est, si qua adultera, vel meretrix: si qua etiam ex nuptiis non legitimè copulata, si qua alienigena aut barbara fuit. Siquidem non modò Vriæ vxorem, sed etiam Thamar & Ruth Euangelista commemorat: quarum alia quidem erat alienigena, alia verò scortum, quæ cum affine rem habuit; non tantùm non lege illi coniuncta coniugij, sed furata concubitum, & intra habitum meretricis abscondita. Vriæ quoque vxorem nullus ignorat, propter factum illud insignis audaciæ. Et tamen omnes alias Euangelista præteriens, tantummodò istas generationum catalogo comprehendit. Quòd si meminisse oportuit fœminarum, cunctæ debuerant nominari; si verò non omnes erant, sed aliquæ proferendæ, eas magis poni decuit, quæ non de peccatis, sed de virtute celebrantur. Vidisti nempe quanta nobis attentione opus sit etiam inter ipsa principia. Et certè supra cætera esse manifestum illud videbatur exordium, fortè autem aliquibus etiam superfluum, quia solum ibi numerum putabant nominum contineri. Supra hæc etiam illud inquisitione dignum est, quæ causa compulerit, vt tres reges in enumerandis generationibus præteriret. Si enim

A

quasi nimis impiorum nomina reticere maluit, nec aliorum quidem similium meminisse debuerat. His additur etiam illa quæstio, quod generationes quatuordecim quum dixisset, in tertia parte numerum non seruauit. Deinde quænam illa ratio persuaserit, vt Lucas quidem aliorum faceret nominum mentionem, & non modò non eorundem omnium, sed multò etiam plurium. Matthæus verò non pauciorum modò, verumetiam diuersorum; cùm vtique adusque generationem Ioseph numerum etiam ipse perducat, in quo finem fecit & Lucas. Iam ergo perspicite quanta nobis opus sit vigilantia, non solum ad exponendum Euangelium, verumetiam ad discernendum quænam illa sint, quæ expositione indigeant. Nec parum est enim posse inuenire ea quæ in dubio sunt, & de quibus controuersia est. Illud quoque inter dubia numeratur, quomodo Elizabeth de Leuitica existens tribu, Marię cognata dicatur. Verùm ne multa pariter colligētes, memoriam vestram

B

subitò quæstionum oneremus aggestu, hîc sermoni nostro terminum statuamus. Sufficit enim nobis, & valde sufficit ad audiendi interim studium suscitandum, vt quæ in quæstionem solent venire, discantur. Si verò etiam solutionem ipsam desideraris addiscere, & hæc * nobis dicentibus) in vestra est potestate. Si enim vos intellexero suscitatos, & audire cupientes, etiam solutionem afferre tentabo.

ante verba nostra.

Si verò oscitantes videro, & ab intentione laxatos: abscondam non solutionem solùm, verumetiam quæstiones, diuina lege commonitus: Nolite, inquit, sanctum dare canibus, neque proiiciatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis.

Matt. 7.

Quis est modò, inquis, qui ista conculcet? Ille vtique, qui non ea preciosa credit esse, atque præclara. Et quis est, inquis, ita infœlix, qui non hæc preciosiora esse omnibus, & clariora fateatur? Ille sine dubio, qui non vel tanto studio eis vacat, quanto in diabolicis illis theatris meretricibus occupatur. Ibi

C

enim plurimi totos etiam dies peragunt, proptérque illam occupassionem vanissimam multa etiam domi detrimenta patiuntur. Et tamen cum omni diligentia, quod audierint, memoriæ commendant, eáque ad animæ suæ perniciem penitus infixa custodiunt. Hîc verò, vbi loquitur Deus, ne exiguum quidem patienter tempus expectant. Cur hoc? quia nihil commune habemus cum cœlo, sed omnis nostra religio verbo tenus peragitur. Et certè propter hoc Deus gehennam minatur, non vt eam nobis inferat, sed vt fugere persuadeat illam grauissimam * consuetudinem.) Nos verò econtrario cuncta agimus, & quotidie in illam viam quæ illuc ducit, irruimus.

συνήθειαν, codex regius vero habet τυραννίδα, id est, tyrannidem.]

Nam præcipiente nobis Deo, non modò vt audiamus quæ dicuntur, verùm vt cum omni etiam deuotione faciamus; nos nec audire curamus. Quando igitur eā quæ dicuntur, implebimus? Responde, quæso, quando incipiemus operari, cum nec sermonem quidem super his patienter audiamus sed indigne-

D

mur offendamúrque hac * exercitatione, tametsi breuissima.

διατριβῇ, id est, exercitatione vel mora.

Deinde nos quidem de friuolis sæpe rebus loquentes, nisi eos qui nobiscum sedent, viderimus attentos, incuriam illorū nostram arbitramur esse iniuriam. Deum verò non putamus offendi, quando eo de tantis rebus loquente, ea quæ dicuntur contemnimus, faciléque ducimur ad alia omnino, atque conuertimur? Et sæpe quidem aliquis è senibus qui multas circuierit terras, marísque regiones, non solum stadiorum numerum, sed & vrbium situs, & formas, & portus, ac forum diligenter nobis enarrat; nos verò nec quam procul simus à cœlesti vrbe cognouimus. Nam profectò ad iter hoc superandum properassemus, si nota esset distantia. Non enim tantum à nobis ciuitas abest,

quantum

quantum inter cœlum terrámq; discrimen est: sed multo etiam longiùs distat, si vtique negligamus: vt econtrario, si studium commodemus, etiam in exiguo tempore ad ipsas eius ianuas peruenire poterimus. Non enim locorum longinquitate, sed instituto morum hæc spacia metiēda sunt. Sed tu præsentis quidem gesta vitæ diligenter tenes, nosti & noua & vetera, ac etiam prorsus antiqua potes enumerare: non solum principes, sub quibus anteactis temporibus militasti; sed etiam omnes militiæ duces, sed etiam editores munerum, & eos qui in spectaculis certauerunt, quíque vicerūt, nihil vtique ad te pertinentia, nihílque tuis vtilitatibus profutura. Quis verò in hac, de qua loquimur, sit ciuitate princeps, quis apud eum primus, aut secundus, aut tertius: vel quanto quisque tempore, vel quid sit virtutis operatus; numquam vel per somnium cogitasti. Quæ verò leges in hac vrbe sunt positæ, nec aliis quidem dicentibus sustines audire & attendere. Qua ergo fiducia, dic mihi, illis te aliquando speras promissis bonis potiturum, ad quorum magnitudinem nec quando promittuntur, intendis? Sed & si antè nunquam, saltem nunc id facere curemus. Etenim si concedatur à Deo, auream ingrediemur vrbem, immò facilè omni auro preciosiorem. Nunc ergo discamus fundamenta eius, & portas ex sapphiro margaritísque compositas: habemus quippe optimum ducem, Matthæum profectò. Per ipsius namque portam nunc ingredimur, multóque nobis studio est opus. Siquidem enim aliquem non intentum viderit, continuò eum à ciuitate propellit. Est siquidem vrbs ipsa maximè regia, & tota prorsus illustris, & non sicut videmus apud nos, in palatia domos plateásque distincta: sed quidquid est illius vrbis, aula regia est. Pandamus igitur portas animi, aperiamus auditum, cúmque tremore plurimo primas æternæ vrbis ianuas intraturi, regem qui in ea est, suppliciter adoremus. Etenim primus ipse congressus potest cernentibus terrorem incutere. Modò quidem nobis portæ istæ occlusæ sunt: cum verò eas reseratas viderimus (hoc enim est solutio quæstiónum) tunc plurimum omnino poterimus intus fulgorem aspicere. Etenim

πνεύματος. genitiui casus.

† spiritûs te oculis ducens, omnia tibi publicanus iste promittit: quòd videlicet ostendat vbi rex ipse sedeat, quorúmque illi militum assistant cohortes, vbi angeli, vbi verò habeantur archangeli, & quis nouis ciuibus in hac vrbe sit deputatus locis, & quónam illuc itinere pergatur, & quanto honore donandi sint hi, qui primi illius ciuitatis ius fuerint consecuti, quanto quoque hi, qui illos secundò sequuntur loco, quanto etiam hi qui tertiò; & quot sint illorum ordines ciuium, quamque diuersi in illo gradus distinguantur senatu, & quàm variæ ibi splendeant differentiæ dignitatum. Non igitur cum tumultu ingrediamur, non cum turbatione, neque cum strepitu; sed cum silentio atque reuerentia, quæ tantis est exhibenda mysteriis. Si enim in theatro, cum multum silentium antè præcesserit, tum demum literæ regis leguntur; multo magis in hac vrbe omnes cohiberi oportet, & comprimi; & erectis auribus, atque animis adstare solicitis. Non enim terreni regis, sed angelorum Domini scripta recitanda sunt. Si enim ita nos voluerimus aptare, ipsa nos Spiritus sancti gratia cum omni diligentia ad penetralia interiora perducet, atque ad ipsum regis perueniemus thronum, ac bonis omnibus perfruemur: gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium, cum patre & spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

A

Homilia secunda ex cap. I.

Liber *generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham*. Igitur meministis admonitionis eius, qua ad vos superiori die sumus vsi, cùm hortaremur vt summo cum silentio & quiete, tantis congruente mysteriis, omnibus euangelij verbis commodaretis auditum. Siquidem iam incepimus cœlestes adire ianuas, propter quod vos præteritæ denunciationis admonui. Etenim si Iudæi accessuri ad montem ardentem, & ignem, & caliginem, & tenebras, ac procellas; immò non accessuri ad illa, sed ea & audituri eminùs, & visuri, triduum antè se continere iubebantur à fœminis, ac vestes abluere: & tamen in timore erant maximo, tremoréque, † cùm certè illos plurimum Mosi præsentia confoueret) multò magis nos qui talia incipimus audire verba; & non procul à monte fumante consistere, sed in ipsum omnino introire cœlum, maiorem philosophiam

& ipsi si vna cum ipsis Moses quoque.)

B

debemus ostendere: non indumenta corporis abluentes, sed stolas animæ candidantes, nósque ab omni seculi huius commixtione purgantes. Non enim caliginem hîc, non fumum videbitis, non procellam: sed regem sedentem super thronum illius ineffabilis gloriæ, & angelos ei atque archangelos pariter assistentes, & sanctorum populos innumeris illis angelorum cohortibus copulatos. Talis quippe est ciuitas Dei, habens Ecclesiam primitiuorum, & spiritus iustorum, & frequentias angelorum, & sanguinem aspersionis, per quem reconciliata sunt omnia. Nam & cœlum ea quæ in terra sunt accepit, & terra ea quæ in cœlo: & desiderata olim angelis atque sanctis pax aliquando donata est. In hac vrbe trophæum constitit crucis, clarum scilicet atque conspicuum. In hac item spolia sunt Christo parta, humanæ scilicet naturæ exuuiæ, regis nostri præda: quæ omnia diligenter euangelij lectione discetis. Et si cum silentio & moderata sequaris quiete, circunducere

C

te per cuncta poterimus, ac diligenter ostendere, vbi quidem mors iaceat crucifixa, vbi peccatum suspensum, vbi plurima illa atque præclara ex hoc bello fulgeant monumenta victoriæ. Videbitis & hîc tyrannum reuinctum, & multitudinem captiuorum sequentem; & arcem, ex qua sceleratus ille dæmon omni retro tempore in perniciem hominum procurrebat, repentè subuersam. Videbitis etiam reuulsas latronis speluncas, antráque patefacta: nam ibi quoque præsentia regis affulsit. Sed nihil est dilectissime, quòd horum fatigeris auditu. Neque enim si quis istius temporis bellum tibi & victorias, trophæáque recenseret, vlla vnquam caperêre satietate; sed neque cibum, neque potum illi narrationi aliquando prępo neres. Quòd si illa iucunda est narratio, multo magis hæc. Considera enim quàm sit audire magnificum, quomodo Deus surgens de sede regali, è cœlo venit ad terras, & ad ipsum descendit infernum: & in acie dimicans stetit.

D

Quemadmodum autem illi diabolus repugnauit: immò non Deo nudo, sed Deo in natura hominis abscondito. Quódque mirabile est, videbis mortem morte peremptam, & maledictum esse maledicto extinctum: & per quæ diabolus iam antè maximè valebat, per ea ipsa tyrannidem illius esse destructam. Exurgamus igitur, & somnum animi longiùs repellamus. Ecce enim video portarum nobis claustra reserata: sed tamen cum omni moderatione & tremore mentis ipsas continuo ianuas intremus. Quæ verò sunt istæ ianuæ? *Liber generationis*, inquit, *Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham.* Quid ais? De vnigenito Dei filio dicturum te esse promiseras, & Dauid mentionem facis, eiúsque illum filium esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

commemoras, hominis qui post mille generationes natus traditur, ipsúmque esse & patrem Christi dicis, & proauum? Verùm cohibe te paulisper, & comprime; nec velis repente omnia simúlque discere, sed sensim atque paulatim: siquidem adhuc in vestibulis constitisti, ante ipsa prorsus initia portarum. Quid igitur ad penetranda interiora festinas? Necdum bene omnia quæ foris sunt, considerasti. Neque enim nunc tibi ipsam generationem domini conor exponere, immò verò nec † cùm ista narrauero:) est enim inexplicabilis tota, néque vlli prorsus effabilis: & hoc tibi ante me Esaias propheta denunciat. Siquidem ipsius prædicans passionem, & plurimam pro toto orbe terrarum piissimamque curam, atque admiratus quis cùm esset, quid factus sit, quóve descenderit, maximo sono vocis exclamauit, & dixit: Generationem eius quis enarrabit? Verùm nobis non de diuina generatione nunc sermo est, sed de hac inferiore, quæ in terra facta est, queque testibus celebratur innumeris. Sed super ista quoque prout accipientes sancti Spiritus gratiam, potuerimus effari, ita profectò narrabimus. Neque hanc enim perspicuè satis explicari possibile est, quippe cùm sit etiam ipsa maximè stupescenda. Non igitur exigua te aliqua opineris audire, cùm hanc generationem audis edisseri: sed totam in te mentem prorsus exuscita, & continuo totus horresce, cùm Deum venisse audis super terras. Vsqueadeo enim istud mirabile erat, & nulli antè prorsus auditum, vt etiam angeli in chorum earum rerum gratia collecti, totius orbis nomine propter ista, gloriam concinerent, faustámque attollerent acclamationem, & prophetæ porrò antè cum admiratione prædicerent: Quoniam super terram visus est, & cum hominibus conuersatus est. Valde etenim audire mirabire est, quòd ineffabilis Deus, & qui nec sermonibus explicari potest nec cogitationibus comprehendi, patríque per omnia coæqualis: per virginis ad nos venit vterum, & fieri ex muliere dignatus est, & habere progenitores Dauid & Abraham. Et quid dico, Dauid & Abraham? etiam illas quod horribilius est, fœminas, quas paulò antè memorani. Hæc igitur audiens, mente consurge: verum nihil humile suspiceris, sed potius propter hæc ipsa maximè mirare; quia cum germanus & verus filius sempiterni esset Dei, etiam filius Dauid esse dignatus est, vt te filium faceret Dei: seruum patrem habere dignatus est, vt tibi seruo patrem faceret dominum. Vides arbitror ab ipso statim principio, quàm læta sint hæc nuncia. Quòd si ambigis de his quæ ad tuum spectant honorem, de illius humilitate disce credere etiam quæ super tuam dignitatem dicuntur. Quantum enim ad cogitationes hominum pertinet, multò est difficilius Deum hominem fieri, quam hominem Dei filium consecrari. Cùm ergo audieris quòd filius Dei, filius sit & Dauid & Abrahæ: dubitare iam desine, quòd & tu qui filius es Adæ, futurus sis filius Dei. Non enim frustra, nec vanè, ad tantam humilitatem ipse descendit, sed vt nos ex humili sublimaret. Natus est enim secundùm carnem, vt tu nascerere spiritu: natus est ex muliere, vt tu desineres filius esse mulieris. Propterea duplex facta generatio est: hæc scilicet nostræ similis, illa nostram eminenter excedens. Quòd enim natus ex fœmina est, & nobis competit: quòd verò non ex sanguine, neque ex voluntate carnis aut viri, sed ex spiritu sancto: aliam nobis sublimiorem, futuramque & spiritu consequendam generationem promittit. Sed alia quoque omnia ex simili diuersitate constabant. Nam & baptisma profectò tale suscepit, quod haberet quidem aliquid veteris, haberet & aliquid noui. Quòd enim baptizatus est à propheta, expressit vetus: quod autem descendit Spiritus, adumbrauit nouum. Ac proinde vt si quispiam in arena consistens, duos aliquos inuicem dissidentes, extenta manu vtraque vtrinque prendens coniungat: ita fecit & Christus veteri nouum, diuinam naturam humanæ, suis nostra iungendo. Vides nunc puto fulgorem vrbis procul coruscantis, vides quanto inter ipsa principia splendore lucet; quo modo tibi regem ipsum humana specie, sic mortalibus velut exercitui admixtum ostendit. Neque enim in bello semper propriam habere rex cernitur dignitatem; sed purpura & diademate relictis, militis habitum frequenter induitur. Sed illic, ne cognitus hostes in se conuertat: hìc contrà, vt ne agnitus antè congressum in fugam vertat hostem, suósque maiestatis fulgur conturbet: saluare enim non terrere studuit. Et iccirco illum hac appellatione continuò nominauit, Iesum vtique nuncupando. Iesus enim non est Græci sermonis vocabulum, sed Hebraica lingua Iesus dicitur, quod est in nostro sermone saluator: † saluator autem ab eo, quòd salutem populo suo præstaturus aduenerit. Iámne igitur intelligis, quemadmodum euangelista auditorem in excelsa subuexerit: & ea certè quæ in vsu esse viderentur locutus, per quæ tamen ipsa longè nos maiora, quam omnes sperare poteramus, edocuit. Vtriusque igitur istius nominis apud Iudæos erat celebrata notitia. Quia enim incredibilia erant quæ promittebantur futura: etiam nominum præcesserunt figuræ, vt porrò antè omnis ex inuidia nouitatis tumultus oriturus extingueretur. Iesus namque etiam ille dicitur, qui post Moysem populum in terram repromissionis induxit. Vides figuram, perspice veritatem. Ille in terram repromissionis, hic verò introduxit in cœlum, & ea quæ sunt in cœlis bona. Ille postquam Moyses mortuus est, iste postquam lex per Moysem lata cessauit. Ille ducis dignitate pollens, iste verò regis maiestate præfulgens. Sed ne Iesum audiens, de societate nominum patereris errorem, continuo subiunxit & Christum. *Iesu Christi* inquit, *filij Dauid*. Ille enim non erat ex Dauid, sed ex alia tribu. Cuius verò rei gratia librum ipsum generationis Christi vocat, vbi non sola vtique generatio, sed tota prorsus ipsius mysterij dispensatio continetur? Quia totius scilicet dispensationis caput & radix, atque principium omnium nobis in hoc consistit bonorum. Vt enim Moyses librum cœli appellauit, ac terræ, cùm certè non de cœlo solum terráque loqueretur, sed de cunctis quæ inter ipsa subsistunt; ita etiam euangelista ab ipso omnium fonte & capite bonorum librum vocauit. Omni siquidem admiratione plenissimum est, & super spem expectationémque mortalium, quòd Deus homo factus est. Hoc autem impleto, illa omnia quæ sequuntur, iuxta ordinem & rationem consequuntur. Qua verò de causa non eum antè filium Abrahæ, & postea filium Dauid nuncupauit? Non sicut opinantur aliqui ab inferioribus volens ad superiora conscendere: alioqui fecisset quod fecit & Lucas, nunc autem econtrario facit: cur ergo commemorauit priorem Dauid? Quia ipse proculdubio in omnium versabatur ore, ob insigne honoris & gloriæ, ob ipsius quoque temporis spatia iunctiora. Non enim olim defunctus fuerat sicut Abraham. Etsi enim vtrique promiserat Deus; sed tamen illud quasi antiquum reticebatur: hoc verò quasi nouum & recens ab omnibus celebrabatur. Ipsi namque Iudæi dicunt. Nónne ex semine Dauid, & Bethlehem castello, vbi erat Dauid, venit Christus? Nemo igitur illum filium Abrahæ, sed omnes filium Dauid nominabant. Etenim propter tempus, vt dixi, proptérque regnum; hic magis in hominum memoria vigebat.

illiam quæ postea euenit.)

Esa. 53.

Iesus.

σωτὴρ ἀπὸ τοῦ σώζω.

Bar. 3.

Iosue 1.

Ioan. 7.

Simili

Simili etiam ratione honorabiliores quoſque de ſanctitate reges, qui poſt Dauid fuiſſe referuntur, ab illo omnes uocabant. Nec ipſi ſolùm, verumetiam Deus. Nam & Ezechiel, & alij prophetæ dicunt Dauid ſurrecturum eſſe eis, atque venturum: non de illo vtique mortuo iam loquentes, ſed de his qui illius virtutem erant imitaturi. Et Ezechiæ quidem dicit: Protegam ciuitatem iſtam propter me, & propter Dauid puerum meum. Salomoni verò dicebat, Quoniam propter Dauid regnum eius ipſo viuente non dirumperet. Multa enim illius viri & coram Deo erat & coram hominibus gloria. Propterea igitur à notiore interim & celebratiore perſona ſumit exordium: & tum demũ ad antiquiorem recurrit parẽtem, ſuperfluum, quantum ad Iudæos ſpectat, eſſe iudicãs, ſermonem ſuperiùs ordiri. Iſti enim erant præcipuè maximéq; mirabiles: ille quidem quòd eſſet rex & propheta, hic verò quòd propheta & patriarcha. Et vnde, inquis, manifeſtum eſt ex Dauid eſſe Chriſtum? Si enim non ex viro, ſed tantummodo eſt natus ex virgine, de cuius certè generatione reticetur, quo modo ſcire poterimus illum ex Dauid ſtirpe deſcẽdere? Duo ſunt enim, quæ pariunt quæſtionem. Vnum quæ cauſa ſit, vt in generationum catalogo virgo ſileatur: alterum verò, qua ratione Ioſeph memoretur ab eis, cui certè nihil cum Chriſti generatione eſt commune. Videtur enim & vnum abundare, & alterum deeſſe. Quid ergo dicemus? Quòd vtique primum illud neceſſe fuerit memorari, quemadmodum ex Dauid virgo deſcenderit. Vnde hoc itaque diſcemus? Audi ad Gabriel loquentem dominum: Vade ad virginem deſponſatam viro, cui nomen Ioſeph, ex domo & familia Dauid. Quid igitur vis audire manifeſtius, quum ex domo & familia Dauid illam virginẽ eſſe cognoſcas? Vnde patet quòd inde vtique erat etiam Ioſeph. Fuerat quippe in lege præceptum, ex diuerſis tribubus non licere vſurpari coniugium. Sed & patriarcha Iacob de Iudæ ſtirpe illum venturum eſſe prædixit: Non deficiet, inquit, princeps de Iuda, nec dux de femoribus eius, donec veniat cui paratum eſt; & ipſe erit expectatio gentium. Hæc ergo prophetia ex tribu quidem Iuda illum fuiſſe declarat, non tamen quòd ex Dauid genere deſcendat. Putáſne igitur ex tribu Iuda, vnius familiæ tantùm, id eſt ſolius Dauid, propagatum genus, ac non aliorum etiam multorum? Immò vſu venire videmus, vt quis ſit ex tribu Iuda, qui tamen à Dauid genus non trahat. Sed ne iſtud hìc diceres, præueniens euangeliſta prorſus excluſit ſuſpicionem tuam; non ſolùm ex domo, verumetiã ex familia Dauid illum eſſe confirmans. Si verò nũc aliunde quoque vis iſtud addiſcere, nec altera probatione deſerimur. Non ſolùm enim de alia tribu, ſed ne de familia quidem hoc eſt cognatione altera fas erat coniugia copulari. Ita iſtud quod dicitur, ex domo eſſe & familia Dauid; ſiue virgini copuletur, conſtabit dictum: ſiue ipſi Ioſeph potiùs aptetur, illud idem conficitur. Si enim ex domo Dauid atque familia erat; non aliunde accepit coniugem, niſi ex ea tribu, de qua etiam ipſe deſcenderat. Quid verò, inquis, ſi legem ille tranſgreſſus eſt? Sed iccirco euangeliſta præueniens, Ioſeph iuſtum eſſe teſtatus eſt, ne tu ei temerè crimem impingeres: ſed vt virtutem eius potiùs agnoſcens, ſuſpicionem tranſgreſſionis abiiceres. Ille ſiquidem tam modeſtus, & praua cupiditate liber, vt ne ſuſpicione cogente vellet in virginis inquirere ſupplicium: quo modo propter libidinem præcepta legis violaſſet? Qui enim ſupra legem ſapiebat: dimittere enim, & occultè dimittere, ſine dubio erat ſupra legem profecti: quo modo contra legem aliquid admitteret? & hoc nullius cauſæ neceſſitate cogente. Sed quoniam quòd ex genere Dauid fuerit hæc virgo, ex his quæ dicta ſunt, manifeſtum eſt: neceſſarium eſt dicere, cuius rei gratia Ioſeph in generationibus euangeliſta memoratit, cum virginem prorſus omiſerit. Quænam igitur hæc cauſa eſt? Non erat mos apud Hebræos generationum catalogum per fœminas texere. Vt ergo & morem cuſtodiret, néue in ipſo ſtatim principio videretur antiqua deſtruere, & nobis virginem certius indicaret, parentes eius reticens atque maiores, de Ioſeph generatione non tacuit. Siue enim hæc feciſſet in virgine, nouitatis non effugiſſet inuidiam; ſiue Ioſeph reticuiſſet, non agnouiſſemus † ex qua tribu virgo ſubſiſteret.) Vt ergo & nos diſceremus quæ eſſet Maria, vel vnde, & conſuetudo legis permaneret immobilis: generationum catalogum vſque ad ſponſum eius preduxit, ac de domo illum Dauid eſſe monſtrauit. Hoc enim declarato, illud quoque pariter oſtendit, quòd ſcilicet inde eſſet & virgo: quia vtique nequaquam iuſtus iſte pateretur vxorem ſibi aliunde, quam vnde lex præcipiebat eligere. Poſſumus vero aliam quoque & altiorem quidem proferre rationem, ob quam parentes virginis prætermiſſi ſunt: quam nunc exponere minus opportunum videtur, eò quòd multa iam dicta ſunt. Et iccirco hìc iam ſermonem de quæſtionibus terminantes, teneamus interim diligenter ea quæ nobis abſoluta patuerunt: quam ob cauſam Dauid nominauerit priorem, deinde qua ratine librum ipſum, librum generationis vocarit, vel etiam cur dixerit, Ieſu Chriſti: deinde quo modo generatio eius & communis ſit, & non ſit per cuncta communis: tum, vnde Maria ad Dauid pertinere monſtretur: ad extremum, quamobrem Ioſeph quidem generationum catalogo collocetur, Mariæ autem parentes omnino ſileantur. Si enim cuſtodieritis iſta, promptiores nos facietis ad reliqua: ſin verò hæc reſpueritis & expuleritis è mẽtibus, pigriores erimus in cæteris. Neque enim terræ quæ ſemina priora corruperit, curam adhibere delectabit agricolam: propter quod obſecro, vt hæc quæ ſeminata ſunt, verſetis. De tali enim ſtudio, taliſque cura ingens quoddam animabus bonum, ac ſalutare cõquiritur. Nam & Deo placere poſſumus iſta curando, & ab iniurioſis obſcœníſque ſermonibus & à conuitiis munda ora ſeruabimus, dum ſpiritualibus exercemur eloquiis: & dæmonibus terrori eſſe poterimus, linguam noſtram talium armis muniendo verborum, & tunc maiorem Dei gratiam valebimus promereri. Hinc enim mentis veſtræ & acumen augetur, & lumen. Nam & oculos, & os, & auditum propterea poſuit in nobis Deus, vt omnia ipſi membra ſeruirent; vt quæ ipſius ſunt audiamus, quæ ipſius, loquamur, quæ ipſius, ſemper operemur, eíque laudes canamus aſſiduas, & gratias per cuncta referamus, pérque hæc omnia conſcientiæ noſtræ ſecreta mundemus. Sic enim corpus quod aëris puritate perfruitur, ſanius ſit: ſic profectò etiam anima ſit ſapientior, tali meditatione innutrita. Nónne vides etiam corporis oculos, cum in fumo forte remorantur, lacrymas ſemper effundere: ſi verò potiantur aëre purgato, & florentibus pratis, & hortis virentibus, & fontibus inter amœna fluentibus, & ſaniores eſſe, multóque maiore aciei fulgore rutilare? Talis profectò eſt & mentis oculus. Si enim in pratis ſpirtualis paſcatur eloquij, erit totus ſine dubio purus ac lucidus, & acutiùs cuncta perluſtrans: ſi verò in fumum ſecularium negociorum fuerit ingreſſus, ad innumera prorſus mala lacrymabitur, ac flebit, & in hoc quidem ſeculo, ſed multo amariùs in futuro. Fumo enim ſunt humana negocia comparanda. Propterea & ille ait: Defecerunt ſicut fumus dies mei. Sed ille quidem de breuitate,

Deut. 7.

Gen. 49.

Luc. 1.

4. Reg. 19 & 20. 3. Reg. 11.

virginis progenitores.)

Vtilitas ſacrarum literarum.

Pſal. 101.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc, & fuga quandam huius dixit ætatis. Ego verò non ad hoc solùm, verumetiam ad turbulentiam rerum præsentium dici posse istud accipio. Nihil enim ita oculos animæ contristat ac turbat, vt sæcularium turba curarum, & quasi obuolitantia quædam multiplicis cupiditatis examina. Hæc enim sunt istius fumi ligna. Nam sicut ignis iste communis vbi humidam corripit conspersamque materiam, plurimum sine dubio fumum suscitat: sic etiam concupiscentia vehemens illa prorsus, ac flammea, quando humentem alicuius ac † palustrem succendit) animam, multum in ea fumum gignit, ac nutrit. Propter hoc etiam rore opus est sancti spiritus, & potentis illius auræ flatu; vt huiusmodi extinguat ignem, fumúmque dispergat, & cogitationem nostram expeditam reddat, ac volucrem. Non potest enim quis omnino, non potest tantis prægrauatus, atque in terram defixus malis, ad cœlorum euolare fastigium. Et ideò studendum nobis est, vt parati semper, & accincti iter hoc conficere possimus: immò nec sic quidem possibile est, nisi alis spiritûs subuehamur. Si igitur mente leui & expedita, & spirituali opus est gratia; vt excelsum illud valeamus ascendere, quum nihil horum, sed & omnia quotidie aduersa contrahamus, & diabolico nos pondere opprimimus; quoniam quæso pacto sursum volare poterimus, tam importabili onere depressi? Etenim si quis in quibusdam iustis stateris nostros velit cogitatus sistere; inter mille sæcularium sermonum talenta, vix centum denarios spiritualium poterit inuenire verborum, immò nec decem quidem obolos. An verò non turpe maximéque ridiculum sit, res necessarias certásque magna plerumque parte, seruis quos habemus demandare: ori verò quod proprium nostrúmque possidemus, viliora quam mancipiis, nempe inutilia quædam & superuacua committere: vtinam verò superuacua tantum, non etiam damnosa & noxia; nihilq; profutura? Nam si nobis vtilia essent quæ loquimur, etiam Deo proculdubio verba nostri oris placerent. Nunc verò quascumque hostis antiquus suggerit, locutiones loquimur, tum quidem ridentes ipsi, tum verò in aliorum risum faceta aliqua & vrbana dicentes, & nunc quidem maledicta iaculantes, & contumelias; nunc verò mentientes, iurantes, peierantes: & nunc quidem nolentes loqui, nunc verò multiloqua vanitate deliros omnes delirásque superantes, eaquæ ad nos omnino non pertinent, absque vlla in medium ratione proferimus. Quis enim vestrum, respondete, quæso qui assistitis, vnum si exigatur, psalmum potest memoriter edisserere, aut scripturarum saeratum vllam aliam portionem? Nullus omnino est: nec tamen solum istud est malum; sed quoniam ad spiritualia desides ac remissi, ad diabolica prompti, ignem ipsum ardore superatis. Etenim si quis vos de † theatralibus) aliquid voluerit interrogare canticis, & meretricios illos fractósque modulos audire: multos qui illa etiam diligentissimè didicerint, poterit inuenire, & qui ea cum maxima etiam pronuntient voluptate. Sed éstne horum criminum tandem aliqua defensio? Non sum, inquit, ego monachus, vxorem habeo, & filios, & curam domus gero. Hoc enim est, quod omnia quasi vna quadam peste corrumpit: quoniam lectionem diuinarum scripturarum ad solos putatis monachos pertinere, cùm multò magis vobis quàm illis sit necessaria. Qui enim versantur in medio, & vulnera quotidie accipiunt, magis indigent medicamine. Itaque multò est grauiùs atque deteriùs, rem superfluam esse legem Dei putare, quam illam omnino non legere. Hæc enim verba sunt, quæ de diabolica prorsus meditatione promuntur. Non audis Paulum loquentem:

dissolutam corripuerit)

diabolicis.

Quoniam ad correptionem nostram hæc omnia scripta sunt? Tu verò euangelium etiamsi illotis, vt aiunt, manibus contrectare daretur, ne attingere quidem cupias: tantùm abest, vt penitus penetrare iudices operæprecium, itáque sit vt sursum hodie deorsum omnia ferantur. Quòd si discere cupis quantus ex scripturis diuinis nascatur profectus, temetipsum diligenter examina: qualis quidem efficiaris cum psalmos audis, qualis item cum diabolicam cantilenam; & quemadmodum quidem affici soleas cum in ecclesia steteris, quemadmodum verò si sederis in theatro, & videbis quam sit grande istius animæ, illiúsque discrimen, licet vna semper in te anima sit: Iccirco enim Apostolus ait: Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Itaque assiduè potentibus spiritus Dei carminibus egemus. Etenim istud est quo irrationalibus præstamus animantibus, cum certè inferiores simus in cæteris. Hoc est enim nutrimentum animæ, hoc ornamentum, hoc securitas: vt è regione, Dei non audire verbum, fames atque internecies. Dabo inquit, eis, non famem panis, neque sitim aquę, sed famem audiendi verbum Dei. Quid igitur infœliciùs esse possit, quàm vt quod Deus in pœnam minatur; hoc tu iam sponte in caput tuum attrahens corroges malum: inferens animæ tuæ sæuissimam famem, atque pestiferam, per quam miseriorem illam cunctis omnino rebus efficias? Verbis enim nunc sanari illa solet, nunc corrumpi. Nam & sæpe in iram sermone succenditur, & ab ipso incendio alio rursus sermone restinguitur, & ad concupiscętiam sermo illam obscœnus inflammat, & ad pudicitiam verbum honestatis reducit. Si autem hoc facit sermo iste communis, respondę, quare tu scripturarum eloquia contemnas? Nam si admonitio sola tantum valet, quantò magis si etiam per spiritus sancti gratiam ipsa admonitio proferatur? Ex scripturis namque diuinis sermo prolatus, ipso igne vehementius animam † audientis accendit,) atque in omnium illam præparat vsum bonorũ. Sic etiam Paulus Corinthios, quos inflatos esse cognouerat, ac tumentes castigatione sermonis reddidit mitiores. De quibus enim erubescere, ęquè occultare potius debuerant, ob ea ipsa superbum quiddam sublimęque sapiebant: sed postquam Pauli epistolam susceperunt, audi quanta illorum sit facta mutatio, de qua ipse certè illis testimonium reddit magister: Hoc ipsum, inquit, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis effecit solicitudinẽ, immò defensionẽ, immò indignationẽ (immò timorẽ, immò desiderium,) immò æmulationẽ, immò vindictam? Ita ergo & seruos, & filios, & coniuges moderemur, & amicos: ita & de inimicis quoque amicos facere curemus. Sic etiam illi magni viri Deóque chari, facti sunt profectò meliores. Nam & Dauid post peccatum, quoniam sermonem audiuit Dei, ad salutarem illam pœnitentiam conuolauit. Et apostoli eodem pacto facti sunt tales, quales eos fuisse miramur: eodem pacto vniuersum illi mundum attraxerunt. Et quid, ais, lucri est, quando quis audit, & non accedit ad implenda quæ dicta sunt? non paruus est etiam ex ipso profectus auditu. Nam qui audit, & semetipsum reprehendet sæpe, & altius ingemiscet, & eò quandoque perueniet, vt studeat etiam implere quod didicit. Qui verò nec quòd peccauit intelligit, quando à peccatis recedet? quando se ipse culpabit? quãdo etiã emendare conabitur? Non igitur contemnamus scripturas audire diuinas. Hæc enim diabolicæ inspirationis sunt, non sustinentis nos aspicere thesaurum, ne diuitias acquiramus. Propterea ille suadet, nihil omnino esse commodi diuinas audire leges, ne quando ex auditu sequi etiam videat actionem. Deprehendentes itaque hanc illius artem

Rom. 15.

1. Cor. 15.

Amos 8.

indurat& emollit.

2. Cor. 7.

2. Reg. 12.

tem malignam, vndique nos muro scientiæ muniamus; vt spiritualibus circũstipati armis, & ipsi permaneamus intacti, & caput deiiciamus inimici: sicque victoriæ insignibus adornati, futurorum gaudio potiamur bonorũ, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui gloria cum Patre, & sancto Spiritu, in sæcula sæculorũ. Amen.

HOMILIA TERTIA EX CAP. I.

LIBER *generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abrahã, &c.* Ecce iam tertia disputatio vertitur, & necdum à nobis sunt euangelij absoluta principia. Non frustra ergo prædiximus, quoniam huiusmodi intellectuum natura multa cõtinet profunda. Agè verò hodie sequẽtia differamus. Quid ergo nunc in quæstione versatur? Cuius videlicet rei gratia Ioseph in generationum catalogo ponatur, cùm ad natiuitatem nihil conferat: & vnam quidem causam iam recensuimus, necesse verò & alteram magis arcanam illa priore magísq; abditam, edocere. Sed quæ ea est? Noluit euãgelista recẽti adhuc tempore noui illius admirandíque partus Iudæis esse manifestũ, quòd Christus natus fuisset ex virgine. Sed nemo quasi de inusitata expositione turbetur. Neque enim proprius noster hic sermo est, sed à nobis de patrum, atque insignium virorum traditione susceptus. Si enim ipse Dominus multa in primis obumbrauit atque operuit, filium se hominis vocans; nec illam quam cum Patre possidet æqualitatem, vbique nobis ad liquidum reuelauit: quid miraris si hoc quoque interim texit, magnum quiddam atque mirabile dispensando? Et quidnam hoc est mirabile, inquies? Vt scilicet & saluaretur virgo, & maligna suspicio pelleretur. Si enim ab initio Iudæi ista audissent, lapidassent virginem, indignè propter eam famam tractantes, & adulterij illam crimine condemnassent. Qui enim etiam illis operibus, quorum sæpe in veteri testamento exempla præcesserant, manifesta impudentia repugnabant; nunc dæmonia eiicientem, dæmonium habere dicentes: nunc in sabbato † signa facientem] quasi Dei aduersarium iudicantes: cùm certè liquidò constaret sabbatum sine crimine frequẽter solutum: quid illi hoc audito dicere, [quid facere aliquando] dubitassent, † cùm vtiq; omni occasione, quãquam nullam ille præbuisset, ad huius calumniam aburerentur? Si enim etiam post tot signa adhuc illum Ioseph filium nuncupabant, quo modo ante signa natum ex virgine credidissent? propterea igitur Ioseph in generationibus ponitur, virginémque ducit. Nam si iste quoque, vir certè admirandus & iustus, multis rebus indiguit, vt quod factum erat, verum esse suspiceret; admonitus ab angelo, admonitus reuelationibus somniorum, & prophetico testimonio confirmatus: quando illi praui animo, & corrupti, támque hostiliter Christo repugnantes, hanc opinionem probassent? Valde enim ipsos perturbasset res insolens & noua, & quòd numquam tale quidquam vel fando accepissent temporibus maiorũ suorum accidisse. Nam ille quidẽ qui eum Dei filium semel credidisset, nihil de hoc possit ambigere: qui verò seductorem illum deóque putaret esse contrarium, quo modo non ex hoc scandalizaretur magis, atque ad suspicionem illam turpissimam duceretur? Propterea & apostoli inter initia euangelij prædicandi, non continuò istud annunciant, sed fidem resurrectionis præcipuè inculcant; cuius iam in prioribus præcesserant exempla temporibus, etsi non per omnia fuisse doceantur æqualia: quòd verò natus sit ex virgine, parumper occultãt, sed nec ipsa quidem hoc mater temerè est ausa proferre. Itaque considera quid etiam ad ipsum lo-

Ioan 8. Matt. 12. & Ioan. 7. sanãtem.)

quum vtique præteritũ omne tempus ipsis suffragaretur, in quo nihil tale vnquã auditũ fuisset.)

Hic infrà.

quatur: Ecce, inquit, ego & pater tuus quærebamus te. Lucæ 2.

Cæterùm si hæc passim fuisset opinio vulgata, nequaquam illum Dauid filium credidissent: quòd si non putaretur, mala etiam hinc plurima nascerentur. Iccirco istud ne angeli quidem, nisi ipsi Ioseph tantummodo loquuntur & Mariæ: euangelizantes verò pastoribus, cùm Dominum esse natum palàm nuncient, quo tamẽ sit natus modo, prorsus occultant. Cuius verò rei gratia cùm meminisset Abrahæ, atque dixisset, quia genuerit Isaac, & Isaac Iacob, nec fratris eius mentionem facere curasset, ad Iacob veniens, non solùm Iudam, sed etiam fratres eius annumerat? Quidam sanè propter malignitatem morum Esau & aliorum priorum id factum esse voluerunt: ego verò istud omnino non dixerim. Si enim hoc obseruandum putauit, qua ratione paulò pòst talium meminit fœminarum? Hîc enim à contrario refulget dignitas Christi: non quia magnos progenitores habeat, ac potentes, sed quia potius exiguos, ac viles. Sublimium quippe illa maxima gloria est, humiliari spontè submissius. Qua ergo de causa non meminit cæterorum? quia scilicet nihil habebant cum Israëlitarum genere commune, Saraceni & Hismaëlitę, & Arabes, & quotquot sunt ex illorum patribus procreati. Propterea igitur illos quidem reticuit, festinat verò ad eos, ex quibus nascitur Christus, & vnde propagatur populus Iudęorum. Propter quod ait: *Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius.* Hîc iam Iudæorum designatur genus. *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar.* Quid agis ô homo? quid nobis talis recordationem infers historię, qua adulterium turpe continetur? quid hoc verò rei est? quia si nudi tantummodo hominis describeretur genus, meritò hæc reticuisset. Quia verò de incarnati mysterio scribimus Dei, non modo non tacere ista, verum ostentare debemus: ita subiicientes oculis tam curam quam pro nobis gerit, quam potentiam. Venit enim non vt nostra fugeret opprobria, sed vt ea potius extingueret. Sicut enim admirabilis magis iudicatur, non quia mortuus tantùm, verumetiam quia crucifixus est: quanquam est certè res ista per se exprobratione plenissima; sed quantò magis exprobrabile istud est, tantò magis illum ostendit de misericordia gloriosum. Sic etiam in generatione illius dici potest, quòd non solùm, quia susćepit carnem, & homo factus est, admiratione sit dignus: sed quia etiam tales progenitores habere dignatus est, nihil ob nostra mala erubescens. Idque ex ipsis nascendi primordiis ostendit, quam nil hunc pudeat omnino eorum quæ nostra sunt: per ista proculdubio docens, vt nos quoque numquam erubescamus de vitiis parentum; sed vnum quæramus illud, nempe virtutem: nam qui illam fuerit consecutus, etiam si alienigenam habeat matrem, etiam si fornicatione pollutam, vel quolibet eiusmodi dedecore sordidatam; nihil tamen de eius aut vilitate fuscabitur, aut crimine polluetur. Quòd si fornicatorem ipsum ad meliora conuersum, nequaquam prior vita commaculat; multò magis è meretrice natus & adultera, si propria virtute decoretur, parentum suorum non decoloratur opprobriis. Neque verò, vt tantummodo nos doceret hoc fecit, sed etiam vt reprimeret Iudæorum tumorem. Quia enim illius nobilitatis, quæ ad animam pertinet, insignia negligebant, nimiúmque insolenter de Abrahæ stirpe gloriabantur, virtutem parentum defensionem suorum rati esse vitiorum: iccirco in ipso euangelij principio docet, non alienis, sed propriis esse gloriandum virtutibus. Simul etiam illud agit, vt ostendat omnes, ipsos quoque progenitores eorum subditos esse peccatis. Siquidem patriarcha eorum ipse ille, à quo nomen accipiunt, non exiguum, aliquod

Universidad de Deusto Biblioteca

legitur admisisse delictum. Vrget enim Thamar fornicationem eius accusans. Dauid quoque Salomonem ex muliere, quæ illi fuerat adulterio iuncta, suscepit. Quòd si à magnis illis custodita lex non est, multò potius à minoribus. Si ergo non est impleta lex, omnes vtique peccauerunt, & necessaria facta est Christi presentia. Propter ea igitur & duodecim patriarcharum intulit mētionem, vt hinc quoque humiliaret immodicam de progenitorum nobilitate iactantiam. Multi enim eorum ex ancillis matribus nati sunt, nec tamen differentia parentum fecit differentiam filiorum. Siquidem illi omnes similiter & patriarchæ, & tribuum principes extiterunt: priuilegium enim ecclesiæ ista iam designabat æqualitas. Hæc quippe nostræ nobilitatis est prærogatiua, cuius olim figura pręcesserat, vt siue seruus sit aliquis, siue nobilis, nihil huic plus minúsve accedat. Sola enim hîc requiritur voluntas, mentísque generositas. Supra hæc verò quæ diximus, etiam aliud quiddam est, propter quod ipsam commemorauit historiam. Siquidem non otiosè ad Phares addidit, & Zaram. Erat enim abundans, atque omnino superfluum, commemorato Phares, per quem Christi erat decursura generatio, Zaræ quoque facere mentionem. Qua igitur illum ratione memorauit? Paritura istos cùm esset Thamar, iámque partuum dolores adessent, prior Zara emisit manum ex vtero: tunc obstetrix hoc videns, quò primogenitus notus esset, cocco eius alligauit manum, quam ille vinctam retraxit, quo toto iam intra aluum recepto, processit Phares, & tum demum Zara. Quos cùm obstetrix
Gen. 38. natos videret, dixit ad Phares: Quare propter te incisa est sepes? Vidistíne signatissimam mysteriorum figuram? Non enim incassum hæc tanto antè scripta sunt; sed neque sacra dignum fuisset historia dicere, quid obstetrix fuisset loquuta: nec huiusmodi narrationem decebat notam facere, quòd manum ille protulerit, qui secundò egressus est. Quid igitur hoc ænigmate designatur? Prius de ipso pueri vocabulo quod latet in quęstione,
Phares. discimus. Phares enim concisio est, atque diuisio. Secundò autem ex ipsa nouitate facti. Neque enim erat consequentiæ naturalis, vt is qui emisisset manum, eandem postquam esset vincta, reuocaret. Neque enim consueti motus hoc fuit, ordinísve naturæ. Nam præmissa quidem huius manu, alterum egredi, naturale fortasse sit: retrahi vero istam, & transitum alteri cedere, non iam fit lege nascentium, sed profectò ex Dei gratia, quæ tunc pueris aderat, ista dispensans, & nobis quandam imaginem futurorum in eorum natiuitate depingens. Quid igitur? Aiunt quidam, diligenter ista pensiculati, duorum populorum typum esse hos puerulos; eóque pertinere, vt intelligas, posterioris populi rempublicam præeluxisse ortui prioris. Manum pretentam habens, haud vniuersum spectandum se præbet puerulus, sed & eam corripit rursus. Mox fratre toto effuso, apparet ipse quoque totus: quod ipsum in vtroque contigit
ecclesiastica.) populo. Nam republica illa † spirituali] quę temporibus Abrahæ fuit, illucescente, & deinde medio cursu subitò reuocata, Iudęorum populus venit & legalis respublica:
& tūc nouus ille totus.) † rursus post legem, nouus ille totus iam] prodit populus vnà cum suis legibus, ob quod etiam obstetrix exclamat. Cur rupta propter te sepes est? quòd illius reipublicæ libertatem subingressa legis sepes, interclusit
Psal. 79. Matt. 21. Ephes. 2. dissecuítque. Sepem enim scriptura vocare legem solet, sicut & propheta inquit: Sustulit sepem eius, & vindemiant, quotquot hac faciūt iter. Item, sepem circūposui ei. & Paulus, interstitium maceriæ soluens. Alij verò totum hoc, cur rupta propter te sepes est, de nouo legémque sequuto populo intelligunt: veniens enim ille, legem sustulit. Vides quòd non ob exigua quædam & vi-
Confusa hæc esse videntur, quæ Theophylact. clarius explicat.

A lia, eam quæ de Iuda est, cōmemorauit historiam. Nam Ruth & Raab non frustra intulit mentionem, quarum vnam alienigenam, aliam etiam meretricem fuisse constat: sed vt disceres icirco venisse Christum, vt nostra mala deleret omnia. Non enim quasi iudex, sedquasi medicus aduenit. Sicut igitur illi coniuges accepere meretrices; sic etiam Deus fornicatricem hominum naturam sibi copulauit. Quod prophetæ quoque olim in synagoga dixerunt factum esse: sed illa quidem cohabitatori suo fuit ingrata semper; ecclesia verò semel à malis patriis liberata, in sponsi amore permansit. Itaq; considera etiam ea quæ in Ruth facta sunt, nostri figuram fuisse. Hæc enim erat alienigena, & in extremā delapsa pauperiem; sed videns eam Booz, nec ob ipsius paupertatem despexit, nec ob impietatem gentis exhorruit: sicut etiam & Christus ecclesiam suscipiens, & alienigenam, & magnorum laborantem egestate bonorum, suo consortio copulauit. Sed quemadmodum Ruth illa ex B alienigenis mulier, nisi prius reliquisset parentes, nisi domum contempsisset, & gentem & patriam, atque cognatos, numquam profectò tali fuisset nobilitata connubio: ita ecclesia etiam non antè amabilis efficitur sponso, quàm priorem cōuersationem relinquat. Quod propheta quoque ad ipsam loquens, ait: Obliuiscere po- Psal. 44.
pulum tuum & domum patris tui, & cōcupiscet rex decorem tuum. Hoc Ruth etiam fecisse legitur, & icirco in ecclesię similitudinem mater regum effecta est. Ipsius enim ex stirpe, Dauid, alíique reges fuerunt, qui de eadem familia germinarunt. His igitur omnibus eos pudore suffundens, ac suadens non altum sapere: & generationum catalogum texuit, & mulieres istas produxit in medium. Nam Dauid regem certè illum magnum, alienigena ista per suos posteros genuit: neque tamē ille ignobilitatem eiusmodi matris erubuit. Nō est enim omnino, non est nec de virtute, nec de vitio parentum, aut laude aliquis dignus, aut culpa: nemo inde verè aut C obscurus, aut clarus est: immò vt quod incredibile videtur, dicamus, nescio quo modo magis ille resplendet, qui ex parentibus à virtute prorsus alienis, ipse tamen fuerit de virtute mirabilis. Nullus igitur in superbiā de gloria parentum eleuetur; sed considerās progenitores Domini, omnem reprimat mentis tumorem, & de solis virtutibus glorietur, immò nec de ipsis quidē. Sic enim etiā Pharisæus publicano deterior effectus est. Si autem Luc. 18.
vis sublime ostendere virtutis, noli sapere sublimè: & tunc illud quod egeris, esse mōstrabis excelsius. Noli te putare quidquā fecisse cùm feceris: sic absolutissimum erit opus. Si enim etiam cùm peccatores simus, hoc nos arbitrando esse quod sumus, iustificamur, sicut etiā publicanus: quantò magis si cùm iusti fuerimus, esse nos peccatores putemus? Siquidem ex peccatoribus quoq; iustos humilitas facit: cùm tamē non sit illud humilitas, sed vera confessio. Si igitur tantùm valet in peccatore confessio, considera quantum humilitas possit in Iusto. D Noli itaque ipse tuorū corrumpere fructus laborū, noli sudores tuos in vacuum effundere, noli cursum in inane dirigere, ne post mille circuitus mercedē laboris amittas. Nouit enim Dominus tuus, & quidem longè te me- Matt. 10.
lius, tuarum merita virtutum, etiam si calicem aquæ frigidæ dederis, nec hoc quidem irremuneratū relinquet. Nummum quoq; si dones vnum, vel si etiam cùm nihil omnino donare poteris, ingemiscas: omnia cum ingēti benignitate suscipiet, ac mercedē pro his largam parabit. Cuius autem rei gratia tua diiudicas, nobisq; ea studes frequenter ingerere? An ignoras quòd si te ipse laudaueris, nequaquam lauderis à Deo? ita è regione, si te ipse quasi miserum lugeas, numquam te ille prædicare apud omnes cessabit. Non vult enim laborum tuorum
fructus

fructus perire; quinimmo omnia in tuum commodum A facit, tibíq; rem augere festinat: vt etiam pro exiguis te coronet, vndique occasiones requirens, per quas te de gehennę possit liberare supplicio. Et icirco etiamsi vndecima diei opereris hora, integram tamen tibi est mer-
Ezec. 36. cedem daturus. Etsi nulla, inquit, fuerit tibi salutis occasio, propter meipsum faciam, ne nomen meum vtique polluatur. Et si ingemueris solùm, atque lacrymaueris, rapit ista confestim in tuæ occasionē salutis. Non igitur in superbiam intumescamus, sed dicamus nosmetipsos inutiles, vt in partem vtilium trāseamus. Si enim te laudandum esse dixeris, reprobus effectus es, etiamsi fueras antè laudabilis. Si verò inutilē te esse fatearis: factus es vtilis, etiāsi fueras antè culpabilis: propter quod necessaria nobis est præteritarum obliuio virtutum. Et quo modo, inquis, possumus ignorare quod nouimus? Quid ais tu, cum quotidie offendas Dominum, nihilominus deliciaris ac rides, (& inter magna peccata) nec te peccasse nosti, obliuioni cuncta tradendo: solam verò non potes rectè factorū abiicere memoriam? Et certè cùm B multo sit fortior pars timoris, nos econtrariò quotidie offendētes Dominum, nec reuocamus quidem ad memoriam peccata quæ fecimus. Si verò paruam aliquam inopi porrigamus stipem, sursum id, deorsúmque iactamus: quod extremæ omnino dementię est, & grande illius, qui spiritualia debet colligere, detrimentum. Satis certus enim rectè factorū est thesaurus, ipsa rectè factorum obliuio. Quia sicut aurū, vestémq; preciosam cum in publico ponimus, plurimos ad insidias prouocamus; si verò ea recondamus atque occulamus domi, in tuto cūcta seruabimus: sic sunt etiam diuitiæ virtutū, si eas in memoria quasi venales assiduè portemus, irritamus Dominum, armamus hostem, & inuitamus ad furtum: sin verò nemo alter id scierit, nisi quē nulla occulta latere possunt, tutissimo in loco preciosa cōsistent. Nequaquā igitur huiusmodi bona frequenter euentiles, ne quis ea
Luc. 18. fortè diripiat. Quod etiam Pharisęus passus est, in lingua illa circumferens; vnde ea & diabolus rapuit: quāquam C
μετὰ χαρᾶς scriptum erit, sed μετ' εὐχαριστίας legendum videtur. certè illa cum quadam † gratiarū actione memorabat, atq; ad Dominum cūcta referebat. Sed ne hoc quidem profectò suffecit ei. Non enim gratiarum actio est aliis exprobrare delicta, sibi à plurimis gloriam quærere, & super eos qui peccauerunt iactanter insurgere. Quòd si
Agere gratias. Dani. 3. gratias agis Deo, sufficiat tibi ipse solus, nec velis eas in hominum proferre noticiam, neq; proximum iudicare. Non est namq; istud actio gratiarum. Vis autē quemadmodum veræ Deo gratiæ referantur, agnoscere? Audi tres pueros in medio ignis loquentes: peccauimus, iniquè gessimus, iustus es Domine in omnibus quæ fecisti nobis, quoniam in vero iudicio omnia induxisti super nos. Hoc est enim referre gratias Deo, peccata ei propria confiteri; vt cùm mille se aliquis reum fateatur malorū, nulla tamen pro his magna satis se arbitretur ferre supplicia. Caueamus igitur de nobismetipsis dicere gloriosa: hoc enim nos & hominibus inuisos, & Deo abominabiles facit. Et icirco quātò maiora fecerimus bo- D na, tantò de nobis minora dicamus. Hoc enim modo maximam & coram Deo & coram hominibus gloriam consequemur: nec solum gloriā quæ à Deo est, verumetiam mercedem, retributionémque plenissimam. Noli ergo mercedem reposcere, vt merearis accipere. Tu saluari te Dei gratia confitere; vt se ille tibi debitorem fateatur: nec modo pro operibus tuis, verumetiā pro hac gratia, humilíque sententia. Quando enim aliqua rectè fecerimus, habemus eum proculdubio debitorē ob res bene gestas tantum: quando verò nihil arbitramur nos rectè operatos, amplius etiam de tali meremur affectu, quàm propter opera ipsa quæ fecimus. Minimum itaq;

A de se sensisse, tam magnum est, quam maximas res fecisse: quod si non adsit, nec illæ poterunt esse laudabiles. Nam nos quoque famulos habentes, tunc eos maximè cōprobamus, quando cum bona gratia in omnibus obsecuti, nihil se grande arbitrantur egisse. Itaque si bona tua magna vis facere, noli ea magna putare: aliter enim magna esse non possunt. Sic enim Centurio dixit: Non Matt. 8.
sum dignus, vt intres sub tectum meum: & propterea di- 1. Cor. 15. Matt. 3.
gnus effectus est, supráq; omnes Iudæos iure mirabilis. & Ioan. 1.
Sic etiam Paulus ait: Non sum dignus vocari apostolus: ideo omnium primus † inuentus est.) Sic & Ioannes: factus est.)
Non sum, inquit, idoneus soluere corrigiā calceamenti eius: & icirco amicus factus est spōsi. Et manum quam indignam calceamentis esse dicebat, eam Christus ad caput suum subleuauit. Sic etiā Petrus ait: Exi à me do- Luc. 5.
mine, quia homo peccator sum: & propterea factus est ecclesiæ fundamentum. Nihil enim sic est amicū Deo, quam si quis se minimis annumeret: hoc est enim caput totius philosophiæ atque fastigium. Qui enim humilia- B tur corde, atque conteritur; non efferetur inani gloria, non inuidiæ liuore, nō iracundię furore vexabitur, non vllis aliis vitiis subiacebit. Namque vt contritā manum etiam si millies in altum leuare velimus, non possumus; ita etiam si animam conteramus, quamlibet innumeræ illam inflando eleuare voluerint passiones, ne tātulum quidem poterit extolli. Si enim qui externarum luget damna rerum, omnes à se fugat animæ languores: multò magis qui hoc pro peccato facit, plena philosophiæ sanitate potietur. Et quis, inquis, ita conterere cor suum potest? Audi Dauidem, qui per hoc præcipuè refulsit, & vide quàm eius anima contrita sit. Nam post virtutes innumeras, cùm domo excidisset & patria, & vitam ipsam postremò periclitaretur amittere; cùm tēpore ipso discriminis sui militem vilem, & prorsus abiectum, insultantem sibi & maledicentem videret; non modò ipse non retulit maledictionis vicem, sed etiam quendam ducum suorum volentem eum interimere, non siuit, di- C cens: Dimitte vt maledicat, quoniam Dominus man- 2. Reg. 16.
dauit ei: forsitan respiciet Deus humilitatem meam. Et rursus, cùm sacerdotes rogarent vt cum illo circumferretur arca, non passus est: sed Stet, inquit, in templo: & si 2. Reg. 15.
liberauerit me Deus de instantibus malis, videbo pulchritudinem eius: si verò dixerit mihi, Nolo te: ecce ego, faciat mihi quod placet in conspectu eius. Illud verò erga Saulem semel iterúmque & multoties factum, 4 Reg. 24 & 26.
nónne cumulum philosophiæ ingentis ostendit? Veterem quippe superauerat legem, & propè ad apostolica præcepta peruenerat. Iccirco quæ Dei erant, per omnia diligebat: non ipse se de his quæ fecerat laudans, sed vnū & solum studet sequi ab ipso positas leges, eísq; in omnibus obedire. Et post tot certè illa merita virtutū; cùm illum tyrannum, fratricidā, paricidā, iniuriosum atque furiosum pro se regnantem videret, nec sic quidem scandalum mente concepit; sed si, inquit, hoc visum fuerit Deo, me quidem exagitari & errare semper ac † fugere) illum verò regnare, amplector atque susci- exulare.)
D pio: & habeo pro innumeris, quæ à Deo mihi inferuntur, tribulationibus gratiam. Longè aliter quàm plurimi impudentes pariter & arrogantes, qui cùm ne minimam quidem partem de illius virtute possideāt; si quos videant prosperè agentes, se verò paruam sufferre mœstitiam, mille animas suas non metuunt vulnerare blasphemiis. At non etiam Dauid talis fuit, sed inter maximas tribulationum procellas, omnem modestiam ac patientiam mentis ostendit: propter quod dixit Deus: Inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum. Psal. 88.
Talem igitur etiam nos possideamus animam: & quidquid patimur, facilè feremus, ac fortiter: atq; ante regnū

Universidad de Deusto
Biblioteca

futurum, hic quoque fructum de humilitate capiemus. A
Matt.11. Discite (inquit Dominus) à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiē animabus vestris. Vt ergo hīc & ibi optata requie multa cum gloria perfruamur, humilitatem (matrem bonorum) nostris penitus mentibus inseramus. Sic enim & istius vitæ pelagus absq; vllo tumore fluctuum transire poterimus, & ad tranquillissimum illum portum enauigare, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui est gloria & imperium, cum Patre & sancto Spiritu, in sempiterna sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA QVARTA EX CAP. I.

OMNES *igitur generationes ab Abraham vsque ad Dauid, generationes quatuordecim: & à Dauid vsque ad transmigrationē Babylonis, generationes quatuordecim: & à transmigratione Babylonis vsque ad Christū, generationes quatuordecim.* Omnem ab Abraham vsque ad Christum ge- B nerationum seriem tres in partes Euangelista diuisit: ostendēs quòd nec commutatis quidem disciplinæ modis, ille vnquam populus sit melior effectus; sed siue aristocratiæ, siue regno, siue oligarchiæ pareret, in eadem tamen morum prauitate permāserit: & neque cum ducum, neque cùm regum, neque cùm sacerdotum potestate regeretur, ad studium virtutis accesserit. Quanam igitur ratione suadēte, tres pariter reges in media generationū parte præteriit; in vltima verò cùm duodecim solummodo posuisset generationes, quatuordecim eas esse memorat? Prius quidem illud vobis potius inquirēdum relinquo: neque enim omnia exposita atque absoluta debetis accipere, ne vobis ex nostro nascatur labore desidia. Alterum verò ipsi expedire tentabimus. Mihi enim videtur hoc loco etiam captiuitatis tempus in generationum ordine collocare: sed & ipse Christus vnius numerum generationis implere, vt quem ex omni parte nobis coniungit. Bene autem etiam captiuitatis Baby- C lonicæ recordatur: vt scilicet doceat, populum Iudæorum ne illa quidem castigatione correctum, modisque omnibus necessariam fuisse Christi præsentiam. Marcus verò alium scribendi ordinem tenuit: nec enim generationes quibus Christum annumeraret, explicuit; quinetiam reliqua narrādo, maximo perstrinxit cuncta compēdio. Ego igitur existimo, primū omnium Matthæum Euāgelium edidisse: propter quod etiam generationum catalogum diligenter enumerat, & plenè cuncta atque instanter exequitur. Marcus autem compendiosa post illum cucurrit via, vtpote qui iam ab alio dicta & manifestata replicaret. Lucas sanè non modò texit generationum catalogum, verumetiam pluribus eum texit extendendo nominibus: quippe qui Matthæi scriptione præuentus, amplius aliquid docere nos studeat. Suum enim quisque probè est imitatus magistrum. Marcus quidem Petrum, verborum parcitatē gaudentem; Lucas verò Paulum, fluminum copiam vbertate loquen- D di superantem. Cur verò Matthæus in ipso sermonis exordio non dixit quod prophetæ solebāt, Visio quam vidi: vel, sermo qui ad me factus est? Quia illis scribebat profectò, qui cum bona omnia voluntate susciperent, quique plurimùm ab illius authoritate penderent: quinetiam facta per ipsum sæpe miracula testimonium dictis ferebant: & hi quibus Euangelium condebatur, erant in fidei ratione firmissimi. Sub prophetis autem, nec tanta erat multitudo signorum, per quam eorum merita lucerent, & maxima tunc pseudoprophetarum increbuerat turba, quibus etiam promptius Iudæorum populus obedire cōsueuerat. Propter quod necessaria tunc erat prophetis formula ista principij. Si verò aliquando etiam signa facta esse referuntur, occasione facta sunt gentium Barbararum; vt multi ex eis proselytorum numero iungerentur, & vt opportuno in tempore diuinæ maiestatis insigne clarescceret: ne scilicet Dei populum aduersarij subiugantes, potentia deorum suorum vicisse se crederent. Iccirco enim & in Ægypto signa facta sunt, vnde cum Israëlitico exercitu magna illius populi profecta est multitudo: & postea in Babylone, & in fornacis ignibus, & interpretationibus somniorum maxima effulsere miracula. Copiosius verò signa micuerunt, cùm essent in eremo à cunctis gentibus omnino separati. Verùm his non vtique rariora etiam tempore nostræ vocationis ostēsa sunt. Nam tum quoque cùm primum Euangelio coruscante, vel Iudęi vel gentes ad veritatem ab errore transirent, plurima eos & maxima mirabilia prouocabant; quæ certè non ante cessarunt, quàm annunciata in Christum fides toto diffusa orbe regnaret. Quod si etiam post eremum facta sunt, pauca Iosue 10. illa fuerunt, & rara: vt cùm sol à suo cursu destitit, vel 4. Reg. 20 cùm etiam retrorsum cucurrit: nec nostra quidem, si recordemur, ætate mirabilia defuerunt. Siquidem sub principe Iuliano, qui omnes impietate superauit; signa Iulianus. frequenter ostensa sunt. Iudæis enim templum Hierosolymis reædificare cupientibus, de fundamentis ignis exiliens, à cœpta illos ædificatione deterruit. Et cum idem prophanus sacrata Deo vasa temerando, ebrietatem suæ mentis ostendit, quæstor regalis ærarij per medium repentè diruptus est. Tunc etiam eiusdem regis auunculus, nominis quoque illi communione coniunctus, vermibus exesus interiit: quando fontes quoque [largorum prius fluminum more manātes] pollutis per sacrificia regionibus aruerunt. Tunc etiam intolerabilis fames toto prorsus orbe cum impio rege dominata est. Quis neget signa hæc fuisse manifesta? Mos siquidem Dei est iste, vt cùm mala ad cumulum suum venerint, cúmque viderit grauiter & suos affligi; & aduersarios tyrannide quadam contra se impietatis extolli, vel potius mentis ebrietate bacchari; tunc diuinitatis suæ potentiam per signa declaret. Quod etiam propter Iudæos in † Babylone] legitur implesse. Quòd verò non Perside.) frustra, nec absque certa ratione omnino tres in partes progenitores Christi Euangelista diuiserit, ex his quæ dicta sunt, perspicuum est. Diligenter itaque perpende, & vnde ipse generationum numerus incipiat, & vbi finiat: ab Abraham nimirum vsque ad Dauid, & à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, ab hac verò vsque ad ipsum peruenit Christum. Nam in ipso exordio duos coniunctè posuit, Dauid scilicet & Abraham. Ac rursus † per ordinem digerendo, suo nihilominus in recapitulatione. vtrumque memorauit. Siquidem, vt antè iam diximus, Gen.22. ad ipsos specialiter fuerant factæ promissiones. Cur au- 2.Reg.7. tem sicut Babylonicæ captiuitatis meminit, non etiam 3 Reg.2. descensūs in Ægyptum? Quia hos non timebant, Ba- 1.Paral.17 Psal.17. babylonios verò audire sine timore non poterāt: & quod Gen.46. illud quidem esset antiquum, hoc verò recens, atque o- 4.Reg.24 culis semper occurrens: & illuc quidem non propter & 25. & peccata abducti fuerant, huc verò ob scelera transłati. 2. Paral. vlti. Quòd si quis nominum interpretationem discutere conetur, maximas in his quoque diuitias sensuum latere mirabitur, & non parum ad intelligentiam noui professere testamenti, vt in ipso Abraham, vt in Iacob, vt in Salomone, vt in Zorobabel. Non enim otiosē, nec vacuè, hæc illis nomina reperimus posita. Sed ne longius protrahendo sermonem, molestiam vobis inferre videamur; relinquentes ista, ad magis necessaria transeamus. Cùm igitur progenitores nominasset omnes, & vsq; ad Ioseph enumerationem venisset, non tamen in eo fuit stare contentus; sed addidit, virum

Mariæ:

Mariæ: proculdubio declarans, propter illam istum quoque generationum catalogo comprehensum. Deinde ne cùm audires, virum Mariæ; communi putares lege naturæ natum esse; considera quemadmodum id quod secus poterat intelligi, sequenti statim narratione correxerit. Audisti virum, inquit, audisti matrem, audisti quoque puero nomen impositum: audi itaque nunc etiam generationis modum. *Iesu Christi autem generatio sic erat.* Respondeo quæso super qua generatione nunc differas: quamquam iam id ipsum ex parte indicasse videaris, progenitores superius nominando. Sed volo, inquit, modum ipsum generationis exponere. Vides certè quemadmodum auditoris animum suscitarit; nam tamquam nouum quiddam dicturus esset, promittit se modum quoque explicaturum. Sed considera, quæso, dictorum admirabilem consequentiam. Neque enim continuò ad ostendendam generationem eius accessit, sed in primis quotus ab Abraham, quotus à Dauid, quótque generationum gradibus à B transmigratione Babylonis distaret edocuit: per quod studiosum auditorem ad temporum supputationem remisit: ostendens quòd ille sit Christus, qui à prophetis est prædicatus. Cùm enim generationum numerum percurreris, & didiceris à tempore ipsum esse qui porrò ante promissus est; facilè suscipies & miraculum quod in generatione eius impletum est. Quia enim magnum quid locuturus erat, atque mirabile, quòd scilicet natus esset ex virgine: priusquam tempus notet, obumbrat mysterium, virum Mariæ nominando: quin & generationis seriem intersecat, & præterea annos
Gen.49. enumerat, admonens auditorem, quòd hic ille sit quem
Dan.9. patriarcha Iacob promisit, deficientibus ex Iuda principibus affuturum: quem etiam Daniel propheta post multas illas annorum hebdomadas venturum esse prædixit. Quòd si aliquis illos hebdomadis annos qui Danieli ab angelo numerati atque prædicti sunt, ab instauratione Hierusalem voluerit supputare, & ad ipsum C vsque Christum numerando descendere; videbit hos annos illis qui à Daniele signati sunt conuenire. Quomodo igitur natus est? *Cùm esset*, inquit, *desponsata mater eius Maria.* Non dixit, Virgo: sed simpliciter, Mater: vt sermo nihil in primis noui afferens, absque difficultate caperetur. Propter quod prius præparans auditorem, quasi ad aliquid eorum quæ ex more veniunt audiendum, & hac eum interim sibi expectatione deuinciens; tunc demum infert quod iure omnes queant & de nouitate rei, & de maiestate mirari, dicens. *Priusquam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Non dixit, priusquam in sponsi adduceretur domum: intus enim iam erat. Hunc quippe morem plerumque tenebat antiquitas, vt sponsæ in sponsorum domibus haberentur: quod nunc quoque fieri interGen.19. dum videmus. Sed & generi Loth apud socerum leguntur habitasse cum sponsis nondum sibi copulatis lege coniugij: sic habitabat etiam Maria cum sponso. D Et cuius tandem rei gratia non antequam sponderetur, Virgo concepit? vt videlicet, quod inter ipsa quoque initia significauimus, mysterium interim quasi obumbratum lateret, & vt Virgo omnem prorsus occasionem malignæ suspicionis effugeret. Quando enim ille qui præcipuo zelo posset ardere, cernitur non solum non abiicere sponsam, nec eam ignominia notare, sed etiam recipere in consortium, & inseruire post conceptionem; profectò manifestum est, quod nisi apertè nosset ex operatione sancti Spiritus illum extitisse conceptum; numquam vel apud se illam retinuisset, vel ei in omnibus quorum indiguit ministrasset. Satis autem propriè posuit, *Inuenta est in vtero habens.* Inuen-

ta est, inquit, quò sermone res quæ contra consuetu- A
dinem, & præter omnem spem expectationémque proueniunt, notare consueuimus. Nequaquam igitur euageris vlterius, nec supra ea quæ dicta sunt, hinc quidquam requiras, neque dicas: At quo modo spiritus ex virgine istud operatus est? Si enim etiam cùm solenni homines formantur more naturæ, impossibile est tamē modum formationis edicere; quónam istud pacto, Spiritu sancto inusitatè atque ineffabiliter operante, eloqui aliquando poterimus? Ne enim tu Euangelistam importuna sæpius inquisitione pulsares, néve illi molestiam parares sæpius scisitando; dixit quis mirabile istud effecerit, sęque à cunctis pariter quæstionibus cōpēdiò liberauit. Nihil enim, inquit, noui amplius, quàm à sancto Spiritu factum esse quod natum est. Erubescant hoc loco, & confundantur omnes qui superiorem illam generationem temeraria curiositate rimantur. Si enim istam quæ mille celebrata testibus, & ex multis B est prædicata temporibus, quæ oculis inspecta, manibúsque contrectata est, interpretari tamen nullus potest; quem cumulum non excedunt furoris, qui ineffabilem illam generationem Dei, humanis vel cogitationibus inuestigari putant, vel vocibus indicari? Non enim Gabriel archangelus, non Euangelista Matthæus amplius quippiam significare potuerunt, nisi tantummodo quod esset ex spiritu. Qualiter verò ex spiritu, & quónam modo, horum certè nullus exposuit: neque enim erat omnino possibile: neque enim existimes, cū ex spiritu conceptum audiueris, continuò etiam omnia te didicisse. Etenim adhuc multa nescimus, etiam si illud percepimus. Cuius generis est, in vtero qui sit, qui est infinitus: quemadmodum qui cuncta continet, à muliere gestetur: quemadmodum pariat virgo, & maneat virgo: quemadmodum templum illud, dic mihi, formauerit spiritus: quemadmodum non totam carnem ex † matre] susceperit, sed partem huius, eámque matrice.) C auxerit & figurauerit. Nam quòd ex virginis carne processerit, demonstrauit ille qui dixit: quod enim in ea natum est. Et beatus Paulus: Factum, inquit, ex mulie- Galat.4. re, factum sub lege: os quodammodo obstruens impiorum, qui dicunt quòd tamquam per quendam canalem Christus transierit per Mariam. Si enim ita res se haberet, quid ei opus fuisset vtero virginis? si ita est, nihil ei nobisque commune est. Alia igitur illa caro est, non † ex nostræ communione naturæ.] Quemadmodum ergo de radice Iesse processit? quemadmodum nostræ massæ) virga, quemadmodum flos, quemadmodum filius hominis? quemadmodum mater est Maria? quemadmodum ex Dauid factus est semine? quemadmodum formam serui dominus accepit? quemadmodum verbum caro factum est? quemadmodum ad Romanos Apo- Rom 9. stolus ait: Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus? Quoniam igitur ex nobis, id est, ex nostra sit omnino natura, & ex vtero virginali: & per ista quæ diximus, & per alia plura monstratur: at quo modo, non item. Noli igitur tu quidquam vlterius inquirere, sed suscipe quod reuelatum est, & noli curiosè indagare quod tacitum est. *Ioseph autem cùm esset iustus, & nollet eam traducere* (inquit) *conatus est occultè dimittere eam.* Postquam dixit, quòd esset ex Spiritu sancto, & absque vlla mixtione sexuum: sermonem suum etiam aliunde confirmat. Ne enim aliquis diceret: & vnde hoc potest esse manifestum? quis vidit? quis audiuit aliquando tale aliquid cōtigisse? neque putares discipulum, quasi gratificatum magistro, ista confingere; introducit Ioseph ex his quæ passus est, fidem dictis per cuncta facientem, vt planè hinc dicere Euangelista videatur: Si non credis mihi, & testimonium tibi

Universidad de Deusto
Biblioteca

meum fortè conſpectum eſt;crede igitur vel marito. Io-
ſeph enim vir eius,inquit,cùm eſſet iuſtus. Iuſtum hîc,in
omni virtute dicit eſſe perfectum. Eſt enim iuſtitia ſpe-
cialis quædam,& ex parte iuſtitia,auariciæ vitio non te-
neri: eſt verò iuſtitia altera generalis,quæ ex cunctis o-
mnino perficitur: iuxta quem præcipuè modum ſcri-
ptura ſolet appellare iuſtitiâ: vt cùm dicit,homo iuſtus,
Luc.1. verax, & rurſus: Erant iuſti ambo in conſpectu Dei.
Cùm igitur eſſet iuſtus:hoc eſt,frugi bonúſque vir: vo-
luit occultè dimittere eam.Propterea verò Euangeliſta
dixit, quid iuſto illi acciderit ante noticiam, vt nequa-
quam de his quę poſt noticiam rei ſunt facta,dubitares.
Et certè ſi Maria talis fuiſſet, qualem illam ſuſpicio fin-
gebat; non modo publicari meruerat, verumetiam ex
legis auctoritate puniri: ſed Ioſeph non ſolum maius,
verùm id quoque quod erat minus,pariter indulſit, nè-
pe pudorem. Non enim tantùm eam damnare noluit,
ſed ne publicare quidem.Vidiſti nempe virum ſublimi-
ter philoſophantem, & tyrannicæ illius affectionis im- B
munem. Noſtis enim profectò, noſtis quàm impotens
res ſit zelotypia. Propter quod ille bene huius rei non
Prou.6. ignarus,aiebat:Plenus eſt enim zelo furor viri eius: non
Cantic.8. parcet in die vindictæ. Et rurſus idem:Durus,inquit,eſt
ſicut infernus zelus. Et nos quidem pleroſque nouimus
velle animam potius amittere, quàm in tormentum ze-
li,atque huiuſmodi ſuſpicionis incidere. Quamquã hîc
quæ tandem diceretur eſſe ſuſpicio,vbi ipſe vteri tumor
uidebatur factum arguere? ſed tamen ita erat ille vir ab
huiuſmodi paſſione mundus ac liber, vt ne in minimis
quidem Virgini vellet inferre mœſtitiam. Quia ergo &
apud ſe illam retinere iniquum putabat,publicare verò,
atque in iudicium trahere,nihil eſſe aliud quàm in mor-
tem trahere videbat; neutrum horum facit, ſed [adhuc
ſub lege viuens] ſupra legem philoſophatur. Siquidem
aduentante iam gratia,multa ſublimioris diſciplinæ do-
cumenta fulgere oportebat. Vt enim ſol nondum ra-
diis oſtenſis eminùs tamen ſplendore ſuo maximam C
partem orbis illuminat: ita & Chriſtus ex vtero Virgi-
nis iam iámque progreſſurus, vniuerſo orbi, etiam pri-
uſquam oriretur, illuxit. Denique ante illum quoque
Virginis beatæ partum, & prophetæ in ſpiritu tripudia-
bant,& mulieres in ſpiritu prædicebant futura,& Ioan-
in ipſa matrice ſaliebat.) nes nondum clauſtra egreſſus vteri, † gaudia ſua trade-
bat & matri.] Propterea igitur & Ioſeph tantam philo-
ſophiam mentis oſtendit. Neque enim aut in iudicium
tradidit ſponſam, aut ipſe ſaltem ei manifeſtum vteri
exprobrauit tumorem;ſed tantummodo à ſe illam ſepa-
rare conatus eſt. Cùm in his ergo omne negotium ver-
teretur, atque in ſumma res difficultate conſiſteret; ad-
uenit repentè angelus, qui omnia ſimul mœſta & ad-
uerſa diſſolueret. Inquiſitione verò dignum videtur;
cur non priuſquam vir tale conſilium cœperit, ſed vbi
hoc animo ille verſauit, tunc iſte id quod acciderat, in-
dicauerit. *Hæc*, inquit, *eo cogitante ecce angelus domini ve-*
nit. Et certe Virgini ante conceptum denunciat quod D
futurum eſt: quod quidem ipſum non effugit quæſtio-
nem.Nam & ſi angelus non dixit viro,qua tamen ratio-
ne id virgo celauit? quæ enim & ab angelo audierat, &
virum turbatum videbat, cur eam difficultatem ſermo-
ne non abſtulit? Quanam ergo ratione non antequam
turbaretur, hæc ei angelus reuelauit? Oportet enim vt
quæ prius propoſita ſunt,priora ſoluantur. Cur hoc,in-
quam, angelus antè non dixit? ne ſcilicet Ioſeph de rei
nouitate dubitaret,& tale quid forſitan pateretur,quale
Lucæ 1. Zachariam legimus pertuliſſe.Facilè quippe eſt credere
verum eſſe quod dicitur, quando iam res ipſa oculis of-
fertur: antequam verò incipiat fieri quod promiſſum
eſt,laborioſè prorſus dicta,& præſertim inuſitata credũ-
tur. Propterea iſtud nec angelus indicauit, & Virgo id
quod & audierat & ſentiebat, abſcondit. Neque enim
ſibi vllo modo à ſponſo credendum putauit, ſi ad eum
rem nimis nouam ſuſpectámque deferret; quinimmo
magis eum in iram credidit concitandum,ſi quaſi cri-
men admiſſum hoc videretur obumbrare figmento. Si
enim etiam ipſa virgo, cui tanta erat gratia conferenda,
aliquid tamen patitur humanum, & dicit: Quo modo
iſtud erit, quoniam virum non cognoſco? quanto ma-
gis ille dubitaſſet , maximè cùm id audiret ab vxore
ſuſpecta? Iccirco ei de hac re virgo quidem ipſa nil lo-
quitur, angelus verò tempore aduenit congruente. Et
cuius, inquies, rei gratia non idipſum cuſtodiuit in vir-
gine, vt ad illam quoque poſt conceptum veniret? Ne
ſcilicet ſtupentis ac verecundantis animum anxietas
mœſtitiáque conſumeret. Valde enim fieri potuit, vt
tanti ignara ſecreti, aliquid de ſe crudele decerneret:&
quantum honeſtatis amans, tantum famæ turpis into- B
lerans,vel ad laqueum ſubitò, vel ad gladium conuola-
ret. Erat enim illa virgo per cuncta mirabilis, cuius vir-
tutem Euangeliſta Lucas declarans, refert: quòd cùm
ab angelo verba ſatis honorificæ ſalutationis audiſſet,
non ſemetipſam continuò,vt fit,in gaudium relaxauit,
nec nimis credula noua dicta ſuſcepit; ſed honeſta ac
decenti trepidatione permota, cuiuſmodi eſſet ſalutatio illa quæſiuit. Virgo igitur tanti & pudoris & ponderis, vel exanimari mœrore potuiſſet, ſi tam grande ſibi imminere cogitaſſet opprobrium: cùm præſertim ne-
minem ſibi quamlibet multa dicenti creditурum puta-
ret,quòd ille conceptus,qui de coniugio non erat, non
de adulterio contigiſſet. Ne igitur iſta ſequerentur, ve-
nit angelus ante conceptum. Oportebat quippe imper-
turbatum illum eſſe vterum,quem hominum ingreſſu-
rus erat creator. Decebat illam profecto animam ab o-
mni eſſe immunem cogitationum tumultu, quæ tanti
electa eſt miniſtra myſterij. Propterea virgini quidem
ante conceptum, viro autem ipſi iam inſtantis partus C
tempore nunciatur. Quod plerique parum intelligen-
tes,ad Euangeliſtarum diſcrepantiam retulerunt: quaſi ſcilicet Lucas Mariæ, Matthæus verò Ioſeph aſſerat
nunciatum: ignorantes profectò vtrumque id eſſe con-
ſequenter effectum,quod per omnẽ hanc hiſtoriam ob-
ſeruare nos conuenit; vt vna hac regula, multa in qui-
bus videntur Euangeliſtæ diſſonare ſociẽtur. Venit ita-
que angelus ad Ioſeph ſatis anxium, ſatiſque turbatum.
Nam & propter illa quæ diximus, & vt magis iuſti viri
philoſophia clareſceret, dilata eſt præſentia nunciantis.
Aduenit autem cùm res ipſa iam eſſet implenda.*Hæc au-*
tem eo cogitante, ecce angelus domini in ſomnis apparuit ei.
Conſideras certè modeſtiam ac maturitatem viri: non
modo non puniuit aliunde grauidam, ſed nec cuiquam
mœroris ſui cauſam retexit, ne illi quidem ipſi de qua
eum ſuſpicio mordebat: ſed ſecum ipſe cogitationum
ſuarum fluctibus æſtuando, ab ipſa etiam Virgine ſtu-
duit abſcondere tanti cauſam doloris. Neque enim di- D
xit,expellere eam de domo voluit, ſed à ſe tacitè dimit-
tere. Tam manſuetus ille vir erat, tamque moderatus.
Hæc ergo eo cogitante, in ſomnis apparuit ei angelus. Cur in
ſomnis,& non potius apertè, ſicut & paſtoribus, & Za-
chariæ apparuerat,& virgini? Quia ſcilicet erat vir pror-
ſus fidelis,& manifeſtiori reuelatione non indigens.Nã
virgo quidem,quippe cui tam & noua nunciarentur, &
magna multóque maiora quàm Zachariæ fuerant nun-
ciata, & ante rem ipſam doceri debuit & per † apertiſſi- inopinatam viſionem.)
mam reuelationem]doceri. Paſtores quoque tanto de-
buerũt inſtrui manifeſtius, quãto magis ab eiuſmodi e-
ruditione per agreſtem erant vitã remoti.Hîc verò poſt
vteri indubitatum tumorem, cùm iam mœrore animi,
& maligna

& maligna ſuſpicione tabeſceret, & ad expectationem A
iam iámque meliorem aliqua optaret ratione transfer-
ri;hoc iam erat in animo,vt ſi fortè appareret quiſpiam,
qui mœrentem in viam ſpei lætioris induceret,& facilè
reuelationem ſuſciperet,& libẽter.Et iccirco poſtquam
ſuſpicione cruciatus eſt,viſione recreatur: vt hoc ipſum
quod poſt ſuſpicionem docetur, ea quæ dicuntur vera
eſſe demonſtret. Cùm enim quod nulli fuerat ipſe con-
feſſus,ſed incluſum tantummodo mente voluebat, id
etiam loquente ſibi angelo recognoſcit;certiſſimum &
abſque vlla ambiguitate prorſus documẽtum eſt, quòd
à Deo ad illum miſſus aduenerit.Ipſius enim eſt ſolum-
modo,cordis arcana proſpicere. Cõſidera igitur quan-
ta in hac dilatione compleantur.Nam & admiranda vi-
ri philoſophia monſtratur, & expectata opportunitas
temporis ad fidei proficit firmitatem,& hiſtoriæ veritas
inſuſpecta ſeruatur: quæ oſtendit iuſtum virum ea eſſe
perpeſſum,quæ illum pati conſequentia rerum ipſa co-
gebat. Quemadmodum igitur angelus ei fidem ſugge- B
rit ambigenti, audi, atque mirare quanta in hoc philo-
ſophia ſermone reſplendeat. Cùm enim veniſſet, dixit
ad eum:*Ioſeph, fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Principio ſatis neceſſario Dauid intulit mẽ-
tionem, vnde vtique Ioſeph Chriſtum didicerat naſci-
turum: deinde tum non ſinit eum conturbatione vexa-
ri,dum nomine progenitoris ingeſto,illius eum promiſ-
ſionis admonet, quæ ad omne facta eſt genus Iudæo-
rum. Cæterùm cuius rei gratia Dauid eum filium nun-
cuparet oſtendens: Noli,inquit,timere. Et certè alicu-
bi Deus non idem facit, ſed rege quodam de muliere
ſecus quàm oportuerat cogitante, caſtigatorio ſermo-
ne vtitur, & communicationis pleniſſimo, cùm tamen
ibi quoque ignorantia excuſaret admiſſum. Neque e-
Gen.12. & 20. nim ſciens ille Saram alij copulatam in vſum vxoris ac-
ceperat,& tamen acrius eum increpauit: hîc verò mul-
to mitius agitur, ac lenius: quippe vbi & maximarum
rerum diſpenſatio continetur, & ingens inter virum v- C
trumque diſcrimen eſt. Propter quod nequaquam hu-
iuſmodi cogitatio correptionis indiguit. Dicendo e-
nim, noli timere, proculdubio eum demonſtrat timu-
iſſe, ne ſcilicet offendat dominum ſi adulteræ copule-
tur. Per quod oſtenditur,quia niſi hic interceſſiſſet me-
tus;nec ille de eius dimiſſione aliquid cogitaſſet. Ex his
igitur omnibus illud profectò declarat, quòd Dei ad
Ioſeph venerit miſſus imperio, cuncta quæ cogitauit,
quæque perpeſſus eſt in animo,in medium proferendo.
Nec verò nomen virginis memoraſſe cõtentus,addidit
coniugem; haud ita vocaturus ſi corrupta fuiſſet. Coniugis autem nomine ſpõſam intellexit,ſicut eos quoque
qui adhuc ſponſi ſunt,generos appellare ſcriptura con-
ſueuit.Quid autem eſt,accipere? domi profectò retine-
re. Iam enim illam mente dimiſerat: ſed dimiſſam, in-
quit,retineas,quàm Deus tibi copulat,non parẽtes: co-
pulat verò non in fœdus ſolenne coniugij, ſed in con-
ſortium communis habitaculi, & copulat per mææ vo- D
Ioan.19. cis officium.Sicut enim illam poſtea commendat Chri-
ſtus ipſe diſcipulo,ita etiam nunc angelus ſponſo, ſola-
tium tantummodo eius habituram abſque fœdere nu-
ptiarum.Deinde etiam rem ipſam inuolucro verborum
tegens,de maligna quidem ſuſpicione tacuit; honeſtius
autem, multóque dignius cauſa partus expoſita, ſuſpi-
cionem quoque prorſus reſtinxit: oſtendens quòd pro-
pter quod ſolum ſponſam & ſecum habere metuebat,
& à ſe dimittere cogitabat, ob hoc ipſum magis illam
accipere debeat, ſecúmque retinere, ſi in cœpta velit
permanere iuſtitia,per quod affatim trepidationem eius
mœſtitiámque diſſoluit. Non modo, inquit, illicito
non eſt violata complexu; verumetiam ſupra naturam
moremque fœcunda eſt. Noli igitur de tam felici partu
ſponſæ attrahere mœrorem, immo verò in maiorẽ pro-
rumpe lætitiam. *Quod enim in ea natum eſt,de Spiritu ſan-*
cto eſt. Nouum dictum atque mirabile, & humanis cogi-
tationibus ſupereminens, ſupra leges vadens omnino
naturæ.Quonam igitur modo hæc ille vir crederet, qui
nihil prius tale ſermone conceperat?Ex eorum quę iam
peracta erant reuelatione. Iccirco enim omnia quæ ce-
labantur in eius animo,angelus reuelauit: memorando
certè quæ patiebatur,quæ verebatur,quęque etiam me-
ditabatur efficere:vt cùm cognouiſſet iſta,etiam illa ſuſ-
ciperet. Neque verò de præcedentibus ſolum ad fidem
ducit ambiguum,verumetiam de futuris.*Pariet enim*,in-
quit,*filium,& vocabis nomẽ eius Ieſum.* Non enim quia ex
Spiritu ſancto eſt,iccirco te à miniſterio tantę exiſtimes
diſpenſationis extraneum.Nam etſi nihil habeas in hac
generatione commune (Virgo quippe permanſit inta-
cta)tamen quod eſt proprium patris, quódque nihil in-
fuſcat virginis dignitatem, hoc tibi facilè concedo, vt
ſcilicet nato nomen imponas: tu enim illum primùm
vocabis. Quamquam enim non ſit filius tuus iſte qui
naſcitur, tu tamen curam erga illum & ſolitudinem oſ-
tendes parentis:& propterea te illi ab ipſa ſtatim nomi-
nis impoſitione cõiungo. Deinde ne quis illum ex hoc
patrem eſſe ſuſpicaretur,audi quàm cautè,quámque ſo-
licitè ea quæ ſequuntur,addiderit. *Pariet*, inquit, *filium.*
Nõ dixit,pariet tibi: ſed poſuit illud indefinitum & ſuſ-
pẽſum. Non enim illi,ſed vniuerſo prorſus orbi peperit
Chriſtum. Propterea & nomen eius de cœlo angelum
detuliſſe Euãgeliſta memorauit, vt hinc quoque oſten-
deret illum mirabilem eſſe partum, † quo eius nomen eo quod Deus cœlitus demiſerit per angelum eius nomen,& per Ioſeph.)
ad Ioſeph, & per angelum, & à Deo miſſum doceret.]
Nam & ipſum vocabulum non inaniter poſitum eſt,
quod certè mille continet theſauros bonorum.Propter
quod illud etiam angelus interpretatur, bonis mœren-
tem ſpebus animando: & hoc quoque illum modo ad
credendum quod loquitur,inuitat.Facilè namque ſoli- C
citamur ad proſpera,& promptius fidem accommoda-
mus ſecundis. Cùm igitur ex omnibus conſtruxiſſet fi-
dem, à præcedẽtibus,à præſentibus,à futuris,ab hono-
re eius quem promiſerat naſciturum,introduxit oppor-
tunè etiam prophetam his omnibus calculum ſuum ad-
dentem. Priuſquam verò eius teſtimonium citet,ſingu-
laria per ipſum bona vniuerſo orbi conferenda prẽnun-
ciat. Quænam igitur iſta ſunt? Remiſſio ſcilicet, inter-
itúſque peccati. *Ipſe enim*, inquit, *ſaluum faciet popu-*
lum ſuum à peccatis eorum. Hic quoque beneficij nouitas
indicatur. Non enim à bello viſibili, neque à gladio
barbarorum; ſed quod his longè maius eſt, à peccato
ſuo populum ſuum nunciat liberandum: quod præ-
ſtare nulli fuit hominum aliquando poſſibile. Et cuius,
inquies,rei gratia quaſi ſignatè populum ſuum dixit, &
non etiam omnes gentes pariter nominauit?Ne ſcilicet
de inuſitato nuncio ſcrupulum pateretur auditor, quã-
quam rectè hæc percepturo etiam gentes deſignantur.
Populus enim Chriſti non tantum natio Iudæorum eſt;
ſed omnes quoque qui ad eum veniunt, eiúſque donã-
tur agnitione. Conſidera verò quemadmodum nobis
ipſam etiam Chriſti patefecerit dignitatem, populum
eius appellans, quem per ipſum à peccatis dicit eſſe ſa-
luandum.Nihil enim hoc aliud eſt,quàm oſtendere Dei
filium eſſe qui naſcitur; nec ſe de aliquo homine rege
hunc proferre ſermonem. Neque enim poteſt peccata
dimittere, niſi ſolummodo diuina natura. Tanta igitur
cœleſtis muneris liberalitate donati, cuncta omnino
faciamus, ne tam grandibus beneficiis irrogemus iniu-
riam.Si enim etiam antequã hæc caperemus dona, me-
rebamur tamen propter peccata puniri, quanto magis

Universidad de Deusto
Biblioteca

postquam tam ineffabilia sumus beneficia consecuti? Et hoc non frustra, nec absque certa nunc ratione commemoro; sed quòd video plerosque desidiosius post acceptum baptismatis viuere sacramentum, quàm eos qui nondum sunt illo mysterio consecrati. In plurimis enim nulla omnino signa Christianæ inuenio disciplinæ. Ideóque non in publicis locis atque communibus, non in ipsius ecclesiæ conciliabulis facilè reperias, per quod inter fidelē infidelémque distinguas. Solo enim hoc celebrandi mysterij tempore dignosci potest, cùm videlicet alios excludi videris, alios verò intus teneri. Oportebat autem vniuscuiusque fidem non locis, sed moribus indicari. Nam sæcularium quidem decora dignitatum, consequenter ab extrinsecus positis cernuntur insignibus: nostra verò intelligi oportet ex mentibus. Fidelis enim non modo à communione mysterij, verumetiam de nouitate vitæ debet agnosci. Fidelem enim sal esse conuenit, & luminare mundi. Sin verò ne tibi quidem ipse luceas, & ne propriam quidem putredinem fœtorémque detergas, quibus te indiciis ego fidelem potero agnoscere? An quia sacrati aquas fontis ingressus es? At hoc ipsum quod datum tibi fuerat ad salutem, sit tibi grauioris causa supplicij. Honoris siquidem magnitudo his qui non dignè viuūt honore, cumulus incipit esse pœnarum. Igitur fidelem non ab his tantùm quæ accepit à Deo, verumetiam ab his quæ obtulerit ipse Deo, conuenit refulgere, & vndique esse notum atque manifestum, & ab incessu, & ab aspectu, & à veste, & à voce. Et hæc dixerim, non vt nosmetipsos ad ostentationem nostri, sed ad ædificationem inspicientium nos vtique aptemus. Nunc verò vndecumque voluero te dignoscere, inuenio te à contrariis publicari. Si te ex loco scire cupiam, proculdubio in circo te theatróque prospiciā, totos prorsus dies in vanissimis illis cœtibus exigentem, vel in foro corruptis hominibus pestiferisque coniunctum. Sin verò ex ipsis motibus corporis noticiam tui habere quæsiuero, videbo te horrētibus cachinnis, & fœdissima iucunditate resolutum, vt fluxam quandam perditámque meretricem. Sin autem te à veste considerem, nihil te à scenico habitu distare cognoscam. Iam si te voluero à comitibus addiscere, inueniam te adulatoribus stipatum, atque parasitis. Si à sermone, nihil te audiam omnino sanum, nihil serium, quodque ad disciplinā nostram spectet, loquentem. Si à cibo, maior hinc profectò materia accusationis orietur. Vnde igitur, respondemihi; fidelem te esse potero cognoscere; cùm omnia ista quæ diximus, contrariam de te ferant sententiam, téque apertissimè infidelem esse conuincāt? Et quid dicam vtrum fidelis? nec si homo verè sis, possum euidenter agnoscere. Quando enim vt asinus calcitras, vt taurus exultas, libidine incensus sic hinnis vt equus: quando in epulis vrsorum imitaris voratum, & pinguedine corpus mulorum more distendis; cùm exercēda simultate camelum, lupum imiteris rapina; cùm irascaris vt serpens, & atrocitate scorpionum percutias; cùm subdolè insidieris vt vulpes, cúmque veneno malignitatis armeris vt coluber & vipera; cùm quasi diabolus ipse aduersus fratres crudelia bella suscipias: quonam, inquam, modo, qua ratione in hominū te possum numero collocare, nulla in te cernens humanæ signa naturæ? O rem plenam doloris atque lacrymarum! fidelis & catechumeni distinctionem reperire cupiebam, sed nec inter homines & feras quod sit discrimen inuenio. Quid enim te appellare debeo? feram? Sed illæ vno aliquo horum vitio tenentur, tu verò simul in te omnia colligēdo longè ferarum irrationale stultúmque transgrederis. An diabolum te potius appellem? sed ille nec pecunias concupiscit, nec tyrannidi ventris obsequitur. Cùm igitur plura in te vitia sint, quàm in bestiis atque dæmonibus, responde obsecro, vnde te possum iure hominem nuncupare? Si verò te hominem appellare nequeo, quo tādem modo potero fidelem vocare? Verùm hoc est multò deterrimum, quòd tamen cùm omniū vitiorū squalore turpemur, nec intelligimus quidem nostræ animæ fœditatem, nec eius prorsus deforme cognoscimus. Nam tu quidem apud tonsorem residēs & cæsariem detōdens, adhibito etiam speculo multo cum studio, summáque cura æqualitatem consideras, & nitorem capilli: nec tamen in imagine tui temetipse inspexisse contentus, tum ipsum artificem, tum alios adstantes solicitè homo iam senex non vereris iuuenili stultitia insanus, interrogare, an alicubi incomptius manus properantis operata sit, an satis deceat frontem leniter attonsa cæsaries. Animæ verò nostræ quæ non solum deformis est, verumetiam ferarum omnino conformis, & quæ Scylla aliqua, vel Chimæra (vt fabula celebrat) effecta est, nulla nos cura, nulla solicitudo vmquam remordet: cùm certè hîc quoque speculum sit paratum proculdubio spiritale, & longè illo vtilius speculo, longéque lucidius. Non enim ostēdit tantummodo suam vnicuique fœditatem, sed eam in maximū quoque, si volumus, conuertit decorem. Hoc est enim virorum memoria sanctorum, ac beatæ illorum conuersationis historia, & generaliter diuinarum lectio scripturarum, positaéque à Deo legis agnitio. Si volueris saltem fixè, intentéque cordis oculo fulgentes illas sanctorum imagines intueri, totum continuò mentis tuæ deforme conspicies. Cúmque istud agnoueris, nullius profectò rei indigebis alterius, per quam ab huiusmodi turpitudine libereris: tam nobis vtile istud est speculum, támque nos facili transformatione cōuertit. Nemo igitur diutius in ferarum effigie perseueret. Si enim seruus nequaquam domum patris ingreditur; cùm bestia etiam fueris effectus, quando poteris ipsum saltem introire vestibulum? Et quid dico bestia, quando vnusquisque vitiosus omni bestia comprobetur immanior? Illæ quippe, quamquam naturaliter sæuiant, si humana tamen arte palpētur, plerumque mansuescunt; tu autem qui illarum profectò naturalem feritatem, in eam quæ contra naturam est māsuetudinem sæpe commutas, quam habebis excusationem; tuam mansuetudinem naturalem in feritatem, quæ naturæ tuæ est inimica, cōuertens: cúmque naturaliter ferā ad mansuetudinē trahis, te naturaliter māsuetum in ferarum rabiem natura repugnante perducis. Et leonem quidem mitigas, reddísque tractabilem: furorem verò animi tui omni prorsus efficis leone sæuiorem. Et certè cùm ibi sint duo impedimenta vel maxima, quòd fera ipsa & ratione priuatur, & longè omnium alterius generis animalium excedit furorem: tu tamen de copia donatæ tibi à Deo sapientiæ, ipsam superas arte naturam. Qui igitur naturam vincis in bestiis, cur in temetipso vnà cum natura etiam voluntatis bonum prodidisti? Itaque si te, vt alium hominem mansuefaceres, iuberem, nihil hîc quidem impossibile viderer imponere: quamquam excusare posses, non te esse dominum voluntatis alienæ, neque cuncta in tua potestate consistere. Nunc verò tua hæc propriè fera est, & cui certissimo iure domineris. Quam igitur habes apologiam, quémve reperies honestum excusationis colorem; qui cùm solerti studio hominem quodammodo facias de leone, tu tamen negligens leo efficiaris ex homine? Nam illi quidem donas supra suam aliquid habere naturam, tibi verò nec naturales quidem affectus reseruas. Et qui bestias feras ad mansuetudinis prouchis dignitatem, temetipsum

A bestiis vitiā mutuata.

Amplificat locum eundem comparatione.

de throno deiiciens & honore regali, ad irrationalium cogis furorem. Ponamus enim, si placet, iram quoque bestiam esse quandam. quantum igitur ab aliis erga mitigandum leonem studium commodatur, tantam tu erga iracundiam impende curam, & effice huiusmodi cogitationem mitem atque mansuetam. Siquidem hæc fera & vnguibus sæuissimis armatur, & dentibus: & nisi illam sollicitè mansuefeceris, cuncta simul disperdet, atque lacerabit. Nullus enim leo, nulla sic vipera viscera queunt laniare; vt hominis iracundia ferreis quibusdam vnguibus vniuersa confodiens. Neque enim solummodo corpori nocet, sed ipsius etiam corrumpit animæ sanitatem: cunctas siquidem eius omnino vires discerpit ac deuorat, eámque ad omnia inutilem facit. Si enim ij qui vermes in interioribus corporis nutriunt, ne respirare quidem sinuntur, vexatis profectò adesísque visceribus: quo modo nos venenatam hanc in nobis alentes viperam, iram dico quæ omnia interiora hominis depascitur: quid vmquam sanum aut forte potesrimus cogitare aut parere? Quonam igitur modo ab hac tam noxia peste fugiemus? si illam vtique potionem bibamus, quæ omnes intra nos vermes serpentésque mortificet. Et quodnam, inquies, istud est poculum quod eam vim habeat? Preciosus scilicet Christi sanguis, si cum fiducia vtique sumatur. Omnis enim hoc remedio morbus extinguitur: post hoc sanctarum quoque scripturarum diligens & deuotus auditus, & misericordia auditui copulata. Per hæc enim omnes mortificari illæ possunt, quæ animam nostram tabefaciunt passiones. Et tunc verè vita ac sanitate potiemur, qui certè nunc nihil ferè à mortuis discrepamus. Neque enim possibile est nos verè viuere, nisi in nobis vitia omnino moriantur. Hæc necessariò nos periment in futuro, si nos viuere hîc illa patiamur: quinimmo etiam ante illam mortem hîc exigunt à nobis horrēda supplicia. Siquidem vniuersa hæc vitia & crudelitatis plena sunt, & auiditatis, nósque quotidie deuorare non desinunt. Itaque & dentes eorum non immeritò esse dixerim dentes leonum, immò etiam sæuiores. Nam leo quidem simul vt fuerit expletus, femesum continuò cadauer relinquit; hæc verò vitia nec satiantur aliquando, nec ab anima nostra vsquam recedunt, captúmque à se hominem diabolo simillimum faciunt. Quorum certè tanta vis est, vt seruitium quod Christo Paulus inferum superúmque tutus securúsque exhibuit, idipsum à suis exigant captiuis etiam. Nam si vel amore corporum, vel cupiditate pecuniarum, vel gloriæ aliquis delectatione capiatur; superos inferos continuò contemnit, dummodo vitiis obsequatur. Nequaquam igitur dicenti Paulo fidem adhibere dubitemus, quòd tāto Christi amore flagrauerit. Quando enim inueniuntur aliqui ita desideriis suis ac vitiis seruientes; cur ita Paulum seruisse Christo incredibile iudicetur? Iccirco enim nos imbecilliorem in Christum habemus affectum, quia omnis nostra vis in vitiorum amore consumitur. Nam & auariciæ deseruimus, & aliena diripimus, & inani gloriæ libenter obsequimur: qua seruitute, quid vmquam vilius aut contemptius esse possit? Etsi enim millies clarus habearis atque conspicuus, nihil hinc tamen inglorio aliquo melior existis: immo hoc ipso multo inhonoratior, multóque despectior. Quando enim illi iidem tui amici, qui te glorificare certatim student, clarúmque monstrare, propter hoc teipsum rursus irrident, quòd gloriam ab ipsis requiras: quo modo non tibi in contrarium huiusmodi studia vertuntur? Vsqueadeò autem vitium istud notatur, vt sicut laudamus omnes eum qui non fornicationem, non adulterium concupiscit; ita etiam prædicemus istum, magísque miremur, qui amorem refugit gloriandi: cùm è regione accusare potius quàm laudare soleamus eos, qui hominum laudes requirunt. Quid igitur istam magnopere sectaris rem, cuius vice contraria eius tibi semper occurrit? Si enim glorificari cupis, gloriam despice, & eris omnibus gloriosior. Nunc verò idipsum pateris omnino quod Nabuchodonosor legimus pertulisse. Nam ille statuam quondam erexit, à ligno & mortua corporis imagine magnam scilicet famam aucuparturus, ac viuus à re non viua claritatem mutuaturus. O ingentem insaniam, quo se honorare est visus, deridendum præbuit. Nam qui re mortua nixus, magis quàm seipso & mentis suæ viribus, lignum supra se dignatur, qui non sit ille (obsecro) risu maximè dignus, non à moribus, sed à tabulis & asseribus commendari volens? Vt si aliquis de magnitudine ac pulchritudine domus, de scalis potius gradibúsque marmoreis se esse honorabiliorē putet, quàm quòd homo genitus, & rationis nobilitate donatus est. Hunc itaque plurimi etiam nunc inueniuntur imitari. Vt enim ille tunc de imagine aurea, sic modo alij de veste preciosa, de equis alij vel curribus, de amplitudine columnarum, quæ sunt in ædibus, & picturis parietum, opinantur se esse meliores. Quia enim quod erant homines, perdiderunt, solicitè huc illúcque circumeunt, aliunde sibi gloriam colligentes, omni sanè irrisione dignissimam. At non etiam illi fortes Dei & laudabiles famuli, huiusce modi rebus: sed illis, quibus oportebat maximè, refulserunt. Siquidem cùm adhuc adolescentes essent, & peregrini, immo etiam serui atque captiui, ac necessariarum rerum penitus indigentes; multo his clariores fuerunt, quos omnis copia rerum simul ac pompa comitatur. Et illi quidem Babylonio regi, non illa ingens & auro fulgens imago, non præfecti regionum, ducésque militiæ, non innumerabilis ac bellator exercitus, non auri argentique stupenda congestio, non aliud quidquam quod excogitare potuit, eius ambitioni, & ad magnum illum efficiendum aliquid prodesse potuerunt: his verò cunctorum talium possessione nudis, sola philosophia sufficit. Et hæc nimirum fuit quæ illos omnibus non diuitibus solum, verumetiam diademate purpuráque fulgentibus, tanto reddidit clariores, quanto amplius teterrimo aliquo cœno Solis flamma resplendet. Ducebātur enim ad totius penè orbis spectaculum adolescentes, serui, iidémque captiui. Qui cùm ante regem intrepidi constitissent, † in conspectu eorum ignem continuò iussit accendi] & duces militum, & satrapæ, præfectíque regionum, & omne illud diaboli circumstabat theatrum, & vox vndique fistularum, & tibiarum cantus, & clangor tubarum, totiúsque musicæ artis sonus ferebatur in cœlū, sanctorúmque auribus obstrepebat, & fornax in immensam altitudinem fuerat accensa, ipsásque iam nubes flamma tangebat, omniáque metu & stupore erant plena. Verùm illos nihil horū omnino deterruit: sed quasi pueriles quosdam friuolósque conatus ridendo despicerent, ita securè fortitudinem animi modestiámque mōstrabant; & emittentes vocem omnibus illis buccinis clariorem, tota cum libertate dicebant: Notum tibi sit rex, quoniam diis tuis non seruimus, & imaginem auream quam statuisti non adoramus. Et considera in ipso tanti feruore certaminis modestiam relucentem, Notum tibi sit rex. Non enim verbis quoque despicere regē atque inhonorare voluerunt; sed suam tantummodo erga Deum monstrare pietatem, propter quod nec in longum extendēre sermonem, sed paucis cuncta declarant. Est, inquit, Deus in cœlo, qui potest liberare nos de fornace ignis ardentis, & de manibus tuis rex eripere nos. Quid nobis igitur ostēdis diffusas militū copias? quid fornacem inusitatis

2. Cor. 11. & Ro. 8.

Dan. 3.

statim ignis ex oculis regis emicat.)

Dan. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

flammarum ardentem globis? quid micantes gladios? A quid terribiles haſtatorum cateruas? His nanque omnibus longè ſublimior eſt Deus noſter, ac fortior. Deinde intelligentes fieri poſſe, vt eos Deus permittat interim paſſioni ſubiici: ne ſi id accideret, videantur illi temerè Dei omnipotentiam prædicaſſe: conſequenter adiungunt, Quòd & ſi iſtud non fiat, notum tibi ſit rex quòd diis tuis non ſeruimus. Si enim dixiſſent, propter noſtra peccata non liberat, etiamſi non liberauerit: illis vtique creditum non fuiſſet: (exiſtimaſſent quippe impij non potuiſſe Deum magis, quàm noluiſſe defendere) Propterea hîc interim iſtud tacent, quod certè in fornace ſæpe congeminant, peccata ſurſum ac deorſum humiliter confitentes. Apud regem verò nihil tale prorſus commemorant, ſed quòd etiam ſi donentur incendio, nequaquam tamen à pietate diſcedant. Non enim hîc pro retributione atque mercede, ſed pro ſola totum Dei charitate faciebant. Nam & ſeruitutis premebantur iugo, & ærumnas captiuitatis gemebant, & nulla B rerum proſperitate fruebantur. Siquidem & patria, & libertate, & omnibus quibus antè potiebantur, exciderant. Non enim mihi illas in regali aula commemores dignitates: ſancti illi quippe cùm eſſent atque iuſti, millies in regione propria ſtipe petere maluiſſent, modo, vt conſecrati Deo templi iucunditate gauderent.

Pſal. 83. Elegi, inquit, abiectus eſſe in domo Dei mei, magis

Ibidem. quàm habitare in tabernaculis peccatorum. &, Melior eſt dies vna in atriis tuis, ſuper millia. Multo igitur magis elegiſſent abiecti eſſe in ciuitate Dei, quàm in Babylonia regnare: idque præcipuè ex vocibus illis approbatur, quas inter flammas frequenter emittunt, habitatione illius regionis grauati. Etſi enim ipſe ante hâc tentationis procellam plurimo apud illos honore fruerentur; cernentes tamen varia ciuium ſuorum & magna diſcrimina, vehementi nimirum mordebantur dolore. Quod vtique proprium ſolet eſſe ſanctorum, non ſcilicet gloriam propriam, non honorem, non quid- C quam aliud omnino anteferre proximorum ſaluti. Cõſidera igitur quàm diuerſus ab illis ſit noſter affectus. Illi enim in mediis quoque ignibus conſtituti, pro vniuerſo populo Dei ſupplicant: nos verò ne in ſecuritate quidem maxima meminimus proximorum. Sed & ad interpretandum regis ſomnium requiſiti non propria aliqua commoda propoſita habebant, ſed quod ad cunctorum vtilitatem ciuium pertineret: mortẽ verò quàm facilè contemnerent, clariſſimi experimenti probatione docuerunt. Vbique autem ſe piè pro cunctis, atque humiliter opponunt, Deum per omnia placare cupientes. Deinde quoniam ſemetipſos ad impetrandam populo veniam ſufficere non credunt, ad patrum merita confugiunt: ipſi verò nihil ſe amplius profitentur afferre, quàm humiliatum ſpiritum, ac dolore contritum. Horum igitur virtutem nos quoque debemus imitari.

nempe Mammonæ tyrannis.) Siquidem etiam nunc aurea imago propoſita eſt, † pecunia ſcilicet, in qua tyrannica quædam mammonæ D formatur effigies, & ad ſeruiẽdum ſibi cupidorum corda ſolicitat.] Sed nequaquam nos aut ſonitus tubarum, aut tibiarum, citharæque concentus, aut reliqua diuitiarum incentiua commoueant, vt imaginem adoremus auaritiæ; ſed etiamſi ardentem fornacem intrare cogamur, paupertatem dico, eam tamen præoptemus potius quàm illam auaritiæ imaginem adoremus: tunc enim nos in medio flammarum blanda circundabit roris aſperſio. Ne igitur pauperiei fornacem horreſcamus. Nam tum quoque in ignem coniecti, per ipſum oſtenſi clariores ſunt: qui verò imaginem adorauerunt auream, ſubitò ignis perierunt voratu. Sed tunc quidem omnia pariter impleta ſunt: nunc autem alia quidem in hoc ſæculo, alia verò & hic & in futuro ſunt implenda iudicio. Hi quippe qui ne mammonam adorent, eligunt ſentire pauperiem: & hîc quidem magna, ſed multo maiori in futuro claritate fulgebunt. Qui verò hîc imaginem adorantes auream, de iniquitate ditantur, tunc profectò extrema ſupplicia perſoluent. De huiuſmodi enim fornace Lazarus non minus quàm Luc. 16. illi tres viri, clarus egreſſus eſt: at contrà ille diues purpuratus, ac ſplendidus, qui in parte adorantium imaginem iure numeratur, gehennæ eſt deputatus incẽdio. Quæ igitur ſuperius dicta ſunt, figuram manifeſtè exprimunt futurorum. Sicut enim ibi in ignem miſſi, nihil aduerſi omnino ſenſerunt; qui verò foris ſteterunt, ſubito ac vehementi incendio concremati ſunt: ſic etiam tunc futurum eſt. Nam & ſancti etiam ſi flumen igneum tranſeant, nihil prorſus triſte patientur, ſed apparebunt abſque dubio clariores: adoratores verò imaginis videbunt ignem omni in ſe fera ſæuius irruentem, ſéque ad pœnarum interiora rapientem. Si quis ergo non credit gehennam, ad fornacis illius flammam mente reſpiciat, & ex contemplatione præſentium credat futura; nec paupertatis, ſed iniquitatis fornacem expaueſcat. Hîc enim & ignis & dolor eſt: ibi verò & ros ſentitur, ac requies. Et in illa quidem flamma diabolus medius aſſiſtit, in hac verò angeli incendia repellentes. Audiant igitur iſta diuites qui fornacem † iniquitatis] accendunt, & qui pauperibus nihil nocent, diuina illis virtute rorante: ſe verò in illius horribilis flammæ prædam ſponte præcipitant, quem propriis certè manibus accendunt. Tunc itaque angelus deſcendit ad pueros; nunc verò nos deſcendamus ad eos qui in egeſtatis fornace torrentur, eiſque refrigeria de miſericordiæ rore præſtemus: vt ab illis flammam inopiæ repellentes, poſſimus coronarum quoque eorum eſſe participes. Atque ita flammam gehennæ Chriſti à nobis vox illa depellat, quæ dicit: Eſurientem me vidiſtis, Matt. 25. & pauiſtis; ſitientem, & potum mihi dediſtis. Hæc enim tum nobis vox, roris loco (fratres) erit, per mediam ad nos flammam relata. Deſcendamus, inquam, cum miſericordia in fornacem inopiæ: intueamur illos qui ſecuri per huiuſmodi gradiuntur ignem, eiúſque fidentes † verticem] calcant. Conſideremus nouum quiddam atque mirabile, hominem in fornace gratias ſuppliciter agentem, hominem in fornace dulci modulatione cantantem, hominem in extrema inopia colligatum, & plurimam tamen Deo gloriam, laudéſque referentem. Illis ſiquidem pueris inueniuntur æquales, quotquot paupertatem cum gratiarum actione patiuntur. Eſt enim terribilior pauperies igne, & amplius vrere conſueuit. Verùm vt illos non aduſſit ignis, ſed quoniam gratias domino retulerunt, etiam vincula eorum continuò diſſoluta ſunt; ſic etiam tibi, ſi paupertatem cum gratiarum actione ſuſtinueris, vincula reſoluuntur, & ignis extinguitur: ſi verò non extinguatur, multo maiore miraculo fontis naturam ignis imitabitur: quod in his certè conſpici poteſt qui iuxta Euangelium philoſophantur, quique libentius in paupertate, quàm in ſuis opibus diuites gloriãtur. Nã & tunc illi qui in ardenti fornace conſtiterant, puriſſimo rore fruebãtur: & licet non fuerit ignis extinctus, in medio ſui tamen ſtãtes, omnino non attigit. Nequaquam igitur extra fornacem deſideamus, neceſſitates pauperũ immiſericorditer negligendo, ne patiamur quod illi tunc regis pertulere miniſtri. Si enim in fornacem pauperum ſponte deſcendas, cum tribus illis pueris profectò conſiſtes, nihilque in te aduerſi ignis operabitur. Sin verò in egeſtatis ardore poſitos, quaſi de confeſſu ſuperiore deſpicias, continuò te flamma vorax conſumet.

(pauperta-tis.)

(carbones)

Deſcende

Deſcende igitur in ignem, ne te horribilior ignis inuol- A uat; neque extra ignem ſederis, ne te ſubitus flãmæ voratus arripiat. Si enim te cum pauperibus viderit, à læſione tui prorſus abſiſtet: ſin verò à pauperibus ſeparatum, aduolabit repentè, téque rapiet ad pœnam. Noli ergo ab eis eò coniectis vſquam omnino diſcedere, ſed cùm diabolus imperauerit eos in fornacem inopię contrudi, qui aurum contempſerint adorare; noli tu ex illorum parte effici, qui coniiciunt: ſed potius ex eorum, qui in tale coniiciuntur incendium; vt efficiaris quoque ex his qui ſaluantur, non ex his qui comburuntur. Etenim ros magnus eſt, nequaquam amore diuitiarum ab inopum miſeratione reuocari: ſúntque omnibus ditiores, qui diuitiis contemptis virtute claruerunt. Nam & illi tunc contemnendo regem, rege ipſo effecti ſunt clariores. Et tu itaque ſi mundi opes fideli mente deſpicias, toto eris

Mcb. 11. mundo precioſior: ſicut etiam illi ſancti, quibus dignus non erat mundus. Vt igitur dignus cœleſtibus efficiaris bonis, deride præſentia. Hoc ſiquidem modo & hîc cla- B ritate virtutum, & in futuro præmiorum honore fulgebis, gratia & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria & imperium cum Patre & ſancto Spiritu in ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA QVINTA EX CAP. I.

Eſaiæ 7. HOC *autem totum factum eſt vt adimpleretur quod dictum eſt à domino per prophetam dicentem: Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel.* Multos audio qui dicunt, quòd præſentes quidem & Euangelicæ veritatis eloquiis perfruentes, dignum tantis rebus commodant auditum, animóque contrahuntur: egreſſi verò eccleſiam, cum loco & animum repentè mutent, extinguentes prorſus totum illum deuotionis ignem, quem ſermo in eis prædicationis accenderat. Quidnam igitur adhiberi congruit, ne iſtud eueniat? Si ſcilicet conſideremus in primis vnde C contingat. Vnde itaque vobis accidit tanta mutatio? De conuerſatione nimirum parum attenta, & vitioſorum hominũ aſſiduo peſtiferóque colloquio. Non enim oportebat omnino à cœtu eccleſiæ recedentes, contrariis huic ſtudio negociis implicari; ſed domum continuò reuertentes, ſacros replicare libros, & coniugem pariter liberóſque ad eorum quæ dicta ſunt collationem vocare; híſque altius animo ac penitus inſertis, tum demum ad ea quæ huic vitæ ſunt neceſſaria curanda procedere. Si enim balneum egreſſus, publica conuenticula euitas, ne beneficium balnei fomento partum negocia moleſtiora corrumpant; quanto magis cùm ab eccleſiæ congregatione regrederis, hoc te oportet efficere? Nunc verò contraria agentes, cuncta diſperdimus: nõdum quippe vtilitate ſermonis firmiter in mente defixa, plurimus irruens ſæcularium impetus actionum, omnia pariter euellit. Quod ne acciderit, quoties à ſancta congregatione diſceditis, nihil magis neceſſarium iudicate, D quàm ea quæ audiendo didiciſtis conſeruare meditando. Nimia enim omnino indeuotio, & prorſus extrema eſt, vt quinque & ſex dies quidem in rebus carnalibus conſumentes, vnum ſpiritalibus diem, imò exiguam dici partem nolitis impendere. Nónne quotidie cernitis filios veſtros, ea quæ diſcenda ſuſcipiunt, totius ferè diei continuatione meditari? quanto id magis nos in ſpiritalibus ſtudiis præſtare debemus? alioqui nihil huc nos proderit conuenire, haurientes vaſe vndique hiante rimis, atque vndique perfluente: & ne tantum quidem ſtudij in horum quæ diximus conſeruatione ponentes, quantum erga aurum argẽtúmque ſolemus adhibere. Paucos enim plerumque nummos cùm aliquis accipit, & ſolicitè reponit in ſacculo, & diligenter obſignat ſigillo; nos verò poſtquàm longè auro, gemmíſque precioſiora ſuſcepimus eloquia, & inæſtimabiles ſpiritualium opes bonorum, nequaquàm ea in theſauro animæ recondimus continẽda; ſed paſſim atque negligenter mentes noſtras effluere permittimus. Quiſnam igitur noſtri aliquando miſerebitur, cùm ipſi nobis tam apertè inueniamur inimici, atque in tantam nos pauperiem ſponte cogamus? Ne igitur iſta contingant, legem hãc nobis ſcribamus immobilem, nec nobis modo, ſed coniugibus etiam liberíſque noſtris; vt vnum hunc totius hebdomadis diem, quo ad audiendum cõcurritur, totum in eorũ quæ dicuntur meditatione ponamus. Sic enim & multo magis dociles vos ad ea quæ ſunt dicẽda venietis, & ipſi minus experiemur laboris. Sed etiam ſcientiæ vobis lucrum profectò maius eueniet quando memoriter prius audita retinentes, paratius atque inſtructius ad recẽtia conuolatis. Non enim parum ad corum quæ dicuntur proficit intellectum, diligenter noſſe ſenſuum conſequentiam, quæ à nobis iuncto lectionis tenore contexitur. Quia igitur impoſſibile eſt vno die cuncta tranſcurrere, iccirco multis ea vobis commẽdamus diebus, contextu memoriæ interrupta iungẽtes, & longam ſeriem rerum, quaſi catenam quandam noſtræ circumligantes animæ, vt integrum ſcripturarum corpus appareat. Recordantes igitur diligẽter quæ à nobis paulò antè memorata ſunt, pergamus ad reliqua. Quænam verò illa ſunt, de quibus hodie differendum eſt? *Hoc autem*, inquit, *totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictũ eſt à domino per prophetam, dicentem.* Digna prorſus voce tantum ſignauit miraculum, dicendo: Hoc autem totum factum eſt. Quia enim quoddam pelagus immenſum, & inæſtimabile miſericordiæ Dei vidit profundum, atque in rem ſubito prodiiſſe quod antè in ſpe non fuerat, ac repentè naturæ leges ſolutas, reconciliationem Dei, hominúmque factam, ſuperiorem cunctis ad inferiorem cunctis deſcendiſſe ſubſtantiã, & deſtructum maceriæ interſtitium, & impedimenta ſubmota, multóque his plura eſſe completa, vno ferè verbo magnitudinem exprimendo miraculi, ait: Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictũ eſt à domino. Ne, inquit, æſtimes quòd iſtud modo primum decretum ſit: olim hoc ordinatum à Deo, atque diſpoſitũ eſt. Quod & Paulus vbique ſtuduit oſtendere. Iam verò ipſum Ioſeph ad Eſaiam remittit; vt ſi à ſomno experrectus verborum illius eſſet oblitus, tãquam quæ recèns dicta eſſent; propheticorum verborum, in quorum meditatione nutritus fuerat, commonefactus, ea etiam quæ ab ipſo dicta eſſent, mẽte contineat. Et virgini quidem nihil tale eſt prorſus locutus, nimirum quæ adhuc puella cùm eſſet, horũ noticiam non haberet: viro autẽ, ac præſertim Iuſto, & prophetica aſſiduè ſcripta meditanti, conſequenter hinc diſſerit. Et ſuperius quidem ait, Mariam cõiugem tuam; hîc verò poſtquàm prophetam adduxit in medium, tum demum ei credidit nomẽ virginitatis. Neque enim antè imperturbato quietóque animo & virginẽ illam audiſſet & matrem eſſe: à propheta verò nihil erat auditurus noui, ſed certè id quod lõgi erat tẽporis meditatione detritũ. Ideóque vt quod dicitur facile credatur, in medium angelus adducit prophetam. Sed nec teſte quidẽ tam claro cõtentus, ipſum ſermonem ad Dei auctoritatẽ reducit. Non enim Eſaię, ſed Dei omnium gubernatoris illud dictum eſſe confirmat. Iccirco non ait, quod dictum eſt ab Eſaia: ſed, quod dictum eſt à Domino. Os quippe fuerat Eſaiæ, per quod ſermo ipſe erat egreſſus: reſponſum verò diuinum. Quid ergo hoc oraculo prædictum eſt? *Ecce virgo in vtero ha-* Eſaiæ 7. *bebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et cur, inquies, non est hoc nomine, id est, Emmanuel, sed Iesus Christus vocatus? Quia scilicet non dixit, vocabis: sed, vocabunt, populi sine dubio, & ipse exitus rerum. Hic enim ab effectu nomen imponitur. Est enim mos scripturæ, euentus rerum ponere nominum loco. Quid enim est aliud, vocabunt nomen eius Emmanuel; nisi, videbunt oculi mortalium Deum inter homines versantem: qui etsi antè cum hominibus fuit, non tamen tam apertè támque manifestè? Quòd si hoc loco Iudæi impudenter repugnent, rogabimus eos, quando igitur puer vocatus est, velociter spolia detrahe, citò prædare? nequaquam enim hic habent quòd
Ibid.8. respondere possint. Cur igitur Propheta dicebat, voca nomen eius, velociter spolia detrahe, citò prædare? Quoniam illo vtique nato, detractio spoliorum facta est, atque populatio. Meritò igitur res quæ sub eo tam clara contigit, ipsi tanquam nomen imposuit. Et ciuitas, inquit, vocabitur ciuitas iustitiæ, mater ciuitatum, fidelis Sion. Nec tamen inuenimus quòd aliquando ciB uitas iustitię nominata sit, sed in Hierusalem semper appellatione permansit. Verùm quia istud euenit in melius populi moribus conuersis, ciuitatem ita prædixit vocandam. Cùm enim tale aliquid acciderit, vt is per quem id effectum sit, aut qui eius fructum perceperit, ex facto quàm ex nomine clarius indicetur, nomen eius appellat ipsam rei quæ facta est veritatem. Si verò hinc confutati atque conuicti aliam mouerint quęstionem, atque aliter appellationem virginis intelligere conentur, aliósque nobis interpretes proferentes atque dicentes, non dixerunt virginem, sed puellam: Primo quidem dicemus illud, quoniam ad faciendam veræ translationis fidem, omnibus aliis iure Septuaginta interpretes sint digniores. Siquidem alij post aduentum domini interpretati sunt, Iudæi siquidem permanentes, meritóque suspecti: quippe qui inimicè & subdolè multa corruperint, & data prorsus opera à Prophetis mysteria prædicta celauerint. Septuaginta verò ante C centum, & aliquanto amplius dominici aduentus annos, ad interpretandum tot ac pariter accedentes; ab omni suspicione huiusmodi vindicantur. Atque ob ipsum temporis interuallum, & illorum numerum, ac consensum, magis fide digni vtique fuerunt. Sin autem illorum qui postea interpretati sunt; testimonium proferre maluerint, sic quoque à nostra proueniet parte victoria. Siquidem scriptura adolescentulæ vel puellæ nomine virginem appellare consueuit. Idque non in feminis solùm, verumetiam in viris sæpe signatum est.
Psal.148. Deut. 22. Iuuenes, inquit, & virgines, senes cum iunioribus. Ac rursus de puella loquens quæ virginitatem corporis violenter oppressa perdiderit: Si, inquit, proclamauerit adolescentula: id est virgo. Et ea quidem quæ superius dicta sunt, hunc sensum facilè confirmant. Non enim simpliciter posuit, Ecce virgo in vtero habebit: sed cùm antè dixisset, ipse dominus dabit vobis signũ: continuo subiecit, Ecce virgo in vtero habebit. Et cerD te nisi virgo maneret quæ in vtero esset habitura, sed hoc communi fieret lege connubij, quod tandem id quod fiebat, signum fuisset? Signum quippe omnem prorsus consequentiam, & ordinem rerum debet excedere, & nouum debet esse in omnibus, atque à solenni more diuersum: aliter verò signum esse non poterit. *Surgens autem Ioseph à somno, fecit sicut præcipit ei angelus Domini.* Vidisti certè obœdientiam, vidisti animum facilè sacris fidem sermonibus accommodantem, vidisti mentem omnino vigilantem, ac nulla prorsus corruptione violatam. Neque enim saltem ipso suspicionis suæ tempore triste aliquid & absurdum est molitus in Virginem: & nunc quoque cùm eadem illa suspicione releuatus est, non modo illam non conatur expellere, A sed & secum retinet, & totius dispensationis ministeR efficitur. *Et accepit Mariam coniugem suam.* Nempe consideras quàm frequenter Euangelista hoc Virgini nomen imponat, nolens interim mirabile illud reuelare mysterium, sed tamen iam extingues suspicionem malignam. *Cum autem accepisset, non cognouit eam donec peperit filium suum primogenitum.* Donec, hîc posuit, non vt suspiceris quòd vel postea aliquando cognouerit; sed vt discas quòd etiam ante partum omnino intacta permanserit. Cuius igitur, inquies, rei gratia, donec hîc positum est? Sępe scriptura diuina hac vti elocutione consueuit, vt dicendo, donec, non definitum aliquod tempus includat. Nam & cùm à Noë coruus ex arca esset Genes8. emissus: non est, inquit, reuersus donec siccaretur terra. Et certè nec postea inuenitur rediisse. De ipso etiam loquens Deo: A sæculo, inquit, & vsque in sæculum tu Psal.89. es. Sed nullum hîc profectò terminum posuit. Rursus altitudinem pacis annuncians: Orietur, inquit, iustitia Psal.71. eius, & abundantia pacis, donec auferatur luna: non tamen finem pulchro huic statuit elemento. Ita etiam hoc loco, donec posuit, vt à suspicione illud quoc ante partum tempus fuit, absolueret. Postea verò quod sequitur, tibi iam æstimandum reliquit. Quod enim ab eo tibi discendum erat, hoc ipse dixit, quòd intacta fuit vsque ad partum virgo: quod verò ex præcedentibus consequens erat atque manifestum, tuo intellectui dereliquit: vt est certe istud: Quoniam nec postea quidem eam quæ tali modo mater effecta est, & nouo illustrata partu, nouóque puerperio, ille Iustus aliquando fuerit ausus attingere. Si enim cognouisset eam, & loco habuisset vxoris, quo modo illam Dominus quasi absque solatio, & neminem penitus habentem, discipulo commendare curasset, iubens ei vt eam reciperet in suaP Vnde igitur, inquies, * fratres eius dicuntur Iacobus & Ioannes?] Non aliter omnino, quàm quo ipse Ioseph Mariæ putabatur maritus. Multa quippe sunt ad opacandum illius partus mysterium obducta velamina, propter quod ita etiam eos Ioannes vocabat, dicens: Neque enim fratres eius credebant in eum. Sed tamen Ioan.7. hi ipsi, qui parum ante crediderant, clari postea in fide, Galat.2. ac mirabiles extiterunt. Quando enim Hierosolymam Paulus ascendit, vt cum cæteris Apostolis de dogmatum varietate cõferret, continuò intrauit ad Iacobum. Iacobum. Tam enim fuit ille mirabilis, vt episcopatum primus acciperet. Aiunt autem genua eius obduruisse callo, tãtámque in eo fuisse carnis incuriam, vt adhuc viuentis omnia ferè membra morerentur; atque assiduitate orationis, iugíque ad pauimentum prostratione corporis: frontem quoque eius callo similiter obductam, vt nihil ferè à cameli genibus, si duritiem spectes, discreAct.21. paret. Hic etiam Paulum, cùm postea iterum Hierosolymam veniisset, maturitatis suæ sermone moderatus est, dicens: Vides frater quot millia sunt credentium ex Iudæis, &c. Tantus illius erat pro ædificatione ecclesiæ zelus, tantáque prudentia, immo Dei in illo gratia de Christi virtute resplendens. Qui enim obtrectabãt Domino in carne constituto, adhuc in carne passibili, ita cum & admirati sunt, & coluere post mortem; vt cum multa pro illo cupiditate morerentur: quæ certè maximè effectum resurrectionis ostendunt. Propterea quippe ad vltimum clariora seruauit, vt absque vllo esset ambiguo virtutis tam grande documentum. Si enim nos eos quoque quos admiramur viuos, tamen obliuiscimur mortuos: quo modo illi quem audebant irridere viuentem, Deum esse post mortem putarent, si eum nihil aliud esse quàm hominem credidissent? Quo modo autem pro illo elegissent mortem etiam subire, nisi manifestum

Septuaginta interpretum auctoritas.

Luc.8. *Frater eius dicitur Iacobus?)

manifestum in ipso cognouissent resurrectionis exemA plum? Hæc verò dicimus, non vt audiatis solummodo; verumetiam vt quæ auditis imitemini, fortitudinem scilicet, constantiam, omnémque iustitiam: vt nemo de se desperet, etiam si antea desidiæ torpore languebat, vt vnusquisque nostrum nulla in re alia spem suam, nisi post Dei misericordiam in morum sanctitate constituat. Nam si istis omnino nihil profuit vel patria, vel domo, vel propinquitate Christo fuisse coniunctos, antequam de propria fulgerent virtute; qua nos dignos venia putamus, qui de iustis propinquis ac fratribus gloriamur, nisi eos ipsos fuerimus imitati? Nam & Prophe-
Psal. 48. tà idipsum significans, ait: Frater non redimit, redimet homo? etiam si Moses fuerit, etiam si Samuel, etiam si
Hier.11. Hieremias; audi tamen quid ad illum loquatur Deus: Noli, inquit, orare pro populo isto: quoniam non exau-
si te non audio?) diam te. Quid igitur miraris, * si non exaudiat supplicantem?] Etiamsi ipse, inquit, Moses adesset, atque Samuel, me tamen eorum pro talibus deprecantium non
Ezec.14. B placaret oratio. Sed Ezechiel saltem si supplicet, audietur. Verùm ipsi quoque dicit Dominus, quoniam si assistat Noë, & Iob, & Daniel, filios suos & filias non liberabunt. Etiam si Abraham patriarcha prò his supplicet, qui in suis vitiis permanendo immedicabiliter ægrotant, abibit Deus relinquens rogantem, ne vocem pro
1.Reg.16. talibus interuenientis exaudiat. Et si Samuel rursum exorans pro aliquo indigno deprecetur, continuò ad ipsum clamabit Deus: Vsquequo tu luges Saul? Etiam si pro sorore quispiam incompetenter orauerit, audiet
Num. 12. quod Moses: Si conspuens conspuisset pater eius in faciem ipsius, nónne esset immunda? Non igitur quasi oscitantes & desides, ex aliorum meritis pendeamus. Habent enim vim pro nobis, & quidem maximam, Orationes sanctorum quando profint. orationes supplicationésque sanctorum: sed tunc profectò cùm nos quoque * idipsum per pœnitentiam postulamus,] & ad studia meliora confugimus. Alioquin etiam Moses ipse, qui & fratrem suum, & sexcenta C illa millia armatorum ab imminenti Dei liberauit ira, sororem tamen suam nequiuit eruere. Et certè non erat æquale peccatum. Illa iniuriosius de Mose fuerat quid-
Exod. 32. Num. 14. dam locuta: at verò omnis illa multitudo, quam diximus, rectam in Dominum impietatem commiserat. Sed hanc tamen vobis quæstionem potius relinquo, ipse verò id quod multò est difficilius, conabor absoluere. Quid enim iam de sorore dicamus, quando tanti ille dux populi sufficere sibiipsi quoque deprecando non valuit, sed post mille ærumnas laborum, & quadraginta annorum commendatum sibi à Domino principatum, prohibitus est à Domino terram repromissionis intrare, quam toties ei diuinus fuerat sermo pollicitus? Quid igitur in causa est? Nequaquam vtilis in illam terram sancti Mosi fuisset ingressus, sed cum magno damno coniunctus, & qui omnino plurimos Iudæorum in maximam erroris ruinam supplantare potuisset. Si enim quia per illum fuerant de sola Ægypto liberati, relicto D Deo, tantummodo Mosen requirebãt, ipsius esse prorsus cuncta illa beneficia credentes; hunc si introductorem quoque in terram repromissionis habuissent, in quæ non illi impietatis prærupta cecidissent? Vt igitur
Deut.34. 1.Reg.16. In Exodo. & Num. omnis huiusmodi amputaretur occasio, ipsum quoque eius est occultatum sepulchrum. Et Samuel quidem Saulem ab ira Dei liberare non potuit, Israëliticum verò sæpe populum saluauit. Hieremias quoque Iudæos non eripuit vltioni, alium tamen quendam saluasse memoratur. Daniel etiam * sapientes Babyloniæ] ab in-
* barbaros quidem.) Dan.2. teritu liberauit, nec tamen Iudæos iugo captiuitatis absoluit. In Euangelio verò cernimus, non in aliis atque diuersis; sed in eisdem ipsis fieri vtrumque personis, &

vnum eumdémque hominem, nunc quidem sufficientem ad liberationem sui, nunc verò ipsum propriæ salutis effici proditorem. Nam ille quidem mille talẽtorum Matt.18. debitor, multis precibus supplicando semetipsum periculo liberauit, postea verò idipsum impetrare non valuit: alter verò econtrariò, cùm prius perditioni semetipsum totum dedisset, postea tamen sibi plurimum profuit. Quis verò iste est? qui scilicet bona patris absum- Luc.15. pserat. Ex quibus profectò redolet, quòd si negligentes fuerimus ae desides, nec per aliorum quidem possumus merita saluari. Si verò mente vigilemus, etiam per nosmetipsos istud valeamus efficere: & multo magis nostro, quàm alieno tuti esse suffragio. Nam & Deus salutem nostram, non tam aliis rogantibus pro nobis vult donare, quàm nobis; vt hoc ipso quo iram in nos eius placare cupimus, ad studia meliora migremus, & fiduciam bonæ conscientiæ colligamus. Sic enim Chana- Matt.15. næam illam aliquando miseratus est: sic etiam meretri- Luc.7. ci donauit salutem, sic latronem à cruce in paradisum Ibid.23. transtulit; nullius patroni, nullius precibus mediatoris inflexus. Et hæc dicimus, non vt supplicãdum esse Sanctis negemus; sed ne nosmetipsos in otium ac desidiam resoluamus, & dormientes ipsi aliis tantummodo nostra curanda mandemus. Nam cùm dixisset, facite vo- Luc.16. bis amicos: non hîc restitit, sed adiecit, ex iniquo mammona: vt * scilicet tuum] id esset ac proprium. Nihil rursus.) quippe hîc aliud quàm misericordiæ opera signauit: quódque mirandum est, non exactam nobiscum rationem subducit, dummodo ab iniquitate desistamus. Quod enim dicit, huiusmodi est: acquisisti antea malè, impende iam benè; collegisti hactenus iniquè, dispergenunc iustè. Atqui quæ tandem ista virtus est donare de talibus? Sed tamen amans hominem Deus, eousque descendit, vt si ista faciamus, bona nobis magna promittat. Verùm nos in tantum stultitiæ amentiæque processimus, vt nec ex iniqua aliquid possessione tribuamus: sed & cùm rapinis mille ditati vel minimam partem fortè dederimus, omnia nos iam implesse credimus. An non fortè audisti Apostolum pronunciantem, quoniam qui parcè seminat, parcè & metet? Qua quæ- 1.Cor.9. so enim ratione parcis ac retines? Non est istud impendere, sed augere: neque fructus ac negotiatio impensa dicenda est.] Vbi enim semen est, ibi etiam multiplica- Vbi enim fructus siue prouentus est, ibi abundantia: vbi semen, ibi & messis. tio fructuum consequitur.] Tu verò si terram quidem pinguem ac fertilem coleres, & quę plurimum esset opportuna seminibus, non tantum illam propria horrea seminando vacuares, verumetiam mutuareris aliunde quod sereres. Maximum namque detrimentum putares, in re tali diligere parcitatem: cœlum verò cùm culturus sis, vbi nulla aëris inæqualitas, corruptio nulla ventorum est; sed plurimo vbique cum fenore semina iacta proueniunt, cunctaris atque dissimulas: nec intelligis quia possimus & parcendo perdere, & spargendo colligere. Sparge ergo, ne perdas: noli retinere, vt magis congreges, sed fructuosissimo eroganda genere vt lucreris impende. Et si seruare illa oportet, noli ea tu seruare (hoc enim modo vniuersa dispereunt) sed Deo potius cuncta committe, & nemo quidquam poterit inde diripere. Noli igitur tu hîc velle negotiari, neque enim nosti lucra colligere; sed cum potius fenerare, qui longè maiorem fenore reddit vsuram: ibi (inquam) potius fenerare, vbi nulla inuidia prorsus, nullus timor, nulla accusatio, nullæ versantur insidiæ: fenerare nullius rei penitus indigentem, sed propter te tamen tanquam necessaria postulantem. Da pascenti omnes, & propter te esurienti, ne ipse egestate moriaris. Da ei qui iccirco pauper effectus est, vt te diuitem faceret: fenerare vnde possis non mortem fructificare, sed vitam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Istæ namque vsuræ regnum, illæ autem acquirunt gehennam: illæ enim auaritiæ sunt, istæ verò philosophiæ; & illæ quidem crudelitatis, istæ verò pietatis. Quam ergo satisfactionem parare poterimus; qui cùm & amplius, & tutius, & opportunius possimus accipere, & cum libertate omni, & absque formidine, absque obtrectationibus ac periculis possidere; à talium lucrorum studio recedentes, vilia ista sectamur, ac turpia, continuò peritura, ac maximum nobis paritura supplicium? Nihil enim præsenti vsura turpius, nihilque crudelius. Siquidem huiusmodi fenerator negotiatur aliena discrimina, & vberiores, vt putat, quæstus de alterius infœlicitate consequitur, atque insuper quasi pietatis mercedem reposcit, velut metuens ne immisericors fortè videatur: cùm profectò prætextu miserendi, atque opem ferendi, maiorem misero foueam crudelitatis effoderit, specie iuuandi atterens inopem, ac manum porrigendo deiiciés, & quasi in portum ex tempestate suscipiens; sed improuiso turbine in multo magis crudele B naufragium, velut inter scopulos ac latentia saxa demergens. Quid igitur, inquis, hic præcipis? vt scilicet pecuniam congregatam, mihíque vtilem in vsus alterius commodem, nec vllam inde prorsus mercedem reposcam? Absit. Non ego istud dico, sed satis cupio etiam te pro illa accipere mercedem: non hanc sanè vilem, & prorsus exiguam, sed longè vtique maiorem. Vsuram enim tuam, non aurum volo esse, sed cœlum. Cur ergo in paupertate teipsum concludis? Cur terræ totus affigeris, nimiúmque in ea sordidè volutaris, & repetis exigua pro magnis? Hoc enim illorum est qui ditari prorsus ignorant. Cùm enim Deus pro paruula quadam pecunia, bona tibi cœlestia & æterna promittat; tu verò dicas, cœlum mihi non det, sed pro cœlo largiatur aurum, quod profectò periturum est: hoc est velle in pauperie remanere. Qui autem veras opes ac diuitias concupiscunt, ea quæ mansura sunt potius eligunt, quàm illa quæ pereunt; perennes opes potius ac C inexhaustas quàm illa quæ consumuntur. huiusmodi enim præponunt magna paruis, & temporalibus sempiterna, fiúntque digni qui vtraque percipiant. Qui enim cœlum terræ amore contemnit, etiam istam profectò perdet: qui verò huic illud præponit, vtrísque potietur: & multo certè tutius, multóque iucundius. Quod vt etiam nobis fiat, despicientes cuncta omnino præsentia bona, potius eligamus futura. Ita enim & illis & istis fruemur, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui gloria cum Patre & sancto Spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

Homilia VI. ex cap. II.

Cvm *autem natus esset Iesus in Bethlehem Iudææ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente. Et reliqua.* Multa no- D bis opus est vigilantia, multis precibus, vt præsentis difficultatem loci possimus absoluere; & discere quinam isti sint Magi, & vnde venerint; & quónam modo, quóve suadente: quænam etiam illa fuerit stella, quæ magos ad Christum vsque perduxerit. Quinimmo si placet, ea primum proferamus in medium, quæ de hoc loco disputant veritatis inimici. Siquidem tantum amentiæ illis diabolus inspirat, vt hinc quoque se contra virtutis rationem opinentur armari. Quidnam ergo proponunt? Ecce, inquiunt, etiam Iesu nato sydus apparuit: quod certè grande documentum est, certissimam astronomiæ esse rationem. Porrò id apertè falsum conuincitur. Si enim secundum legem est natus astrorum; quomodo † astronomiam soluit, fatúmque destruxit, & dæmonum os obturauit, ac totum omnino exclusit errorem, omnémque vanissimam artis huius obruit officinam? Quónam etiam pacto Magi ex stella illa, Iudæorum regem illum esse didicerunt, cùm certè non istius regni, ille rex esset, sicut etiam Pilato ipse respondit: Regnum, inquit, meum nõ est de hoc mundo? Nihil quippe tale monstrauit, quale mundi huius reges habere conspicimus. Neque enim hastatas ille atque clypeatas ostendit militum cateruas, non equos regalibus phaleris insignes, non currus auro ostróque fulgentes. Non enim istum, nec alium quempiam similem circa se habuit ornatum; sed vilem hanc prorsus vitam egit, ac pauperem: duodecim tantummodo homines, eósque despicabiles secum circumducendo. Sed & si regem illum esse Magi nouerant, cuius rei tamen gratia ad eum venirent? Neque enim istud ad astrologiæ spectat artem, vt eos qui nascuntur, cognoscat stellis; sed vt ex hora punctóve noscantur, ea quæ illis sunt euentura, prædicat, vt aiunt. Isti verò neque parienti adstiterant matri, neque tempus quod rex noster natus esset agnouerant, vt hinc videantur præcinendi futura sumpsisse principium; sed è contrario, cùm multum ante tempus in regione sua stellam apparere vidissent, venerunt ad eum qui erat natus, videndum. Quod quidem ipsum quantum ad rationem spectat humanam, multo esse inconsequentius comprobatur; quàm id quod paulò antè præmissum est. Quænam enim Magos ratio commouit? Quænam etiam spes impulit præmiorum, vt ad regem adorandum venirent, tam vasto præsertim à se terrarum spacio separatum? Quod & si super ipsos regnaturus fuisset, nec sic quidem haberet peregrinatio tam longa rationem. Nam si in regali fuisset aula natus, ac patre regnante: consequenter fortè quis diceret istos in honorem patris puerum adorare voluisse, & hoc sibi ad conciliandum regis animum suffragium comparasse: nunc verò cùm illum nec suum regem sperent futurum, sed gentis alienæ, magnóque spacio ab illorum regione diuisæ, neque patrem eius regem esse videant:] qua ratione tanti iter laboris arripiunt, & adorant paruulum in matris gremio pauperis collocatum, & offerunt munera, maximo certè cum periculo ista omnia facturi? *Audiens enim hæc ab eis Herodes, paritérque populus, turbatus est.* Verum hæc, inquis, minimè isti præsciebant. At omni prorsus ratione nuda hæc, probatur obiectio. Nam etsi valde insipientes fuissent, istud tamen nequaquam ignorare potuissent, quòd ingressi vrbem in qua rex alter habitaret, talia prædicãdo, aliúmque illius populi regem esse monstrãdo, non mille contra se gladios commouerent. Cur ergo etiam adorarunt pannis adhuc infantiæ colligatum? Nam si virilis iam fuisset ætatis, dicere quis fortè potuisset, quod aliquod ab eo auxilium præstolantes, in apertum se periculum tradidissent. Quod tamen ipsum extremæ omnino fuisset dementiæ, vt Perses aliquis ac Barbarus, nullúmque habens cum Iudæorum gente consortium, vellet à domo sua patriáque discedere, relinquere etiam famulos, amicos, propinquos, regnóque se alterius subiugare. Si verò id stultum fuisset, multóque id quod sequitur, esse stultius comprobatur. Quid verò istud est; quòd scilicet tam longi spatia itineris emensi, cùm adorassent puerum, multósque aduersum se excitassent tumultus, continuò sunt reuersi? Quæ verò etiam regni vidisse feruntur insignia? Humile profectò tugurium, squalidúmque præsepium, & paruulum pannis vilibus inuolutum, & matrem pauperculam. Cur verò ipsa obtulere munera? quáve de causa? Putásne lex erat, aut mos aliquis, vt vbicunque terrarum regibus natis huius

astrologiam.)

Ioan. 18.

neque dum in vitum adoleuisse quum viderant.)

tribueretur

tribueretur deuotionis obsequium; & isti totum prorsus circumeuntes orbem, eos quos scirent ex vilibus atque pauperibus reges futuros, suppliciter adorarent; & hoc antequam illi solium regale conscenderent? Sed omnino nullus id dixerit. Cuius ergo illum adorauerunt rationis intuitu? Sed & si de præsentibus aliquid beneficiis cogitabant, quid tandem remunerationis à paruulo & matre inopi sperare potuerunt? An vero vt in posterum sibi apud regem gratiam collocarent? & vnde scire illi poterãt quòd ille non obliuisceretur tam properatæ adorationis iam maturus in regno, qui in ipsis adhuc fuisset incunabulis adoratus? Quòd si illum crederent à matre admonendum, illi tamen supplicio essent quàm præmio digniores, qui eum in tam apertum periculum, non tam adorando, quàm prodendo tradiderant. Hinc siquidem Herodes profectò turbatus, omni puerum cura quærebat, omníque eum interimere cupiditate properabat. Ita enim se res habet, vt vbi quispiam, regnante alio, alterum regem dixerit fu- B turum, eúmque adhuc puerum & priuatum notum fecerit; mille eum periculis exponat, atque in apertum tradat interitum. Videsne quanta hic absurda nascantur si iuxta humanam consequentiam, morémque communem hæc esse intelligenda credamus? Nec tamen ista solum, sed plura etiam alia proferre possumus, maiorem habentia quæstionem, quàm ista quæ diximus. Sed ne obscuris obscura nectentes, fastidium vobis, laborémque faciamus; age iam ad ea quæ proposita sunt explananda veniamus, ab ipsa sumentes stella absolutionis exordium. Cùm enim didicerimus quænam sit illa stella, vel qualis; & vtrum vna de multis, an prorsus noua, & ab aliis discreta syderibus, & vtrum naturaliter stella sit, an tantum stellæ speciem præ se ferat: cùm, inquam, didicerimus ista, facilè sciemus & reliqua. Vnde ergo manifestius poterunt ista cognosci? De ipsa profectò Euangelicæ lectionis historia. Quòd enim non vna fuerit hæc stella de pluribus, immò, vt ego arbitror, C nec stella omnino, sed quædam inuisibilis virtus in specie syderis figurata; ab ipso primum itinere monstratur. Non est enim stella, omnino non est, quæ per hanc cœli plagam cursum tenere doceatur: sed siue dixeris solem, siue dixeris lunam, astráque cætera ab Oriente ferri omnia in Occidentem videmus. Hæc verò à septemtrione in Meridiem stella veniebat. Sic enim secundum locorum situm Palæstina spectabat ad Persidem. Secundò verò etiam de tempore istud probari possibile est. Neque enim in nocte cernitur, sed lucente prorsus die, ac sole fulgente. Quam lucendi vim non modo stella nulla, sed nec ipsa quidem luna sortita est; quæ licèt multo clarius omnibus coruscet astris, continuò tamen ortu solis absconditur: & quæ prius illustrabat omnia, sub multo clariore sydere vix ipsa conspicitur. Hæc verò stella ipsos etiam solis radios proprio quodam præcipuóque fulgore superabat, clarius illis profectò apparens, atque in tanto eorum lumine magis ipsa D resplendens. Tertiò autem ab ipsa interpolatione lucendi, stellæ huius nouitas indicatur. Nunc enim occultabatur omnino, nunc toto prorsus fulgore radiabat. Nam vsque ad Palæstinam venientibus Magis, quasi dux itineris semper apparuit: cùm verò Hierosolymam introissent, sese rursus abscondit. Deinde cùm Herodi causam itineris indicassent, eóque relicto ad puerum pergerent adorandum, iterum se illis eadem stella monstrauit. Hoc autem non agit motus syderis, sed virtus quædam plena rationis. Neque enim proprium quempiam illa tunc stella cursum tenebat; sed cùm eos oporteret pergere, etiam ipsa pergebat; cùm verò standum esset, stabat opportunè, ac decẽter cuncta dispensans: sicut etiam illa quondam in eremo nubis columna pro opportunitate rerum nunc stabat loco, ibi castra figenda declarans, nunc progrediens mouebat exercitum. Quartò etiam ab ipso demonstrationis modo facilè istud lucidéque perspicitur. Non enim in excelso constituta cœli, cum qui inquirebatur à Magis ostendit locum, neque enim sic discere illi aliquando potuissent; sed descendens, & inferiorem aëris partem tenens, istud effecit. Nostis enim, quod tam exiguum & humilem locum, ac breue tugurium, quod (vt ita dixerim) corpusculum illuc paruuli continebat, nequiuerit de cœlo stella monstrare. Neque enim tantam illius breuitatem loci, tam inæstimabilis altitudo iis qui videre cupiebãt, veluti certa nota designare potuisset, quod certè perfacilè à lunari potest orbe cognosci. Luna enim cùm syderibus tantùm præcellat, in tam grandis latitudinem diffusa terræ, cunctis mundi habitatoribus creditur esse vicina. Quemadmodum igitur stella tam exiguum locum tugurij scilicet atque præsepis, ostendit; nisi sublime illud relinquens ad inferiora veniisset, supérque ipsum ferè caput pueri constitisset? quod etiam Euangelista significans, *Ecce*, inquit, *stella quam viderant in Oriente, præcedebat eos vsque dum veniens staret suprà vbi erat puer.* Nempe consideras quantis ex rebus Euangelista doceat, quòd non sit hæc stella vna de cæteris, neque secundum consequentiam † astrologiæ pu- Externæ generationis sese ipsam ostendat.) erum ostendat astrologis.] Cur igitur apparuit? Vt videlicet infidelitatem Iudæorum magis magisque conuinceret, & ingratis omnem prorsus aditum excusationis obstrueret. Quia enim Christus aduenies veteri testamẽto erat finem daturus, vniuersum verò mundum ad se vocaturus adorandum; qui vtique mari terráque esset colendus: ab ipsis statim initiis natiuitatis ostium gentibus reserat, & sic quoque domesticos cultores suos erudit, dum inuitat alienos. Quia enim audientes Prophetas, qui aduentum eius sæpe promiserant, parum attentè eorum verba pensabant; à longinquis regionibus venire fecit & Barbaros, qui apud illos natum inquirerent regem, vt Persico primùm sermone discerent, quæ Prophetis nunciantibus discere noluerunt: vt si bonæ fuerint voluntatis, maxima iuuentur occasione credendi; si verò contra manifesta contenderint, omni prorsus excusatione priuentur. Etenim non suscipientes Christum post tantorum de illo testimonia Prophetarum, quo tandem impietatem suam obducere colore potuissent, quando vidissent Magos vnius apparitione stellæ, & inquisisse Christum, & inuentum suppliciter adorasse? Quod igitur de Niniuitis fecit Deus, mittens ad eos Ionam: Quod in Samaritana, atque Chananæa, Ionæ 3. hoc etiam fecit in Magis, & iccirco dicebat: Viri Nini- Matt. 12. uitæ surgent & condemnabunt, & regina Austri surget, & condemnabit generationem istam: quoniam illi quidem minoribus crediderunt, isti verò nec maximis. Et qua, inquis, ratione Magos per stellam ducit ad Christum? At quónam modo oportuit? prophetásne mitti potius? Sed nequaquam Magi credidissent Prophetis. An voce aliqua desuper insonare? Nec hanc quidem curassent. An angelum mittere? verùm hunc quoque forsitan præteriissent. Propterea igitur omnia huiusmodi derelinquens Deus, per ea illos vocat, quæ familiaria eis consuetudo faciebat; mira quidem dispensatione pietatis ad hominum condescendens salutem. Ingens itaque Magis & clarum ostendit astrum, quódque plurimum ab his quæ spectamus syderibus discreparet, vt eis de magnitudine, & de pulchritudine syderis, nec non etiam de ipsa nouitate cursus admirationem moueret. Hæc itaque Paulus imitando, ab ara occasione sumpta, cum gentibus disserit, ex domesticis

Universidad de Deusto
Biblioteca

in medium proferens teſtimonia poëtis : Iudæis aliquamdiu Chriſtum abſque interdicto circumciſionis annunciat, & adhuc ſub lege viuentibus à ſacrificiis ſumit initia doctrinæ. Quia enim vnuſquiſque conſuetudinis ſuæ amicitia ligatur, & Deus, & miſſi ab ipſo ad totius orbis ſalutem homines, de ipſo cuiuſque more gentis materias ſibi aſſumunt dicendi. Ne igitur opineris cò indignum, quòd Magi per ſtellam vocantur. Hoc enim modo omnes Iudæorum cærimonias, omnéſque ritus, & ſacrificia, atque purificationes, & neomenias, & arcam, templúmque ipſum reprobabis. Siquidem hæc omnia originem à gentium ruditate traxerunt. Sed Deus ob deceptorum ſalutem, per ea ipſa ſe coli paſſus

aliquantulum.) eſt, per quæ illi dæmones antè coluerant, † aliquamdiu illa in melius inflectens ; vt eos paulatim, & à conſuetudine ſua reduceret, & ad philoſophiam perduceret altiorem. Hunc igitur ipſum diſpenſationis ſuæ morem ſeruauit in Magis, quos per ſtellæ apparitionem vocauit, vt eos inde efficeret celſiores. Poſtquam igitur ad- B duxerat, & veluti manu ad præſepe ipſum ſtella præeunte deduxerat ; eis non iam per ſtellam, ſed per angelum loquitur, ita eos gradatim ad meliora perducit.

1.Reg.15. per totum. Hoc etiam Aſcalonitis, hoc legitur feciſſe Gazenſibus, horúmque finitimis. Etenim iſtæ quinque tunc vrbes poſtquam letali plaga, arca ad ſe veniẽte, perculſæ ſunt, nullámque ex tantis malis liberationem poterant inuenire, vocatis vatibus & populi multitudine congregata, quemadmodum illa Dei placari poſſet ira, quærebant.

1.Reg.6. & ſeq. Tunc eorum reſpondere vates, vt iuuencas indomitas adhuc & primiparas ad plauſtrum iungerent, quo arca veheretur, nullóque eas regente, quo vellent ire permitterent : ſic appariturum eſſe dicentes, vtrum à Deo plaga illa veniſſet, an communi quodam caſu, atque

præ imperitia.) ægritudine deperiſſent. Si, inquiunt, iugum † ſuperba ceruice] contriuerint, atque mugientes ad vitulos recurrerint, caſu id factum eſſe manifeſtum eſt ; ſi verò directo itinere contenderint, & neque ad mugitum ten- C tauerint redire vitulorum, neque in aliam regionem ignotæ viæ errore detorſerint, liquidò patebit Dei manu has vrbes fuiſſe percuſſas. Quoniam igitur vatibus iſta dicentibus, illarum tunc regionum populi crediderunt, eorúmque impleuere præceptum ; Deus quoque condeſcenſione ſolita, vatum ſententiam comprobauit : nec maieſtate ſua putauit indignum in effectum operis, prophanorum dicta perducere, ídque agere vt illi fideliter viderentur iſta ſuaſiſſe. Ad maiorem ſiquidem Dei gloriam pertinebat, ſi virtus eius etiam inimicorum teſtimonio panderetur, & ſi ipſi quoque gentilitatis magiſtri conſonam ferrẽt de veri Dei poteſtate ſententiam. Multáque præterea horum ſimilia Deum diſ-

1.Reg.28. & ſeq. penſare inuenimus. Nam in Pythoniſſa quoque hunc tenuit diſpenſationis tenorem : quod vos iam ipſi iuxta prædictam regulam poteſtis abſoluere. Occaſione igitur ſtellæ hæc à nobis dicta eſſe ſufficiat, de qua vos di-

Prouer.9. D cere iam plura poteritis. Da enim, inquit, ſapienti occaſionem, & ſapientior erit. Tempus verò eſt, vt ad principium eorum quæ ſunt lecta redeamus. *Cùm autem natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iudææ, in diebus Herodis regis.* Et Magi quidem ſtellam prælucentem ſecuti ſunt : Iudæi autem nec Prophetis quidem inſonantibus crediderunt. Quanta verò ratione & locum deſignat, & tempus : dicendo, in Bethlehem, & in diebus Herodis re-

Matt.14. gis ? Qua verò de cauſa addidit dignitatem ? Quam certè iccirco ſignauit, quoniam erat & alius Herodes qui interfecit Ioannem : ſed ille Tetrarchæ honorem habuit, hic regis. Et locum ponit & tẽpus, vt nobis in memoriam reuocet antiquas prophetias : quarum vnam

Mich.5. Michæas aliquando prædixit. Et tu, inquit, Bethlehem A terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. Altera:n verò patriarcha Iacob, qui nobis olim tempus ipſum diligenter expreſſit, & aduentus Chriſti ſignum euidens poſuit, dicendo : Non deficiet princeps ex Iu- Gen.49. da, nec dux de femoribus eius, donec veniat cui repoſita ſunt : & ipſe erit expectatio gentium. Sed & illud quoque inquiſitione dignum puto : vnde ad hunc illi potuerunt intellectum venire, & quis eos in hoc ſuſcitaſſe credatur. Non enim mihi ſolius hoc eſſe ſtellæ videtur, verumetiam Dei, per quem illorum ad hoc anima commota eſt. Qui tale etiam aliquid in Cyro legi- 2.Paralip. 36.& 1. tur rege feciſſe, præparans eum vt Iudæorum populum Eſdræ 1. à iugo captiuitatis abſolueret : non tamen ſic iſtud ope- & 3.Eſdr. 2. & ſeq. ratus eſt, vt liberi arbitrij iura perfringeret. Siquidem Act.9. etiam cùm Paulum vocauit à cœlo, non ſuam tantummodo gratiam, ſed etiam illius fecit obedientiam reluere. Et cur, inquies, non hoc magis omnibus reuelauit ? Quia ſcilicet non omnes fuerant crediturí. Erant quip- pe iſti cunctis qui in illa verſabantur arte, ad fidem pa- Ionæ 1. & 3. Luc.11. ratiores. Nam & cùm plurimæ aliæ gentes perirent, ad ſolos tamen Niniuitas Propheta directus eſt : & duo latrones iuxta Dominum pependerunt, ſed vnus tantum electus eſt in ſalutem. Conſidera igitur horum & admirare virtutem ; non modo quia tam longi itineris ſubiere laborem, ſed etiam quia tam ſimpliciter ac liberè egere cum rege. Etenim ne ſubdolè miſſi ab aliquo putarentur, & ducem ſui itineris produnt, & longinquitatem regionis fatentur, & fiduciam mentis oſtendunt. *Venimus*, inquit, *adorare eum.* Et neque tumultum populi atque clamorem, neque poteſtatem reformidant tyranni : vnde mihi videntur iſti etiam in regione propria facti eſſe poſtea ciuium ſuorum magiſtri. Qui enim hîc nequaquam iſta dicere timuerunt, multò hæc ipſa liberius patriæ ſuæ hominibus prædicarunt : quippe præter ſtellæ indicium, habebant & angeli reſponſum, & Prophetæ teſtimonium. *Audiens*, inquit, *Herodes* C *rex, turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo.* Herodes quippe conſequenter, vtpote rex, & ſibi pariter & liberis formidans ; Hieroſolyma verò, quam tandem habuit cauſam timoris, cùm certè illũ audierit eſſe, quem ſaluatorem eius, atque beneficium, & liberatorem Prophetæ pórrò antè prædixerant ? Quánam igitur ratione Iudæi turbati ſunt ? De ipſa ſimirum prauitate ſententiæ, qua prius aduerſabantur Dominum beneficia conferentem : & tam glorioſæ quam conſecuti fuerant ab eo libertati, præferebant miſerabilem illam, † quam in Ægyptiacarum carnium comeſtionem.) Ægypto ſuſtinuerant ſeruitutem.] Tu verò diligentiam conſidera prophetalem. Nam hoc quoque ipſum olim Eſaiæ 9. Propheta prædixerat : Et cupient ſi nati ſint, eſſe igne Ibidem. combuſti : Quoniam puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Quanquam enim turbati, nequaquam tamen ſtudent videre quod factum eſt, neque ad adorandum euntes Magos ſequuntur, neque in tanta re, támque mirabili aliquid curioſitatis oſtendunt : ita erant contentioſi pariter ac deſides præ cæteris omnibus. Oportuerat namque eos continuò ſentire, quantum ſibi eſſet additum dignitatis, de tanti ſcilicet natiuitate regis, qui Perſarum ad ſe regionẽ ortu ſuo triumphante traxiſſet, & ſub quo omnes populos poſſent legibus ſubiugare, vtpote rebus in proſperiora ſurgentibus, & regno tam clarè ab ipſo regis ſui fulgente principio. Qui tamen nec ſic quidem in meliora mutantur, cum paulò antè captiuitate fuiſſent Perſica liberati. Erat enim omnino conſequens eos animo voluere, vt ſi nihil de occultioribus altioribúſque didiciſſent, fœlicitatem tamen ſuam ex ipſa præſentium nouitate perdiſcerent, meritóque dicerent : Si iam regem noſtrum Perſæ natum adeò contremiſcunt, quando eum magis poterunt

terunt timere firmatum, ciúſque imperiis obedire? A lam crimine decernit alienam. Si igitur nos maligni
Erunt ergo profectò noſtra omnium regnis gentium clariora : ſed nihil prorſus huiuſmodi deſides animos ſuſcitauit. Tantus ſiquidem illos torpor obſederat, eique coniuncta par inuidia : quod vtrumque vitium procul à nobis debemus arcere. Oportet enim eum qui aduerſus iſta depugnat, ipſo igne potiorem in ſe feruorem

Lucæ 12. ſi iam accenſus eſt? mentis accendere. Vnde etiam Dominus ait : Ignem veni mittere in terram : & quid volo, † niſi vt accendatur ?] Propterea & ſanctus Spiritus in ſpecie ignis apparuit. Verum nos cinere frigidiores, & mortuis inſenſibiliores facti ſumus : & quidem cùm ipſum Paulum

Act.4. beatũ ſuper cœlum, adeóque cœlum cœli volitare videamus, ipsóque igni ardentius tranſcendentem cuncta, & cuncta ſuperantem, inferna ſcilicet ac ſuperna, & tam præſentia quàm futura, tam ea quæ ſunt quàm ea quæ non ſunt. Quòd ſi ſupra te eſt illud exemplum, quamquam iam hic ſermo torporis eſt (quid enim te amplius habuit Paulus, quia tibi illum impoſſibile credis imitari ?) tamen ne aliquid contentioſius afferre videamur, prætereuntes Paulum, eos ſaltem qui primi in Chriſtum crediderunt, conſideremus. Qui certè & pecunias, & poſſeſſiones pariter & curas, atque occupationes vitæ huius reliquerunt, séque totos tradiderunt Deo, cunctis prorſus diebus, ac noctibus ipſius adhærendo ſermoni. Hæc eſt enim ſpiritalis natura flammæ, vt nullam ſecum carnalium voluptatum ardere patiatur, ſed in alium nos amorem ſemper traducat. Et iccirco talium rerum cupidus, etiam ſi cuncta quæ poſſidet cogatur impendere, ſi deridere gloriam, ſi exhorrere delicias, ſi ipſam poſtremò exponere vitam ; cum ingenti omnia facilitate perficiet. Etenim præcipuus quidem illius ignis ardor cùm alicuius mentem fuerit ingreſſus, totum inde torporem, ignauiámque depellit : & eum cuius ſemel pectus inuaſerit, omni prorſus alite præſtat eſſe leuiorem. Iámque iſte talis ea quæ videntur cuncta deſpiciens, in compunctione continua perſeue- C rat : largo aſſiduè fluens fonte lacrymarum, multámque hinc capiens voluptatem. Nihil quippe ita conglutinat atque vnit Deo, vt illæ lacrymæ quas & peccati dolor & amor virtutum effundit. Qui enim talis vitæ conſeruat tenorem, etiam ſi in medio vrbis videatur habitare ; quaſi in eremi tamen vaſtitate requieſcit, & inter ſolitudines montium, & ſecreta conuallium. Nullo enim tumultu rerum, ſtrepitúque concutitur : nihil de præſentium auocatione conſpiciens, neque vllam ſatietatem de huiuſmodi luctu lacrymíſque percipiẽs, ſiue propria peccata, ſiue etiam lamentetur aliena. Et iccirco Chriſtus hos præ cæteris pronunciauit beatos. Beati, inquiens, qui lugent. Et quemadmodum (inquies) Paulus

Matth.5. 2.Cor.13. Philip.3. & 4. ait : gaudete in Domino ſemper ? Dixit hoc quidem ille, confiteor : ſed eam proculdubio quæ ex his naſcitur lacrymis ſignificans voluptatem. Sicut enim mundi gaudium triſtitiæ conſortio copulatur, ita etiam ſecundum Dominum lacrymæ iugem pariunt certámque D lætitiam. Sic etiam illa in Euangelio meretrix, virgines quoque ipſas honeſtate ſuperauit ; & incredibilis in Chriſtum amoris igne ſuccenſa, & à maximis ſordibus peccatorũ largiſſimo lacrymarum fonte purgata. Quia enim perfectè incaluerat pœnitendo, bacchari (vt ita dixerim) cœpit, deſiderio exagitata Chriſti. Siquidem continuò & crines reſoluit, & ſanctos pedes vberius diluens lacrymis, ac propriis extergens capillis, precioſo

Luc.7. rigauit vnguento. Et hæc quidem extrinſecus cuncta faciebat : ea verò quæ in ſecreto mentis agitabat, multo his erant ignitiora, multóque maiora ; quæ tantummodo Deus ipſe cernebat. Et iccirco omnis hoc audiens congaudet illi, ac de eius virtute lætatur, ab omníque il-

Act.20. quidem, & per triennium noctibus id fecerit ac diebus, & alij de illo, & ipſe de ſeipſo teſtatur. Quod verò riſerit, neque ipſe vſquam, neque de eo quiſpiam alius oſtendit. Sed nec vllus ſanctorum, vel de ſeipſo vel de alio quopiam, tale quid aliquando ſignificaſſe narratur. Gen.17. & 18. De ſola ſanè Sara legimus hoc dictum, ſed illico Dei Geneſ.9. voce correpta eſt. Et de filio Noë, ſed propter illum riſum ſeruus factus eſt ex libero. Et hæc dico non vt riſum prorſus abſcindam, ſed vt diſſolutionem penitus extinguam. Cuius etenim rei gratia in cachinnum ſoluueris, & defluis, qui tantorum tibi ſponte factus es cauſa mœrorum ? ante tribunal Chriſti illud ſtaturus terribile, & ſumma cum examinatione rationem pro cunctis actibus redditurus, cùm vtique non de his ſolum iudicandi ſimus, quæ voluntate, atque propoſito, ſed etiam quæ coacti aliquando committimus. Qui enim, inquit, negauerit me coram hominibus, negabo & ego Matt.10. Luc.12. eum coram patre meo. Et certè plerumque contingit D vt extorqueatur alicui negatio Dei, ſed tamen non effugit iſta ſupplicium. Nam pro hac quoque pœnas luemus. Nec de his tantummodo puniendi ſumus, quę ſcimus, verumetiam quæ neſcimus. Nihil, inquit Apoſto- 1.Cor.4. lus, mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Quin & pro iis quæ per ignorantiam & ſcientiam admittimus. Teſtimonium, inquit, illis perhibeo quia æmulationem Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam. Verumtamen hoc eis ad purgationem omnino Rom.12. non ſufficit. Sed & Corinthiis ſcribens : Timeo, inquit, ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrum- 2.Cor.11 pantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto Ieſu. Pro tantis igitur peccatis pœnas daturus, ſecurus tui ſedes, miſerabili riſu, lugentíſque facetiis

Universidad de Deusto
Biblioteca

te simul aliósque disperdens, & de sola deliciarum vo- A luptate sollicitus, bona æterna contemnis. Si ergo, inquis, ista non fecero, sed ad luctum fuero lacrymásque conuersus, quem tandem fructum capessam? Profectò maximum, & omnino tantum, quantum sermo explicare non sufficit. In sæcularibus enim iudiciis, quátumlibet post acceptam sententiam lamenteris & lugeas, non tamen effugies flendo supplicium: hîc verò si toto corde ingemueris ad Deum, soluisti repentè sententiam veniámque consecutus es. Iccirco multa nobis de
Luc. 6. luctu loquitur Christus, & beatificando lugétes, & miseros pronunciando ridentes. Non enim in theatrum, hoc est, vbi risus moueatur: neque in vnum propterea sæpius conuenimus, vt indecentibus cachinnis resoluamur; sed vt gemamus potius & regnum ex hoc gemitu hæreditemus futurum. Nam tu quidem si conspectui terreni regis assistas, nec subridere prorsus audebis;
inquilinum. ipsum verò angelorum Dominum habés vbique † præsentem,] non ei cum tremore assistis, maximáque re- B uerentia: sed etiam illo & irascente tu rides, nec vides quòd amplius hinc eum commoueas, quàm peccando commoueras. Neque enim ita peccantes auersatur Deus, quàm eos qui post peccata securi sunt. Et tamen inueniuntur quidam tam insensibiles prorsus, ac ferrei, vt post hæc verba etiam dicant: mihi verò vtinam haud vmquam flere contingat, sed præstetur mihi potius à Deo ludere omni tempore, & ridere. Quidnam, obsecro, tali inueniatur mente puerilius? Non enim Deus dat ludere, sed diabolus. Audi igitur quid passi fuerint
Exod. 32. aliquando ludentes. Sedit, inquit, populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Tales erant quondam in Sodomis, tales etiam tempore fuere diluuij. Nam &
Ezech. 16. de illis Dominus ait: Quoniam superbia, & saturitate panum, & diuitiis affluebant. Illi quoque qui Noë tempore, cùm per tot annos fabricari arcam viderent, fugiebant omnem compunctionis dolorem, & malè blandæ tantum lætitiæ seruiebant, nihil omnino erant pro- C uidi futurorum: & propterea subita omnes illos mersit pœna diluuij, factúmque est totius orbis commune naufragium. Noli igitur hæc à Deo poscere, quæ accipis à diabolo. Dei siquidem est humiliatam dare animam, trementem, pressam, pudicam, pœnitentem, atque compunctam. Hæc enim sunt Dei munera, quia & nos talibus potissimum indigemus. Imminet namque
Ephes. 6. nobis grãde certamen, & aduersus inuisibiles lucta virtutes, aduersus spiritualia nequitiæ, & contra huiusmodi principatus & potestates pugnandum est: benéque nobiscum agitur, si strenuàm operam nauantes, & sobriè viuentes, & vigilantes possumus ferum ipsorum agmen sustinere. Quòd si verò rideamus atque ludamus, iugem desidiam confouentes, facillimè ante pugnam quoque proprio torpore vincemur. Non est nostrum ergo assiduè ridere, resolui cachinnis, molliri deliciis: sed eorum potius, & earum quæ spectantur in theatris, quæ in lupanaribus inquinantur, eorum qui ad D hoc sunt facti parasitorum & adulatorum. Non est, inquam, hoc eorum qui ad æternum regnum vocati sunt, quique in cœlesti illa ciuitate conscripti, non est spiritualia arma gestantium; quod certè proprium est diabolo militantium. Ille enim est ille, qui etiam in artem,
dissoluere-ret ἐκλύσῃ, legisse videtur ἐλκύσῃ.) iocos ludósque digessit, vt per hæc † ad se traheret] milites Christi virtutisque eorum neruos faceret molliores. Propterea in vrbibus etiam theatra constituxit, & illos risuum ac turpium voluptatum incentores parauit, & per illorum luem in vniuersam vrbem talem excitat
Ephes. 5. pestem. Quæ nos fugere beatus præcipit Paulus, suadés vt & stultitiam, & scurrilitatem à nobis longius repellamus: ex quibus risus multo pernicioſior est, multóque deterior. Quãdo enim mimi illi atque ridiculi, blasphemum ac turpe quid dixerunt, tunc potissimum quique stolidiores soluuntur in risum: inde applaudentes magis, vnde etiam illos lapidibus exagitare debuerant, qui fornacem ignis horribilis ex huiusmodi voluptate in suum ipsorum caput succendunt. Qui enim laudant ista dicentes, ipsi eis hæc exercere persuadent, & iccirco ipsi potius propter hæc merétur subire quod ob ista sancitum est supplicium. Si enim nullus esset talium spectator ac fautor, nec essent quidem qui aut dicere illa, aut agere curarent. Quando verò vos cernunt & artes proprias, & ipsa exercendi quotidiani operis loca, & illum quem ex his paratis quæstum, & prorsus omnia simul vanissimi illius spectaculi amore deserere; auidiori & illi ad hæc intentione rapiuntur, studiúmque his maius impendunt. Et hæc dico non vt illos à crimine videar vindicare, sed vt vos discatis initium & caput iniquitatis huius vos esse potissimum, qui totam prorsum diem in tam ridicula, támque etiam pernicioſa voluptate consumitis, & honestum coniugij nomen, ac reuerendum in illud negotium publicatis. Non enim tam ille delinquit, qui illa simulat, quàm tu præ illo qui hoc fieri iubes. Nec solùm iubes, sed etiã exultatione, risu, plausu adiuuas quæ geruntur, omnibúsque prorsus modis hãc diabolicam confoues officinam. Quibus iam igitur oculis domi coniugem cernes, quam ibi in persona alterius tantæ vidisti iniuriæ subiacere? Quo modo autem non rubore suffunderis, quoties vxoris recordaris, quando eundem sexum tam fœdè ibi videris publicatum? Neque verò istud mihi opponas, quòd iam quidquid ibi fit, simulatio & fictum argumentum sit, non etiam veritas rerum. Etenim simulatio ista plurimos adulteros fecit, & multas domos subuertit. Propterea áque maximè gemo, quòd tam grande malum hoc, malum esse non creditur; sed quod est multo deterrimum, & fauor, & clamor, & plausus adhibetur & risus, cùm in communem perniciem adulterium tam turpe committitur. Quid ergo ais, simulatio est illa, non crimen? Et propterea mille illi mortibus digni sunt, quoniam quæ fugere cunctæ prorsus imperant leges, ea isti non verentur imitari. Si enim adulterium malum est, malum est sine dubio eius imitatio. Et nondum dico quantos adulteros faciant, qui huiusmodi adulteria histrionica simulatione repræsentãt, quemadmodum etiam impudentes horum spectatores efficiant. Nihil quippe obscœnius illo oculo, nihílque lasciuius, qui spectare talia patienter potest, ne dicam libenter. Deinde quale illud est, vt cùm in platea nudam feminam nolis aspicere, immò neque domi quidem, sed etiam si id fortè contingat, in iniuriam tui factum putes; cùm verò ascendis theatrum, vt violes vtriusque sexus pudorem, obtutúsque proprios pariter incestes, nihil tibi inhonestum credas accidere? Non enim istud dicas, meretrix est quæ nudata est; sed quia natura ipsa est, idémque corpus & meretricis, & liberæ. Si enim nihil in tali re esse opinaris obscœnum, qua gratia cùm idipsum in platea videris, à cœpto resilis incessu, & inuerecundiam seuerius exagitas? nisi fortè credis, eandem rem non similiter esse turpem, cùm separati simus, & quum congregati omnes vnà sedemus. Verùm istud risus est prorsus, ac dedecus, & extremæ omnino verba dementiæ; potiúsque est luto atque cœno omnem suam turpare faciem, quàm tantæ spectaculo fœditatis. Nõ enim ita cœnum oculis noxium est, vt impudicus ille vultus, & nudatæ meretricis aspectus. Audi igitur quid iam à principio generi hominum nuditatem induxerit, & vel hoc pacto turpitudinem illam metue. Quid igitur nudos fecit homines? inobedientia & diaboli consilium, tam hoc illi iam

illi iam à principio sempérque studio fuit. Verùm illos A quidem cùm nudi essent, puduit tamen: vos eam rem
Rom. 1. Ephes. 5. laudi ducitis, iuxta illud Apostoli, gloriam in turpitudine ponentes. Quonam igitur te pacto deinceps aspiciet vxor à tali contumelia redeuntem? quemádmodum suscipiet, & alloquetur tam indignè naturæ muliebris conditionem sexúmque fœdantem, atque à tali spectaculo captiuum seruúmque redeuntem mulieris fornicantis? Si igitur hæc audientes doletis, maximas gratias vobis agere me, & debere confiteor. Quis est enim qui me lætificat, nisi qui contristatur ex me? Ne igitur desinatis super huiusmodi licentia gemere, ac sæpius remorderi. Hic enim dolor fiet vobis conuersionis ad meliora principium. Propterea & ego sermonem vehementius pressi, vt altiore quadam incisione ab eorum vos per quos inebriamini putredine liberarem, atque ad puram reuocarem animi sanctitatem: qua quidem, & præmiis veræ pietati propositis, omnes nos potiri contingat, gratia & misericordia Domini nostri Iesu B Christi, cui gloria cum Patre & sancto Spiritu, in sæcula sæculorum. Amen.

Homilia VII. ex cap. II.

Et congregans omnes principes, & scribas populi, sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei, In Bethlehem Iudææ.

Vidisti certè, vt sermo superior ostendit, cuncta omnino quæ facta sunt, ad redargutionem proficere Iudæorum: qui prius quàm Christum viderent, ac veneno inficerentur inuidiæ, simpliciter de illo testimonia prædicta recitabant: vbi verò aspexerunt gloriam eius de miraculis coruscantem, liuore corrupti, supprimunt veritatem. Sed illa per hæc potius cuncta crescebat, & ab ipsis quoque iuuabatur inimicis. Considera verò hoc loco etiam quàm improuisa quámque miranda proueniant; quandoquidem & vicissim docent, & mutuò à se aliquid addiscunt, Iudæi C scilicet, & Persæ. Nam Iudæi quidem à magis audiunt, quòd stella eum in regione Persidis prædicarit; Magi verò à Iudæis discunt, quòd ipsum Iesum quem stella monstrauerat, etiam Prophetæ antè prædixerant. Quæ certe interrogationis occasio, fit diligentioris & manifestioris demonstratio doctrinæ. Ipsi quidem veritatis inimici, pro veritate coguntur legere literas, & prophetiam de Christo nescientibus interpretari; licet non eam omnino totam voluerint publicare. Cùm enim dixerint, quòd ex Bethlehem processurus esset qui regeret Israël; nequaquam tamen id quod sequitur, addiderunt, in adulationem profectò regis: [vt ad humanæ gratiæ lucrum, veritatis damna proficerent.] Quid ve-
Mich. 5. rò istud erat? Et egressus, inquit, eius à diebus æternitatis ab initio. Et cuius, inquies, rei gratia, si inde erat, vt prædictum est, aduenturus, aliquanto tempore in Nazareth moratus est, per quod etiam obscurauit prophetiæ ipsius veritatem? Quinimmo non obscurauit, sed D magis etiam, si consideres, reuelauit. Hoc enim ipsum quòd in Nazareth semper mater habitarat, quæ illum in Bethlehem genuit, ratione & prouidẽtia rem ostendit impletam. Et iccirco non continuò vt natus est, in ciuitatem suam venit, sed in Bethlehem quadraginta est remoratus diebus: vt his qui diligentius vellent de ipso cuncta rimari, occasionem inquisitionis ingereret. Etenim multa erant quæ manifestum efficerent quod latebat, si modo illi inuestigare voluissent. Siquidem venientibus propter illum ab extremo Oriente Magis: totus omnino populus in admirationem suspensus est: sed etiam Rex ipse cum populo, & Propheta in medium quasi testis adductus est, factáque est magna cuiusdam pompa iudicij. Sed & alia quoque plura tunc gesta sunt, quæ Lucas diligenter cuncta contexuit, profe- Luc. 2. rens & Annæ viduæ, & Symeonis iusti, & Zachariæ sacerdotis, & angelorum psallentium, & pastorum exultantium consonas de pueri maiestate sententias: quæ omnia satis erant idonea intendentibus animum præstandi occasionem, vt quod factum fuerat disceretur. Si enim Magi à Persíde venientes, non ignorauerunt eum in quo est ortus locum: quanto magis qui ibidem conuersabantur, discere vniuersa potuerunt? Ostendit se igitur ab initio ortus sui multorum mirabilium testimonio. Quia verò illi videre tam lucentia noluerunt, per aliquantum se quidem tempus occultauit, sed rursus alio semetipsum demonstrauit modo, & quidem multo clarioris testimonio potestatis. Non enim iam illum Magi, non stella, non angeli; sed Pater ipse cœlitus suprædicauit. Nam cùm ad Iordanis fluenta consi- Matth. 3. & Luc. 3. steret, peruenit & Spiritus sanctus, vocem illam Patris Ioan. 1. super baptizati caput deferens, & Ioannes omni cum libertate sermonis multitudinem ad se venientium cohortando, totam omnino Iudæam, habitabilia loca atque deserta, lumine huius prædicationis implebat. Testimonium quoque erat magnum signorum: nam & terra, & mare, cunctáque omnino creatura, clarissima pro Christo voce resonabat. Ipso quoque virginalis Matth. 8. & Marc. 4. partus tempore ea sunt facta miracula, quæ † abunde] possent maiestatem demonstrare nascentis. Ne enim (* sensim.) dicerent, ignorauimus, quando & in qua regione sit natus: & illa de Magis impleta sunt, & alia (vt diximus) plurima, vt nullus prorsus excusationis relinqueretur color, qui id quod impletum fuerat inquirere noluissent. Porrò considera ipsam Prophetæ diligentiam. Non enim dixit quòd in Bethlehem permansurus es- Mich. 5. set, sed ex Bethlehem procedet, inquit: vt signanter prophetasse videatur, illum ibi tantummodò nasciturum. Quidam autem impudenter audaces aiunt de Zorobabel hæc fuisse prædicta. Sed qua tandem istud ratione defenditur? Non enim huic competit, vt egressus eius à principio ex diebus æternitatis esse dicatur. Quo modo autem saltem illud quod antè dictum est, Ex te exiet dux: de Zorobabel poterit conuenire, qui 1. Esdr. 5. Zorobabel. non in Iudæa, sed in Babylone ortus docetur? Vnde etiam ipsum nomen accepit, quia scilicet ibi sit in sobolem seminatus? Quicunque habent Syri sermonis peritiam, intelligunt profectò quod loquimur. Supra hæc verò quæ diximus etiam exitus ipse rerum, prædicti de Christo testimonij asserit veritatem. Quid enim dicit? *Nequaquam minima es in principibus Iuda.* Causam quoque quæ illam magnam atque illustrem faceret, adiungens: *Egredietur*, inquit, *ex te dux.* Nemo enim alius omnino præter Christum, claram illam fecit, nobilémque regionem. Post illum siquidem inusitatum admirandúmque partum, ab extremis vsque finibus mundi veniunt ad visendum illum tugurij ac præsepij locum. Quod certe olim propheticus sermo signauit, dicens. Nequaquam minima es in principibus Iuda. Id est inter tribuum principes. Hoc verò dicens, Hierusalem quoque pariter comprehendit. Sed nec sic quidem Iudæi intendere voluerunt, & certè cùm maxima ad illos deferretur vtilitas. Idcirco enim inter initia non tam de dignitate illius loqui Prophetæ inducuntur, quàm de beneficio quod in eos maximum conferebat. Nam & cùm Virginis partus instaret: Vocabis, inquit, nomen eius Iesum, & intulit, dicens: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Et Magi quidem, non vbi est qui natus est filius Dei: sed, natus est, inquiunt, rex Iudæorum. hîc quoque Propheta non dixit, ex te procedet filius Dei: sed dux, inquit, qui regat populum

Universidad de Deusto
Biblioteca

meum Israël. Oportebat siquidem condescensorio & humiliore interim sermonis ingressu institui prædicationis exordia, ne tanti adhuc mysterij animos rudes subitò patefacta veritas in scandalum concitaret. Et idcirco ea magis quæ ad salutem ipsorum pertinent prædicantur, vt ad suscipiendum interim regem beneficio sibi blandiente concurrant. Quæcunque igitur prima testimonia proferuntur, & quorum statim post natiuitatem tempus erat, nihil de illo præcipuum dicunt, nihilque sublime, nihil simile testimoniis post signorum demonstrationem exhibitis. Illa quippe de potestate eius & certius loquuntur, & clarius. Cùm enim post mirabilia quæ fecit innumera, hymnos in illum
Psal.8. pueri canerent, audi quid dicat Propheta: Ex ore in-
Ibidem. fantium & lactentium perfecisti laudem: & rursus: Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorũ: quod quidem opificem cum vniuersorum esse ostendit. Illud etiam testimonium: † quo eius in cœlum signatur assumptio] æqualitatem cum Patre ostendit.
Quod post eius assumptionem adductũ est.) Dixit, inquit, Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Esaias verò ait, Qui consurgit vt Princeps sit gentium, in eum gentes sperabunt. Quo modo autem dixit, Bethlehem non esse minimam in principibus Iuda? quia profectò non in omni Palæstina tantùm, sed in vniuerso prorsus orbe factus est ille vicus illustris. Sed ad Iudæos videtur interim sermo aspicere, & idcirco subiunxit, *Qui reget populum meum Israël:* Cùm certe totius sit orbis rector effectus: sed, vt dixi, nolens interim offendere Iudæos, sermonem de gentilium vocatione celauit. Et quemadmodum, inquis, non rexit populum Iudæorum? Et istud quidem propriè factum est: sed hic tamen Israël illos appellat omnes qui ei ex Iudæorum (& gentilium) populo crediderunt. Et hoc interpretans Apostolus, aiebat: Non enim omnes qui ex
Rom. 9. Israël, hi sunt Israëlitæ: sed quicunque per fidem repromissionis nati sunt. Si verò non omnes rexit: vocatorum crimen est, non vocantis. Cùm oporteret enim illos adorare cum Magis, & glorificare Deum, quia tale iam tempus instat in quo illorum omnia peccata soluantur: nihil namque in hoc loco audiunt de terrore iudicij, nihil de comminatione supplicij: sed de mansueto tantum mitique rectore: ex aduerso conturbantur, atque conturbant, & mille post hæc moliuntur insidias. *Tunc Herodes*, inquit, *clàm vocatis magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis.* Puerum proculdubio interficere cupiens: quod non furoris tantum, sed extremæ etiam stultitiæ fuit indicium. Nam & illa quæ facta sunt, & illa quæ dicta, satis idonea erant quæ ab omni illum possent deterrere tali conatu. Non enim ex hominibus erant illa quæ natum esse Regem docebant. Siquidem & quòd stella Magos cœlitus vocauit, & quòd homines Barbari longinquæ subierunt peregrinationis laborem, vt adorarent in pannis atque in præsepio collocatum: quòd olim Propheta omnia ista prædixit, aliáque eiusmodi longè maiora erãt quàm vt secundùm hominum potestatem fieri crederentur: sed illum tamen nihil horum omnino compescuit. Tale quippe est vitium malignitatis, vt à nullo impulsa plerunque sese ipsa, præcipitet, & quæ sæpe absque effectu operis, ærumnosa & impossibilia gestit efficere. Considera ergo vecordiam singularem. Si enim prophetiæ ipsi crediderat, eámque inuictam putabat, clarum erat illum aduersus impossibilia conari. Si verò minimè credebat prouentura esse quæ tanto antè prædicta sunt, nec sibi timere debuit, nec Puero insidiari. Ex vtroque igitur frustra susceptus dolus ipse conuincitur. Sed & quòd sperauit Magorum labefactari posse scientiam, ad eandem mentis spectat insaniam. Erat enim extremæ omnino vecordiæ, vt se crederet à Magis plutis æstimandum, quàm illum in cuius vix dum nati honorem tot regionum itinera confecerant. Si enim prius etiam quam viderant ita sunt in desiderium eius effusi: iam cùm vidissent & Prophetæ essent prædictione firmati: quanam illos ratione futuros credebat Pueri proditores? Et tamen cùm tam multa sint, quæ illum possent à noxia intentione deducere, conatur nihilominus cupita complere. Siquidem clàm vocatis Magis scisciteba-
tur ab eis. Existimabat enim Iudæos pro Pueri salute sollicitos, nec in tantum illos furoris erumpere, vt protectorem & saluatorem suum, & ad liberationem illius gentis ortum, vellent tradere manibus persequentis. Idcirco secretè Magos vocat, ac sollicitè tempus inquirit: non Pueri, sed stellæ: & crudelissimæ venationis auidus, multo eum ambitu tendit insidias. Consequenti verò ratione colligitur, stellam ipsam ante multum apparuisse tempus. Quia enim Magi plurimum erant itineris longinquitate remorandi, vt possent mox nato Puero assistere, (quem vt mirabilius rei dignitas elucceret, pannis adhuc infantiæ colligatum oportebat adorari) ante multum tempus stella se demonstrat. Si enim quando Puer natus est in Palæstina, tunc illis stella apparuisset in Perside: plurimum in itinere tempus terentes, nequaquam illum adhuc in pannis inuenire potuissent. Quod si à biennio, & infrà, Herodes pueros interfecit, non mireris. Siquidem conueniens in eundem tyrannum pauor & furor, pro abundantia cautionis, & licentia persecutionis, maius etiam tempus includit: ne quis profectò eius ætatis, & fortè is potissimum propter quem alij interimuntur, effugiat. *Cùm igitur eos vocasset, euntes*, inquit, *interrogate diligenter de Puero, & cùm inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum.* Nempe consideratis stultitiæ mysterium dolum tyranni. Si enim hæc verè dicis, qua tandem ratione ductus latenter interrogas? sin autem vt fraudem specie consilij tegas: quî cedo, istuc non intelligis, quòd Magis dolus ex ista occulta scisciteatione subolere possit? Verum, vt paulò antè præmisimus, anima semel malignitate capta, stultior cunctis efficitur. Non autem dixit, Euntes discite de rege: sed de Puero, inquit: ita ei etiam nomen potestatis inuiderat. Sed Magi præ multa pietate nihil mali penitus suspicantur. Non enim opinabantur quòd in tantum malignitatis ille prorumperet, vt tam admirabili dispensatione nato moliri auderet insidias. Proficiscuntur itaque nihil horum penitus suspicantes, sed ex propriæ simplicitate mentis etiam cæteros æstimantes. *Et ecce stella quam viderant in Oriente, præcedebat eos.* Propterea enim aliquamdiu fuerat abscondita, vt amittentes itineris sui ducem, interrogare Iudæos de Puero cogerentur, rémque in notitiam omnium publicarent. Postquam vero interrogauerunt, & ipsos Pueri inimicos ad cognoscendam dignitatem eius habuerunt magistros, stella eis rursus apparuit. Sed considera mirabilem prorsus ordinem rerum: [à Perside illos vsque Hierosolymam stella deducit,] post stellam suscipit eos populus Iudæorum, & rex Herodes, & Prophetam adducunt, id quod illis apparuerat prædicantem. Post Prophetam vero rursus excipiuntur ab angelo, ac de omnibus instruuntur: antea verò à Hierosolymis in Bethlehem ipsa duce perueniunt. Stella enim rursus illinc ipsos fuerat comitata: vt vel hinc discas quòd nõ vnum erat hoc sydus è cæteris. Nulla quippe hanc habet stella naturam. Neque enim ibat propter Magos tantummodo, sed præibat quodammodo apprehensa manu trahens eos, viámque demonstrans, lucente prorsus die, ac sole rutilante. Et quidnam opus erat, inquis, hoc sydere, cùm certè iam vicus ille fuisset repertus? Absque dubio vt

dubio vt videretur & puer. Neque enim erat præterea quicquam quod illum posset ostẽdere, cùm nec esset ipsa domus cõspicua, nec mater quasi clara quædam celebraretur, ac nobilis. Opus igitur fuit stella, quæ super ipsum prorsus tugurij culmen insisteret, propter quod & ab Hierosolymis proficiscẽtibus rursus apparuit, nec prius à cursu suo destitit, quàm ad ipsum præsepium peruenirẽt. Duóque simul mirabilia iunguntur. Fuit enim vtrunque mirandum, & quòd Magi adorarent puerum, & quòd eos ad adorandum stella perduceret: quæ certè talia sunt, vt etiam lapideas mentes ad lumen Dei omnino attrahere queant. Si enim Magi dixissent à Prophetis se hoc accepisse, aut quòd Angeli peculiariter ipsis collocuti essent, vtique fides illis non fuisset habita. Nunc verò cùm iubar stellæ supernè rutilet, etiam impudẽtissimis os obturatur. Deinde postquàm immineret puero, iterum stella sistit cursum suum: quod ipsum maioris erat virtutis quàm stellæ natura insit, nunc vidélicet oculi, nunc verò apparere, & vbi apparuit, sistere cursum. Hic proculdubio Magi quoque incrementa fidei ceperunt. Propterea etiam gratulati sunt, quoniam quæsitum desideratúmque repererant, quoniam effecti fuerant nuncij veritatis, & quia non frustra tam longæ viæ spacia confecerant: tam ardenti quippe erga Christum cupiditate flagrabant. Etenim ad locum stella perueniens, super ipsum pueri stetit caput, ostendens profectò Dei filium esse qui natus est. Cúmque ibi substitisset, ad adorandum adducit non simpliciter Barbaros, sed eos qui inter illos longè vtique sapientiæ dignitate præstabant. Vidésne igitur quàm hæc stella apparuerit meritò? Siquidem & post Prophetæ testimoniũ, & post sacerdotum scribarúmque interpretationem, illa nihilominus vtebãtur magistra. Erubescat Marcion, erubescat & Samosatenus ille Paulus, qui nolũt videre quod Magi viderunt ecclesiæ progenitores. Nequaquam sic erubuerim nuncupare eos. Cõfundatur, inquam, vidẽs dominum Marcion in assumptione carnis adorari: confundatur & Paulus, vidẽs non sicut hominem adorari, quem tãtummodò hominem suspicatur. Nam quòd in carne vera sit, ostẽdunt panni atque præsepe. Quòd verò non nudum, id est, non solum adorent hominẽ, profectò declarat, quia adhuc æui rudẽ his muneribus honorent, quæ offerri Deo solent. Confundatur cum ipsis etiam natio Iudæorum, cernens ad credẽdum in Christum Magos ac Barbaros peruenire, ne post illos quidẽ venire sustinẽs: Etenim quæ tunc facta sunt, futurorum expressere figuram. Ab ipso siquidem dominici aduentus principio declaratum est, quoniam populum illum fides gentilium præueniret. Et quo modo non ab initio, dices, sed in fine ipso: Euntes docete, inquit, omnes gẽtes? Quia scilicet, vt paulò ante memorauimus, figura
Matth.18. erat id quod tunc accidit, & quædam prædicatio futurorum. Erat quippe consequens, primos ad fidẽ Iudæos potius accedere. Quoniam verò spõtè oblatum sibi beneficium respuerunt, in contrarium versa res est. Cæterum nec ad paruulum adorandum Magi priusquam Iudæi accedere debuerant. Nimiæ siquidẽ coarguunt tarditatis, quos iuxta ipsum omnino dominici ortus sedẽtes locum, post tot regionum spatia emẽsa præueniunt: & hi qui nihil prorsus de Christo audierant, præcurrunt eos quos ad eum suscipiẽdum tot Prophetarum vaticinia cõcitabant. Quia igitur domestica illa præclaráque bona sua ignorarunt, mirum non est à Persis ea esse præ-
Act. 13. repta. Quod certè dicit & Paulus: Vobis quidem oportebat primum annunciari verbum Dei, sed quoniã vos indignos iudicastis, ecce cõuertimur ad gẽtes. Etsi igitur antea permanebant increduli, tamen postquam idipsum à Magis audierunt, confestim ad Christũ debuerunt aduolare. Sed vtique noluerunt, & propterea istis dormientibus illi præcurrunt. Imitemur igitur nos saltẽ deuotionẽ Magorum, veróque amore philosophię barbaram consuetudinem subiugemus. Longo itinere curramus, vt Christũ videre mereamur. Nã & illi nisi procul regionẽ propriam reliquissent, nequaquam vtique Christum videre potuissent. Recedamus igitur à terrenis negociis, atque curis. Etenim Magi illi cùm adhuc morarentur in Perside, stellã videre tantummodò: quia verò à Perside recesserũt, solem ipsum aspexere iustitię: qui certè nec stellam quidem ipsam tamdiu videre meruissent, nisi citò à Perside fuissent profecti. Surgamus ergo etiam nos, & licet omnes turbẽtur, nos tamen alacres & prompti ad pueri accurramus domum. Et si rex, & si populus, & si tyrannus huius velint cursum itineris impedire, nequaquã tamen accensi desiderij extinguamus ardorẽ. Sic enim omnia aduersa calcabimus: quoniam & illi nisi vidissent puerum, nec periculum quod intẽtabatur à rege, vitassent. Prius enim quàm puerum cernerent, vndique illis opponebãtur timores, conturbationes atque discrimina. Postquam verò adorarunt, securitas & tranquillitas subsequuta est. Nec iam stella eos, sed Angelus suscipit: quia scilicet adorando facti fuerant sacerdotes, cum supplicatione etiam muneribus oblatis. Et tu itaque Iudaicum populum repugnantem, vrbem turbatam, cædis appetentem tyrannum, & fallacem istius sæculi vmbram relinquens, in Bethlehem festinus accurre, ac domum spiritalis panis ingredere. Et si enim pastor fueris, eóque aduenieris, in diuersorio puerum videbis. Et si rex fueris, nec tamen deuotus aduenieris, nihil omnino proderit purpuræ fulgore circumdari. Et si Magus fortè sis, nihil te ad hunc regem introire prohibebit, modo vt adoraturus atque honoraturus Dei filium, & non quasi conculcaturus aduenias: modo vt honorem ipsum cum gaudio ac tremore offeras: possunt enim vtraque hæc pariter conuenire. Sed caue ne Herodi efficiaris similis, & dicas, vt & ego veniens adorem eum: cúmque veneris, interimere coneris. Huius etenim similes sunt, qui indignè abutuntur communione mysterij. Reus est enim,
1.Cor.11. inquit, iste corporis & sanguinis Domini. Qui enim eiusmodi sunt, habent in se tyrannum, & regno Christi iugiter inuidentem, longe sanè Herode illo nequiorem, mammonam scilicet. Hic enim in homines tenere imperium gestit, suósque cultores simulat, & mittit ad Christum, vt specie quidem adorare videantur: quantum verò in ipsis est, interimunt eum, quem adorare se simulant. Timeamus igitur, ne quando speciem supplicum atque adorantium geramus, opere verò existamus inimici. Igitur adoraturi Christum cuncta proiiciamus è manibus. Si habuerimus aurum, offeramus ipsi, non terræ defodiamus. Si enim illi tunc Barbari in honorem tantummodò Domini obtulerunt libenter aurum: qualis tu eris, si ei non tribuas indigenti? Illi tam longo itinere cucurrerunt, vt natum viderent: tu verò qua tandem satisfactione poteris absolui, qui ne breuis quidem plateæ spatium transis, vt visites ægritudine afflictum, & vinctum catenis? Et certè solemus ægrotantium, atque vinctorum, etiam si inimici sint, misereri: tu verò ne erga Dominum quidem tuum, & eum qui tantorum tibi est auctor bonorum, hoc permoueris affectu? Et illos quidem aurum legimus obtulisse, tu verò panem ipsum vix tribuis. Illi viderunt stellam, atque lætati sunt: tu autem ipsum aspiciens Christum peregrinum nudúmque non flecteris. Quis enim vestrum, qui innumeris estis Christi beneficiis obligati, tam longinquæ propter eum arripuit expeditionis laborem, quàm illi Barbari, imò

Universidad de Deusto Biblioteca

sapientiores profectò sapientibus? Verùm quid ego de A spacio loquor itineris longioris, cùm plurimæ fœminarum tanta iam animi mollitudine resoluantur, vt nisi aduectæ mulis, quamlibet exiguo spacio à domibus suis venire nequeant ad videndum Dominum in præsepio spiritali? Sed ex his quoque qui certè ambulandi laborem ferunt, alij sæcularium negociorum tumultus, alij theatrales turbas sanctis cœtibus anteponunt. Et Barbari quidem illi priusquam Christum viderent, tam longam propter ipsum exuperauerunt viam: tu verò nec posteaquam videris, illos probaris imitari. Nam & cùm eum videris, ita eum relinquis, vt post illum curras ad theatra, ac mimum potius & videre & audire desideres. Atque vt eadem rursus attingam quæ antea sum insectatus, Christum quidem in spiritali situm præsepio derelinquis, properas verò iacentem in scena spectare meretricem. Hoc autem quibus tandem putamus dignum esse suppliciis? Responde obsecro, si se quispiam introducere te polliceretur ad regem, & ostenderet ti- B bi illum vndique coruscantem, atque inter varios pompæ suæ ornatus sedentem: putásne theatrale spectaculum aulicæ præponeres dignitati, cùm certè ne hinc quidem tibi aliquod commodum quæreretur? At verò ex hac mensa spiritualium fons emanat bonorum, & hanc tu statim relinquens curris ad theatrum, vt natantes fœminas, & sexum illum publicis oculis intuearis expositum: vt (inquam) istud aspicias, sedentem iuxta donorum cœlestium fontem Christum relinquis. Nam Ioan.4. & modo super fontem sedet non vnam Samaritanam, sed vniuersam alloquens ciuitatem. Forsan verò etiam nunc Samaritanæ tantum loquitur. Nam & nunc nullus ei assistit: nisi quòd alij quidem solis assunt corporibus, alij verò nec ipsis quidem profectò corporibus. Attamen ipse non recedit, sed manet, & à nobis postulat potum, non aquam, sed sanctimoniam. Sanctis enim Christus sancta distribuit. Non enim aquam de hoc nobis fonte largitur, sed sanguinem viuum, qui quan- C quam ad mortis dominicæ testimonium sumitur, nobis tamen causa fit vitæ. Tu verò relinquis huius sanguinis fontem, calicémque reuerendum, & ad diabolicum illum fontem festinus accurris, vt scilicet spectes meretricem natantem, & naufragium animæ patiaris. Aqua quippe illa pelagus quoddam est immane luxuriæ, quo non corpora submerguntur, sed naufragium infertur animabus. Nam illa quidem in mediis aquis nuda ludit natatu, tu verò de sublimi spectans gradu, in libidinis profunda demergeris. Huiusmodi enim diaboli retia, non tam in illam descendentes aquam, ibíque se volutantes capiunt, quàm sursum sedentes. Multo quippe hi Exod.14. sæuius suffocantur quàm Pharao ille quondam cum curribus suis equitibúsque submersus est. Iam si aliquo fieri posset modo vt vobis illis supernatantes vndis animas ostenderem, haud profectò aliter apparerent, quàm Ægyptiorum illa in fluctibus corpora voluebantur. Sed illud est multo vtique periculosius, quòd tan- D tam illam perniciem nominant voluptatem, & immane illud perditionis pelagus, Euripum delectationis appellant: cùm certè facilius aliquis ac tutius Ægæum mare transeat, atque Tyrrhenum, quàm illius spectaculi horrenda discrimina. Nam primo quidem per totam noctem omni expectatione nimis anxia, talium diabolus corda sollicitat: deinde id quod tam cupidè fuerat expectatum ostendit, quo continuo eos ligat ducítque captiuos. Neque enim si mixtus meretrici non es, immunem te putes esse peccati, cùm totum illud voluntate commiseris. Nam si ab huiusmodi concupiscentia possideris, maiori flamma profectò succenderis. Sin verò hæc aspiciendo nil pateris, culpæ nihilominus teneris obnoxius, factus scilicet scandalum cæterorum, & talium adhortatione voluptatum, tuámque faciem ipse confundis, animámque cum facie. Verum ne sola tantum agere increpatione videamur, iam correctionis remedia suggeramus. Quísnam ergo hic est emendationis modus? vestris vos trado erudiendos coniugibus, cùm certè oporteret, secundum Apostolum vos potius esse vxorum magistros. 1.Cor.11. Quia verò per peccatum ordo conuersus est, & corpus quidem superius, caput verò inferius effectum, hac saltem via ad honesta redire non pigeat. Quòd si magisterium mulieris erubescis: peccatum fuge, & cito poteris in thronum doctoris ascẽdere, qui tibi ordinatus est à Deo. Quamdiu verò peccaueris, non te ad mulierem tantum, sed etiam ad irrationales animantes & vilissimas scriptura transmittit. Neque enim erubescit animal rationis honore donatum, [apis atque] formicæ discipulum facere: nec tamen scripturæ culpa est, sed eorum qui nobilitatem propriam perdiderunt. Hoc ergo & nos facere curabimus. Et nunc quidem te mulieri assignamus docendum: sin verò illius monita contempseris, etiam ad irrationalium te magisterium relegabimus. Ostendemus enim quot te alites, ac pisces, quàm multa etiam pecorum genera, atque reptilium, honestate & castitate præcedant. Quòd si eiusmodi animalibus te comparari pudeat, regredere ad propriæ nobilitatis insigne, & immensum illud gehennæ pelagus, fluménque igneum memoria repetens, fuge pestiferam illam piscinam theatri. Hæc est enim, quæ spectatores suos in flammeum illud pelagus mergit, quæque profundum illius ignis accendit. Si enim ille qui absque his quoque irritamentis videt fœminam, interdum tamen ad concupiscendum trahitur, & tantummodò concupiscendo mœchatur: qui non solum videt, sed etiam totam omnino nudam ac lasciuientem videt, quî non millies libidinis captiuus efficitur? Haud ita illud quod sub Noë legimus diluuium fuisse, hominum extinxit genus, vt natatrices istæ omnes prorsus spectatores suos multo cum dedecore suffocant. Siquidem ille tunc imber etiam si mortem intulit corporum, vitia tamen simul deleuit animarum. Hæc verò aqua diuersum, manentibus in vita corporibus, animarum operatur interitum. Vos autem siquidem aliquod de honore certamen oriatur, omni ambitione contẽditis, vt vel vniuerso præsideatis orbi: illo scilicet vobis priuilegio blandientes, quòd hæc prima ciuitas fidelibus Christianorum nomen imposuit: (Antiochiæ primum dicti Christiani. Act.11.) cùm verò de honestate & castitate certandum est, ne à vilissimis quidem viculis, non pudet superari? Certe, inquis. Quid ergo eos facere iubes? abire in montes remotos, & monachos fieri? Et quid ego aliud ingemisco, quàm quòd illis vos solis putatis honestam vitam ornatámque congruere? Et certè Christus communia omnibus præcepta constituit. Nam vbi dicit, Si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo: (Matth.5.) non solum monacho dicitur, verumetiam marito. Siquidem ille tunc mons, in quo hæc Christus docebat, cunctis ferè talibus implebatur. Considera ergo theatrum illud, ac diabolicos istos refuge conuentus, & noli quasi onerosiorem culpare sermonem. Non enim interdico cõiugia, nec impedio liberam voluptatem: sed cum honestate id fieri volo, non cum obscœnitate, vel crimine. Non ego te in montes ac solitudines ire pręcipio: sed benignum esse, & honestum iugiter ac modestũ, vel in medio si placet vrbis habitantẽ. Omnia siquidem mandata legis, nobis sunt monachísque cõmunia, absque sola profectò pactione cõnubij: quanquam hîc quoque beatus Paulus admonet, per cuncta monachis æquare

æquare nos cupiẽs. Tempus, inquit, breue est: reliquum A est, vt & qui habent vxores, tanquam non habẽtes sint: (1.Cor.7.) pręterit enim figura huius mundi. Ac si diceret: Non iubeo vos in mõtium habitare verticibus, quanquam etiam id quidem vellem, eò quòd vrbes imitantur ea quę in Sodomis perpetrata sunt: verumtamen ad istud nequaquam impello. Permane habens domũ, coniugem, liberos, modo noli † eos spectatores voluptatum efficere incestarum] noli introducere in domũ tuam pestem theatri. (contumelia afficere vxorem, ac liberos traducere.) Non audis Paulum dicentem: Vir sui corporis non habet potestatem, sed mulier? Itaque communia huic quoque præcepta cõstituit. (Ibidem.) Tu verò siquidem Ecclesiam vxor frequentat, grauissimus illius accusator efficeris: ipse autem totum in theatris diem exigens, dignum te accusatione nõ credis: sed cùm sis erga vxoris pudicitiam ita diligẽs, vt etiam superfluum te atque immoderatum esse non pudeat, quippe qui à necessariis processionibus sæpe contineas illam, tibi tamen cuncta prorsus arbitraris licere. Sed minimè hoc tibi permise- B rit Paulus, qui eandem etiã mulieri tribuit potestatem: Vxori, inquit, vir † debitum] reddat. (debitam beneuolentiam.) Ibidem.) Quónam igitur modo à te honoratur vxor, quæ tam indigna suggillatur iniuria, cùm tu corpus quod in illius potestate est, meretricibus copulas? Tuum quippe corpus vxoris est. Quem, inquam, illi tribuis honorem, cùm tumultus ac lites in domum introducas tuam, cùm talia designas in foro quę dum domi narras, dedecoras quidem vxorem quæ audit, ac præsentem filiam rubore suffundis, ac præ cæteris temetipsum? Multo enim erat tacere consultius, quàm tam obscœna loqui, quæ etiam seruos loquentes iustum est verberari. Quam tu ergo satisfactionem parabis, responde quęso, qui ea quæ nominari fas non est, spectas summo studio: quæque etiam memorare turpe est, ea cunctis honestis artibus sanctísque præponis? Ne igitur videar onerosior, hic iam terminabo sermonem. Si verò in eisdem perseueraueritis, acutiore ferro & altiore incisione discindam: nec vnquam prorsus qui- C escam, quoadusque diabolicum illud dispergam theatrum, vt mundus Ecclesiæ cœtus purúsque reddatur. Ita enim & à præsenti turpitudine liberabimur, & vitam acquiremus futuram, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VIII. EX CAP. II.

(viderunt) εἶδον, ita legunt plerique.) ET *cùm intrassent domum, † inuenerunt] puerum cum Maria matre eius: & procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Quemadmodum igitur Lucas ait, quòd in præsepio positus esset? quia scilicet cum fuisset enixa, ibi eum continuo reclinauit. Erat enim valde difficillimum vacantem reperire alicubi domum, propter conuentum ac frequentiam Iudæorum, quos in vnũ eadem tunc descriptionis causa collegerat: quod certè Lucas D euidenter expressit, dicens: (Luc.2.) Et reclinauit eum in præsepio, quia nõ erat ei locus in diuersorio. Postea vero eum sustulit, & in suo gremio collocauit. Siquidem vt Bethlehem ingressa est, partũ celeriter absoluit: vt hinc quoque totam dispẽsationem agnosceres: quia scilicet non fortuitu ista, nec simpliciter acciderunt, sed secundùm prouidentiam Dei, & prophetiæ consequentiã vniuersa completa sunt. Verum quid illud est quod Magis puerum adorare persuaserit? Nã neque virgo ipsa erat nobilis, nec domus in qua habitabat, illustris, nec quicquam ex his omnibus quæ videbantur, eiusmodi erat quod Magis admirationem faceret, eósque ad puerum alliceret adorandum. At verò illi non modo adorant, sed etiam apertis thesauris suis offerunt munera, & munera certè Deo quàm homine digniora. Thus siquidem & myrrha ipsi potissimum congruebant. Quidnam igitur illud est, quod eis & domo & patria relicta, tanti itineris spatia transire persuaserit? Quod proculdubio fecit, & stella quam viderant, & à Deo donata lux, quæ illorum mentibus quasi aliud quoddam sydus effulserat, eósque paulatim ad perfectiorem scientiam prouehebat. Cùm enim essent cuncta alia vilia, nisi istud eorum animos incitasset, nunquam profectò tantum illi honoris paruulo detulissent. Idcirco nihil ibi de sensibilibus istis grande conspicitur, sed angustum tugurium, ac vile præsepium, & inops mater, vt melius nuda Magorum philosophia claresceret: & vt discas quia non tanquam homini tantum, sed etiam tanquam Deo auctori omnium supplicarint bonorum. propterea nullo eorum quæ extrinsecus videbantur offensi sunt, sed & puerum fideliter adorabant, & mu- B nera suppliciter offerebant, quæ tamen plurimum & à Iudæorum ruditate distarent, & ecclesiasticæ philosophiæ conuenirent. Siquidem scientiam isti & obedientiam & charitatem figuraliter offerebant: non oues, non vitulos. *Responso autem accepto*, inquit, *in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.* Considera igitur etiam hoc loco admirabilem Magorum fidem, qui in nullum hinc scandalum commouentur: sed ad cuncta acta obedientes permanent, atque flexibiles, nihílque omnino turbantur, neque ipsi secum disputant, dicentes: Si magnum quiddam esset hic puer, & potentiæ aliquid obtineret, nobis adoratoribus eius quid opus esset fuga, occultúsque discessus? Cur enim nos qui palam ac libere venimus, nec tanti populi fragorem, nec tyranni furorem pauentes, quasi exules quosdam atque fugitiuos Angelus ciuitate propellit? Verum nihil omnino tale vel ore proferunt, vel mente concipiunt. Hoc est enim fidei insi- C gne, vt absque controuersia vlla obediant imperanti, nec vllam rationem exposcant imperij. *Qui cùm discessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in AEgyptum.* Dignum esse hoc loco iudico, trepidationem quandam mentis fateri, & dubitare de Magis, pariter ac puero. Etsi enim illi turbati nõ sunt, sed fideliter omnia susceperunt, nos tamen scrutari dignum est, cur non & Magi præsentes saluentur, & puer: sed illi quidem in Persidem reuertantur, hic autem cum matre in Ægyptum transfugiat: cùm multò potius fuisse videatur in manus eum Herodis incidere: nec tamen cùm incidisset interfici, sed claro prorsus diuinitatis auxilio vindicari. Verum hoc modo rebus impletis, creditum non fuisset verè illum suscepisse carnem, tantíque hodie mysterij Sacramenta nutarent. Si enim etiam cùm ista facta sint, & plurima iuxta humanæ naturæ dispensata rationem: aliqui tamen ausi sunt dicere, quòd fabula D quædam fuerit carnis assumptio: in quæ non illi impietatis prærupta recidissent, si omnia iuxta quod Deo dignum est, & iuxta propriæ virtutis potentiam egisset? Magos verò celeriter emittit, simul & Persarum regioni mittens magistros, & inefficacem reddens furorem tyranni: vt discat se impossibilia moliri, & conceptam extinguat iram, séque ab studio vani laboris abducat. Est autem diuinitatis virtute dignum, non modo apertè conterere inimicos, verumetiam cum omni illos facilitate decipere. Sic enim & Ægyptios populi sui vtilitate seduxit: cúmque palam in Iudæorum manus illorum posset transferre diuitias, occultè hoc magis fieri, ac decipiendo præcepit: quod certè illum apud inimicos non minus fecit quàm alia signa terribilem,

Denique Ascalonitæ omnésque per circuitum alienigenæ, quando arcam Dei ceperunt, percussíque plaga, suaserunt ciuibus suis ne aduersus Dei repugnarent manum: cum cæteris mirabilibus hoc quoque in medium protulerunt, dicentes: Quare grauatis corda vestra, sicut grauauit Ægyptus & Pharao cor suum? Nónne postquam *illusit eis, dimiserunt populum suum, & abiit?] Hæc verò dicebant, cùm ad documentum virtutis Dei signis manifestius factis, nequaquam istud esse inferius iudicarent. Id igitur etiam in præsenti causa factum est, quod certè facilè posset tyrāno incutere terrorem. Itaque considera quænam Herodem pati probabile fuerit: qui certè suffocari etiam præ indignationis magnitudine potuit, cùm se ita illusum atque irrisum doleret. Quòd si non est hinc melior effectus, non Deus qui ista dispensauit, in culpa est, sed nimia liuentis insania: qui ne his quidem cessit, quæ vtique consolari, & à tanta eum abducere malignitate potuerunt. Sed alio rursus aditu ac malignitate in vlteriora processit, vt multo grauiorem stultitiæ suæ reciperet vltionem. Et cuius tandem, inquies, rei gratia in Ægyptum paruulus mittitur? Prima quidem illa causa est, quam Euangelista signauit, vt impleretur, inquit, quod scriptum est: *Ex AEgypto vocaui filium meum*. Simul etiam toti orbi denunciantur optimæ spei in posterum procœmia. Quia enim Babylon atque Ægyptus præ omnibus terris flamma impietatis ardebant, & ab ipsis statim principiis ostendit, quòd vtramque emendaturus esset, & igne potius fidei succensurus, ex his vtique persuadens etiam de aliis mundi partibus speranda esse meliora. Nam Persidi quidem Magos remittit, ipse verò cum matre in Ægyptum descendit. Supra verò ista quæ diximus, etiam hinc aliquid aliud addiscitur, quod certè non parum ad philosophiam pertinere doceatur. Quid verò istud est? quòd ab ipsis videlicet vitæ initiis, ad tentationes debeamus atque insidias præparari. Cerne igitur ab ipsis omnino incunabulis Christi istud effectum. Nam statim vt ortus est, contra eum tyrannus furit, & ipse in Ægyptum fugit, & extra solum natale deportatur, & mater innoxia in regionem Barbarorum fugatur: vt tu videlicet hæc audiens, cùm dignus fueris spiritualis alicuius negotij minister effici, & videris te tribulationes varias, & mille sustinere discrimina, nihil omnino turberis, neque tecū ratiocineris, ac dicas: Quídnam istud est quod mihi infertur immeritò? Cui certè laus potius, & corona congruit: quíque esse deberem clarus ac nobilis, vtpote dominica præcepta perficiens. Sed vt isto munitus exemplo viriliter cuncta sustineas, sciens tribulationes maximas & inseparabiles quasdam comites esse virtutum. Perspice igitur istud non tantum in matre pueri, verumetiam in illis Barbaris fuisse completum. Nam & illi exulum more clàm fugiunt: & ista quæ nunquam domum suam fuerat egressa, tam ærumnosum conficere iter iubetur, propter partum illum mirabilem, ac spiritales parturigines. Sed cōsidera rem prorsus nouam, atque mirificam. Palæstina insidiatur, Ægyptus recipit ac seruat eum cui tenduntur insidiæ. Non solum quippe in filiis Patriarchæ, verumetiam in ipso Domino præcesserūt secutorum figuræ. Siquidem multa etiam quæ in ipso tunc facta sunt, præcinebant ea quæ postea erant futura. Quod in asina quoque & pullo eius impletum est. Apparuit igitur non Angelus Mariæ, sed Ioseph loquens: & quid ait? *Surge & accipe puerum & matrem eius.* Hic iam non dicit coniugem tuam: sed matrem eius: quia absoluto partu, etiam explosa suspicio est, & absque vlla ambiguitate vir credidit, liberè iam & apertè Angelus disserit, neque filium neque coniugem eius appellans: sed puerum, inquit, ac-

1.Reg 6.
*illusit: sic est apud Sep. interpretes, quos hic sequitur. *tunc dimisit, populum suum, & abierunt?)
Osee 11.

A cipe, & matrem eius, & fuge in Ægyptum. Causam quoque iungit fugæ, *Futurum est enim*, inquit, *vt Herodes quærat animam pueri.* Quæ cùm audisset Ioseph, nequaquam passus est scandalum: neque dixit, Incerta ista res est, ac prorsus ambigua. tu paulo ante dicebas quia saluabit populum suum, & nunc seipsum quidem non potest de periculis liberare. Sed fuga nobis necessaria, & peregrinatio ac transmigratio longinqua. contraria omnino sunt facta promissis. Sed horum nihil prorsus opponit. Vir enim erat fidelis, neque curiosè reuersionis tempus inquirit, quod vtique ab Angelo non signate fuerat expressum. *Sed esto ibi*, inquit, *vsquequo dicam tibi.* Verùm ille nec per ista quidem factus est segnior, sed obediuit libenter, & credidit, omnes prorsus tribulationes cum gaudio sustinendo. Enimuerò misericors Deus mœstis rebus quædam etiam iucunda permiscuit. Quod certè in sanctis omnibus facit, quos neque tribulationes neque iucunditates sinit
B habere continuas, sed tum de aduersis, tum ex prosperis iustorum vitam quasi admirabili varietate contexuit, quod hìc quoque eum fecisse considera. Videndo quippe sanctus Ioseph grauidam sponsam, in conturbationem incidit maximam, atque in horribilem quendam cogitationis tumultum. Iugis enim illum de puella adulterij suspicio mordebat: sed affuit repentè Angelus suspicionem soluens malignam, & timorem hunc prorsus extinguens: deinde videns puerum natum, maxima exultatione repletus est: sed rursus huic etiam gaudio periculum grande successit, cùm tota vtique ciuitas turbaretur, ipse rex fureret, & ad necem puerum quæreret: sed & hunc tumultum alia rursus lætitia subsecuta est, apparitio videlicet stellæ, & adoratio Magorum. Post hanc quoque iucunditatem iterum periculum, iterúmque formido. Quærit, inquit, Herodes animam pueri: & fugere necesse est, & in longinqua transire hominis instar. Nondum quippe opportunum
C erat, vt signorum miracula coruscarent. Si enim à prima prorsus infantia mirabilia monstrasset, homo proculdubio creditus non fuisset. Idcirco namque non simpliciter templum formatur, sed & tumor vteri cernitur, & nouem mensium tempus voluitur, & ipse partus absoluitur, & nato nutrimentum lactis adhibetur: pérque aliquot annos silentio res tanta celatur, & virilis expectatur ætas, vt per hæc omnia credibile efficiatur suscepti hominis sacramentum. Qua igitur ex causa hæc edita sunt signa, inquis, statim ab initio? propter matrem, propter Ioseph, propter Symeonem iam iámque moriturum, propter pastores, propter Magos, propter ipsos quoque Iudæos. Si quidem voluissent ea quæ fiebant diligenter expendere, non paruum inde ad illa quæ secutura erant, habuissent profectum. Quod si nihil Prophetæ de Magis loquuntur, nequaquam omnino turberis: nam neque omnia prædixerunt Prophetæ, nec cuncta siluerunt. Quemadmodum enim si
D vidissent homines facta quæ nunquam audissent futura, & conturbationis plurimum & stuporis habuissent: ita rursus si cuncta omnino antè didicissent, auditores inde negligentes ac securi facti fuissent, nec quicquam nouum Euangelistis fuisset relictum. Si verò de prophetia Iudæi ambigerent, dicentes: *Ex AEgypto vocaui filium meum*: de se dictum potius quàm de Christo esse prædictum: Respondebimus profectò esse hunc quoque prophetiæ morem, vt multa sæpe de aliis dicantur quidem, sed in aliis impleantur: vt illud quod de Symeone & Leui dicitur: Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israël. Hoc enim non in ipsis, sed in eis etiam factum est, qui de illorum stirpe processerunt. Et quod in Chanaan à Noë dictum est, in Gabaonitis

Gen.49.
Genes.9.

Gabaonitis posteris eius impletur. De Iacob quoque similiter intelligitur accidisse: siquidem benedictio illa quæ dicit, Esto dominus fratrum tuorum, & adorent te filij patris tui: non in ipso habuit effectum. Quemadmodum enim id possit intelligi, cùm econtrario iste timuerit fratrem, atque tremuerit, eúmque millies adorarit? sed vtique in eis qui ex eius stirpe descenderunt. Hoc igitur etiam in præsenti potest quæstione defendi. Quis enim magis ac propriè Dei filius esse dicitur? Ille ne populus qui adorabat vitulum, qui Beelphegor initiabatur, quíque filios suos dæmoniis immolabat: an verò Dominus Iesus Christus, qui natura filius Dei est, & toto patrem honore veneratur? Itaque nisi aduenisset iste, nequaquam prophetia dignū finem habere potuisset. Considera igitur quemadmodum istud ipse Euangelista designet, dicendo: *Vt impleretur.* Ostēdit enim quoniam nisi venisset iste, non vtique fuisset impletum. Quod quidem ipsum beatam virginem non mediocriter claram facit ac nobilem: quæ id habuit quod toti illi erat populo gloriosum, qui superbius se atque insolentius efferebant, quòd deducente Deo de Ægypto fuissent reuersi, ídque ad gloriam suam sæpe iactabant. Hoc enim etiam Propheta denotans ait: Nónne alienigenas adduxi de Cappadocia, & Syros ex fouea? Fecit etiam virginis hunc esse primatum. Quinimmo & populus & Patriarcha cùm descenderent in Ægyptum, & inde rursus ascenderent, istius reuersionis signabant figuram. Nam & illi fugiendo mortem, quam comminabatur fames, descēderunt in Ægyptum: & hic mortem fugit, quæ per insidias imminebat. Sed illi quidem à fame quæ tunc acciderat, liberati sunt: hic verò etiam descendens in Ægyptum, omnem illam regionem suo sanctificauit ingressu. Diligenter verò perpende, quemadmodum cum humanitatis humilibus, diuinitatis excelsa clarescant. Nam cùm dixit Angelus, *Fuge in AEgyptum*: nequaquam se socium itineris futurum esse pollicitus est, neque illuc scilicet euntibus, neque redeuntibus: proculdubio designans maximo ipsius propter quem fugiebant paruuli, esse munitos comitatu, qui vbi certè primum paruit, in melius cuncta conuertit, effecítque vt hostes multum huic œconomiæ inseruirent. Nam & Magi illi, & Barbari superstitionem patriam relinquentes, ad verum Dominum veniunt adorandum: & Augustus ipse futuro in Bethlehem partui per descriptionis seruit imperium, & Ægyptus suscipit ac tuetur insidias fugientem tyranni.† Namque tactu ipso Domini gustum quendam sanctificationis adipiscitur:] vt cùm illum audierit ab Apostolis prædicari, huius quasi priuilegij honore decoretur, quòd Dominum prima susceperit. Et certè solius hic Palæstinę videbatur esse primatus: sed facta est postea ista feruentior. Denique si quis nunc ad Ægypti veniat solitudines, paradiso quouis omnem illam videbit eremum digniorem, & innumerabiles angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus, & populos martyrum, & choros virginum: & omnem quidem tyrannidem diaboli dissolutā, Christi autem regnum coruscans, & illam poëtarum & Magorum quondam ac philosophorum parentem, & cuiusque generis imposturarum repertricem, quæque etiam cęteris propria inuenta tradiderat, videbit modo piscatorum magisterio gloriantem, & contemptis omnibus iam illis repudiatísque, publicanum vbique ac sutorem pellium circumferentem, atque ad maximam fidei gloriam crucem Domini præferentem. Et hæc omnia bona non in vrbibus solum, sed etiam in desertis magis florent locis quàm in ipsis vrbibus. Est enim cernere tota illa regione diffusum exercitum Christi, & admirabilem illum regium gregem, virtutúmque cœ-

Iosue 9. & seq. Gen.27. Ibid.9. & Gen.28. & 33.
Exod. 32. & seq. Psalm.105.
Amos 9.
Gen.46. & seq.
& ansam aliquam nancisci tur ineundæ cum eo familiaritatis.

A lestium conuersationem in terris micantem. Atque hec non in viris solùm, verumetiam in fœminis splendere conspicias. Nam illæ quoque non minori quàm viri virtute decorantur: non clypeo arrepto in equum insilire callentes, vt honestissimi illi, ac sapientissimi gentilium iubent magistri: sed multò certè vehementius bellum gerentes. Communis enim illis ac viris aduersus diabolum pugna est, contráque huius mundi potestates, nec vspiam teneritudo sexus his congressibus impares facit. Non enim natura corpóris, sed voluntate animi exercentur ista certamina. Propterea sæpe in huiusmodi acie fortius viris fœminæ decertarunt, ac trophæis insignibus claruerunt. Non ita variis astrorum choris cœlum refulget, vt Ægypti eremus innumeris monachorum ac virginum distinguitur atque illustratur habitaculis. Si quis illam Ægyptum veterem nouit rebellem Deo, ac magnitudine superstitionum furentem, † adorantem irrationales animantes,] porros
B etiam cepásque pauitantem: hic optime Christi potest nosse virtutem, per quem facta est tam admiranda mutatio. Nec sanè antiquis testib⁹ indigemus: adhuc enim stultissimæ illius gentis reliquiæ manent in testimonium prioris amentiæ. Sed tamen isti qui olim cuncti ad tantam insaniam præcipites ferebantur, de cœlo, & his quæ in cœlo sunt philosophantur, & patriis moribus obloquuntur, & progenitores suos sæpe miserantur, & philosophos nihili pendunt. Ipsis enim rerum vocibus eruditi sunt, quòd illorum inuenta verba sint anilium fabularum: veram autem, cœlóque dignam hanc solam esse philosophiam, quæ illis à piscatoribus prædicata est. Propterea cum hac dogmatum veritate, plurimo etiam studio virtutis ornantur: cunctis quippe præsentibus rebus exuti, mundóque crucifixi, nihilominus ad perfectionis vlteriora contendunt: proprij siquidem opera corporis ad indigentium vtuntur alimoniam. Neque enim quia ieiunant, aut vigilant, idcirco otium
C sibi indulgent diurnum: sed noctes quidem sacris hymnis, ac vigiliis: dies verò orationibus, manuúmque operibus exercent, apostolicæ cursum virtutis imitantes. Si enim ille, inquiunt, toto penè ad ipsum respiciente mundo, vt inopes pasceret, & opificem professus est, & vsum pristinæ artis exercuit, ídque faciens ne nocturno quidem sopori indulsit: quanto nos magis qui secreto eremi fruimur, ac nihil cum strepitu vrbis habemus commune, vacatione quietis huius ad spiritualem vti decet operam? Erubescant hoc loco locupletes omnes, † sed in ipsis diuitiis pauperes:] quando illi quidem nihil præter corpus proprium possidentes, vim quandam manibus suis afferunt, adnitentes omnino atque certantes fructus hinc egentibus inuenire. Nos verò cùm plurimum opum occultemus interius, ad misericordiæ opera nec de superfluis aliquid attingimus. Quam igitur [responde quæso] excusationem poterimus inuenire? quam veniam? Et certe considera, quòd
D isti aliquando pecuniæ fuerint amatores, quinetiam cum cæteris vitiis ventris imperio seruientes: ibi enim erant ollæ carnium, quarum Iudæi in eremo recordantur: ibi multa tyrannis ventris & gutturis: sed tamen quia voluerunt, in contrarium repentè mutati sunt, & Christi suscipientes ignem, in cœlum subitò subuolarunt. Quíque prius ad iracundiam ardentiores omnibus fuerunt & ad libidinem corporis proniores, nunc incorporeas potestates temperantia cæterísque speciebus virtutum imitantur. Quisquis regionis illius gnarus est, ista quæ dicimus recognoscit. Si verò habitacula illa nondum nouit, consideret virum per cunctorum vsque hodie ora volitantem, quem Apostolis proximum Ægyptus protulit, beatum dico & magnum

illam felium seruam.)
atque etiā pauperes.)
Exod.16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

illum, de quo sæpe audistis, Antonium: & respiciat quòd hic quoque illius fuerit regionis indigena, cuius etiam Pharao, sed nihil sit inde vitiatus. Nam & visione Dei dignus est habitus, & talem vitam prorsus ostendit, qualem leges Christi requirunt. Hoc autem facilè cognouerit, quisquis cum legerit librum, qui vitæ eius texit historiam, in quo etiam prophetiam lucentem videbit. De his enim quos Arriana pestis inuasit, manifestissimè prophetauit: quantáque ecclesiis labes ab illis immineret, docuit, Deo vtique reuelante hæc, & cuncta ante oculos eius figura pingente. Quod certè vel præcipuum catholicæ fidei documentum est, nullum videlicet hæreticorum talem posse monstrari. Sed ne à me hæc audire videamini, ipsum potius librum legentes diligentius cuncta discetis, vt maxima inde philosophiæ incitamenta capiatis. Obsecro autem, vt non solum meditemur scripta illa, sed ea quoque quæ exprimuntur, imitemur: neque vel locum, vel educationem, vel maiorum nostrorum vitia prætexamus. Si enim nos ipsos diligentius voluerimus excolere, nihil nos horum prorsus impediet. Siquidem & sanctus Abraham habuit patrem impium, neque tamen illius hæres impietatis effectus est. Et Ezechias prophaniissimi Achaz filius fuit, sed Dei amicus esse promeruit. Et Ioseph in media tum seruiuit Ægypto, sed gloriosam sibi texuit castitatis coronam. In medio quoque Babyloniæ tres pueri in media quoque Chaldæorum domo inter illos deliciarum varios apparatus, in summa tamen arce philosophiæ constiterunt. & Moses in Ægypto, & Paulus in toto orbe terrarum: nec tamen his omnibus quicquam horum impedimento. fuit quo minus cursum virtutis implerent. Et nos igitur cuncta hæc exempla cernentes, superflua quidem figmenta, & varias peccandi occasiones penitus amputemus, eúmque quo virtus paratur, amplectamur laborem. Sic enim & Deum ad maiorem in nos beneuolentiam prouocabimus, & merebimur vt nobis in spirituali certamine cooperetur, atque ita bonis potiemur æternis: quæ omnes nos percipere contingat, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium cum Patre & sancto Spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

Homilia nona ex capite secundo.

GEORGIO TRAPEZONTIO INTERPRETE.

TVNC *Herodes videns quoniam illusus esset à magis, iratus est valde: & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu, & infrà, secundum tempus quod exquisierat à Magis.* Et certè non eum oportuerat irasci, sed comprimi potius, ac timere, atque intelligere quòd rem stultam conaretur, sed coërceri omnino nequit animus praua semel voluntate vitiatus, iámque immedicabiliter ægrotans, neque cedit magis quamlibet à Deo remediis indultis. Considera igitur istum prioribus malis addere posteriora certantem, & homicidia homicidiis iungentem, pérque omnia velut furibundum in præcipitia labentem: quasi enim ab aliquo dæmonum, ira, iracundia, inuidiáque vexatus, nulla prorsus ratione frænatur: sed contra ipsam omnino furit naturam: & iram qua aduersus Magorum illusionem fremebat, in paruulos vertit innocuos: tale quiddam in Palæstina facere aggressus, quale Pharao in Ægypto perpetrarat. *Mittens enim,* inquit, *interfecit omnes pueros in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu, & infra secundum tempus quod exquisierat à Magis.* Hic iam vos diligenter attendite. etenim multi multa super huiusmodi infantibus nugantur, iniuriam facti criminãtes: & alij modestius quidem scisciari malunt: alij verò confidentius certant, immo furiosius. Vt igitur hos quidem ab insania, illos autem ab imperitia liberemus, patimini nos de hac causa vel breuiter disputare. Si enim illud criminari volunt, quoniam despecti sunt à Deo paruuli, cùm iussu occiderentur tyranni: criminentur etiam illorum militum necem, qui traditum sibi Petrum aliquãdo custodiebãt. Sicut enim hîc fugiente puero Iesu, alij paruuli pro illo qui solus quærebatur, intereunt: sic etiam tũc Petrum de catenis, & carcere ab angelo liberatum, tyrannus quidem, huic (de quo loquimur) & opere similis & nomine, cùm requisisset, nec tamẽ inuenire potuisset, pro illo eos à quibus custodiebatur, milites interemit. Et quid hoc, inquies, spectat ad causam? hæc enim non est solutio, sed geminatio quæstionis. Et ego id quidem noui, propterèáque omnia eiusmodi profero, vt vno absoluam cuncta compendio. Quónam ergo modo ista soluẽda sunt, quámve poterimus probabilem proferre rationem? quoniam non quidem Christi fuga paruulis causa mortis extitit, sed crudelitas regis. Sicut etiam illis militibus nõ Petri liberatio causa interitus fuit, sed Herodis profectò vecordia: qui si vidisset parietem carceris temerè perfossum, feras violenter reuulsas, habuisset colorem, quo vel dolum vel desidiam custodientibus Apostolorum militibus imputaret. Cùm verò integra, atque ita vt fuerant omnia permanerent, cùm clausa ostia cernerentur, cùm & custodum manus eadem catena cõstringeret (erant quippe ipsi Petro colligati) potuit ex his facilè coniicere, si iustè id quod acciderat iudicasset, quia neque virtute, neque calliditate hominum id fuisset effectum, sed diuina proculdubio potentia, atque mirifica: ex quo illud quoque fuisset secutum, vt non iniquè vindicaret in milites, sed Deum qui id egerat, supplicter adoraret. Sic enim fecit cuncta quæ fecit, vt nõ modo custodes in periculum non induceret: verumetiam per illos regem ipsum in viã veritatis adduceret. Si verò ille sapientissimo animarum medico, & ad commodum hominum cuncta facienti esse voluit ingratus? inobedientia languentis in culpa est, non peritia curantis. Quod in puerorum quoque causa dici consequentissimè potest. Quo enim Herodes sæuissime colore rationis iratus es, cùm te à Magis illusum videres? Nõ cognoueras ortum illum esse diuinum? Non tu principes conuocaueras sacerdotum? non ipse cõgregaueras scribas? Non etiam illi qui à te fuerant conuocati, Prophetam secum in iudicium illius concilij protulerunt, qui olim ista prædixerat? Non intellexisti noua veteribus consonare? Non audisti quoniam Magos stella deduxerit? Cur non erubuisti tã laudabile studium Barbarorum? Cur non libertatem illorum fiduciámque miratus es? Cur non es reueritus Prophetæ veritatem? Cur non ex præcedentibus etiam extrema pensitasti? Cur non ex his omnibus collegisti, nequaquam Magorum illusioni deputandum esse quod factũ est: sed diuinæ vtique virtuti, prouidè omnia atque vtiliter ordinãti? Quòd si esses etiã Magorum fraude deceptus, quid hoc præiudicaret innocuis? His, inquit, assentior. Bene enim Herodẽ omni excusatione nudasti, & ostendisti sceleratissimũ prorsus homicidã, nondũ tamẽ soluisti de iniquitate ipsi' facti quæstionẽ. Et si enim ille egit iniustè, cur tamẽ Deus agi ista permisit? Quid igitur ad huiusmodi obiecta respondeã? Illud profectò quod semper & in Ecclesia, & in domo, & in publico, & omnino vbique inculcare nõ desino, quódque à vobis summa cum diligẽtia cupio seruari. Stat enim certa illa, fixáque regula, & vna contra omnes huiuscemodi aptissima ac validissima quæstiones. Quænam igitur hęc regula est? quæve ratio?

† Quòd

Quòd videlicet multi sint qui iniuriam inferant: at qui iniuriam patiatur, ne vnus quidem est.)

† Quòd videlicet qui lædere velint, multi sint: qui verò ab alio lædatur, omnino nullus.] Et ne in longum vos sententiæ huius cõturbet ambiguum, rem celeriter absoluam. Quicquid illud à quolibet hominum passi fuerimus iniustè: aut remissione peccatorũ Deus, aut amplioris mercedis retributione compensat. Atque vt lucidius incipiat esse quod dixi, orationem iuuemus exemplis. Ponamus enim aliquem seruum multarum pecuniarum proprio esse Domino debitorem, vim quoque perpeti ab iniquis hominibus hunc seruum, & quędam eorum quæ habebat amittere. si igitur Dominus volens coërcere raptorem, atque violentum, non quidem seruo restituat erepta, sed tamen cuncta quæ perdidit, sibi illa computaret reddidisse: putásne læsus est seruus? Nequaquam. Quid verò si receperit plura quàm perdiderit, nónne etiam lucra damni occasione collegit? Quod certè ab omnibus absque vllo probatur ambiguo. Hoc igitur & in nobis cùm iniustè aliquid patimur, cogitemus: quòd scilicet pro illatis nobis afflictionibus, aut remissionem accipiamus omnium peccatorum: aut si tanta in nobis delicta nõ fuerint, clarioribus honoremur coronis. Audi enim Paulum loquẽtem super eo qui fuerat fornicatus: † Tradidi] inquit, huiusmodi hominem satanæ, in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini Iesu. Quorsum, inquies, dicuntur ista? Nobis enim de illis sermo est læsis, qui ab aliquibus læduntur inimicis, non qui à doctoribus corriguntur. Nullo siquidem, si diligenter inspicias, hæc medio separantur. Etenim in quæstionem vertitur, si pati quippiam mali noxium dicatur esse patienti. Sed vt de eo quod ad id quod quæritur, propius accedit, sermonem faciamus, recordare beati Dauid, qui cùm videret Semei illum amarissimè instantem, eiúsque calamitatibus insultantem, ac mille eum opprobriis obruentem, duces verò militiæ ardere in conuitiatoris interitum: prohibuit, & dixit: Dimitte illum vt maledicat, vt videat Dominus humilitatem meam, & reddat mihi bonum pro maledicto hoc in isto die. In Psalmis quoque canendo dicebat: Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me: & dimitte omnia peccata mea. Lazarus quoque propterea intrauit in requiem, quia patienter innumera huius vitæ aduersa sustinuit. Non igitur læduntur, qui lædi nobis videntur: si modo viriliter illata patiantur. Quinetiam hinc cumulatiora percipiunt, siue corripiantur à Deo, siue à diabolo verberentur. Et quod, inquis, peccatum habebãt paruuli, vt illis opus fuerit ignosci? De his quidem qui fuerunt ætate legitima, ac in multis deliquerunt, rectè hoc dicitur. Qui verò tam immaturum sustinuere finem, quænam peccata iis malis quæ perpessi sunt deleuerunt? Non me audisti paulò ante dicentem, quòd si ea quæ soluãtur peccata non fuerint, erit tamen illic retributio mercedis his qui iniustè aduersa hîc aliqua patiuntur. Quid igitur obfuit in tali causa paruulis interemptis, & ad trãquillissimum tutissimúmque portum celeriter euectis? Quoniam si vixissent, inquis, multis potuerant florere virtutibus. Sed idcirco non exigua est præstanda merces, quoniam in tali causa interitum pertulerunt. Possumus verò illud referre, quòd scilicet non eos permisisset Deus tam celeriter hinc rapi, si eos præclari cuiusdam meriti futuros esse præscisset. Si enim etiam illos qui in summa malignitate victuri sunt, tanta tamen cum patientia sustinet: quanto magis hos non ita siuisset auferri, si eos magnos quosdam præuidisset futuros? Et hi quidem sunt nostri super hac quæstione sermones, imò ne ipsi quidem nostri omnes: sed sunt alij multo his abstrusiores, quos diligenter nouit ille qui cuncta dispensat. Huic igitur comprehensione huius rei certiore commissa, ad sequentia prouehamur, & ex afflictionibus cæterorum fortiter omnia ferenda discamus. Etenim non parua tunc Bethlehem luctus tragœdia comprehendit, cùm passim paruuli ab ipsis matrum raperentur vberibus, & ad crudelem illam mactationem ducerentur. Quòd si adhuc animo paruus es, & infra perfectionem probatæ in aduersis philosophiæ iaces, disce illius qui ista præceperat, finem tyranni, & in hac aliquantulum consolatione respira. Satis enim ille tunc celerem ob tale facinus pœnam recepit, tantóque congruentia sceleri supplicia persoluit. Siquidem vitam istam morte teterrima, & multo hac quam insontibus intulerat, miserabiliore finiuit: maláque alia mille sustinuit, quæ facilè nostis, quotquot Iosephi super his legistis historiam. Quam ego, ne in longum verba producerem, néve continuum textum expositionis inciderem, superfluum duxi præsenti inserere sermoni. *Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam, dicentem: Vox in Rhama audita est, ploratus, & vlulatus multus. Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.* Admirabilis consequentia: quia verò auditorem magnitudine horroris impleuerat, cùm vtique violẽtam illam iniquam atque crudelem descripsisset mactationem: rursus eum consolatur, & dicit quòd non idcirco illa facta sint, quia ea Deus prohibere nequiuerit, aut futura non viderit: sed quæ certè & præscierit, & per Prophetam longè antè prædixerit. Nequaquam igitur turberis, & concidas, ad ineffabilem prouidentiam eius prospiciens: quam & per illa quæ operatur ipse, & per ista quæ ab aliis fieri sinit, perspicuè possumus intueri. Quod igitur Dominus discipulis loquens ait, hic etiam coaptandum est. Quibus quoniam condemnationes, captiuitates, & totius orbis oppugnationes, internecináque prælia præcinebat, releuans eos & consolans, ait: Nónne duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadet in terram sine Patre vestro qui in cœlis est? Hæc verò dixit ostendens quia nihil fieret eo nesciente, sed spectãte quidem cuncta, non tamen cuncta faciente, ac si diceret: Nihil omnino turbemini, néve paueatis: ille enim qui & præuidet ista omnia, quæ & sustinetis, & potest profectò prohibere, vobis vtique prospiciens, curámque vestri gerens, non prohibet: quod in nostris quoque tentationibus cogitare oportet: & satis hinc, idoneam consolationem poterimus accipere. Et quid, inquis, etiam Racheli cum Bethlehem commune dicit? *Rachel*, inquit, *plorans filios suos.* Quid autem Rhama pertinet ad Rachel? Rachel mater fuit Benjamin, quam defunctam sepelierunt in Hippodromo, qui est iuxta Bethlehem. Quia igitur & sepulchrum vicinum erat, & campus ipse in Benjamin sorte contigerat, Rhama quoque ad eandem pertinebat tribum, & à principe tribus, & ab ipso sepulchri loco consequenter eos qui occisi sunt, filios eius vocauit. Deinde ostendens vulnus illud infixum incurabile esse & acerbum, ait: *Et noluit consolari, quia non sunt.* Rursus etiã hinc discimus, quod paulò antè dicebam, nunquam nos debere omnino turbari, cùm accidunt aliqua quæ promissionibus Dei aduersari videantur. Ecce enim adueniẽte ipso Domino ad illius populi, imò totius orbis salutem, qualia fuerunt exordia? mater fugit, intolerabilibus patria calamitatibus occupatur, cædes innumeræ, omnibúsque amariores mortibus perpetrantur, ploratus & luctus ingens & eiulatus vbique. Neque est cur conturberis: nam solet per contraria ferè ordinem suæ œconomiæ implere, ingens virtutis suæ hinc nobis exhibens argumentum: sic Apostolos suos induxit atque instruxit, vt res præclaras agerent, contraria contrariis moderans, quò

Universidad de Deusto
Biblioteca

maiori cum admiratione fiant. Cæsi igitur eiectique & A mille tormenta passi Apostoli, victores tandem persecutorum suorum euadunt. *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto, dicens: Surge & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israël.* Non iam dicit, fuge: sed, vade. Videsne rursum tribulationi requiem succedentem, deinde periculum imminere post requiem? Rediens enim externam illam regionem reliquit, & in propriam rursus habitationem reuertitur, & crudelem illum paruulorum interfectorem vidit extinctum. Deinde vbi primum verè patrium solum attigit, iterum priorum discriminum reliquias offendit, filium scilicet tyranni viuentem, atque regnantem. Quónam autem modo in Iudæa regnabat Archelaus, cùm ipsi prouinciæ Pilatus Pontius præsideret? recens adhuc erat Herodis interitus, & necdum regnum illud fuit in multa diuisum: itaque nuper illo defuncto, filius interim pro Herode patre suo tenebat imperium. Nam frater quoque Herodis eodem erat B nomine, propter quod Euangelista signanter addidit, *Pro Herode patre suo.* Quòd si in Iudæam propter Archelaum, inquies, venire metuebat: debuit etiam Galilæam propter Herodem timere. † Sed mutandæ regionis causa iam nulla remanebat, cùm iam res profectò essent quietæ.] Omnis quippe impetus persequentis in Bethlehem eiúsque finibus desæuierat: qua vtique cæde completa, opinabatur Archelaus filius omnia iam peracta, atque in illa multitudine paruulorum, eum quoque qui solus quærebatur extinctum. Alioqui si scisset mortuo patre, non occisum eum quem regem timebat futurum, sollicitior ipse fuisset in reliquum, atque in persequendo paternæ crudelitatis imitator. Venit igitur Ioseph in Nazareth, simul & periculum fugiens, & amori patriæ concedens: quod vt faceret securius, Angeli super ea re responsum accepit, quanquam Lucas non dicat eum illuc ex responsi authoritate venisse, sed quòd more purificationis impleto reuersi C sint in Nazareth. Quidnam igitur dicendum est? quod scilicet Lucas illud tempus profectò describens, quod fuit priusquam in Ægyptum fugarentur, hæc dixerit. Neque enim ante emundationem illuc eos Deus ire iussisset, ne vtique contra legem aliquid videretur admissum: † sed ritum quidem illos purificationis implere, non tamen Nazareth redire præcepit,] ac tum demum in Ægyptum fugere. Deinde cùm illinc redissent, iubet eos Nazareth proficisci: ante hoc verò oraculo admoniti non fuerant vt illuc proficiscerentur, sed illi regionem patriæ diligentes, istud vltro fecerunt. Qui enim in Bethlehem non nisi ob causam descriptionis ascenderant, cùm propè nè standi quidem ibi haberent locum, ea re propter quam illuc ventum fuerat impleta, reuersi sunt Nazareth. Propterea quippe & Angelus cum ipsorum faciens voluntate, in propriam illos domum remittit. Verùm ne istud quidem ociosè factum putemus, quod certè porrò antè prædictum D est: *Vt impleretur*, inquit, *quod dictum est per Prophetas. quoniam Nazaræus vocabitur.* Quis igitur hoc asseruit Prophetarum? Nequaquam scruteris ista, neque in huiusmodi fueris curiosus. Multa enim ex propheticis periere monimentis, quod de historia Paralipomenon probare possibile est. Desides enim cùm essent Iudæi: nec desides modo, sed & impij: alia quidem perdiderunt negligenter, alia verò tum incenderunt, tum conciderunt. Et de prophanitate quidem tali Hieremias refert, de negligentia verò in quarto Regum libro legimus: quoniam post multum temporis vix Deuteronomij sit volumen repertum, defossum quodam in loco, ac penè deletum. Si autem absque vlla incensione templi, absque vllo impugnante ciuitatis tumultu, sacri tamen libri variè deperibant: quis iam istud inter illas depopulationes, vastationésque hostium, inter illa templi ac totius vrbis incendia contigisse miretur? Cæterum quia Prophetæ prædixerant, idcirco etiam Apostoli Nazarenum eum frequenter appellant. Hoc ergo est, inquis, quod prophetiam de Bethlehem fecit obscuram? Nequaquam, immo hoc ipsum illos potius mouebat, & ad perscrutandum ea quæ de illo dicta sunt, concitabat. Sic etiam Nathanaël ad eum inquirendum venit, dicens: A Nazareth potest aliquid boni Ioan. 1. Nazareth viculus.
esse? Erat enim viculus ipse vilissimus: immo non ille tantummodo, sed cuncta prorsus regio Galilææ: propter hoc dicebant Pharisæi: Interroga, & vide, quoniam Propheta à Galilæa non surgit. Verùm ille tamen: ne inde quidem erubescens vocari, ostendit quòd nullius, quæ secundum hominem magna videntur, indiget. Nam & discipulos de Galilææ regione elegit, vbique occasiones amputans desidia ac torpore languentibus: ac docens quòd nullius rei indigeamus externæ, si voluerimus studere virtuti. Propterea ne domum quidem vspiam possedit. Filius, inquit, hominis non habet vbi caput reclinet. Et Herodis insidias fugit, & Luc 9. Luc. 9. & 13.
natus in præsepio collocatur, & in diuersorio manet, & Ibid. 2.
matrem elegit pauperem: nos videlicet erudiens, ne quid horum esse erubescendum putemus. Itaque ab ipsis omnino principiis vniuersam mundi pompam, omnem superbiam atque arrogantiam calcans, solius nos sectatores præcipit esse virtutis. Cur enim tu de nobilitate patriæ tumescas, cùm te ego totius mundi iubeam esse peregrinum? Cúmque talem esse te liceat, vt ad comparationem tui totus hic orbis iudicetur indignus. Vsque adeò enim Christianus ista debet despicere, quæ ne ab ipsis quidem gentilium philosophis alicuius precij iudicantur: sed longè extra bona hominis constituta, & extremi cuiusdam status sortita regionem. Et cur, inquis, Paulus tale quid amplectitur? Secundum Rom. 11.
electionem autem charissimi, inquit, propter patres. Sed require quando, & de quibus, & ad quos loquens hoc Apostolus dixerit. Ad eos nempe hic sermo est, qui ex gentilibus Christiani, de fidei priuilegio magnum quiddam tumebant, contráque Iudæos sese insolentius iactabant atque hoc ipso eos à societate fidei repellebant. Reprimens igitur illorum tumorem, ad fidem istos trahit, atque ad eundem zelum credulitatis accendit. Cæterum quando de magnis loquitur viris, atque in omni virtute fortissimis, quemadmodum loquatur attende. Qui autem, inquit, hæc dicunt, significant se patriam inquirere: & siquidem illius meminissent, de qua exierant, habebant vtique tempus reuertendi: nunc autem alteram meliorem appetunt. Et rursus: Secundum fidem mortui sunt omnes isti, non reportantes promissiones, sed de longè eas aspicientes, & salutantes. Et Ioannes quidem ad se venientibus in- Ibidem.
clamabat: Ne velitis dicere, quia patrem habemus Abraham. & iterum Paulus: Non enim omnes qui ex Luc. 3.
Israël, hi sunt Israëlitæ: neque qui filij carnis, hi filij Rom. 9.
Dei. Quid enim filios Samuëlis necessitudo iuuit patrétis, cuius non fuerunt virtutis hæredes? Quid autem 1. Reg. 8.
etiam Mosi liberis paternæ profuit cura iustitiæ, cuius eis non successit imitatio? Itaque neque ad illos patris imperium quasi ex successione defertur, qui illum vocabulo tantum signabant parentem: sed ad eum reipublicæ administratio migrat, qui illius erat filius virtute, nó genere. E regione verò quid Timotheo nocuisse creditur, quòd fuit de patre gentili? Quid autem è diuerso, Act. 16.
Noë filius, de patris virtute lucratus est, qui ex ingenuo factus est seruus? Vidisti certè quàm non suffecerit

ad præfectu-

imo si solum vertisset, res in posterum caligine & tenebris obducta fuisset.)

sed distulit donec purificaretur & veniret in Nazareth.

4. Reg. 22. & seq.

ad præfecturam liberis, paterna nobilitas. Vitia siquidé A
voluntatis vicerunt priuilegia naturæ: & peccantem nó
modo de nobilitate patris, verum de ipsa libertate etiã
Genes. 25. pepulerunt. Esaü quoque nonne sancti Isaac erat filius,
magno etiam patris fauore munitus, qui scilicet studebat atque cupiebat primatus ei benedictionem donare, propter quod etiam ille omnia patris iussa faciebat: sed tamen quia prauus moribus erat, nihil ex his omnibus adiutus prorsus est: sed & iuxta naturæ ordinem prior, & de patris voluntate securior, quia tamen displicebat Deo, omnia quæ iam tenere videbatur amisit. Et quid ego de hominibus loquor? Iudæi quódam filiorum Dei honore gaudebant, sed decoloratos vitiis nihil iuuit tãta nobilitas. Si igitur Dei quis filius factus, nisi huic generis splendori meritum virtutis addiderit, etiam maius subitò profectò habebit suppliciũ: quid mihi iam auorum atque proauorum memoras dignitates? Hoc autẽ non in veteri solum, sed in nouo etiam testamento contigisse certum est. Quotquot, inquit, receperunt eum, B
Ioan. 1. dedit eis potestatem filios Dei fieri. Sed plurimis tamen ex huiusmodi filiis nihil patrem Paulus profuisse denũciat. Si circũcidamini, inquit, Christus vobis nihil proderit. Quòd si Christus nihil proderit iis qui sibi ipsis
Galat. 5. non attendunt, quo modo homo aliquid conferet? Nequaquam ergo vel ob claritatem generis, vel ob diuitias erigamus cristas, cùm hæc ita se habeant: neque ob paupertatem deiiciamur: sed illam potius expetamus opulentiam, quæ consistit in splendore virtutum. Illam verò paupertatem refugiamus, quæ nos constituit in squa-
Luc. 16. lore vitiorum, per quàm ille dives versus in pauperem est, qui ne vnius quidem erat guttę dominus, quam certè multis precibus ambiebat: nec est omnino inter nos quispiam qui tanta egestate teneatur. Quamlibet enim aliqui nimia tabescant fame, aquæ tamen non gutta solum, sed & copia æqualiter perfruuntur: nec ea solum, sed multo etiam maiore solatio. at non etiam ille dives, qui vsque ad guttæ quoque inopiam singulari egestate C
deuenerat, quódque erat multò acerbius, nullum omnino aliud paupertatis solamen poterat inuenire. Quid igitur tota mente diuitiis inhiamus, quando quidem nos istæ in cœlum euehere non possunt? Responde, quæso, si terrenus fortè rex diceret, non posse diuitum quenquam in ipsius fulgere regno, aut aliquo honore decorari: an non certatim omnes abiicerent inhónoratas repulsásque diuitias? Si igitur apud terrenum regem honorem nobis auferrent opes, continuò despicabiles fierent: rege verò cœlorum quotidie inclamante nobis,
Matt. 19. Marc. 10. ac dicente quòd difficile sit nos cum diuitiis diuinæ illius habitationis intrare vestibulum, non impendimus omnia? An non libentissimè carebimus vniuersis, modo vt cœlorũ regnum liberè ingredi valeamus? Et qua tandem digni venia sumus, qui his nos omni ambitione circundamus, quæ nobis viam eò ducentem intercludunt? At verò nos thesaurum nostrum non solum in arcis recondimus, verumetiam terræ defodimus, D
quum liceat illum cœlorum custodiæ cõcedere? Quod faciẽdo tale quiddam facis, quale si aliquis agricola accipiens frumentum in terra fertili seminãdum, vberem
in fossam frumentũ omne defodiat.) quidem agrum relinquat, † in lacum verò frumentum omne demergat,] vt eo nec ipse potiatur, & frumentum sui corruptione depereat. Sed illa videlicet ab eis mira & prorsus electa ratio proferatur. Quoties enim nos ista culpamus, dicere solent, non parum sibi consolationis afferri, quòd ea videant cum diligentia sibi intus cuncta seruari. Quinimmo non videre sibi ista reposita esse, grande solatium est, & mira securitas. Nam etiam si tu famem non metuas, necessariò tamen propter reconditas tibi opes non solùm solicitudinis anxietate crucia-

ris, sed etiam mala cætera, multóque his grauiora perpeteris, formidãdo mortes, pugnas & insidias, tum ne publica sæuiat fames, & populus vacui ventris impulsu armata manu feratur in tuas ædes: cùm certè ipse tu potius dum hæc facis, & famem in vrbem, & quod est fame grauius, hoc ipsum domui tuæ discrimen importes. Neque enim facilè videas aliquos inopiæ necessitate deficere. Possunt quippe multa variis modis ad hũiusce miseriæ solatium prouideri: propter pecunias verò, atque diuitias, cæterásque huiusmodi causas, plurimos tũ occultè, tum publicè interemptos esse monstrauerim. Et multis quidem talium exemplis malorum, viæ, agri, fora, omniáque iudiciorum loca plena sunt. Quinimmo si respicias mare ipsum, humano sanguine videas cruentari. Non enim in terra tantummodo tyrannis ista dominatur, sed in pelago quoque multa cum insolẽtia temulentiáque bacchata est. Nam hic quidem cõgregandi auri cupidus nauigat, alter verò propter ipsum necatur aurum, & vna atque eadem tyrannis alium mercatorem, alium fecit homicidam. Quid igitur potest ærumnosius amore pecuniæ, vel etiam pernicioſius inueniri, quando propter eam plurimi & peregrinantur, & periclitantur, & sæpe etiam trucidantur? Et quis, inquit, miserebitur incantatoris à serpente percussi? Oportebat Eccles. 12.
enim, vt scientes hanc crudelissimam tyrannidem, procul eius refugerẽt seruitutem, atque à tam inutili & imperioso amore requiescerent. Et quánam, inquis, hoc ratione possibile est? Si scilicet alium, id est cœlestis regni amorẽ intra tuum pectus includeris. Qui enim concupiscit illius regni gloriam, facilè irridebit auariciam. qui semel Christi seruus effectus est, non erit mammonæ famulus: cuius certè è regione fit dominus. Illa enim vt fugientem sequi, ita fugere consueuit sequentem. Nullum sic honorat, vt contemptorem sui: nec ita irridet aliquem, vt eos qui illam nimiè concupiscunt: nec irridet modo, verumetiam vinculis eos mille circunligat. Itaque soluamus aliquando hos pessimos arctissimósque nodos. Quid rationalem animã in famulatum adducimus, irrationalis materiæ omniúmque malorum parentis? Sed ô grande ridiculum! Nos enim illam verbis incessimus, at verò illa nos rebus impugnat, sicut seruos quospiam per orbem nos iugiter inhonorans, & quasi venales per cuncta circunferens. Quo quid turpius possit, quidve indignius inueniri? Si enim insensibiles materias non vincimus, quemadmodum incorporeas possumus superare virtutes? Si vilissimam terram & abiectos lapides minimè despicimus, principatus quoque quo modo nobis potestatésque subdemus? Quemadmodum verò ipsum illud poterimus decus castitatis tenere? Si enim aspectu subito splendor auri etiam nos sui cupiditate succendit, quonam modo possumus pulchram faciem pudico animo ac oculo præterire? Etenim tanto quidem in hanc tyrannidem amore concurrunt, vt eos ipse quoque aspectus auri sæpe perturbet: qui etiam facetum se loqui aliquid arbitrantur, cùm quasi ludendo dicunt, iuuari quoque oculos quoties aureus nummus aspicitur. Sed periculosè, ô homo in talibus ludis: nihil enim perinde & animæ oculis, & corporis, vt huiusmodi cupiditatis morbus incommodat. Hic quippe est amor ille teterrimus, qui lampades stultarum virginum extinxit, eásque à sponsi exclusit Matt. 25.
thalamo. Hæc enim vt dicis, species oculis accommoda, non siuit Iudam Domini vocem exaudire: quinet- Matt. 27.
iam vt cæcum duxit in laqueum, mediumque dirupit, póstque illa omnia ad gehennæ supplicia transmisit. Act. 1.
Quid est hac igitur peste iniquius, quidve perniciosius: nõ dico de materia pecuniarum, sed importuna ista cupiditate hominum atque furiosa? Nam crebrò & pu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gnas ciet, & multo sanguine mortalium madet, omníque fera prorsus immanior incidentes sibi rabido ore dilaniat: quódque his multo est grauius, ne ipsos quidē facit sentire laniatus. Oportebat enim eos qui tam dira patiuntur, & ad prætergredientes quosque tēdere supplices manus, & impensè in auxilium conuocare, qui è diuerso etiam delectantur & gratificantur his morsibus. Quo quid vnquam potest infœlicius quidve furiosius iudicari? Hęc igitur omnia intelligentes, fugiamus morbum hunc omnino lætalem, & venenatissimos auariciæ morsus remedio congruente curemus, & ab hac procul peste fugiamus, vt & hic tutam vitam habeamus atque tranquillam, & thesauros consequamur futuros, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Homilia decima ex cap. III.

IN *diebus illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* De quibus hoc vult intelligi diebus? Neque illud hic videtur tempus notare, quo adhuc Iesus puer Nazareth venisse legitur: nam post triginta ferè annos aduenit Ioannes, sicut Lucas Euangelista significat. Quemadmodum ait igitur, in illis diebus? Mos est scripturarum, & vtique celeberrimus, hoc vti locutionis modo, non solùm cùm ad præteritam narrationem aliud continuò tempus adiungitur: verumetiam cùm illa narrat, quæ post multorū annorum spacia contingunt. Sic denique & Dominus cùm in Oliueti monte resideret, & accedentes ad eum solicitè discipuli de captiuitate Hierusalem, déque ipsius scisciterentur aduentu: (& certè nostis quàm grandi vtrumque hoc tempus medio diuidatur) cùm de vrbis subuersione dixisset, sermonémque de his disputans terminasset, iámque ad dicendum de Mundi fine transiret: tunc, inquit, ista etiam erunt. Dicendo autem, tunc non vtique tempora quæ plurimum à se erant discreta, coniunxit: sed illud tantummodo quo hæc euentura erant tempus notauit: quod etiam nunc facit, dicens: *In diebus illis.* Non enim quasi continuò hæc secutura monstraret, id posuit: sed in illis, inquit, diebus, in quibus certè ista contingerent, ad quæ narranda progreditur. Et cuius, inquies, rei gratia post triginta annos Iesus venit ad baptisma? Legem erat soluturus post istud baptisma. Propterea vsque in hanc ætatem, quæ omnia potest capere peccata, in legis obseruatione permansit, ne quis diceret, ideo eum soluisse legem, quia eam non valuisset implere. Neque enim omnis prorsus ætas cunctis vitiis opportuna est. Nā primos adhuc annos imprudentia, & imbecillitas animi simul obsidet: adolescentiæ verò tempus feruentior impugnat libido: reliquam verò ętatem habendi maximè solicitat cupido. Propterea igitur omnem hanc Christus expectauit ætatem, pérque omne tempus iusticiam legis impleuit: ac tum demum venit ad baptisma, quasi cumulum illud cunctis obseruationibus legis imponēs. Quòd enim hoc postremum fuerit ei ex operibus legalibus, audi quid loquatur: Sic, inquit, decet nos implere omnem iusticiam. Quod dicit, huiusmodi est: Omnia iam legitima compleuimus, nec vllum transgressi sumus aliquando mandatum: vnum adhuc deest solummodo, oportet etiam istud adiungi, sicque à nobis iusticia omnis implebitur. Iusticiam verò hic complementum cunctorum nominat mandatorum. Christum igitur propter eam, quam diximus causam, ad baptisma venisse ex hoc manifestum est. Sed inquirendum videtur, vnde ipsum baptisma, & quamobrem fuerit institutum: quòd enim non à semetipso Ioannes, sed Deo illū mittente ad mysterium istud accesserit, etiam Lucas euidenter ostendit, dicens: Verbum Domini factum est ad Ioannem filium Zachariæ: id est, præceptum Dei. Et ipse ait: Qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit, Luc.3. Super quem videris Spiritum descendētem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Ioan.1. Qua verò de causa ad baptizandi est missus officium? Et hoc nobis idem Baptista declarat, dicens: Ego non noueram ipsum, sed vt manifestaretur Israëli, in hoc veni Ioan.3. in aqua baptizans: & si hæc sola erat causa, quomodo inquit Lucas, quòd venerit in regionem finitimam Iordani prædicans baptisma pœnitentiæ in remissionem peccatorum: quanquam remissionem hoc baptisma nō habebat, sed hoc munus illius baptismatis erat, quod postea Christus instituit. In hoc enim vnà sepulti sumus, & vetus homo noster tunc simul crucifixus est, & ante crucem nusquam prorsus remissio extitit peccatorum. Siquidem vbique ipsius hoc sanguini deputatur, idem enim istud Paulus affirmans: Sed emundati, inquit, estis: sed sanctificati estis, non per baptisma Ioannis, sed in nomine Domini nostri Iesu Christi, & Spiritu Dei nostri. Et alibi ipse dicit: Ioannes quidem prædicauit baptismum pœnitentiæ: & non ait, remissionis: sed vt crederent in aduenientem post eum. Cùm enim nondum pro peccatis mundi hostia fuisset oblata, cùm necdum Spiritus sanctus descendisset, nec peccatum esset solutum, nec inter Dominum atque homines inimicicia sublata, nec maledictio expuncta: quomodo remissio peccatorum facta dicitur? Quid igitur est quod ait, in remissionem peccatorum? Erant omnino Iudæi peruersæ mentis, nec peccatorum suorum mordebantur reatu: sed cùm maximis sceleribus tenerentur obnoxij, audebant sibi tamen arrogare iusticiam. Quod certè præcipuè eos perdidit, & à fidei illos veritate decussit. Hos enim etiam Paulus accusans, ait: Quoniam Rom.10. ignorantes Dei iusticiam, & suam quærentes statuere, iusticiæ Dei non sunt subiecti. Et rursus: Quid ergo dicemus? quòd gentes quæ non sectabantur iusticiam, apprehenderunt iusticiam? Israël autem sectando legem iusticiæ, in legem iusticiæ non peruenit. Quare? quia nō ex fide, sed quasi ex operibus. Hæc igitur causa malorū cùm esset, venit Ioannes, nihil aliud faciens quàm vt illos ad peccatorum suorum cognitionem trahat. Hoc illius etiam habitus ipse ostendit, qui vtique compunctioni ac pœnitentiæ congruebat. Hoc ipsa quoque prædicationis verba eius declarant. Nihil enim aliud aiebat, quàm, Facite fructus dignos pœnitentiæ. Quia Luc.3. igitur propriorum obliuio peccatorū, sicut etiam Paulus ostendit, insolentes eos aduersus Christi dona faciebat: è regione verò delictorum memoria, requirendi liberatoris, & cōsequendæ veniæ desiderium suscitabat: ad hoc Ioannes præparaturus aduenit, suadens eis refugium pœnitentiæ: non vt castigarentur, sed vt humiliores pœnitendo facti, & peccatorum suorum causa sese condemnantes, ad dona remissionis accurrant. Vide igitur, quàm hæc diligenter expresserit: cùm enim dixisset, quia venerit prædicare baptisma pœnitentiæ in deserto Iudææ: intulit, in remissionem peccatorum: quasi diceret, ego illis confiteri peccata sua, & pœnitentiam agere persuasi, non vt castigarentur omnino, sed vt facilius postea remissionis dona susciperent. nisi enim seipsos antè damnassent, neque sanè gratiam requisissent. Non quærentes verò gratiam, neque remissionem profectò assecuti fuissent: ita istud baptisma, alterius, id est Christi baptismatis præparatio est: & idcirco dicebat vt crederent in aduenientem post eum. Præter illam quam diximus, aliam quoque causam baptismatis ponēs. Neque enim dignum erat vt beatus Ioannes singu-

Matt.24. & Marci 13.

nes singulas adiret domos, & quasi apprehensa manu circunduceret Christum, atque in ipsum credendum esse clamaret, ac præsentibus cunctis atque cernentibus beatam illam vocem emitteret, cæteráque cuncta compleret. Propterea igitur venit ad baptisma. Nam & baptizantis fama, & causæ dignitas omnes trahebat, atque ad Iordanem vocabat, & frequentissimum quoddam colligebat theatrum: propterea & aduenientium ad se tumorem reprimit, eisque suadet ne de seipsis magnificè sentiant, ostendens illos extremorum esse reos malorum, atque maximum illis imminere supplicium, nisi agant pœnitentiam, & parētibus derelictis, éaque quam de illis habebant iactantia contempta, toto aduenientem Christum corde suscipiant. Quo adhuc tempore in occulto erat non modo dignitas, verumetiam præsentia ipsa Christi, ita vt à plurimis & mortuus crederetur, recordantibus videlicet eam cædem quæ paruulos in Bethleem depopulata est. Etsi enim duodecimo ostendit se ætatis suæ anno, rursus tamen se celauit, ac texit. Propterea igitur ad manifestandam cognitionem sui, clariore opus habebat & celsiore principio. Et idcirco tunc primum incepit beatus Ioannes ea quæ Iudæi nusquam vel à prophetis vel à quibuscunque aliis audierant, voce clarissima prædicare. Nihil verò iam de terrenis promissionibus loquēs, regnum profectò annuncians instare cœlorum, regnum hoc autem aduentum absque dubio Christi & priorem significat, & secundum. Et quid, dicet aliquis, ad Iudæos? Neque enim quid dicas, intelligunt. Sed propterea, inquit, tectius loquor, vt ipsa permoti obscuritate dictorum, ad inquirendum illum veniant, quem audiunt prædicari: in tantum venientes ad se spebus melioribus erigebat, vt & publicani plurimi & milites quid eos facere oporteret, inquirerent, ac solicitè interrogarent, quemadmodum vitam suam instituere deberent. Quod certè signum euidens erat, eos præsentium rerum curis leuatos, ad celsiora suspicere: iámque fideliter imaginari tum supplicia, tum præmia futurorum. Cuncta quippe quæ audiebant, quæque cernebant ad altiorem eos sapiētiam subleuabant. Considera enim quale tunc fuerit, videre hominem post triginta annorum spacia ab eremi vastitate veniētem, filium certè Pontificis, nullius prorsus ex rebus necessariis indigentem, mirabilem profectò omnibus, & per cuncta reuerendum, quem Esaias quoque testimonij sui authoritate decorabat. Nam & ipse aderat prædicans eum, ac dicens: Hic est quem olim venturum promisi clamantem in eremo voce clarissima, ac prædicantem. Tanta enim gratiæ largitate omnia hæc futura propheticus sermo prædixerat, vt non solum ipsum Dominum, sed etiam ipsum ministrum eius multo antè præcineret: nec illum solummodo prænunciaret, verumetiam locum in quo erat habitaturus: sed & modum prædicationis eius doceret, quantáque per illum morum emendatio esset futura exprimeret. Considera igitur quemadmodum in easdem sententias, & si non eadem omnino verba, conueniant Baptista scilicet & Propheta. Quid enim de Ioanne Esaias ait? Cùm (inquit) aduenerit, clamabit: Parate vias Domini, rectas facite semitas eius. Ipse verò cùm aduenisset, aiebat: Facite fructus dignos pœnitētiæ. Quod vtique tale est, quale si diceret, parate vias Domini. Vides igitur & per illa quæ Propheta prædixerat, & per ista quæ ipse prædicabat Ioannes, vnum idemque monstrari, scilicet & quòd præcursor, & viam Domini paraturus aduenerit: non vt gratiam largiretur, hoc est, non vt remissionem peccatorum daret, sed vt eorū præpararet animas, qui omniū Deum erant recepturi. Lucas verò etiam amplius aliquid adiecit. Neque enim initium solummodo indicasse contentus, omnem de ipso propheticæ ordinem narrationis inseruit. Omnis, inquit, vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt praua in directa, & asperæ in vias planas: & videbit omnis caro salutare Dei. Vidisti certè quemadmodum antè veniens Propheta cuncta prædixerit: videlicet & quantus etiam ad Christum populi concursus, & quanta per Christum in melius rerum esset futura mutatio, † quámque affluēs bonorum cœlestium largitas] quæve horum omnium causa esset bonorum: quamquam hæc ipsa per allegoricam significauerit figuram, quod certè genus loquendi maximè Prophetas decet. Cùm enim dicit: Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt praua in directa, & asperæ in vias planas: ostendit & humiles sublimandos, & è diuerso sublimes humiliandos: ac difficultatem legis, fidei facilitate mutādam. Non iam, inquit, ad iustificationem merendam sudores peccatoribus imminentes & labores: sed gratia omnibus occurrit, ac venia delictorum facillimam viam ad salutem exhibens. Deinde causam quoque ipsam quæ id faceret ostendens: Quoniam, inquit, videbit omnis caro salutare Dei. Non Iudæi iam solummodo, atque proselyti, sed omnes terræ prorsus, ac maria, atque vniuersum humanum genus. Siquidem appellatione prauorum, omnē corruptam vitam vitiosámque signauit: publicanos scilicet, atque meretrices, latrones magósque significans, qui de priori conuersatione prauissimi, rectis in reliquum gressibus occurrerunt. Quod certè etiam Dominus ipse dicebat: Publicani & meretrices Matt.21. præcedent vos in regno Dei, quoniam crediderunt. Idipsum etiam alio sermone Propheta prædixit, ita loquens: Tunc lupi & agni pascentur simul. Sicut enim Esa.65. ibi vallium appellatione, vel collium, inæqualitatem morum vna dixit philosophiæ æqualitate miscendam: ita hîc quoque per irrationalium differentiam, ostendit vitam hominum cultibus moribúsque diuersam, in eādem religionis coituram esse concordiam: hîc quoque causam ipsius societatis adiungens. Ea verò est: Erit enim, inquit, qui consurgit vt princeps sit gentium, & in eum gentes sperabunt. Quod ibi vtique alio sermone signauerat dicendo: Quoniam videbit omnis caro salutare Dei. Illud sursum deorsúmque significans, quòd scientia Euangelij huius, ac singularis potentia toto diffundenda esset orbe terrarum, quæ humanum genus à feris moribus, & lapideis cordibus, ad plurimam mansuetudinem ac teneritudinem mentis repentè conuerteret. *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum suum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos.* Animaduertistis nempe quemadmodum ipsi Prophetæ aliqua prædixerint, aliqua verò Euangelistis dicenda seruauerint. Et idcirco Matthæus & prophetiam posuit, & propria subiunxit: non vtique quasi superfluum esset, atque otiosum putans, si de sancti habitu quoque dixisset. Erat enim omnino mirabile humano in corpore tantam videre tolerantiam. Quod certè Iudæos magis ad credēdum trahebat, cùm in Ioanne magnum illum Heliam cernerent, atque in illius beati recordationem, per istius virtutem redirent: immo multo etiam maiore admiratione caperentur. Siquidem ille in vrbibus ac domibus pascebatur, hic verò ab ipsis incunabulis in eremo semper inhabitauit. Oportebat enim præcursorem illius qui omnia vetera dissoluturus erat, id est maledictionē, mœrorem, dolorem, laborem atque sudorem, aliqua & ipsum muneris huius symbola gestare, & superiorem illa condemnatione esse. Itaque non aratro curuus incubuit, non in sulcos campum scidit, non in sudore faciei suæ panem comedit: sed erat illi impræparata mensa, & tali mensa facilior amictus, & habitatio facilior amictu,

Esa.40.

& prædicationis facilitas & successus.)

Esa.11.

Esa.52.

Esa.40.

Hic, & Lucæ 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Neque enim vel tecto indiguit ille vel lecto, non mensam vel aliqua huiusmodi requisiuit, sed angelica quadam vita mortali in carne resplenduit. Propterea etiam vestimẽtum de pilis camelorum habuit, vt habitu quoque ipso mundi contemptum doceret: suadens cæteris nihil cum terra habere commune, sed ad priorem nobilitatem reuerti, quam certè habuerat Adam priusquã de victu vestitúque curaret. Ita ille tunc habitus pœnitentiæ, pariter & regni indicia præferebat. Neque verò dixeris, & vnde illi cilicinum vestimentum, vnde etiam ipsa zona, qui certè in eremo ipse versabatur? Si enim hinc moueas quæstionem, alia quoque horum similia plura reperies. Quemadmodũ in solitudine hyemes, æstúsque sustinuit, & hoc tenero adhuc corpore, atque ætate puerili. Quemadmodum valuit rudis adhuc natura carnis, tantas inæqualitates aërum cum illa ciborum nouitate, qui à consuetis plurimum differebant, tolerare, vt de reliqua eremi afflictione sileamus. Vbi nũc illi sunt Græcorum philosophi, qui nimis illam inanem, B atque vanam Cynicorum impudentiam pro virtute sectantur? Quæ enim † philosophia,] aliquandiu quidem (vilitas.) inclusum dolio coartari: post hæc verò ingenti luxu, intemperantiáque dissolui: fulgere annulis, prolui phialis, puerorum atque puellarum ministeriis abũdare, multáque alia pompæ vanitate circundari, & sub professione philosophiæ vtraque immoderatione delinquere? At non etiam Ioannes talis apparuit, sed eremum ita ille habitauit, vt cœlum: omnisque veræ philosophiæ virtute decoratus est, & quasi angelus aliquis è cœlo, ita in ciuitates à solitudinis vastitate descendit. Ingens quidem athleta pietatis, ac velut toto spectãte mundo, Dei iudicio coronatus, & cœlestis cuiusdam philosophię dignitate resplendens. Et hoc nondum destructo vtique peccato, necdum lege cessante, aut morte deuicta, nec confractis certè æneis portis: sed vetere adhuc † morte] regnante. Tantum enim valet fortis animus, ac virtutis (πολιτεία viuendi ratione, aut instituto, siue obseruatione.) semper amore flammatus: & vbique obuia sibi impedi- C menta transiliens: sicut etiam Paulus in noui iam testamenti obseruatione faciebat. Et cur, inquis, etiam zona vsus refertur? Mos iste apud antiquos vigebat, priusquam in mollem istum ac fluidum habitum laberentur. Ioan.12. Act.12. Act. 21. sic itaque & Petrus cinctus inuenitur, & Paulus. Virum, inquit, cuius hæc zona est. Helias quoque sic fuit indutus, & quoquot fuerunt sancti homines: quòd scilicet in iugi opere versabantur, siue iter agerent, siue aliud quid necessarij ac properandi laboris arriperent. Nec propter ista tãtummodo, sed vt omnem quoque superbiendi rationem conculcarent, séque ad omnem laborem ipso quoque habitu præpararent. Quod quidem ipse Christus pro maxima prędicat laude virtutis. Quid, Luc.7. inquit, exiistis videre in desertum? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Si verò ille in omni vitæ ratione mundissimus, cœlóque ipso clarior, & prophetis celsior, quo nullus hominum maior fuit, quíque tanta apud D Matt 11. Deum familiaritate gaudebat, ad omnem tamen patientiam durabat laborum, satis altè deliciarum fluxa despiciens, atque ad omnem se vitæ rigorem coartans: quam nos satisfactionem afferre poterimus, qui post tot Christi beneficia, póstque mille nostrorum onera peccatorum, ne minimam quidem partem illius castigationis imitamur: sed comessationibus & potationibus dediti, ac peregino odore fragrantes, nihílque à theatralibus fœminis discrepantes, ac nosmetipsos eneruantes vndique, ac vndique relaxantes, in prædam diaboli præparamur? *Tunc exibat ad eum omnis Iudæa, & Hierosolyma, & omnis regio Iordanis: & baptizabantur ab eo, confitentes peccata sua.* Vidésne quantum præsentia valebat prophetæ? Quemadmodum ad se fecit vndique populos conuolare, quemadmodum illos ad peccatorum suorum cognitionem reduxit: Erat siquidem admiratione dignissimum, tantam in hominis habitu fulgere virtutem, tantámque in illo splendere † constantiæ dignitatem] quem vtique tam ingentem videbant, & aduersus omnem illam multitudinem, quasi cõtra pueros insurgentem, plurimaque vultus gratia coruscantem: cùm id quoque ad cumulum admirationis accederet, quòd multo post tempore apparuisset propheta. Siquidem diu illis iam gratia ista defecerat, póstque longum tempus ad eos fuerat reuersa: ipsum quoque prædicationis genus nouum erat, atque diuersum. Nihil quippe vsitatum annunciabat ac solitum, nulla prelia, nulla certamina, nullas de terreno hoste victorias: non pestes ac Ioseph. antiquit. lib. 18. c. 1. & 2. & lib. 20. cap. 5. Idem lib. 20. antiquit. c. 4. fames, non expugnationes Babylonicas ac Persicas, nõ vrbis captiuitatem, neque eorum omnino quicquam quæ prius audire consueuerant: sed cœlum annunciabat, & illud quod ibi promittitur regnum, atque gehennæ è diuerso supplicium. Propterea, quanquã haud multo antè, omnes qui per solitudines oberrabant rebelles, trucidarentur, tanquam qui Iudæ & Theudæ complices essent, nihilo segniores tamen illi ad hunc concurrebant. Neque enim Ioannes ad tale aliquid illos conuocabat, vt eis tyrannidem dissensionémque suaderet, aut huiusmodi temerarium aliquod & inconsideratum facinus: sed vt auditores ad cœlorum regnũ vocaret scilicet. Ideo neque secum illos retinet, nec per eremum circumducit sequentes: sed baptizans eos, & ad cœlestem erudiens philosophiam, cõtinuò domum remittit: per omnia illos docens cuncta etiam terrena despicere, atque ad præmia regni futurorum bonorum, & in eorum quotidie desiderio concitari. Hunc igitur etiam nos studeamus imitari, & omnem luxuriam ac temulentiam relinquentes, ad frugalem & moderatam vitam nos vndique coartemus. Tempus quidem confessionis æquè & lotis baptismate, & illotis prophanísque incumbit: illis quidem, vt post patentia criminum vulnera pœnitentia interueniente curentur, & ad sacra mysteria redire mereantur: his verò vt ablutis in baptismo maculis, ad dominicam mensam mun- Confessio Eucharistiæ sumptionem præcedat. da iam conscientia accedant. Absistamus igitur ab hac fluida dissolutáque vita. Nequeunt enim omnino, nequeunt aliquando in vnum & confessionis lachrymæ, & corporis conuenire voluptas. Et hæc vos doceat beatus Ioannes & cibo suo, & habitu, & habitaculo. Quid igitur, inquies, ad huius tu vitæ arduum nos imperas coartari? Non impero planè, sed suadeo & hortor: sin verò istud vobis impossibile iudicatis, saltem in vrbibus constituti pœnitentiæ opera monstremus. Etenim iam iudicium assistit in ianuis: quod si adhuc esset procul, nec sic quidem oportebat agere securius: siquidem generalem illum mundi finem vniuscuiusque nostrum vitæ finis imitatur. Quòd verò propè sit, atque in ianuis, audi Paulum monentem: Nox † præcessit] dies autem (processit.) appropinquauit. Et rursus: Adhuc enim modicum aliquantulúmque: qui vẽturus est veniet, & non tardabit. Et signa quidem iam constat impleta, quæ illum diem quodammodo videntur vocare. Et prædicabitur, inquit, hoc Euangelium regni in vniuerso mundo, in te- Matt.24. stimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio. Diligenter considerate quæ dicta sunt. Non dixit: cùm creditum fuerit à cunctis: sed, quum omnibus (inquit) fuerit prædicatum: & propterea subiunxit, in testimonium omnibus gentibus: ostendens non se expectaturum vt omnes prius credant, & ita ipse qui prædixit adueniat. Quod enim ait, in testimonium omnibus gentibus: hoc est dicere, in accusationem & redargutionem

gutionem & condemnationem eorum qui Euangelio A credere noluerunt. Veruntamen nos audientes ista, imò cernentes, altissimo temporis sopore deprimimur, & illudentia nobis phantasmata somniamus, quasi nocte omnino profundissima soporati. Nihil siquidem à somnij vanitate præsentium differt rerũ figura, siue illæ tristes, siue sint prosperæ. Exurgite ergo iam, deprecor: à somno terrimæ istius noctis exurgite, vt possitis solem videre iusticiæ. Nemo enim solem dormiens intuetur, nec radiorum eius decore oculos illuminat: sed cuncta quæ se opinatur videre, figmenta sunt somnij. Propterea quæ maximè indigemus compunctione pœnitentiæ, multarúmque lachrymarum: & ob hoc ipsum, quia cùm peccamus, nullo dolore compungimur: & quia magna peccamus, atque omnino talia quæ modum indulgentiæ videantur excedere: atque hoc nõ esse falsum, testes sunt plures qui audiunt. Agamus tamen pœnitentiam etiam si indulgentiæ modum excedere videantur, & nõ modo venia peccatorum, verumetiam prẹmiorum glo- B ria perfruemur. Pœnitentiam verò dico, non solùm vt à malis prioribus desistamus, verumetiam vt bonorum operum fructibus impleamur. Facite, inquit, fructus dignos pœnitentiæ. Quo autem modo fructificare poterimus? Si vtique peccatis aduersa faciamus: verbi gratia. Aliena rapuisti? incipe donare iam propria. Longo es tempore fornicatus? à legitimo quoque vsu suspendere coniugij, ac perpetuam continentiam sæpius paucorum dierum castitate meditare. Iniuriam vel opere cuiquam, vel sermone feci sti? refer benedictionis verba conuiciis: & percutiẽtes te, nunc officiis, nunc etiam beneficiis placare contẽde. Neque enim vulnerato sufficit ád salutem tantummodo spicula de corpore euellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus. Deliciis antè & temulentia diffluebas? ieiunio & aquæ potu vtrunque compensa, vt † famem superes imminentem.] Vi- (detrimẽtum quod inde accepisti auferas.) disti impudicis alienum decorem oculis? fœminam iam omnino non videas, maiore tactus cautione post vulne- C ra. Declina, inquit, à malo, & fac bonum. & rursus: Pro- Psal.36. Ibid.33. Ibidem. hibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquãtur dolum. Sed doce me etiam bonum facere, qui malum vitare docuisti. Inquire, inquit, pacem, & persequere eam. Non tantum hanc dico pacem, quæ cum hominibus, verumetiam quæ cum Deo est copulanda. Et bene ait, persequere, exagitata est enim vndique, & prorsus explosa, ac terram relinquens in cœlum profecta. Sed tamen possumus eam rursus reuocare si volumus, si vtique iracundiam, superbiam atque iactantiam, omniáque abiicientes impedimenta pacis, modestam hanc vitam purámque sectemur. Nihil est enim ira ac temeritate deterius. Hæc namque est quæ nunc in tyrannicã quandam superbiam animos extollit, nunc eosdem prorsus seruili deiectione commutat: & hinc quidem ridiculos, inde verò reddit odiosos: contrariáque in vnum vitia coniũgit, adulationem arrogantiæ copulando. Quòd si nimietatem circuncidamus iræ: & modestè humiles, & D tutè sublimes esse poterimus. Nam & corporibus nostris intemperantia à superfluitate oritur. Cúmque fines proprios, certámque mensuram ipsa clementa excesserint, nec temperiem seruarint, tunc mille morbi, tunc funera acerba consurgunt: quod & in anima quoque inuenimus accidere. Circuncidamus igitur à nobis intemperantiam, & temperantiæ salutare pharmacum bibentes, in corporis atque animæ sanitate maneamus. Sic enim etiam orationi dignè ac perseueranter poterimus incumbere. Nam etsi nõ cõtinuò accipimus quod rogamus, nihilominus permaneamus petentes, vt mereamur accipere. Neque enim vult Deus sua dona differre: sed tardius dando quod petimus, instantiam no- bis orationis indicit. Propterea & aliquandiu & annuere precantibus differt, & tribulationes irruere permittit, vt ad ipsum & frequentius confugiamus, & expressius: nec ab eo discedamus aliquando. Tale aliquid faciunt amantiores filiorum parentes, cùm paruulos suos viderint à se quidem sæpe discedere, æquæuorum autem suorum lusibus detineri: præcipiunt famulis terribilia multa simulare, vt exagitati etiam metu paruuli, ad maternum sinum confugere festinent. Ita etiam Deus sæpenumero intentat minas, nõ vt eas in nos inducat, sed vt nos ad se potius adducat. Siquidem cùm ad ipsum fuerimus reuersi, continuò dissoluit timorem. Quòd si quales in tribulatione sumus, tales etiam essemus in requie, nequaquã egeremus afflictionibus erudiri. Et quid ego de nobis loquor? illis quoque, quos legimus, sanctis plurimum eruditionis de tribulatione veniebat: propter quod propheta dicit: Bonum mihi quia humiliasti Psal.118. me, vt discam iustificationes tuas. Ipse quoque domi- Ioan.16. nus dicebat Apostolis: In mundo tribulationes habebitis. Idipsum significabat & Paulus, cùm diceret: Datus 2.Cor.12. est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ qui me colaphizet. & idcirco ter dominum deprecatus est, vt ab eo illa tentatio discederet: sed impetrare non potuit, quia scilicet maxima per illam commoda colligebat. Quòd si etiam sancti Dauid vitam velimus inspicere, inueniemus eum profectò inter pericula clariorem: nec illum tantummodo, verumetiam cæteros sanctos. Nam beatus Iob maximè cùm tribularetur, effulsit, & Ioseph Deo in tribulatione plus placuit. Iacob quoque, & eius pater atque auus, quíque vnquam iustorum fuerunt, clariores de tribulationibus & tẽtationibus texuerunt coronas, victorésque proclamati sunt. Quæ quidẽ omnia Eccles.2. considerantes, iuxta sermonem sapientiæ, non deficiamus, non festinemus in die tẽtationis: sed ad illud præcipuum erudiamur vnum, vt viriliter cuncta toleremus, nec de his quæ nobis accidũt, quæstionem curiosè moueamus. Nosse enim quando tribulationes auferri oporteat, illius est qui eas permisit inferri. Illatas verò cum omni gratiarum actione tolerare nostræ opus est æquanimitatis: quod si fiat, bona proculdubio etiam omnia consequemur. Vt igitur hæc cuncta proueniant, scilicet vt & hic probatiores, & illic clariores esse mereamur, suscipiamus æquo animo quicquid fuerit illatum: gratias agentes ei qui multo amplius quàm ipsi nos, quid nobis expediat, agnoscit: quíque in amore nostri facilè parentum vincit affectum: & ad singula quæque discrimina vtraque hæc nobismetipsis iugiter incantãtes, tristiciam comprimamus. Glorificemus verò in omnibus dominum pro nobis cuncta facientem, nobísque omnia prouidentem. Sic enim facilè & eas quæ virtuti opponuntur repellemus insidias, & immarcescibiles consequemur coronas, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Homilia vndecima ex cap. III.

VIDENS *autem multos Phariſæorum & Sadducæorum venientes ad baptiſmum ſuum, dixit eis: Genimina viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Et ne velitis dicere intra vos: patrem habemus Abraham. Dico enim vobis: quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamenta portare.* Quemadmodum igitur Christus ait,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd non crediderint Ioanni? quia scilicet non erat aliud non credere Ioanni, nisi quem ille prædicabat, nolle susc ipere. Nam & Prophetas, & Legislatorem videbantur audire: sed tamen obedire eos illis negauit, quoniam prophetatum ab illis Dominum susc ipere noluerunt. Si enim, inquit, crederetis Mosi, crederetis vtique & mihi. Et cùm interrogarentur à Christo, baptisma Ioannis vnde esset: dixerunt, Si dixerimus, de terra: timemus populum. si verò dixerimus, de cœlo: dicet nobis, quo modo ergo non credidistis ei? Et ex his omnibus illud liquido comprobatur, quòd aduenerint quidem, & baptizati sint, non tamen † ad fidem quoque quæ prædicabatur accesserint. Nam Ioannes euangelista quoque malignitatem eorum euidenter ostendit, ex eo scilicet, quòd ad Baptistam miserant sciscitandum, si tu es Helias, si tu es Christus? propter quod intulit: Qui autem missi fuerant, erant ex Pharisæis. Quid igitur populi? nónne idipsum quidem putabant? Sed illi simplici illud suspicabantur animo, nulla prorsus ratione fucato. Pharisæi verò occasionem qua aliquid reprehenderent, quærebant. Quia enim manifestum erat ex vico regis Dauid Christum esse venturum, hic verò de Leuitica veniebat tribu, insidias ei in interrogatione posuerunt: vt si hic aliquid loqueretur, illi ad accusandum repentè consurgerent. Hoc igitur etiam per ea quæ sequuntur, exposuit: Ioanne quippe nihil horum quæ illi expectauerant confitente, tamen reprehendere non morantur, dicentes: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus? Atque vt discas quoniam alia quidem Pharisæi, alia verò populi ad eum voluntate veniebant: audi quemadmodum Euangelista istud quoque declaret: de populo quidem dicens, quia aduenirent vt baptizarentur ab eo, confitentes peccata sua: de Pharisæis verò haud similiter. Quoniam videns multos Pharisæorum & Saducæorum venientes ad baptisma, dixit: genimina viperarum. O admirabilem animi magnitudinem, stupendámque constantiam, quàm liberè illis omnibus loquitur, qui propheticum semper sitiebant cruorem, quique in nullo erant serpentibus mitiores. Quanta & ipsos, & ipsorum parentes libertate castigat. Sed dicat hic aliquis, libertatem quidem illam fuisse præcipuam: cæterum illud esse quærendum, vtrum rationem aliquã habuerit ipsa libertas. Neque enim peccantes viderat, sed post peccata conuersos: propter quod nec increpare debuerat, sed è regione laudare atque susc ipere: quia scilicet vrbibus ac domibus derelictis, ad eremum cucurrissent, vt veritatem prædicationis audirent. Quid ergo dicemus? eum scilicet non quæ in præsentia agerentur respexisse, sed recondita cordis ipsorum nouerat, Deo id ei reuelante. Quia ergo eos superbum sapere de parentum nobilitate cognouerat: & hanc illis perditionis esse causam, atque hinc in vltimam eos sciebat præcipitatos esse desidiam, satis necessariè radicem arrogãtiæ huius incidit. Propterea illos Esaias Sodomorum principes, & Gomorrhæorum plebem vocat. Et alter propheta dicit: Num sicut filij Æthiopum vos estis mihi? Et prorsus omnes ab hac eos persuasione deducunt, reprimentes illorum tumorem, qui eis innumerabilium causas pariebat etiam malorum. Sed Prophetæ, inquies, consequenter, siquidem illos peccantes videbant: hic verò qua de causa, quáve ratione idipsum facit, cũ eos certè videat ad obediendum paratos? Proculdubio vt illam duritiem molliret. Nam si sermonem ipsius diligenter intendas, increpationi temperamentum laudis admiscet. Hæc quippe dixit admirans, quòd ea quæ illis penè impossibilia videbantur, vel serò implere potuerunt. Huiusmodi igitur increpatio inuitantis est potius, atque ad vigorem animi coartantis. Cùm enim illos resipuisse miratur, & pessimam prius eorum conuersationem fuisse, nunc laudabilem esse conuersationem declarat. Quid, inquit, factum est, quòd cùm illorum essent filij, támque nequiter educati, susceperunt subitò pœnitentiam, [& eam nobis, non suis parentibus offerentes?] Vnde hęc facta est repẽtè tanta conuersio? Quis voluntates eorum asperas mitigauit? Quis vulnera immedicabilia curauit? Et considera quemadmodum illos ab ipsis omnino principiis attonitos reddiderit, de gehenna scilicet inferendo sermonem. Non enim aliquid vsitatum locutus est: neque dixit, Quis vobis demonstrauit bella vitare, & irruentes fugere impetus barbarorum, captiuitates, pestilentias ac fames? Sed aliud quoddam supplicium comminatur, quod nũquam certè illis fuerat antè manifestum. *Quis*, inquit, *demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* Bene autem illos etiam genimina viperarum vocauit. Siquidem id serpentium genus ita in parentis festinat exitium, vt aluo qua portatur exesa, in vitam prodeat morte gignentis: quod isti quoque faciebant, patrum sanguine ac matrum madentes, & sceleratis manibus eos à quibus ad veritatis lumen ducebantur, interficientes magistros. Nec sola tamen increpatione contentus, adiungit etiam verba cõsilij. *Facite*, inquit, *dignos fructus pœnitentiæ.* Non, inquit, sufficit à malignitate fugisse, nisi ad virtutis studia transeatis. Non hic vsitata illa opus est etiam mobilitate, vt ad tempus quoddam per compunctionem repressi, rursus ad maliciæ vestræ familiare redeatis. Non enim tali conditione venimus, quali etiam priores Prophetæ: multo sublimiorem in partem rerum est facta mutatio. Siquidem adest ipse iudex & Dominus regni, ad celsiorem homines philosophiam ducens, atque in cœlum vocans, & ad eam quæ ibi fulget conuersationem trahens: propterea occultatum etiam de gehenna pando sermonem. Nam & bona & mala quæ annunciantur, ęterna sunt. Nolite ergo in eisdem vitiis permanere, nec solito prætextu velare culpas vestras, Abraham, Isaac & Iacob superba voce resonantes, ac de sanctorum vobis parentum nobilitate plaudentes. Hæc verò dicit, non quòd prohibeat eos sese ex illis genitos confiteri: sed quò proculdubio moneat, ne præclaræ illi iustitiæ confidant parentum, cùm tanta illi squaleant vitiositatis incuria. Simul & conscientiarum secreta prodit, & futura prædicit. Nam postea inueniuntur hæc ita dixisse. Nos, inquiunt, patrem habemus Abraham, & nulli seruiuimus vnquam. Quia igitur hoc erat quod in superbiam eos maximè erexerat atque perdiderat, id etiam ipse reprimit in primis. Considera verò quemadmodum patriarchæ honore seruato, istos ad studium correctionis hortetur. Dicendo enim, ne velitis dicere, quoniam patrem habemus Abraham: non ait, nihil vobis prodesse potest patriarcha: sed mitius quodammodo id loquutus, ac lenius, *Potest*, inquit, *Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Nonnulli quidem opinantur, hoc illum dixisse de vocatione Gentilium, quos metaphoricôs lapides nominauerit. Ego tamen aliam quoque huius dicti intelligentiam esse prospicio. Quæ verò est ista? Ne, inquit, putetis, quoniam si pereatis ipsi, absque filiis orbúmque Patriarcham Deus esse patiatur. Nõ erit istud, omnino non erit. Deo enim possibile est filios ei etiam de lapidibus suscitare, atque ad nobilitatem propinquitatis eius adducere. Siquidem & antè sic factum est. homines quidem ex lapidibus fieri, tale est quale fuit puerum de sterili matre procedere. Quod etiam propheta significans, Aspicite (inquit) in solidam petram, de qua excisi estis: & in foueam lacus, de quo effossi estis. Aspicite in Abraham patrem vestrum, & in Saram quæ genuit vos. Huius igitur illos prophetiæ admonens: & ostendens

Ioan. 5.
Matt. 21. Marc. 11.
Luc. 20.
in fide quæ prædicabatur mãserint) Ioan. 1.
Luc. 2. 2. Reg. 7. 1. Para. 17. Psal. 17. Luc. 1.
Esa. 1.
Amos. 9.
Hic, & Matt. 1. 23. & Luc. 3.
Ioan. 8.
Esa. 51.

ostendens quoniam prius quoque tam admirabili modo eum fecisset parentem, vt quodammodo ex lapidibus ei filium dedisse videatur, nunc quoque istud dicit esse possibile. Et considera quemadmodum terreat quidem, nec tamẽ prorsus abscindat. Non enim dixit, iam suscitauit: ne semetipsos desperare cogantur: sed potest, inquit, suscitare. Nec verò ait, potest homines ex lapidibus facere: sed, quod multo erat preciosius, filios inquit Abrahæ. Nempe considera quemadmodum illos à iactatione etiam carnali, & refugio istius propinquitatis abduxerit, vt potius in pœnitentia propria, & conuersatione sancta spem salutis locarent. Vidisti quemadmodum cognationem carnis excludens, hanc (quæ per fidem constat) induxerit. Perpende igitur quemadmodum iam inde quoque augeat hunc timorem, & solitudinem mentis intendat. Cùm enim dixisset, potest Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ: intulit, *Ecce securis ad radicem arboris posita est.* vt sermonem faceret per cuncta terribilem. Etenim tum Ioannes vtebatur libertate & seueritate verborum vitę rigori conuenienti: opus quippe erat talium auditorum magistro castigationis plena doctrina, per quam commoueret atque excitaret animos multo iam tempore in terrenis operibus volutatos. Quid enim dico, inquit, quòd à Patriarchæ sitis cognatione remouendi, quòd visuri alios ex lapidibus in vestram succedere dignitatem? Non enim hucusque tantum supplicia vestra peruenium, verumetiam in vlteriora procedunt. *Ecce iam*, inquit, *securis ad radicem arboris posita est.* Nihil terribilius hac ipsa exhortatione sermonis. Non enim adhuc illis falcem volãtem, non destructionem sepis, non conculcationem vineæ comminatur: sed securim secantem, quódque multo est terribilius, imminentem, & iam iámque cædẽtem. Quia enim prophetarum verbis increduli sæpe dicebant, Vbi est dies Domini? & veniat consilium Sancti Israël, vt sciamus, eo quòd post multa annorum spatia, quæ dicebantur euenirent: necessariè ab † hac illos desidia retrahens,] mala ipsorum vicina constituit. Id enim egit dicendo iam, & radicibus securim admotam esse monstrãdo. Nihil, inquit, est medium, sed ipsi iam radici imminet prorsus abscisio. Neque enim aut ramis minatur, aut fructibus, sed ipsi vtique radici: ostendens illos, si fortè neglexerint, immedicabiliter esse feriendos, & ne spem quidem curationis esse habituros. Non enim qui aduenit, seruus, vt priores: sed profectò omnium dominus, grauissimam certè contemptoribus suis, ac potentissimam inferens vltionem. Attamen cùm etiam maximè terruisset, non eos sinit desperatione concidere: sed vt paulò superius non dixit, quoniam suscitauit Deus: verum, quia potest suscitare filios Abrahæ: consolationem quandam admiscendo terrori: Ita hîc quoque non ait, quòd radicem iam ipsam ictus securis attingat, sed quòd appositа sit, & radici prorsus admota. Nec quicquam iam esse dilationis ostendit. Cúmque eam iuxtà, inquit, admouerit, vos tamen ipsius facit incisionis authores: si velitis quippe conuerti, & esse meliores, securis ista remouebitur, nihil prorsus operata. Si verò in eisdem studiis permaneatis, radicitùs arborem defecabit. Propterea nec à radice remouetur, nec tamẽ aduersus radicem mouetur, & cædit: quorum vnum agit ne vosmetipsos in ocium resoluatis: aliud verò, vt discatis posse vos etiam breuissimi temporis conuersione saluari. Et idcirco vndique auget timorem, excitans eos ad pœnitentiam, & penè compellens. Nam & à stemmate abduci parentum, & in filiorum locum alios induci, & pœnam iam in ianuis assistere, & intolerabilia esse patienda quæ vtraque (quæ per radicem, securimque mõstrauit) idonea erant, etiam nimis iacentes oppressas-

Esa. 5.
hoc quoque illos solatio abducens)

que torpore animas suscitare, & ad studium virtutis attollere. Hoc igitur etiam Paulus ostendens, ait: Quoniam Dominus breuiatum faciet verbum super vniuersum orbem. Sed nihil timeas, quinimmo vel maximè time, modo ne in desperationem venias per timorem. Adhuc quippe habes spem conuersionis incolumem: non enim processit immutabilis illa iámque ad puniendum definita sententia, neque vt cæderet, venit securis: alioqui quid illam ferire prohiberet iam radicibus imminentem? sed vt te terrore faceret meliorem, & expectatum fructum afferre compelleret, propter quod intulit, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Cùm verò dicit, Omnis, vniuersum honorem carnalis nobilitatis excludit: etiam si ipsius, inquit, Abrahæ fueris nepos, & mille à quibus ducis genus Patriarchas enumeres, duplicem pœnam subibis, si bonorum fructuum inanis extiteris. Horum itaque seueritate verborum & publicanos terruit, & militum corda tremere fecit, non in desperationem illos vtique mittendo, sed ab omni prorsus desidia liberando. In ipso siquidem timore plurimum erat consolationis inclusum: dicendo enim, *Quæ non facit fructum bonum*, ostendit quòd quæ facit fructum bonum, ab omni proculdubio supplicio vindicetur. Et quo modo, inquiunt, fructum facere possumus, ictu iam securis instante, & breuitate temporis coartante, atque inductarum fœdera resoluente? Potestis, inquit. Non enim talis est iste fructus, qualis est arborum, longum nimirum tempus expectans, & horarum necessitatibus seruiens, nec absque magna difficultate proueniens: sed velle sufficit, statimque arbor erumpet in germina. Neque enim tantummodo radicis natura, verumetiam ars agricolæ arborem istam colentis plurimum ad ferendum fructum opitulatur. Ne igitur dicerent, nimia nos festinatione conturbas, vrges prorsus atque angis, superponendo vtique securim, & excisionem celerem comminando, tum etiam exigendo fructus tempore instãtis supplicij: intulit, quo ostẽderet afferendi fructus facilitatem. *Ego*, inquit, *vos baptizo in aqua: qui autem post me venit, fortior est me, cuius non sum dignus* * *corrigiam soluere calciamenti. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & in igne.* Per hæc profectò demonstrat, quia sola opus sit voluntate ac fide, non laboribus ac sudoribus: quámque est facile baptizari, tam sit etiam facile mutari fierique meliorem. Postquam verò mentes eorum cõcussit terrore iudicij, & expectatione supplicij, & nomine securis, & ipsorum à maioribus repulsione, & aliorum introitu filiorum, & geminatione pœnæ, abscisionis scilicet & combustionis: cúmque vndique eorum duritiam molliisset, atque ex tot malorum timore ad liberationis desiderium suscitasset, tum demum de Christo intulit mentionem, neque verò simpliciter, sed multo cum cumulo eminẽtiáque sermonis. Deinde cùm ostendisset grande illud medium, quod inter se Christúmque distingueret, ne ad gratiam idipsum dicere videretur, à comparatione rerum earum quas vterque daturus erat, pulchrè astruit. Neque enim continuò dixit, Non sum dignus soluere corrigiam calciamenti eius: sed postquam baptismatis sui professus est simplicitatem: nec quicquam illud amplius habere monstrauit, quàm vt eos ad pœnitentiam duceret. non enim dixit, in aqua remissionis: sed pœnitentiæ: tum demum ponit etiam Christi baptisma ineffabilium donorum liberalitate cumulatum: ac si diceret. Neque quia post me illum audistis venire, quasi posteriorem despiciendum putetis: donorum eius audite virtutem, & liquido cognoscetis quia nihil grande, nihílque dignum illius honore protulerim dicendo: Non sum dignus soluere corrigiam calciamenti eius. Cúm-

Esa. 10. & Rom. 9.
* ἱμάντα hoc loco & in sequentibus scriptũ est, sed istud habetur Ioannis primo ca.

Universidad de Deusto
Biblioteca

que audieritis quòd me ille sit etiam fortior, nequaquã A puteris me istud comparationis more dixisse,qui ne inter seruos quidem eius sum dignus collocari, etiam seruos extremos, neque vilissimam partem in ipsius mihi ministerio vendicare. Propterea enim non posuit calciamenta simpliciter:sed,corrigiam:quę certè omnium videtur extrema. Deinde ne humilitatis potius quàm veritatis putetur esse quod dicitur, ex ipsis documentum rebus assumit. *Ipse*, inquit, *baptizabit vos in Spiritu sancto,& igne.* Vidésne quanta sit Baptistæ,quámque admiranda sapientia? Quando enim ipse prædicat, affert omnia plena terroris, & quæ animos auditorum maxima prorsus comminatione concutiant. Quando verò illos ad Christum remittit, iucunda ponit ac prospera, & quæ facilè possint recreare metuentes. Non enim comminantem securim, non excidendam & comburendam proponit arborem,non iram futuram adducit in medium: sed indulgentiam peccatorum, interitúmque pœnarum, iustificationem, sanctificationem, B liberationem, filiorum adoptionem,fraternitatem,cohæreditatem,communionémque Christi,& sancti Spiritus dona largissima. Hæc etenim vniuersa pariter cõplexus est dicendo: Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto: ipsa quoque translatione sermonis exprimens gratiæ largitatem. Non enim dixit, dabit vobis Spiritum sanctum:sed,baptizabit vos in Spiritu sancto. Iam verò commemoratione ignis adiuncta, rursus ipsius gratiæ vehemens atque incomprehensibile signauit.Perpende igitur quales tunc fieri cõsequens fuerit auditores, cùm certè cernerent posse se subito effici similes prophetarum, illorum vtique magnorum. Propterea quippe etiam ignis intulit mentionem, vt eos ad illorum recor-

Ná quot quot ferè illis visiones reuelatæ sunt, per ignẽ reuelatæ sunt.) Exod.3. Exod.19. Ezech.1.

dationem vocaret,† quibus ignis specie apparuerant visiones.] Sic enim beato Mosi in rubo locutus est Deus, sic omni populo de monte Sina, sic Ezechieli quoque de Cherubin. Considera verò quemadmodum etiam suscitet auditorem, primum vtique illud ponens quod C post omnia esset futurum. Oportebat quippe prius & agnum occidi,& interim peccatum & inimicitias solui, & fieri sepulturam & resurrectionem sequi, & tum demum aduenire Spiritum sanctum.Veruntamen interim nihil horũ dicit, sed primo illud ponit extremum, propter quod certè facta sunt omnia: quódque tale est vt huius dignitatem deprædicet: vt cùm didicerit auditor quòd Spiritum accipiat Dei, ipse iam secum retractet quonam id fieri possit modo, tam latè regnante peccato: vt illum rursus excipiens solicitudine attonitum,atque ad discendum paratum, consequẽter inferat etiam de passione sermonem,nullo vtique iam hinc scandalo subsistente, ob expectationem immensi illius muneris: propter quod clamat rursus, & dicit, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. non enim qui remittit, sed quod profectò maioris pietatis est, qui tollit, inquit. Non enim idem est,peccatum indulgere simpliciter,& susci-

Ioan.1.

pere. Illud enim absque periculo fieri potest, hoc D verò per mortem. Rursus verò dicebat, quia filius Dei est. Sed ne hoc quidem apertam illius ostendebat audientibus dignitatem. Neque enim iam nouerant illum esse Dei filium naturalem, sed de tanto Spiritus sancti munere etiam illud profecto firmatur. Propterea etiam Pater mittens Ioannem, hoc dignitatis Christi documẽtum dedit: Super quem videris,inquit,Spiritum descendentem,& manentem super eum,hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Vnde etiam ipse pronũciat:Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia ipse est Filius Dei: vt videlicet ostenderet, ex illo etiam istud liquidò clariusse. Denique quia prospera nunciando recreauerat auditorem,atque aliquantulum à timore laxauerat, sequenti eum rursus sermone restrinxit, ne ad desidiam à securitate transiret. Talis nanque erat natio Iudæorum, vt si amplius fuissent in læticiam per iucunda laxati, facilè in deterius verterentur:propter quod terribilia rursus inducens ait: *Cuius ventilabrum in manu sua.* Superius tantummodo supplicium memorauerat, hìc verò ostendit & iudicem. Iámque signatè pœnam ipsam esse dicit æternam,dum inquit:*Paleas autem comburet igne inextinguibili.* Vidésne eum & Dominum esse rerum, & eundem rursus agricolam pariter ac patrem? De quo alibi: Pater meus,inquit,agricola est. Quia enim dixerat, Ioan.15. securis ad radicem arboris posita est: ne necessariũ huic operi laborem putares, víxque inter abscindendum vnumquemque & reseruandum haberi posse iudicium, † ex alio opere] inducit etiam facilitatem : ostendens ipsius vniuersum esse mundum,neque enim puniret alienos: nunc verò cuncta permixta sunt. Etsi enim appareat frumentum refulgens, sed tamen inter paleas quasi in area sparsum est, non quasi in horreo congregatum, in futuro erit multa discretio. Vbi nunc illi sunt qui gehennam esse non credunt? Duo quippe pariter hìc posuit,quia scilicet & credẽtes baptizet in Spiritu sancto, & comburat incredulos. Si igitur illud verũ est,proculdubio & istud est verum.Propterea enim simul vtrũque prædixit,vt ex hoc quod iam factum est,etiã illud quod adhuc differtur, credamus futurum. Nam ipse quoque Christus Dominus hoc solet sæpe in eisdem rebus,sæpe etiam in contrariis duas prophetias pariter collocando, quarũ vnam hìc impleat,alteram spondeat in futuro:vt ab his qui de promissionibus eius pertinacius dubitant, ex hac quæ iam facta est, etiam illa quæ impleta nondum est,credatur implenda. Siquidem & illis qui pro- Matt.19. Marc.10. pter ipsum mundi huius cuncta contemnerent, centuplum in præsenti tempore, in futuro autem vitam promisit æternam: ex his vtique quæ in præsenti sæculo præstat,vera esse etiam futura declarans. Quod etiã Ioannes hoc fecit loco, simul vtrunque ponendo:quoniã scilicet & baptizet in Spiritu sancto, & comburat igne inextinguibili. Si igitur non & Apostólos baptizasset in Spiritu, & quotidie omnes volentes, posses de eo quoque quod simul posuit fortasse dubitare. Si verò quod difficilius videbatur,& grandius,ac supra omnem prorsus esse rationem,factum tamẽ est,fitque quotidie: quo modo illud quod & facilè,& iuxta rationem fit,non verum esse contẽdis? Quia verò dixerat,baptizabit vos in Spiritu sancto, & igni: magnáque hinc repromittebat bona:ne cuncta quæ erant dicta despiciens, in turpe te otium relaxares, intulit ventilabrum, pérque hoc iudicium designatum.Nolite,inquit, putare sufficere baptisma, si post illud praui esse persistitis. Opus enim vobis est multa philosophia, multáque virtute. Propterea illos per cõminationem securis, ad gratiam & lauacrum cohortatur: post gratiam verò lauacri, de ventilabro, igníque inextinguibili deterret: atque illorum qui nec-

Luc.3. & 6.

dum baptizati sunt nullam prorsus discretionem facit, sed generaliter:Omnis,inquit, arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur. per quod cunctos profectò infideles significat puniendos. Inter baptizatos verò distinguit:quia proculdubio sic sciebat futurum, vt plurimi ex his etiam qui credidissent, indignum fide fructum suæ conuersationis ostẽderent. Nemo igitur sit palea,nemo fide fluctuãs, nemo cogitationibus prauis obnoxius, vbilibet ab illis iactandus. Si enim in frumenti soliditate permanseris, etiamsi tribulatio irruat,nihil dabit incommodi. Siquidem in area iacens frumentum, rapidæ etiam curruum rotæ nihil cõminuunt prorsus.Si verò in infirmitatẽ decideris paleatũ: & hìc intolerãda patieris,à cunctis omnino cõcisus, & ibi

& ibi immortale supplicium sustinebis. Siquidẽ omnes A huiusmodi,etiam ante illius fornacis incendium,pabulum hic efficiuntur irrationalium passionum,sicut & paleæ ab irrationalibus vorantur animalibus: & ibi rursus esca erunt ignium,atque materia. Neque verò istud loquendi genus otiosum esse aliquis existimet.Nam recta ediscere,quòd ipse de vniuscuiusque actibus iudicabit: non tanta finit suscipi facilitate sermonem. Quòd vero eundem sensum comparatione permiscet, atque per rem astruit eam totam, efficacius suasit, & maiore consolatione auditorum animos affecit: propter quod plurima eis Dominus quoque ipse loquitur sic. Nam & agrum,& aream,& messem,& vineam,& torcular, & sagenam,& piscium capturam, cæteraque huiusmodi, in quorum quotidie versabatur vsu,verbis suis sæpe miscebat. Quod etiam Baptista hoc fecit loco, eorum quæ prædicta sunt præbens grande documentum, sancti scilicet Spiritus donum?ac si diceret,Qui tantum potest vt etiam peccata dimittat, & sanctum Spiritum largiatur: B quãto magis poterit ista perficere?Vidisti nempe quàm aptè resurrectionis iudiciique verbum antè præmiserit. Et qua,inquit,ex causa noluit, ea signa & prodigia memorare,quæ ab ipso continuò erant futura? quia scilicet hoc quod ait,maiusomnibus erat:propter quoque istud cuncta illa facta sunt miracula. Itaque caput ipsum ponens bonorum, simul omnia comprehendit, destructionem profectò peccatorum, mortis interitum, maledictionem remotam, longa prælia dissoluta: in paradisum introitum, in cœlos ascensum, conuersationem cum angelis copulatam, futurorum cõmunionem bonorum: pro his quippe omnibus sancti Spiritus pignus accipitur: quem scilicet Euangelista memorando, si-

1.Cor.2.

mul & resurrectionem corporum nominauit, & miracula illa signorum,& in cœlorum regno consortium.Et illa vtique bona, quæ oculus non vidit,nec auris audiuit, & in cor hominis non ascenderunt. Per illud nanque donum hæc nobis cuncta præstantur. Erat ergo su- C perfluum mentionem facere signorum quæ paulò pòst essent futura,& certissima oculorum probanda iudicio. Magísque oportuit disputari de his quæ in dubio erant, nempe quòd filius esset Dei, quòd Ioãnem absque collatione præcederet, quòd peccatum tolleret mundi, quòd de cunctis operibus exigeret profectò rationem, quòd spes nostra vltra mensuram præsentis sæculi tenderentur: atque in futuro digna vnusquisque aut præmia susciperet, aut supplicia sustineret. Ista enim oculis interim inferri non poterant.Hæc igitur sciẽtes omnia, maximo virtutis studio feruea mus dum adhuc certè in area sumus. Licet enim quandiu hìc degimus, de palea in frumentum mutari, sicut contra multi ex tritico in paleam degenerarunt. Nequaquam ergo iaceamus,neque ad omnem ventum huc illúcque rapiamur: neque scindamur à fratribus nostris,etiamsi exigui nobis videantur & viles.Nam & frumentum paleis mẽsura quidem minus est,sed natura preciosius. Ne igitur præter- D uolans sæculi huius vmbras atque imagines cõcupiscas, quæ vtique ignibus præparantur: sed amplectere humilitatem Deo placitam, firmam scilicet ac dissolui omnino nesciam,quàm nullus gladius incidere, nullus queat ignis exurere. Propter huiusmodi enim & paleas patiẽter expectat,vt fiant ex illorum coniunctione meliores. Propterea nondum iudicij examen agitatur, vt omnes pariter coronemur, vt multi ad virtutem à vitiis transeant.Inhorrescamus igitur audiẽtes huius parabolæ sermonem.Siquidem ignis ille nescit extingui,& quo modo,inquis,inextinguibilis perseuerat? Nónne cernis solem istũ semper ardentẽ, & nunquam prorsus extinctũ?

Exod.3.

Non legisti incensum rubum, nec tamen ipso incendio

cõcrematum?Si ergo tu quoque effugere vis flammam, misericordiæ operibus abunde circundare, atque hoc modo ne experimentum quidem illius ignis accipies. Si enim his quæ dicuntur, absque vlla ambiguitate credideris, nec videbis quidem illud incendium. Si verò incredulus perseueres,ibi ipso satis experimento disces, quando iam non valebis effugere. Inexitabile quippe supplicium est his qui rectã vitam habere neglexerint. Neque enim sola cuiquam fides sufficit ad salutem:nam Iacob.2. & dæmones credunt, imò etiam contremiscunt:nihilominus tamen cruciatu suppliciisque torquẽtur.Sed maximo etiam prorsus morum quoque indigemus ornatu. Propterea quippe & in Ecclesia vos sæpius congregamus: non vt huc tantummodo introisse videamini, sed vt aliquem fructum ex ipsa congregatione referatis. Si verò semper assitis, absque vllo autem hinc discedatis profectu : nihil vobis ingressus iste, nihil hæc poterit prodesse sedulitas. Si enim pueros tradentes magistris,cùm nihil eos proficere videremus,acerrimi continuò accusatores efficimur magistrorum, abductósque ab eis discipulos,ad alium doctorem sæpe transferimus: qua possumus satisfactione defendi,qui ne tantum quidem studium virtuti tribuimus, quantum terrenis istis exiguísque rebus solemus impẽdere?sed vacuas semper domũ tabulas reportamus, cùm certè plures hìc sint ac multo potiores magistri. Nam & Prophetas, & Apostolos, & Patriarchas, omnésque iustos per singulas quasque Ecclesias vobis adhibemus magistros: & nec sic quidem aliquid profectus acquiritur. Sed si duos aut tres psalmos ex more sonantes,& solẽnes orationes negligenter, & omnino prout casus quidem attulerit effundentes abeatis, abundè sufficere vobis creditis ad salutem. an non audistis Prophetam loquentem, quin Dominum potius per Prophetam : Populus iste labiis Esa.29. me honorat, cor autem eorum longe est à me? Ne igitur & nobis istud proueniat,dele literas,vel potius sculpturas,quas in tua mente diabolus insculpsit: atque affer mihi cor liberum à secularium curarum tumultu,vt ibi quæ voluero omni cum licentia diligentiáque conscribam. Nũc enim nihil ibi potest aliud agnosci quàm pessimi magistri teterrimæ illæ literæ: auaritia scilicet, rapina, dolus, zelus, inuidia. Et idcirco tabulas vestras quum accipio, eas nec legere quidem possum.Nõ enim illas inuenio ibi literas, quas vobis relinquimus cunctis certè dominicis diebus inscriptas: sed pro illis alias quasdam detortas scilicet, atque confusas: quas cùm deleuerimus, aliásque denuo quæ sunt de sancto Spiritu, scripserimus, vos nihilominus abeuntes, ac diaboli magisterio vestra corda præbentes, offertis illi, vt suas ibi literas rursus inscribat. Quisnam igitur horum finis speratur malorum, etiamsi ipse non dicam, vniuscuiusque vestrum conscientia recognoscit? Ego tamen opus meum implere non desinam, rectas vobis literas scribens. Sin autem vos studia vestra cassetis, nobis quidem merces manebit immobilis: vobis autem,sed nihil volo tristius dicere.Obsecro itaque rursus,ac deprecor, saltem studium imitemur erga ista paruorum puerorum. Illi enim primò quidem solas discunt in scholis literarum figuras, deinde illas nonnihil detortas dignoscere assuescunt,pérque ista paulatim ad certam viam perueniunt lectionis,quæ eisdẽ nihilominus literis cõtinetur.Hoc igitur nos etiam faciamus, virtutem in suas diducentes species discamus.Et primò quidem non iurare, ac nõ peierare nec maledicere meditemur. Inde quasi ad alia elementa venientes, discamus non liuore mentis,non amore corrumpi:non cura ventris, non ebrietate, non crudelitate delinquere, omnẽque prorsus animi superare torporẽ : post hæc verò

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad ſpiritualia tranſeuntes, meditemur continentiã, ventríſque neglectum, iuſtitiam, caſtitatem. Deinde vt inanem quoque gloriam reſpuamus: & ſic modeſti, ac mẽte compuncti, atque hæc ſimul omnia copulantes, noſtris inſcribamus animabus: atque iſta domi, apud amicos, cum coniugibus & liberis exerceamus omnia. Sed à primis interim ac facilioribus inchoemus, à non iurãdo videlicet: quod quaſi primum diſciplinę elementum ſæpe meditemur, & præcipuè domi. Ibi enim plurimi ſunt qui hanc bonam meditationem frequenter impediant. Nunc enim aut negligens famulus, aut nequam, mentem à ſui quiete deturbat. Nunc etiam contriſtat vxor, & ad indignationem irámque cõuertit: nunc indocilis atque indiſciplinatus filius ad minas ac iuramentũ excitat. Quòd ſi in domo ſæpius ab his irritatus, nihilominus cœperis obtinere ne facilè ad iuramentum traharis, poteris facilè victor etiam in publico permanere: atque ita neque in vxorẽ, neque in ſeruum, neque in alium quenquam contumelioſus exiſtere. Nam & vxor, vel laudando alterum quempiam, vel ſemetipſam ſæpe miſerando, virum in maledictionis verba ſuccendit: tu tamen ne cogaris vituperare laudatum, ſed cuncta viriliter ſubſtineto: & cùm à tuis ſeruis dominos videris laudari alienos, nihil omnino turberis, ſed fer cuncta patienter. Sit tibi prorſus domus tua quaſi quidam certaminis locus, & palæſtra virtutis, vt ibi viriliter exercitatus, & omni cautione vallatus, his qui foris ſunt abſque periculo miſcearis. Hæc etiam in vana gloria contemnenda facere te conuenit. Si enim inanem gloriam apud vxorem, ſeruóſque calcaueris: apud nullum prorſus aliũ hac facilè peſte capieris. Vbique enim morbus iſte tyrannicus & immanis, maximè tamen vxoris præſentia conaleſcit. Si igitur ibi eius violentiam deſtruamus, facilè illam apud alios ſuperabimus. Idipſum verò aduerſus alia quoque vitia ſeruemus: domi contra illa exercentes animum: & quotidiana meditatione firmãtes, hac ſpiritali aſſiduè vtentes palæſtra. Vt autem faciliores huiuſmodi exercitationes nobis eſſe poſſint, & caſtigationum nobis aliquid inferamus, cùm de propoſiti quippiam lege transgredimur: ſit verò caſtigatio ipſa non damnum aliquod inferens, ſed mercedem ac lucrum maximum referens: id autem eſt, vt ſcilicet nosipſos condemnemus longiore ieiunio, & humi cubemus, atque huiuſmodi tolerãtiam indicamus laborum: ſic enim vndique multa nobis lucra proueniẽt. Nam & hîc dulcem vitam virtutũ ipſarum delectatione ducemus, & futurorum dono potiemur bonorũ, Deíque inſolubiles amicitias ſortiemur. Veruntamen cauendum eſt ne eadem rurſus proueniant, cùm hîc vtilia fueritis dicta mirati, hinc digreſſi negligenter, & vt ſolet, proiicientes mentis veſtræ tabulas, diabolo eas † ſcribendas rurſus] offeratis. Quid ergo faciendum eſt? Cùm hinc vnuſquiſque diſcedit, vocet cõiugem ſuam, cui omnia iſta memoriter replicet, eámque ſibi in hoc opus copulet adiutricẽ, atque ab hodierna iam die bonam iſtam frequenter palęſtram, quaſi oleo quodam vſus ſancti Spiritus auxilio. Sed & ſi ſemel, & ſi iterum, & ſi ſæpe cecideris hæc exercens, nihil omnino deſperes: ſed ſta rurſus, rurſúſque congredere, nec ante prorſus abſiſtas, quam claram victo diabolo tibi texas coronam, & theſauro tutiſſimo opes virtutum recondas. Si enim in vſum ſemel bonæ iſtius philoſophiæ tranſeas, etiamſi poſtea aliquis ibi torpor obrepat, non tamen facilè poteris horum quippiam quæ præcepta ſunt tranſgredi, bona ſcilicet conſuetudine firmitatem iam imitante naturæ. Quã enim facile eſt dormire, comedere, bibere, reſpirare, tã nobis facilia erunt etiam opera virtutis: ex qua etiam capiemus honeſtiſſimam voluptatem, quietiſſimo in portu ſedentes, & tranquillitate continua perfruentes. Sic enim nauim noſtrã variis opibus onuſtam ad illam appellemus vrbem in die illa, & coronas perpetuas cõſequemur: quas omnibus nobis eueniat promereri, gratia & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria & imperium, cum Patre & Spiritu ſancto, in ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA XII. EX CAP. III.

TVNC *venit Ieſus à Galilæa in Iordanem, vt baptizaretur ab eo. Ioãnes autem prohibebat eum dicens, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Cum famulis dominus, cum reis iudex baptizandus venit: verùm nihil tibi hinc conturbationis oriatur. in his quippe humilibus illius ſublime reſplendet. Qui enim dignatus eſt tanto tempore geſtari vtero virginali, cúmque noſtra illinc procedere natura, alapis cædi atque crucifigi, cunctáque perpeti quæ paſſus eſt: quid miraris etiam ſi baptizari ſuſcipiat, cúmque aliis ad ſeruum venire non reſpuat? Illud eſt quippe admirationis omnimodo plenũ, quòd ſcilicet ille qui erat Deus, homo fieri voluit. Iam verò alia iuxta rationis ordinem conſequuntur. Propterea enim & Ioannes præoccupans dicit, quoniam non ſit dignus ſoluere corrigiam calciamenti eius, cunctáque alia: ex quibus illud eſt, quòd ſit omnium iudex, & ſecundum meritum vnicuique retribuat, quódque ſanctum Spiritum omnibus liberaliter largiatur: vt cùm eum videris ad baptiſma venientem, nihil prorſus humile ſuſpiceris. Idcirco enim Ioannes præſentem quoque illum prohibet dicens, *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Quia enim illud erat baptiſmum pœnitentiæ, & in accuſationem peccatorum inducebat: ne quis putaret quoniam & ipſe tali propoſito ad Iordanem veniret: præmuniuit hoc, Agnum certè illum ac Redemptorem vocando omnium quæ in orbe erant peccatorum. Qui enim cuncta humani generis poterat peccata delere, multo magis abſque omni erat ipſe delicto. Propterea ergo non dixit, Ecce qui eſt immunis à peccato: ſed (quod vtique multo erat amplius) qui tollit, inquit, peccatum mundi: vt poſt ipſum illud quoque cum omni iam facilitate ſuſcipias, cúmque ſuſceperis, animaduertas quòd alia quædam diſpenſans veniat ad baptiſmum. propter quod & venienti clamat Ioannes, *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Et non dixit, tu baptizaris à me? Nam & illud metuit dicere. Quid ergo? Et tu venis ad me? Quid igitur Chriſtus? quòd poſtea fecit in Petro, hoc prius in Ioanne ſeruauit. Nam & ille pedes ſibi eum lauare prohibebat: ſed cũ audiſſet, quod facio ego, neſcis modo, ſcies autem poſtea: &, non habebis partem mecum: celeriter ab intẽtione ſua deſtitit, atque in diuerſam tranſiuit repentè ſententiam. Et iſte ſimiliter cùm audiſſet, *Sine modo, ſic enim decet nos implere omnẽ iuſticiam:* parêre non diſtulit. Non enim erant pertinaciter contentioſi, ſed dilectionem ſuam atque obedientiam oſtẽdebant, per quæ omnia domino meditabãtur eſſe ſubiecti. Conſidera verò quemadmodum illum per hæc ipſa à cunctatione deducat, per quæ pręcipuè id quod fiebat, videbatur eſſe ſuſpecti. Neque enim ait, ita iuſtum eſt: ſed, ſic (inquit) decet. Quia enim maxime ipſo eſſe ducebat indignũ vt baptizaretur à famulo, aduerſus indecentiam contrariũ eius oppoſuit: ac ſi diceret, Nõne iſtud vt quoddam indecens refugis, & idcirco me prohibes? Propterea ergo dimitte, quia eſt vtique decẽtiſſimum. Nec verò ait ſimpliciter, ſine: ſed addidit, modo. Nõ enim (inquit) erũt iſta perpetuò, citò me in his quæ concupiſcis videbis: nunc verò ſine iſtud impleri. Deinde quemadmodum deceat, oſtẽdit. Vnde igitur

Marc. 1. & Luc. 3.

Ioan. 13.

igitur illud decere mõſtrauit? Quia, inquit, † omnem iuſtitiam] implebimus. Hoc quippe ſignauit dicendo: *Sic enim decet nos implere omnem iuſticiam.* Iuſticia ſiquidem eſt omnium mandatorum plena cuſtodia. Quia vtique iam, inquit, cuncta alia mãdata perfecimus: hoc autem ſolummodo erat reliquum, id quoque ipſum oportet adiungi. Venit enim ſoluere maledictum, quod erat ob præuaricationem legis impoſitum. Prius igitur me, inquit, illam oportet implere, vóſque à maledictione eius eruere: ac tum demũ ei ceſſationem dare. Decet itaque omnem me implere legem, quia vtique decet etiã maledictum ſoluere, quod ob præuaricationem legis illatum eſt. propterea quippe & carnem aſſumpſi, & veni. *Tunc dimiſit eum. Et baptizatus Ieſus, confeſtim aſcẽdit de aqua. Et ecce aperti ſunt ei cœli, & vidit ſpiritum Dei deſcendentẽ ſicut columbã, & venientem ſuper ipſum.* Quia enim multo maiorem illo eſſe Ioannem putabãt, eo quod omni tẽpore in eremo verſaretur, eſſétque ſummi filius ſacerdotis, ſtola tali indutus, † quódque maxime admirationẽ mouebat] de ſterili matre progenitus: Ieſum verò propterea quòd de obſcura natus eſſet puella: (nã plurimis adhuc virginitatis erat partus incognitus) & quòd nutritus eſſet in domo, & in omnium medio verſatus, & cõmuni hac veſte tectus, facilè illo inferiorem putabant, nondũ eorũ ſcientes aliquid quæ adhuc habebantur abſcõdita. Acceſſit autẽ vt etiam baptiſma ipſum à Ioãne ſuſciperet: quod certe maximè abundat ad confirmandũ iſtius ſuſpicionis errorem, etiamſi illa quæ prius poſuimus defuiſſent. Arbitrabantur enim, quòd hic vnus eſſet quidã è vulgo: nec putabant quòd ſi ille ſingulare ac magnum aliquid obineret, ad baptiſma inter cæteros venire potuiſſet. Propter quod videbatur Ioannes multo illo admirabilior, multóque præſtantior. Ne igitur apud plurimos opinio iſta firmaretur, baptizato illo & cœli aperiuntur, & Spiritus ſanctus continuò deſcendit, & cum Spiritu ſancto vox Patris, vnigeniti ſui prædicat dignitatem. Quia enim vox illa quæ dixit, *Hic eſt filius meus dilectus,* credebatur à multis Ioanni potius conuenire: nec enim adiecit, vt diceret, iſte qui baptizatus eſt: ſed, iſte, ſimpliciter: & vnuſquiſque id quod auditum eſt, de baptizante magis quàm de baptizato dictum putabat: tum ob ipſam baptizantis dignitatem, tum propter omnia illa quæ diximus, venit Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ, & vocem traxit ad Filium, cunctíſque fecit eſſe perſpicuũ, quia iſtud quod ait, *Hic eſt filius meus dilectus,* non de Ioanne baptizãte, ſed de Filio baptizato deberet intelligi. Et cur, inquis, non crediderunt quum talia fierẽt? quia etiam ſub Moſe, quando & ſi non talia, plurima tamen ſunt facta miracula: nihilominus poſt illa omnia, poſt voces, poſt tubas, poſt tonitrua, poſt fulgura, & vitulum fabricauerũt, & Beelphegor initiati ſunt: ita & hi ipſi qui tunc aderant, cùm vidiſſent Lazarum ſuſcitatũ, tam longè tamen à credendo ei qui hoc ipſum operatus fuerat refugerũt, vt ipſum quoque interficere ſæpe conati ſint. Si igitur reſurrectionem à mortuis ante oculos habentes, ita tamen erant maligni: quid miraris ſi delatam cœlitus vocem minime receperunt? Quando enim anima ingrata fuerit ac praua, morbóque inuidiæ oppreſſa, nullo omnino horum ſuperatur: vt è regione voluntas bona vnà cum fide omnia ſuſcipit, nec admodum indiget ſignis iurari. Ne igitur quæras, quo modo non crediderunt; ſed illud require, ſi non omnia facta ſint propter quæ illos oportuerat credere. Siquidẽ per prophetam Deus pro illis omnibus quæ facere conſueuit, hunc ſatisfactionis modum inſtituit. Quia enim erãt Iudæi profectò perituri, extremóque ſupplicio deputandi, ne quis de illorum malignitate prouidentiam culparet Dei, ait. Quid eſt quod debui facere vineæ meæ, quod ei adhuc non fecerim? Idipſum itaque etiam hoc eſt conſiderandum loco, quid ſcilicet oportuerit fieri, quod à Deo factum eſſe poſſit negari: & ſi quando de Dei prouidentia aliquis ſermo moueatur, hoc vtaris ſatisfactionis modo aduerſus eos qui illi de multorũ malitia obtrectare conantur. Conſidera igitur quanta hic faciat opera miranda, & initia futurorum. Non enim paradiſus, ſed cœlum aperitur ipſum: illa verò cõtra Iudæos oratio in aliud tempus differatur. Nunc verò Domino iuuante, ad inſtitutum ſermonem reuertamur. *Et baptizatus Ieſus aſcendit protinus ex aqua, & aperti ſunt cæli.* Cuius igitur rei gratia cœli patuerunt? Vt diſcas etiam tu cùm baptizaris, hoc fieri, Deo te iam ad patriam cœleſtem vocante, nihilque commune cum terra habere ſuadente. Quod & ſi non vides, tamen non idcirco diſcredas. Semper enim inter initia ſpiritualium ac mirabilium diſpenſationum apparent ſenſibiles viſiones: taliáque ſigna ſtupidioribus claráque viſione egentibus, neque vllam incorpoream naturam comprehendere cogitatione valẽtibus præſtantur, † vt ea cùm vel ſemel vel poſtea fuerint prædicata, ſtatim fidei ardore ſuſcipias]. Nam & ſuper Apoſtolos ſonus factus eſt ſpiritus vehementis, & ignearum vtique linguarum ſpecies apparuerunt, ſed non propter Apoſtolos, verum propter tunc adſtantes Iudæos. Nunc verò etiamſi euidentia ſigna non fiant, ea tamen quæ per illa demonſtrata ſunt ſuſcipimus. Nam & columba tunc ideo apparuit, vt extenti quodammodo digiti vice, Dei filium Ioanni mõſtraret: atque vt etiam diſceres, quoniã ſuper te quoque cùm ſacro fõte dilueris, ſanctus Spiritus veniat: iam verò non viſibili ſpecie, qua vtique non egemus, cùm nobis pro cunctis ſola fides ſufficiat. Nam ſigna non credentibus ſed incredulis dãtur. Cur autem in ſpecie venit columbæ? Manſuetum hoc animal, ac mundum eſt. Quia igitur ipſe Spiritus manſuetudinis eſt ſpiritus, propterea in eius ſpecie apparuit. Simul etiã veteris nos videtur admonere hiſtoriæ. Nam cùm vniuerſum aliquã do orbem naufragium cõmune merſiſſet, & omne prorſus hominum genus periclitaretur, iſtud interim certè animal apparuit, finẽque illius tempeſtatis oſtẽdit, atque ore ramum portans oliuæ, pacem mundo redditam nunciauit. Quæ omnia erant futurorum figura. Tunc enim multo erat hominum vita deterior, multóque maiori digna ſupplicio. Ne igitur ipſe deſperes, illius te hiſtoriæ confirmat admonitu. Nam tum quoque deſperatis iam omnino rebus, liberatio facta eſt atque correctio: ſed tunc vtique per pœnam, modo verò per gratiam atque ineffabilem indulgentiam Redẽptoris. Propterea & columba cernitur, nequaquam oliuæ ramum ferens, ſed omnium malorũ liberatorem nobis euidẽter oſtendens, ſpémque ſuggerẽs proſperorum. Non enim ex arca vnũ educit hominẽ: ſed poſtquã apparuit, vniuerſum prorſus orbem attollit in cœlũ, quę certè pro oleæ ramo, omni generi hominũ adoptionẽ detulit filiorum. Conſiderans igitur tanti amplitudinẽ muneris, nequaquã illius inferiorem exiſtimes dignitatẽ, quia ſe in huiuſmodi ſpecie demõſtrauit. Audio quippe dicentes aliquos, quantũ inter hominẽ columbámque diſcrimẽ eſt, tantã Chriſti & ſancti Spiritus eſſe diſtantiã: quia ille quidẽ in noſtra vtique natura, hic verò in ſpecie ſit viſus colũbæ. Quid igitur ad talia reſpõderi poteſt? niſi quòd filius quidẽ Dei, naturam hominis profectò ſuſceperit, Spiritus verò ſanctus nõ aſſumpſerit naturã colũbæ: idcirco Euangeliſta, nõ in natura, ſed in ſpecie colũbæ dixit: nec vnquam omnino poſtea, ſed tunc certè ſolum in hac viſus eſt figura. Si verò propterea minoris illum eſſe autumas dignitatis, inuenientur iuxta ratiocinationem tuã Cherubin quoque multo eſſe potiora: & tãto vtique,

totam legenſ.)

& quod omnes ad baptiſmũ vocaret, &)

obliterandas.)

Exod. 19. & 32.

Ioan. 11. & 12.

Eſa 5.

vt etiamſi iſta poſtea non fiant, ea tamen quæ ex ipſis ſunt manifeſtata, ſemel atque ab initio fide ſuſcipias.)

Act. 2.

Gen. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quanto columbæ aquila præcellit, siquidem istius quo- A
que illa susceperе figuram. Et rursus præstantiores An- Ezech. 11. & 17. Dan. 7.
geli esse credentur: sæpe enim in figura hominum ostẽsi Genes. 18. & 19. & 32. Iosue 5.
sunt. Sed non est istud, omnino non est. Aliud nanque
est ipsius rei veritas, aliud verò temporalis visionis sub-
missio. Noli igitur erga bene merentem ingratus exis-
tere, noli ei vicem referre cõtrariam, qui tantorum rigauit
te fonte donorum. Vbi enim adoptio filiorũ est, ibi et-
iam omnium malorum prorsus interitus, & cunctorum
collatio fit bonorum. Propterea Iudaicum quidem ba-
ptisma aboletur ac desinit, nostrum verò sumit exordiũ.
Quódque in Paschæ mutatione factum est, idipsum ef-
ficitur in nouatione baptismatis. Nam & Pascha cùm
vtrunque Dominus celebrauerit, illi quidem terminum
posuit, huic verò principium. Hic verò Iudaicum post-
quam impleuit baptisma, cõtinuò etiam ianuas illi quo
ecclesia vtitur, reserauit. Sicut ergo in vna tunc mensa,
ita in vno nũc flumine & approbauit vmbram, & addi-
dit veritatem. Sancti enim Spiritus gratia, in Christi ba- B
ptismate est: Ioannis verò baptisma, hac donatione pri-
uatur. Propterea igitur cùm quidem alij baptizarentur,
nihil tale factum est omnino: in isto verò solo qui illud
erat traditurus, impletur: vt cum his quæ dicta sunt etiã
baptismi puritas.) illud addiscas, quòd scilicet non † erat meritum baptizantis] sed baptizati virtus operata est. Tunc enim &
cœli aperti sunt, & Spiritus sanctus superuenit. A veteri
quippe nos in nouum transferens testamentum, & por-
tas nobis supernas recluſit, & sanctum inde Spiritũ mi-
sit, qui ad illam nos patriam cum dignitate maxima cõ-
uocaret. Non enim Angelos nos, neque Archangelos
faciens: sed Dei filios, atque dilectos ad gloriam ducit
æternam. Hæc igitur vniuersa considerans, videlicet &
charitatem vocãtis, & illius ad quam vocaris patriæ cla-
ritatem, & honorem quo vtique donatus es, vitã exhi-
bens muneribus congruentem, crucifige te mundo, ti-
bíque mundum, cúmque omni diligentia cœlestis in te
decus conuersationis exorna. Nec quia corpus tuum C
translatum adhuc in cœlum non est, ideo iam putes cũ
terra aliquid te habere commune, cùm caput iam certè
Luc. 2. Act. 1. tuum regnet in cœlo. Et idcirco quum huc dominus
prius aduenisset, atque Angelos adduxisset: tunc te as-
sumpto illuc abiit, vt tu quoque priusquã illuc ascẽdas,
discas fieri posse, vt tu in terra tanquam in cœlo cõuer-
seris. Permaneamus igitur custodientes eam quã initio
susceпimus dignitatem, & futura quotidie regna quæ-
ramus, omniáque præsentia vmbras esse prorsus ac so-
mnia iudicemus. Neque enim si rex terrenus aliquis as-
sumens te pauperem ac mendicum, repentè sibi adopta-
ret in filium, tu iam ad tugurium & tugurij tui respiceres
vilitatem: & certè non grandi hęc discrimine separãtur:
ita nunc igitur nihil præsentium putes esse precio sum.
Longè quippe maiora sunt ad quæ vocatus es capessẽ-
da. Qui enim vocat, dominus angelorũ est: ea verò quæ
conferẽtur bona, & explicationem sermonis, & cogita-
tionem mentis excedunt. Non enim te à terra transpo- D
nit in terram, vt terrenus iste rex: sed à terra extollit in
cœlum, & à mortali ad immortalem profectò naturam,
atque ineffabilem gloriam: quæ tunc solummodo bene
cernenda à nobis erit, quando etiam possidẽda. Tanto-
rum igitur particeps futurus bonorum, noli auri argen-
tíque curis onerare mẽtem, cæterísque huiusmodi vm-
bris atque imaginibus illudere. An fortè non putas o-
mnia ista quæ cernimus comparatione cœlestis regni
mendicorum panniculis esse viliora? Et quemadmodũ
illo eris honore dignus, quámve satisfactionẽ parabis,
imò quæ non supplicia persolues, post tam grande do-
num ad vomitum priorem trãsfcurrens? Non tam enim
quasi homo simpliciter, sed vt Dei filius peccans, seue-
rius punieris: & ipsa excellentia dignitatis, maioris tibi
fiet causa supplicij. Nam nos quoque haud similiter fa-
mulos peccantes castigamus & filios etiam si ex æquo
deliquerint: & maximè quando magna à nobis aliqua
fuerint beneficia consequuti. Si enim ille qui paradisi
fuerat sortitus habitaculum, propter vnum vtique deli-
ctum tanta post honorem pertulit mala: nos postquam
cœlum accepimus, & cohæredes vnigeniti facti sumus,
quam veniam sperare poterimus, si ad serpentem curra-
mus post colũbam? Non est hic enim, terra es, & in ter- Genes. 3.
ram ibis: & operaberis terram: non illa (inquam) audie-
mus priora: sed quod est multo his amarius, tristiúsque,
exteriores tenebras, insolubilia vincula, vermem perpe-
tua venena fundentem, & stridorem dentium flebiliter
insonantem. Et sanè meritò, qui enim nec inter tãta be-
neficia melior effectus es, iustissimè extrema illa atque
sæuissima tormenta patieris. Cœlum aliquando Helias 3. Reg. 17.
aperuit, & clausit: sed vt pluuiam aut emitteret, aut tene-
ret: tibi autem non idcirco apertũ est cœlum, sed vt illuc
profectò conscenderes: quódque est amplius, non vt a-
scenderes tãtum, verùm vt alios quoque si velles, simul
leuares. tantam tibi in suis omnibus potestatem fiduci-
ámque donauit. Quia igitur ibi est domus nostra, ibi et-
iam omnia recondamus, nihil hìc penitus relinquentes,
ne illud perdamus. Quicquid enim hìc dimiserimus, a-
mittimus. Hic siquidem etsi ostiis thesauros tuos, etsi
clauibus seríque cõmunias, si apponas famulorum mil-
le custodias: etsi superes omnes insidias malignorum,
etsi oculos effugias inuidentium, etsi nulla per tineas da-
mna patiaris, etiamsi nullum omnino rebus inferat de-
trimentum vetustas (quod vtique inter impossibilia nu-
merandum est) mortem tamen nunquam valebis effu-
gere, sed vno tibi momento temporis omnia illa rapiẽ-
tur: nec rapientur modò, sed in manus etiam inimico-
rum plerunque tradẽtur. Si verò in supernam illam do-
mum opes tuas trãsferas, omnia proculdubio ista supe-
rabis. Non enim ostium, non seras & repagula superpo-
ni erit necesse. Tanta est securitas illius ciuitatis, tam in-
despoliabilis regio, & quæ omnino inuia corruptioni
maliciáque permaneat: quod certè constat esse veriss-
mum. Nónne igitur extremæ vecordiæ est, hìc quidem
vbi reposita corrumpuntur ac pereunt, omnia congre-
gare: ibi verò vbi quæcunque recondimus, intacta per-
maneant, augeantúrque, ne minimam quidem repone-
re partem, & hoc cùm ibi sumus sine fine victuri? Pro-
pterea nec gentiles fidem his quæ à nobis dicuntur, ac-
commodant. De actibus enim non de sermonibus no-
stris futurorum volunt habere documentum. Nunc ve-
rò cùm videant ædificari à nobis splendidas domos, a-
gros, balnea atque hortorum amœnitates parari, nolũt
credere quòd alterius nos vrbis profectionẽ paremus.
Si enim, inquiunt, verum esset istud, vendentes prorsus
cuncta quæ hìc possidẽt, illuc profectò præmitterẽt. Id-
que ex his quæ fieri solent, coniectãt. Videmus quippe
locupletiores quosque, domos atque agros illis maxi-
mè in vrbibus cõparare, in quibus habitationem firma-
re statuerunt. Sed nos è cõtrario facimus, & terram qui-
dem quã paulò pòst relicturi sumus, multo cũ studio no-
bis parantes, pro paucis certè iugeribus & exiguis habi-
taculis non modo aurum, sed proprium quoque sangui-
nem frequenter impendimus: vt verò cœlũ nobis ema-
mus ipsum, nec hæc quidem quæ nostris vsibus superãt,
erogamus: Et hoc cùm & exiguo illud precio emere
possimus, & in perpetuum possidere si semel emerimus.
Propterea extremas meritò pœnas luemus nudi illuc
euntes, ac pauperes. Quinimmo non pro nostra paupe-
tate tantum, verumetiam pro eorum quos nostri simi-
les facimus, intolerabilia etiam supplicia perferemus.

Cùm

Cùm enim videant gentiles eos quoque erga ista studi- A
um omne figentes, qui cœlestibus mysteriis perfruun-
tur, multo iam ipsi magis præsentia contuentur, plurí-
mum sanè super nostrum caput ignium hinc quoque
congregantes. Quando enim nos, qui eos deberemus
docere cuncta hæc contemnere quæ videntur, ipsi ex o-
mnibus maximè illos in istorum desiderium concita-
mus: quemadmodum ipsi salui esse poterimus, qui cer-
tè pœnas pro aliorum quoque perditione soluemus?
Matt. 5. Nónne audis Christum loquentem, quoniam pro sali-
bus nos esse in hoc mundo velit, atque lampadibus, vt
& diffluentes deliciis restringamus, & pecuniæ solicitu-
dine obtenebratos illuminemus. Quando igitur ipsos
potius pellimus in tenebras, mollioréque ac magis la-
xos reddimus: quæ tandem nobis supererit spes salu-
tis? Nulla est, omnino nulla: sed mugientes prorsus,
pressíque dentibus infrementes, manibus simul ac pe-
dibus colligatis, in gehennæ trudemur incendium. Et
hoc postquam nos abundè diuitiarum cura confecerit. B
Hæc igitur omnia considerantes, vincula tanti abrum-
pamus erroris, vt nec in illa incidamus, quę nos inextin-
guibili igni tradant, & præsenti hac catena solicitudi-
num liberemur. Qui enim pecuniæ seruit, & præsenti-
bus compedibus stringitur, & futuris paratur: qui verò
istius cupiditatis immunis est, vtraque libertate potiẽ-
tur: quam vt ipsi etiam consequamur, grauissimum au-
riciæ conterentes iugum, ad cœli fastigia subleuemur,
gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui
gloria & honor cum patre & Spiritu sancto in sæcula
sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII. EX CAP. IIII.

TVNC *ductus est Iesus à spiritu in desertum, vt
tentaretur à diabolo. Et cùm ieiunasset quadra-
ginta diebus, & quadraginta noctibus, postea
esuriit. Et accedens tentator, dixit ei: Si filius
Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Qui re-* C
Deut. 8. *spondens dixit: scriptum est, Non in solo pane viuit homo, sed
in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum
diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnacu-
lum templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum: scri-*
Psal. 90. *ptum est enim, Quia angelis suis mandauit de te, & in ma-
nibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait il-
li Iesus rursum.* Tunc istud, ad quodnam tempus aptan-
dum est? Proculdubio ad illud quo descenderat Spiri-
tus sanctus: postquam desuper delata vox dixisset, Hic
est Filius meus. Mirum est verò quod dixit à Spiritu, ni-
mirum sancto: ab hoc enim illum in desertum ductum
esse significat. Quia enim omnia ad nos erudiendos, &
facienda sibi & patiẽda susceperat, in eremum quoque
se patitur abduci, & cum diabolo inire certamen: vt vnu-
squisque cùm fuerit baptizatus, si post baptisma ma-
ioribus tentationibus vrgeatur: non vtique turbetur,
quasi insperatum sibi aliquid obuiauerit: sed permaneat
cuncta viriliter sustinendo, vtpote quæ sibi consequen- D
ter contigerint. Idcirco enim accepisti arma, non vt
otieris, sed vt pugnes. Propterea Deus in te tribulatio-
nes irruere permittit. Primò quidem, vt discas quoniam
Christi baptisma multo te fecerit fortiorem. Deinde,
vt in egregia illa animi mediocritate permaneas, neque
donorum magnitudine eueharis, dum te scilicet tenta-
tiones cohibent & refrænant. Ad hæc verò, vt malig-
nus ille dæmon cùm de tua à se discessione dubitat,
ex ipsa tribulationum tolerantia discat, quod perfecta
ab illo abrenunciatione discesseris. Quartò, vt fortior,
& ipso prorsus ferro valentior, tentationum exercita-
tione reddaris. Quintò, vt capias grande documen-
tum thesaurorum tibi à domino creditorum. Neque
enim supergueniret tibi, neque aduersus te diabolus ir-
rueret, nisi in maiore te positum honore conspiceret.
Hinc enim aduersus Adam insurrexit ab initio, quia
multa illum dignitate vidit conspicuum. Propterea &
contra sanctum Iob nequiciæ suæ arma commouit, quia
vtique videbat illum ab omnium Deo miris laudibus
coronatum. Quomodo igitur Dominus dicit, Orate Matt. 26.
ne intretis in tentationem: propterea non eum vltrò
isse in eremum, sed à sancto Spiritu ductum esse Iesum
commemorat, iuxta dispensationis profectò rationem:
vt nos videlicet apertissimè signatum esse videamus,
quia non spontè nosipsos in tentationes oporteat insili-
re: sed si contracti fuerimus, viriliter repugnare. Et
considera quónam illum assumens spiritus duxerit, non
in vrbem, neque in forum, sed in eremum. Quia enim
diabolum volebat allicere, non de esurie solum, verum-
etiam de loco occasionem illi tentationis ingessit. Tunc
quippe maximè aliquos diabolus aggreditur, cùm so-
los viderit, atque ab aliis segregatos. Sic denique mu- Genes. 3.
lierem ab initio aggressus est, solam illam excipiens,
atque à viro inueniens separatam. Quando enim vi-
derit aliquos copulatos, haud similiter audet accede-
re. Vnde maximè oportet etiam ob hanc causam fre-
quenter nos aliis aggregari, vt non facilè in diaboli
captionem paremur. Inuenit ergo illum in nullo soli-
tudinis. Quòd enim talis esset eremus, Marcus diligen-
ter notauit, de domino, dicens: Et erat cum bestiis. Marc. 1.
Considera verò cum quanta ad eum arte malignitatis
accedat, quódve præcipuè tempus obseruet: non enim
ieiunantem tentat, sed esurientem, vt scilicet discas
quàm sit bonum grande ieiunium: & quia hæc aduer-
sus diabolum arma sint maxima, quódque post bapti-
sma non deliciis atque temulentiæ, non mensæ epulis
onustæ, sed ieiunio animum debemus intendere. Pro-
pterea enim & Dominus ieiunauit, non quia hoc indi-
geret ipse, sed vt nos vtique doceret, quibus peccata
ante baptisma dominatio ventris intulerat. Vt enim si
aliquis ægrotum quem ad sanitatem reduxit, iubeat il-
la non facere ex quibus morbus ille contigerat: ita et-
iam post baptisma ieiunium contra vitium edacitatis
induxit. Nam & Adam de paradiso intemperantia ven-
tris eiecit, & diluuium sub Noë ista commeruit, & ful-
mina in Sodomitas ipsa deduxit. Etsi enim fornicatio-
nis quoque ibi crimen horrebat, sed hinc tamen vtri-
usque radix supplicij pullulauit. Quod Ezechiel quoque
notando dicebat: Veruntamen hoc erat peccatum So-
domorum, quoniam in superbia, & in saturitate panum, Ezech. 16.
& in abundantiis affluebant ac lasciuiebant. Et sic et-
iam Iudæi maxima prorsus mala frequenter operati
sunt, & ad iniquitatem deliciis atque ebrietate præci-
pites acti: propterea & ipse quadraginta dies ieiunat,
nobísque ostendens remedia salutis. Nec tamen vltrà
progreditur, ne scilicet rei admirandæ excessus incredi-
bilem faceret suscepti hominis veritatem. Nunc verò
nequaquã fit istud, quia prius Moses & Helias Dei po-
tentia sustentati, in hanc ieiunij longitudinem peruene-
re potuerũt. Si verò vlterius progressus fuisset, plurimis
etiam incredibilis fuisset carnis assumptio. *Cùm igitur
quadraginta dies ac noctes ieiunasset, postea esuriit.* Occasio-
nem diabolo tentandi præbens, vt prius ipse congres-
sus quo modo etiam ab aliis vinci possit, ostenderet. Sic
enim faciunt athletæ, qui cùm discipulos suos vincere
docent, data opera in palæstris cum aliis certamen ex-
ercent, vt in luctãtium corporibus faciãt artem spectа-
re vincendi: quod in hac quoque colluctatione constat
esse effectum. Quia enim diabolum ad certandum vo-
luit attrahere, esuriem suam ei fecit manifestam, & non
repulit accedentẽ. Sed cùm eum suscepisset ad luctam:

Universidad de Deusto
Biblioteca

& semel, & iterum, & tertiò cum facilitate quæ eum A maximè decebat, elisit. Sed ne ipsas victorias transcurrendo, vtilitatibus vestris aliquid detrahamus, à primo inchoátes conflictu, vnumquodque certamen diligentius indagemus. Postquam enim esuriit, inquit: *Accedens tentator dixit ei: si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Cùm enim audisset venientem de cœlo vocem atque dicentem: Hic est Filius meus dilectus: audisset etiam Ioannem testimonium illi tam insigne perhibentem, ac deinde ipsum esurientem videret, magno teneri cœpit ambiguo. Nam neque hominem illum esse nondum credere poterat, propter ea quę diuina vox de eo protulerat: nec rursus istud recipere quòd filius esset Dei, quē esurientem videbat. Itaque maxima rerum conclusus angustia, voces emittit ancipites. Et sicut in rerum primordiis accedens ad Adam, finxit illa quæ non erant, vt quæ erant disceret: ita hîc quoque nesciens manifestè susceptí hominis ineffabile sacramentum, & quisnam esset hic præsens: alia retia iacere molitur, per quę B se absconditum istud atque secretum opinatur addiscere. *Si filius*, inquit, *Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Non dixit, quandoquidem esurias: sed si filius Dei es: videlicet existimans posse se illi aliquid per laudum blandimenta suffurari. Idcirco non commemorauit esuriem, ne hoc ei quasi exprobrare atque obiicere videretur. Magnitudinem quippe tantæ dispensationis ignorans, istud ei erubescendum putabat: propter quod dolosa illum adulatione palpando, solius mentionem facit dignitatis. Quid igitur Christus? Insolentiam eius fastúmque deiiciens, & ostendens id quod acciderat, nec cōfusione dignum, nec indignum sua esse sapientia: id quod ille in eius adulatione absconderat, in medium profert, palámque constituit. *Non in solo*, inquit, *pane viuet homo.* Ita nihil erubuit à necessitate ventris incipere. Tu verò maligni dęmonis perpende nequitiam, & vnde faciat initia luctandi, & quemadmodum propriæ non obliuiscatur artis. Per quæ enim & primum expu- C lit hominem, & alios certè plurimos malis mille circundedit: per hæc etiam nunc texit dolos, prouocans scilicet ad ventris intemperiem. Multos igitur stultorum nunc etiam audire possumus, qui dicant mala propter ventrem innumera committi: sed Christus ostendit, quòd amatorem virtutis nihil tyrannis ista indecens facere compellat. Denique & esuriit, & non obedit imperanti: nos profectò erudiēs, ne vnquam diabolo credamus. Quia enim primus homo hinc offendit Deum, legémque transgressus est: ex abundanti te docet, quòd & si non tibi præuaricationem ille præcipiat, nec sic quoque esse credendum. Et quid dico præuaricationem? etiamsi aliquid vtile dæmones loquantur, nec sic quidem illos debes audire. Sic enim etiam illos dæmones loqui vetuit, qui eum Dei filium prædicabāt: Luc. 4. Act. 16. & Paulus rursum idipsum inclamantes increpauit: & certè erat vtile quod dicebant: sed magis eos magísque deprimens, eorúmque insidias destruens, exagitabat sa- D lutaria quoque dogmata prædicantes, vndique eorum ora claudēs, & tacere præcipiēs. Idcirco ne hic quidem dictis eius annuit Christus: sed quid ait? *Non in solo pane viuet homo.* Quod verò dicit, hoc est, potest esurientem Deus etiam verbo pascere. De veteri autem testimonium protulit testamento, nos docens vt siue famē, siue aliud patiamur aliquid, nunquam tamē Dominum relinquamus. Si verò quis dixerit, & quidem debuit hoc quod petebatur ostendere: respondebo, Cuius rei gratia? quáve id exigente ratione? Non enim vt crederet, hæc ille dicebat, sed (quantum opinabatur) vt ipsum de infidelitate cōuinceret. Siquidem etiam primos homines hac arte decepit, eósque parum Deo credidisse cōuicit. Contraria enim Dei dictis dixit ille promittēs, cósque inanibus spebus inflauit: quum persuasione fecisset incredulos, etiam ab illis bonis, quibus fruebantur, exclusit. Sed Christus ostēdit se neque tunc diabolo neque postea Iudæis iuxta diabolum sapientibus, signúmque postulātibus annuisse, vbique nos docens, vt etiamsi aliquid eiusmodi facere possimus, nihil tamen vel absque ratione, vel cum aliqua vanitate faciamus: nec diabolo vnquam credamus, etiamsi magna quædā necessitas vrgere videatur. Quid igitur sceleratus ille, atque deuictus? Postquam præceptum suum illi persuadere non potuit, & hoc cùm tanta vrgeret esuries: ad aliud procedit, & dicit: *Si filius Dei es, mitte te deorsum: scriptum est enim, Quoniam angelis suis mandabit de te, & in manibus* Psal. 90. *tollent te.* Cur autem ad singula tentamenta istud proponit, ac dicit, Si filius Dei es? Idipsum etiam nunc facit, quod fecit in maioribus nostris. Sicut enim tūc de Deo detrahens ait, Scit enim Deus, quòd in quacunque die Gen. 3. manducaueritis, aperientur oculi vestri: per hæc ostendere volēs illos circunuēctos esse à Deo atque deceptos, nullúmque ab eo beneficium consecutos: ita hîc quoque idipsum profectò significat quodammodo, dicens: Fruſtra te filium suum nominauit, talíque donatione decepit. Aut si certè aliud est, documentum nobis aliquod tantæ ostende virtutis. Deinde quoniam ille fuerat de scripturis locutus, etiam Dominus testimoniū illi protulit de propheta. Quemadmodum igitur Christus verba eius audiuit? nihil indignatus est, nihilque cōmotus: sed cum multa modestia scripturarum ei rursus voce respōdet: *Non tentabis dominum Deum tuum.* Deut. 6. Nos vtique docēs, quòd diabolum per patientiā ita oporteat atque tolerantiā, non per signa superari: nihilque ad ostētationem nostri, atque amorē facere gloriandi. Cōsidera verò diaboli insipientiā de testimonio quoque ipso quod protulit. Nam ea quidē quæ à Domino prolata sunt, satis aptè vtique prolata: quæ verò ab illo vsurpata, ineptè nimium ac prorsus incōgruè, nec ad rem de qua agebatur, aptè accōmodari possūt. Neque enim quod scriptū est, Angelis suis mandabit de te: suadet vt se ipse iaciat; atque præcipitet: præterea verò neque de Domino istud dictum est, quanquam hoc quidem tum non refellit. Et certè cū ille iniurioso sermone abusus fuisset, valdéque contrariè: nemo enim à Dei filio istud exposcit. Dæmonum quippe est seipsos iacere deorsum, Dei verò homines erigere iacentes. Nam si potētiam oporteret ostēdi, non semetipsum temere proiiciēdo ac præcipitando ostenderet, sed alios profectò saluādo. Cæterum seipsum in præcipitia ac prærupta proiicere, diabolicæ est cateruæ. Quoties enim istud aliqui faciunt, consilio nimirum seductoris agitantur: at Christus etiam cùm ista dicta sint, nondum se tamen reuelat, sed quasi homo ei interim loquitur. Dicere enim, quia non in solo pane viuet homo: &, Non tentabis dominum Deum tuum: nō valde seipsum manifestantis erat, sed vnum se ostendentis D è cæteris. Neque verò mireris, si diabolus Christo loquens sæpe huc illúcque vertatur. Nam vt præliātes solent, cùm acceperint lethales plagas multo vtique sanguine perfluētes, tenebráque patiētes, moribunda circumferre mēbra: ita hic quoque prima statim ac secūda fauciatus plaga, & vertigine correptus, in alia atque alia verba deuoluitur: & tamē hic quoque tertium certamē ingreditur, & ducēs illum in montem excelsum valde, ostēdit ei omnia regna mūdi, & dixit: *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me: tūc dicit ei,* * *Vade satana. Scriptū est enim: Dominum Deum tuū adorabis, & illi soli seruies.* Deut. 6. * abi post me Satana: ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ. vt habet vterque

Quia enim iam in Patrem ipsum nequissimus ille peccauerat, omnia quæ illius sunt sua esse dicendo, ac planè se Deū studeret profiteri, quasi cunctorū esset creator: tūc eum iam

codex regius. Erasmus tamē secus legisse videtur. Luc. 4.

eum iam vtique corripit: & ne tunc quidem vehemen- A tius, sed omnino simpliciter atque mediocriter. *Vade*, inquit, *satana.* quod præceptum magis quàm increpatio fuit. Postquam verò ei dixit, Vade, continuo illum vertit in fugam. Neque enim aliis præterea tentationibus appetiit. Et quomodo, inquies, Lucas ait, quòd omnem tentationem consummauerit? Mihi quidem videtur is qui præcipua capita tentationum enumerauit, omnia dixisse, vt ea quoque omnia pariter intelligas, quæ sub istis quasi principalibus continentur. Hæc enim sunt quæ in se mala innumera comprehendunt seruire ventri, inanis appetitu gloriæ quippiam facere, ac furioso pecuniarum amore superari. Quod vtique etiam sceleratus iste cognoscens, quasi omnibus vitiis fortiorem pecuniarum cupiditatem postremo loco posuit, ante iam quidem, & prorsus ab initio certaminis idipsum meditatione parturiens: extremum verò illud reseruans, quasi quod omnibus valentius esse iudicaret. Hic quippe mos deceptionis eius est, vt quæ B magis ad supplantandum idonea esse credit, hæc adhibeat extrema. Quod certè etiam in sancti Iob tentatione seruauit. propter quod hîc quoque cùm ab illis quæ videbantur faciliora atque infirmiora cœpisset, ad fortius trāsiit. Quemadmodum igitur istud superari oportet? ita proculdubio vt ipse Christus edocuit; vt scilicet refugiamus ad Dominum, & ne fame quidem ipsa deiiciamur, credentes ei, quòd vel solo possit alere sermone: & ne in illis quidem quæ accepimus bonis, tentemus datorem, atque vt cœlestis tantummodo gloriæ claritate contenti, terrena ista pro nihilo iudicemus: & semper sciamus esse contemnendum quicquid mensuram necessarij vsus excesserit. Nihil enim sic diabolo subiici hominem facit, vt inhiare opibus, atque habendi amore superari. Idque ex his quæ nunc fiunt facilè doceri potest. Nam modo quoque non desunt qui dicant: hæc tibi omnia dabimus, si procidens adoraueris. Qui quidem homines sunt natura, sed per vo- C luntatem suam diaboli facti sunt instrumenta. Vnde & tunc non per seipsum met tantummodo, sed per alios quoque accedebat ad Christum. Quod etiam Lucas signi- Luc. 4. ficando dicebat, Discessit ab eo vsque ad tempus: ostendens quòd postea per sua aduersus illum instrumenta pugnauerit. *Et ecce accesserunt angeli, & ministrabant ei.* Quandiu enim fuit in conflictu positus, nequaquam eos apparere permisit: ne scilicet ante victoriam superandum fugaret. Postquam verò illum per cuncta deuicit, & victum fugere præcepit, tunc angeli consequenter apparent? vt tu discas quòd te quoque post confectam de diabolo victoriam, angeli repente suscipiant, plaudentes tibi, téque stipatorum vbique more comitantes. Sic igitur & Lazarum post fornacem Luc. 16. paupertatis ac famis, totiúsque angustiæ susceipientes angeli, ad requiem pertulerunt. Quod enim paulò antè memorauí, multa nunc eorum Christus ostendit, quibus nos postea perfruemur. Quia igitur hæc omnia D propter te facta sunt, æmulare hanc atque imitare victoriam. Et si ad te ex cultoribus dæmonis, ac de illa sapientibus aliquis accedat, tibíque exprobret, ac dicat: Si magnus quidam es atque mirabilis, transfer hunc montem: nihil omnino turberis, nec ad iracundiam velut quadam feritate rapiaris, sed commoda ratione respondes, dicens illud quod Dominum certè tuum audisti paulò antè dicentem: Non tentabis dominum Deum tuum. Et si ille gloriam potentiámque proponens, & infinitam pecuniæ multitudinem, adorare te iubeat, sta perseueranter prorsus, ac fortiter. Non solum enim in communem nostrum omnium dominum hoc diabolus fecit, sed quotidie prorsus quoscunque

Chrysost. tom. 2.

famulos eus huiuscemodi machinis fretus oppugnat, haud in montibus solum, & in cremo atque desertis nec per semetipsum tantummodo, sed in vrbibus, & in foris, & iudiciorum locis, & per homines naturæ nobis societate coniunctos. Quid igitur facere nos conuenit? Ex toto videlicet illi non credere, atque obstruere prorsus auditum, & odisse etiam blandientem. Túncque illum auersari maximè, cùm maiora promittit: quia & Euam quando maximè spebus extulit, tunc vtique deiecit, magísque illi inuexit incommoda. Nam & hostis est ferox, & bellum infert non denunciatum. Nec tantum nos pro salute nostra, quantum ille perditione decertat. Aduersemur huic igitur non sermonibus tantum, sed & operibus: non cogitationibus solum, sed & actibus: nihilque ex his quæ illi solent placere faciamus. Sic enim omnia quæ Deo placitura sunt, faciemus. Nam ille quidem multa sæpissimè pollicetur, non vt det, sed vt potius accipiat: promittit plu- B rima de rapinis, vt auferat regnum atque iusticiam: & quasi quosdam laqueos tendens atque decipulas, thesauros pollicetur in terra, vt etiam nos & istis thesauris, & cœlestibus spoliet. Vult nos in hoc sæculo ditari, ne diuites simus in futuro. Et si non potuerit per diuitias ab illa nos excludere beatitudine præmiorum, alia ad nos via, id est paupertatis, accedit: quod sanctum quoque Iob impugnando faciebat. Quia enim vidit nihil ei nocuisse diuitias, retia ex paupertate contexuit, inde saltem credens eum posse laqueari: quo quid aliquando queat esse vecordius? Nam qui potuit modestè ferre diuitias, multo magis poterat etiam fortiter ferre pauperiem. Et qui præsentes opes absque cupiditate possederat, facilè non requirebat absentes. Itaque beatus ille non opulentia, sed inopia factus est illustrior. Siquidem diuitias malignus spiritus auferre potuit, charitatem verò qua erga Deum ille feruebat, non modo auferre non potuit, sed fecit etiam feruentiorem: & quem cunctorum possessione nudauerat, maioribus postea fecit vestiri atque ornari bonis. Et idcirco in magna rerum versabatur angustia, cùm quanto plures, quantóque maiores admouit plagas, tanto eum potentiorem videret effectum. Itaque cùm omnia peregisset, maximóque tentationum strepitu explorasset, nihil tamen explicare potuisset, ad antiqua illa arma cucurrit, ad fœminam, & personam sibi induit quasi piè aliquid prouidentis, per quam calamitatum eius tragœdiam miserabiliter inculcat: & simulat se ad ipsius ex tantis liberationem malis noxium illud afferre consilium: verùm nec sic quidem valuit obtinere. Vi- Iob. 2. dit enim dolosam eius escam vir ille mirabilis, & loquentem ex diabolo coniugem, maxima repentè prudentia in silentium coarctauit, quod nos quoque facere conuenit. Nam etsi fratris, etsi amici charissimi, etsi coniugis, etsi necessariorum cuiuslibet alterius personam indutus, aliquid eorum quæ non decent loquatur: † non illum per quem loquitur, sed illum qui loquitur], auersari atque horrere debemus. Nam modo quoque plurima similia horum facit, ac personam consolantis & compatientis sibi sumens, multa dicit quæ specie quidem commoda esse videntur, re verò letifera sunt: siquidem venenosis omnibus nocentiora verba nouit infundere. Blandiri enim vt noceat, diaboli est: corripere verò vt prosit, Dei. Nequaquam igitur aliter quàm se res habet, intelligere conemur, neque per omnem modum vitæ huius tranquilla sectemur. Quem enim diligit Dominus, corripit. Quādo ergo prosperitate fruimur, & in malignitate viuimus, tunc magis nobis est ac magis dolendum. Nam semper quidem nos oportet metuere peccantes, maximè autem Prou. 3.

† Non à persona quæ illa profert, consilium recipere, sed à consilio pernicioso talia proferētem.

Universidad de Deusto Biblioteca

cùm nihil triste perpetimur. Quando enim per partes ab vnoquoque nostrum Deus pœnas exigit, leuiorem nobis ipsam animaduersionem facit. quando verò patientius nostra videtur dissimulare delicta, ad maximã nos in talibus permanentes pœnam reseruat: quando enim iustis non desit tribulatio, quanto magis illa expectanda
Exod. 14. da est peccatoribus? Perpende igitur quanta Pharao Dei patientia quondam potitus, extremam pro cunctis
Dan. libr. postea pertulit vltionem. Nabuchodonosor quoque postquam plurima & magna peccauit, grauius in fine
Lucæ 16. punitus est. Et purpuratus ille diues, quo magis nihil triste sustinuit, hoc ipso infœlicior fuit. De præsenti enim vita deliciatus abscessit, dignam pro his omnibus vindictam daturus, vbi certè nec consolationem inuenire posset malorum. Et tamen sunt quidam ita frigidi prorsus ac stolidi, vt præsentia magis eligant, & ridicula illa verba depromant: Interim fruar præsentibus, & tũc de incertis videro. Indulgebo ventri, seruiam voluptati, abutar istius vitæ iucunditate: da mihi quod præsens est, accipe quod futurum est. Et in quo tandem ab hircis & porcis differunt tam irrationabilia proferẽtes?
Hier. 15. Equi, inquit, insanientes in fœminas facti sunt: vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. non concedit propheta, vt eos qui tales fuerint, homines nuncupemus. Quis ergo culpare nos poterit, quum hircos & porcos atque asinis stultiores putamus eos, qui ea quæ clariora sunt quàm quæ cernuntur oculis, esse adhuc putant obscura & ignota? Si enim nulli alij credis, audi dæmones saltem, quum Dei potentia verberantur, qui certè ad nobis nocẽdum, omnia & facere meditantur, & dicere. Neque enim negare poteris quòd omnia illa agant ad nostram desidiam nutriendam, & gehennæ resoluẽdum timorem, atque vt nullum credatur futurum esse iudicium. Sed tamen hi qui ista cupiunt persuadere, clamantes nihilominus atque vlulãtes, frequenter prædicant ibi exercenda supplicia. Vnde igitur hæc dicũt, & contra quàm volunt loquuntur? nequaquam aliunde, nisi quia ad istud cruciatus sui nimietate coguntur. Neque enim sponte vel hoc illi voluissent fateri, vel quòd à mortuis hominibus sæpe torquentur, vel quòd omnino aliquid triste patiuntur. Cur igitur hæc dicimus? quia scilicet gehennam etiam dæmones esse fateantur, qui à nobis gehennam credi omnino nolunt. Tu verò cùm tãto honore potiaris, & ineffabilium mysteriorum sis certè particeps, ne illos quidem inueniris imitari: sed ipsis quoque deterior effectus es. Et quis, inquis, venit ab inferis, & talia nunciauit? Sed & de cœlo quis venit, & dixit quia Deus sit qui cuncta condiderit? Animam quoque vnde nos habere manifestum est? Si enim sola illa crediturus es quæ videntur, & de Deo, & angelis, & de anima ac mente dubitabis: sic tibi omnia prorsus veritatis dogmata deperibunt. Et certè si manifesta vis credere, inuisibilibus magis te oportet fidem quàm visibilibus commodare. Quanquam enim admirabile satis sit, magnúmque quod dixi, tamen verum est, & habentibus intellectum absque vllo ambiguo confitendum. Oculi enim carnis sæpe falluntur, nõ vtique in illis quæ inuisibilia esse constat, illa quippe ex toto nesciunt, sed etiã in his ipsis quæ videntur aspicere. Falluntur autem & spacij longitudine, & aëris qualitate, & mente aliò intenta, & ira, & solicitudine, & mille aliis, quibus eorum perspicuitas impeditur. At vero mentis oculus si diuinarum scripturarum lumen recipiat, multò certius, atque ab omni prorsus errore alienum, harum quæ sunt incipiet habere rerum iudicium. Nequaquam ergo nobis illudamus ipsi, neque præter desidiam vitæ, quæ de talibus est orta dogmatibus, etiã propter ipsa dogmata maius nobis conflemus incen-
A dium. Si enim iudicium non est futurum, neque pro malis actibus supplicia soluemus: sequitur, vt neque pro sanctis laboribus prẽmia capessamus. Perpendite igitur, quousque vestra blasphemia prouehatur, qui dicitis iustum, mitem, ac misericordem Deum tantos suorum labores sudorésque despicere. Et qua tandem istud poterit ratione defendi? Itaque etiamsi aliunde omnino nequeas, exemplo tamen propriæ domus ista considera, & tunc manifestam hanc stulticiam deprehendes. Nam & si millies ipse sis immisericors atque crudelis, & vltra omnes feras rationis extraneus, nequaquam tamen pateris vt amantem tui seruulum moriens inhonoratum relinquas, quem certè & libertate donas, & pecunia, cæterísque muneribus: & quia ipse nihil ei iam poteris præstare post mortem, eum patrimonij tui hæredibus solicitè commendas, rogans pro illo ac deprecans, facísque prorsus omnia ne illum irremuneratum relinquas. Tu igitur tam malignus, erga seruulum tamen tam
B benignus ac misericors inueniris: Deus vero infinita illa bonitas, ineffabilis misericordia, inæstimabilis pietas, famulos suos Paulum, Petrum, Iacobum, Ioannem, cæterósque horum similes, propter ipsum confectos fame, afflictos vinculis, verberibus cæsos, fluctibus mersos, bestiis traditos, quotidiéque morientes, perpessos quanta nec numerari quidem possunt, incoronatos, inhonoratósque despiciet? Et ille quidem ludi præfectus & moderator, eum qui in Olympico certamine victor extiterit, prædicat & coronat, & dominus seruum, & rex militem, cuncti generaliter bene de se meritos, quibus possunt remunerant bonis: Deus verò solus post tam largos sudores, póstque tam multos labores, nec amplum, nec exiguum prorsus bonum propriis cultoribus recompensabit? Sed sancti illi atque iusti, cunctísque prorsus virtutibus dediti, illic demum iacebunt vbi adulteri, homicidæ, ac parricidæ, vbi violatores etiam sepulchrorum? & quam tandem habent ista rationem,
C si nihil est post illum, quo hinc auferimur, abscessum: sed res nostræ huius vitæ limitibus circunscriptæ sunt? In eodem verò statu sunt etiam qui studia habuere diuersa, immò ne in eodem quidem per omnia. Nam & si post obitum eadem sunt fortè iuxta rationem tuam, at in terris agentes in relaxatione & ocio mali, in ærumnis & pœnis pij totũ æuum traduxerunt. Quis tandem vnquam tyrannus, quis ita crudelis, ita truculentus ac barbarus, tam durè de cultoribus suis ac subditis iudicabit? Vides certè stulticiæ magnitudinem, considerasti vbinam huiusmodi ratiocinatio terminetur? Age igitur, & si nulla alia, his saltem rationibus eruditus, ab hac malignissima suspicione desiste, ac fuge longiùs vitia, & laborem qui est pro virtute complectere: & tunc cognosces quòd non tantum vsque ad præsentium possessionem bona nostra perueniũt. Quòd & si aliquis dixerit, quis inde veniens, ea quæ ibi sunt, indicauit? responde. Homo equidem nullus, nam illi forsitan credẽ-
D dum non fuisset, vtpote pompam magnam omnino facienti rebus, eásque elatius proferenti: at verò angelorum Dominus cuncta illa nobis maxima cum veritatis reuerentia reuelauit. Quid igitur homine nobis opus est indice, cùm idem ille qui exacturus est ista supplicia, clamet quotidie, quòd & gehennam pararit, & regnum: atque horum præbuit nobis clara documẽta? Si enim nequaquam ibi iudicaturus esset, ne hîc quidem vnquam vltionẽ irrogasset. Nam hoc quoque quam putamus habere rationẽ, quòd malorum quidã non puniuntur, cũ alij puniantur: nisi fortè Dominum personarũ acceptorem quis dixerit? Itaque vanum etiam istud est, si credãtur alij quidẽ pœnas soluere, alij verò hinc impunè trãsire. Hoc enim priore illo est errore deformiùs. Sed si

bono

bono me animo volueris audire, hãc quoque quæstionem breuiter absoluam. Quænam igitur hæc absolutio est? Neque ab omnibus hic Deus exigit vltionem, ne resurrectionem vtique desperando, iudicium quoque desperes futurum, quasi omnium iam hîc suppliciis persolutis. Nec tamen omnes sinit impunè transire, ne cuncta prorsus absque vlla esse prouidentia suspiceris. Sed & non punit, & punit: per ea quidem quæ punit, ostendens ibi ab eis qui hic immunes supplicij fuerint, exacturum se esse rationem: per ea verò quæ non punit, sperare nos faciens esse terribile prorsus post ista iudicium. Si verò in vniuersum nullam rationem habuisset priorum, nec vllum hic aliquando punisset, nullum beneficiis honorasset. Nũc autem vides propter te & cœlum extendisse, & accendisse solem, & fundasse terram, & maria fudisse, & aëra pandisse, & lunæ disposuisse cursus, & immutabiles anni leges hominibus ordinasse, aliáque omnia cernis nutu eius cursum suum absque cessatione perficere. Omnis quippe nostra, irrationaliúmque natura, reptilium, serpentium, atque gradientium, volantium quoque ac natantium in fretis, in stagnis, in fluminibus, in fontibus: tum eorum quæ in montibus vagantur ac vallibus, tum quæ in aëre, in domibus, in campis: tum semina vniuersa, tum germina, arbores quoque & syluestres, & mites, tum steriles, tum feraces, cæteráque omnino cuncta ab illa nihil laborante prorsus manu tum creata, tum mota in nostram dispensantur salutem. Nec solum ad necessarium nobis vsum, verumetiam ad exercenda liberalitatis officia, & communicandi ministeria præstantur. Tantum igitur cernens ordinem rerum, & certè ne exigua quidem à nobis numerata pars est, audes dicere quòd ille qui tanta est propter te operatus ac talia, in extremis te obliuioni trãdat, cúmque asinis ac porcis mortuum iacere patiatur: & cùm tanto te munere suæ pietatis honorauerit, qua te Angelis quoque fecit æqualem, post labores innumeros sudorésque despiciet? Et quánam hæc poterunt rationis similitudine colorari? Hic enim etiamsi nos fortè taceamus, lapides proclamabunt, tam certa & clara sunt, atque ipso lucidius sole fulgentia. Hæc igitur considerantes omnia, persuadeamus animæ nostræ, quòd postquam hinc fuerimus profecti, & ante terribile illud adstaturi sumus tribunal, & omnium quæ hic egimus rationem reddituri. Nam & supplicia perferemus, si in peccatis perseuerauerimus: & potiemur coronis, bonísque ineffabilibus perfruemur, si paruo hoc tempore nos voluerimus excolere, eorúmque qui his contradicere ausi sunt, ora claudamus: ipsi verò gratissimam eligamus virtutis viam, vt digna cum fiducia ad iudicium illud abeuntes promissa nobis præmia consequamur, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui gloria cum Patre & Spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIIII. EX CAP. IIII.

AVDIENS *autem Iesus, quoniam traditus esset Ioannes, secessit in Galilæam. Et relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in ciuitate Capernaum maritima, in finibus Zabulon & Neptalim: vt adimpleretur quod dictum est per Esaiam Prophetam: Terra Zabulon, & terra Neptalim, via maris trans Iordanem Galilæa gentium: populus qui * ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Exinde cœpit Iesus prædicare & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare: erant enim piscatores. Et ait illis, Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum. Et procedens inde vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum reficientes retia sua, & vocauit eos. Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum. Et circumibat Iesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo.*

* Reliqua ista portio textus in Græco codice nõ habetur hoc quidem loco, quæ ab interprete aut ab impressore adiecta videri possit, vt & plerisque aliis in locis, initio præsertim homiliæ, & assumpta à textu vulgari, qui cum Chrysostomo vbique non consentit: vt vbi habet, Populus qui ambulabat in tenebris, Chrysostomus, qui sedebat, legisse videtur.

Qua tandem ratione secedit? Iterum nos docens, non vltrò in tribulationes irruere, sed secedere potius atque discedere. Neque enim crimen est non semetipsum in pericula sponte proiicere, sed non fortiter cùm incideris permanere. Hoc igitur nunc docens, & materiam subtrahens inuidiæ Iudęorum, secedit in Capernaum: tum prophetiam quæ de ipso concinnuerat adimplens, tum etiam capere festinãs orbis magistros. Ibi quippe illi exercendæ tunc artis suæ studio morabantur. Tu verò considera quemadmodum eundi ad
B Gentiles occasionem à Iudæis semper accipiat. Nam hîc quoque cùm præcursori eius insidias tetendissent, & in carcerem coniecissent, ipsum in Galilæam gentium ire compellunt. Vt autem intelligas, quòd neque ex parte de Iudæorum hîc gente dicatur, neque omnes significentur tribus, cõsidera quemadmodum regionem illam Propheta secernat hisce verbis: *Terra Zabulon, & terra Neptalim via maris trans Iordanem Galilæa gentium: populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam.* Tenebras hic non istas profectò sensibiles, sed errores atque impietates vocauit: propter quod & intulit. *Sedentibus in regione & in vmbra mortis, lux orta est eis.* Vt enim disceres, quia neque lumen, neque tenebras has sensibiles nominaret: cùm de lumine loqueretur, non simpliciter lumen posuit, sed lumen magnum, quod alibi appellat & verum: & tenebras exponens, vmbram mortis vocauit. Deinde monstrans quia non ipsi inquirentes inuenerint: sed vltrò illos Deus desuper illustrauit: Ipsum,
C inquit, eis lumen exortum est, ac refulsit: non quòd illi prius ad lumen accesserint. Ante aduentum quippe Christi in extremis nimirum malis vita erat hominum constituta. Neque enim ambulabant in tenebris, sed sedebant in tenebris: quod vtique signum erat, ne spem quidem illos liberationis habuisse: sed sedebant à tenebris comprehensi, quasi ignorantes prorsus quónam promoueri deberent. Sedebãt in tenebris, vt qui omninò nec stare iam possent. *Exinde cœpit Iesus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Exinde, quando significat? Ex quo scilicet tempore Ioannes in carcere inclusus est. Cur autem non ab initio statim eis prædicauit? Quid autem opus erat Ioanne, cùm Christum satis ipsa operum suorum testimonia prædicarent? vt videlicet hinc quoque illius dignitatem disceres, quòd sicut pater, ita etiam filius haberet Prophetas. Sic enim Zacharias ipse dicit in Spiri- Luc. 1.
tu: Et tu puer Propheta altissimi vocaberis. Deinde vt
D ne impudentibus quidem Iudæis defensionis pars vlla remaneret: quod quidem etiam ipse posuit, dicens: Ve- Matth. 11.
nit Ioannes neque manducans, neque bibens, & di- Luc. 7.
cunt: dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus: & iustificata est sapientia à filiis suis. Tum etiam fuit omnino necessarium, vt ea quæ de illo erant dicenda, non ab ipso prius quàm ab aliis dicerentur. Si enim post tot ac tanta illa testimonia atque documenta clamabant: Tu testimonium perhibes de teipso, testimonium tuum non est verum: si nihil prius Ioanne dicente processisset in medium, ac pro se testimonium ipse dixisset, quid non illi fuissent locuti? Propterea nec prædicat anteaquam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioannes, nec mirabilia operatus est, quoadusque ille in-
cideret in vincula: ne hac existente causa, magna pars
populi scinderetur. Idcircò nec aliquod signum fecit
Ioannes: vt ex hoc quoque multitudinem traderet
Christo, quæ ad eum signorum admiratione confluer-
ret. Si enim tot rebus ritè peractis, & ante carcerem Io-
annis, & post carcerem, discipuli eius tam pertinaci ad-
uersum Christum æmulatione feruebant, ac plerique
Ioan. 1. non ipsum, sed Ioannem Christum esse suspicarentur:
si horum nihil fuisset, quid tandem non accidisset? Pro-
pterea etiã Matthæus signauit, quòd exinde cœpit præ-
dicare. Cúmque cœpisset illud prædicauit in primis,
quod certè docuerat & Ioannes. Et necdum interim
de se aliquid memorat, sed prædicationem quam præ-
dicauerat ille, confirmat: hæc enim erat quæ facilius
posset audiri, quia scilicet nullam adhuc de illo dignam
opinionem gerebant. Idcircò incipiens, nihil dicit ad-
uersum aut molestum, vt ille qui imminentem securim,
arborem radicitùs excidendam, aream purgandam, &
ignem inextinguibilem memorabat, sed à bonis orditur
ac prosperis, cœlum scilicet, & illud quod ibi est re-
gnum futurum audientibus nunciando. *Et ambulans iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres Simonem qui dicitur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & dicit eis: Venite post me, & faciam vos piscatores hominum. Hi autem relictis retibus secuti sunt eum.* Atqui Ioannes aliter dixit eos vocatos: vnde
manifestum est secundam hanc vocationem fuisse, id-
que multis ex rebus ostenditur. Nam ibi quidem dicit
Ioan. 1. quòd ad Christum, antequam Ioannes in carcerem
duceretur, accesserint: hic verò postquam ille incide-
rit in vincula. Et ibi quidem quòd Andreas Petrum,
Ibidem. hîc verò quòd Iesus ambos vocet. Et Ioannes quidem
ait, quòd Iesus venientem ad se Petrum videns, dicit:
Tu es Simon filius Ioanna, tu vocaberis Cephas, quod
interpretatur Petrus. Matthæus verò asserit, quòd isto
iam nomine vocaretur. Videns, inquit, Simonem qui
dicitur Petrus. Sed à loco etiam ex quo vocati sunt, ali-
isque multis id scire possibile est, & ab eo quòd facilè
obedierunt vocanti, suáque omnia reliquerunt. Erant
quippe sufficienter iam antè prædocti, & ibi quidem
Andreas in domum veniens, multáque à Christo audi-
ens inuenitur: hic verò vnum audientes, nudúmque
verbum confestim sequuntur. Videtur quippe fuisse
consequens, quòd quum ab initio cum fuissent secuti,
postea reliquerint: & quum vidissent Ioannem in car-
cerem abductum, & Christum secedere, ad artem pro-
priam reuertisse. Sic denique piscantes eos rursus inue-
nit. Ipse autem neque prius eos cùm vellent abire pro-
hibuit, neque quia discesserant, in finem reliquit: sed
concedens eis, cùm resilire voluerunt, ad eosdem ite-
rum capiendos venit: qui certè est optimus piscationis
modus. Perpende verò & fidem, & obedientiam voca-
torum. siquidem in medio ipsius operis constituti, (sci-
tis autem quàm auida res sit piscatio,) cùm illum au-
dissent iubentem, nihil distulerunt, nihil omninò cun-
ctati sunt: non dixerunt, reuertemur domum, loque-
mur propinquis: sed cuncta illico relinquentes, fece-
1. Reg. 19. runt quod Helisæus quoque sub Helia legitur implesse.
Talem quippe à nobis obedientiam Christus efflagi-
tat, vt neque punctum temporis differamus, etiã si nos
Matth. 8. & Luc. 9. aliquid necessarium vrgere videatur. Propter quod &
alium quendam accedentem ad se, & rogantem vt ad
sepeliendum patrem rediret: ne id quidem facere per-
misit, ostendens quia Christus cunctis sit etiam necessi-
tudinibus præferendus. Sed dicas forsitan, maxima fu-
isse promissa: & hoc est propter quod illos maximè ad-
miror: quia cùm nondum signum aliquod factum fu-
isse vidissent, tam firmiter promissionis magnitudini
crediderunt, vt etiam Christum sequi rebus omnibus
anteferrent. Ex illis quippe ipsis quibus capti sunt ver-
bis facile crediderunt alios quoque per eadem à se ca-
piendos. Istis igitur hoc promisit. Iacobo verò & Ioan-
ni nihil tale pollicitus est. Siquidem obedientia præce-
dentium his quoque ad credendum iter parauit. Sed &
multa iam de illo antè audierant prædicari. Vide autem
quàm etiam diligenter inopiam eorum Euangelista si-
gnauerit, Inuenit, inquit, eos reficientes retia sua. Tanta
erat egestatis magnitudo, vt vetera contexerent: quia
emere noua nequibant. Nec sanè parua hæc sunt docu-
menta virtutis, facilè omnem tolerare pauperiem, de
iustis laboribus viuere, mutua sibi charitate connecti,
secum habere inopem patrem, atque in eius obsequio
laborare. Quia istos ergo iam ceperat, tunc incipit eis-
dem præsentibus mirabilia monstrare, quæ vtique faci-
endo Ioannis de se dicta firmabat. Synagogas vero sæ-
pius introibat, hinc quoque Iudæos docens, quòd non
esset aduersarius quidem Dei, ac seductor animarum,
sed quòd Patri consentiens aduenisset. ingressus vero
synagogas, non modo prædicabat, verumetiam signa
edebat. Quãdo enim nouum fit aliquid & inopinatum,
ac politiæ cuiusdam introductio, signa Deus facere cõ-
sueuit, præstans quædam pignora suæ potentiæ his qui
legem eius accepturi sunt. Sic igitur cùm hominem fa-
cturus esset, prius mundum creauit vniuersum, ac tum
demum facto homini legem in paradiso dedit. Et cùm
fancto etiam Noë legem posituras esset, magna vtique Genes. 1. & 2.
mirabilia monstrauit per quæ instaurauit omnino crea- Gen. 7. & 8.
turam, ac terribile illud pelagus per annum certè inte-
grum toto fecit orbe diffundi, iustúmque illum in tanta
totius mundi tẽpestate seruauit. Abrahæ quoque multa Gen. 14.
signa legitur præstitisse, vt claram illam de regum bello Genes. 12.
victoriam, vt insignem quoque aduersus Pharaonem
plagam, vt cùm de variis illum periculis liberauit. Sed
& Iudæis quidem cùm legem esset daturus, prius mira- Deut 4. & Exod. 5. & 6.
bilia illa & prodigia magna ostẽdit, ac tum demum eis
prẽcepta legis imposuit. Ita hîc quoque cùm sublimem
quandam viuendi introducturus esset disciplinam, &
quæ nunquam ab illis fuissent audita, authoritatem
mandatis suis præstruxit claritate signorum. Quia enim
æternum regnum quod prædicabat, non apparebat, ex
his quæ videtur, etiam illud quod nondum apparebat,
facit manifestum. Considera verò quàm nihil Euange-
lista superfluis immoretur, quemadmodum non singu-
los nobis eorum qui curabantur enumeret: sed nubes
quasdam signorum grandi verborum parcitate trans-
currat. *Obtulerunt*, inquit, *ei omnes malè habentes, variis languoribus & tormentis comprehensos, & dæmonia habentes, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos.* Verum illud
inquiritur, cur à nullo eorum fidem poposcerit. Neque
enim dixit quod aliis postea dixisse narratur: Creditis
quoniam possum hoc facere? quòd certè hîc ideo non
dixit, quia nondum potentiæ suæ documenta præstite-
rat. Deinde hoc ipsum, quòd eum simpliciter adibant,
& certatim infirmos ei ac debiles offerebant: non me-
diocrem profectò eorum fidem docebat. Nam è lon-
ginquo eos vtique portabant, non portaturi proculdu-
bio, nisi prius de illo magna sibi persuasissent. Sequa-
mur etiam illum igitur nos: varios siquidem languores
habemus animarum: & hi sunt quibus principaliter
vult mederi. Propterea enim etiam illas ægritudines sa-
nat, vt istas scilicet de nostris animabus expellat. Acce-
damus ergo ad eum, nec ab illo quicquam de præsentis
vitæ prosperitatibus expetamus, sed indulgentiam pec-
catorum precemur. Nam etiam nunc dabit ille, si nos
non negligemus postulare. Tunc enim in Syriam so- Matth. 4. & Luc. 4.
lummodo

lummodo fama eius exierat, nunc verò tantum terra-
rum orbem persuasit. Et illi quidem cùm audissent eum
dæmonia fugasse, vndique confluebant: tu verò cùm
longè plura, longéque maiora virtutis eius experimen-
ta iam ceperis, nequaquam tamen exurgis & curris.
Nam illi quidem & patrias reliquerunt, & parentes, &
amicos atque cognatos: tu verò ne domo quidem abs-
cedis, vt accedas, & multo maiora consequaris quàm
relinquis. Immò ne istud quidem à te poscimus, sed
consuetudinem solummodo malignam relinque, &
domi tuæ atque cum tuis manendo poteris facilè sal-
uari. Nunc verò siquidem habuerimus aliquam corpo-
ris passionem, omnia facimus, cuncta mercamur, vt in
reliquum ægritudine liberemur: anima verò nostra
tam malè se habente dissimulamus, semper differimus.
Propterea ne corporeis quidem lãguoribus liberamur,
quoniam quæ maximè necessaria sunt, superflua esse
ducimus: quæ verò penè dissimulanda, hæc omnino
necessaria iudicamus: & fontem ipsum malorum incu- B
ratum relinquentes, riuulos purgare conamur. Quòd
autem earum quæ sunt in corpore passionum, maligna
Ioan. 5. Luc. 5. sæpe anima causa est, & trigintaocto annorum paraly-
Genes. 4. & 1. Ioan. 3. ticus, & ille qui per tectum legitur fuisse demissus, & an-
te istos Cain ipse monstrauit, multísque aliis exemplis
idipsum poterit comprobari. Exiccemus igitur fontem
malorum, & cuncta continuò languorum fluenta sicca-
buntur. non modò enim paralysi dissolui, verum etiam
peccare languor est, & longè illo languore deterior, ac
tanto vtique, quanto est corpore anima præstantior.
Accedamus igitur ad eum etiam modò, ac precemur vt
stringat animam nostram vndique dissolutam, omniá-
que hæc temporalia relinquentes, pro spiritalibus sup-
plicemus: si verò horum sollicitudinem geris, post illa
etiam ista curato. Nec quia non doles ipse cùm peccas,
veluti securus negligentior euadas. Immò potius ob
hoc ipsum gemas magis, quia ne sentis quidem de pec- C
cato dolorem. Hoc enim fit, non quia peccata nõ mor-
deant, sed quia insensibilis est anima quæ peccat. Deni-
que ex illis istud quod dico perpende, qui propria pec-
cata iam sentiunt: nónne huiusmodi his quoque qui
secantur vel vruntur, amariùs videntur vlulare? Quanta
faciunt, quanta patiuntur, quantum lugent, quantum
etiam lamentantur, vt à mala conscientia liberentur?
Quod certè non facerent, nisi secundum animam ve-
hementer dolerent. Est igitur primum bonum, nihil o-
mnino peccare: secundum verò, post peccatum sentire
corrige-re.) quod commiseris, atque † lugere.] Si verò ne istud qui-
dem habemus: quemadmodum precabimur Deum, &
peccatorum remissionem petemus, de quibus nihil o-
mnino curamus? Cùm enim ipse ille qui deliquit, ne
hoc quidem ipsum quod peccauit, studeat agnoscere:
pro quibus Deum delictis rogabit, quæ adhuc commi-
isse se nescit? Hæc verò ignorans, quónam modo nosse
poterit diuini beneficij largitatem? Sollicitè igitur pro-
pria delicta considera, vt discas quorum remissione do- D
neris, atque ipsi beneficio gratus existas. Nam tu qui-
dem cùm hominem in te fortem commoueris, & ami-
cos, & vicinos, & ianitores rogas, & pecunias erogas, &
plurimos dies patienter impendis humiliter adstando,
ac fæpius supplicando. Sed & si semel, & si iterum, & si
millies te repellat, qui à te semel fuerat offensus, tu nihi-
lominus non quiescis: sed sollicitudine maiori con-
cussus, supplicationem quoque adhibes longiorem.
Nobis verò cùm indignetur omnium Deus, oscitamus,
atque oscitando recubamus, deliciamur, inebriamur,
& cuncta quæ sunt malæ consuetudinis frequentamus.
Et quando illum possumus facere placatum? quónam
modo autem non illum aduersum nos amplius com-
mouemus? Non dolere enim quia peccaueris, magis
indignari atque irasci facit Deum, quàm illud ipsum
quòd ante peccaueras. Propter quod in ipsam iam di-
gnum erat demergi terram, & ne Solem quidem istum
videre, nec respirare prorsus. Quia cùm tam reconcilia-
bilem nobis habeamus Deum, cum tamen & ad ira-
cundiam prouocamus, nec vbi prouocauerimus, ad
pœnitentiam aliquando confugimus. Et certè ille ne
tum quidem quum irascitur, non odio nostri, aut alie-
natus à nobis hoc facit, sed vt sic saltem ad se attrahat,
quos non vult perire. Alioqui si etiam iniuriis lacessitus
iugiter beneficia præstaret, amplius profectò cõtemne-
res. Ne igitur istud eueniat, aduersatur ad tempus, vt te
secum habeat in æternum. Confidamus ergo ipsius mi-
sericordiæ, & sollicitissimæ pœnitentiæ opera monstre-
mus, priusquam ille illucescat dies, qui nobis minimè
iam istud prodesse permittat. Nunc enim [ferè] totum
consistit in nobis: tunc verò solus profectò iudex ha-
bebit in te sententiæ potestatem. Præoccupemus igitur Psal. 94.
faciem eius in confessione, fleamus atque etiam lugea-
mus. Si enim poterimus ante certam illam horam, defi-
nitámque sententiam rogare iudicem, vt nobis pecca-
ta dimittat, iam nec introitu opus erit ad iudicium Dei:
vt è diuerso nisi id faciamus, publicè ac toto mundo te-
ste nos audiet, nec spes vlla veniæ restabit. Nullus quip-
pe illuc vadens eorum valebit peccatorum effugere
tormenta, à quibus hic non fuerit absolutus. Sed sicut
illi qui è carceribus educuntur, vnà cum ipsis catenis
ad iudicium protrahuntur: sic omnes animæ quum
hinc emigrauerint, variis peccatorum catenis implici-
tæ ad terribile illud ducentur tribunal. Nihil enim præ-
sens vita differre videtur à carcere. Sed sicut cùm triste
illud introimus habitaculum, circumdatos videmus ac
vinctos catenis: ita etiam nunc si extra omnia nos
phantasmata collocantes, vniuscuiusque ingrediamur
vitam, eiúsque animam cõtemplemur, videbimus eam
durioribus ferro vinculis colligatam, & maximè si in- C
diuitum intremus animas, qui quantò copiosius suis o-
pibus ambiuntur, tantò onerosius vinciuntur. Sicut e-
nim cùm aliquem videris vinctum, & ceruice, manì-
bus, pedibúsque ferratum: propterea illum maximè
miseraris. sic etiam cùm videris diuitem infinitis rebus
circumdatum, noli eum propter illa putare locuple-
tem, propter quæ debes infœlicem vocare. Præter illa
siquidem vincula habet custodem carceris sæuiorem,
prauum illum scilicet amorem pecuniarum, qui semel à
se vinctum nequaquam de hoc carcere exire permittit.
Sed mille illi imponit catenas, & ostia, & seras, atque
custodias, & in interiorem illum coniiciens carcerem,
etiam delectari his vinculis facit, vt ab illis quibus one-
ratur malis, ne spem quidem vllam liberationis inueni-
at. Quòd si intenta mentis acie animum eius inspexe-
ris, non modò illum ligatum, verumetiam squalentem,
atque sordentem, ac vermibus plenum videbis. Neque
enim illis meliores deliciarum iudicandę sunt voluptа-
tes, immò etiam horribiliores: ac magis corpus ani-
mámque corrumpunt, & vtrique infinitas inducunt
morborum plagas. Propter hæc ergo omnia liberato-
rem animarum nostrarum deprecemur, vt & vincula
ista dirumpat, & sæuum hunc à nobis custodem repel-
lat, grauissimóque illo nos liberans onere catenarum,
omni alite perniciorem intellectum nostræ mentis ef-
ficiat. Sic autem illum precemur, vt etiam nostram iun-
gamus voluntatem videlicet, ac studium, atque in bo-
nis operibus exequendis congruum alacritatis vigo-
rem. Ita enim etiam breui tempore poterimus à malis
quæ nos obsident liberari, & tunc saltem vbinam fueri-
mus addiscere, ac digna perfrui libertate: quam nos

Universidad de Deusto
Biblioteca

consequi omnes eueniat, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium cum Patre & Spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XV. EX CAP. V.

VIDENS *autem Iesus turbas, ascendit in montem. Et cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius: & aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Consideremus fratres contemptum honoris & gloriæ. Neque enim secum circumducebat ipsos, sed quando quidem petebat ratio curandi, ipse omnia circumibat visitans, vrbes, atque regiones. Quando verò plurima ad eum multitudo collecta est, vno in loco residet: & non in vrbis foríque medio, sed in monte, atque deserto: nos videlicet eruditos, nihil ad ostentationem nostri facere, sed à cunctis potius tumultibus liberari, & præcipuè cùm philosophandum est, ac de rebus seriis disserendum. B Cùm ascendisset atque sedisset, continuò ad eum accessere discipuli. Vidisti ipsorum virtutis augmentum, & quemadmodum sint facti repentè meliores. Nam signorum quidem spectatores erant plurimi: isti verò etiam audire magnum aliquid ac sublime cupiebant. Quod certè illum & ad docendum prouocauit, & ab his fecit inchoare sermonibus. Non enim corpora sola curabat, sed etiam animas medicabatur, à quarum cura rursus ad corporum remedia transibat. Ipsas quippe vtilitatum vices sæpe variabat, & doctrinæ verborum suorum, salutarium operum dona miscebat. Simul etiam impudentissima hæreticorum ora claudebat, vtriusque curam gerendo substantiæ, seque integri animalis esse creatorem docendo. Propter quod plurima vtrique naturæ sua prouidentia conferebat, nunc illam, nunc istam medendo. Quod hoc etiam facit loco. *Aperiens*, inquit, *os suum docebat eos.* Et cuius rei gratia videtur adiunctum, aperiens os suum? Vt proculdubio C discæres, quòd nõ cùm loqueretur modò, verumetiam cùm taceret, docebat: Nunc quidem os aperiens, nunc verò ipsis vocem operibus emittens. Cùm verò audis, docebat eos, ne opineris solis eum locutum esse discipulis, sed per illos & cæteris. Quia enim erat adhuc multitudo illa vulgaris, totáque terrena, constituens ante se discipulorum chorum, ad ipsos verba facit, isto sermone quo eos docet, etiam aliis qui multum abhorrebant ab his quæ dicebantur, sensim philosophiæ doctrinam
Luc. 6. insinuans & commendans. Quod igitur & Lucas significando dicebat, quòd sermonem ad eos verterit, idipsum etiam Matthæus manifestans ait, quoniam accesserint ad eum discipuli, & docuerit eos. Ita enim & alij promptius auscultaturi erant, quàm si ad omnes direxisset sermonem. Vnde igitur incipit? Quæ fundamenta nouæ nobis collocat disciplinæ? Audiamus itaque diligenter quæ dicuntur. Dictum est namque præsentibus, scriptum verò his omnibus qui posteà essent D futuri. Propterea docens quidem ad discipulos respicit, verùm nequaquam in eis sua dicta determinat, sed infinitè & incircumscriptè cunctas beatitudines in commune proponit. Non enim dicit, beati estis vos, si pauperes fueritis: sed beati pauperes. Et certè etiamsi ad illos hoc directè signatéque dixisset, futura nihilominus
Matt.28. fuisset omnibus doctrina communis. Nam & cùm dicit, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi: non ad eos tantummodò loquitur, sed per eos ad vniuersum prorsus orbem. Et quando eos beatificat persecutionem ferentes, exagitatos vndique, & intolerabilia illa patientes, non eis solùm, sed & cunctis eadem implentibus texit coronam.

Verumtamen vt istud magis magísque lucesceat, & discas ea quæ dicuntur à Christo, tibi quoque & cunctis generaliter hominibus, si attendere velint, esse communia: audi quodnam his mirabilibus verbis ponat exordium: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Qui sunt pauperes spiritu? Humiles scilicet mente, atque contriti spiritu. Spiritum hic enim posuit pro anima & voluntate. Quia enim sunt humiles plurimi non sua sponte ducti, sed necessitate rerum coacti, relinquens huiusmodi (neque enim hoc inter laudanda numerandum est) eos qui se humiliant & comprimunt voluntate, primos beatos appellat. Et quam ob causam non humiles voluit appellare, sed pauperes? Quia hoc illo vtique præstantius est. siquidem illos hic humiles memorat, qui Dei præcepta metuunt, atque etiam contremiscunt. Quod per Esaiam Prophetam Esa.66. Deus amanter excipiens dicebat: Ad quem respiciam nisi ad humilem & quietum, & trementem sermones meos? Multi quippe sunt humilitatis modi: & hic quidem est humilis mediocriter, alter verò cumulatè. Hãc igitur humilitatem etiam Propheta collaudat, non vtcunque compressam designando mentem, sed omninò contritam, vbi ait, Sacrificium Deo spiritus contri- Psal.50. Dan.3. bulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Sed etiam tres pueri pro magno sacrificio hanc offerunt Deo, dicentes: Sed in anima contrita, & spiritu humiliato suscipiamur. Hanc ergo nunc etiam Christus beatam vocauit. Quia enim profectò mala maxima, & quæ toti ferè orbi intulere perniciem, de superbia mentis exorta sunt: quandoquidem ille qui talis certè antè non fuerat, per hoc diabolus effectus est: quod etiam Paulus significando dicebat: Ne in super- 1.Tim.3. biam elatus, in iudicium incidat diaboli. Et primus ille homo his à diabolo spebus inflatus, postquam se arroganter extulerat præcipitatus est, & morti obnoxius factus est. Deum enim se credens futurum, etiam quod habebat amisit. Hoc enim ei & Dominus exprobrans, ac stultitiæ eius insultans, ait: Ecce Adam factus est sicut vnus ex nobis. Cæteríque posteà hinc ad impietatis præcipitia deuiarunt, æqualitatem Dei cogitationum sibi phantasmate metiendo. Quia, inquam, hanc esse constat arcem malorum, & radicem fontémque peccati, contrarium ægritudini remedium docendo conficiens, quasi fundamentum quoddam forte, atque munitum, hanc primùm sententiam collocauit. Siquidem vnusquisque, humilitate supposita, tutissimè cuncta alia superponit ædificans: hac verò subducta, etiamsi ad ipsum vsque cœlum conuersationis sublimitate peruenias, simul omnia subtrahuntur, atque in finem pessimum relabuntur. Nam siue orationem, siue ieiunium, siue misericordiam, siue pudicitiam, siue aliud quid bonorum absque humilitate congreges: statim cuncta defluunt, cunctáque depereunt. Quod etiam Pharisæo Luc.18. legimus accidisse, qui cùm ad ipsum virtutis cacumen ascendisset, amittens simul vniuersa descendit, quia scilicet non habuit matrem bonorum. Sicut enim superbia omnium fons malorum est, ita humilitas cunctarũ origo virtutum. Iure igitur hinc incipit, vt arrogantiam radicitùs de auditorum pectoribus euellat. Et cur hoc ad discipulos ait, qui humiles semper extiterant: quippe qui ne occasionem quidem habuerant insolentiæ, cùm essent vtique piscatores ac pauperes, nec minus de imperitia, quàm de ignobilitate despecti? Etsi ergo non hoc propter discipulos diceret, dicebat tamen propter cæteros, qui vel tunc aderant, vel postea erant futuri, ac disciplinam ipsam per Apostolos recepturi, ne illos per superbiam fortè contemnerent, immò etiam propter ipsos profectò discipulos. Et si enim tunc forsitan minimè, sed

nimè, sed postea tamen hac indigebant maximè cau- A tione: post tot certe illa mirabilia, post signa, post honorem ab vniuerso sibi pene orbe delatum, post illam postremò fiduciam, quam se apud Deum habere gaudebant. Non enim diuitiæ, non potentia, non ipsum omnino regnum ita quenquam poterant efferre, vt ea quæ Apostolis suppetebant. Quinimmo etiam antequam facultatem acciperent signa faciendi, abunde extolli quibant, cùm viderent magistrum theatro illo vndique admirante circumdari, per quod certè pati poterant aliquid humanum. Idcirco in primis mẽtes eorum humiliat, & comprimit, doctrinam suam non sub specie mandatorum atque exhortationis inducit: sed sub præmiis beatitudinem, vt scilicet sermonem ipsum faciat gratiorem: & stadium doctrinæ suæ cunctis recludat. Non enim dixit, ille & ille, sed quicunque ista fecerint, omnes beati: siue ignobilis atque pauper, siue plebeius, siue peregrinus, nihil te fieri beatum vetat, si istius virtutis æmulator extiteris. Hinc igitur vnde maB xime oportebat, exorsus progreditur ad mandatum aliud, quod videtur contra totius mundi pugnare sententiam. Cùm enim omnes putent gaudentes beatos esse ac felices, eos verò qui in mœrore, pauperie, luctúque versantur, miseros existiment: hos ipsos pro illis appellat beatos, dicens: *Beati qui lugent.* & certe iusti infœlices ab hominibus iudicantur: sed idcirco ante doctrinam signa præmisit, vt facillimè crederent talia decreta ferenti. Verùm hic quoque non simpliciter lu-
2.Cor.7. gentes posuit, sed propter peccata lugentes. Quippe cùm illud aliud etiam vehementer vetetur, de seculario scilicet rerum dispendiis: quod significabat & Paulus dicendo, Quoniam sæculi quidem tristitia mortem operatur: quæ autem secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Istos hic igitur beatos vocat, qui talem voluerunt habere tristitiam. Et non simpliciter posuit tristes, sed omnino cum cumulo: ideóque non dixit, qui mœrent, sed qui lugent. SiC quidem præceptum istud totius philosophiæ magisterium est. Si enim illi qui vel filios mortuos lugent, vel coniuges, vel alium quempiam proximorum: toto illo doloris sui tempore, non pecuniarum, non corporum amore tenentur: non gloriam concupiscunt, non consumuntur inuidia, non iniuriis permouentur, non aliis vitiis obsidentur, vtpote solis luctibus mancipati: multo magis qui propria peccata lugent, sicut ea lugere dignum est, celsiorem hac philosophiam mentis ostendunt. Deinde præmium illis aptissimum ponens: *Quoniam ipsi*, inquit, *consolabuntur.* Vbi verò, dic mihi, consolabuntur? Et hîc profectò, & quod est amplius, in futuro. Quia enim præceptum ipsum valde videbatur onerosum, ac vehementer molestum, hoc se promisit daturum, quod illud quàm maxime leue possit efficere: itaque si velis consolari, luge. Neque putes ænigma esse quod dixi. Quando enim consolatur Deus, etiamsi millia mœrorum irruant, cunctis superior existis. Siquidem D ipsis doloribus præmia Deus ampliora constituit: quod certè hoc ipso quoque designat loco, beatitudinem lugentibus deputando, non secundum dignitatem operum, sed iuxta suum erga genus humanum amorem: quod quidem non prouenit ex operis nostri dignitate, sed ex ipsius benignitate. Nónne lugentes isti ob peccata lugent? at verò his sufficit, si Deum satisfactione placauerint, & ab eo veniam consequantur. Sed quia ipse magno homines amore miseratur, neque in summotione pœnarum, neque in remissione culparum retributionem suam terminat, sed eos qui ob peccata lugent & beatificat, & multa consolatione donat. Non autem de propriis tantùm, verumetiam de alienis iubet lugere delictis. Quales etiam sanctorum † orationes] fuerunt, vt Mosi, vt Samuëlis, vt Pauli: isti quippe omnes aliena peccata lugebant. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Dic quæso, quam terram? terram quidam intelligibilem dicunt: verum istud non est dicendum, nec in scripturis vspiam reperimus intelligibilem terram. Quidnam hoc ergo est, quod dicitur? * Sensibile hic primum statuit, sicut & * prius:] Honora, inquit, patrem tuum, & matrem tuam, sic enim eris longæuus super terram. & rursus Dominus ipse latroni: Hodie mecum eris in paradiso. Neque enim de futuris solummodo bonis, verumetiam de præsentibus cohortatur, propter tardiores scilicet auditores, & antequam futura veniant præsentia requirentes. Propterea igitur in processu Euangelij dicit, Esto consentiens aduersario tuo citò. Deinde istiusmodi philosophiæ ponens præmium, ait: Ne tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro. Vidésne vnde terruerit, à præsentiB bus scilicet, & quæ è vestigio eueniunt? Et rursus: Quicunque dixerit fratri suo racha, obnoxius erit concilio. Paulus quoque creberrimè & præmia sensibilia proponit, & de præsentibus adhortatur, vt cùm de virginita- 1.Cor.7. per totũ. tis bono differit: nihil enim ibi super cœlesti honore commemorat, sed de præsenti vtilitate rem commendat, dicens: Propter instantem necessitatem. Et rursus: 1.Cor.7. Ego autem vobis parco. & iterum: Volo autem vos sine sollicitudine esse. Sic igitur Christus spiritalibus sen- Ibidem. sibilia miscebat. Quia ergo mitis quisque propria putatur amittere, contrarium pollicetur, dicens: quòd ipse sit qui tutissimè cuncta possideat, non audax scilicet, ac proteruus. Qui autem talis fuerit, sæpe & paternis bonis exigitur, & animæ iacturam facit. Aliter verò quia in veteri testamento sæpe Propheta cecinerat, Mansueti autem hæreditabunt terram: à familiaribus iam illi populo, noctísque verbis sermonem texuit, vt non in omnibus inusitatè loqueretur. Hæc verò dicit, non tantùm ad præsens vsque tempus sua promissa perducens, sed cum futuris etiam ista promittens. Nam cùm & spiritalia pollicetur, hæc certè quæ sunt in præsenti vita non eripit. Et rursus cùm præsentia repromittit, non tamen magnitudo promissionum solummodo vsque ad ista pertingit. Quærite, inquit, primum regnum Dei, & Matt.6. hæc omnia adiicientur vobis. Et rursus: Quicunque Matt.19. dimiserit domum aut fratres, centuplum accipiet in sæ- Marc.10. culo isto, & in futuro habebit vitam æternam. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* Quam vero iustitiam? an in genere virtutem ipsam, an speciem illam iustitię quæ ex aduerso auaritiæ collocatur? Quia enim commendaturus erat misericordiam, ostendens quo modo misereri oporteat: id est, non in auaritia nec rapina, opportunè beatificat iustitiam acquirentes. Et considera quanta idipsum exaggeratione cumulauerit. Non enim dixit, Beati qui iustitiam seruant: sed, beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: vt non vtique mediocriter, sed cum omni illam cupiditate teneamus. Quia enim hoc est auaritiæ proprium, neque sic cibum desideramus ac potum, vt possidere latius, induíque preciosius: concupiscentiam istam quę habendi amore flagrat, iubet in meliora conuerti: deinde rursus sensibile præmium statuens, ait: *Quoniam ipsi saturabuntur.* Quia enim plurimos diuites facere putatur auaritia, dicit hoc esse contrarium, magísque id præstare iustitiam. Noli igitur iustitiam exercens formidare pauperiem, neque famem timere, cùm certè illi magis omnibus bonis excidant, qui aliena diripiunt: vt ex aduerso ille qui iustitiam diligit, tutissimè omnia bona possidet. Si verò qui aliena non inuadunt, tanta rerum vbertate potiuntur: quantò magis qui propria fideliter largiuntur? *Beati misericordes,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hic non pecuniarum ſolummodo erogatores deſigna-
re mihi miſericordes videtur, ſed etiam qui alia exhi-
bent officia. Varij ſunt enim miſerationis modi, latum
quoque hoc omnino mandatum eſt. Quod igitur huius
virtutis eſt præmium? *Quoniam ipſi miſericordiam conſe-
quentur.* Et videtur æqualis quidem eſſe retributio, ſed
eſt tamen longè ipſa virtute præſtantior. Iſti enim quaſi
homines profectò miſerentur, cùm ab omnium Deo
miſericordiam conſequãtur. Par autem non eſt huma-
na miſeratio, atque diuina: ſed quantum beneuolentiæ,
malitiæque diſcrimen eſt, tantum ab illa iſta diſcernitur. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Ecce
rurſus præmium ſpiritale. Mundos verò hic appellat, aut
vniuerſalem virtutem tenẽtes, & nullius ſibi mali con-
ſcios, aut continentia conſpicuos. Nihil enim nobis eſt
ita opus ad videndum Deum, vt iſtius puritate virtutis:
Heb. 12. propter quod Paulus ait: Pacem ſectamini cum omni-
bus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum.
Videre autem dixit, quemadmodum hominibus vide- B
re poſſibile eſt. Quia enim ſunt plurimi qui miſerentur
quidem, ac ſe à rapina auaritiáque contineant, forni-
centur tamen, atque luxurientur: oſtendens, quia pri-
mum illud minimè ſufficiat, etiam iſtud adiecit. Sicut
2. Cor. 8. & Paulus ad Corinthios ſcribens: Macedonibus teſti-
monium reddidit, quia non ſolum miſericordia eſſent
diuites, verum aliis quoque virtutibus abundarẽt. Cùm
enim illorum in pauperes pecuniarum liberalitatem
diſſereret, intulit: quoniam ſeipſos dederunt primùm
Deo, deinde nobis. *Beati pacifici.* Hic non modo diſſen-
tire illos prohibet, atque aduerſum ſe mutuò dimicare:
ſed aliud quiddam maius inquirit, ſcilicet vt etiam alios
diſſidentes in ſacram ſtudeant reuocare concordiam,
ac rurſus præmium ſpiritale ſubiungit. Quod verò iſtud
eſt? *Quoniam ipſi filij Dei vocabuntur.* Siquidem vnigeni-
ti hoc præcipuum opus fuit, diſtantia copulare, conci-
liare pugnãtia. Deinde ne opineris bonam eſſe vbique
pacem, addidit: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter* C
iuſtitiam, id eſt, pro virtute atque pietate, pro defenſio-
ne cæterorum. Solet quippe iuſtitiam omnem prorſus
animi appellare virtutem. *Beati eſtis cùm exprobrauerint
vobis homines, & perſecuti fuerint, & dixerint omne malum
verbum aduerſum vos, mentientes propter me, gaudete & ex-
ultate.* Siue enim ſeductores, ſiue maleficos, ſiue peſtife-
ros, ſiue aliud vos tale quippiam vocent, eritis, inquit,
beati. Quidnam poſſit his præceptis inuſitatiùs inueni-
ri, per quæ illa nobis deſideranda dicit, quæ alij putant
eſſe fugienda? Egêre dico, atque lugere, perſecutionem
pati, audire maledicta: nihilominus non modò id dixit,
verumetiam facilè perſuaſit, nec duobus aut decem, nõ
viginti aut centum hominibus, aut mille, ſed vniuerſo
iam penè mundo. Cúmque dicerentur illa quæ viden-
tur onerosa & grauia, contráque multorum conſuetu-
dinem venientia, nihilominus admirabatur venerans
omnia illa audientium multitudo: tanta quippe erat
virtus docentis. Attamen ne putares, quòd quolibet D
modo audire maledicta præſtaret beatos, duos tantum
ſeparauit modos, cùm ſcilicet vel propter ipſum audi-
untur, vel falſa iactantur. Si verò iſta non fuerint, non
modò non eſt beatus hæc audiens, verumetiam miſer-
rimus. Deinde reſpice rurſus in præmium: *Quoniam
merces veſtra multa eſt in cœlis.* Tu verò etiamſi non per
ſingulas beatitudines regnum audias repromitti, ne-
quaquam tamen mœrore turberis. Etſi enim retributi-
ones ipſas differenter appellat: tamen profectò cunctas
ad vnum cœlorum regnum adducit. Quando enim di-
cit: & lugentes conſolabuntur, & miſericordes miſeri-
cordiam conſequentur, & mundi corde Deum vide-
bunt, & pacifici filij Dei vocabuntur: nihil omnino ali-
ud niſi cœleſte regnum per hæc cuncta deſignat. Qui e-
nim horum dicuntur potiri, illud ſine dubio cõſequen-
tur. Ne igitur tantummodo pauperum ſpiritu hoc eſſe
præmium ſuſpiceris, ſed & eſurientium iuſtitiam, & mi-
tium, & prorſus omnium quos idem beatitudinum tex-
tus includit. Propterea enim in cunctis virtutibus &
promiſſionibus beatitudinem poſuit, vt ne quid ſenſi-
bile ſperandum putares. Neque enim eſſet beatum ta-
libus coronari, quæ in præſenti vita continuò ſoluun-
tur, ac deſluunt, & fugacius quàm vmbra præteruolãt.
Cùm verò dixiſſet, quoniam merces veſtra multa eſt in
cœlis, aliam quoque conſolationem intulit, dicens: *Sic
enim perſecuti ſunt & Prophetas qui fuerunt ante vos.*
Quia enim regnum cœlorum adhuc erat in ſpe, atque
expectatione, hinc conſolationem illis de eorum ſoci-
etate præſtat, qui ante illos afflictiones varias pertule-
runt. Ne, inquit, putetis quòd mala aliqua docentes, &
noxia ſancientes, iſta patiamini, vel ab eis quaſi prauo-
rum magiſtri dogmatum ſitis perſequendi. Non enim
de prauitate † doctorum] ſed de malignitate audito- dogmã-
rum pericula iſta inſidiáque contingent. Non ergo vo- tum.)
bis obtrectabitur, qui talia patiemini: ſed illis profectò
qui inferent paſſionem: in teſtimonium verò vobis eſt
tempus paratum. Neque in Prophetis iniquitatem ali-
quam, deóque aduerſam culpando doctrinam, alios
quidem eiiciebant: alios verò lapidabant, alios malis Heb. 11.
innumeris obruebant: neque hoc vos ergo perturbet.
De eadem quippe ſententia nunc quoque cuncta per-
ficient. Vidiſti quemadmodum eorum ſenſus erexerit,
iuxta Moſem illos atque Heliam omnino conſtituens?
Sicut etiam Paulus ad Theſſalonicenſes ſcribens, ait: 1. Theſſ. 2.
Vos enim imitatores facti eſtis fratres eccleſiarum Dei,
quæ ſunt in Iudæa in Chriſto: quia eadem paſſi eſtis &
vos à contribulibus veſtris, ſicut & illi à Iudæis, qui oc-
ciderunt Dominum Ieſum, & proprios Prophetas, &
nos perſecuti ſunt, & Deo non placent, & omnibus ho-
minibus aduerſantur. quod hîc quoque Chriſtus im-
pleuit. Et in aliis quidem beatitudinibus, Beati, inquit,
pauperes, beati miſericordes, hîc verò non infinitè po-
ſuit, ſed ad ipſos prorſus dirigendo ſermonem, dicens:
*Beati eſtis cùm exprobrauerint vobis, & dixerint omne ma-
lum verbum aduerſum vos.* Videlicet oſtendens ipſorum
hoc eſſe præcipuum, & ſuper alios omnes, iſtud doctо-
rum eſſe proprium. Simul etiam ſuam hîc prodidit di-
gnitatem & honorem, quæ æqualiter cum Patre com-
municat. Sicut enim illi, inquit, propter patrem, ſic et-
iam vos propter me iſta patiemini. Quando enim dicit,
perſecuti ſunt Prophetas qui fuerunt ante vos: iſtos
quoque iam Prophetas factos eſſe declarat. Deinde
oſtendens, quia hoc eos maximè iuuet, ac faciat clario-
res: non dixit, maledicent vobis quidem, vóſque etiam
perſequentur: ſed ego tamen fieri iſtud vetabo. Neque
enim diſcipulos ſuos non audiendo maledicta, ſed au-
diendo, ac fortiter ſuſtinendo, & perſecutores ſuos ipſis
operibus arguendo, vult eſſe munitos. Hoc autem mul-
tò eſt illo vtique præſtantiùs, quemadmodum longè
potius eſt percuti, nec tamẽ malum aliquod pati, quàm
omnino non percuti. Hic igitur dicit, Quia merces ve- Luc. 5.
ſtra multa eſt in cœlis. Lucas verò etiam cum additа-
mento, cúmque maiori conſolationis cumulo hoc eum
dixiſſe commemorat. Non ſolum enim illos qui pro-
pter Deũ maledictis expoſiti ſunt, beatos dicit à Chri-
ſto vocari, ſed etiam eos quibus à cunctis benedicitur
infœlices. Væ, inquit, vobis cùm benedixerint vobis o-
mnes homines. Et certè etiam Apoſtolis benedicebãt
homines, ſed profectò non omnes. Et idcircò non ait:
væ cùm benedixerint vobis homines, ſed cùm benedi-
xerint omnes. Hoc enim impoſſibile eſt, cum virtute vi-

uentibus

uentibus cunctorum ore benedici. Et rurſum ait, Cùm A
ieiecerint nomen veſtrum tanquam malum, gaudete &
exultate. Non enim pro periculis ſolum quæ paſſi ſunt,
verumetiam pro maledictis retributionem maximam
pollicetur. Propterea non dixit, cùm vos exagitauerint,
atque interfecerint: ſed, cùm exprobrauerint vobis.
Neſcio quo enim modo omnibus penè rebus amariùs
ſolent mordere maledicta. In periculis quippe multa
ſunt quæ laborem ipſum faciunt leuiorem: vt multo-
rum exhortatione ſuccendi, vt habere plurimos ap-
plaudentes, digniſque paſſionem ipſam præconiis co-
ronantes. In maledictionibus verò etiam conſolatio i-
pſa ſubducitur. Neque enim creduntur cunctis pericu-
lis ſæuiùs mordere certantem, nec omnino magna eſſe
quæpiam virtus putatur, fortiter ſuſtinere maledictum,
cùm certè multi etiam ad laqueum conuolarint famæ
Matt. 27. opprobria non ferentes. Et quid hoc miraris in cæteris,
Act. 1. cùm proditorem illum impudentiſſimum, pariter &
crudeliſſimum, atque contra omnia flagitia nequitiæ B
fronte duratum, hoc præcipuè ad laqueum ire compu-
lerit? Iob quoque ipſe certè omni lapide atque ada-
mante tolerantior, cùm quidem patrimonium amitte-
ret, maláque innumera ſuſtineret: cúmque ſubito nu-
meroſa ſobole eſſet orbatus, cùm quaſi fontem quen-
dam vermium toto videret corpore bullientem, ſuprá-
que hæc vxorem ſibi moleſtiùs imminentem, perfaci-
Iob 11. & lè cuncta ſuperauit: vbi verò exprobrare ſibi amicos,
19. & 22. & ferè atque inſultare vidit, & malignam illam de ſe exiſtima-
per totũ. tionem fouere, & dicere quòd talia propter peccata pa-
2. Reg. teretur, ac malitiæ ſuæ ſolueret vltionem: tunc demum
16. vtique turbatus eſt ille vir maximus, ille fortiſſimus.
Dauid quoque omittens cuncta quæ pertulit, pro ma-
ledicto patienter audito vicem à Domino repoſcebat:
Dimitte, inquit, vt maledicat, quoniam Dominus
mandauit ei, vt videat afflictionem meam, & reddat
mihi pro maledictione hac in die illa. Et Paulus non ſo-
lum pericula ſuſtinentes, nec tantummodo propriis C
ſpoliatos bonis laudat & prædicat, verum etiam male-
Heb. 10. dicta tolerantes. Rememoramini, inquit, dierum prio-
rum, in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinui-
ſtis paſſionum: & in altero quidem opprobriis & tri-
bulationibus ſpectaculum facti. Propterea & merce-
dem huic patientiæ plurimam propoſuit Chriſtus: ac
ne quis diceret, hîc ergo non reddis maledicentibus
vicem, neque illorum ora cõſuis: cum mercedem pro-
miſiſſet futuram, commemorauit Prophetas, oſtendens
quoniam nec propter illos in præſenti Deus exegerit
vltionem. Si verò tunc quoque cùm in promptu ac pa-
ratæ eſſent retributiones, tamẽ de futurorum illos pro-
miſſione ſolatus eſt: quantò nunc magis, quando & hęc
ipſa ſpes ſolidior effecta eſt, & philoſophia profectò
ſublimior? Conſidera verò etiam poſt quot mandata
idipſum locarit. Non enim hoc abſque certa ratione fe-
cit, ſed quia voluit oſtendere quòd niſi quis illis, quas
ſuperius poſuit, armatus fuerit ornatúſque virtutibus, D
ad hæc nequaquam poſſit prodire certamina. Propter-
ea de priore ſemper etiam mandato ſequentis viam
ſtruens, auream quandam nobis catenam texuit. Cùm
enim quis humilis fuerit, etiã ſua omnino lugebit pec-
cata: qui autem luget, idem & mitis erit, & iuſtus, &
miſericors: at miſericors & iuſtus & compunctus, o-
mnino etiam puro erit corde. Qui verò talis eſt, erit et-
iam profectò pacificus. Porrò qui iſta perfecerit, erit
abſque dubio ad pericula præparatus, nec ad maledicta
prorſus vlla terrebitur, etiamſi mala quoque mille pa-
tiatur. Poſtquam igitur, prout oportuit, ad virtutum ſtu-
dia cohortatus eſt, rurſus eos laudum admixtione per-
mulcet. Quia enim erant præcepta ſublimia, multóque
quàm in veteri lege maiora: ne trepidarent, néve tur-
barentur ac dicerent, & quemadmodum hæc implere
poterimus? attende quid dixerit, *Vos eſtis ſal terræ.* Per
quod oſtendit quàm neceſſariè iſta præcipiat. Non e-
nim pro veſtra, inquit, ſalute tantummodo, ſed pro vni-
uerſo prorſus orbe hæc vobis doctrina committitur.
Non ad duas quippe vrbes, aut decem, aut viginti: ne-
que ad vnam vos mitto gentem, ſicut mittebam Pro-
phetas: ſed ad omnem terram prorſus, ac mare, totúm-
que mundum, & hunc variis criminibus oppreſſum.
Dicendo enim, *Vos eſtis ſal terræ:* oſtendit omnium ho-
minum infatuatam eſſe naturam, & putrefactam à pec-
catis, & idcircò illas ab eis maximè virtutes requirit,
quæ cunctis neceſſariæ atque vtiles ſunt futuræ. Cùm
enim manſuetus aliquis, ac modeſtus, cùm miſericors
fuerit & iuſtus: non in ſemetipſo tantummodo hæc re-
ctè facta concludet, verùm in aliorum quoque vtilita-
tem bonos hos faciet emanare fontes. Sed qui mundo
corde eſt, atque pacificus, & qui perſecutionem pro ve-
ritate perpetitur, nihilominus in commune commo-
dum vitam ſuam conſtituit. Ne igitur opinemini ad
mediocria vos ducẽdos eſſe certamina, neque pro exi-
guis rebus: vobis hunc inſonare ſermonem, *Vos eſtis
ſal terræ.* Quid igitur? Ipſine putrefacta medicati ſunt?
Nequaquam: nec enim poſſibile eſt, vt ea quæ corru-
pta ſunt, ſalis perfricatione reparentur. Non hoc fece-
runt ergo, ſed ante renouata, ſibique tradita, atque ab
illa iam putredine liberata, perfricabant ſale, inque hac
nouitate ſeruabant quam à Domino vtique ſuſceper-
rant. Liberare quippe à putredine peccatorum, Chriſti
profectò virtutis eſt: vt autem non ad illa iterum reuer-
tantur, Apoſtolorum curæ eſt ac laboris. Vides quem-
admodum paulatim etiam Prophetis eos meliores eſſe
patefecerit? Non enim illos Paleſtinæ doctores eſſe di-
cit: ſed totius terræ: nec ſimpliciter doctores, ſed ſeue-
ros quoſdam atque terribiles. Hoc eſt enim omnino
mirabile: quia non adulantes, neque palpantes: ſed è
diuerſo ſalis inſtar vrentes, ferè omnibus ſe tam deſide-
rabiles reddiderunt. Nolite ergo (inquit) mirari, ſi ali-
os omittens vos potiſſimum doceo, atque ad pericula
tanta ſuccingo. Conſiderate quippe quantis vrbibus,
quantiſque populis vos ſim miſſurus magiſtros. Pro-
pterea non vos tantummodo volo eſſe ſapientes, ſed vt
tales faciatis & cæteros. Huiuſmodi autem magiſtros,
in quibus certè tantorum periclitatur ſalus, maxima de-
cet pollere prudentia, tantáſque illis virtutum adeſſe
diuitias, vt aliis quoque vtilitatem ædificationis impertiant. Niſi, inquit, fueritis omnino tales: ne vobis qui-
dem ipſis ſufficere profectò poteritis. Nolite igitur de
difficultate conqueri, quaſi qui doctrinam meam mo-
leſtam eſſe dicatis. Infatuatis enim populis, per vos ad
ſapientiam redire poſſibile eſt. Si verò id etiam patia-
mini vos ipſi, vobiſcum perdetis & reliquos. Itaque
quanto etiam maiorum vobis rerum cura committi-
tur, tanto potiore indigetis & ſtudio. Propter quod in-
tulit. *Si autem ſal euanuerit, in quo ſalietur? Ad nihilum
valet vltrà, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab homi-
nibus.* Alij enim etiam ſi ſæpe delinquãt, poſſunt tamen
ad veniam peruenire: ſi verò hoc magiſter ipſe patiatur,
omni excuſatione priuabitur, & ſupplicia extrema per-
ſoluet. Ne enim audientes, cùm exprobrauerint vobis,
& perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum ad-
uerſum vos, in medium prodire formident, dicit: Quo-
niam niſi ad iſta fueritis parati, fruſtra electi eſtis. Non
enim vos oportet maledicta hominum timere, ſed po-
tius timẽdum ne ſimulatores eſſe videamini, tunc enim
infatuati eritis & conculcati. Si verò perſeueraueritis i-
pſos conſtringendo, & coërcendo, & deinde malè au-

Universidad de Deusto Biblioteca

dieritis, gaudete. Hoc enim eſt opus ſalis, laxa quæque vrere atque reſtringere. Itaque iam neceſſaria ſubſequitur maledictio, nihil vobis prorſus incommodans, immò etiam teſtimonium veſtræ perhibens firmitatis. Si verò illa timentes, fortitudinem vobis vtilem deſeratis, multo ſæuiora patiemini, & malè ſcilicet audientes, & contempti à cunctis atque deſpecti. hoc namque eſt ab omnibus cõculcari. Deinde ad aliud eos ſublimius ducit exemplum. *Vos eſtis lux mundi.* Iterum mundi, non vnius profectò gẽtis, nec viginti vrbium, ſed totius orbis lumen tunc perhibentur: & lumen intelligibile, ipſóque ſole fulgentius, ſicut etiam ſal hoc loco intelligitur ſpiritale. Prius autem ſal poſuit, deinde lumen, vt diſcas quantum ſit verborum aſtringentium ac mordentium lucrum, quantúmque commodum honeſtæ rectæque doctrinæ. Hęc ſiquidem aſtringit animos, nec quoquam diffluere permittit, facítque attentius ad lumen virtutis aſpicere, ad quam velut apprehenſa manu pertrahit audientes. *Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio.* Rurſus eos per iſta ad bene viuendi diligentiam cohortatur, oſtendens vt ſtudeant eſſe ſolliciti, quaſi ante omnium ſcilicet oculos conſtituti, & in medio orbis terrarum certantes theatro. Nolite, inquit, aſpicere quia in iſto nunc reſidemus loco, vt in exigua ſumus parte anguli. Sic enim eritis manifeſti cunctis, quemadmodum ciuitas in montis vertice collocata, vel ſicut lucerna in domo ſuper candelabrum relucẽs. Vbi nunc ſunt Chriſti virtuti increduli? Audiant iſta, & prophetiæ potentiam poſt experimenta mirantes, maieſtatem Domini adorando venerentur. Perpende enim qualia polliceatur eis, qui in ſua quoque regione habebantur incogniti, quòd videlicet terra omni maríque celebrandi ſint, & ad terminos vſque mundi fama ducente venturi: immo non fama, ſed manifeſto beneficiorum atque admirandæ operationis effectu. Non enim illos fama portans fecit vbique notiſſimos, ſed ipſa vtique operum exhibitio. Sicut enim quidam volucres effecti, ipſo etiam ſole pernicius omnem perluſtrauere terram, ſpargentes vbique lumina pietatis. Hic autem videtur mihi illos ad conſtantiam cohortari: dicendo enim, *Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita*, ſuam declarat profectò virtutem. Sicut impoſſibile, inquit, eſt ſuper montem poſitam abſcondere ciuitatem: ita etiam prædicationem latere, atque reticeri. Quia enim prædixerat perſecutiones, & maledicta, & inſidias, periculáve: ne putarent quòd hæc eos poſſint in ſilentium coarctare, confirmans eos, ait: Quia non modo non latebit eorum prædicatio, ſed etiam vniuerſum prorſus illuſtrabit orbem, & ob hoc quoque clari efficientur, ac nobiles. Et hic quidem propriæ oſtendit inſigne virtutis, in conſequentibus verò ab illis conſtantiam & loquendi libertatem flagitat, dicens: *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Ego quidem, inquit, lumen accendi: vt verò perſeueret ardens, veſtri profectò ſit ſtudij, non propter vos ipſos modò, verumetiam propter illos qui eadem luce potientur, vobíſque ducentibus viam veritatis inuenient. Non enim poterunt maledictiones veſtrum obumbrare fulgorem, ſi tamen vos omni cum diligentia vixeritis, atque ita prorſus quaſi qui vniuerſum orbem veſtri faciatis imitatione conuerti. Dignam igitur tanta gratia exhibete vitam, vt ſicut illa cunctis mox regionibus prædicanda eſt, ita illi etiam conuerſatio veſtra conueniat. Deinde aliud quoque lucrum cum hominum ſalute ſubiungit, ſanè quod

A ſit prorſus idoneum illos præſtare ſollicitos, atque ad omne virtutis bonum concitare. Non ſolum, inquit, corrigetis orbem rectè ſanctéque viuendo, verumetiã glorificari Deum ex veſtra conuerſatione facietis: quemadmodum ſi contraria geſſeritis, & homines perdetis profectò, & Dei nomen blaſphemiis offendi facietis. Et quo modo, inquies, per nos glorificabitur Deus, ſi nos homines maledictorum fuerint contumeliis proſecuti? Sed vtique non omnes. Nam illi quoque ipſi qui hoc publicè faciunt inuidentes, apud conſcientiam tamen ſuam admirabuntur vos, atque ſuſpicient: ſicut è regione vitioſos quoſque palàm quidem adulatorio ſermone demulcent, ſed eoſdem in ſecreto mentis accuſant. Quid igitur? ad oſtentationem nos viuere, atque ad gloriæ amorem iubes? Abſit, non dico iſtud omnino: neque enim dixi, vt rectè facta veſtra in medium ſtudeatis afferre, nec vt illa monſtretis admonui: ſed dixi, luceat lux veſtra, hoc eſt plurima in vobis ſit

B virtus, ac maximè ingens illius accendatur ignis, & ineffabile omnino lumen effulgeat. Quando autem tam magna virtus fuerit & clara, latere non poterit, etiam ſi mille illam contegere velit modis ille qui poſſidet. Irreprehenſibilem igitur † etiam hominibus] præſtate vi- (vobiſ ipſis.) tam, vt nullum in vobis verum colorem accuſationis inueniant. Sequetur illud, vt etiamſi innumeri accuſare cupiant, nullus vnquam infuſcare vos poſſit. Bene autem ait, lumen. Nihil eſt quod ſic hominem faciat inſignẽ, atque conſpicuũ, etiãſi magno ambitu optet latere, vt ſplendor iſte virtutis. Sicut enim ipſo ſole circumdatus, ita vtique clarus refulget, nec in terram ſolummodo lucis radios emittit, ſed ſupra ipſum etiam cœlum proprio fulgore radiabit. Hinc itaque illos vberius conſolatur. Et ſi, inquit, maledicta in vos audientes doletis: habebitis tamen plurimos quos ad amorem atque admirationem Dei veſtro adducatis exemplo. Vtrinque verò paratur vobis merces, & Deo per vos

C celebrato, & vobis propter Deum calumniis affectis. Ne autem operam demus, vt malè audiamus adducti ſpe præmij propoſiti, diligenter cauet, diſcrimina duo ſtatim adiungens: rémque diffiniens ſuis limitibus, ait, quum falſa ac ficta dixerint, ídque propter Deum. Ac demonſtrat quòd non modò maledicta huiuſmodi patienter ferre, verum etiam prædicari atque laudari plurimum adferat lucri, ad Deum gloria recurrente: pérque hoc ipſum melioribus ſpebus eos attollit. Non enim, inquit, tantum valebit obtrectatio malignorum, vt alios quoque tenebris obducat, quò minus veſtrum queant lumen aſpicere. Nam cùm ſal infatuatur, cùm lumen extinguitur, tunc vos tantummodo meritóque calcabunt: non cùm recta facientes ſubiacetis opprobriis. Tunc enim multi erunt omnino mirantes, non vtique vos tantum, ſed per vos etiam Patrem veſtrum. Nec dicit Deum, ſed Patrem: conferendæ illis nobilitatis prærogatiuam hoc iam nomine largiendo. Dein-

D de declarans honoris æqualitatem, ſupra quidem dicebat, Ne contriſtemini quum malè audieritis: ſufficit enim vobis quòd propter me iſta audiatis. hoc loco autem ipſum Patrem ponit, vbique æqualitatem manifeſtans. Quum igitur ſciamus quid lucri reportetur ex iſta (Matt.5. 1.Cor.10.) diligentia & ſtudio, & quod ex ſocordia periculum in promptu ſit (noſtra enim pernicie) multo grauius ac peius eſt, quòd Dominus noſter blaſphemia dira laceretur noſtra cauſa, ſine offenſione ſimus & Iudæis, & gentibus, & Eccleſiæ Dei, vitam noſtram clariorem ſole præſtantes. Et ſi maledicere quis velit, non propter ipſum malè audire doleamus, ſed ſi meritò iſtud audiamus. Si enim vitiis ſordeamus, etiamſi nobis nullus obtrectet, erimus omnibus miſeriores. Si verò virtutibus

ſplendere

ſplendere curemus, vel ſi totus mundus contra nos maledictis voluerit perſonare, erimus omnium beatiſſimi, atque ad nos trahemus omnes qui venire elegerint ad ſalutem: & qui non contumelias malignorum, ſed vitæ noſtræ voluerint conſiderare virtutem. Omni quidem tuba documenta ſunt operum clariora, vitáque munda ipſa eſt luce fulgentior. Nec obſcurari poterit, etiamſi innumeri fuerint obloquentes. Si enim habuerimus illa omnia quæ paulo ante præmiſſa ſunt, nec ſolummodo manſueti ac miſericordes & humiles, mundóque corde fuerimus, atque pacifici: ſed ſi etiam cùm maledicimur, non referamus iniuriam, quinimmo etiam gaudeamus: non inferius omnino, quàm per ipſa ſigna ſpectatores noſtros ad veritatem trahemus, veniéntque ad nos omnes libenter, etiamſi ferus, etiamſi dæmon ſit aliquis, aut quicunque tandem. Si verò nonnulli virtutis tuæ conſcij, nihilominus te contumeliis inſequantur, nequaquam inde turberis, nec conſideres quòd publicè in te iaculentur iniurias: ſed ipſam illorum interroga conſcientiam, & videbis applaudentes tibi, téque mirantes, ac virtutum tuarum laudes numerantes. (Dan.3.) Conſidera igitur quemadmodum rex aliquando Babylonius tres illos in fornace pueros prædicaret, & certè hoſtis erat, atque apertus inimicus: ſed quia viriliter eos ſtare perſpexit, prædicat & coronat. Propter aliud certè omnino nihil, niſi quia illo vtique contempto, Dei legibus ſeruiebant. Diabolus enim cùm nihil ſe viderit effeciſſe, diſcedit metuens iam profectò ne maiorum nobis fiat occaſio coronarum. Cùm verò ille diſceſſerit, quamuis ſceleſtus ſit aliquis, ac tota prorſus mente corruptus, incipiet tamen introſpicere virtutem, illa iam qua offendebatur nube ſubmota. Quod & ſi homines bona tua videre diſſimulent, ac in contrariam partem interpretentur, maiorem certè apud Deum admirationem laudémque reperies. Noli (2.Cor.2.) igitur dolere, atque concidere. Nam & Apoſtoli ipſi aliis quidem erant odor mortis, aliis autem odor vitæ. Si enim tu nullam tui culpandi occaſionem miniſtres, omni prorſus crimine liberaris, immò magis ac magis beatus efficeris. Reſplende igitur fulgore vitæ, & maledicos omnino contemne. Non poteſt enim accidere, omnino non poteſt, vt qui virtutem diligenter exequitur, nunquam plurimos acquirat inimicos. Sed nihil hoc ad eum qui virtute præditus eſt, quandoquidem clarius illorum occaſione reſplendeat. Hæc igitur ſcientes, illud curemus vnum diligenter, accurata ſcilicet ratione noſtram diſpenſare vitam. Sic enim etiam illos qui nunc in vmbra mortis ſedent, ad vitam perducemus futuram. Tanta quippe iſtius luminis virtus eſt, vt non ſolum hic fulgeat, verumetiam illuc poſſit ducere, modò ſequantur. Cùm enim viderint præſentia nos cuncta contemnere, & ad futura eſſe præmia præparatos, ſupra omnino noſtrum omnem ſermonem ipſis erunt operibus credituri. Quis enim tantæ vecordiæ eſt, qui videns hominem paulo ante diuitiis ac deliciis irretitum, repentè verò his ſe omnibus exuere, & volucrem atque alacrem eſſe, & ad famem ac pauperiem, & omnem prorſus laborem, ad pericula etiam pugnáſque ac ſanguinem, atque interfectionem ſui, poſtremò ad omnia quæ videntur metuenda ſuccinctum, non manifeſtum documentum accipiat futurorum? Si verò noſmetipſos præſentibus implicemus, atque interius impellamus, quo modo credere poterunt nos ad perfectionem alterius manſionis vrgeri? Qua verò etiam poterimus ſatisfactione purgari, cùm non tantum apud nos valuerit Dei reuerentia, quantum apud ſapientes gentilium humana gloria? Siquidem eorum ſe aliqui & pecuniis exuêre, & audacter ad contem-

A ptum mortis pararunt, vt ſe hominibus oſtentarent, propter quod eorum ſpes inanes fuerunt, quænam ergo nos ratio liberabit, ſi tanto nobis præmiorum honore propoſito, tantáque aperta nobis ad philoſophandum via, ne illis quidem ſimilia fecerimus, ſed nos pariter perdiderimus, & cæteros? Non enim ita incommodat Ethnicus iniquitatem faciens, quemadmodum cùm illam Chriſtianus operatur: & ſatis vtique conſequenter. Illorum enim gloria corruptibilis, ac fluxa eſt: noſtra verò, per Dei gratiam, etiam apud impios venerabilis eſſe & illuſtris agnoſcitur. Idcirco quando etiam nobis maximè exprobrare voluerint, ſuáque in nos maledicta augere, iſtud adiungunt, O Chriſtiane (quod profectò non dicerent, niſi magnam de ipſo dogmate exiſtimationem tenerent) non audiſti quanta præceperit Chriſtus, & qualia? Quando igitur vnum ex illis mandatis poteris implere, cùm relinquens omnia, vſuras colligendo circumeas, & fœnori fœnus

B adiungas? Et nunc quidem negociationes inſtituens, emas ſeruorum cateruas, diuerſorum animalium greges, argentea vaſa conficias, nunc agros merceris ac domos, ſupellectilem variam: atque vtinam id ſolum. Cùm verò vaniſſimis huiuſmodi ſtudiis iniquitatem ſociam iungas, cùm finitimorum terras tuis copules, inuadas domos, pauperes conteras, augeas famem: † quo modo potes ipſum ſaltem eccleſiæ intro- (quando poteris hæc ingredi limina?) ire veſtibulum?] Sed nonnunquam fortè pauperum miſereris. Noui hoc quidem. Sed ibi quoque etiam multa eſt peruerſitas & corruptela: aut enim cum faſtu id ſuperbiæ facis, aut ad gloriæ vanitatem vel lucrum, vt ne de bonis quidem operibus mercedem conſequaris. Quo quid infœlicius credatur eſſe, cùm in portus tranquillitate naufragium pateris etiam? Ne igitur iſtud eueniat, cùm boni quippiam feceris, noli à me gratiam flagitare, vt Deum certè habeas debitorem, qui ait, Mutuum date iis à quibus non ſperatis vos ac- (Luc. 6.)

C cepturos. Habes igitur locupletiſſimum debitorem: cur illum relinquens, me exigis hominem pauperem prorſus ac tenuem? Nunquid enim indignatur hic debitor cùm fœnus exigitur? † Num aut verax in ſoluen- (nunquid inops eſt?) do non eſt,] aut ſoluere ſponte diſſimulat? non cernis eius nullo explicabiles ſermone theſauros? Non liberalitatem illam inenarrabilem donatoris? Ipſum igitur tene, ipſúmque exige: hac enim exactione delectatur. Nam ſi ab alio exigi viderit quæ ipſe debet, ſuam reputabit iniuriam. Nec tibi vltrà iam reddet, quinimmo te ſibi vltionis faciet debitorem. Vnde me iudicas, inquit, ingratum? cuius verò mihi es conſcius paupertatis, quia ſcilicet me prætermiſſo, ad alium importunus accedis? alteri fœneratus es, & alterius exactor efficeris. Nam etſi homo accepit quod dediſti, Deus tamen vt tribueres, imperauit. Se igitur principalem debitorem tuum, ſéque vult eſſe vadem, præbens tibi occaſiones innumeras exigendi. Noli igitur tantas re-

D linquendo diuitias, támque expoſitam & promptam liberalitatem amittendo, à me vt accipias poſtulare, qui nihil omnino poſſideo. Cuius enim rei gratia mihi te oſtendis, cùm miſericordiam pauperibus impendis? Num ego tibi vt tribueres imperaui? Nunquid à me vt retribuerem audiſti? vt à me conſequenter mercedem videaris exigere. Ipſe dixit: Qui miſeretur pau- (Prou.19.) peri, fœneratur Deo. Deo igitur fœneratus es, ipſum repoſce: ſed non tibi in præſenti cuncta reſtituet. Verùm hoc quoque tuo commodo facit. Eſt quippe talis hic debitor, non qui (vt alij) feſtinet ipſum tantummodo mutuo datum exoluere: ſed agit omnia vt quod datum eſt, maneat in tuto. Propterea hîc quidem reddit ex parte, maximum autem tibi in futuro theſaurum re-

Universidad de Deusto Biblioteca

seruat. Hæc igitur scientes misericordiæ operibus liberaliter affluamus, plurimúmque amorem ostendamus in pauperes, eósque non pecuniis solum, verumetiam ceteris operibus adiuuemus. Et si viderimus publicè (vt fit) cædi aliquem, aut iniuriam sustinere, etiam si pecunia pro eo est danda, præstemus: & si rem verbis possumus terminare, ne pigeat. Est enim pro sermonibus merces, immò pro ipsis quoque gemitibus condolentis. [Iob 30.] Et ideò beatus Iob: Flebam ego, inquit, super omnem infirmum: & ingemui cùm viderem homines in necessitatibus. Si verò certa merces est etiam gemituum atque lachrymarum: quando & verbum, & studium, aliáque plurima concurrerint, considera quanta sit retributio conferenda. Nam ipsi quoque cùm inimici essemus Dei, vnigenitus nos ei reconciliauit, irato medium se inferens & opponens, qui & plagas pro nobis suscepit, & mortem. Studeamus igitur nos etiam eos qui affliguntur, de malis innumeris liberare. Nō quemadmodum nunc certè facimus, qui cùm videmus in se [B] aliquos concurrisse, alternísque iniuriis cædi atque discindi, quasi data opera subsistimus, cōfusione aliorum ac dolore gaudentes, & colligimus diabolicum quoddam theatrum: quo quid crudelius possit ostendi? Vides mutuis se contumeliis denotantes, atque vulneribus dilaniantes, scindentes vestes, ora fœdantes, & quietum adstare te pateris? Num leo est qui pugnat, num alia fera aliqua, num coluber? Certè homo est, tibi per cuncta communicans: frater est, membrum est: noli spectare, sed dissolue pugnantes. Noli ex eis voluptatem capere, sed eorum corrige voluntatem: nec instiga ad turpitudinem alios, sed eos etiam qui inter se conflictantur, arce ac dirime. Impudentium enim & ociosorum est in talium rerum gaudere discrimine: hominum piacularium & nefariorum hoc (inquam) est, atque irrationalium prorsus asinorum. Cernis homines fœdè ac turpiter agere, & non hanc esse tuam turpitudinem ducis & nō medius insilis, nec diabolicam illam disper- [C] gis cateruam, atque hominum pericula dissoluis? Et iubes tu, inquit, vt me huiusmodi manibus inseram, plagísque ipse conficiar? Primò quidem non patieris istud: & si acciderit, incipiet tibi hoc opus pars quædam esse martyrij, siquidem propter Deum ista perpeteris. Si verò plagas accipere cunctaris, considera quoniam Dominus tuus propter te nec crucem quidem sustinere cunctatus est. Nam illi quidem velut ebrij tenebras de tyrannide patiuntur furoris, quo solo illi tunc vtuntur duce: indigent autem sano aliquo cuius adiuuentur auxilio, & ille qui facit iniuriam, & iste qui patitur. Hic quidem, vt liberetur afflictus: ille autem, vt cesset affligere. accede igitur & manum porrige sobrius temulento. Est enim furoris ebrietas, & multo illa quæ contigit ex vini ebrietate deterior. Non vides sæpe nautas, cùm aliquod cernunt incidere naufragium, continuò vela tendentes, maxima intentione properare, vt eiusdem artis homines de periculo tempestatis eripiant? Si verò [D] artis socij tantum opitulādi studium sui similibus ostendunt, quanto magis † eiusdem fidei] [eiusdem naturæ.)] participes hæc omnia implere conueniet? Nam hîc quoque naufragium est, illóque quod diximus, perniciosius profectò naufragio. Aut enim vim patiens blasphemauit, & cunctis quæ habebat bonis repentè vacuatus est: aut peierauit tyrannide furoris oppressus, & iterum incidit in gehennam: aut plagam inferens commisit homicidium, pérque idipsum, rursus naufragium vitæ ipse sustinuit. Perge igitur, malúmque compesce, mersos extrahe, ínque ipsos maris fluctus fida mente descēde. Cúmque theatrum illud dissiparis diabolicum, singulos admone separatim: restingue flammam, fluctúsque com-

[A] prime & compone. Si verò maior ignis, & fornax fuerit ardentior, ne tunc quidem timeas: habes enim multos iuuantes, manúmque tibi continuò porrigentes, si modò initium rei ipse præstiteris: habes supra omnia opitulantem tibi pacis Deum, flāmámque illam primum vbi cōcusseris, multi etiam alij subsequentur, & illorum quoque rectè factorum merces ad te profectò perueniet. Audi quid aliquando Iudæis præceperit Deus: Iudæis, inquam, adhuc rudibus, humíque reptantibus. Si videris, inquit, iumentum inimici tui cecidisse in via: ne pertranseas, sed accurre, & iumētum quod cecidit subleua cum eo. † Multo, inquam, hoc facilius est rixantes homines separare, atque eos in pacem rursus adducere.] [Atqui iumentum lapsum erigere multo leuius est, quàm homines rixantes separare & reconciliare.)] Si verò inimicorum asinum, quanto magis amicorum animas oportet erigere? Præcipuè cùm ista multo sit ruina deterior, per quam scilicet non in foueam, sed in gehennæ collabuntur incendium, nequaquam irarum suarum onera sustinentes. Tu verò videns fratrem [B] tanto furoris fasce depressum, & diabolum propè adstantem, ignémque protinus accendentem, transcurris immisericorditer atque omnino crudeliter: quod absque periculo nec in bruto animante committitur. Samaritanus quidem ille cùm vulneratum videret ignotum, [Luc.10.] nihílque ad eum penitus pertinentem: & adstitit, & iumento proprio superposuit, & adduxit ad diuersorium, medicúmque conduxit: & argentum aliud quidem continuò dedit, aliud verò promisit: Tu verò cùm fratrem non in latronem videas incidisse, sed in ipsas dæmonum turmas, in obsidionem furoris, non in solitudine, sed in medio ciuitatis: nec pecuniam impensurus, nec conducturus iumentum, nec proximum longo itinere ducturus: sola etiam proferre verba dissimulas & cunctaris, & absque vlla omnino misericordia, immò etiam cum crudelitate præcipua contemnis, ac præteris? Quo modo speras, inuocans Deum te habiturum esse placatum? Iam verò ad vosipsos meus ser- [C] mo conuertitur, qui publicè quoque ista indecorè committitis. Ad te, inquam, qui vim affers, & iniquitatem facis: dic mihi, plagas tu incutis, & calcibus cædis, & mordes: súsne syluester effectus es, & asinus agrestis, & canis rabidus? Non pudet, non erubescis in feram ex homine conuerti, & propriam nobilitatem prodere? Etsi enim pauper sis, sed certè liber: etsi opifex, sed nihilominus Christianus. Propter hoc ipsum ergo quòd pauper es, magis necessariam habes quietem. Diuitum est enim litigare, non pauperum: eorum vtique hoc opus est, quos variæ aduersum se materiæ incitant iurgiorum. Tu verò cùm diuitiarum non habeas voluptatem, mala tamen diuitiarum requiris, congregans tibimetipsi inimicitias atque certamina. Angis fratrem, atque suffocas, & publicè spectantibus cunctis elidis ac saucias, nec existimas maiore teipsum confusione fœdari, qui ferarum impetus furibundus imitaris. Quinimmo etiam ipsis deterior effectus es. Illis qui- [D] dem sunt cuncta communia. Nam & pariter congregantur, & iter vnà carpunt, & societate sua gaudent: nobis verò omnino nihil commune est, sed sursum ac deorsum rixa atque contentio maledicta, inimicitiæ, & iniuriæ. Itaque nec cœlum quidem reueremur ipsum, ad quod certè communiter omnes vocamur: nec terram, quæ nobis itidem in commune donata est: neque ipsam postremo naturam. Ita prorsus omnia simul fœdera charitatis, iracundiæ furor, & amor pecuniæ dissipauit. Non vidisti illum qui mille erat debitor [Matt.18.] talentorum, quia eorum remissionem consecutus, conseruum proprium ob centum denarios etiam suffocabat, in mala certè vltima decidisse, atque immortali traditum esse supplicio? Non reuereris exemplum, non metuis

non metuis ne talia ipse patiaris? Etenim nos quoque [A] & plurima Domino debemus, & maxima, sed tamen magnanimiter expectat: neque imminet exigendo, sicut nos conseruis: neque stringit, neque suffocat: & certè si vel minimam eorum partem à nobis in præsenti vellet exigere, olim sine dubio perissemus. Hæc igitur perpendentes dilectissimi, humiliemur, & debitoribus nostris etiam gratias agamus. Fiunt enim, si philosophari volumus, maximæ non solum indulgentiæ, verumetiam mercedis occasio: pauca siquidem damus, plurima recepturi. Quid ergo exigis violenter à paupere? oportebat enim etiam si ille vellet exoluere, te tamen potius remittere non habenti, vt à Deo non modo totum, sed etiam multiplicatum illud acciperes. Nunc verò cuncta facis, & per violentiam efficis, ac contendis ne quid ex tuis tibi debitis remittatur: & proximum quidem videris opprimere, cùm temetipsum proprio mucrone transfodias, & gehennæ tibi augeas ipse supplicia. Quòd si hîc paululum philosopheris, causam tibi tuam redderes leuiorem. Nam & [B] Deus nos vult propterea à virtute liberalitatis incipere, vt occasionem inueniat per quam nobis plura restituat. Quantoscunque habeas igitur debitores pecuniarum, atque culparum, cunctos liberos abire permittens, à Deo istius magnanimitatis reposce mercedem. Quamdiu enim illos exigere perseueras, non habebis Dominum debitorem. si verò illos dimiseris, tunc debitorem habere poteris Deum, atque ab eo huius philosophiæ vicem cum cumulo maximæ liberalitatis exigere. Si enim homo fortè præteriens, & abs te debitorem constricta gula teneri videns, rogánsque vt illum quidem dimittas, abs se verò debitum reposcas: haud sustineat esse ingratus tibi, cùm quod tu dimiseris, ille in se receperit vniuersum: quî Deum credimus, non multipliciter, non infinities redditurum, si quid amore & præcepto huius obnoxiis nobis condonemus, nil neque paruum neque magnum ab illis reposcentes, liberos abire [C] sinamus? Ne igitur temporalem hanc aspicias voluptatem, quam de exactione capimus debitorum: sed damnum illud quod isthinc sustinebimus in futuro, in illis certè nosmetipsos quæ sunt æterna lædentes. Cuncta igitur auaritiæ atque malitiæ impedimenta superantes, & pecunias debitoribus nostris, & peccata donemus: vt causam nobis nostram æquiorem paremus: quódque neglexímus per aliam explicare virtutem, hoc ex condonatione admissæ in nos malitiæ consequentes, æternorum gaudia potiamur bonorum, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVI. EX CAP. V.

NOLITE *putare quòd venerim soluere legem, aut Prophetas.* Quis enim id fuerat suspicatus? quísve omnino istud obiecerat, vt cōtra necessario videatur occurrere? Neque [D] enim ex dictis eius istiusmodi suspicio nascebatur. Nā iubens esse mites, modestos ac misericordes, & corde mundo, & pro iustitia decertare, nihil vtique tale monstrabat: sed totum huiusmodi quod huic potius suspicioni esset aduersum. Cur igitur hoc dixit? Non ociosè omnino, nec vacuè: sed quia veteribus præceptis multo erat maiora positurus, dicens: Audisti quia dictum est antiquis, non occides: ego autem dico vobis, etiam ab iracundia temperare, & diuina quadam conuersatione atque cœlesti iter secare viuendi. Quia ergo ista erat dicturus, ne ipsa nouitas audientium corda turbaret, atque aduersus Domini præcepta quasi quandam cogitationum seditionem moueret, hac vti-

[A] tur præmunitione. Etsi enim legem illi non implerent, quippe quam quotidiana præuaricatione dissoluerent: ipsas tamen literas immobili volebant authoritate permanere, nihílque aliud illis adiungi: immò principes suos ad antiqua præcepta aliquid addentes æquo animo sustinebant: verùm non cùm in melius, sed cùm in deterius eorum additamenta proficerent. Siquidem honorem parentibus debitum præcepta addendo [Matth.15.] soluerunt, aliáque ex lege plurima importunis his additionum suarum redundantiis subruerunt. Quia igitur Christus nec de sacerdotali veniebat tribu: & quæ erat dicturus, cumulus erat quidam non imminuens, sed augens profectò virtutem: sciens quòd eos possent hæc vtraque turbare: priusquam admirabiles illas leges discipulis inscribat, hoc quod eorum mentibus obrepere poterat, excludit. Quid verò istud erat obrepens, ac sermoni resultans docentis? Opinabantur illum ista dicendo, legitima antiqua dissol- [B] uere. Contra hanc ergo nunc illis suspicionem medetur, & non hîc tantummodo istud, sed alibi quoque rursus inculcat. Quia enim illum quasi ob non obseruatum sabbatum, aduersarium Dei esse credebant, suspiciones eorum curans, illic quoque satisfactiones adhibet: alibi alias quidem, sed omnino se dignas: vt cùm dicit: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. [Ioan.5.] Alias verò multa condescensione plenas: vt cùm ouis [Matt.12. & Luc.15.] sabbato perditæ adducit exemplum, & ostendit propter mutæ animantis salutem sabbatum esse violatum. Circumcisionis quoque similiter meminit, idipsum profectò facientis, propter quod etiam humilioribus vtitur sæpe verbis, vt suspicionem qua contrarius Deo putatur, tollat. Propterea qui innumeros sermone solo mortuos suscitauit, cùm de sepulchro Lazarum vocaturus [Ioan.15.] esset, orationem antè præmisit. Deinde ne hoc illum minorem patre monstraret, vt hanc quoque suspicionem curaret, adiecit: Sed hæc propter turbam quæ [Ibidem.] [C] circumstat, dixi, vt credant quia tu me misisti. Itaque nec omnia sic facit quasi ipse habeat potestatem, vt infirmitates scilicet eorum hac moderatione medeatur: nec cuncta rursus operatur orando, ne aliquibus in posterum malignæ suspicionis argumentum relinquat. Non igitur quasi infirmus agit aliquid, aut quasi quæ ipse non possit: sed excelsa humilibus, & rursus excelsis humilia permiscet. Verum ne hoc quidem absque ratione aliqua facit, sed cum sibi prorsus congruente sapientia. Cùm enim maiora iure propriæ potestatis operetur, in minoribus tamen ad cœlum respicit. Nam peccata dimittens, & occulta animorum reuelans, & paradisum referans, & dæmones fugans, & leprosos expurgans, & † pelagus] [mortem)] frænans, & plurimos etiam mortuos suscitans, solo vtebatur imperio: quando verò, [Matt. 14. 15.] id quod his erat minus, panes multos scaturire facie- [Ioan.6.] bat ex paucis, tunc respexit ad cœlum, ostendens non se hoc de infirmitate fecisse. Qui enim maiora fecerat [D] ex mera potestate, quemadmodum oratione in minoribus indigeret? Sed vt paulò antè præmisi, facit istud vt ora obstruat impudentium. Id igitur etiam in dictis eius quoties cum humilia loqui audieris, intellige. Nam & verborum eius, & operum talium variæ causæ reperiuntur & plurimæ: vt illud, ne à Deo putetur esse alienus, quòd omnes docet & sanat, quòd humilitatem docet, quòd carne amictus est, quòd Iudæi non possint omnia simul audire ac capere, quòd docet ne magna de seipsis iactent. Propter hoc cùm multa de se humilia ipse dixerit, excelsa aliis magis dicenda dimisit. Nam ipse quidē cùm ad Iudæos loqueretur, aiebat: Antequam Abraham fieret, ego sum: verùm discipu- [Ioan 8.] lus eius haud ita, In principio, inquit, erat verbum, & [Ioan.1.]

Universidad de Deusto Biblioteca

Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbũ. Rursum
quòd cœlum, & terram, & mare, & visibilia omnia, at-
que inuisibilia ipse condiderit, nusquam omnino pate-
fecit. Discipulus verò cum libertate maxima, nihilque
subtrahens, & semel & secundò, & frequenter hoc lo-
quitur, scribẽs: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso
factum est nihil. &, In mundo erat, & mũdus per ipsum
factus est. Et quid miraris, si alij de illo plura dixerint,
quàm de seipso memorauit, quando plurima quę rebus
ostendit, verbis tamen non ad liquidum voluerit indi-
care? Quòd enim hominem ipse fecerit, docuit in cęco,
cui oculos quos nunquam habuerat creauit. Quando
Ioan.9. verò de prima illa hominis formatione disseruit, non
Matt.19. Marc.10. dixit, ego feci: sed qui fecit, inquit, masculum & fœmi-
Marc.6. nam fecit eos. Rursus quòd mundum, & quæ in eo sunt
& Luc.9. Ioan.2. ipse formauerit, & ex piscibus, & ex vino, & ex pani-
Marc.4. & Luc.8. bus, & ex tranquillitate mari reddita, & ex sole quem
crucifixus tenebris obduxit, pérque alia multa mõstra-
uit, verbis tamen nunquam manifestè istud expressit.
Discipuli verò & id sæpe memorauerunt, & Ioannes
videlicet & Petrus, & Paulus. Si enim illi certè noctè ac
die illum & audientes loquentem & videntes signa fa-
cientem, & quibus seorsum inquirentibus de quæstio-
nibus multa soluebat: si illi, inquam, quibus tantam vti-
que virtutem dedit, vt etiam mortuos suscitarent: quós-
que ad tantum perfectionis culmen euexit, vt propter
eum cuncta contemnerent, post insignem illam philo-
sophiam ac virtutem omnia tamen portare non pote-
rant, antequam illos ad audiendum Spiritus sanctus
præpararet: quemadmodum Iudaïcus populus exors
omnino sapientiæ, tantæque virtutis extraneus, & vel
ad audiendum Christi verbum, vel opera cernenda ca-
su quodam aliquando deductus, non eum alienum esse
ab omnium Deo credidisset, nisi tãtam ille condescen-
sionem per cuncta seruasset? Idcirco enim etiam cùm
(in primis talem legis condendæ potestatem.)
sabbatum solueret, non † principalem legem quòd il-
lud solueret,] induxit: sed excusationes quoque pluri-
mas variásque composuit. Si verò vnum mandatum re-
soluens, tanta vtitur dispensatione verborum, ne vti-
que vulneret audientes: quanto magis cùm legi inte-
græ integram adderet legem, grandi satisfactionis o-
pus habuit præparatu, grandíque cura, ne auditorum
animos vulneraret? Propterea igitur non vbique ma-
nifestè de sua inuenitur docere deitate. Si enim hoc,
quòd legi aliquid adiecit, ita eorum corda turbauit:
multo magis si se Deum dixisset. Idcircò ergo & alibi
plurima infra propriam loquitur dignitatem, & hic
progrediens ad legis augmenta diligenti præoccupati-
one est vsus. Non enim semel dixit, quia non solueret
legem: sed etiam secunda idipsum satisfactione repeti-
uit, maiúsque aliud rursus adiecit. Cùm enim dixisset,
Nolite putare quoniam veni soluere legem aut Pro-
phetas, intulit: *Non veni soluere legem, sed implere.* Hoc
enim non solum Iudæorum impudentissima illa, sed et-
iam hæreticorum valet ora frænare, qui veterem legem
ex diabolo esse confingunt. Si enim ad dissoluendam
tyrannidem illius Christus aduenit, cur legem eius ad-
cò non soluit vt & impleat? Neque enim contentus di-
xisse, non soluo: quod vel solum certè sufficeret: addit,
impleo. Hoc autem dicere, non modo non est aduer-
sarij legis, verumetiam conseruatoris eius, atque fauto-
ris. Et qui eam non dissoluit, inquis? Quo modo etiam
implesse vel legem dicitur, vel Prophetas? Prophetas
quidem, quia ea quæ de ipso dixerant, operibus cuncta
firmauit. Propter quod per singula Euangelista dice-
bat, vt impleretur quod dictum est per Prophetam. Et
quando natus est Dominus, & quando in eum paruu-
li admirabilem illum hymnum canebant: & cùm su-

A per asinam sedit: & in aliis omnino multis ea quæ de
illo Prophetæ aliquando prædixerant, euidenter im-
pleuit: quæ omnia nisi venisset ipse, impleta proculdu-
bio non fuissent. Legem verò non vno tantum, sed al-
tero, & tertio impleuit modo. Vno quidem, quia ni-
hil ex legitimis ipse transgressus est. Nam de omni à se
lege completa audi quid dixerit Ioanni: Sic enim de-
cet nos implere omnem iustitiam. Iudæis quoque di-
cebat, Quis ex vobis arguet me de peccato? Rursus ve- Ioan.8.
rò discipulis: Venit, inquit, princeps mundi huius, & Ioan.14.
in me inuenit nihil. Olim autem etiam prædixerat Pro- Esa.53.
pheta: quia peccatum non fecit. Vno igitur isto legem
impleuit modo. Alio verò, quia per nos quoque id-
ipsum facit. Hoc est quippe mirabile, quia non solum
legem impleuit ipse, sed idem istud nobis quoque fa-
cere donauit: quod Paulus significando dicebat: Quo- Rom.10.
niam finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Rom.8.
Et peccatum illum damnasse dixit in carne: vt iustifi-
B catio legis impleretur in nobis qui non secundum car-
nem ambulamus. Et rursus: Legem ergo destruimus Rom.3.
per fidem? Absit, sed legem statuimus. Quia enim stu-
debat lex hominem facere iustum, atque ad hoc inue-
niebatur infirma: veniens Christus, & per fidem cer-
tissimum modum iustificationis inducens, voluntatem
legis impleuit. Quod enim illa per literam non potuit,
hoc per fidem ipse confecit: propterea quoque dixit,
Non veni soluere legem, sed adimplere. Si vero ali-
quis diligenter examinet, alium quoque tertium mo-
dum impletæ ab eo legis inueniet. Quem verò istum?
Per ipsa vtique præcepta, quæ erat daturus. Non enim
interitus priorum, sed augmentum potius & comple-
mentum erant ea quæ dicebantur à Christo: illius quip-
pe sententiæ qua dicitur, Non occides: non interem-
ptio, sed adimpletio magis atque munitio est, dicere,
non irascaris: omniúmque similiter cæterorum. Pro-
pter quod cùm iam semina quædam tum citra suspici-
C onem præmisisset, nunc cùm palàm ex veterum nouo-
rúmque præceptorum collatione, tanquam aduersans
legi suspectus futurus videretur, præmuniente occupa-
tione vtitur. Tectius equidem iam antè viam præmu-
niuit per ea quæ dixit. Siquidem dicere, Beati paupe-
res spiritu: tale est, quale etiam dicere, nolite irasci. Et,
beati mundo corde: simile huic est, quod ait, ad con-
cupiscendum mulierem non videndam. Et, nolite the-
saurizare thesauros super terram & hoc concinit quod
ait, Beati misericordes. Et lugere, & persecutiones
pati, & opprobria sustinere, profectò tale est, quale
etiam per angustam viam perseueranter incedere. Et
esurire ac sitire iustitiam, nihil aliud est, quàm quod
etiam post in consequentibus loquitur: Quæcunque Marc.7.
vultis vt faciant vobis homines, hæc etiam vos facite
illis. Et cùm pacificum appellaret beatum, illud penè
dicebat, vt relinqueret ante altare munus, & ad recon-
ciliationem læsi à se fratris accurreret, atque aduersario
D celeriter consentiret. Sed ibi quidem præmia his qui Ibidem 5.
virtutem perficerent, ordinauit: hîc verò non facien-
tibus supplicia comminatur. Propter quod ibi quidem
dixit, quia mansueti hæreditabunt terram, hîc verò,
quòd qui fratrem fatuum vocet, reus efficitur gehen-
næ ignis. Et ibi quidem, quoniam mundo corde vi-
debunt Deum: hîc verò, quòd verus adulter sit qui
fœminam aspiciat intemperatè. Et ibi pacificos fili-
os appellauit Dei, hîc verò discordes aliunde de-
terret: ne fortè tradat te, inquit, aduersarius iudici.
Sic & lugentes & persecutionem ferentes, superius
vocat beatos: in consequentibus verò his qui non ea
ingrediuntur via, perditionem minatur. In qua vtique
illi sunt qui latam viam spaciosámque frequentant.
Sed &

Sed & quod dicitur, Non potestis Deo seruire & mam-
Matth.6. monæ: huic videtur æquale, quod ait: Beati misericor-
des: & qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Verùm quod
paulo antè memorauit, quia hæc ipsa lucidiùs erat pro-
fectò dicturus, nec lucidiùs modò, verumetiam cumu-
latiùs, plurima scilicet alia illis quæ dixerat, additurus.
Non iam enim vsitatum misericordem requirit, sed et-
iam tunica te exui iubet ad tegendam alterius nudita-
tem. Neque simpliciter mitem, sed illum qui alteram
quoque maxillam præbeat ferire cupienti, illam quæ
esse videbatur repugnantiam & contrarietatem prius
tollit. Ideóque quod ante admonui, non hoc semel, sed
iterum iterúmque congeminat. Cùm enim dixisset, no-
lite putare quoniam veni soluere legem, aut Prophetas,
intulit: *Non veni soluere legem, sed implere. Amen amen
dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum, aut v-
nus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Quod verò
dicit, eiusmodi est: Impossibile est legis decreta non
perfici. Nam minimum quoque eius oportet impleri:
quod certè ipse fecit, omni illam diligentia curáque
seruando. Hîc iam illud nobis profectò significat, quo-
niam totius mundi figura mutanda sit. Nec verò id-
ipsum simpliciter posuit, sed vt auditorem excitaret, at-
que ostenderet perfectiorem se introducere disciplinã.
Siquidem transfiguranda cuncta omnino creatura, &
hominum genus ad alteram patriam sit vocandum, at-
que ad sublimioris vitæ gloriam præparandum. *Qui-
cunque soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit
sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Postquam
enim suspicione se vindicauit maligna, & volentium
contradicere ora clausit: tunc iam consequenter & ter-
ret, atque in honorem constituendæ à se legis pœnam
præuaricantibus maximam comminatur. Quòd enim
non de veteri hoc lege dictum est, sed de illa quam ipse
erat positurus, ex his disce quæ continuo subsequuntur.
*Dico enim vobis, nisi abundauerit iustitia vestra plusquam
scribarum & pharisæorum, nõ intrabitis in regnum cælorum.*
Si verò de veteri hoc lege dixisset, quemadmodum di-
ceret, nisi abundauerit? Ea enim facere quæ pharisæi
scribæque faciebant, nondum rationem abundantis iu-
stitiæ habebat. Sed quod erat hoc abundans? scilicet
nec irasci, nec intueri fœminam lasciuè. Qua igitur gra-
tia vocauit minima mãdata, cùm tam magna certè sint,
atque sublimia? Qua enim conditurus erat ipse legem:
sicut semetipsum humiliat interdum, & mediocria de
seipso loquitur: ita nunc etiam de pręceptis suis: nos sci-
licet per hæc quoque docens mediocritatem vbique
seruare: & inuidiam nouæ legis attenuans, humili ora-
tionis genere tantisper vsus est. Cùm verò audis mini-
mum in regno cœlorum, nihil aliud intelligas, quàm
gehennam atque supplicium. Solet enim cœlorum ap-
pellare regnum, non solum ipsa gaudia præmiorum, sed
(παρουσίαν, id est, præsentiam vel aduentum. * totam legem.)
etiam resurrectionis tempus, & * præsentiam illam ter-
ribilem. Cæterùm quænam esset hæc ratio, vt ille qui-
dem qui fratrem fatuum vocasset, vnúmque mãdatum
soluisset, iret in gehennam: hic verò qui † & manda-
tum] solueret, & non solueret solum, sed ad id alios et-
iam introduceret, esset tamen in regno? Non igitur hoc
dixit, sed quia resurrectionis tempore huiusmodi præ-
uaricator erit minimus, abiectus, vltimus. At verò vl-
timus omnium tunc incidet in gehennam. Deinde
quasi verè Deus futuram multorum desidiam præuide-
bat, quòd videlicet opinaturi erant exaggerationis
tantùm illa esse præcepta, & aduersus Euangelium ra-
tiocinaturi, atque dicturi: Ergóne qui fratrem tantum-
modo fatuum vocauerit, punietur: & qui incautè fœ-
minam viderit, inter adulteros deputandus erit? Igitur
contemptum legis antea tollens, vtrisque pœnam est

A maximam comminatus, & præuaricatoribus scilicet,
& his qui ad præuaricationem alios cohortantur. Sci-
entes igitur comminationis istius magnitudinem, ne-
que transgrediamur ipsi legem, neque eos qui illam
seruare cupiunt remoremur. *Qui autem fecerit*, inquit,
& sic docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.
Non enim sibiipsi tantum vnusquisque vtilis esse de-
bet, sed etiam cæteris. Neque enim æqua merces est
eius qui solummodo seipsum regit, & illius qui etiam
alios acquirit. Sicut enim docere absque operibus con-
demnat docentem: Qui, inquit, doces alium, teipsum Rom.2.
non doces? ita facere quidem, nec tamen aliis facienda
suggerere, non parum de illa plena mercede decerpit.
oportet igitur in vtroque esse perfectum. Cúmque pri-
mum se aliquis ipse correxerit, tunc eundem etiam er-
ga cæteros congruit fieri diligentem. Idcircò enim et-
iam ipse prius posuit facere quàm docere, ostendens
quòd sic aliquis bene accedere valeat ad docendum:
B aliter autem nequaquam. Audiet enim, Medice cura Luc.4.
teipsum. Qui enim cùm seipsum docere nequiuerit, ali-
os emendare conatur, irrisioni est expositus plurimo-
rum: immò ne docere quidem talis valebit, cùm scili-
cet verbis eius clariores hominum voces reclament. Si
verò fuerit ex vtroque perfectus, magnus vocabitur in
regno cœlorum. *Dico enim vobis, nisi abundauerit iustitia
vestra plusquam scribarum & pharisæorum, non intrabitis in
regnum cælorum.* Hic iustitiam, vniuersam dicit profectò
virtutem. Sicut etiam de sancto Iob loquens, ait: Erat Iob 1.
homo iustus irreprehensibilis. Iuxta hunc modum et-
iam Paulus signãter iustum vocabat, cui nec legem po-
sitam esse dicebat. Iusto, inquit, lex non est posita. Sæ- 1.Tim.1.
pissimè quidem in scripturis pro generali virtute posi-
tum hoc nomen inuenies. Tu verò attentius gratiæ au-
gmenta considera, quemadmodum scilicet rudes ad-
huc discipulos veteris legis doctoribus velit esse melio-
res. Scribas hîc enim, atque pharisæos non iniquos, vt
C putatur, appellat: sed eos qui legis præcepta custodiunt.
Neque enim illos qui non custodirent, diceret habere
iustitiam: neque ei quæ non esset, eam quæ esset iustiti-
am compararet. Perspice autem etiam quemadmodum
hoc loco legem constituat antiquam, dum eam con-
fert nouæ. Cuius sanè illam esse quasi cognatam docet,
& omnino germanam. Plus enim ac minus eiusdem
esse generis manifestum est. Non igitur legi obtrectat
antiquæ, sed profectò intendere vult. Quæ si statuta fu-
isset à malo, nunquam eius incrementa quæsiisset, nec
implesset illam, sed penitus explosisset. Et qui, inqui-
es, si talis est, nunc non inducit in regnum? Sed mo-
do vtique non introducit, iam post Christi aduentum
perfectiori deditos disciplinæ, vtpote qui maiori gra-
tiæ ipsius virtute potiantur, pérque hæc maiora debe-
ant inire certamina. Cæterum electos illa sui temporis
alumnos in regnum omnes prorsus induxit. Etenim
multi ab Oriente & Occidente venient, inquit, & re-
D cumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno Matth.8.
Dei. Et Abraham igitur, & Isaac, & Iacob, & Laza-
rus qui magnis certè præmiis fruitur, atque in Abra-
hæ sinibus inuenitur epulari, & omnes qui perfectè Luc.16.
in lege veteri de virtute fulsere, per ipsam profectò
fulserunt. Deinde si illa lex mala, si fuisset aliena, ne-
quaquam totam illam veniens ipse Christus implesset.
Si enim istud tantummodo attrahendi ad se Iudæos
studio fecisset, non autem vt ostenderet cognatam
esse illam legi nouæ, eíque per omnia congruentem,
quánam quæso ratione non etiam gentilium ritus &
legitima seruauit, vt per hoc quoque gentes possit at-
trahere? Per quæ manifestissimè vndique relucescit, nõ
ideò veterem legem desiisse in regnum inducere, quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

malasit, sed quia perfectiorum vtique mandatorum A
tempus aduenerit. Si verò ad comparationem legis no-
uæ, vetus imperfectior monstratur, ne hoc quidem il-
lam malam esse conuincit. Siquidem secundum hunc
modum, idem istud etiam noua ipsa patietur. Nam &
huius scientia si futuræ scientiæ comparetur, perexigua
& imperfecta quædam particula est, quæ cùm illa ve-
1.Cor.13. nerit, euacuetur. Cùm autem, inquit, venerit quod per-
fectum est, euacuabitur quod ex parte est, quod certè
vetus à noua lege perpessa est. Nec tamen continuò
aduersus nouæ legis loquimur dignitatem, licet nobis
cœlorum regno potientibus, illam quoque cessaturam
esse dicamus: tunc, inquit, euacuabitur quod ex parte
est. Sed quamuis maiora succedant, hanc tamen esse
magnam nihilominus confitemur. Quia igitur & am-
pliora sunt præmia, & eminentior sancti Spiritus gratia,
charissima- consequenter requiruntur etiam maiora † certamina.]
ta.) Non enim iam lacte ac melle manans terra promittitur, non senectus vberior, nec numerositas filiorum, B
non frumenti viníque copia, non ouium atque armen-
torum greges, sed cœlum, & ea quæ sunt in cœlo bona,
& filiorum adoptio, & cum vnigenito iuncta fraterni-
tas, & societas hæreditatis, & glorificari, & conregnare,
Quod autem etiã maius nacti simus auxiliũ.) & præmia illa quæ promittuntur innumera. † Quod e-
nim etiam maiore in regno honore potiemur,] audi
Rom. 8. Paulum loquentem: Nihil igitur iam damnationis est
his qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem
ambulant, sed secundum spiritum. Lex enim spiritus vi-
tæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccáti & mortis.
Cùm igitur fuisset præuaricantibus comminatus sup-
plicia, ac prẽmia obedientibus ampla posuisset: cúm que
ostendisset, quia meritò à nobis supra prioris iustitiæ
mensuras requirat, incipit recentis legis ordinare præ-
cepta, non simpliciter, sed per comparationem legis
antiquæ, duo ista volens ostendere, quòd & præceden-
tibus non repugnans, sed valde etiam per cuncta con-
sentiens ista præcipiat: & quòd consequenter atque C
opportunè prioribus secunda apponat. Quod vt possit
esse lucidius, ipsius conditoris legis verba diligentius
Exod.20. audiamus. Quid igitur ipse pronunciat? *Audistis quia dictum est antiquis, Non occides.* Et certè idem est, qui et-
iam illa præceperat: sed absque vllius interim hoc po-
suit commemoratione personæ. Siue enim dixisset, au-
distis quia dixi antiquis: fuisset nihilominus sermo re-
ceptu difficilis, cunctísque audientibus ingratus, siue
dixisset, quia dictum est antiquis à Patre meo, deinde
intulisset, Ego autem dico vobis: maioris hoc profectò
esse insolentiæ iudicassent. Propter quod mediè illud
posuit atque suspensè, vnum illud præcipuè conficiens,
vt ostenderet opportunissimo euenisse tempore ista di-
cendo. Cùm enim posuit, dictum est antiquis, plurimum iam esse tempus asseruit, ex quo istud accepêre
mandatum. Hoc verò fecit vt auditorem ad sublimiora
progredi præcepta cunctantem acrius incitaret, vt si
quispiam doctor dicat puero negligenti. Nescis iam D
quãtum temporis in syllabarum meditatione consum-
pseris? Tale igitur aliquid etiam significãs antiquorum
commemoratione facta, ad doctrinam illos cuocat cel-
siorem, ac si diceret: Habuistis sufficiens omnino tem-
pus ista meditandi, iámque oportet vos ad sublimiora
succendi. Bene autem quod nec ipsum præceptorum
confundit ordinem, sed ab eo primum cœpit, à quo in
parte moralium etiam lex fuerat exorsa. Nam id quo-
que est in omnibus conuenientiam legis ostendere vtri-
usque. *Ego autem dico vobis, quoniam qui irascitur fratri suo temere, reus erit iudicio.* Vidisti perfectam vtique po-
testatem, vidisti dignitatem, quæ latorem certè legis
deceret. Quis enim Prophetarum ita vnquam locutus
est? quis iustorum? quis patriarcharum? Nullus omnino.
Nam illi per singula sæpius inferebant, Hæc dicit Do-
minus: sed non ita loquitur & filius. Illi enim Domini
verba, hic verò Patris annunciat, Cum autem dico Pa-
tris, sua vtique dico. Mea enim, inquit, tua sunt, & tua Ioan.17.
mea. Et illi conseruis suis loquebantur, hic seruis. In-
terrogemus igitur eos qui veterem legem penitus ex-
plodunt. Non irasci, contrariúmne est eius præcepto
quo prohibemur occidere, an potius absolutio & sup-
plementum, per quod illud quoque ipsum custodiri
queat? haud dubium quin hoc illius sit supplementum,
proptereáque perfectius. Qui enim in iracundiam non
effertur, quanto longius ab homicidio abstinebit? Et
qui animi indignationem refrænat, quanto magis ma-
nus suas innoxias continebit? Radix quippe homicidij,
iracundia est. Qui igitur radicem abscindit ipsam, mul-
to facilius ramos eius poterit amputare, immò ne ger-
minare quidem illos omnino patietur. Non igitur in
legis interitum, sed ad maiorem eius profectò custodi-
am ista præcepta sunt. Quid enim lex volebat efficere
cum ista mandaret? Nónne vt ne quis occideret proxi-
mum? Igitur impugnatorem legis homicidia oportue-
rat imperare. Occidere enim, & non occidere, duo sunt
absque ambiguitate contraria. Sin verò ne irasci qui-
dem sinit: hoc vtique statuit, & perfectius statuit, quod
etiam lex volebat. Non enim similiter auersatur homi-
cidium, qui tantummodo non occidere meditatur, &
qui iram quoque ipsam prorsus interemit. iste enim
longius ab huiusmodi recessit audacia. Vt autem illos
etiam aliunde capiamus, cuncta quæ solent dicere pro-
feramus in medium. Quenam ergo sunt illa quæ dicũt?
Deus, inquiunt, qui fecit hunc mundum, qui solem su-
um facit oriri super bonos & malos, & qui pluit super Matth.5.
iustos & iniustos, malus quispiam est. Qui verò ex illis
quasi modestiores videntur, istud quidem repudiant:
iustum verò illum esse dicentes, boni tamen appellatio-
ne defraudant. Alterum verò quendam, qui certè o-
mnino non est, nec eorum quæ sunt quicquam creauit,
patrem attribuunt Christo: & illum quidem nõ bonum
in suis manere dicunt, suáque seruare: bonum verò in a-
liena irruere, eorúmque quorum non sit creator, subitò
velle fieri saluatorem. Vidisti diaboli certè filios, quem-
admodum de fonte ipso patris loquantur, alienantes à
Deo creaturas eius: cùm beatus Ioannes è regione clã-
met, In propria venit: &, mundus per ipsum factus est. Ioan.1.
Deinde legem discutientes priorem, quæ oculum pro
oculo, & dentem pro dente eiici iubet, insiliunt conti- Exod. 21.
nuò dicẽtes: Et quemadmodum esse bonus potest, qui Deut.19.
tam dira præcepit? Quid igitur ad ista referemus? Quòd
scilicet maximam misericordiæ speciem hæc præcepta
cõtineant: non enim vt nobis vicissim erueremus ocu-
los, sanxit hanc legem, sed vt metu quo ab alio istud ti-
meamus pati, ipsi quoque tale quippiam in alios cave-
remus admittere. Sicut enim Niniuitis euersionem mi- Ionæ 1.3.
natus est, non vt eos interficeret (si enim voluisset istud,
nihil potius oportuerat quàm tacere) sed vt eos faceret
timore meliores, irámque compescere: sic etiam teme-
rè in alienos insilientibus oculos, pœnam statuit, vt & si
ipso voluntatis bono nollent à crudelitate desinere, sal-
tem metu cogerentur oculis parcere proximorum. Si
verò illud crudele dicitur, & homicidam & adulterum
arcere crudele dicatur: sed insipientiũ omnino ista ver-
ba sunt, & extremo furore dementium. Ego enim adeò
metuo dicere hæc esse crudelia, vt his cõtraria etiã ini-
qua perdoceam: quod certè cõmunis quoque ratio de-
prehendit. Tu enim dicis, quia oculum pro oculo iussit
offerri, idcireò crudelis: ego autem refero, quia nisi
præcepisset istud, tunc verè apud plurimos talis fuisset,
qualem

qualem tu cum falsò conquereris. Denique sermone A
fingamus, omnem legem esse resolutam, nec quempi-
am pro huiuscemodi factis formidare supplicium: sed
cunctis prorsus malignis licere sine metu vti moribus
suis, & adulteris, & homicidis, & furibus, & periuris, &
parricidis: nónne sursum ac deorsum omnia miscerẽ-
tur? Nónne mille sceleribus & cædibus vrbes, fora, do-
mus, terræ, maria, totúsque omnino mundus fuisset im-
pletus? Omnino istud manifestum. Nam si legibus cer-
tè dominantibus, & vigente comminatione, atque ter-
rore, vix tamen voluntates cohibentur malignæ: si et-
iam hoc præsidium defuisset, quánam posset malitia ra-
tione frænari, aut quæ non in vitam hominum pestis
irrueret? Nec tamen solum istud crudele est, permittere
scilicet malis agere quæ velint: sed aliud quoque isto
certè nihilo minus, id est, læsum & immeritò afflictum
negligere, atque despicere. Dic enim mihi, si quis feros
homines, ac semper malignos in vnum colligens, gla-
diis armaret, totámque circumire ciuitatem iuberet, B
atque obuios sibi quosque confodere: quid tandem
hoc esset immanius? At si alius eos quidem qui ab illo
armati essent ligaret, violentérque constringeret: eos
verò qui interimendi erant, ab iniquis illis manibus li-
beraret, quid è regione isto inueniretur humanius? Hæc
igitur etiam ad legem transfer exempla. Qui enim ocu-
lum pro oculo effodi præcepit, timorem, quasi firmissi-
mum quoddam vinculum, malorũ pectoribus immit-
tens, illius similis inuenitur qui illos, quos dixi, cohibu-
it gladiis armatos. Qui verò nullam omnino pœnam
decreuit illis, tantum non armat impunitate, cúmque
imitatur, qui sceleratos illos gladiis instruxit, inque to-
tius ciuitatis misit exitium. Vidésne quemadmodum
non solum nullius crudelitatis, verumetiam maximæ
pietatis sint illa præcepta? Si verò propter ista importa-
bilem legislatorem vocas, ac prorsus onerosum: quid
est, dic mihi, laboriosius, non occidere, an ne irasci qui-
dem? Quis seuerior atque districtior, qui de homici- C
dio, an qui etiam de ira exigit vltionem? qui adulterum
post commissum opus pœnæ subiicit, an qui etiam pro
sola concupiscentia iubet subire supplicium, & quidem
sempiternum? Perspicite igitur etiam in contrarium il-
lorum conuersum esse sermonem. Nam veteris qui-
dem legis Deus, quem dicunt illi esse crudelem, inue-
nitur esse mãsuetus, ac mitis: nouæ autem quem bonum
fatentur, onerosus ac durus, secundum stultitiæ illorum
duntaxat errorem. Nos vero vnum atque eundem vtri-
usque testamenti asserimus conditorem, qui ad varias
hominum vtilitates omnia dispensarit, & diuersitati
temporum diuersitatem vtriusque legis aptauerit. Igi-
tur nec illa præcepta crudelia, nec ista onerosa sunt at-
que molesta: sed vnius eiusdémque omnia prouiden-
tiæ. Quòd enim etiam veterem ipse condiderit, audi
Prophetam loquentem, immò ipsum magis Deum per
Esa.55. Prophetam: Disponam vobis testamentum, non se-
cundum fœdus quod pepigi cum patribus vestris. Si D
verò ista non suscipit qui Manichæorum tabe infectus
Galat.4. ægrotat, audiat Paulum eadem rursus ista dicentem:
Exod. 21. Abraham enim duos filios habuit, vnum de ancilla, ali-
um de libera. Hæc autem duo sunt testamenta. Sicut
ergo diuersæ ibi sunt quidem fœminæ, sed vir vnus vtri-
usque: sic etiam hic duo testamenta, vnus verò vtri-
usque legis est conditor. Atque vt discas vnam ean-
démque in vtroque manſuetudinem contineri: ibi
quidem dicit, oculum pro oculo: hîc verò, si quis te, in-
quit, percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & al-
teram. Sicut enim ibi timore supplicij ad modestiam
ducit nocentem, ita hîc quoque dum commendat læ-
so patientiam, lædétem multo maiore vltione deterret.

Et quemadmodum, inquies, ille terrebitur, cùm hîc al-
teram præbere iubeatur? Et quid tandem huiusmodi
conficere gestit obiectio? Non enim ideò hoc præcipit,
vt resolueret percussoris timorem: sed vt hunc quem
præbere iusserat, ad omnem tolerãtiam prepararet. Nec
dixit, quòd impunè ille inferret iniuriam: sed, tu ne re-
feras: duo pariter efficiens, & percussorem scilicet sup-
plicio maiore terrendo, & eum qui percutitur, de ipsa
quoque patiẽtiæ virtute solãdo. Sed hæc velut in trans-
itu de mandatis omnibus quasi generaliter dixerimus.
Necessarium verò est ad inceptũ reuerti, & cõsequen-
tiam eorum quæ prius sunt dicta, contexere. *Qui irasci-*
tur, inquit, *fratri suo sine causa, reus erit iudicio.* Non enim
omnino istum extinxit affectum. Primo quidem, quia
impossibile est hominem passionibus liberari. Nam vt
regere illas possumus, ista absque illis per omnia esse nõ
possumus. Deinde quia etiam multis vtilis est affectus
iste, si illo videlicet opportunè ac scienter vtamur. Ita-
que considera quàm ampla quondam bona operata sit B
ira Pauli. hãc enim ille aduersus Corinthios exercẽdo,
à maxima illos peste liberauit. Per hanc etiã Galatarum
gentem, quæ ferè à Christo iam exciderat, reformauit,
alióque his plures illius iræ cẽsura correxit. Quódnam
igitur opportunum est tempus iræ? quando non scilicet
nosmetipsos vlciscimur, sed cùm reprimimus erga alios
insolentes, cúmque desides increpatione conuertimus.
Quod verò importunum est tempus iræ? cùm scilicet vt
nosmetipsos vindicemus, irascimur: quod Paulus quo-
que prohibẽdo dicebat, Non vosmetipsos vindicantes Rom.12.
charissimi, sed date locum iræ. Quando etiam de pecu-
niis litigamus. Nam hoc est quod idem magister omni-
no destruxit, dicendo: Quare non magis iniuriam acci- 1.Cor.6.
pitis? Quare non magis fraudem patimini? Sicut enim
hinc irasci, superfluum & inutile est, ita ira illa & neces-
saria est, & commodissima. Sed plurimi è contrario fa-
ciunt: efferuntur quidem cùm ipsi aliquid patiuntur in-
iuriæ, resoluuntur verò & omnino molescũt, cùm alios
vel maximã afflictionem viderint sustinere: quod cer-
tè vtrunque Euãgelij verbis repugnat. Non ergo ipsum
irasci malum est, sed importune irasci. Propterea etiam
Propheta dicebat: Irascimini, & nolite peccare. *Qui au-* Psal. 4.
tem dixerit fratri suo racha, reus erit concilio. Cõcilium hic
iudicium Hebræorum vocauit: quod ideo nunc posuit,
ne noua vbique videretur docere atque peregrina. Ra- Racha.
cha verò non grandis alicuius est verbum conuicij, sed
magis de contemptu veniens, impatientiáque dicentis,
vt ipsi nonnunquam vel seruulis vel inferioribus qui-
busque aliquid imperantes dicimus: Vade tu, dic tu illi.
Sic etiã qui lingua vtũtur Syrorum, racha pro eo quod
est tu, dicere solent. Sed misericors Dominus cum ma-
ioribus etiã minima quæque delicta pariter euellit, præ-
cipiẽs vt mutuo nobismetipsis & honorabilius vtamur,
& cautius, vt per hæc maiora quoque peccata auferan-
tur. *Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Multi
hoc graue atque onerosum putant esse mandatum, vt
scilicet pro vno nudóq; sermone tãta nobis pœna sub-
eunda sit. Vnde quidam istud exaggeratione magis siue
per hyperbolem dictum esse voluerunt. Sed vereor ne
nosmetipsos hîc verbis omnino friuolis, vel potius infi-
delibus seducẽtes, ibi rebus ipsis supplicia extrema sol-
uamus. Sed cur quæso mandatum istud videtur onero-
sum? An fortè nescis, quia plurima pars culparum atque
pœnarum ex verbis sumat exordium? Nam & blasphe-
mia per verba, & Dei negatio per verba, inde & maledi-
cta & iniuriæ, atque periuria, & falsa testimonia, & ipsa
frequenter homicidia. Noli igitur aspicere quòd vnum
hîc verbum sit: sed quantum periculi habeat, expende.
An ignoras inimicitiarum tempore incandescente ira,

Universidad de Deusto
Biblioteca

animóque prorsus ardente, etiam minimum aliquid magnum videri? Tunc quippe & quod non valde iniuriosum est, nimis tamen putatur onerosum. Nam hæc ipsa paruula & homicidia sæpe pepererunt, & vrbes crebrò integras subruerunt. Sicut enim manente amicitia, etiam quæ molesta sunt leuia ducuntur: sic inimicitiis obortis, leuia quæque pro grauissimis audiuntur. Nam etsi simpliciter aliqua dicantur, de malo tamen animo prolata creduntur: atque vt in igne cùm scintilla exigua est, etiam si plurimum lignorum admoueas, non ea facilè comprehendit: si verò satis in excelsum flamma consurgat, non iam ligna solum, sed & saxa, & omnem prorsus incidentem materiam sibi vendicat, & per quæ extingui solet, per ea ipsa potius accenditur: quidam quippe aiunt, quòd huiusmodi flammam non ligna tãtum, & stuppa, aliáque ignis alimenta, sed aqua etiam maiori impetu iactata, magis magísque succendat: ita accidere etiam in ira solet. Quicquid aliquis dixerit, continuò pabulum pessimi huius efficietur incendij. Quæ omnia Christus antè iam comprimẽs, eum quidem qui sine causa irascitur, iudicio condemnat: & idcircò dixit: *Qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio.* Eum verò qui dixerit, racha, reum pronunciat esse concilio. Sed adhuc ista non magna sunt: huius enim sæculi sunt pœnæ. Quocirca eum qui fratri fatue dixisset, gehennæ ignibus deputat: modò certè primum nomen gehennæ commemorans. Cùm enim prius de regno multa dixisset, tunc istius intulit mentionem: ostendens quoniam illud quidem illius voluntatis sit atque propensionis erga homines, hæc verò nostræ profectò desidiæ. Vide autem quemadmodum gradatim faciat augmenta pœnarum, quodammodo excusans se tibi, atque demonstrans quoniam ipse quidem nihil velit tale minari, nos verò illum ad huiusmodi denunciationes pertrahamus. Idipsum itaque diligenter expende. Dixi, inquit, noli irasci sine causa: quoniam reus eris iudicio. Contempsisti prius illud. Vide quid peperit iracundia, ad contumeliam te continuò prouocauit. Racha enim fratrem vocasti, cui rursus culpæ pœnam concilij constitui. Quòd si istam quoque despiciens, ad maius volueris promoueri conuitium, non iam vltrà his in te mediocribus vindicabo, sed immortali illo gehennæ supplicio, ne iam etiam ad homicidium fortè prosilias. Non est omnino, non est intolerabilius aliquid iniuriis, quódque possit magis hominis animam mordere. Quòd si sermo ipse contumeliosus paulò fuerit austerior, duplex conflatur incendium. Ne igitur leue aliquid existimes, fatuum fratrem vocare. Quando enim isto quo ab irrationalibus separamur, & quo maximè homines sumus, intellectu scilicet atque prudentia, fratrem spolias, omni illum nobilitate priuasti. Non ergo verborum tantummodo sonum simpliciter audiamus, sed in res ingredientes ipsas, & vim illam conuicij ponderantes, consideremus quantum sermo iste operatur dolorem, atque ad quantum malum sæpe
1.Cor.5. 6. 1.Pet.4. perueniat. Propterea igitur & Paulus non adulteros solum, & masculorum concubitores, verumetiam maledicos à regno Dei excludit: & meritò. Conuiciator quippe bonum charitatis omnino corrumpit, & mille proximum inuoluit incommodis, ac iuges inimicitias frequenter operatur, & Christi membra discerpit, ac desiderabilem Deo pacem singulis quibusque diebus exagitat, amplissimam diabolo viam per conuitia parans, eúmque efficiens fortiorem. Propterea etiã Christus neruos potentiæ eius exscindens, induxit hanc legem. Est quippe illi cura maxima charitatis. Omnium enim mater bonorum, & certum an discipulus Christi sis experimentum, & ea quæ in nobis sunt bona, cuncta complectens, hæc est omnium maxime. Iure igitur radices inimicitiarum ipsósque fontes per quos charitas necari solet, multa cum vehementia Christus intercipit. Ne igitur hæc dicta cuiusdam exaggerationis existimes, sed intelligens ea quæ ex his præclare efficiuntur, legum statutarum mansuetudinem demirare. Nihil enim ita studet Deus, vt nos mutuis charitatis nexibus colligare. Propterea & per semetipsum, & per discipulos suos, tam in nouo, quàm in veteri testamento plurimo hoc mandatum sermone commendat. Et vehemens animaduersor atque punitor est eorum qui præceptum tale contemnunt. Nihil quippe est quod ita omnem malitiam & pariat, & firmet, vt interemptio charitatis. Nam & Dominus idcirco dicebat: Quando abundauerit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Sic etiam Cain est fratricida factus: sic Esau & patri obstat, & fratri minatur interitum. Sic etiam contra Ioseph sanctum fremuit malè coniurata germanitas. Sic mille alia pullulauere mala, hac virtute subtracta. Propterea & Christus omnia incommodantia claritati, diligenter interimit. Neque enim hæc tantummodo quæ posuimus dixisse contentus, alia quoque plura subiungit, per quæ quantam charitatis curam habeat ostendit. Comminatus enim per concilium atque iudicium, cõminatus etiam per gehennam: intulit rursus & cætera quæ prioribus consonarent, dicens: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid aduersus te, relinque munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum.* O admirabilem benignitatem, atque ineffabilem erga homines amorem Dei. Honorem suum despicit, dum in proximo charitatem requirit: ostendens quoniam nec priora quæ etiam comminatus est, odio aliquo hominum, vel de cupiditate inferendi supplicij comminatur, sed amore præcipuo. Quid enim his verbis mitius esse possit? quid lenius? interrumpatur, inquit, cultus meus, vt tua charitas integretur. Sacrificium mihi est fratrum reconciliatio. Propterea quippe non dixit, postquam obtuleris: aut priusquam offeras: sed munere ipso iam posito, & inchoante sacrificio reconciliandum mittit ad fratrem: & neque propósita etiam munera auferri iubet, neque priusquam offerantur id memorat: sed proposito palàm sacrificio, illuc currere imperat offerentem. Quam igitur ob causam istud fieri iubet? Duo sunt, vt certè ego arbitror, quæ per ista & designat & conficit. Vnum quidem, quod vtique iam dixi, ostendere scilicet volens quòd honoret maximè charitatem, & hãc acceptissimum esse sacrificium ducat: absque ista verò nec illud profectò suscipiat. Aliud verò, quò irrefutabilem quãdam necessitatẽ reconciliationis imponat. Qui enim iussus est non prius munus offerre quàm recõcilietur offenso: etiãsi nõ ob proximi charitatẽ, saltem ne sacrificium maneat imperfectũ, currere ad cõtristatum iubet, inimicitiáque dissoluere. Propterea & disertè cuncta memorauit, terrens illum videlicet ac suscitans. Cùm enim dicitur, relinque munus tuum: non ibi restitit: sed intulit, ante altare, rursus ab ipso etiam loco horrorem iniiciens: & vade: nec tantum dicit, vade: sed adiunxit, prius: & tunc veniens offer munus tuum: per omnia ista significans, quia per aliquas inter se inimicitias dissidentes, nequaquam mensa illa suscipiat. Audiant hi qui sacris certè mysteriis initiati, cum inimicitiis ad communionem altaris accedunt. Audiant etiam illi qui nondum initiati sunt. Nam ad ipsos quoque habet aliquid sermo iste commune. Offerunt namque & ipsi munus & hostiam, orationem dico, & eleemosynam. Quia enim & hæc sacrificij instar obtineant, audi Prophetam loquentem: Sacrificium

Psal.49. Ibidem. Psal.140. crificium laudis honorificabit me. Et rursum: Immola Deo sacrificium laudis: &, Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Itaque etiam si orationẽ cum tali offeras voluntate, melius est orationem relinquere, & ad reconciliationem fratris excurrere, & tunc orationem consequenter offerre. Propter hoc enim facta sunt omnia. Idcircò & Deus homo factus est, atque omnia illa gestit, vt nos in vnum sine dubio congregaret. Et hîc quidem eum qui læsit, mittit ad læsum: in oratione verò læsum ad eum qui læsit, adducit, ac reconciliat. Nam ibi quidem dixit, Dimittite hominibus debita eorum: hic vero iussit, Si frater tuus habet aliquid aduersus te, vade ad eum prius: imò hîc quoque mihi videtur læsum remittere: & idcirco non dixit, reconcilia † tibi fratrem tuum:] sed reconciliare fratri tuo. Et videtur quidem super eo qui contristauerit esse sermo: totum verò de contristato potius dicitur. Si enim illi, inquit, reconciliatus fueris, per illam quam in eum ostẽderis charitatem, me quoque incipies habere placabilem: cúmque multa fiducia poteris munus offerre. Si verò adhuc indignaris ac tumes, respice quòd & ego libenter mea iubeo contemni, vt amicitia vestra renouetur: atque hæc sint tibi iræ mulcimenta. Neque vero dixit, quum magnopere læsus fueris, tum reconciliare: sed etiam si leue quid habuerit contra te. Neque addit, siue iure, siue iniuria, sed simpliciter, si habuerit aliquid aduersus te. Nam etiam si iure succenseas, non tamen conuenit odium diutius fouere & extendere. Nam & Christus iustissimè nobis poterat irasci, sed tamen semetipsum pro nobis dedit immolandum, tanta certè illa peccata non imputans. Propterea igitur & Paulus alio modo de reconciliatione dicebat: Sol non occidat super iracundiam vestram. Sicut enim hîc dominus à sacrificio, ita ibi à die ipso ad pacem Paulus impellit. Secretum enim noctis veretur ne fortè solum excipiens sauciatum, maius profectò vulnus efficiat. In die nãque multi sunt aduocantes atque retrahentes: in nocte verò quia solus relinquitur, intráque semetipsum cogitationum æstibus huc illúcque iactatur, in immensum verticem minarum fluctus tumescunt, fitque maior omninò sæuiórque tempestas. Idcircò præueniens Paulus vult iam recõciliatum nocti tradere, ne vllam occasionem de solitudine diabolus inueniat, per quam iracundiæ fornacem possit accendere, eámque efficere sæuiorem. Sic etiam Christus non concedit ne paululum quidem omninò differre, ne huiusmodi anima impleto absque reconciliatione sacrificio, desidia maiore capiatur, quotidie dissimulet in pacem reuerti. Nouit enim talem esse huiusmodi passionem, quæ satis velocis curationis indigeat. Et sicut sapiens medicus non modò imminentes morbos præuenientibus remediis excludit, verum etiam iam tenentes alio medendi genere iam repellit: ita etiam Christus facit. Nam fatuum quidem vocare prohibendo, aduersus inimicitias auditorũ corda præmunit. Reconciliationem verò post inimicitias imperando, vim morbi iam obtinentis è medio tollit. Et considera quàm vehementer, veréque ponatur. Ibi enim gehennam est comminatus, hîc verò munus nisi præcedente reconciliatione non susciput. Maximam sanè per hæc omnia indicans iracundiæ pertinaciam, atque idcircò & radicem eius interimit, & fructum. Et primò quidem: Noli, inquit, irasci: postea verò ait, nolite maledicere. Siquidem vtrumque istud ex alterutro augeri solet, ex inimicitiis scilicet maledictio, & ex maledictione rursum inimicitiæ. Et ideo nunc quidem radicem, nũc verò fructum curat, dum malum hoc primò quidem nasci vetat, deinde si importunissimè pullularit, & noxium germen attulerit, vndique illud exurit. Idcó-

Matt.6.& Luc.6.

teipsum fratri tuo.)

Matt.24. Genes.4. Gen.27. & seq. Gen.37. & seq.

que cùm & iudicium & concilium ante memorasset, cúmque etiam de gehenna, suóque sacrificio disputasset, etiam alia subiunxit dicens: *Esto consentiens aduersario tuo cito, dum es cum illo in via.* Ne enim diceres, quid si iniuriam patiar, ac fraudem? Quid si mea mihi aliquis eripiat, pérque hoc me ad iudicium ire compellat? hanc quoque occasionem vel excusationem remouit. Iubet enim ne sic quidem te inimicitias aliquando suscipere. Deinde vidẽs magnum hoc præceptum, de præsentium illud vtilitate commendat, quæ certè crassiores quasque mentes magis permouent quàm futura. Quid ais, inquit, si potentior sit ille qui nocet? Amplius igitur nocebit, si te non liberaueris, sed ad iudicium venire coactus fueris. tum etenim pecuniis si cesseris, corpus saltem liberum possidebis: cùm verò sub iudicis cœperis stare sententia, etiam vincula sustinebis, & supplicia extrema persolues. Si verò illud iurgium fugeris, duo bona pariter acquires: dum & nihil triste ipse perpeteris, & absolutio negocij non de illius potentia, sed de tua virtute præstatur. Si autem huic nolueris consentire præcepto: non tantum certè illi, quantum tibimetipsi profectò nocituras es. Cerne igitur hîc quoque quemadmodum illum ad pacem studeat adducere. Cùm enim dixisset, *esto consentiens aduersario tuo*, intulit, *cito*: nec tamen hoc addidisse contentus, aliud quæsiuit augmẽtum dicens, *dum es cum illo in via.* Per hæc illum prorsus vrgens, ac satis vehementer impellens. Nihil quippe est quod ita vitam nostram valeat euertere, vt operum actionem bonorum dissimulare, sempérque differre. Sæpe enim istud omnibus nos bonis fecit excidere. Sicut ergo præcepit & Paulus, priusquam sol occidat, inimicitiarum vincula dissoluere: & vt superius ipse Dominus imperauit, antequam sacrificium celebretur, reconciliari fratri, ita hîc quoque citò, inquit Dominus, dum es cum illo in via: antè scilicet quàm ad iudicis accedas fores, priusquam ante illius sistaris tribunal, iámque in iudicantis transeas potestatem. Prius enim quàm illuc introeas, tu es totius negocij dominus: cùm verò vestibulum illud ingressus fueris, ea quæ ad te attinent, prout volueris ordinare, sub ditione iam constitutus alterius, non poteris, quanuis percupias. Quid est igitur consentire? aut hoc est quod dicit, elige rerũ magis subire dispendium: aut certè sic negocium quod agitur, apud te ipse diiudica, vt personam diuersæ partis assumas: ne ex amore tui ipsum ius peruertas & corrumpas. Imò rem alienam non minus quàm propriam studeas promouere: tunc enim demum iustam poteris ferre sententiam. Si verò grande quidem istud videtur, nihil omnino mireris. Idcircò enim omnes illas beatitudines posuit, vt præparans atque prẽmoliens auditoris animum, opportuniorem illum ad susceptionem totius huius legis efficeret. Et nonnulli quidem aduersarij nomine diabolum ipsum significari putant, ac iuberi ne quid illius prorsus habeatur: idque esse ei consentire, vt à quo non liceat post huius vitæ emigrationem nos expedire ac liberare, vnum videlicet ineuitabile nos exceperit tormentum. Mihi autem de his qui in præsenti sunt videtur dixisse iudicibus, ac de illa via quæ ad iudicium ducit, supérque isto vsitato carcere disputasse. Postquam enim à sublimioribus adhortatus est & futuris, etiam ab his quæ in præsenti accidunt, terret: quod certè facit frequenter & Paulus, nunc de futuris, nunc etiam de præsentibus animum auditoris instituens: vt quum à vitiis abducens, male operandi iudicem ostẽdit armatum, dicens: Quòd si malefeceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est. Et rursus potestatibus subditos esse præcipiens, non solum timorem ponit Dei, sed humanæ quoque potestatis minas, atque

Rom.13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ibidem. etiam illius curam & solicitudinem. Necesse est enim esse subiectos non solum propter iram, sed & propter conscientiam. Siquidem insipientiores quosque, vt antè paulò præmisi, magis solent ista corrigere quæ videntur, quæque præsto sunt. Propter quod etiam Christus non solum gehennam, sed iudicium, & traditionem, & carcerem, & omnem quæ ibi est commemorauit ærumnam, per cuncta hæc radicem homicidij penitus excidens. Qui enim nec maledicit, neque litigat, neque dilatione pacis inimicitias extendit, quónam est modo futurus homicida? Ex hoc quoque liquidò apparet, quia in proximi commodo, nostrum quoque commodum collocetur. Qui enim aduersario consentit ac fauet, multò magis semetipsum iuuabit, à iudiciis se videlicet ac vinculis omnibúsque quæ ibi sunt miseriis abstrahendo. Consentiamus ergo his quæ dicta sunt, nec vltra inobedientiam contentione foueamus, maximè cùm antè præmia, & voluptatem in se, & vtilitatem habeant ipsa præcepta. Quæ si molesta plerisque, & ingentis cuiusdam videntur laboris, intellige propter Christum te illa suscepisse facienda: & quod videtur esse triste, iucundissimum iudicabis. Quod si sermonem hunc absque intermissione teneamus, nihil experiemur onerosum, sed è diuerso plurimam capiemus vndique voluptatem. Siquidē labor ipse non iam apparebit labor, sed quanto magis fuerit extentus, tanto pleniori suauitate ac delectatione mutabitur. Quando igitur quasi quodam te infundens veneno cupiditas pecuniarum, aliorúmque obsederit consuetudo vitiorum, illa ex aduerso te cogitatione armato, quæ dicit, Nequaquam nos vmbra hæc fugitiua seducat: largissimam profectò mercedem pro contempta temporali voluptate capiemus: atque ipse ad tuam animam loquere, Tristaris, quia te corporis voluptate defraudo, sed lætare potius, quia cœlorum tibi regna prouideo. Non enim propter hominem, sed propter Deum certè istud operaris. paululum igitur expecta, & videbis quàm sit commodum grande patiētiæ. Discе præsentis vitæ incommoda magnanimiter sustinere, & ineffabili apud Deum fiducia ac libertate gaudebis. Si enim ista semper nostræ inculcemus animæ, nec ad sola respiciamus onera virtutum, sed eas quoque quæ ex illis proueniat cōsideremus coronas, celeriter ab omnibus illam vitiis subtrahemus. Nam si diabolus ostēdens iucunditatem equidem temporalem, dolorem verò perpetuum, tamen inualescit & superat, nobis scilicet in contrarium ista vertētibus, qui & dolorem illum quasi breuem negligimus, & voluptatem hanc quasi sit æterna complectimur: quánam poterimus ratione defendi, qui virtutem nec post tanta
solatia.) † promissa] perficimus? cùm certè causa laboris ipsa pro omni nobis retributione sufficiat, qui certissimè credimus propter Deum nos hæc omnia sustinere. Si enim mortalem hunc certè regem habens quispiam debitorem, grande se omni suæ vitæ tempore credit inuenisse præsidium: quantus sit futurus ille perpende, qui misericordem Deum sempérque viuentem, bonorum operum paruorum simul atque magnorum sibi fecerit debitorem? Noli ergo mihi labores obiicere, atque sudores. Neque enim spe solum ac fiducia futurorum, sed alio etiam modo facilem Deus fecit esse virtutem, videlicet cooperando nobis, nósque semper in bonis actibus adiuuando: & si volueris vel tantillam animi promptitudinem afferre, reliqua omnia celeriter subsequentur. Propterea enim vult & te aliquid laborare, vt tua quoque possit esse victoria. Et quemadmodum rex aliquis vult quidem filium suum in acie versari, in hostem
vt illi imputetur trophæū.) iacula torquere, exercitui esse conspicuum, † vt illum profectum habeat consortem triumphi] totum verò ipse bellum gubernat ac peragit: ita etiam Deus in hoc prælio facit, quod aduersus diabolum geritur. Vnum enim illud à te solum requirit, vt aduersus hostem veras inimicitias pro honore regis, & tua salute suscipias. Itaque si ei istud obtuleris, omne iam bellum ipse cōficiet. Et si vel iracūdiæ passione, vel pecuniæ cupiditate flammatis, vel ab aliis quibuspiam vitiis quasi immanissimis hostibus obsideris: aderit profectò velociter, si modo te expeditum, sibíque viderit præparatum, & facilia tibi esse cuncta præstabit, téque totius flammæ faciet esse victorem. Sicut etiam pueros illos in Babylonia fornace tutatus est, qui certè nihil ei aliud prorsus obtulerant præter voluntatem. Vt ergo nos quoque superantes hîc omnem fornacem illicitæ voluntatis, ibi gehennæ effugiamus incendia: hæc quotidie & cogitemus, & curemus, agamus voluntate semel bonis operibus destinata, & orationum frequentia beneuolentiam nobis reconciliantes Dei. Ita enim etiam illa quę importabilia nunc putamus, facilia prorsus, ac leuia, amabiliáque ducemus. Quandiu enim in vitiis permanemus, asperam atque difficilem, & omnino arduam opinamur esse virtutem, ipsa verò vitia desiderabilia prorsus, ac dulcia: sin autem vitia vel breui tempore deseramus, tunc ea horribilia & turpia esse conspicientur, & virtus delectabilis apparebit & facilis. Hæc autem ex illis abundè valemus addiscere, qui vitam suam facta in melius conuersione mutarunt. Audi igitur quemadmodum Paulus eos asserat de vitiis erubescere, qui iam ab eis fuerāt liberati. Quem, inquit, fructum habebatis tunc in illis, in quibus nūc erubescitis? Quemadmodum verò virtutem leuem esse dicat, etiam post laborem momentaneam ac leuem tribulationem appellans, atque in passionibus suis gaudens, & in afflictionibus exultans, plurimúmque gloriæ sibi vendicans de stigmatibus pro Christi nomine susceptis. Vt igitur nos quoque in tam sancta, támque vtili permanentes consuetudine roboremur, quotidie nos his quæ dicta sunt accommodantes: & præteritorū quidem obliti, ad ea verò quæ priora sunt semper extenti, supernæ brabiū vocationis sequamur: ad quod omnes peruenire contingat, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Rom. 6.
1. Cor 4.
Galat. 6.
Philip 3.

Homilia xvii. ex cap. v.

AVDISTIS *quia dictum est antiquis, Non mœchaberis: ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Postquam plenissimè quid primum mandatum continet edocuit, quod certè vsque ad supremum philosophiæ cacumen extēdit: certa iam via, institútoque pergens ordine prouehitur ad secundum, hîc quoque legi profectò consentiens. Atqui, inquies, non secundum hoc est præceptum, sed tertium. Neque enim totius decalogi primum mandatum est, Non occides: sed, Dominus deus tuus, † deus] vnus est: propter quod inquisitione dignum videtur, cuius rei gratia non inde fuerit exorsus. Quam igitur ob causam? Quia inde scilicet inchoantem, & mandatum illud oportebat augere, & semetipsum notitiæ hominum pariter inferre: nondum verò erat tempus tale de se aliquid prædicandi. Aliter verò mortalem interim exercebat sermonem, vt tum ex doctrina, tum etiam ex mirabilibus, Dei se filium audientibus esse suaderet. Si igitur priusquam & faceret aliquid & doceret, dixisset: Audistis quia dictum est antiquis, Ego Dominus Deus tuus, & præter me non est alius: ego autem dico vobis, vt me quoque adoretis sicut & Patrem: fecisset profectò vt omnes illum furere iudicarent,

Deut. 6. Domin⁹) κύριος habet vterque codex græcus, atque ita legendum videtur, vt habetur Deuter. 6. secūdum Septuag.

Ioan. 7. 8. 10. iudicarēt. Si enim post doctrinam quoque tātáque miracula, nondum istud manifestè loquentem ipsum dæmonium habere clamabāt: si ante hæc omnia tale quid dicere voluisset, quid iam illi vel cogitare aduersus eum vel pronunciare dubitassent? At verò super hac re doctrinam opportuno tempori reseruasse, hoc fuit facilitatem suscipiēdi huius dogmatis præstitisse. Propter quod nunc quidem consultò illud commemorare præteriit, signis verò id vbique postquam astruxisset, atque doctrina optima, postea demum etiam verbis idipsum detexit. Nam modo claritate signorū, adeóque ipso modo doctrinæ sensim atque paulatim id demonstrat. Siquidem cum potestate talia sanciendo, legémque supplendo ac perficiendo, eum qui attenderet altiùs euexit: & ex dogmatis ratione ac modo se conspicuum fecit. obstupebant enim, ait. Nam non vt scribæ eorum docebat. A communibus quippe vitiis exorsus, ab iracundia scilicet, & concupiscentia: hæc enim sunt quæ tyrannidem quandam in hominum pectoribus exercent, ita vt ea ex omnibus magis naturalia esse videantur: cum ingenti illa, & quæ prorsus latorem legis decebat, authoritate correxit, omnésque hos affectus doctrinæ perfectione composuit. Neque enim illum hic dixit adulterum puniendum, qui opere adulterium perpetrasset: sed quod fecit in homicida, hoc etiam in isto facit: & non actum solummodo, sed impudicum quoque coërcet aspectum: vt discas vbi consistat illud quòd supra scribarum & Pharisæorum nostra præcipitur abundare iusticia: propter quod ait: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo,* hoc est dicere, Qui dat operam in venusta corpora curiosius intueri, & decoras aucupari facies, talique animam spectaculo pascere, & obscœnos pulchris etiam vultibus oculos affigere. Non enim idcircò Dominus aduenisse contentus est, vt solummodo corpus à malis actibus, sed vt prius animam quoque ab huiusmodi cogitationibus auerteret. Quia enim sancti Spiritus gratiam mēte suscepimus, meritò ipsam purificat primam. Et quemadmodum, inquis, possumus à concupiscentia liberari? Maximè quidem, si velimus, etiam ipsam mortificare possibile est, atque ne in opus erumpat continere. Tum verò hîc non generaliter concupiscentiam interimit, sed illam quæ ex formæ decore concipitur. Qui enim studet elegantes facies inspicere, ipse præcipuè fornacem sibi istius passionis accendit, & captiuam faciens animam, ad opus quoque celeriter abducit. Propterea non dixit qui concupiuit ad adulterandum: sed qui viderit ad concupiscendum. Et cùm quidem de ira lòqueretur, certa quadam peccatum ipsum definitione signauit: dicendo, sine causa. Hîc verò non ita, sed ex integro eiusmodi concupiscentiam penitus amputauit. Et certè vtraque hæc ingentia, vtraque vtiliter instituta sunt, & ira videlicet, & concupiscentia: illa quidem, vt coërceamus malos, atque incompositos ordinemus: hæc verò, vt propagetur soboles, & genus successione
Prou. 6. seruetur. Quanam ergo ratione nō etiam hîc rem ipsam propriè definiuit? Maximam quidem, si volueris intendere, hîc quoque positam definitionem videbis. Non enim simpliciter dixit, qui concupiuerit. Potest namque etiam aliquis inter secreta montium residens concupiscere: sed qui, inquit, viderit mulierem ad concupiscendum: id est, qui concupiscentiam videndi curiositate sibi ipsi collegerit, quíque nullo omnino cogente, quiescenti animæ feram subito immiserit. Hoc enim non iam naturæ est, sed propriæ omnino desidiæ, quod certè olim etiam veteri lege prohibetur. Noli, inquit, addiscere pulchritudinem alienam. Deinde ne quis diceret: Quid autem & si inspiciam, nec tamen capiar? A Cohibuit aspectum, ne huiusmodi licētia fidens, etiam in peccatum quādoque corrueres. Quid autem, inquis, si video & cōcupisco quidem, sed tamen turpe nil ago? Et sic quidem iam in adulterorū parte numeraris. Pronunciauit enim lator legis, nec amplius aliquid oportet scrupulosiùs inquirere. Nam semel quidem & secundò, & tertiò sic videns, possis fortasse animum continere. Si verò frequenter id feceris, fornacémque istam spontè succendas, profectò capieris. Neque enim extra naturam aleámque humanam consistis. Sicut enim nos cùm gladium teneri videamus à puero, etiamsi nōdum eum vulneratum inde esse cernamus, verberamus tamen, ac sæpe minantes denunciamus nequando illum rursus attingat: ita etiam Deus inuerecundum coërcet aspectum, eúmque ante opus tollit, ne quandoque in ipsam quoque incidat actionem. Qui enim in se flammam cupiditatis accenderit etiam absente muliere quam vidit, iugiter apud semetipsum turpium rerum simulacra depingit, & necesse est huiusmodi nonnunquam ad flagitium ipsum etiam opere peruenire. Propterea illos quoque qui in solo fiunt corde complexus, Christus interimit. Quid ergo hîc iam respondebunt, qui ausi sunt temerè cohabitare virginibus? Huius enim sanctione legis mille sunt adulteriorum rei, quotidie illas ad concupiscendum videntes. Propterea etiam beatus Iob hanc sibi ab initio legem ipse decreuerat, periculosum hoc spectaculum vndique à suis oculis repellendo. Siquidem post huiusmodi aspectum multò iam difficilius certamen efficitur, cùm & viderit aliquis, & tamen ea, quam viderit, non fruatur: nec tantam de contemplatione ipsa capimus voluptatem, quantum patimur de augmento istius cupiditatis dolorem, fortiorem contra nos faciētes hostem, & ampliorem locum diabolo dātes: vt nequaquam illum vlterius propulsare valeamus, posteaquam semel in intima cordis admiserimus, eíque temerè mentis nostræ claustra reseruerimus. Idcircò præcipit, ne forniceris oculis, ne per hoc scilicet animo forniceris. Est enim possibile & aliter aspicere, vt certè aspiciunt & pudici: & ideo non simpliciter aspectum, sed concupiscentiæ iunctum interimit aspectum. Nisi enim id voluisset efficere, vtique dixisset: Qui viderit mulierem, profectò mœchatus est eam in corde suo. Nunc verò id omnino non dixit: sed, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam: qui scilicet ad hoc aspicit, vt oblectet aspectum. Neque propterea tibi Deus oculos effinxit, vt per illos ad animum adulteria transmittas, sed vt creaturas eius aspiciēs, mireris authorem. Sicut ergo est temerè irasci, ita etiam temerè videre, si id ad libidinem facias. Si enim vis videre atque ex visu capere voluptatem, aspice propriam coniugem, & illius vsque amore perfruere. Hoc enim nulla lex prohibet omnino. Si vero erga alienum curiosus sis decorem, tuam despicis: & ipsam profectò lædis, à qua in aliam oculos auertis, & istam etiam quam illicitè contingis. etsi enim nequaquam illam attrectasti manu, sed oculis tamen ac voluntate palpasti. propterea etiam hoc proculdubio adulterium esse reputatur, & ante futura illa tormenta non leue iam in præsenti inuenitur afferre supplicium. Nam perturbationibus ac tumultu intrinsecus cuncta complentur: & multus quidem æstus, plurimus etiam sentitur dolor. Nec omnino huiusmodi homo melius affectus est, quàm qui affliguntur vel captiuitate, vel vinculis. Et illa quidem quæ letalem hanc iecit sagittam, ea emissa sæpe auolat, at ictus remanet: imò verò non illa spiculum torsit, sed tu tibiipsi plagam illam mortiferam intemperanter spectans infixisti. Et hoc dicens, pudicas quidem ab omni accusatione submoueo. Si qua verò ideo ornatur & comitur vt in se

Universidad de Deusto
Biblioteca

oculos omnium irritet, etiamsi nullum pulchritudine A
sua potuerit vulnerare, dabit tamen extrema supplicia.
etsi poculum non admouit.) Parauit quippe virus, temperauit venenum, † porrexit
poculum,]etiamsi nullus qui biberet inuentus est. Quid
igitur? Num etiam ad ipsas, inquis, loquitur Dominus?
Quoniam cõmunes ponit vbique leges, etiamsi ad so-
los interdum viros videatur dirigere, absque vllo ambi-
guo, cùm capiti loquitur, toti profectò corpori admo-
genus diuidit.) nitio ipsa communis est. Mulierem namque & virum,
vnum esse nouit animal: & idcircò nusquam † lege di-
uidit, quòd genere coniunxit.] Si verò etiam specialiter
Esa.3. prolatam in fœminas increpationem audire mauis,
audi Esaiam plurima in illas inuectione clamantem, ea-
rúmque habitum, & aspectum, & incessum notantem,
& vestes in humum defluas, lasciuientes pedes, & luxu-
1.Tim.2. riosis motibus colla fracta sublimiáque. Audi cum eo
etiam beatum Paulum multa illis præcepta ponentem,
tum de auri ac vestis ornatu, tum de intortis arte crini-
bus, tum de ipsis quoque deliciis, aliísque huiusmodi B
eas vehementius increpantem. Ipse etiam Christus in
consequentibus tectè quidem, idipsum tamen propriè
signauit, cùm ea quæ etiam nos scandalizant, erui ab-
scindíque præcepit: per quod certè ira, qua in eiusmo-
di fœminas vti debemus ostenditur. Et idcirco subiun-
xit: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & proiice
abs te.* Ne enim diceres, quid igitur si propinqua sit, si a-
liqua mihi necessitudine copulata? propterea ista man-
dauit, cùm vtique non de membrorum disturbanda
compage differat? absit. Nusquam enim carnis crimen
id esse enunciat, sed vtique malum arguit voluntatis.
Non enim oculi, sed per oculos animus intuetur. Deni-
que nobis interdum ad alia mente conuersis, oculi ante
se posita non cernunt: non igitur totum ad illorum spe-
ctat effectum. Quòd si de membis ista loqueretur, ne-
quaquam vel de vno, vel de dextro id oculo, sed in-
differenter de vtroque. Qui enim dextro scandalizatur
oculo, haud dubium quin ipsum patietur etiam de sini- C
stro. Quam igitur ob causam dextrum posuit, & manum
adiecit? vt scilicet disceres, non de membris esse sermo-
nem, sed de his potiùs qui nobis familiaritate iunguntur. Et si igitur tantum aliquem diligas, vt eo dextri oculi vtaris vice: aut ita tibi quempiam esse vtilem putes,
vt eum dextræ manus ducas loco, & hi tamen animæ
tuæ fortassis incommodent: etiam istos à te, inquit,
abscinde. Et diligentius vim ipsam sermonis examina.
Non enim dixit, à talium societate discede: sed maxi-
mam separationem indicans, erue, inquit, ac proiice abs
te. Deinde quia satis seuerè præceperat, lucrum ex vtro-
que ostendit, eandem similitudinem tam in bonorum,
quàm etiam in malorum parte seruando. *Expedit enim
tibi*, inquit, *vt pereat vnum membrorum tuorum, ac non to-
tum corpus tuum mittatur in gehennam.* Cùm enim nec se-
ipsum certè saluet qui tibi fuerit adiunctus, & te perdi-
tionis suæ socium faciat: quæ tandem illa humanitas sit,
vtrunque demergi, cùm liceat vel vnum separatione D
Rom.9. seruare? Cur enim Paulus optabat anathema fieri? Non
vtique vt nihil inde lucri caperet, sed vt alios acquire-
ret in salutem. Hic verò vterque damno afficitur: & id-
circò non ait tantummodo, erue: sed proiice, inquit,
abs te: vt eum nunquam recipias vlterius, si qualis fue-
rat perseuerat. Hoc enim modo & illum maiori crimine
liberabis, & te à perditione saluabis. Vt autem manife-
stius commodum istius legis aspicias, si placet etiam in
corpore exẽpli gratia id quod dictum est, requiramus.
Si enim daretur electio, vnúmque esset necessarium de
duobus, videlicet aut cum ambobus oculis in foueam
ruere, atque ibidem deperire, aut etiam absque vno o-
culo reliquum saluare corpus: putásne è duobus susci-
pere non malles secundum? At istud omnibus absque
ambiguitate perspicuum est. non enim hoc esset odien-
tis oculum, sed corpus reliquum diligentis. Hoc etiam
in viris consideretur & fœminis. Si qua enim tibi no-
ceat amando, incurabilísque permaneat: & te omni pe-
ste, dum sic abscinditur, liberabit, & ipsa à maioribus
est erepta peccatis, absque vllo ambiguo, cùm capiti
loquitur, toti profectò corpori admonitio ipsa communis est. Mulierem namque & virum,
vnum esse nouit animal: & idcircò nusquam † lege di-
uidit, quòd genere coniunxit.] Si verò etiam specialiter prolatam in fœminas increpationem audire mauis,
audi Esaiam plurima in illas inuectione clamantem, earúmque habitum, & aspectum, & incessum notantem,
& vestes in humum defluas, lasciuientes pedes, & luxuriosis motibus colla fracta sublimiáque. Audi cum eo
etiam beatum Paulum multa illis præcepta ponentem,
tum de auri ac vestis ornatu, tum de intortis arte crinibus, tum de ipsis quoque deliciis, aliísque huiusmodi B
eas vehementius increpantem. Ipse etiam Christus in
consequentibus tectè quidem, idipsum tamen propriè
signauit, cùm ea quæ etiam nos scandalizant, erui abscindíque præcepit: per quod certè ira, qua in eiusmodi fœminas vti debemus ostenditur. Et idcirco subiunxit: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & proiice
abs te.* Ne enim diceres, quid igitur si propinqua sit, si aliqua mihi necessitudine copulata? propterea ista mandauit, cùm vtique non de membrorum disturbanda
compage differat? absit. Nusquam enim carnis crimen
id esse enunciat, sed vtique malum arguit voluntatis.
Non enim oculi, sed per oculos animus intuetur. Denique nobis interdum ad alia mente conuersis, oculi ante
se posita non cernunt: non igitur totum ad illorum spectat effectum. Quòd si de membis ista loqueretur, nequaquam vel de vno, vel de dextro id oculo, sed indifferenter de vtroque. Qui enim dextro scandalizatur
oculo, haud dubium quin ipsum patietur etiam de sini- C
stro. Quam igitur ob causam dextrum posuit, & manum
adiecit? vt scilicet disceres, non de membris esse sermonem, sed de his potiùs qui nobis familiaritate iunguntur. Et si igitur tantum aliquem diligas, vt eo dextri oculi vtaris vice: aut ita tibi quempiam esse vtilem putes,
vt eum dextræ manus ducas loco, & hi tamen animæ
tuæ fortassis incommodent: etiam istos à te, inquit,
abscinde. Et diligentius vim ipsam sermonis examina.
Non enim dixit, à talium societate discede: sed maximam separationem indicans, erue, inquit, ac proiice abs
te. Deinde quia satis seuerè præceperat, lucrum ex vtroque ostendit, eandem similitudinem tam in bonorum,
quàm etiam in malorum parte seruando. *Expedit enim
tibi*, inquit, *vt pereat vnum membrorum tuorum, ac non totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Cùm enim nec seipsum certè saluet qui tibi fuerit adiunctus, & te perditionis suæ socium faciat: quæ tandem illa humanitas sit,
vtrunque demergi, cùm liceat vel vnum separatione D
Rom.9. seruare? Cur enim Paulus optabat anathema fieri? Non
vtique vt nihil inde lucri caperet, sed vt alios acquireret in salutem. Hic verò vterque damno afficitur: & idcircò non ait tantummodo, erue: sed proiice, inquit,
abs te: vt eum nunquam recipias vlterius, si qualis fuerat perseuerat. Hoc enim modo & illum maiori crimine
liberabis, & te à perditione saluabis. Vt autem manifestius commodum istius legis aspicias, si placet etiam in
corpore exẽpli gratia id quod dictum est, requiramus.
Si enim daretur electio, vnúmque esset necessarium de
duobus, videlicet aut cum ambobus oculis in foueam
ruere, atque ibidem deperire, aut etiam absque vno oculo reliquum saluare corpus: putásne è duobus susci-

quaquam

quaquam enim mihi referas, quia illam alter eiecit. Nã A
expulsa quoque vxor esse eius qui eam expulit perseuerat. Deinde ne totum in eiicientem referens, magis superbam faceret vxorem, ipsi ne alius postea eam suscipiat, ianuam claudit, dicendo: qui autem dimissam duxerit, adulterat. Per quod certè mulierem facit nolentem pudicam, ad omnes illi aditum claudens, neque
permittens vt aliqua viro impatientiæ occasio ministretur. Cùm enim didicerit mulier, quòd omnimodo necesse sit aut eum habere quem ab initio sortita sit, aut
illius semel eiectam domo, nullum se iam aliud inuentu-
tolerare.) ram esse suffugium, etiam nolens coniugem suum † amare] cogetur. Si verò nihil ipsi de hoc propriè loquitur, minimè mireris: est enim muliebris sexus infirmior,
propterea illa relinquens, dum deterret virum, vitium
quoque vxoris emendat: vt si aliquis lasciuum habens
filium, illum quidem relinquat: eos verò corripiat per
quos ille talis efficitur, eósque ab illius comitatu discedere, nec ei prorsus appropiare præcipiat. Quòd si hoc B
videtur onerosius, priorum recordare dictorum, quibus
beatificat audientes, & valde istud possibile esse videbis
ac facile. Mansuetus quippe, atque etiam pacificus, &
humilis ac misericors quemadmodum eiiciet vxorem?
Qui alios quoque in pacem reducit, quo pacto ipse discordabit à sua coniuge? Neque verò hoc solum, sed alio etiam modo leuem hanc legem fecit, ac facilem. Siquidem reliquit viro vnum expulsionis modum dicendo, excepta causa fornicationis: alioquin in eandem
rursus turpitudinem cuncta remearent. Si enim iuberet
etiam pluribus mixtam, retineri tamen à viro cõiugem,
rursus in adulterij licentiam negocium omne conuerteret. cernis nempe quemadmodum precedentibus ista
conueniant. Qui enim non videt alienam coniugem oculis impudicis, nequaquam vtique fornicabitur: qui
autem non fornicatur, nec præbebit occasionem viro
quò propriam eiiciat vxorem. Propterea igitur deinceps liberè constringit, ac timore veluti muro cingit, C
magnum viro periculum, si eiiciat, intentans: ipsum
quippe de vxoris adulterio facit reum. Ne enim cùm
audisset, eiice oculum, putaret istud de vxore mandari:
opportunissimè correctionem huius ambiguitatis induxit, dum vno tantum, nec vllo præterea modo coniugem permisit expelli. *Iterum audistis quia dictum est an-*
Exod.20. Deut.5. falsum testimonium.) *tiquis, non periurabis: reddes autem domino iuramenta tua, Ego autem dico vobis non iurare omnino.* Quanam quæso
ratione non continuò venit ad furtum, sed ad † periurium,] illúdque mandatum omnino præteriit? Quia videlicet qui non furatur, interdum tamen iurat: qui verò neque iurare, neque mentiri solet, multo magis furtum facere vitabit. Itaque per istud etiam illud destruxit profectò peccatum: nam præcipuè mendacij causa
de furto est. Quid verò est, reddes autem Domino iuramenta tua? hoc est, iurans verum loqueris. *Ego autem dico vobis, non iurare omnino.* Deinde auditores procul a-
mouens ne per Deum iurent, ait: *neque per cœlum, quia* D
thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum illius: neque per Hierosolymam, quia ciuitas Dei est magni regis.
vtens scilicet sermonibus prophetarum, & ostendens
nequaquam se veteribus esse contrarium: etenim consuetudinem habebant per ista iurandi. Nam & erga Eu-
Matt.13. angelij finem morem istum fuisse declarat. Tu verò
considera vnde Dominus extollat elementa: non vtique ob naturam illis datam, sed ob ipsius Dei ad elemẽta rationem, ex ordine & subiectione dictam, quia enim
magna idololatriæ tyrannis erat, ne ex sese honoranda
elementa viderentur, hanc subiunxit causam quam diximus, ad maiestatem Dei statim reuersus. Non enim
dixit, quia pulchrum est magnúmque cœlum, nec quia
vilis terra: sed quia illud quidem thronus Dei est, hæc
autem scabellum, per quæ omnia ad Dei illos compellit timorem. *Neque per caput tuum*, inquit, *iurueris, quia
non potes vnum capillum album facere, aut nigrum.* rursus
non hominem, velut rem magnam admirans, per caput iurare vetauit. Nam & ipse adoratus est, sed gloriam
ad Deum referens, & ostendens quia nec tui profectò
sis dominus: ergo nec vllius prorsus quod per caput exigitur iuramenti. Si enim filium alteri nemo dat proprium, multo magis Deus opus suum ipse non permittit
tibi. Nam etsi tuũ caput est, sed alterius profectò † crea- possessio.)
tura:] támque longè abest, vt capitis tui ipse sis dominus, vt ne minimum quidem, quod in eo est, possis cõficere. Neque enim dixit, non potes producere capillum, sed nec ipsam coloris eius conuertere qualitatem.
Quid igitur si aliquis exigat iuramentum, & necessitatem iurationis imponat? Sit tibi timor Dei omni necessitate violentior. Si enim velis huiusmodi occasiones semper obiicere, nihil de his quæ sunt imperata cu-
stodies. Nam & de vxore dicturus es: Quid si litigiosa? quid si fuerit sumptuosa? Et de oculo dextro: Quid si
eum † diligo, & amore eius inflammor?] Et de impudi- adimam & cõburam.)
co aspectu: quid si non aspicere non possum? Et de cõuicio in fratrem prohibito, quid si præceps fuero, linguámque frænare non potero? Et ita prorsus omnia
quæ sunt præcepta calcabis. Atqui in legibus, quas homines condiderunt, nihil ausus es tale proferre, ac dicere: Quid si illud vel istud? sed volens prorsus ac nolens suscipis cuncta quæ scripta sunt. Quòd si legem voluisti custodire Christi, necessitatem quidem nullam,
quæ te ab obseruatione eius impediat, aliquando patieris. Qui enim superius dictas beatitudines audiuit, &
talem se præbuit, qualem præcipit Christus, nullã prorsus necessitatem per aliquem sustinebit, cùm certè sit apud omnes venerandus & admirabilis, atque reuerendus. † *Sit autem sermo vester,] est est, non non: porro quod vl-* Sit autem vobis.)
tra hæc adiungitur, ex malo proficiscitur. Quid igitur vltra
est, & non esse dicemus? haud dubiè iuramentum, non periurium: hoc siquidem omnino manifestum est, &
quod à malo est, doceri nullus indigeat, & non tam superfluum, quàm omnino contrarium. Superfluum verò est, quod superuacuè atque abundãter adiectum est:
quod certè iuramentum est. Quid igitur à malo hoc esse dicetur? & si ex malo erat, quo modo iubebatur in lege? Id igitur etiam ipsum de vxore dicturus es. Quemadmodum nunc esse adulterium iudicatur, quod fuerat
aliquando concessum? Quid igitur ad ista dicemus? Nisi quia pleraque quæ tunc dicta sunt, accipiẽtium legem
infirmitas exigebat. Nam & nidore victimarum coli,
valde indignum Deo est, sicut etiam philosopho balbutire & blaterare non congruit. Adulterium ergo nunc
dicitur tale repudium, & ex malo profectum iuramentum, quando ad perfectum sui venerunt incremẽta virtutum. Si verò hæc ab initio diaboli leges fuissent, nunquam in tantum vtique profecissent. Nisi enim illa præissent, non tam facilè ista fuissent recepta. Noli igitur
eorum desiderare virtutem, quorum vsus iam præteriit:
tunc enim profectò valuerũt, cùm tempus petebat, imò
si vis etiam nunc. Nam modo quoque eorum virtus ostenditur † hoc ipso quoque quo maximè accusatur à & propterea abipsis maxime accusantur.)
nobis.] Talia quippe nunc apparere illa, ipsorum est
grande præconium. Nisi enim nos bene atque vtiliter enutrissent, & ad susceptionem profecto maiorum opportunos esse fecissent, nequaquam modo esse nobis
viderentur talia. Sicut enim mamilla nutricis, cùm omne suum impleuerit officium, & puerum ad mẽsuram
firmioris ætatis adduxerit, inutilis iam videtur: & parentes qui prius necessariam esse filio suo iudicabant

Universidad de Deusto
Biblioteca

mamillam, mille illam postea irrisionibus prosequũtur, A plerique autem eam non solum verbis horribilem faciunt, sed etiam amaris quibusdam herbarum succis obliniunt, vt cùm sermone nequiuerint importunum iam circa illam desiderium pueri compescere, ipsis saltem illud rebus extinguant: sic etiam Christus à malo illam esse dixit: non vt ostenderet à diabolo veterem esse legem, sed vt etiam vehementius ab antiqua eos vilitate reuocaret. & ad discipulos quidem hæc dicit: cæterum ad stupidos Iudæos, & in eadem impietate perstantes, velut quadam amaritudine, ita captiuitatis timore eorum circumliniens ciuitatem, inaccessam fecit. Quia verò ne hoc quidem illos ab ea poterat arcere, sed rursus illam videre cupiebant, sicut ad mamillam pueri recurrentes, perfectè illam occuluit ipsam destruendo, & plurimos eorum in longinqua dispergendo: sicut plerique abductos à matribus vitulos includunt, vt eis tempore ipso persuadeant à solito nutrimento lactis arceri. Si verò diaboli esset testamentum vetus, ne- B quaquam coli simulacra vetuisset: ex aduerso autem huiusmodi cultum etiam præcepisset, & introduxisset: hoc enim diabolus fieri volebat. Nunc verò è contrario legem ipsam videmus egisse, ob idque ipsum iurandi ratio quondam est lege permissa, ne homines aut simulacra colerent, aut per simulacra iurarent. Iurate, in-
Hier.4. quit, per Deum verum. Non igitur paruum aliquid hominibus bonum, sed omnino magnum lex ipsa contulit, si ad solidum eos cibum studuit adducere. Quid igitur mali, inquit, habet iurare? & plurimum sine dubio mali: sed nunc tamen, post tanta scilicet augmenta virtutis, tunc verò nequaquam. Et quonam modo, inquis, fieri potest vt idem nunc quidem bonum sit, nunc verò non bonum? Ego verò econtrario affero. Quonam enim modo non est & bonum aliquid, idémque non bonum: cùm id esse clamet quicquid in rebus est, & educationes videlicet, & artes, & fructus, & cætera omnia? Primum itaque in nostra istud perpende natura. Portari enim in humeris hominum, in prima ætate bonum C est, postea miserrimum: præmansis vti cibis inter principia vitæ bonum est, postea verò abominationis horrorisque plenissimum. Lacte nutriri, atque ad mamillarum alimenta confugere, in initio quidem vtile ac salutare est: postea verò pernicioſum prorsus ac noxium. Vides quemadmodum eædem ipsæ res secundum tempora nunc bonæ, nunc verò contrarij esse generis appareant. Nam & vestem puerilem gestare paruulo quidem honestum est, viro autem pudendum. Visne etiàm è diuerso discere quemadmodum puero apta non sint ea quæ viro sunt? Da puero vestem virilem, & plurimus omnino risus sequitur, maiúsque erit incedentis periculum, sæpe huc illúcque nutantis. Da illi negocia curare ciuilia, & vel mercari, vel serere, ac metere, & erit rursus grande ridiculum. Et quid ego ista commemoro, quãdo homicidium quoque ipsum, quod à diabolo inuentum esse manifestum est, opportune aliquando factum, D
Num.25. Psal.105. Ioan.8. cum qui id operatus est, Phinees scilicet, maximè fecit sacerdotij honore decorari? Quòd autem homicidium diaboli opus sit, audi in euangelio docẽtem Christum: Vos opus patris vestri vultis facere: ille homicida erat à principio. Sed tamen occidit Phinees hominem, & reputatum est ei ad iustitiam. Abraham verò non homicida solum, verumetiam parricida, quod certè est grauius,
Gen.22. effectus, magis Deo magisque complacuit. Sed & Petrus geminum fecit homicidium, fuit tamen opus spiritale quod factum est. Non sola igitur respiciamus opera, sed tempus & causam, & voluntatem, & personarum
Act.5. differentiam: & quantacunque alia ipsis operibus acciderint, diligentissimè requiramus: non enim possumus ad veritatem aliter peruenire. Studeamus igitur si cœlorum regnum cõsequi volumus, supra vetera facere præcepta, quasi vtique aliter illud nequeamus accipere. Nã si ad mensuram tantummodo veterum peruenimus, inueniemur extra illius domicilij stare vestibulum. *Nisi enim abundauerit*, inquit, *iustitia vestra pluſquam scribarum & Phariſeorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Cúmque nobis comminatio sit tanta proposita: sunt tamen aliqui, qui non modò non supergrediantur illam iustitiam, sed longè post illa relinquuntur etiam. Non solum enim iurare non fugiunt, verumetiam peierare non metuũt. Non modo impudicum aspectum minimè deuitãt, verumetiam in turpissimam illam incidunt actionem: omniáque alia quæ vetantur, audent absque cunctatione committere, vnum hoc expectantes, illum diẽ profectò pœnarum, & quando pro delictis suis supplicia extrema persoluantur: quod est eorum certè proprium, qui vitam istam in vitiis terminarunt. illos enim prorsus desperare iam conuenit, nihílque in reliquum expectare nisi pœnam. Qui verò in ista adhuc luce versantur: & pugnare possunt & vincere, atque ad coronã facilè peruenire. Noli ergo ô homo in ocium reclinari, nec dissoluas bonam animi voluntatem: neque enim quæ imperantur onerosa sunt. Qui tandem (quæso te) labor est, fugere iuramentum? Nunquid pecuniarum opus est impensa? Nunquid ærumnis ac sudore perficitur? tantummodo velle sufficit, & totum quod iubetur impletum est. Quòd si mihi consuetudinem tuam opponis vt legem, per hanc ipsam te admoneo quàm sit facilis ista correctio. Si enim in aliam consuetudinem ex alia te conuerteris, hoc quod tibi difficile videtur effeceris. Considera igitur quemadmodum gentiliũ blasi aliqui quarundam syllabarum non bene exprimentes sonum, offendentem sæpe linguam longa meditatione limauerint: alij verò qui humerum indecenter mouentes, gladio continuò opposito consuetudinem timore C vicerunt. Qui enim scripturis sacris non acquiescitis, secularium vos admonere cogor exemplis: quod etiam
Hier.2. Deus Iudæis fecit. Abite, inquit, in insulas Cethim, & in Cedar mittite, & considerate si mutauit gens deos suos: & certè ipsi non sunt dij. Ad irrationalia quoque
Prou.6. & 30. animalia homines sæpe transmittit, ac dicit: Vade ad formicam ô piger, & æmulare vias eius: & vade ad apem, & disce quàm operatrix sit. Tale igitur aliquid & ego nunc vobis loquor: saltem philosophos considerate gentilium. & tunc profectò discetis quanto simus digni supplicio, qui diuinæ legis præcepta contemnimus: quandoquidem inueniuntur illi propter humanam hãc honestatem innumera feciſſe: vos verò nec propter cœlorum quidem regnum tale studium adhibetis. Quod si etiam post ista dixeris magnam vim esse consuetudinis, & quæ nos possit multum etiam attentos fallere: & ipse consentio. Sed cum hoc nihilominus etiam illud adiũgo: quòd sicut ad fallendum plurimum valet, ita sit potens ad corrigendum. Si enim multos tibi volueris domi præficere custodes, vt seruos & vxorem, & amicos, compulsus atque vexatus à cunctis, à vitiosa illa consuetudine facile discedes. Et si decem saltem diebus hac te meditatione firmaueris, nequaquam ad similem laborem alterius vltra temporis indigebis: sed tutissimè repositum in te manebit quod studendo quæsieris: & quidem multa optimæ istius consuetudinis firmitate fundatum. Cùm igitur istud corrigere tentaueris, & si semel, & si iterum legem consuetudine fueris fallente transgressus: sed & si tertiò, & si vicies, ne tunc quidem omnino desperes, sed rursum resurge, atque id ipsum studium solicitus apprehende, & absque vlla prorsus ambiguitate superabis. Non enim leue quippiam malum putes

lum putes esse periurium. Nam si iurare à malo est, iam A peierare ipsum quantum feret supplicium? Nempe omnia dicta laudastis: sed nequaquam ego plausum requiro, nec fauentium sonos, & vocum tumultus. Vnum est omnino quod cupio, vt omni cum disciplina scilicet & quiete audiatis quæ dicimus, eadémque faciatis: hic est mihi maximus plausus, ista pergrata præconia. sin verò dicta laudes, nec studeas facere quæ laudas, & tibi maius acquiritur sine ambiguitate supplicium, maior accusatio, & mihi confusio, ac manifesta prorsus irrisio. Neque enim theatrum est iste conuẽtus, nec ad spectãdum hic tragœdum sedetis, vt tantummodo verba laudetis. Magisterium hic est absque dubio spiritale, propter quod illud vnum studendum est, vt quæ dicuntur, ópere compleatis, & obedientia teste monstretis: tunc enim accepisse me omnia confitebor, quæ nunc etiam desperare compellor. Nam cùm & priuatim plurimos vestrum admonere non cessem, & rursus vobis in commune differere, nihil tamen cerno plus fieri, sed prima B vos adhuc elementa meditari: quòd certè maximam potest docenti inferre desidiam. Vide igitur & Paulum
Heb.5. propterea succensentem, quia auditores eius plurimum immorabantur prioribus disciplinis. Nam cùm deberetis, inquit, magistri esse propter tempus, rursus indigetis vt vos doceam quæ sunt elementa exordij sermonis Dei. Propterea nos quoque lamentamur, & plangimus: & si viderimus vos in eisdem manentes, etiam interdicemus omnino vobis sacri istius ingressionem vestibuli, & cœlestis participationem mysterij, sicut etiam fornicatoribus, & adulteris, & his qui de homicidiis arguuntur. Melius namque est cum duobus, ac tribus, diuinæ legis præcepta seruantibus orationes Deo offerre solitas: quàm iniquè agentium, cæterósque perdentium multitudinem congregare. Nullus aduersum me hoc loco potens, nullus dives infletur, nec superbũ attrahat supercilium: cuncta enim apud me ista vel fabula videntur, vel vmbra, vel somnium. Nemo quippe C mihi ex his qui locupletes habentur, ibi cùm accusatus fuero, patrocinabitur: cùm mihi pro crimine fuerit, Dei
1.Reg.2. & 4. à me lex non cum omni vehementia constantiáque defensa. Hoc enim, hoc inquam, etiam illum quondam admirabilem perdidit sacerdotẽ, Heli dico: cuius cùm vita esset irreprehensibilis, tamen quia filios calcantes Dei legem non cum seueritate corripuit, cum illis etiam iure punitus est, & graue subiuit supplicium. Si verò cui certè necessitudinis vinculum, tyranníque repugnabat tanta naturæ, cùm non esset seueritate debita in liberos vsus, seuerissimam exactus est vltionem: quam nos veniam habere poterimus, qui cùm simus tyrannide illa liberi, omnia tamen adulatione corrumpimus? Ne igitur vósque ac nos vnà perire faciatis, obedite (obsecro) cõmonenti: & mille vobis constituentes redargutores & iudices, consuetudinem fugite iurandi: vt cœpto itinere pergentes, post hanc aliam quoque perficiatis omni cum facilitate virtutem, & ita bonis potiamini futuris: D quæ omnes nos contingat adipisci, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVIII. EX CAP. V.

quisquis) A VDISTIS *quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed † si quis*]*te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe ei & alteram. Et volenti tecum in iudicio contẽdere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Vides nempe non eum de oculo priora dixisse, cùm nos scandalizantem oculum iubet eiicere, sed eum proculdubio qui nobis per familiaritatem noceret, nósque in barathrum perditionis impelleret. Qui enim ad tantum hic cacumen beneuolentiæ prouocauerat, vt nec eius quidem oculum eiici sineret, qui effodisset alterius: quonam pacto aliquẽ proprium sibi oculum iuberet eruere? Si verò veterem legem aliquis accusat, quòd talem videlicet exigi præceperit vltionem, valde mihi videtur huiusmodi ab illius consideratione sapientiæ, quæ latorem legis decet, deficere: & vim temporum, & vtilitatem ignoscendi ignorare. Si enim satis diligenter inspexerit, quinam illi legis fuerint auditores, & quo modo affecti, & quando hæc præcepta susceperint: facilè intelliget, maximéque approbabit legislatoris sapientiam: certissiméque perspiciet quòd vnus atque idem sit, qui & illa tũc, & postea ista præceperit, & vtráque vtilissime scripserit, atque ad diuersum tempus aptissimè. Etenim si inter ipsa principia doctrinæ, sublimia hæc atque eminentia præcepta posuisset, neque ista, neque illa etiã forsitan recepissent: nunc verò opportuno in tempore duo hæc diuersa disponens, totum prorsus orbem ex vtroque correxit. Aliter verò præcepit istud, non vt mutuo nobis oculos eruamus, sed vt potius nostras manus contineamus. Siquidem comminatione tali impetum frænauit iniuriæ, sicque paulatim maximam philosophiam seminauit, dum interim iubet læsum æquali supplicio vindicari: cũ certè maiori pœna ille dignus sit à quo hæc iniquitas cœpit exordium. Hoc enim ratio æqualitatis efflagitat. Sed quia miserationem quoque voluit admiscere iustitiæ, cum qui magis profectò deliquit, minori punit supplicio quàm meretur: docens videlicet, vt patientię virtutem etiam per membrorum damna seruemus. Cùm igitur de priore iam lege dixisset, † omniáque ferè eius præcepta numerasset,] rursus ostendit nequaquam illum esse fratrem, qui ea operatus est, sed malignum: & ideircò intulit, *Ego autem dico vobis, non resistere malo.* Non dixit, non resistere fratri: sed ait, malo, ostendens C quòd illo vtique instigante talia perpetrentur. Per quod certè plurimum de ira læsi erga eum qui læsit relaxat, & imminuit indignationem dolentis, dum quasi in alium transfert causam doloris. Quid igitur? Non oportet nos resistere malo? Oportet quidem: sed nõ hoc tamen modo, verùm eo quo ipse præcepit: vt scilicet ad patiendas nos iniurias præbeamus: sic enim illum profectò superabimus. Nec enim aliquando ignis igne, sed aqua vtique ignis extinguitur. Vt autem discas quòd etiam in veteri lege patiendo quisque superaret, & quòd iste dignus esset corona: idipsum diligenter expende, & videbis multo istum virtutis honore cõspicuum. Nam ille qui prior noxias manus intulit, ipse vtrunque, & fratris videlicet, & suum effodit oculum: propter quod iure omnibus odiosus est, & mille imperitur accusationibus. At verò læsus etiam cùm se talione vltus est, nihil tamen fecit immaniter: & idcirco iste plurimos inuenit condolentes, vtpote mundus ab hoc delicto, etiam cùm exegerit vltionem. Nam calamitas quidem in vtroque existit æqualis, sed dispar est gloria, & apud Deũ profectò, & apud homines: & ideo iam nec ipsa calamitas æqualis est. In præcedentibus quidem dixerat, qui irascitur fratri suo sine causa: &, qui fatuum vocat, reus erit gehẽnæ ignis. Hic verò etiam maiorem exigit philosophiam, non modò quiescere percussum iubens, sed è contrario etiam honorare cædẽtem, aliámque illi maxillam præbere. Hoc autem dicit non ad hanc vnam tantummodo iniuriam imperans patientiam, sed in omnibus quoque aliis ad malorum tolerantiam nos erudiens. Sicut enim cùm dicit, qui fratrem suum fatuum vocat, reus erit gehennæ: non de sola istud pronunciat illius sermonis iniuria, sed de omni profectò maledicto:

eamque totam recognouisset.)

Universidad de Deusto
Biblioteca

ita hîc quoque non vt tantummodo palmis cæsi fortiter feramus iubet, sed vt quicquid nobis fuerit illatum, absque vlla conturbatione patiamur. Propterea ibi extremam elegit iniuriam, & hîc faciei verberationem locauit: quod certè maximè exprobrabile, & præcipuè esse iniuriosum solet. Cùm autem de illo qui percutitur, differat, ponit etiam pro percutiente præceptum. Nam & ille qui patitur iniuriam, nihil se graue existimabit sustinere, sic ad philosophandum paratus. Nam ne sensum quidem ipsum experietur iniuriæ, vt qui se certare potius quàm vapulare arbitretur: tum etiam percussor pudore suffundetur: nec iam ictum inferet secundum, etiamsi omni prorsus fera existat immanior, immo plurimum se etiam de priore culpabit. Nihil enim ita lædentes coërcet vt patientia modestiáque læsorum: nec secuturum modo coërcet impetum, sed de præcedente exigit pœnitentiam, cogítque cædentes vt à percusso cum modestiæ illius admiratione discedant. Quinimmo & familiares facit, nec solum amicos de inimicis, B sed sæpe etiam famulos. Sicut è contrario vltionis exactio vtrunque confundit, ac deteriorem facit, & iram ad maius inflammat incendium: ad mortem quoque ipsam peruenit malum, in vlteriora progrediens. Propterea cum qui palmis cæditur, non modò prohibuit irasci, sed etiam percutientis cupiditatem exsatiare præcepit, vt ne primam quidem iniuriam sustinuisse videretur inuitus. Hoc enim, inquit, modo etiam impudentissimum plaga certiore percuties, quàm si eum ferires manu: atque ipsius impudentiam in modestiam conuertes. *Et qui vult*, inquit, *tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Neque enim tantummodo in plagis, verumetiam in pecuniis talem nos vult præstare patientiam, etiam idcircò rursus similem hyperbolem posuit. Sicut enim cæsum iubet patiendo superare, ita eum qui spoliatur, præcipit etiam plura dimittere, quàm raptor petebat: & tamen nõ simpliciter idipsum, sed cum additamento posuit. Neque enim dixit, da petenti vestimentum, sed ei qui vult tecum iudicio contendere: id est, si te ad iudicium propter tunicam trahat, ac negocium tibi exhibeat. Quemadmodum autem primò quidem fatuum fratrem vocare, ac sine causa te prohibuit irasci: progrediens verò plus aliquid exegit, quando iussit etiam dexteram te maxillam parare: ita hîc quoque cùm dixisset, esto consentiens aduersario tuo: rursus intendit imperium. Non solum enim illa quæ auferre vult, dari præcepit, sed maiorem etiam liberalitatem ostendere iubet. Quid igitur? nudum circumire me iubes? Nunquam essemus omnino nudi si his præceptis diligenter & per omnia obtemperaremus, sed multo pluribus quàm alij omnes essemus circundati: primò quidem nemo tali animo præditos inuaderet: deinde etiam si esset aliquis tam ferox támque immitis, vt eousque immanitate procederet: multo tamen plures reperientur qui ita philosophantem, non vestibus solum, sed (si fieri posset) ipsis quoque corporibus D tegere certarẽt. Quòd si necesse esset ob talem philosophiam nudum incedere, nec sic quidem esset pudendum: quia & Adam nudus erat in paradiso, nec erubescebat tamen. Et Esaias nudus & discalciatus, sed omnibus Iudæis longè honestior incedebat, & clarior. Et Ioseph quãdo nudatus est, tunc magis nituit. Non enim hoc modo nudari malum est: sed ita vt nos indui, scilicet preciosis vestibus: hoc verò turpe, hoc omnino ridiculum est: propterea illos quidem laudauit Deus, hos verò & per Prophetas & per Apostolos sæpe culpauit. Ne igitur impossibilia putemus esse præcepta, quæ certè & vtilia nobis sunt, & valde facilia, si tota vtique mente vigilemus: tantúmque in se lueri continent, vt non

Gen.2. & 3. Esa.20.

Gen.39.

A solum nobis, sed ipsis quoque lædentibus maximè prosint. Et hoc est in his eximium, quòd hoc ipso quo nos iubent patienter iniurias sustinere, eos quoque qui faciunt docent philosophari. Cùm enim ille quidem rapere aliena magnum censet, tu verò ei ostendas quòd tibi leue sit etiam quæ non postulat dare: illius quoque pauperiem copia tuæ liberalitatis exsatias: perpende quanta doctrinæ vbertate potiatur, qui ad maliciæ contemptum studiúmque virtutis non iam vtique sermonibus, sed factis animatur. Non enim nobis ipsis tãtummodo vtiles nos esse vult Deus, verumetiam proximis omnibus. Si igitur dederis, & forense certamen effugeris, tuum tantummodo commodum requisisti: si verò aliud addideris, illum quoque meliorem per te factum remittes. Tale est quippe sal, quod certè Dominus vult esse discipulos, quod vtique & seipsum seruat, & ea quibus conseruãdis fuerit admotum: talis est † oculus, nam & sibi lucet & cæteris membris.] Quia igitur horum te B voluit vicem tenere, sedentem in tenebris illumina: docens ne illud quidem quod prius concupiuerat, rapuisse violenter: persuade illi, quia te omnino nihil læserit. Hoc enim modo eris apud eum ipse reuerendus, si scilicet donasse te, non amisisse monstraueris. Modestiæ igitur virtute pollens fac de cupiditate illius liberalitatem tuam. Si verò esse hoc magnum putas, paulisper expecta, & liquidò cognosces nõdum te ad perfectionem venisse mandati. Neque enim qui patientiæ leges posuit, hîc stetisse cõtentus est: sed procedit, ac dicit: *Si quis te coegerit mille passus, vade cum illo alia duo.* Vides nempe cumulum sapientiæ, post concessam tunicam, palliúmque dimissum, etiamsi nudo, inquit, corpore tuo ad iniurias ac labores vti inimicus velit, ne sic quidem illum oportet vetare. Vult enim omnia nos possidere communiter, & pecunias videlicet, & corpora: non cum indigentibus solùm, verumetiam cum iniuriam facientibus. Vnum enim misericordiæ est, alterum verò patien- C tiæ: & idcirco dixit, Si quis te angariauerit mille passus, vade cum eo alia duo: ad priorem vtique adducens te virtutem, eandémque liberalitatem seruare præcipiens. Nam si ea quæ inter initia præcepit, cùm multo certè sint minora, tãtas tamen beatitudines habent, perpende quænam illos expectat sors, qui ista perfecerint, quales etiam efficiantur ante illam gloriam præmiorum, qui in humano, & eo quidem passionibus obnoxio corpore, velut saxa rigidi immobiléque durarũt. Quãdo enim neque iniuriis, neque plagis, neque rerum direptione mordentur, neque alij cuiquam molestiæ cedunt: verum è contrario & ad tolerandũ fortiores fiunt, & ad dandum paratiores, considera quanta illorum animus cumuletur virtute. Propterea quod in plagis, quódque in pecuniis iubet, idipsum quoque fieri præcepit & in laboribus. Quid, inquit, iniurias ac pecunias loquor? Etiam si ipso corpore tuo ad laborem atque ad opera vti quis velit, & hoc iniquè tamen, rursus exsupera, & illius iniusticiam virtute transcende. Cogere verò est, iniquè aliquem trahere & absque vlla omnino ratione, opprimendo scilicet atque lædendo: sed tamen ad hoc quoque ita esse debes paratus, vt amplius pati velis quàm ille optat inferre. *Petenti te da, & volentem à te mutuari, ne auerseris.* Hæc superius dictis minora sunt, sed nihil omninò mireris. Hoc enim semper ferè facile consueuit, vt maioribus minora permiscear. Si verò hæc illorum comparatione inueniuntur exigua, audiant illi qui aliena diripiunt, vel qui propria meretricibus largiuntur, duplicẽ sibi accendentes ignẽ, & de iniquis certè lucris, & de pernicios sumptibus puniendi. Hîc verò mutuum non vsurarũ illud fœnus appellat, sed simplex beneficium cõmodandi. Alibi verò idipsum intendit, illis

Suprà: lux, nam & sibi & aliis lucet.)

illis dicens esse tribuendum à quibus nihil nos recepturos putemus. *Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, & orate pro calumniantibus & persequentibus vos: bene precemini deuouentibus vos: benefacite his qui vos odio prosequuntur, vt sitis † filij] patris vestri qui in cælis est, quia solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Perspice obsecro quemadmodum vltimam posuit coronidem bonorũ. Propterea quidem docet non modo cæsum palmis ferre patienter, aliámque etiam maxillam parare: & auferenti tunicam, etiam pallium cõcedere: sed & ei qui ad miliarium vnum cogit, per duo quoque alia præbere comitatum: vt quod his maius erat, cum omni facilitate susciperes. Et quidnam, inquit, his maius est? Videlicet ista facientem non hostem existimare, sed potius etiam aliquid aliud quod hoc maius est. Non enim dixit, nõ oderitis: sed diligite, inquit: nec ait, nolite nocere: sed, benefacite. quod si aliquis diligenter examinet, horum quoque B ipsorum aliud, & multo his maius additamentum videbit. Neque enim vt cunque inimicos amari docuit, sed pro inimicis etiam supplicari. Vidisti nempe quantis ad perfectionem gradibus ascenderit, & quemadmodum nos ad ipsum virtutis cacumen eduxerit. Considera verò ab exordio eos recensens. Primus est gradus, ne prior iniuriam ordiare. Secundus, vbi est iniuria cœpta, † ne tu illam eodem pacto propellas. Tertius, ne par pari referas, sed quiescas. Quartus, vt etiam præbeat seipsum ad iniuriam sustinendam. Quintus, vt etiam ad maiora se præbeat, quàm vult ille qui fecit. Sextus, non odisse à quo ista perpetitur. Septimus, etiam diligere lædentem. Octauus, beneficiis quoque eum afficere. Nonus, etiam Deum pro aduersario deprecari. Perspexisti celsitudinem philosophiæ, & idcircò tam claro est digna præmio, quia tam magno est subiecta præcepto: quódque ingentem semper animum, & studium omnino multum requirat: nam & præmium illi tale proponit, quale prio- C rum omnino nulli. Neque enim terræ hîc meminit, sicut in mitibus: nec consolationis ac miserationis, sicut in lugentibus atque miserentibus. Neque regnum cœlorum memorat, sicut in pauperibus spiritu, persecutionémque patientibus: sed quod his erat longe sublimius, vt scilicet fierent similes Dei, prout tamen hominibus id esset possibile. Vt sitis, inquit, similes patris vestri, qui in cœlis est. Tu verò diligenter nota quemadmodum neque hîc, neque in superioribus patrem suum vocet. Nam ibi quidem, vbi de iuramentis agit, Deum appellat, magnúmque regem: hîc verò eorũ patrem vocauit. id autem facit, vt sermonem de hoc opportunius in tẽpus reseruet. Deinde ipsam quoque similitudinem proferens: Qui, inquit, solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Nam & ipse quoque non modo non odit (inquit) contemptores suos, verumetiam beneficiis munerat. Et certè nequaquam est æquale peccatum, non modo propter cumulũ D beneficij, verumetiam propter eminentiã dignitatis. Tu enim à conseruo sperneris, ille verò à seruo, & quidem mille beneficiis affecto. Et tu quidem verba donas, pro illo videlicet supplicando: Deus verò res ipsas satis magnas, satísque mirificas, quotidie solem exuscitans, & opportunas per totum annum pluuias subministrans. Sed tamen cõcedo ita esse te illi æqualem, vt hominem esse possibile est. Noli igitur odisse malũ tibi hîc aliquod inferentem, sed magis ama, quasi multorum tibi conciliatorem bonorum, téque ad amplissimum honorem lædendo ducentem. Ne execreris vim inferentem tibi. Quandoquidem nihil adipiscéris quàm vt perpessi mali præmio simul careas: ac vt damnum quidem feras, præ-

mium verò amittas. Quod certè extremæ omnino dementiæ est, vt aliqui cùm maiora perpessi sint, nequaquã minora sustineant. Et quemadmodum, inquies, fieri ista possibile est? Vidisti Deum hominem fieri, & eousque pro tua descendentem salute, tantáque propter te esse perpessum, & adhuc inquiris & dubitas quemadmodũ possibile sit iniurias donare conseruis? Non audisti eum in patibulo dicentem: Pater dimitte eis, non enim sciunt quid faciunt? Non audisti Paulum dicentem: Christus Iesus qui mortuus est, † qui & resurrexit, qui & sedet ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis?] Non vides quia & post crucem, & post resurrectionem Iudæis interfectoribus suos apostolos miserit, bona illis innumera portantes, idque quum ab eis innumera mala passuri essent? At tu plurimum omnino læsus es? Verum quid tandem tale perpessus es, quale tuus, immo omnium Dominus? Vinctus loris, verberatus flagellis, palmis ora temeratus, conspútus à seruis, mortem sustinẽs, & mortem omnium turpissimam & infensissimam, & hoc postquam beneficia eis mille contulerat. Sin autem omnino nimis læsus es, idcircò nihilominus beneficium refer nocenti, vt & tibi facias maiorem coronam, & fratrem periculo grauissimi languoris absoluas. Nam & medici quando iniuriis & calcibus cæduntur furentum, tunc illorum magis magísque miserentur, tum maximè ad reddendam illis sanitatem parantur, scientes quòd excellentiam morbi significat ea iniuria. Et tu igitur de inimicis eandem teneto sententiam, sicque tractes iniurios. Illi nanque sunt maximè ægroti, omnémque violentiam sustinentes. Libera eum à graui isto dolore, & da operam vt iram remittat. Libera eum à sæuissimo dæmone: propriæ scilicet imentis furore. Nam & cùm aliquos à dæmone actos videmus, sæpe lachrymamur: non autem agimus vt ipsi quoque eadem illa patiamur. Hoc igitur etiam in ira percitis seruemus: illorum enim sunt similes iracundi, immo illis longè C miseriores, qui vtique sensibus adhuc integris insaniunt. Propter quod veniam non meretur istorum dementia. Noli igitur insultare iacenti, quinimmo miserere. Etenim si videamus aliquem horribiliter à bile vexatum, & vertiginis suæ tenebris obtectum, quíque etiam malignum illum humorem vrgeatur cuomere, porrigimus manum, & supportamus huc illúcque iactatum. Etsi vestimenta ille nostra polluat, non auersamur, neque abiicimus ægrotum: sed illud tantummodo vnum requirimus, quemadmodum à tam grandi hac eũ angustia liberemus. Hoc igitur etiam erga istos faciamus, vt & supportemus vomentes, & confoueamus ægros: nec eos vspiam relinquamus, priusquam totam prorsus amaritudinem ponant: & tunc tibi gratiam, qui talis fuerit exoluet maximam. Quando enim eiusmodi æger à passione requieuerit, tunc liquidò cognoscet, à quanta illum conturbatione sanaueris. & quid dico ab illo tibi gratiam referendam? Deus te ilicò coronabit, & innumeris remunerabit bonis, quia fratrem tuum grauissima ægritudine liberasti: sed etiam ille te honorabit vt dominum, modestiam tuam per cuncta miratus. Nónne vides pariẽtes fœminas, quemadmodum assistentes sibi sæpe commordeant, & tamen illæ minimè dolent? immò dolent quidem, sed ipsum dolorem fortiter ferunt, ac dolentibus, & partus vexatione consciss, maximè condolent. Has ergo etiam tu æmuleris, & noli esse fœminis mollior. Cùm enim pepererint mulieres istæ, nam reuera mulieribus magis sunt pusillanimes: tunc te virum esse cognoscẽt. Sin autem videntur grauia præcepta, cõsidera quia ideo aduenerit Christus, vt hęc in nostris mẽtibus fereret: & vtilia non amicis modò, verumetiam inimicis efficeret. Pro-

Leuit.19. Matt.5.

similes) sic etiam postea legitur Chrysostomus, etiam similitudinis mentionem faciens.

vt illam eleiscens, æquali supplicio sis contẽtus) Diuersa hîc eratlectio. nam in altero Græco codice negatio non deerat, cuius sententiam margini adscripsimus: quæ consentit cum his quæ scripsit in eũ locum, oculũ pro oculo.

Luc.23. Rom.8. qui ascẽdit ad cœlos, & sedet ad dexteram, pro nobis intercedit.)

Universidad de Deusto Biblioteca

pterea vtrorumque istorum habere etiam curam iubet, & fratrum videlicet, quando dicit: Cùm autem offers munus tuum ad altare: & inimicorum, cùm tibi eos diligere imperat, & orare pro ipsis Deum. Et non solum Dei ad hoc hortatur exemplo, verumetiam vilium personarum. Si enim dilexeritis, inquit, diligentes vos, quàm mercedem habebitis? nónne & publicani † hoc] faciunt? Tale quid dicit & Paulus: Nondum vsque ad sanguinem restitistis aduersus peccatum repugnantes. Si igitur hæc feceris, cum Domino vtique perstitisti, si verò neglexeris, in publicanorum parte numeraberis. Considerastíne quemadmodum non tanta sit præceptorum magnitudo, quanta differentia personarum? Non modò igitur rem cogitemus ipsam, quòd sit videlicet difficile præceptum, sed respiciamus & præmium: & consideremus cuius efficiamur similes implendo præcepta: quibus etiam comparemur peccata faciendo. Fratri igitur nos reconciliari iubet, nec antè prorsus absistere, quàm inimicitias extinguamus. Quando verò de omnibus disputat, non iam huic nos necessitati subiicit: sed ea tantum quæ à nobis debentur efflagitat, hoc quoque ipso efficiens facilia præcepta. Quia enim dixerat, ita persecuti sunt & prophetas qui fuerunt ante vos: ne propter hæc ipsa eis infensi essent, iubet non modò vt sustineant ista facientes, verumetiam diligant. Perspicísne igitur quemadmodum radicitùs prorsus euellat & iracundiam & concupiscentiam: tum illam quæ erga corpus est, tum istam quæ erga pecunias, vel erga gloriam, vitámque præsentem? Hoc autem quanquam & antè iam fecerit, multò tamen nunc amplius facit. Quando enim pauper aliquis fuerit, ac mitis & lugens, iram prorsus excludit. Quando iustus & misericors, habendi cupiditatem repellit: sed & cùm mundo corde quis fuerit, obscœna profectò concupiscentia liberatur. Qui verò persecutiones patitur, & tolerat iniurias, & æquanimiter diuersorum obtrectatione laceratur: præsentia etiam iam cuncta despicit, atque ab omni fastu, ab omni gloriæ vanitate sciungitur. Cùm igitur absoluisset his vinculis auditorem, atque ad varia eum certamina præparasset: aliter quoque, & maiori diligentia hæc vitia rursus euellit. Cùm enim ab ira fuisset exorsus, & vndíque neruos istius passionis excidisset docendo, atque dixisset: Qui irascitur fratri suo, & qui racha dixerit, & qui fatuum vocauerit, puniatur: & qui offert munus, ne ad altare accedat priusquam inimicitiarum nodos exoluat: & qui habet aduersarium, antequam ingrediatur ad iudicium, ex inimico faciat amicum: rursus ad concupiscentiam regreditur, & dicit: Qui viderit oculis impudicis, sicut adulter puniatur. Qui scandalizatur à muliere turpi, vel à viro, vel à quolibet qui ei per vsum familiaritatis incommodat, omnes hos penitus abscindat. Qui mulieri iunctus est lege connubij, nunquam eam expellat, & alteram ducat. Per hæc enim pudendæ concupiscentiæ radices prorsus euellit. Iam verò hinc pecuniarum amorem coërcens, præcipit nunquam omnino iurare, nunquam omnino mentiri: nec tunicam, qua quis induitur, aliquando sibi vendicare, quinimmo etiam pallium indulgere rapienti, ipsámque quum exigitur, corporis sui operam sponte geminare: abundè studium pecuniarum per hæc eximens. Post horum igitur variam præceptorum coronam inducit consequenter, & dicit: *Orate pro calumniantibus, & persequentibus vos.* per quod scilicet auditorem ad supernum & philosophiæ cacumen eduxit. sicut enim maius est cædi palmis, quàm esse mitem: vt perfectiùs est rapienti tunicam, etiam pallium suum cedere, quàm esse misericordem: vt constantius est pro

Idem) Heb.12.

A iustitia passum aliquid ferre patienter: quàm ipsam exercere iustitiam: atque vt grandius est vel ad operam comprehensum & coactum, libenter sequi: vel maxillam alteram præbere ferienti, quàm esse pacificum: ita celsius est persequentibus benedicere, quàm ipsam persequentium molestiam sustinere. Vides certe vt paulatim auditores suos ad fastigia prorsus euehat ipsa cœlorum. Quonam igitur digni supplicio sumus, qui cùm ad similitudinem Dei vitam nostram informare iubeamur, forsitan ne † gentilibus] quidem inueniamur æquales? Si enim diligere diligentes te, publicanorum est & peccatorum atque gentilium: quando ne id quidem faciamus? Non enim id facimus cùm iustis fratrum laudibus inuidemus. Quæ non tormenta patiemur, qui cùm iubeamur iustitia supraire Pharisæos, gentilibus quoque inferiores iaceamus? Quemadmodum igitur, responde quæso, videbimus regnum futurum? Quemadmodum sacrum illud merebimur adire vestibulum, qui nec publicanis quidem ipsis inuenimur meliores? Id enim signauit dicendo, Nónne & publicani hoc faciunt? Quòd verò vel præcipue doctrinam eius admirabilem facit, vbique cum multo etiam cumulo præmia ponit bonorum: vt est Deum videre, regnum accipere cœlorum, & in Dei filios adoptari, & Deo similes fieri, & misericordiam consequi, & consolationem mereri, & mercedem recipere copiosam. Sicubi verò opus est etiam tristium mentione, strictius istud attingit & parcius. Nam gehennę quidem nomen semel in tantis sermonibus posuit, & in aliis quibusdam simili breuitate perstrictis: sæpe autem cohortatorio magis quàm comminatorio sermone vtens corrigit auditorem dicendo, Nónne & publicani hoc faciunt? Et si sal infatuatum fuerit: &, minimus vocabitur in regno cœlorum. Est verò vbi etiam ponit peccata pro pœnis, vt supplicij pondus potius per semetipsum auditor intelligat: vt cùm dicit, mœchatus est eam in corde suo, & qui dimiserit, facit eam mœchari: & quod his abundantius est, à malo est. Intellectu quippe potientibus ad emendationem sine pœnæ nomine commemorata peccati sufficit magnitudo. Propter quod hîc etiam publicanos atque gentiles producit in medium, vt tales discipulis comparando personas, ad virtutem illos etiam pudore succendat. Quod etiam Paulus fecit dicendo: Nolite contristari sicut & cæteri qui spem non habent: &, sicut gentes quæ ignorant Deum. Ostendens quoniam nihil ab eis petat eximium & immodicum, sed paulo amplius solito. Nónne & Ethnici, inquit, hoc faciunt? Sed non hic tamen sermonem terminat, quem certè opportunius finit in præmiis, spebúsque melioribus, dicens: *Estote ergo perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.* Sæpissimè cœlorum nomen ac ferè vbique disseminat, ab ipso etiam præmiorum loco eorum animos suscitando: adhuc enim infirmius quiddam crassiúsque sapiebant. Omnia igitur quæ dicta sunt iugiter mẽte voluentes, plurimam etiam inimicis studeamus impendere charitatem, & ridiculam illam consuetudinem omnino pellamus: quam rationis inopes plurimíque patiuntur, expectantes vt prius salutentur ab obuiis: qui videlicet istud quod plurimam certè beatitudinem continet negligentes, hoc quod est plenum irrisionis adamãt. Cuius enim rei gratia cum salutatione non præuenis? quia hoc, inquis, expectat. Propterea ergo præcipuè ad hoc oportet accurrere, vt tu potius accipias coronã. Non, inquis, quandoquidem idipsum ille quæsiuit. Et quid hac dementia deterius? Quia, inquis, ille mihi factus est mercedis occasio, nolo hanc accipere occasionem. Si enim ille te salutet prior, nihil tibi proficiet etiamsi tum salutaueris.

Si verò

publicanis.) — Marc.9. & Luc.14. — Matt.5. — Matt.5. — 1. Thes.4. — Ibidem. — Præueniendi fratres salutatione.

Si verò tu prius ad salutandum properes, lucrum de illius tumore cepisti, & largissimum quẽdam fructum de illius superbia etiam messuisti. Quemadmodum igitur non extremæ omnino dementiæ est, vt qui nudis etiam verbis tantum capere fructum possumus, eum tamen spontè perdamus: & super quo culpamus alterum, in idipsum nihilominus incidamus? Si enim culpas, quoniam prius ab alio salutationis expectet officium: cur, obsecro, quod reprehendis imitaris? Quódque ipse malum esse conquereris, cur & hoc quasi bonum imitari studes? Vides certè quàm nihil sit omnino vecordius homine inter vitia viuente: propter quod, obsecro, fugiamus hunc morem malignum pariter atque ridiculum. Mille quippe hic animorum morbus amicitias dissipauit, multásque operatus est simultates, & idcircò hoc quoque homines nos præueniamus officio. Qui enim & cædi palmis, & cogi, atque nudari ab inimicis iubemur, & tamen ferre patienter: qua tandem digni venia sumus, qui in salutatione nuda tam grãde vitium contentionis ostendimus? Despiciemur, inquis, & cõsputabimur prorsus, cùm ei hoc donauerimus. Et ne contemnaris homo, offendis Deum? Ne contemnat te conseruus furens, Dominum ipse contemnis, & eum certè qui tantis beneficiis te honorauit? Si enim indignum est, vt te is qui eiusdem status & conditionis est, despiciat: quantò indignius est à te contemni Deum, qui tuus est creator & dominus? Post hæc verò etiam illud expende, quoniam quando te ille contempserit: tunc ibi maioris fiet mercedis occasio. Propter Deum enim ista perpeteris, quia scilicet legem eius audisti. Hoc enim quo tandem digno honore pensandum est? quibus diadematibus? Mihi verò magis proueniat inimicitias sustinere propter Deum, atque contemni, quàm vel à cunctis regibus honorari. Nihil enim prorsus, nihil huic potest gloriæ comparari. Hanc igitur insequamur, sicut ipse præcepit, & omnino nihil esse omnia humana ducamus. Sed certam ostendentes philosophiam, vitam nostram in cunctis prorsus officiis ordinemus. Hinc enim merebimur frui & possessione cœlorum, & gloria eorum quæ ibi sunt præmiorum: quasi angeli quidam cum hominibus ambulantes, tanquam virtutes † cœlorum] in terrarum regione degentes, & extra omnem conturbationem positi, omnémque mœrorem, etiam bona ineffabilia consequemur: quibus nos omnes contingat potiri, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

angelorũ)

HOMILIA XIX. EX CAP. VI.

ATTENDITE *autem ne faciatis eleemosynam vestram coram hominibus vt videamini ab eis.* Impotentissimam hîc hominum eliminat passionem, rabiem quandam scilicet, ac furorem, quam ab aliis vitiis emendati, de inanis gloriæ amore patiuntur. Nam inter principia quidem ipsa doctrinæ nihil super hac passione disseruit. Erat quippe superfluum, si priusquam aliquid sanctorum operum facere suaderet, quo modo ea facerent, & quemadmodum singula quæque exequerentur doceret: postquam vero in studium illos philosophiæ induxit, tunc iam pestem illis istam quæ illis importunè assistere consueuit, interimit. Neque enim vtcumque gignitur hæc ægritudo, sed cum plurima ex his quæ pręcepta sunt fecerimus. Oportuit ergo prius inserere virtutem, & tum demum noxium affectum tollere, qui fructum eius vitiat & corrumpit. Et considera vnde ipsum sumat exordium, ab eleemosyna scilicet, oratione atque ieiunio. In his enim maximè solet gloria coha-

A bitare virtutibus. Nam Pharisæus quoque ille hinc fuerat inflatus, atque dicebat: Ieiuno bis in septimana, decimas do omnium quæ possideo: sed & in ea ipsa precatione captabat vanã gloriam, ostentandi gratia ea vsus. Quia enim nullus tunc illi adstiterat alius, publicano se ostentando dicebat: Non sum qualis publicanus iste, vel cæteri hominum. Considera vnde saluator noster fuerit exorsus, qui quasi de insidiosissimo aliquo serpente loqueretur, potentissimóque ad fraudãdum eum, qui non tota prorsus mente vigilasset, *Attendite*, inquit, *ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus.* Sic etiam Paulus Philippenses monens, Videte, inquit, canes, videte malos operarios. Clàm quippe ingreditur bestia, † cunctáque bene orientia intus maxima cum quiete, & absque vllo sensu perdentis exportat.] Quia igitur plurimum fecit de eleemosyna sermonem, Deúmque adduxit in mediũ, qui solem suum oriri facit super bonos & malos: atque auditorem ad liberalitatem vndique B cohortatus, etiam gaudere persuasit largitate donandi, consequentissimè cuncta prorsus quæ pulcherrimam & feracissimam hanc oleam necare nituntur, euellit: propter quod ait, Atendite ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus. Illa vero quæ superius dicta est, Dei est propria misericordia. Cùm verò dixisset, ne faciatis coram hominibus: adiecit, vt videamini ab eis. Et videtur quidem idipsum etiam antè dixisse. Sed si aliquis diligenter expendat, non hoc vnum atque idem est, sed aliud quidem illud, aliud verò esse istud inueniet. Multam enim præceptum hoc continet cautionem, & ineffabilem quandam Dei erga homines curam: id vtique prouidentis, ne huius hi mercedem operis amittant. Potest enim aliquis etiam coram hominibus eleemosynam facere, nec tamen hoc ideo facere, vt eam oculis hominum ostentet: & aliquis non coram hominibus faciens, eo tamen animo facere, vt se id facientem optet videri. Propter quod non omnino C indiscretè factum ipsum, sed voluntatem aut coronat, aut punit. nisi enim hæc diligentia fuisset adiuncta, fecisset plurimos ad misericordiam segniores: quia scilicet non omnes vbique possent per cuncta id facere latenter. Propterea ab huius te vinculo necessitatis absoluens, non fini operis, sed voluntati operantis mercedem, damnúmve decernit. Ne enim diceres, cur ego sustineo detrimentum, si quod etiam facio, alter aspexerit? Non hoc, inquit, requiro: sed tuam profectò mentem, modúmque miserendi. curare quippe vult animam, atque omni ægritudine liberare. Postquam igitur edixit ne quid ad ostentationem fiat, quantúmque id damnum inferret edocuit: nempe vanè istud frustráque fecisse, animos eorum rursus exuscitat, dum & Patrem memorat, & cœlum, ne scilicet solo eos damno mercedis exterreat, verumetiam illius à quo sunt geniti memoria coërceat. *Non habebitis*, inquit, *mercedem apud patrem vestrum, qui in cælis est.* Verùm ne hîc quidem stare D contentus est, sed ad vlteriora progreditur, aliísque rursus modis plurimum eos ab inani gloria dehortatur. Sicut enim superius Publicanos posuit atque Ethnicos, vt imitatores malorum de personarum etiam qualitate confunderet: ita hîc quoque commemorauit hypocritas. *Cùm*, inquit, *facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt.* Non quia verò illi stipem ad signum erogant turbarum, sed maximam in eis volens notare ostentationis insaniam, opportunissimè translatione verborum vitij eorum redundantiam publicauit. Et bene hos nominauit hypocritas. Erat quippe facies quidem ipsa miserantium: mens verò inhumanorum atque crudelium. Non enim vt proximorum misererentur dabant, sed vt ipsi delectatione glorię

Luc.18. — Phil.3. — & omnia sine strepitu efflat, & absque vllo sensu perdentis cũcta quæ intus erãt exportat) — Matt.5. — Suprà 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pascerentur:quod certè erat crudelitatis extremæ, alio quidem fame pereunte, honorem & gloriam captare, ac non potius consulere eius inopiæ. Non ergo tātummodo dedisse eleemosynam, sed quemadmodū oportet dedisse, & propter hoc dedisse, virtutis est. Postquam illos sufficienter igitur notauit ac tetigit, maximam certè audientibus incutiens verecundiam: iam hîc tam grauiter ægrotantem corrigit voluntatem. Cúmque ostendisset quomodo non fieri deberet eleemosyna, quemadmodum debeat fieri rursus ostendit. Quonam igitur modo fieri debet? *Nesciat*, inquit, *sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Hîc quoque non manus voluit intelligi, sed exaggeratum posuit hūc sensum. Si, inquit, possibile est te ipsum quoque ignorare quod facis: sit tibi hoc prorsus in studio, & si fieri queat, nec manus quibus id peragitur, consciæ sint, non (vt opinantur quidam) ab iniustis tantum hominibus misericordiæ opus voluit abscondi: cunctos enim iussi omnino celari. Deinde animaduerte merces ipsa quanta sit. Quia enim dixerat inde proueniens supplicium, hinc iam ostendit & præmium, vt eos ad viam rectam ex vtroque compellat, atque ad doctrinæ excelsa perducat. Docet quippe vt sciant Deum vtique esse præsentem: & quòd non vsque ad hanc tantummodo vitam vel bona vel mala nostra perueniant: sed quòd terribile nos excipiet post ista iudicium, & sua vnicuique actuum retributio reseruatur, ac pro diuersitate operum vel pœna, vel gloria: & quòd nec magnum nec exiguum alicuius opus latebit, etiam si ad præsens omnes prorsus homines celare videatur. Hæc nanque cuncta innuit dicendo, *Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi in manifesto.* Ingens ac augustum ei theatrum collocando, & quod cupiebat potissimum, hoc cum magna illi copia largiendo. Quid desideras, inquit? nónne esse aliquos operum spectatores tuorum? Ecce igitur habes non angelos atque archangelos tantum, sed etiam omnium Deum. quòd si habere etiam homines spectatores concupiscis, ne hac quidem quam præcipuè cupis, mercede priuaberis: sed cùm opportunum tamen tempus aduenerit: quando certè cùm maximo tibi hoc cumulo præstabitur, quod requiris. Nam modò quidem si te ostentaueris, decem vel viginti, aut centum tantummodo hominibus ostentare te poteris: si verò nunc latere curaueris, tunc ipse te prædicabit Deus toto prorsus orbe præsente. Itaque si opera tua maximè ab hominibus videri cupis, nunc illa occulta diligenter, vt eadem tunc omnes ad maiorem tuum spectent honorem, Deo scilicet ea faciente manifesta, & ea referente prorsus, corámque omnibus prædicante. Nunc enim cuncti te culpabunt videntes, quasi gloriæ inanis auidum: si verò te viderint à Deo coronatum, non modò non culpabunt, verumetiam admirabuntur omnes atque laudabunt. Cùm igitur maximam queas accipere mercedem, magísque admirationi esse cunctis, si modo exiguum tempus expectes: perpende quantæ sit omnino dementiæ, vtrumque id pariter amittere, & eum qui à Deo mercedem operis efflagitet, Deo etiam vidente ad spectandum ipsum opus homines aduocare. Si enim ostētare nos volumus, Patri ante omnia nos studeamus ostendere, qui & coronandi nos tenet potestatem, & mulctandi. Et certe etiamsi futuri præmij damna non essent, tamen gloriæ cupidos non decebat diuinum spectaculum relinquentes, malle oculis placere mortalium. Cuius enim stoliditatis est, vt ad spectandas virtutes eius regem properantem, illum quidē relinquat ac negligat, ab egenis verò atque mendicis spectari velit, ab eísque potius laudem requirat? Idcircò igitur non solùm nos ab ostentatione nostri etiam vetat, verumetiam nobis studium indicit latendi. Non enim est hoc prorsus æquale, siquidem minus agit qui apparere non studet, quàm qui studuit & latere. *Et cùm oratis*, inquit, *nolite fieri sicut hypocritæ*, † *qui amant in synagogis, & in angulis platearum stātes orare, vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cùm oras, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito.* Rursus etiam istos hypocritas vocat, & omnino conuenienter ac propriè, qui Deum scilicet se orare simulantes, mortalium oculis ingeruntur: non iam orantum, sed ridiculorum prorsus hominum gerendo personam. Qui enim ad supplicandum paratur: omnibus relictis illum intuetur vnum, qui habet donandi quod petitur, potestatem. Si verò istum relinquens, per diuersa errabundus vageris, & vbique oculos mentémque circunferas, post longissimas preces vacuis profectò manibus abscedes. hoc quippe ipse voluisti: propterea non dixit, tales non recipient mercedem suam: sed receperunt, inquit, ab his tamen duntaxat à quibus etiam concupiscunt. Neque enim hoc voluit Deus, qui certè eam quæ ab ipso est, vult tribuere mercedem: illi verò eam quæ est ab hominibus requirentes, nequaquam iam ab illo merentur accipere, propter quem nihil omnino fecerunt. Tu verò misericordiam Dei cum admiratione considera, qui pro his quoque quæ à nobis rogatur, bonis mercedem se pollicetur daturum. Vituperans igitur illos, qui non ita vt oportet, officio orationis vtuntur: & vituperans tum à loco, tū ab effectu: quumque ostendisset nimis eos esse ridiculos, optimum illum modū orationis inducit, † iuxta quem certe] mercedem tribuit orantibus, dicēs: Intra in cubiculū tuum. quid ergo? In ecclesia, inquis, non oportet orare? Et valde quidem, sed cum hac vtique, qua diximus, volūtate. Vbique enim Deus quo aliquid facias spectat intuitu: alioquin etiamsi cubiculum ipsum fueris ingressus, ídque cum ostentatione tui, vt scilicet intelligaris secrete oraturus, occluseris: nihil tibi clausa ostia proderunt. Vide igitur hîc quoque quàm diligenti rem distinctione signauerit, dicendo, vt videantur ab hominibus: etiamsi ostia cubiculi tui obseres, hoc vult ante occlusionem ianuæ rectè caueri, vt etiam mentis tuæ ianuas claudas. Nam cùm vbique opportunum sit ab inani gloria liberum habere pectus, ac vacuum: tamen in oratione præcipuè. Qui enim absque hoc etiam vitio frequenter oramus, & auocati per diuersa distrahimur: si cum hac quoque ægritudine ingrediamur ad orādum, ne ipsi quidem preces nostras audire poterimus: si verò eas non audimus ipsi qui petimus, quemadmodum vt à Deo audiantur, rogamus? Et tamen sunt quidam qui post tot tantásque denunciationes Dei, tam sunt in orationibus impudentes, vt etiam latentes corpore, omnibus se faciāt voce manifestos, tumultuosè omnino clamantes, seséque ridiculos habitu ac voce facientes. Nōne cernis quòd in foro quoque si quis ita agens accederet magna voce supplicās, eum cui supplicaret, à se summoueret? quòd si idem iste quietè idipsum etiā faciat, ac modestè: tunc potius inflectet eum qui potest tribuere quod rogatur. Non igitur gestibus corporis, neque clamoribus vocis, sed intentione optimæ voluntatis orationum vota reddamus: non cum sonitu oris, ac strepitu: non ad tam importunam ostentationem nostri, atque iactantiam proximos nobis clamore expellamus: sed cū omni modestia & cōtritione mentis, lachrymísque secretis. Sed doles animo, & omnino non potes à clamoribus tēperare: imo verò maximè dolentium est, illo vtique modo orare & obsecrare quo dixi. Nam & Moses dolebat: cúmque tacens oraret, audiebatur, & propterea ad illum dixit Deus: Quid clamas ad me? Anna quoque cùm vocem nullam prorsus emitteret, omnia

quia.)
ac rursus.)
Exod.14. 1.Reg.1.

omnia tamen quæ voluit, impetrauit: quia scilicet sola, & tota mente clamabat. Abel verò non modò tacens, sed etiam defunctus orabat: & tamen sanguis eius emittebat vocem omni prorsus buccina clariorem. Clama igitur & tu sicut ille sanctus, nequaquam omnino prohibeo. Dirumpe, vt propheta præcipit, cor tuum, & non vestimenta tua: de profundis clama ad dominum. Nam de profundis, inquit, clamaui ad te domine. De imo prorsus corde vocem deprome, & proprij pectoris contentus arcano, orationem tuam fac esse mysterium. Non consideras, vt coram regibus quoque omnis coërceatur tumultus, & maximum vndique silentium commendetur? Et tu igitur tanquam regalem ingressus aulam, non eam quæ in terra est, sed illam quæ multò est terribilior, videlicet in cœlo, plurimum reuerentiæ atque ordinationis ostende. Vnus enim es ex angelorum choro, atque archangelorum socius effectus, cùm Cherubin quoque atque Seraphin canis. Omnes nāque isti cœlorum populi maximum ordinem per cuncta cōseruant, cum timore ac tremore multo, regi omnium Deo cœleste illud carmen, & sacros semper hymnos canendo. Istis igitur tempore orationis te admisce, & mysteriorum eorum imitator efficere. Non enim homines oras, sed Deum certè vbique præsentem, & antequā vox tua insonet audientem, omniáque cordis arcana cernētem. Si ergo sic oras, plurimam accipies profectò mercedem. *Pater*, inquit, *tuus qui videt in abscondito, reddet tibi in propatulo.* Non ait, donabit tibi: sed reddet, inquit. Debitorem tibi se quippe constituit, téque magno pro hoc etiam honore donauit. Quia enim ipse inuisibilis est, vult orationem quoque tuam à nullo omnino sentiri. Deinde ipsa etiam orationis verba commemorat. *Orantes enim*, ait, *nolite* * *multum loqui, sicut Ethnici faciunt.* Cùm superius de eleemosyna certa ratione etiam dissereret, tantummodo pestem illam quæ de vanæ gloriæ nasci solet amore cōpescuit, nihílque aliud adiecit: neque enim dixit vnde oporteret eleemosynam facere: de laboribus profectò iustis, non de auaritia, nec rapina. Hæc siquidem res nulli erat prorsus ambigua, quanquā ipsam satis iam superius commendasse videatur, cùm esurientes sitientésque iustitiam, appellauit beatos. In oratione verò quiddam etiam aliud iūxit, multiloquium vtique coërcendo: & sicut ibi hypocritas, ita hic Ethnicos notauit, vt vtrobique auditorem personarum vilitate suffunderet. Quia enim vt alia multa, ita hoc quoque vel maximè animum tangit, ac mordet, cùm scilicet aliquis desperatis hominibus comparatur: hinc eos præcipuè à vanissimis ostentationibus subducit. Battologiam verò hîc loquacitatem vocauit, qua tunc vtique vtimur, cùm non vtilia nobis à Deo poscimus: vt potentias scilicet adipiscamur, & glorias, & vt superemus inimicos, atque vt multis opibus affluamus, & omnino ea quæ nobis sunt nihil profutura. scit enim, inquit, quid opus sit vobis. Super hæc verò videtur mihi longas orationes vetare: longas verò dico, non tempore, sed multitudine & prolixitate verborum: perseuerare quippe oportet † quæ sunt vtilia poscentes] Orationi, inquit, instate. Quin & ipse Dominus, per viduæ illius exemplum, quæ immisericordem & crudelem iudicem orationis instantia flexit, atque amici etiam illius quem intempesta nocte venisse dicit ad amicum, eúmque dormientem de lectulo suscitasse, illúmque hoc non tam familiaritate, quàm sedulitate meruisse: nihil aliud omnino, quàm vt ipse frequenter à quibusuis interpellaretur, admonuit. Non tamen iussit vt orationem versibus mille compositam deferrēt ad eum, ipsíque recitarent. Hoc enim omnino innuit dicendo: *Putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur. Scit enim,*

Gen.4. & Heb.11
Iohel.2.
Psal.129.
Suprà. μὴ βαττολογήσητε, id est ne sitis multiloqui, siue battologi.
eadē poscendo.)
Coloss.4. Luc.18. Luc.11.

inquit, *pater vester quid vobis opus sit.* Et si, inquis, ille nouit, cuius tandem rei gratia nos oportet orare? Vt scilicet Deum non doceas, sed inflectas, vt familiaris efficiaris interpellationis frequentia: vt humilieris orando, vtque peccatorum tuorum sæpe recorderis. *Vos autem cùm oratis, sic orate.*

Homilia vigesima de Oratione dominica, ex cap. VI.

*PATER *noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum.* Vides nempe quemadmodum continuò animum auditoris erexit, ac cuiuslibet beneficij inter principia ista commonuit. qui enim patrem Deum appellauit, & veniam peccatorum, & pœnarum interitum, & iustificationem, & sanctificationem, & liberationem, & filiorum adoptionem & hæreditatem Dei, & fraternitatem cum vnigenito copulatam, & sancti Spiritus dona largissima, vno sermone confessus est. impossibile est enim Deum patrem vocari ab eo, qui nō omnia hæc bona fuerit consecutus. Duplici igitur modo eorum animos accendit, ex eius scilicet quem patrem nominât diuinitate, & magnitudine beneficiorum quibus ipso donante potiuntur. Cùm verò Deum esse dicit in cœlis, non ibi eum hoc dicendo concludit, sed à terris abducit orātem, eúmque supernis habitaculis, ac regionibus affigit excelsis. Similiter etiam docet generalem orationem facere pro fratribus. Non enim dicit, pater meus qui es in celis: sed pater noster qui es in cœlis, pro communi scilicet corpore precem fundens, & vbique non tam propria commoda quàm proximorum petēs. Quo quidem ipse & inimicitias interimit, & superbiam reprimit, & explodit inuidiam, & introducit matrem bonorum omnium charitatem, & humanarum rerum inæqualitatem prorsus expellit, & miram regis cum paupere æqualitatem honoris ostendit, si tamen in maximis & ad æternam gloriam necessariis communione omnes sociemur. Quid enim noxæ de terrena † ignobilitate] metuendum est, quando cœlesti omnes nobilitate coniungimur? cúmque nullus alio amplius de illo honore possideat, neque locuples paupere, neque dominus seruo, neque princeps subdito, neque rex milite, neque philosophus barbaro, nec sapiens imperito. Cunctis enim vnam atque eandem nobilitatem donauit Deus, cùm dignatus est omnium pater vocari. Postquam igitur istius eos nobilitatis admonuit, ac doni cœlitus accepti: postquam illis æqualitatem inter fratres honoris ostendit, & vtilitatem charitatis inseruit, post quam eos & abduxit à terra, & cœlo prorsus affixit: cōsideremus quidnam eos postulare præcepit: quanquā hoc loco sermo ipse facilè possit totius disciplinam virtutis inserere. Nam qui patrem nominat ipsum Deū, & patrem cōmunem, iure talem vitæ tenorem exhibebit, ne tanta nobilitate indignus appareat: sed qui potius par gratiæ præstet & studium. Verùm contentus hoc solo non fuit, siquidem addit & cætera. *Sanctificetur nomen tuum.* Digna prorsus eo qui eum Patrem appellauit oratio, nihil omnino prius quàm pro illius gloria supplicare, omnia verò reliqua secundo loco ducere, infráque laudes eius numerare. Sanctificetur quippe est glorificetur. Qui quidem gloriam propriam maiestatis suæ plenam semper obtinet, & æqualem iugiter permanentē. Rogare autem orātem iubet, vt & per vitam nostram glorificetur: quod etiam superius profectò cōmemorauit, dicendo: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrū, qui in cœlis est. Nā & Seraphim glorificātia Deū, hac voce resonant: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Sancti-

*Latini male hic alterius homiliæ faciunt principiū, cùm apud Græcos eiusdem sit continuatio.
cognatione.)
Suprà 5.
Esa.6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ficetur igitur, hoc est dicere, glorificetur. Dignare, inquit, vitam sic munda conuersatione seruare, vt per nos cuncti te omnino glorificent. Quod rursus philosophiæ perfectæ est, tam irreprehensibilem omnibus exhibere vitam, vt eam singuli quique mirantes, dominum de seruorum sanctitate collaudent. *Adueniat regnum tuum.* Hoc quoque gratissimi omnino filij est, neque inhærere præsentibus, neque magnum aliquid ea quæ videntur putare: sed ad patrem semper vrgeri, sempérque futura expetere: quod certè de optima oritur conscientia, & mente terrenis omnino rebus exuta. Hoc igitur & Paulus per singulos desiderabat dies, propterea- Rom.8.
que dicebat: Et ipsi primitias Spiritus habentes, intra nos gemimus, adoptionem filiorum expectantes, redemptionem corporis nostri. Qui enim isto amore succenditur, neque vitæ huius commodis inflatur, neque humiliatur aduersis, sed tanquam in ipso iam cœlo habitans, vtriusque huius inæqualitatis immunis est. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* Vidésne optimam consequentiam? Nam cùm desiderium imperauerit futurorum, atque ad perfectionem illam nos iusserit semper contendere: quandiu tamen illuc non pergimus, etiam hic degentes iubet conuersationem cum cœli habitatoribus habere communem. Nam desiderare quidem conuenit cœlos, & ea quæ habentur in cœlis: tamen & antequam superna illa præstetur habitatio, cœlum quodammodo fieri iussit è terra: vt scilicet tales sint etiam dum in ea degunt, ita & omnia faciant & loquantur, quasi qui prorsus conuersentur in cœlo. Denique pro hoc etiam esse Dominum deprecandum. Nihil est enim quod propter terrenarum rerum habitaculum ad supernarum virtutum perfectiones homines prohibeat peruenire: est quippe possibile, vt in terrarum adhuc regione degentes, quasi iam in cœlis habitent, ita cuncta perficiant. Quod igitur dicit, omnino etiam tale est: Sicut ibi fiunt omnia liberè, & non alia quidem audiunt angeli, alia verò etiam contemnunt, sed C
voluntati cedunt diuinæ, & in omnibus obsequuntur:
Psal.102. potentes, inquit, virtute, facientes verbum eius: sic etiam nos homines effice dignos, qui non ex dimidio, sed prorsus ex integro ea quæ in tua sunt voluntate, faciamus. Vidisti nempe quemadmodum & humilitatem docuerit, ostendens quòd perficere virtutem non nostri sit studij tantummodo, verumetiam gratiæ Dei. Et rursus communem omnium curam vnumquemque orantium suscipere præcepit. Non enim dixit, fiat in me, vel in nobis voluntas tua, sed prorsus vbique terrarum: vt scilicet eradicetur error, & veritas inseratur, atque vndique vitiis explosis, virtus reuertatur, inque illius cultu nihil prorsus terra distet à cœlo. Si enim hoc, inquit, fuerit: nihil superna ab inferioribus discrepabunt, etsi sit habitantium natura dissimilis, cùm scilicet alios nobis angelos terra demonstret. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quid est, Panem nostrum ἐπιούσιον? i. quotidianum. Quoniam enim dixerat, fiat voD
luntas tua sicut in cœlo & in terra: id autem loquebatur hominibus carnis fragilitate circundatis, ac necessitati naturæ interim subiectis, nec eandem habentibus impassibilitatem qua angeli perfruuntur, præcepta quidem sic Dei à nobis fieri iubet, vt etiam ab illis dicit impleri? condescendit verò etiam naturæ fragilitati. ac si diceret: Conuersationis quidem diligentiam eandem à vobis efflagito, non tamen impassibilitatem requiro. Neque enim concedit istud fragilitas ipsa naturæ, quæ necessariò certè cibo indiget sustentari. Tu verò considera quemadmodum etiam carnalibus rebus plurimum spiritale societur. Non enim propter diuitias atque delicias, non ob precioſæ vestis ornatum, A neque pro alio quopiam huiusmodi, sed pro pane duntaxat iussit orationem fundere: & pro pane quidem quotidiano, vt ne pro crastina die simus soliciti: & idcirco subiunxit, Panem nostrum quotidianum. Neque hoc tamen fuit verbo contentus, sed adhuc aliud addidit dicens: *Da nobis hodie.* vt nequaquam illos vlterioris diei cura contereret. Cuius enim diei spacium visurum esse te nescis, quam ob causam illius solicitudine torquearis? Hoc etiam in consequentibus prolixius imperauit, dicens: Nolite soliciti esse, inquit, in crasti- Infrà.
num: volens etiam nos vndique accinctos esse, & quibusdam velut pennis fidei instructos, semper ad cœlestia subuolare, nec amplius indulgere naturæ, quàm à nobis ipse necessitatis vsus exposcit. Deinde quia contingit, vt etiam post regenerationis lauacrum delinquatur, plurimum hic quoque miserationis ostendens, etiam pro peccatis misericordem Deum interpellare nos præcipit, ac si diceret: *Dimitte nobis debita nostra,*
B *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Vidisti certè cumulum misericordiæ, post tantorum quippe abolitionem malorum, & ineffabilem gratiæ largitatem, iterum peccantibus dignatur ignoscere. Quòd enim fidelibus oratio ista conueniat, & Ecclesiæ regula ipsa testatur, & ipsius orationis exordium. Nondum quippe initiatus baptismatis sacramento, non potest Deum patrem vocare. Si igitur fidelibus hæc aptatur oratio: Nota cõtra Nouatianos.
orant autem ministerio consecrati, vt eis peccata donentur: manifestum est, quia neque post baptisma remedium pœnitentiæ denegetur: nisi enim hoc docere voluisset, nunquam sic præcepisset orare. Qui verò commonefacit peccatorum, ac iubet postulare veniam, docétque quo modo veniam consequamur, pronámque hanc viam nobis præstat ac facilem: & nosse profectò se, & docere declarat, posse etiam post baptismum commissa peccata deleri: idcirco enim hunc modum supplicationis induxit: de peccatis verò nos propriis
C admonendo, bonum humilitatis insinuat. Vt verò remittamus aliis imperando, ab omni nos liberat recordatione nequitiæ: dum verò nobis indulgentiam pollicetur, bonis nos prorsus spebus attollit, & exemplo ineffabilis misericordiæ Dei, nos etiam ad dandam peccantibus in nos veniam cohortatur. Quod enim maximè animaduerti conuenit, istud profectò est: quoniam singulis quibusque sententiis perfectionem virtutis includens, etiam in præcedentibus iniuriæ nos prohibuerit recordari. Nam & sanctificari per nos nomen Dei, perfecta est conuersationis integritas. Et voluntatem eius fieri idipsum rursus amplectitur: & posse Deum patrem vocare, immaculatæ conuersationis indicium est. In quibus prorsus omnibus comprehensum est, vt his qui in nos peccauerint, desinamus irasci. Nec tamen hæc dixisse contentus est, sed abundantius ostendere volens quantam huius rei curam gerat, idipsum etiam specialiter inculcauit: póstque impletam
D orationis formulam, nullius prorsus mandati meminit, nisi istius certè quod ad dandam nos veniam concitauit: ait quippe, *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis peccata vestra.* Itaque à nobis tota hæc res sumit exordium, futurumque de nobis in nostra est potestate iudicium. Ne enim vel irrationabilis quispiam, aut in magno aliquo, aut in exiguo delicto de iudicio Dei conqueri posset, ipsum te reum dominũ illius fecit esse sentẽtiæ. Quemadmodũ, inquit, tu † tibi ipse] iudicaueris, ita etiam tibi ipsi)
iudicabo. Si enim dimiseris conseruo tuo, à me quoque eandẽ gratiam consequéris: & certè nequaquam istud æquale est. Tu enim remittis, cùm certè quoque ipse remissione indigeas: Deus verò cùm nullius vnquam indigeat,

digeat, ignoscit: tu conseruo remittis, Deus seruo. Et tu A
quidem mille peccatorũ reus, Deus verò ab omni peccato prorsus extraneus: & tamen sic quoque abundantiam propriæ miserationis ostẽdit. Nam cùm certè possit absque hoc quoque tibi omnia peccata dimittere, vult tamen beneficium etiam per ista cõferre, mille tibi occasiones mansuetudinis ac pietatis ministrans, & hoc quod in te est belluinum, depellens, & iram qua flagras extinguens, tèque vndique tuis membris compingẽs & conglutinans. Quid enim quæso dicturus es, an quòd à proximo aliquid passus fueris iniuste? tunc quippe peccatum est: si verò iustè, ne peccatũ quidem est. Fac ergo te iniustè aliqua perpessum: talia proculdubio sunt quæ etiam tibi à Deo poscis remitti, multóque maiora. Sed ante ipsam quoque veniam nõ exigua donatus est gratia, edoctus scilicet humanam habere mentem, & omnẽ mansuetudinem eruditus. Supra hæc verò etiam merces tibi in futuro ampla tribuetur: dum nullius à te exigetur ratio peccati. Quo non igitur digni supplicio B
sumus, cùm tali nobis à Deo potestate donata, ipsi salutis nostræ efficimur proditores. Quemadmodum verò in aliis causis, vt audiamur, rogamus, qui nobis ea ipsa quorum domini sumus, non impendimus? *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Quoniam tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula, Amen.* Hìc iam nostræ nos profectò humilitatis admonuit, vt scilicet reprimeret indomitæ mentis tumorem. Docet enim † non quidem nos recusare certamina, nec tamen] nos deprecari certamina, non autem.
in ea audacius insilire: hoc enim modo & nostra incipiet clarior esse victoria, & diaboli infœlicior pugna ridebitur. Nam protractos siquidem in medium, viriliter stare oportet ac fortiter: non prouocatos verò quiescere, & tempus expectare certaminis, vt nos & vacuos ostendamus amore gloriæ, & plenos virtute constantiæ. Malum verò hic diabolum vocat: docens nos cum eo habere prælium nullo vnquam fœdere dirimendum, & ostendens quòd non sit talis ille natura. C
Cùm enim omnis malicia de motu voluntatis oriatur, ostenditur bonæ absque dubio esse naturæ, etiam qui malus vocatur: per excellentiam autem ille sic vocatur, propter excessum maliciæ. Et quia cùm nihil sit læsus à nobis, inconciliabili aduersum nos certamine præliatur: & idcirco non dixit, libera nos à malis, sed à malo: nos videlicet erudiens, nusquam aduersus proximos amarius commoueri propter ea quæ ab illis patimur mala: sed ab istis in illum transferre inimicitias, quasi in cunctorum scilicet caput & causam malorum. Postquam igitur inimici nos commemoratione ad certamen permouit, desidiámque à nobis omnem prorsus excluſit: rursus mentem nostram confirmat, ac suscitat illius nos regis cui fideliter subdimur, commonendo, eúmque omnibus potẽtiorem esse mõstrando. *Tuum enim est,* inquit, *regnum, & potentia, & gloria.* Si igitur ipsius est regnum, nihil oportet timere, vtD
pote existente nullo qui ei repugnare possit, sibíque imperium vẽdicare. Quãdo enim dixit, tuum est regnum: ostendit illum quoque impugnatorem nostrum, ipsi tamen esse subiectum, etiamsi repugnare videatur, sinente interim hoc Deo. Nam & ille vnus de numero seruorum est, licet reorum iam, atque reproborum. Nec audebit aliquando super vllum irruere cõseruum, nisi pri-
Matt.8. & Luc.8. Iob.1. us ab omnium domino acceperit potestatem. Et quid ego de cõseruis loquor? ne aduersus porcos ille quidem sumpsit audaciam, priusquam permitteretur à Domino. Neque in boum, neque in ouium greges, nisi potestatem super ea re accepisset. Si igitur mille adhuc esses gradibus inferior, deberes tamen iure confidere talem habens regem, qui facilè omnia etiam per te possit effi-

cere. Et gloria in secula, Amen. Non enim tantummodo de instantibus te malis seruat, verumetiam te clarum potest facere, & in omnibus gloriosum. Sicut enim potentia eius est maxima, ita etiam ineffabilis gloria, & hæc cuncta perpetua, nec vllo vnquam fine soluenda. Vides quemadmodum vndique spiritalem athletam perunxerit, atque ad confidentiam præpararit? Deinde quod paulo ante memoraui, volens Dominus ostendere, quòd super omnia memoriam malitiæ detestatur, eáque apud illum prorsus exosa sit, & è regione cunctarum omnino præcipuam aduersantem huic vitio virtutem diligat: post orationem, ipsius nos rursus virtutis admonuit, & de constituta nimirum pœna, & de proposita gloria auditorem ad obediẽtiam mandati huius inducens, Si, inquit, dimiseritis hominibus, & pater vester cœlestis dimittet vobis: si verò non dimiseritis, neque ipse dimittet vobis peccata vestra. Idcirco & cœlos rursus commemorauit, & patrem: vt hinc quoB
que auditorem pudore suffunderet, si cùm tanto sit patre generosus, ad malitiam feritate rapiatur: atque ad cœlum vocatus, terrena & carnali prorsus mente vilescat. Non solum quippe gratia Dei esse filios, verumetiam oportet operibus. Nihil autem est quod sic Dei similes faciat, vt malignis atque lædentibus esse placabilem, sicut etiam paulo ante prænmonuit cùm di-
ceret: Deus solem suum oriri facit super bonos & ma- Supr.5.
los. Propterea & per singula quoque verba nos communes facere preces iubet dicendo, Pater noster: &, fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra: &, panem nostrum quotidianum da nobis hodie: &, dimitte nobis debita nostra: &, ne nos inducas in tentationem: &, libera nos à malo. Plurali vbique numero nos vti docens, vt proximis per cuncta placati, ne vestigium quidem in nobis iracundiæ relinquamus. Quanto iam ergo inuenimur digni esse supplicio, post hæc omnia non modò non remittentes, verumetiam de inimicis
C à Deo vindictam rogantes, & velut ex diametro hanc legem transgredientes? Et hoc, cùm ille cuncta & faciat, & dicat, ne ipsi mutuis aduersum nos seditionibus infremamus. Quia enim charitas omnium mater bonorum, ea quæ illi incommodant tollens, vndique nos in vnum congregat copulando. Non est enim aliquis, omnino non est, non pater aliquis, non mater, non amicus, non alius quispiam, qui ita nos aliquando dilexerit, quemadmodum ipse qui fecit nos Deus. Et hoc de ipsis quæ præcipit, & beneficiis quæ quotidie confert, potest maximè relucere. Si verò mœrores mihi obieceris ac dolores, cæteraque vitæ præsentis incommoda: considera in quantis illum quotidie offendas, & vlterius mirari desines, etiamsi plura his mala videris irrogari: sed cum bono aliquo perfrueris, tunc potius stupebis, atque miraberis. Nunc verò ad incumbentes quidem clades, & commota sæpius bella respicimus: peccata verò quibus Deum quotidie offenD
dimus, non perpendimus, ideóque mœremus & angimur. Quòd si vnius saltem diei nostra vellemus accuratè peccata numerare, tunc optimè disceremus quantorum rei essemus malorum. Itaque etiamsi alia vniuscuiusque vestrûm peccata præteriens, ea quæ hodie feciſtis ostendero, & certè ignoro quid vestrum vnusquisque commiserit: sed tamen tanta est copia delictorum, vt ille quoque qui non diligenter cuncta etiam cognoscit, multa tamen ex eis possit intelligere. Quis igitur nostrum non habuit in oratione desidiam? Quis non superbiæ est inflatus tumore? Quis non inanis gloriæ aurula ventilatus est? Quis non de fratre detraxit? Quis non concupiscentiam admisit malignam, vel impudicis oculis aspexit? Quis non inimici cum passione

Universidad de Deusto
Biblioteca

animi recordatus est, & cor suum intumescere fecit? A ne cunctis morsibus ista sunt sæuiora? nónne telis o-
[Quis non æmuli sui aut cruciatus est prosperis, aut de-
lectatus aduersis?] Sin autem & in Ecclesia constituti,
& breui in tempore tantorum efficimur malorum rei:
quales tandem nos futuros putamus, cùm hinc fuerimus egressi? Si tantos fluctus patimur in portu: cùm exierimus in Euripum illum malorum, forum dico, & vrbana negocia, & domesticas curas: putámsne nos saltem ipsos poterimus agnoscere? Veruntamen tot, ac talium peccatorum compendiosam nobis ac facilem Deus viam liberationis dedit, totiúsque laboris alienã. Quis enim labor est fratri indulgere conturbanti? labor quidem in remittendo nullus, in retinendo verò inimicitias maximus. Siquidem iracundia liberari, magnam menti reddit quietem, & valde hoc est facile volenti. Neque enim necesse est maria transfretare, nec longi itineris peregrinationem subire, nec montium excelsa conscendere, nec pecuniam impendere, nec corpus intendere: sed sufficit velle tantummodo, & o- B
mnia continuò peccata deleta sunt. Si verò non solum ipse non ignoscas, verumetiam contra illum interpelles Deum: quam iam, quæso, spem habebis salutis, qui etiam in eo ipso tempore, quo Deo supplicas, eũque tibi propitiari cupis, maiores illi irascendi causas ministras? habitu quidem circumdatus supplicantis, voces verò insonans bestiales, & contra temetipsum mali illius verborum iacula illa contorquens. Idcirco
1.Tim.2. igitur & Paulus cùm de oratione loqueretur, nihil magis quàm istius mandati custodiam flagitauit: Leuantes, inquit, puras manus sine ira & disceptatione. Si enim ne tunc quidem iram remittis, cùm misericordiam postulas, sed & valde illius recordaris, & hoc sciens quòd aduersus teipsum gladium dirigas: quando iam effici misericors poteris, pessimum quoque istud venenum malignitatis expuere? Quòd si necdum istius vitij magnitudinem deprehendisti: considera cùm idipsum in homines admittitur. & tunc saltem cumu- C
lum Deo à te illatæ videbis iniuriæ. Si tibi qui homo est, quispiam supplicaret, aut vt eius misereris exposceret: deinde cùm humi stratus iaceret, subitò videret inimicum, tibíque iam supplicare desineret, in illius verò cædem totus irrueret: nónne ad maiorem te iracundiam concitaret? Hoc igitur etiam Deo accidere similiter opinare. Nam tu quoque Deo supplicans, interea supplicationem relinquis, & sermonibus cædis inimicum: ac Dei leges prorsus inhonoras, qui omnem aduersus eos qui contristarunt, iracundiam præcepit remitti, inuocans eum ac rogans, vt præceptis suis faciat ipse contraria. Nec tibi ad supplicium satis est, quòd Dei legem ipse transgrederis, sed Deum quoque vt hoc faciat, deprecaris. Nunquid etiam ipse eorum quæ imperauit oblitus est? Nunquid homo est qui illa præcepit? Deus profectò est qui cuncta cognoscit, quíque cum omni diligentia sua vult mandata seruari, tantúmque abest vt faciat illa quæ postulas, vt te, qui D
hæc dicis, tantum quia dicis auersetur, oderitque, pœnámque abs te reposcat extremam. Qui igitur obtinere tu ab illo quæris, quæ summo cum studio vitanda esse præcepit? Sed sunt quidam qui in tantam deuenere vecordiam, vt non modò aduersus inimicos orent, sed etiam filiis illorum mala sæpius imprecentur, atque ipsorum si daretur, carnes degustare cupientes, quin-immò gustantes. Neque enim dixeris quòd dentes corpori non infixeris eius qui læsit: quantum enim ad votum spectat animi, id quod multo est sæuius, profectò feciſti, rogans desuper aduersus illum iram venire, cúmque æterno supplicio mancipari, omnémque illius domum pariter euerti. Cùm igitur hæc facias, nón-

mnibus amariora? Non ista te docuit Christus, non ita os tuum præcipit cruentari: quandoquidem oribus humanarum pastu carnalium cruentatis linguæ sunt huiusmodi sæuiores. Quî igitur fratrem salutas? quemadmodum dominicum sanguinem gustas? quî tu sacra mysteria attingis, tam dirum mente gerens venenum? Cùm enim dicas Deo, dirumpe viscera eius, domúmque subuerte, omniáque illius repentè disperde, cum mille illi impreceris interitus, nihil prorsus ab homicida differs, immo in nullo distas à fera quæ vesci hominibus consueuit. Quiescamus igitur ab hac ægritudine, vel furore: & beneuolentiam quam erga contristantes fratres imperat, ostendamus: vt patri nostro, qui est in cœlis, efficiamur similes. Quiescemus autem, si propriarum voluerimus meminisse culparum, si cum diligentia, cuncta in nobis studuerimus peccata disquirere, quæ & domi facimus & publicè, quæ in foro, quæ in ecclesia: & si non ob aliud prorsus, propter eam tamen quam hîc ostendimus negligentiam, extremas luere pœnas merebimur. Nam prophetis certè psallentibus, & prædicantibus Apostolis, & Deo nobis loquente erramus foris, ínque animum nostrum secularium inducimus negotiorum tumultus. Ac ne tantum quidem adhibemus Dei legibus silentium, quantum regiis edictis spectatores adhibent in theatris. Ibi quippe cùm leguntur hæ literæ, & præfecti, & consules, & senatus, & populus erecti stantes cuncti, maxima cum quiete audiunt quæ leguntur. Etsi quis inter alta illa silentia repentè prosiliens vociferetur, tanquam qui regis dignitatem violauerit, supplicia extrema persoluet. Hic verò cùm literæ cœlestes legantur, vndique resultant tumultus. Et certè ille qui misit ista præcepta, longè est rege sublimior, & theatrum illud honoratius. Non enim tantummodo homines, sed angeli spectant: & victoriæ ipsius præmia, quæ literis his nunciantur, multò sunt triumphis præsentibus magis stupenda & admiranda: propter quod non homines solum, sed & angeli, & archangeli, & populi cœlorum, cunctíque prorsus qui habitamus in terris, communem omnium laudare regem iubemur. Benedicite, inquit, Domino Psal.102.
omnia opera eius. Haud quippe sunt exigua quæ fecit, sed cuncta & sermonem, & intellectum, & mentem supergrediuntur humanam: & hæc quotidie prophetæ variis modis prædicant, & vnusquisque eorum eximie clarum hoc canit trophæum. Nam hic quidem dicit: Ascendens in altum captiuam † duxit captiuitatem, Psal.67. Ephes.4. Psal.23. duxisti captiuitatẽ, & accepisti dona in hominibus.) Esa.50. Ose.13. 1.Cor.15. Iohel.3. Zach.9. Matt.21.
dedit bona hominibus.] Et dominus fortis & potens, [dominus fortis] in prælio. Hic verò, & fortium, inquit, diuidet spolia. Venit enim vt prædicaret captiuis remissionem, & cæcis visum restitueret. Alter verò maximam canens de morte victoriam, ait: Vbi est, inquit, mors victoria tua? vbi est inferne stimulus tuus? Alius verò profundum pacis annuncians: Confringent, inquit, gladios in aratra, & lanceas suas in falces. Alter verò ad Hierusalem loquitur: Exulta vehementer filia Sion, prædica filia Hierusalem, quia rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum nouellum. Hic verò eius secundum prædicit aduentum, dicens: Veniet dominus quem vos quæritis, & quis sustinebit diem aduentus eius? Exultate sicut vituli à vinculis absoluti. Et rursus alter cum admiratione pronunciat: Hic est Deus noster, & nemo illi conferetur. Verum cùm hæc & alia plura dicuntur, quæ certè cum tanto nos oportebat mentis tremore venerari, vt nos in terra esse minimè sentiremus: tamen quasi in medio stantes tumultuamur foro, & confuso strepitu cuncta miscemus: ac de his quæ ad nos nihil attinent

hil attinent colloquentes, omne congregationis tem- A dum apparere quenquam: quidnam dicendum est de
pus impẽdimus. Cùm igitur & in exiguis, & in magnis, & auditu, & actu, & publicè, & domi, & in Ecclesia ipsa tam desides simus, póstque hæc omnia etiam aduersus inimicos impiè oremus: vnde quæso, habebimus spem salutis, qui tot tantisper peccatis etiam aliud additamentum sęuum, & quod prioribus istis est par, iniquam hanc precationem adiungimus? Adhuc ergo mirari dignum est, cùm aliquid nobis ex improuiso contingat aduersi, an potius mirari nos cõuenit, cùm non aliquid mali contigerit? Illud enim consequentia est omnino rerum, hoc verò extra spem, & omnem profectò rationem, vt scilicet inimici Dei, eúmque continuè ad iracundiam prouocãtes, Sole, ac pluuijs, aliíque ipsius beneficiis perfruamur homines, qui feras ipsas immanitate superantes, aduersum nos mutuò dimicamus, & assiduis morsibus proximorum membra lacerantes, fraterno linguam sanguine cruentamus, post spiritualem certè mensam, póstque tanta beneficia, ac mille promissa. B
Hæc igitur diligentius cuncta pensantes, euomamus malignitatis venenum, dissoluamus inimicitiarum nodos, & orationes nobis congruas Deo offeramus: próque feritate dæmonum, angelorum mansuetudinem colligamus. Et quantiscunque iniuriis affecti simus, nostra ipsorum delicta considerantes, atque mercedem pro hoc mandato repositam, sedemus iram, & tumentes animi fluctus, pacis tranquillitate reprimamus: vt & præsentem vitam absque conturbatione aliqua transeamus: & illuc profecti, talem experiamur Deum, quales ipsi erga conseruos existimus. Si verò graue istud atque terribile, leue illud atque desiderabile ignoscendo faciamus, & iamiam fiduciæ quæ ad Deum est, nobis ianuas recludamus. Quod quia non obtinuimus abstinendo à peccatis, hoc consequemur his qui in nos peccauerint remittendo: nequaquam enim istud onerosum est nec graue. Itaque etiam inimicis nostris beneficia præstantes, plurimam nobis ibi misericordiam C
præparemus. sic enim & secundum præsentem vitam cunctorum dilectione potiemur, & præ cæteris ipse omnium Deus & amabit nos, & coronabit, & futurorum bonorum possessione dignabitur. Quæ omnibus nobis contingat assequi, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Homilia xxi. ex cap. vi.

C VM *autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Gemere prorsus hoc loco, & amarum quiddam immugire nos cõuenit. Non solum enim hypocritas imitamur, sed illos quoque simulatione ipsa superauimus. Noui enim, plurésque noui non ieiunantes modo, ídque ipsum omnibus ostentantes: sed non ieiunantes quoque, & personam sibi ieiunantium nihi- D
lominus induentes, ac peccato ipso grauiorem sibi excusationem parantes. Ne, inquit, scandalizem multos; id facio. Quid agis? Diuina lex est ista præcipiens, & tu scandali mentionem facis? & custodiens quidem præceptum Dei, scandalizare te putas, transgrediens verò scandalis liberari? Et quid hac vecordia possit esse deterius? An non desines peior esse ipsis hypocritis, & duplici hypocrisi vti, & in isto tam fœdo vitio primas tenere? an non vereberis dictionis huius emphasim? Non enim tãtummodo simulant, dixit, sed amplius huiusce modi volens castigare figmenta, exterminant, inquit, facies suas, hoc est corrumpunt atque disperdunt. Si verò faciei corruptio est propter inanem gloriam palli-

1.Reg 16. & 2.Reg. 2. & 5.

Matth. 4.

que enim extendens dierum continuatione ieiunium, longius illud fieri iubet, sed admonet, ne ipsius ieiunij corona depereat. itaque quod solum videtur onerosum, hypocritis nobísque cõmune est. Nam & illi vtique ieiunãt: quod verò est leuissimũ, ne scilicet laborãtes mercede priuemur, hoc nobis Dominus imperauit, laboribus quidem nostris addens nihil, mercedem verò nobis cum omni congregans cautione: neque incoronatos sicut hypocritas abire permittens, atque illorum nos esse imitatores volens, qui in Olympio agone decertant: qui tanto certè populo confidente tantísque principibus, vni placere festinãt, victoriam scilicet eorum brauiis splendentibus honoranti: licet longè ille sit inferior. Tu verò quum duas habeas causas osten-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tandi illi victoriam, quia scilicet & solus ipse est, qui possit brauio honorare victorem, & absque collatione vlla spectantes omnes dignitate præcellit, te aliis ostentas, non modò te nihil iuuantibus, sed etiam multum profectò lædentibus: attamen ne hoc quidem, inquit, veto. Nam etsi etiam hominibus vis placere, expecta paululum, & ego istud tibi maiore copia, & cum maxima quidem mercede præstabo. Nunc etenim ab ea te istud quæ ex me est laude diuellit, vt contrà humanæ gloriæ neglectus despectúsque coniungit, per quod in futuro quidem plurima cum licentia laude omnium perfrueris: sed non mediocre tamen etiam hîc commodum capessurus, vbi & humanam hanc, præsentémque gloriam virtute proculcas, & à pessimo hominum seruitio liberaris, & idoneus operarius virtutis efficeris: nunc verò è regione si humanam gloriam concupiscis, etiamsi in deserto fueris, omni virtute eris destitutus, ac destitutus, non habens spectatores. quod certè maximam est iniuriam ipsi facere virtuti, si scilicet eam non propter ipsam, sed propter ærarios, funarios, & reliquum platearum vulgus sequaris. Vt enim te mirentur mali, & à virtute procul remoti, ad ostentationem, atque ad spectaculum tu ipsos quoque aduocas virtutis inimicos: quod certè tale est, quale si esse quispiam vtique velit pudicus, non vt pudicitiæ bonum impleat, sed vt placeat impudicis. Et tu igitur nequaquam elegisses vtique virtutem, nisi aduersariis eius placere voluisses, quam profectò hinc esse admirationi decet, quia à propriis quoque laudatur inimicis. Admirari ergo debemus eam, vt dignum est, non propter alios vtique, sed propter ipsam omnino virtutem: quia & nos quando nō propter nosmetipsos, sed propter alios amamur, huiusmodi dilectionem arbitramur iniuriam. Hoc igitur etiam in virtutis ratione considera, vt eam neque propter alios appetas, neque propter homines obedias Deo, sed propter Deum potius hominibus. Alioqui si virtutem etiam videaris sequi, nihilominus similis non sequenti, Deum in iracundiam concitasti. Sicut enim ille non faciendo inobediens fuit, ita tu non ritè faciendo. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Quia enim inanis gloriæ morbum fugarat, facilè iam contemptum habendi, & mundi consequenter inducit. Nihil quippe ita ad amorem diuitiarum, vt gloriæ cupiditas inflammat. Propter hanc namque homines, & seruorum greges, & eunuchorum cateruas, & equos aureis phaleris insignes, & argenteas mensas, & alia magna ridenda conquirunt, non vt expleant necessitatem, non vt capiant voluptatem, sed vt sese possint ostentare quamplurimis. Superius igitur tantummodo, quòd misericordem fieri oporteat: hîc verò & quantum misereri oporteat, ostendit dicendo: Nolite thesaurizare. Quia enim importunum erat inter ipsa initia dicendi de contemptu rerum subitò inferre sermonem propter quandam scilicet auaritiæ tyrannidem: paulatim id vitium resecat, ab eóque liberat ægrotantes, ac sensim animum auditoris ingreditur, vt & faciliùs recipi possit, & gratiùs: Propterea enim primò quidem ait, Beati misericordes: post hoc verò, Esto consentiens aduersario tuo: póstque illud, Si quis, ait, voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, da ei & pallium: hîc verò multo illis omnibus maiora commemorat. Nam ibi quidem dixit, quoniam si litem tibi videris imminentem, etiam illa quæ habes indulge: melius est enim iurgio liberari, quàm retinere materiam iurgiorum. Hic autem neque aduersarium, neque in iudicio certantem, neque alium quemquam omnino commemorans, docet ipsum per sese pecuniarum cōtemptum: ostendens quòd non tam propter eos in quos fit ipsa misericordia, quàm propter ipsos quos facere cohortatur, ista præcipiat, vt etiam si nemo fuerit lædens, atque in iudicium trahens, nihilominus præsentia contemnamus, eáque indigētibus ministremus. Et ne hîc quidem totum posuit, sed hîc quoque gradatim incedit, ac sensim, & certè cum magnum ostendisset in eremo super hac virtute certamen, attamen non ponit istud, neque adducit in medium. Nondum enim reuelandi ea tempus aduenerat: sed interim cogitationes cordis examinat, consultatoris magis quàm latoris legis vicem hoc sermone custodiens. Dicendo enim: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*, adiunxit, *vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur:* modo ostendit & terrenum hunc thesaurum noxæ facilè patētem, & cœlestem illum ab omni labe serenum, & tutissimū, vel de loco scilicet, vel de ipsa eminentia præmiorum. Nec tamen vsque ad ista tantum progreditur, sed alteram quoque rationem inducit: & in primis vnde plurimum metuunt, inde illos potissimum cohortatur. Ecquid, inquit, times ne decoquatur pecunia, si eleemosynam largiaris? Da igitur eleemosynam, & tunc pecunia non consumetur, quódque est amplius, non modò non consumetur ipsa, verumetiam maiora incrementa suscipiet. Nam illa quoque quæ in cœlo sunt habenda cōmemorat, quod licèt modò reticere videatur, postea tamen diligenter inculcat: nunc verò interim adducit in medium, quod eos maximè etiam poterat cohortari, quòd scilicet thesaurus eorum maneat inexpensus, & vtrinque eos ad studium miserationis inuitat. Non enim tantummodo ait, si thesaurum tuum in eleemosynam erogaueris, conseruasti, verumetiam è contrario comminando: nisi, inquit, erogaueris, perdidisti. Et considera ineffabilem sapientiam: non enim dixit, aliis illa dimittes, nam hoc quoque dulce nonnunquam homines existimant: sed eos potius aliunde deterret, videlicet ostendens, quoniam neque istud assequantur. Etsi enim homines, inquit, nequaquam isti thesauro possent nocere: sunt tamen alia profectò quæ noceant, tinea scilicet, & ærugo. quanquam enim capi facilè pernicies illa posse videatur, inexpugnabilis tamen est, nec cohiberi vnquam potest. Et quantalibet cōtra eiusmodi noxam requiras, nūquam illam valebis arcere. Quid igitur? aurum tinea corrumpitur? Nequaquam profectò, sed quod à tineis non consumitur, asportatur à furibus. Quid ergo? Omnésne spoliatos putamus? Et si nō omnes, sed certè quamplurimos: propterea quippe & aliam, vt paulò antè dixi, rationem inferens, ait: *Vbi fuerit thesaurus † tuus, ibi & cor tuum.* Etiamsi nihil, inquit, tale contingeret, non tamen exiguum patereris incommodum, terrenis rebus affixus, & seruus factus ex libero, & cœlestibus bonis excidens, nunquam de sublimibus cogitans: sed pecunias iugiter, & vsuras, & fœnus semper, ac lucra, & reditus tabernarum illiberales. Quo quid tādem queat infelicius inueniri? huiusmodi quippe deterius quàm quilibet seruus afficitur, tyrānidi huic sæuissimæ subiugatus: quæque omnibus potiora sunt, pariter abiiciens, propriæ scilicet libertatis ac nobilitatis insignia. Quantacunque enim tibi aliquis voluerit de veritate differere, mente pecuniis affixa, nihil ex vtilibus poteris audire: sed quasi quidam canis ad sepulchrum reuinctus, & tyrannide pecuniarum omni catena tenacius illigatus, adeuntes te atque poscentes latratibus tuis personas, vnum atque idem iuge opus exequens, vt aliis reposita conserues: quo quid vnquam possit miserius iudicari? Sed tamen quia hoc celsius erat, quàm vt ad illud auditorum mens possit ascendere, & neque custoditi thesauri damnum, neque contempti lucrum facilè poterat intelligi: sed opus erat sapientio-

hominis, ibi & cor ipsius.

re ac

posuit quidem istud post illa manifestiora, dicens: Vbi thesaurus hominis, illic & cor ipsius.)

re ac perfectiore sententia, quæ id vtrumque perpenderet: † sic quidem illa premisit, vt tamen postea manifestiora subiungeret. Vbi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit cor tuum.] Facit verò illud etiam alio sermone lucidius: à rebus quæ intellectu percipiuntur, ad res sensibus subiectas sermonem traducens, hisce verbis: *Lucerna corporis tui, est oculus tuus.* ac si diceret, Ne defoderis aurum tuum in terra, nec quicquam aliud eiusmodi: siquidem tineæ illa, & ærugini, ac furibus congregabis: si verò has aliquo modo pestes effugeris: tuum tamen cor seruitio subiugare, terræque affigere non omnino effugies. Vbi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Igitur si thesaurum tuum cōdideris in cœlo, non illum tantum fructum capies, quòd præmia illis reposita consequeris, sed magnam hic mercedem capessis, quòd illuc mente transgrederis, & ea quæ ibi sunt cogitas, déque illorum es possessione sollicitus. Vbi enim thesaurum tuum reponis, illuc transponis & mentem. Cæterum si id facias in terra, in ipsa proculdubio totus hærebis. Sed si obscurum putas esse quod dictum est, audi etiam cætera quæ sequuntur: *Lucerna corporis, est oculus. Si igitur fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Quòd si fuerit oculus tuus nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ?* Ad ea quæ sensibilia sunt, sermonem rursus adducit. Quia enim de animo iam dixerat in seruitutem iam & in captiuitatem redacto: hoc autem non à multis poterat intelligi, ad ea quæ extrinsecus sunt oculisque proposita, doctrinam suam transfert, vt ex istis etiam quæ de interioribus dicuntur intelligant. Si enim ignoras, inquit, quanta per hoc inferatur noxa menti, à corporalibus istud addisce. Quod enim oculus corpori, hoc intellectus est animæ. Vt enim nequaquam optes auro ornari, veste serica conspici, si sit oculis tibi carendum, sed horum proculdubio sanitatem desiderabiliorem rebus omnibus iudicares: quæ si tibi certè depereat, nihil te iam reliqua vita delectat: [quantò hoc magis pro oculis debes mentis efficere?] Sicut enim postquam corporalium oculorum lumen extinctum est, pleráque iam membra suo vsu ac officio carēt, lumine ipsis extincto, ita etiam mente cæcata, innumeris prorsus malis vita tua cumulatur. Quemadmodum igitur in corpore hoc maximè prouidemus, vt oculos habeamus incolumes: sic etiam in anima intellectus conseruemus salutem. Si verò cæcamus istum, quo aliis quoque debemus lumen inferre: vnde iam ipsi poterimus aspicere? Sicut enim qui caput ipsum fontis obstruxit, totum simul exiccauit & fluuium: sic etiam qui oculum mentis tenebris obduxit, omnes quoque vitæ istius actus vna confusione cæcauit. Propter quod ait: Si lumen quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt? Quando enim lucerna extinguitur, quando gubernator mergitur, quando dux ipse capitur, quæ tandem subditis supererit spes salutis? Propterea nunc quidem omisit dicere eas quæ diuitiis tenduntur insidias, lites, pugnas: quanquam superius memorauit, etiam ista dicendo, ne fortè aduersarius tradat te iudici, & hic ministro, & in carcerem mittatis: sed ponens his omnibus sæuiora, & quæ absque dubio semper accidunt, à maligna cōcupiscentia liberat audiētes. Etenim multò horribilius est mentem huic ægritudini mancipare, quàm carceris squalore macerari. Et alterum quidem non semper accidit, alterum verò indiuisibile habet cum pecuniæ cupiditate consortium. Et idcirco post illud istud locauit, vtpote pessimū & quod omnibus soleat accidere. Dedit enim nobis intellectum Deus, vt ignorantiam fugemus è mentibus, vt rectum teneamus iustúmque rerum iudicium, atque ad alia huiusmodi dirigamur: & contra diuersarum impugnationum varios incursus, hoc quasi quodam scuto vsi ac lumine maneamus innocui atque muniti. Nos verò tantum hoc Dei donum temerè prodimus, propter superflua ac vana prorsus. Quid enim prodest auratis armis milites refulgere, cùm ducitur rex ipse captiuus? Quod lucrum est ornatæ depictæque nauis, cùm ipsius mergitur gubernator? Quænam illa est bene compositi corporis pulchritudo, cùm facies oculos amisit? Quemadmodum igitur si medicum, cuius ad aliorum ægritudines depellendas sanitas necessaria est, ipsum in ægritudinem mittas, & in deaurato cubiculo, lectulóque argenteo iacere præcipias, nihil proficiet omnino languentibus: ita etiam si mentis principale corrumpens, quo scilicet ingruentibus potes vitiis repugnare, thesauro feceris assidere, non modo nihil omnino profeceris, sed totum prorsus animum læseris. Considerasti ne, quemadmodum propter quæ homines malitiæ maximè cupiditate capiuntur, per hæc ipsa præcipuè ab ea eos abducit, inque viam virtutis reducit? Cuius, inquit, rei gratia pecunias concupiscis? nónne vt voluptate ac deliciis perfruaris? Hoc quidem hîc penitus non habebis, immò è contrario hinc tibi erit afflictio maior. Si enim oculis effossis nulla ferè iucunditate mulcemur, propter miseriam quam de illorum priuatione sentimus: multo id magis in subuersione mentis & cæcitate perpetimur. Quam igitur ob causam thesaurum tuum terræ defodis? Vt diligentiùs, inquit, custodiatur ac tutiùs. Sed hic quoque contrarium tibi rursus occurrit. Sicut enim ad vanam gloriam & ieiunantem, & largientem, & orantem, per ea ipsa ab inani gloria retraxit, per quæ illi ipsius cupiditate etiam flagrabant, ac si diceret, quam ob causam ita ieiunas, oras, ac misereris? nempe quia gloriam hominum diligis. Noli igitur ita orare, & tunc eam in futuro maximam consequeris. Sic etiam pecuniæ cupidum, per quæ illam maximè diligebat, per ea ipsa ab eo studio dehortatur. Quid, inquit, cupis? nempe vt & tua pecunia conseruetur, & ipse delectationibus perfruaris. Hæc tibi equidem multo cum cumulo vtraque præstabo, si modò ibi reposueris thesaurum, vbi ipse præcipio. Apertiùs quidem in consequentibus læsionem mentis, quæ ex diuitiarum accidit amore patefecit, quando scilicet spinarum lacerationi eas comparauit. Verumtamen hîc quoque non obiter idipsum notauit: ostendēs eum qui illis fuerit deditus, tenebris esse circumdatum. Vt enim in tenebris ambulantes, nihil manifestè, verèque conspiciunt, (si enim funem viderint, serpentem putant: si inter montes ac prærupta deuenerint, emoriuntur pauore) sic etiam isti quæ non sunt metuenda visu præditis, ea suspecta habent. Nam pauperiem contremiscunt, immò non pauperiem tantum, sed etiam quantulumcunque dispendium. Nam si exiguum aliquid saltem amiserint, magis etiam quàm hi qui necessario victu indigent, lamentantur ac deflent. Multi igitur ex diuitibus istis etiam ad laqueum concurrerunt, nequam scilicet tantum mœrorem ferentes. Sed & iniuriam pati, ac detrimenti aliquid incurrere, ita illis intolerandum videtur, vt ob hoc quoque plurimi ab hac vita abrupti fuerint. Siquidem molles eos, & ad omnia prorsus infirmos diuitiæ reddiderunt, nisi quòd fortes in solo earum seruitio perseuerant: quando enim illæ sibi eos seruire compellunt, nec verbera, nec opprobria reformidant, non ignominiam prorsus vllam, non periculum capitis perhorrescunt: quod certè infelicitatis est extremæ: ad hæc quidem, in quibus philosophari decet, esse omnibus molliores: ad ea verò in quibus pudore opus est ac timore, impudentiores omnibus fieri,

Universidad de Deusto
Biblioteca

atque omnibus sæuiores. Tale enim aliquid hîc accidit, A quale est quod ille perpetitur qui pecuniam suam omnem in ea quæ non oportuerat impendit. Hic enim tempore necessarij sumptus imminente, non habens quod possit expendere, intolerabilia mala sustinet, malè iam omnibus quæ habuerat expensis. Et quemadmodum illi in theatro artium malarum periti, in ipsis quidem plurima & admiranda faciunt, & periculosa patiuntur: in aliis verò vtilibus necessariisque rebus imperitiores omnino cunctis, & irrisione sunt omnibus digniores: (nam qui supra funem per sublime tensum cum securitate gradientes tantam fortitudinem mentis ostendunt, cùm aliqua necessaria certè causa audaciam & fortitudinem flagitat, nihil prorsus virile non modò facere possunt, verumetiam cogitare) sic sunt profectò etiam isti locupletes, qui cùm omnia pro diuitiis audeant, pro philosophia non grande aliquid, non exiguum se sustinere patiuntur. Ac sicut illi periculosum opus exequuntur & vanum, & omnino infructuo- B sum: ita hi quoque pericula ac præcipitia sustinent multa, quæ omnia inutili fine clauduntur, & duplici caligine teguntur: hinc quidem mentis confusione cæcati, inde verò inanium curarum caligine obducti: propter quod nec facilè possunt ea quæ sunt discenda percipere. Qui enim noctis tenebris impeditur, statim vt radij solis affulserint, à tenebris liberatur. At verò captus oculis etiam sole vbique rutilante, noctem suam patitur: quod hi quoque profecto patiuntur qui ne sole quidem ipso iustitiæ tam splendido coruscante, eísque maximam ostendente lucem, ab animi sui tenebris liberantur, ita eorum oculos clausere diuitiæ. Propter quod & duplicem sustinent cæcitatem: vnam quidem quam patiuntur ex opibus, alteram verò quam perferũt dum obedire tali nolunt magistro. Obediamus igitur ei, & obediamus attentius, vt tandem aliquando visum recuperemus. Et quemadmodum te ad visum redire possibile est? si prius didiceris quo modo cæcatus sis. Quo C modo ergo cæcatus es? De mala vtique concupiscentia: amor siquidem diuitiarum, pupillam mentis tuæ quasi quidam malignus humor influxit, densámque iam nebulam prorsus operatus est. Sed & dirumpi atque dispergi hanc nebulam facile est, si scilicet radium doctrinæ Christi voluerimus exhortantem admittere, si illum audierimus exhortantem, atque dicentem: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Et quid mihi, inquis, prodest huiusmodi audire vocem, quando concupiscentiæ vinculis teneor adstrictus? Sed & ipsam certè concupiscentiam dissoluere poterit maximè assiduus auditus. Quod si illius nodis permanes obligatus, intellige quia non est concupiscentia amplius ea res. Quæ enim concupiscentia est seruire durissimæ seruituti, tyrannidi impotentissimæ subiugari, vinciri vndique angorum catenis, ac teterrimis animi tenebris obsideri, & turbationibus semper impleri, & infructuosis doloribus semper cruciari, atque aliis patrimonium re- D seruare, & frequenter inimicis? Qua ergo hæc tandem concupiscentia digna sunt, immò qua non fuga, quibus non cursibus relinquenda? Quæ tandem concupiscentia est, thesaurum inter fures recondere? Si enim omnino diuitias concupiscis, illas eò transfer, vbi & tutissimè permaneant, nec vlli violentiæ pateant. Quod verò nunc facis, non est diuitias amantis, sed seruitutis damna, doloréque continuos expetentis. Tu verò si aliquis tibi hominum tutum à fraude atque violentia demonstret locum, etiam si te in desertum educat pollicens securitatem ad recondendas pecunias, non cunctaris neque differs, sed committis ac coniicis eò pecunias. Cùm verò id tibi non homo, sed ipse certè polliceatur Deus: & non eremum tibi proponat vtique, sed cœlum, contraria magis recipis: sed etiamsi innumeris munitionibus in terra diuitiæ recondantur, nunquam tamen earum Dominus, vel potius seruus, curarum poterit morsibus liberari. Nam etiamsi nunquam eas fortasse perdat, nunquam tamen carebit timore perdendi. Ibi verò nihil prorsus tale patieris: & (quod est amplius) non modo defodis aurum, sed & seminas. Idem enim & thesaurus, & semen est, immò verò longè hoc vtroque præstantius: semen quippe non semper manet, hoc autem iugiter perseuerat. Hic thesaurus omnino non germinat, ille verò immortales tibi affert fructus. Si verò de ipso tempore, & redditionis dilatione conquereris, possum tibi & ego demonstrare & dicere: quanta etiam recipies in præsenti. Sed tamen his omissis, etiam ex his quotidianis, atque ad vitam necessariis te docere tentabo, vanas tibi excusationum materias requirentem. Multa quippe etiam in præsenti vita paras, quibus non es fruiturus: quæ si tibi aliquis opponat, filios tu illicò proferens ac nepotes, idoneam te habere credis & rationem, & consolationem laborum superuacaneorum. Cùm enim in extrema iam positus senectute, amplas ædifices & claras domos, quæ antequam perficiantur, sæpe tu emigras: cùm frequenter & arbores seras post longum certè tempus fructum daturas: cùm nouellis campum plantariis impleas, nunc est præsens quidem labor, sed post multos annorum circulos fructus futurus: sed & cùm patrimonia coëmis, & hæreditates, quibus dominari post grande tempus expectas: cùm alia quoque istiusmodi plurima paras, de quibus cùm laborem maximum sentias, nullum fructũ interim capessis, putásne propter temetipsum ista, an propter alios facis, qui post te vtique etiam victuri sunt? Quemadmodum igitur non extremæ vecordiæ est, hîc quidem propter dilationem temporis nihil cunctari, nec animum despondere, & hoc certè cùm multos per annos expectantes, laborum nostrorum fructibus excidamus: ibi verò propter dilationem istam laxari, atque marcescere: cùm certè maius tibi absque dubio lucrum conferat ipsa dilatio, nec ad alios bona à te expectata transmittat, sed tibi omnia certè tradenda custodiat. Præter hæc autem nec longa est ipsa dilatio. Est quippe res ista in foribus, & omnino nescimus an etiã nostra ætate hæc omnia finiantur, & dies ille metuendus adueniat, qui horribile illud & seuerum nobis ostẽdat tribunal. Nam & signa multa prorsus impleta sunt, & Euangelium toto iam ferè orbe personuit: & prælia, & terrarum tremores, & fames, vt prædictum fuerat, acciderunt, nec grande iam interuallum est. Sed non vides signa. At hoc ipsum quidem signum est maximum. Neque enim sub Noë quondam vlla totius mundi generalis interitus indicia viderunt: sed inter epulandum atque ludendum, inter ædificationes domorũ, & lætitias nuptiarum, intérque opera ista solita subitò deprehensi sunt ab illa vltione terribili. Similiter in Sodomis cùm deliciis soluerentur, cùm criminibus polluerentur, nihilque eorum quæ sunt facta prospicerent, dilapsis cœlo fulminibus exusti sunt. Quæ omnia considerantes, ad eam nos qua hinc abscessuri sumus profectionem paremus. Nam licet communis illius consummationis nondum instet dies, peculiaris tamen vniuscuiusque nostrum finis in proximo est. Et si enim senex sit aliquis, & si adolescens, morti tamen in qualibet ætate vicinus est. Nec licet postquam hinc migrauerimus, neque oleum emere amplius, neque impetrare veniam: etsi Abraham pro nobis roget, etsi Noë, etsi Iob, etsi Daniel. Dum igitur est tempus in manibus, plurimam nobis apud Deum fiduciam præparemus, misericordiam

Genes. 7. Matt. 24. Luc. 17. Genes. 19.

misericordiam nobis largissimam congregemus, no- A stráque omnia transferamus in cœlum: vt opportuno tempore, quando eis maximè indigemus, omnibus perfruamur, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXII. EX CAP. VI.

NEMO *potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet.* Vides vt paulatim à præsentibus auditorem rebus abducat, pérque multa sermonem de contemptu habendi inferens, tyrannidem cupiditatis extinguat. Neque enim ea quę superius ait, dixisse contentus est, & certè cùm multa & magna sint: sed alia quoque plura & terribiliora subiungit. Quid enim his quæ nunc dicta sunt, terribilius est, quàm si propter pecunias, Christi etiam seruitio dicamur excidere: vel desiderabiliús, quàm si despectu pecuniarum tota illi possimus mente & dilectione coniungi? Quod enim dicere semper soleo, id nunc rursus admoneo, quòd scilicet auditorem ad eorum quæ dicit obedientiam etiam per aduersa compellat, non solum scilicet per ista quæ prosunt, verumetiam per illa quæ lædunt: sicut optimus quispiam medicus, qui & ex negligentia ægritudinem ostendat esse secuturam, & ex obedientia sospitatem. Considera igitur quantum hîc lucrum rursus ostendat, & quemadmodum vtilitatem de aduersariorum liberatione & deuitatione conficiat. Non, inquit, hoc solo vobis diuitiæ nocent modo, contra vos latrocinantium armant manus: nec quia magno cum cumulo intellectum vestrę mẽtis obtenebrant, verumetiam quod vos à seruitute Dei diuellunt, & rei mortuæ, pecuniarũ scilicet captiuos efficiunt, satis proculdubio ex vtroque lædentes, dum & earum vos seruitio subiugant, in quas oportuerat exercere dominatũ, & à Dei vos obsequio excludunt, cui supra omnes profectò seruire, & necessarium est etiam vobis, pariter & commodum. Sicut enim duplex damnum esse perdocuit, hîc quidem recõdere vbi ærugo & tinea demolitur: ibi verò non reponere, vbi incorruptibilis thesaurus manebit: ita hîc quoque geminum in auaritia posuit detrimentum, & hoc scilicet, per quod à Deo retrahit, & illud per quod sub iugo mammonæ premit. Nec tamen statim apertè illud posuit, ac nudè, sed primò de communium illud sensuum assertione construxit: ait quippe, *Nemo potest duobus dominis seruire.* Duos hîc esse dicens contraria imperantes, quod nisi intelligas, ne duo quidem sint. Nam & illius quæ in Christum crediderat multitudinis erat cor vnum, & anima vna. Et certè cùm in corpora illi essent multa diuisi, sed concordia tamen vnum fecit ex plurimis. Deinde vt quod dicit cumulet, non solum, inquit, non seruiet, sed & odio habebit & auersabitur. *Aut enim*, inquit, *vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet.* Et videtur quidem idipsum esse repetitum, sed nequaquam aut ociosè, aut redundanter hoc posuit: verumtamen vt ostenderet, quia facilis est ad meliora mutatio. Ne enim diceres, semel iam sum seruitio subiugatus, & tyrannide pecuniarum grauiter oppressus, ostendit non impossibile esse conuerti: & quemadmodum inde huc ventum est, ita hinc quoque illuc posse rediri. Cùm hoc igitur sine vllius dixisset significatione personæ, quò videlicet auditori facilius persuaderet, æquum ad ea quæ dicerentur afferre iudicium, & ex ipsa rerum natura sentẽtiam ferre: postquam illum ad sibi cõsentiendum parauit, tum demum etiam se reuelat, intulit quippe: *Non potestis* Deo seruire & mammonæ. Hoc loco & animo prorsus toto perhorrescamus & corpore, intelligentes istud quod Christum dixisse memorauimus, ex aduerso scilicet Deum aurúmque consistere & componi. Si igitur istud sono quoque sermonis horribile est, quantò est horribilius, cum ipsis operibus tyrannis auri, Dei timori præfertur? Quid ergo apud veteres? nónne hîc ipse auri potentatus vigebat? Nequaquam: * ait enim, Quo modo Abraham, quo modo etiam Iacob placuerunt Deo?] At noli tu mihi contra hanc sententiam proferre diuites, sed diuitiis seruientes. Alioquin etiam Iob erat quidem dives, non tamen pecuniæ seruiebat, sed habebat diuitias, eísque vt congruit, imperabat: nec erat famulus earum profectò, sed dominus. Sicut enim alieni patrimonij dispensator, ita illa omnia possidebat, non modò aliena non rapiens, sed propria quoque indigentibus largiens, quódque his maius est, nec habere se illa gaudebat, quod hinc intelligitur. Si lætatus sum, B inquit, quia mihi essent multę diuitiæ. Vnde etiam consequenter, quia gaudium de possessione nõ habuit, dolorem de amissione non pertulit. At non tales nostra sunt ætate locupletes, sed captiuis omnibus deterius affecti: & sicut cuidam tyranno tributa pendentes, non quiescunt à miseria seruitutis. Quasi enim arcem quandam, ita eorum mentem amor auri insedit. Vnde per dies singulos præcepta eis plena iniquitatis imponit, nec est omnino aliquis qui non obediat imperanti. Noli igitur ex superfluo argumentari: semel siquidem pronunciauit Deus impossibile esse dicens vtrunque hoc simul esse seruitium. Ne ergo tu dixeris hoc esse possibile. Quando enim te vnus dominus propriis quoque exui iubet, alter verò etiam aliena diripere: quando ille tibi imperat castitatem, iste luxuriam: quando hic tibi castigationem ventris indicit, ille ebrietatem atque delicias: quando te alter omnia ista iubet despicere, alter verò inhærere, atque inhiare præsentibus: cùm hic quidem præcipit lecta marmora, parietes pictos, & laquearia deaurata mirari: ille verò inhorrescere huiusmodi omnia, & veræ philosophiæ pulchritudinem, ac morum ornamenta suspicere: quemadmodum possibile est tam contraria hæc pariter conuenire? Dominum hîc autem mammonam, id est pecuniam nuncupauit, non ob propriam ipsius vtique naturam, sed ob eorum miseriam, qui se ad illius inclinauêre seruitium. Sic etiam ventrem Apostolus appellat Deum, non vtique à dignitate dominantis, sed ab infœlicitate famulãtium. Quod supplicio certè omni etiam maius est, satísque idoneum, etiam ante pœnam punire captiuum. Quibus enim captiuis non infœliciores etiam putandi sunt, qui cùm dominum habeant Deum, ab illo rege mitissimo recedentes, tyranno se huic sęuissimo dederunt, & hoc cùm nobis etiam in præsenti ista res noceat? Nam & damna ea ex re ineffabilia contingunt, & lites frequenter & calumniæ, atque certamina, & assidui labores, & C cæcitas mentis: quódque est grauius, etiam bonorum nobis cœlestium per hæc infertur amissio, † quæ solo certè possumus Dei seruitio promereri.] Cùm igitur ex his omnibus ostendisset, quàm esset vtilis despectus pecuniarum etiam ad pecuniarum custodiam, & ad animæ voluptatem, & ad virtutem tenendam, & ad pietatis, quæ erga Deum est munimentum: conficit iam possibile esse quod præcepit. Hoc est quippe optimæ legis insigne, non vtilia tantummodo, verumetiam possibilia sancire: propter quod intulit, dicens: *Nolite cogitare animæ vestræ quid manducetis.* Ne ergo dicerent, quid ergo si abiiciamus omnia, quo modo poterimus vitam sustentare? idcirco huic contradictioni opportunè rursus occurrit. Sicut enim si inter principia ipsa dixisset,

Gen. 31. Gen. 33. Iob 1. & vlt.

* Quo modo igitur, inquis, Abraham, quo modo etiam Iacob splendidi & celebres fuerunt?) Iob 31.

Philipp. 3.

† quod quidem est seruitus Dei.)

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nolite de cibo esse solliciti: sermo absque dubio esset A oneroſus: ita postquam ostendit miseriam, distentionémque animi de pecuniæ amore nascentem, cohortationem suam reddidit faciliorem: propter quod ne nunc quidem simpliciter ait, Nolite esse solliciti: sed prius adiecit & causam, sicque illud vtique præcepit. Postquam enim dixit: *Non potestis Deo seruire & mammonæ*, intulit, *propterea dico vobis: Nolite solliciti esse*. propterea, quare? propter ineffabile detrimentum. Non solam enim noxam in pecuniis, inquit, verumetiam plagam in rebus, & quidem principalibus sentietis, ac propriæ etiam subuersionem salutis. Siquidem vos excludunt à Deo qui vos creauit, & tuetur, & diligit: propterea dico vobis nolite solliciti esse. Quia enim inæstimabilem esse noxam monstrauerat: consequentissimè præceptum quoque ipsum, quo aduersus illam armemur, extendit. Neque enim tantummodo ea quæ parta sunt abiici iubet, verum ne super necessario quidem cibo esse sollicitos, dicens: *Ne solliciti sitis animæ vestræ* B *quid manducetis:* non quia anima indigeat cibo, cùm sit incorporea profectò, sed iuxta communem hoc est morem locutus. Et si enim alimentis ipsa non indiget, non tamen potest permanere in corpore, nisi vtique alimenta sumente. Cùm igitur de cibo eos curare vetuisset, nequaquam illud inexpletum reliquit: sed magis adhuc, ac magis animos commouet audientium: tum quidem his quæ in nobismetipsis gerimus, tum verò illis, quæ sunt exterius exemplis. Et de his quidem quę in nobis sunt, ita differens: *Nónne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum?* Qui igitur hoc quod maius est tribuit, quo modo non etiam quod minus est largietur? Qui formauit carnem alimentis egentem, quo modo non etiam alimẽta præstabit? Propter quod non simpliciter ait, Nolite solliciti esse quid manducetis, aut quid induamini: sed omnino signanter animæ, inquit, & corpori: quia ex ipsis erat vtique per comparationem probaturus superfluum esse de victu vestitúque curare. Et idcirco sermonem suum vtriusque substantię muniuit exemplo. Sed animam quidem qualem semel dedit, talis & permanet: corpus verò vsque ad sui mensuram quotidianis diebus augetur. Deinde proprium indicans vtriusque naturæ, & vnius immortale asserens, alterius temporale: intulit dicens, *Quis ex vobis potest addere ad staturam suam cubitum vnum?* Nam de anima quidem conticuit, vtpote quæ incrementa non caperet, de corpore autem solo disputauit. Ex quo etiam istud ostendit, quia corpus ipsum non tam alimonia sui crescat, quàm prouidentia conditoris. Quod etiam per
1. Cor. 3. alia demonstrans Paulus, aiebat: Igitur neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incremẽtum dat Deus. Ab his igitur quæ in nobis sunt, ita est cohortatus, ab aliis verò exemplis. *Aspicite*, inquit, *volatilia cæli*. Ne quis enim diceret, prodest nobis esse sollicitos: & ex maioribus & ex minoribus ipsos à sollicitudine dehortatur. A maiorum quidem parte, cùm & animi eos D & corporis admonuit: à minorum verò, cùm ad auium misit eos exemplum. Si enim etiam longè inferiorum tantam se ostendit Deus habere curam: quemadmodum, inquit, vobis necessaria ista non tribuet? Et ad
Matth. 4. istos quidem hoc modo: erat enim vulgus auditor: diabolo autem longè aliter omnino respondit: Non in pane solo, inquit, viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Hic verò etiam volucrum exemplum, & maxima quidem cum increpatione proposuit: quod certè in cohortationis ratione validissimum est. Sed intantum quidem impiorum processere dementię, vt hoc ipsum reprehendere non vereantur exemplum. Est, inquiunt, prorsus incongruum, vt ille qui voluntatem in audientibus suscitabat & præparabat, naturalium ad hoc rerum exempla proferret, quibus quippe hoc ineſt natura. Quid igitur ad ista dicemus? quia videlicet etsi illis hoc iuxta naturam ineſt, nobis tamen idipsum possibile est etiam adesse per studium voluntatis. Non enim dixit, respicite quia volant aues, quod nobis certè impossibile est prorsus imitari: sed quòd absque sollicitudinis suæ præparatione pascantur, quod nos quoque si volumus, facilè quimus implere. Et hoc illi ostenderunt profectò, qui istud operibus executi sunt: propter quod dignum est docentis sapientiam magis magisque mirari: qui cùm hominum proponere posset exempla, & Mosem, & Heliam, & Ioannem, Exod. 34. & Deut. 9. cæterósque proferre, qui eorum similes de victu non 3. Reg. 19. fuerunt solliciti: vt magis audientium conscientias ver- Matth. 3. & Marc. 1. beraret, de irrationalium illos securitate commonuit. Si enim iustos illos memorare voluisset, dicturi isti cõtinuò fuissent, nec dum ad eorum virtutis cacumen B ascendimus. Nunc verò istos quidem reticens, & cœli eis volatilia proponens, omnem prorsus occasionem huiusmodi contradictionis incidit. In hoc quoque legem imitatus antiquam. Nam vetus quoque lex & ad apem homines, & ad formicam remittit, sed & ad turturem aliquando & ad hirundinem. Verùm hoc quo- Indic. 14. & Prou. 6. que grande documentum est, ad honorem qui in liber- Eccles. 11. & 30. tate est hominis exprimendum: quandoquidem quod Psal 81. illa habent lege naturæ, hoc nos assequi possumus vo- Hier. 8. Esa. 38. luntate. Si igitur etiam illorum quæ propter nos vtique creauit, tantam Deus curam gerit, multo potius nostri: si seruorum, multo magis Domini. Ideo dixit, Respicite volatilia, & non ait, quę non cauponum, ac negociatorum more viuunt: hæc enim desperatorum omnino professio est: sed quid? non seminant, inquit, nec metunt. Quid igitur? Non oportet, inquies, seminare? Nõ dixit quòd seminare non debeas, sed quòd sollicitus hinc atque anxius esse non debeas: nec ait, non opor- C tet operari, sed quòd pusillanimum esse non oporteat, & curarum angore distendi. Nam & cibo refici vtique iussit, sed nequaquam de hac esse necessitate sollicitos. Hinc & beatus Dauid sermonem porrò antè præmisit, sub quadam idipsum exprimens ænigmatis figura: Aperis tu, inquit, manum tuam, & imples omne animal Psal. 144. benedictione. Et rursus: Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Et quis, in- Psal. 146. quit, aliquando istius curæ mansit immunis? Non audisti quot viros, & quanto iustitiæ nomine pollentes protulerim? Non vides in illis patriarcham Iacob pudum ex patria profectum domo? Non audis orantem illum, atque dicentem? Si dederit mihi Deus panem ad man- Genes. 28. ducandum, & vestem ad operiendum: quod certè non erat sollicitudinem gerentis, sed à Deo cuncta quærentis. Hoc etiam Apostoli perfecerunt, omnia quæ habe- Matt. 19. bant subitò relinquentes, & rerum simul, curarúmque onera ponentes. Hoc etiam quinque illa millia, & illa Act. 2. tria millia. Sin verò tot verba audiens, nihilominus retrahis assensum, ne his profectò molestissimis sollicitudinum vinculis libereris, intellige nihil tibi profuturam esse hanc ipsam, quam de curarum nodis pateris ærumnam: & sic saltem sollicitudinum tuarum vincula dissolue. *Quis enim*, inquit, *potest ex vobis sollicitè cogitando adiicere ad staturam suam cubitum vnum?* Vidistíne quemadmodum ex hoc quod apertum est, illud etiam quod occultum erat, fecerit esse perspicuum? Sicut enim corpori, inquit, ne exiguum quidem augmentum sui potes adiicere curando, sed absque tua sollicitudine illius incrementa consequeris: ita nec te oportet alimoniam congregare, etsi tamen vel sic eam putaueris congregandam. Ex quo profectò manifestum est nequaquam

quam nostra industria, sed prouidentia Dei etiam ea A perfici, in quibus ipsi videmur operari. quòd si ille nos deserat, non sollicitudo vlla, non cura, non labor, nec quicquam horum aliud apparebit: sed cuncta prorsus infœliciter laborata, & effusa inaniter vanescent. Ne igitur opinemur impossibilia esse præcepta. plurimi
2. Reg. 19. & Rom. 11. quippe sunt, qui etiam nunc ista perficiant. Si verò istud ignoras, nihil omnino mirandum est. Nam & Helias se esse iam solum putabat, sed audiuit à Domino, quoniam reliqui mihi septem millia virorum. Ex quo perspicuum est, quòd nunc quoque multi sunt Apostolicam vitam tenentes, sicut quæ paulò antè dixit quinque millia, & tria millia credentium illa. Si verò tales modò esse non credimus, non quia desunt qui ista perficiant, sed quia longè nos ab illorum virtute distamus. Sicut ergo ebrietatis cùm aliquis vitio obsessus est, difficilè omnino credit: esse quempiam hominum qui ne aquam quidem gustet, cùm certè plurimi id apud nos monachi fecerint: & sicut ille qui cum mille meretricibus B voluptatur, virginem quenquam permanere posse desperat: & vt alienorum raptor, etiam propria quenquam facilè contemnere posse non annuit: ita & qui mille curarum languoribus quotidie contabescunt, non facilè accipiunt hanc quæ à saluatore præcipitur, in aliis esse virtutem. Nos verò, quòd multi istud impleuerint, ipsorum quoque qui etiam nostra ætate iuxta Euangelium philosophantur, possumus exemplis docere. Sed vobis interim satis esse poterit si non appetere discatis aliena, & misericordiæ opera complere, ac ex his quæ suppetunt, aliis erogare. Hæc enim si feceris dilectissime, citò etiam ad illa proficies. Nunc interim abundantiam, atque omne quod superfluit deponamus, simúsque maximè mediocritate contenti, atque dicamus omnia quibus opus habemus de iustis operi-
Lucæ 3. bus & laboribus possidere: quia & beatus Ioannes: quando his qui vectigalibus exigendis vacauerant differebat, & his qui militiam exercebant, eos stipendiis C suis esse contentos iubebat: volebat quidem etiam ad aliam eos celsiorem philosophiam prouocare. Verùm quia nondum ad eam apti erant, saltem minora dicebat, ne vtique si eis eminentiora suasisset, nec illa fuissent secuti, & hæc forsitan perdidissent. Propterea igitur & ipsi in his nos adhuc inferioribus exercemus. Nouimus quippe, supra nos esse interim amorem ex toto contemnere possidenti. Quantum enim cœlum à terra, tantùm illa philosophia distat à nobis. Apprehendamus igitur saltem extrema hæc & minima præcepta, nec ipsa enim exigua consolatio est. Et certè Græcos quosdam istud scimus impleſſe, quamquam non quà debuerant animi sententia propria respuerint. Verum nos sufficere interim credimus si misericordia à vobis larga præstetur: cito enim etiam illuc peruenire poterimus, si ad hoc fuerimus antè progressi. sin autem ne hoc quidem fecerimus, quo tandem non digni iudicabimur esse supplicio? Qui cùm veteris testamenti iustos D superare iubeamur, inferiores etiam gentilium philosophis inuenimur. Quid ergo dicemus, qui cùm Angeli, ac Dei esse filij debeamus, ne hoc quidem nobis vt videamur homines esse seruamus? Rapere enim & inuadere violenter aliena, non humanæ mansuetudinis, sed immanitatis est belluarum: quinimmo ipsis quoque deteriores sumus, qui in aliena impetum facimus. Illis enim hoc naturaliter insitum est, nos verò qui ratione honorati sumus, & tamen in eam quæ præter naturam est, excedimus vilitatem: qua tandem venia digni esse poterimus? Considerantes igitur propositæ nobis philosophiæ mensuras, vel ad media peruenire properemus, vt & à supplicio liberemur futuro, & virtutum iter continuò carpentes, ad fastigia bonorum ipsa veniamus: quibus omnes nos contingat potiri gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIII. EX CAP. VI.

CONSIDERATE *lilia agri quo modo crescunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua vestitus est sicut vnum ex istis.* Postquam de necessario disputauit cibo, & ostendit quòd nec super hoc quidem nos oporteat esse sollicitos, transit ad leuius. Neque enim ita per omnia vestimentum necessarium est vt alimentum. Cuius igitur rei gratia non hîc quoque eodem est auium vsus exemplo? Cur non ex auibus pauum nobis proposuit, aut cygnum, vel ex pecoribus agnum? Multa quippe ex hoc animantium genere sumere exempla potuisset. Quia scilicet vtrinque cumulum voluit exaggerationis attollere, & ab herbarum scilicet vilitate, quæ tanto tamen adornantur decore, & ab illius pulchritudinis dignitate quæ splendet in floribus: [minus enim exquisitæ vestis ambitum depreciaret, si ei non ornata solum verumetiam animata præponeret] & idcirco postquam ista confecit, non iam lilia, sed agri illa fœnum vocauit. Et ne hac quidem appellatione contentus, rursus aliam quoque illis addit vilitatem. *Quod*, inquit, *hodie est*: & non dixit, cras verò non est: sed multò adhuc inferius ac vilius, *& cras*, inquit, *in clibanum mittitur*. Nec dixit Deus illa vestit, sed, *Deus illa sic vestit*. Vides certè multos exaggerationum cumulos, magnáque elationis augmenta. Hoc autem facit, vt eos magis magisque castiget: propter quod intulit, *Quanto magis vos:* multam quippe hic sermo vim continet. quod enim dixit, vos, nihil egit omnino aliud, quàm vt ostenderet quanto genus humanum Deus honore cumulauerit, quantam etiam eorum curam gerat salutis: ac si diceret, Vos, quibus rationalem animam dedit, corpúsque formauit, vos, propter quos fecit omnia quæ videntur, propter quos misit Prophetas, legémque constituit, propter quos bona operatus est innumera, propter quos etiam vnigenitum filium suum dedit. Et quum manifestè ista monstrauisset, meritò eos postea corripit, dicens: *modicæ fidei*. Talis est qui præcipit, non suadet solum, sed & increpat, vt magis excitet audientes ad eorum quæ dicuntur assensum. Per hæc verò non modò docet, nequaquam debere esse sollicitos, sed nec obstupescere & admirari vestimentorum luxum & sumptum, quandoquidem pulchritudo florum, & decor varius herbarum, ipsúmque omnino fœnum amictu tali inuenitur preciosius. Cur igitur ex his in superbiam mentis erigeris, in quibus perfacile de te obtinet etiam herba victoriam? Et vide quemadmodum ab initio leue ostendat esse præceptum, dum per aduersa rursus, pérque illa quæ maximè timent, eos ab his deducit. Cùm enim dixit, considerate lilia agri, intulit: Non laborant. Igitur volens nos à laboribus liberare, hæc ipsa præcepit. Non itaque de his rebus non curare labor est, sed labor est profectò curare. Et sicut dicendo non seminant, haud semina excluſit, sed curarum onera decussit: sic etiam cùm dixisset, non laborant, neque nent: non opus, sed sollicitudinem sustulit. Si autem Salomon ipse florum decore superatus est, & non semel aut iterum, sed tota prorsus illa qua regnauit ætate. Non enim potest quispiam dicere, quòd nunc quidem pulchritudinem florum splendore vestis æquauit, nunc verò candore eorum vel fulgore superatus est, sed ne vna quidem die tanto est splendore decoratus. Hoc enim omnino si-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ghificauit, dicendo: In omni regno suo: nec ab vno quidem flore victus, alium verò inuenitur imitatus, sed omnibus pariter cessit: propter quod ait, sicut vnum ex istis. Quantum enim distat à veritate mendacium, tantùm illorum amictus, & horum quoque florum discrimen interiacet. Si ergo ille, inquam, victum se esse confessus est, qui cunctos certè qui vnquam fuere reges claritate superabat: quando tu poteris vincere, vel proximus huic tãtæ pulchritudini aliqua ex parte consistere: Hic etiam nos admonet, ne huiusmodi ambiamus decorem. Respice namque finem eius: in ignem post victoriam mittitur. Si autem erga hæc villa, nec vllo prorsus digna sermone, neque magno vsui necessaria, tantam prouidentiam creator ostendit: quando te negligere poterit atque despicere, animal longè omnibus, quæ propter te vtique creauit, honoratius? Cuius verò rei gratia, tanto etiam herbas decore vestiuit? vt suam scilicet sapientiam creator ostẽderet, copiámque virtutis vt vndique illius gloriam diceremus. Nõ enim
Psal. 18. Psal. 148. cœli tantummodo gloriam narrant Dei, verumetiam terra. Nam hoc quoque Dauid ipse dicit in Psalmo: Laudate Dominum ligna fructifera, & omnes cedri. quippe de fructu, alia de magnitudine, alia de decore laudem creatori videntur emittere. Id autem ipsum maximas profectò designat diuitias sapientiæ, quando etiam in hæc quæ sunt vtique vilissima (quid enim vilius quàm hodie quid esse, cras verò desinere?) tantum decoris effudit. Si igitur fœno dedit quod nulli vsui esset futurum (quid enim ad ignis alimoniam florum pulchritudo confert?) quemadmodum tibi non dabit, quod vtique necesse est ad vsum, qui illud quod omnibus rebus est vilius, tam abundanter ornauit? Et hoc non ad aliquem, vt dixi, vsum faciens, sed diuitias suæ liberalitatis ostendens: multò magis te omnibus certè honoratiorem in his quæ ad vsum pertinent, honorabit. Cùm igitur ostendisset plurimam esse erga homines prouidentiam Dei, cúmque iam oporteret vir-
gam eis correctionis adhibere, parcè etiam istud exequitur: non enim infidelitatem eis imputat, sed fidei paruitatem. *Si enim*, inquit, *fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quantò magis vos*
Ioan. 5. Ibidem 1. *modicæ fidei?* Atqui omnia ista ipse operatur: Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: & tamen nusquam aliquid de se adhuc commemorat. Sufficiebat quidem ad ostendendam interim authoritatem suam dicere per singula quæque præcepta: Audi-
Matth 5. stis quia dictum est antiquis, ego autem dico vobis. Nequaquam ergo mireris, cùm etiam post ista vel oculit semetipsum, vel aliquid de se humilius enunciat. Vnum enim interim illud studet, vt facilius illi possint capere sermonem, per quæ cuncta ipse demonstret, non se esse aduersarium quendam Dei, sed consentientem & conuenientem patri per omnia: quod eum hîc quoque feciſſe perspicimus. Cùm enim tam multa iam dixerit, ipsum tamen adhuc solum & persæpe memora-
Matth 5. uit, sapientiam prouidentiámque eius admirans: vtpote omnium rerum curam gerentis, magnarum scilicet atque minimarum. Nam & cùm per Hierusalem iurare
Matth 5. prohiberet, ciuitatem illam magni regis vocauit: &
Matth 5. quando per cœlum, Dei illud appellauit thronum. Et cùm de mundi administratione loqueretur, ipsi omnia prorsus adscripsit, dicens: Qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Et
Ibidem. in oratione nos docuit confiteri, quoniam ipsius sit regnũ, & potẽtia, & gloria. Hîc quoque cùm de eiusdem prouidentia disputaret, & ostenderet, quemadmodum etiam in minimis optimum impleret artificium: qui fœnum, inquit, sic vestit: nec adhuc vspiam suum illum,
A sed eorum patrem vocauit, vt & honore percellat: néve quum suum patrem appellauerit, indignè ferant. Sin verò de vilibus necessariisque rebus non oportet esse sollicitos, qua tandem digni venia iudicandi sunt, qui curam suam multo precio coemptis & superfluis omnino rebus impendunt? immo qui erunt venia digni, qui nec somnum quidem capiunt, dum aliena diripiant? *Nolite ergo*, inquit, *esse solliciti, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt.* Vidisti nempe quemadmodum eos rursus & amplius increparit, & manifestius docuerit, quòd nihil vel onerosum præceperit, vel molestum. Sicut enim paulò antè cùm diceret: Si diligitis dili- Supra 5.
gentes vos, nihil eximium facitis: nam & gentes hoc faciunt: commemoratione gentilium eos ad id quod erat perfectius incitauit: ita nunc quoque eadem adducit in medium, corripiens & ostendens necessarium se à nobis debitum flagitare. Si enim amplius nos quàm
B etiam scribas atque pharisæos oportet efficere, qua pœna videbimur esse digni, qui non solum illos non vinculis, sed in vilitate quoque gentium permanemus, eorúmque pusillanimitatem imitamur? Verùm non vsque ad correptionem tãtummodo sermone progressus est, sed cùm eos seuerius castigasset, pérque hoc etiam suscitasset, plurimúmque in eis succẽdisset pudorem, consequenter illos aliunde solatur. *Nouit enim pater vester cælestis, quòd his omnibus indigeatis.* Non dixit nouit Deus, sed nouit pater vester: vt eos profectò ad spem certiorem vocaret. Si ergo est pater vester, & talis pater, nequaquam profectò patietur despici à se filios mala vltima sustinentes, quando ne homines quidem patres hoc aliquando patiuntur. Sed aliam quoque præter hanc intulit rationem, dicendo quòd his omnibus indigeatis. Quod verò dicit, eiusmodi est: Nunquid superflua ista sunt, vt ideo iure contemnere queat? Atqui herbas quoque ne in superfluo quidem despexit orna-
C tu: nunc autem ista necessaria sunt. Quam ergo tu opinaris causam tibi esse curandi, hanc ego idoneam esse dico, quæ te ab omni liberet intentione curarum. Si enim dixeris, propterea me oportet esse sollicitum, quia sunt necessaria: ego è regione respondeo, propterea non oportet esse sollicitum, quia sunt vtique necessaria. Si enim essent superflua, non ita deberes de eorum præstatione confidere: nunc verò quia necessaria sunt, prorsus non oportet ambigere. Quis enim pater inuenietur aliquando, qui liberis suis necessaria quidem se non præstare patiatur? igitur ob hoc quoque procul dubio Deus ista præstabit, quia naturæ creator ipse est, & satis plenè quorum illa indigeat, agnoscit. Nam ne hoc quidem poteris opponere, quòd sit quidem pater, sint etiam necessaria quæ à filiis requiruntur: ignoret autem ille quòd in eorum simus indigentia constituti. Est enim omnino clarum, quòd Deus qui naturam ipsam nouit, & eius creator existit, quíque illam talem
D creando formauit, indigẽtiam quoque eius magis profectò prospiciat, quàm tu certè ipse qui huiusmodi necessitatibus coartaris. Nam ipsi vtique sic placuit, vt hanc indigentiam natura pateretur. Nequaquam erit ergo contrarius † in his, quibus ei opus esse decreuit,] his quæ ipse voluit.
nec ille qui in tanta illam indigentiæ necessitate constituit, necessariarum eam rerum perceptione fraudabit. Nihil horum itaque curemus: neque enim curando quicquam amplius consequemur, nisi quòd nosmetipsos sollicitudinum angore distendimus. Cùm enim nobis & curantibus & non curantibus præstat, immo tunc magis, quando nihil hinc omnino curamus: quid tibi amplius sollicitudo præstabit, nisi quòd superfluam à te exigit vltionem? Neque enim quispiam ad conuiuium iturus

uium iturus opulentum, de ipsius diei cibo se curare A patietur. Nec ad fontem aliquis accedens, sollicitudinem de sitis necessitate perpetietur. Nequaquam ergo etiam nos, cùm habemus liberalitatem & prouidentiam Dei cunctis omnino fontibus & conuiuiis instructissimis affluentiorem, inopes nos putemus, néve pusillanimes simus. Nam post illa quæ dixi, rursus aliud quoque argumentum super eiusmodi rebus fiduciam suggerens imponit, ac dicit: *Quærite autem primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Postquam enim animos audientium onere curarum leuauit, tunc eos etiam de cœli regione commonuit. Venit quippe vetera soluturus, & ad meliorem verámque patriam vocaturus: idcirco igitur cuncta perficit, vt nos à superfluis liberet, atque à terrena eximat affectione. Propterea etiam Ethnicorum meminit, dicens, quoniam hæc omnia gentes inquirunt, quorum videlicet erga præsentem vitam studium omne consumitur, quibus nulla prorsus cura est futurorum, B
Ad quid homo creatus. nec cogitatio alia de cœlo: nobis autem ista non sunt principaliter requirenda, sed alia profectò. Neque propterea creati sumus, vt ederemus atque biberemus, vestéque tegeremur, sed vt placeremus Deo, & bonis potiremur futuris. Sicut ergo negligenter & perfunctoriè his studendum, ita etiam in oratione transitoriè postulanda, vt quæ non sint præcipua, sed accessoria. Ideóque dixit: Quærite autem primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Non dixit dabuntur, sed adiicientur, vt scilicet discernetis horum quæ in præsenti dantur, nihil esse omnino magnum, si futurorum magnitudine comparentur. Et idcirco nec peti illa quidem iussit, sed alia quidem sollicitè postulari, illa verò his adiicienda esse præsumi. Quære igitur futura, sic enim etiam optimè præsentia consequêris: noli quærere quæ videntur, & ea absque ambiguitate percipies. Est quippe prorsus te indignum, vt super eiusmodi rebus interpelles Deum. Qui enim C
omne studium, totámque curam pro illis ineffabilibus gerere debes bonis, valde teipsum dedecoras atque confundis, qui erga cupiditatem rerum fluxarum temetipsum impendis. Quomodo igitur, dices, nónne panem petere præcepit? Sed addidit, quotidianum: atque huic signanter adiecit, hodie: sic etiam hoc fecit loco. Non enim dixit, nolite esse solliciti: sed, nolite (inquit) solliciti esse in crastinum. Per quod certè & nobis libertatem donauit petendi, & animam nostram magis necessariis rebus affixit. Nam & illa ideo peti præcepit, non quia Deus nostrarum precum indigeret admonitu: sed vt absque dubio disceremus, quòd cum illius auxilio faciamus bona cuncta quæ facimus, & vt ipsa assiduitate poscendi ei nos familiares reddamur. Considerasti certè quemadmodum etiam per ista suaserit, quòd præsentia quoque ab ipso absque dubitatione percipiant. Qui enim maiora præstat, multò magis tribuit & minora. Non enim propterea (inquit) dixit, D
nolite solliciti esse ac deposcere, vt vel fame deficiatis, vel nuditate deformes sitis: sed vt abundè vobis etiam necessaria ista suppeterent: quod certè omnium maximè idoneum erat, vt illos possit attrahere. Nam sicut in eleemosyna dehortans eos sese hominibus ostentare, hac illis præcipuè ratione suadebat, qua docebat multò eis maiorem gloriam esse tribuendam, si eam ipsi vltrò non quærerent, pater enim, inquit, tuus qui videt in occulto, in conspicuo reddet tibi: ita hîc quoque abstrahens eos ab inquisitione præsentium, hoc eis maximè suadet modo, quo non requirentibus multò abundantius dandum esse promittit. Propterea, inquit, iubeo ista non quæri, non ne accipias, sed vt abun-
danter accipias. Cúmque ea quæ tibi competit honestate, cúmque conueniente vtilitate etiam præsentia consequaris, ne sollicitudinibus afflictus & curarum morsibus sæpe discerptus, non modò istis, verumetiam spiritalibus bonis te facias indignum, ne & superfluam patiaris ærumnam, & quod est amplius, propositam tibi amittas coronam. *Nolite ergo solliciti esse in crastinum: crastinus enim dies sollicitus erit sibiipsi. Sufficit diei malitia sua.* id est, miseria ipsa atque contritio. An fortè non sufficit tibi illa sententia: In sudore vultus tui man- Genes. 3.
ducabis panem tuum? cur alium quoque addis curarum laborem, qui certè etiam à prioribus es sudoribus liberandus? Malitiam verò hîc non malignitatem vocat, absit hoc enim: sed miseriam vel laborem & calamitates. Sicut enim cùm alibi dicit, Si est malitia in ci- Amos 3.
uitate, quam Dominus non fecit: non auaritiam significat, ac rapinas, nec eorum quicquam aliud omnino: sed eas profectò plagas quæ diuinitus inferuntur, de
quibus rursus loquitur per Prophetam: Ego sum qui Esa. 45.
facio pacem, & creo mala. Neque enim hîc malitiam voluit intelligi, sed pestilentias profectò & famem, cæteráque huiusmodi, quæ mala esse putantur à plurimis. Est quippe iste mos, vt multi hæc mala esse pronuncient: sic enim & quinque illarum prouinciarum sacerdotes atque diuini quando arcæ subiunxerunt boues, 1. Reg. 6.
& absque vitulis ire permiserunt, illatas à Deo plagas, & mœrorem illum ac dolorem quem de earum afflictionibus sentiebant, malitiam nominabãt. Ita hîc quoque malitiam pro afflictione posuit, dicens: Sufficit diei malitia sua. Nihil enim perinde animam, vt sollicitudo & cura excruciat. Sic enim Paulus ad amorem virginitatis accendens, consilium subministrat, dicens: Volo autem vos sine sollicitudine esse. Quòd verò ait, crasti- 1. Cor. 7.
nus dies sollicitus erit sibiipsi: non ipsum prorsus diem aliquid curare dixit, sed quia etiam ad imperfectum vulgus ei sermo est, volens expressius esse quod protulit, personam quandam adscripsit tempori, iuxta multorum profectò ad illos morem locutus. Idipsum autem hic suadet consilio, quod ad altiora progressus sanxit imperio. Nolite, inquit, possidere aurum, neque Luc. 9. & 10.
argentum, neque peram in via. Postquam enim hæc ipsa operibus ostendit, tunc etiam verbis firmiora præcepta constituit: vnde etiam receptu facilis sermo eius effectus est, quia scilicet operibus eius fuerat antè firmatus. Vbi hoc ergo per opera monstrauit? audi ipsum loquentem: Filius autem hominis non habet vbi ca- Luc. 9.
put suum reclinet. Neque hoc tamen solùm dixisse contentus est, verùm in discipulis quoque virtutis huius præstat splendoris documentum. Nam & cùm ipsos ad huiusmodi inopiam coarctasset, nullo eos indigere permisit. Considera verò eius admirabilem erga suos prouidentiam, & quemadmodum omnes prorsus patres pietate dilectionis exuperet. Hoc enim, inquit, iubeo ob nihil aliud omnino, nisi vt vos liberem ab inanium afflictione curarum. Si enim & hodie cures de crastino, & rursus crastino ipso cures die, nónne superfluo ac nimio temetipsum deprimes onere curarum? Cur ergo cogis diem plusquam ipse fortitus est afflictionis accipere, & supra proprios eius labores etiam sequentis ei diei pondus imponis: & hoc cùm nil istius adiectione fascis, alterius diei leuiora sis onera facturus laborum, sed tantum aggeras labores nequicquam? Vt igitur eos actius increparet, ipsum penè tempus animauit, & velut afflictum ab omnibus introduxit, quasi quod contra illos de imposita sibi afflictione superflua clamaret. Et reuera accepisti diem, vt ea quibus in ipso opus est cogitares. quam igitur ob causam curas ei etiam alterius adiungis? Nunquid enim nõ ha-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bet sufficiens onus, sollicitudinem sui? cur igitur maiore illum opprimis fasce curarum? Quando verò ipse hoc lator legis enunciet, & qui de nostris certè conscientiis iudicabit, considera quàm bonas spes ipse nobis ministret: quando vtique ipse testatur, quoniam vita ista sit misera, atque ita ærumnis variis onusta, vt in afflictionem contritionémque nostri vnius quoque diei cura sufficiat. Et tamen cùm tanta nobis dicuntur ac talia, nos nihilominus horum sollicitudinem gerimus: de cœlo autem nihil omnino curamus, sed rerum ordinem per cuncta peruertimus, contráque præcepta Christi vtrinque pugnamus. Itaque diligenter hæc ipsa considera. Nolite, ait, præsentia ista prorsus inquirere, nos hæc sola etiam absque intermissione sectamur. Quærite, inquit, & semper & sola cœlestia. Nos verò ne vnius quidem horæ spatio illa perseueramus inquirere: sed quantam in his quæ ad corpus necessaria sunt, curam ostendimus, tantam in spiritalibus habemus incuriam, immò longè etiam maiorem: sed nequaquam nobis semper prospere ista proueniant, nec perpetuò impunita huiusmodi licentia relinquetur. Ecce enim contemnimus decem diebus, ecce triginta, ecce iam centum: nónne iam erit prorsus necesse in manus iudicis incidere? Sed habet consolationem quandam ipsa dilatio. Et quænam ista consolatio est, quotidianis prorsus diebus pœnam expectare & supplicium? Quod si cupis consolationem aliquam de hac dilatione percipere, correptionem de pœnitentiæ dolore tuo magno commodo arripe. Si enim ex dilatione pœnæ aliquod tibi putas esse solatium, multò magis lucrum est nunquam in illud supplicium deuenire. Quod igitur est longè præstantius, futuri hac dilatione iudicij ad totam imminentis pœnæ deletionem vtamur. Neque enim aut onerosum aliquid, aut molestum est imperatum: sed sic facilia cuncta prorsus ac leuia, vt si afferamus promptam solummodo voluntatem, omnia efficere possimus, etiamsi peccatis obnoxij fuerimus innumeris. C
4. Reg. 21. & 2. Paral. 33. per totum. Nam & Manasses scelera multa commiserat, quippe qui etiam in sanctos manus suæ crudelitatis extendit, & abominanda in templo Dei simulachra constituit, & ciuitatem homicidiis implcuit, multáque alia perpetrauit, maiora prorsus quàm vt videretur venia posse donari. Verumtamen post tot ille tantáque flagitia ab omnibus est mundatus, ac ablutus. Quo autem istud efficit modo? Pœnitentiæ profectò fletu, & studio voluntatis. Non est quippe, non est aliquod omnino peccatum, quod non cedat pœnitentiæ virtuti, immo gratiæ Dei: qui cùm ad meliora conuertimur, continuò nobis cooperator efficitur. Si enim bonus esse malueris, qui prohibeat nullus omnino est: immo est quidem diabolus prohibens, sed profectò nil poterit te eligente meliora, magis autem hoc Deo tibi in adiutorium copulante. Quod si tu certè nolueris, retróque recesseris, qui nam ille te tutabitur? Non enim necessitate ac violentia, sed cum tua te vult voluntate saluare. Si enim tu seruum habens te odio habentem, ac semper horrentem, sæpe etiam recedentem à te atque fugientem, nequaquam iam illum comprehendis ac retines, & certè cùm obsequio eius indigeas: multò magis Deus, qui non propter suam aliquam necessitatem, sed omnia propter tuam facit salutem, non vult te violenter retinere: quemadmodum è regione si solam ad placendum ei ostenderis voluntatem, nunquam te ille destituet, quantalibet aduersus te diabolus moliatur. Nos ergo nosipsi causa nostræ perditionis existimus: non enim instanter ad eum accedimus, non interpellamus assiduè, non rogamus quemadmodum pro tanta est dignum causa rogare: sed & si eum adeamus, aliquando ita facimus hoc, quasi non desideremus accipere: neque cum ea fide qua congruit deprecantes: sed oscitantes prorsus, ac tota mente torpentes, ea quæ videmur postulare negligimus. Et certè vult se à nobis exigi Deus, & ob id gratias tibi magnas habet. Solus enim iste debitor gratiam habet cùm ab ipso exigitur: & quæ non mutuo dedimus, reddit. Et si vehementius quidem viderit instare exigentem, etiam illa quæ à nobis non accepit, largitur. Si verò languidius nos petamus, ipse quoque liberalitatem suam differt, non quia præstare nolit, sed quia nostra illum delectat vehemens exactio. Et propterea tibi aliud quoque posuit exemplum: nunc illius amici, qui noctu instabat petendo panem: nunc iudicis neque Deum timentis, neque hominem omnino reuerentis. Nec verò tantummodo vsque ad exempla peruenit, sed ipsis quoque operibus ostendit, cùm scilicet Chananæam illam mulierem magno certè dono impletam remisit. In hac verò euidenter ostendit, quoniam Deus etiam illa quæ nobis parata non sunt, dare possit, si vehementius postulentur. Non, inquit, est bonum tollere panem filiorum, & dare canibus: & tamen dedit, quia illa etiam vehementer exegit. Per Iudæos verò è regione monstrauit, quia desidiosis nec illa quidem tribuat, quę eis fuerant præparata. Itaque illi acceperunt nihil, immo etiam propria perdiderunt. Et ideo isti quia minimè quæsierunt, ne sua acceperunt quidem: illa verò quia violenter incubuit, etiam aliena potuit vendicare, & rem filiorum accepit canis: tantum quippe bonum est sedulitas assidua. Nam tametsi canis sis, si instes & vrgeas, anteponeris filio desidi & ignauo. Quæ enim amicitia non effecit, ea confecit importuna interpellatio. Noli ergo dicere quòd tibi sit inimicus Deus, téque omnino nolit audire. Cito tibi respondebit, si assidue illum, & (vt ita dixerim) molestè interpellare non desinas: & si non ob amicitiam, at propter sedulitatem istud efficiet: & neque inimicitia, neque importunitas, neque aliud quicquam impedit. Nec dicas, non sum dignus audiri, & ideirco non oro: nam & Chananæa illa etiam talis fuit, sed nihilominus impetrauit. Nec dicas, & multum peccaui, & non possum ad me iratum vocare: non enim meritum tuum Deus, sed solam interim considerat voluntatem. Si enim iudicem non timentem Deum, neque homines erubescentem vidua inflexit, multò magis bonum iudicem interpellatio assidua. Et si igitur non fueris amicus, & si non ea quæ tibi competere videntur, expostules, & si bona patris luxuriosus absumpseris, longúmque temporis à facie eius abfueris: & si degener, atque omnium prorsus extremus, & indignantem illum iratúmque conuenias, incipe tantummodo orare, atque ad ipsum redire, & recipies profectò cuncta, & confestim omnem iram pœnámque restingues. Sed ecce (inquis) oro, & nihil proficio. Non enim ita postulas, quemadmodum illos legimus postulasse. Chananæam dico, & amicum nocte pulsantem, & viduam iudici frequenter molestam, & filium qui patris cuncta decoxerat. si enim sic orasses, proculdubio celeriter impetrasses. Nam etsi à te accepit iniuriam: tamen pater est: & si iratus est, tamen amantissimus filiorum est, & vnum est tantummodo quod requirit: non exigere de iniuriis vltionem, sed te videre ad meliora conuersum, sibíque iugiter supplicantem. Vtinam nos ita erga illum arderemus, vt illius viscera nostri charitate inflammentur. Sed tantummodo occasionem iste ignis requirit: & si modicam scintillam ipse præbueris, ingentem omnino flammam beneficiorum in te eius accendes. Non enim quia iniuriam accepit, irascitur: sed quia tu es author iniuriæ, per quam etiam velut ebrius desipis.

Luc. 11. Luc. 18. Matt. 15. Luc. 15.

desipis. Si enim nos cùm simus maligni, iniuriam accipientes à filiis, tamen pro illis dolemus: multò magis Deus qui nullam omnino sentit iniuriam, pro tuo tantùm commodo qui illam facere ausus es irascitur. Nam si nos qui secundum naturam diligimus filios, satis tamen profectò eos diligimus: multò magis ille diligit, qui diligit vltra naturam. Sed etsi obliuiscatur, inquit, mulier infantem vteri sui, ego tamen non obliuiscar tui. Accedamus igitur ad eum, atque dicamus: Etiam Domine, nam & canes edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Accedamus, inquam, opportunè & importunè, immo verò nunquam contingit importunè accedere: importunum quippe est, si non assiduè eum adeamus. Eum enim qui cupit semper largiri, semper opportunè oramus. Sicut enim respirare importunè omnino nunquam est, ita etiam non quidem petere, sed non petere potius importunum est. Sicut enim respiratione hac iugiter indigemus, ita etiam eo quod à Deo præstatur auxilio. Quod si voluerimus, facilè illum ad nos poterimus inflectere. Et hoc Propheta declarans atque ostendens Deum promptum esse semper ad beneficia largienda dicebat, Sicut diluculum paratum inueniemus eum. Quotiescunque enim venire, & ad illum voluerimus accedere, expectatas ab illo esse preces nostras continuò sentiemus. Si verò nihil de redundante illo fonte virtutis haurimus, nostra est omnis culpa, non fontis. Hoc etiam Iudæis imputando dicebat: Misericordia mea vt nubes matutina, & sicut ros diluculo cadens. Quod verò dicit, huiusmodi est: Ego quidem, quæ à me petenda erant, cuncta largitus sum: vos verò quasi quidam † ventus] vrens exortus & nebulam & rorem dispellit, & occulit: ita præ nimia malignitate vestra facitis immensæ liberalitatis Dei dona cohiberi: quod tamen ipsum dispensatio prouidentiæ est. Cùm enim nos viderit indignos beneficiis, beneficia sua continet, ne nos vtique desides faciat, non dignè inquirentibus largiendo. Si verò paululum in meliora mutemur, & vel tantulum quidem, vt nos saltem peccasse agnoscamus, supra quàm omnes fontes subitò ebullit, copiosius quàm omne prorsus pelagus effunditur. Quantóque amplius acceperis, tantò ille plus gaudet, & hoc ipso ad dandum plura consurget. diuitias enim suas nostram esse ducit salutem, & ipsam dandi petentibus largitatem: quod certè dicebat Paulus, Qui diues est in omnes & super omnes qui inuocant illum. non enim nisi quando non postulamus, irascitur: tunc etiam nos solum quando non poscimus, auersatur. Propterea enim & pauper factus est, vt nos diuites faceret: & illa omnia sustinuit, vt nos ad petendum pleniùs incitaret. Nequaquam igitur desperemus, sed habentes tot occasiones salutis, spésque meliores, etiamsi quotidie peccemus, accedamus tamen rogantes, próque delictis assiduè veniam deprecemur. Sic enim & ad peccandum efficiemur absque dubio tardiores, & diabolum repellemus, & Dei in nos misericordiam prouocabimus, & bona consequemur futura, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Esa. 49. Matth. 15. Osee 6. Ibidem. fol.) Rom. 10. B C D

HOMILIA XXIIII. EX CAP. VII.

NOLITE *iudicare, ne iudicemini*. Quid igitur, non debemus arguere peccantes? Nam & Paulus idem hoc dicit, immo ipse rursum Christus per Paulum: Tu quid iudicas fratrem tuum? Et tu quid spernis fratrem tuum? Et tu quis es, qui iudicas alienum seruum. Et iterum: Nolite ante tempus iudicare, quoad-

Rom. 14. Ibidem. 1. Cor. 4.

usque veniat Dominus. Quemadmodum igitur alibi dicit: Argue, obsecra, increpa? & alibi: Peccantes coram omnibus argue? Et Christus quidem in Euangelio præcipit: Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum: & si te audierit, lucratus es fratrem tuum: si verò non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: quòd si non audierit, dic Ecclesiæ. Et certè tam multos constituit increpantes, & non increpantes modò, verumetiam punientes, cùm eum qui nullum horum vellet audire, quasi ethnicum & publicanum esse præcipit: quemadmodum verò illis etiam claues dedit? Si enim iudicaturi omnino non erunt, priuabuntur omnium potestate, & frustra illam acceperunt ad ligandum atque soluendum. Nam & aliter si hæc peccandi impunitas obtineret, cuncta pariter disperirent, & quæ in ecclesiis sunt, & quæ in vrbibus, & quæ in domibus singulorum. Nam & dominus seruum, & domina ancillam, & filium pater, & amicum amicus nisi iudicauerint, ad maximum omnino incrementum sui vitia cuncta peruenient. Et quid dico amicus amicum? Nisi ipsos quoque iudicemus inimicos, nunquam poterimus omnino inimicitias dissoluere, sed absque vllo prorsus ordine, ac distinctione meritorum permixta erunt omnia, atque confusa. Quidnam hoc sit ergo quod dictum est, diligentius ponderemus, ne aliquis hæc remedia salutis, ac leges pacis, existimet subuersionis ac confusionis esse leges. Et prudentibus quidem ex his quæ sequuntur lucidissimè virtutem istius legis ostendit, dicendo: *Quid vides festucam quæ est in oculo fratris tui, trabem autem quæ est in oculo tuo, non vides?* Si verò plurimis tardorum istud videatur obscurum, pleniùs idipsum elucidare tentabimus. Hic enim (vt apparet) non generaliter peccata omnia prohibuit iudicari, nec prorsus omnibus istius rei abstulit potestatem: sed his profectò solis, qui cùm flagitiis abundent innumeris, alios de leuissimis quibusque delictis tota temeritate condemnant. Videtur autem mihi etiam hîc Iudæos notare, qui de paruulis quoque omnino culpis accusatores amarissimi proximorum, ipsi nihilominus sua nec maxima quidem crimina cohibebant. Quod eis etiam in fine Euangelij Dominus exprobrat: Alligatis, inquit, onera grauia & importabilia: ipsi autem digito non vultis ea mouere. Et decimatis mentham, & cyminum & anethum: & dereliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem. Ergo in istos quoque sermonem videtur extendere, vt scilicet ante eos compescat & comprimat, quia ausuri erant accusare discipulos. Et si enim isti nihil tale peccauerant, sed tamen illis videbantur esse delicta: vt non obseruare sabbatum, vt vesci manibus illotis, ac publicanorum interesse conuiuiis: quod alibi quoque culicem ait excolantes, camelum autem glutientes: hîc verò de his constituit & legem, quæ in commune seruetur. Nam & beatus Paulus Corinthios non omnes iudicare prohibuit, sed eos qui audebant iudicare meliores, & in causa non manifesta. Non enim vetuit eos corripere peccantes, neque citra discrimen omnes tunc increpauit: sed discipulos profectò, qui de doctoribus iudicabant, & cùm ipsi mille essent malorum rei, insontibus detrahebant: quod hîc quoque Christus notauit: nec simpliciter notauit, sed eis plurimum etiam incussit timorem, ineuitabile supplicium comminando, atque dicendo: *In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis.* Non enim illum condemnas, inquit, sed temetipsum profectò condemnas, & facis tibi terribilius esse iudicium, cogísque aduersus te diligentissimam fieri etiá de minimis vltionem.

Matt. 23. Matt. 23. 1. Cor. 4. 2. Tim. 4. 1. Tim. 5. Matt. 18. & Luc. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sicut enim in venia peccatorum promerenda, à nobis principia sumuntur: sic etiam in ipso iudicio, à nobis condemnationis mensura procedit. Nec enim oportet exprobrare delictum, neque illum qui peccato aliquo sit præuentus, insolenter obruere, sed clementer monere: nec persequi iurgio, sed iuuare consilio: nec cum insolentia in eum erigi, sed cum dilectione corrigere. Non enim illum, sed te profectò extremo addicis ipse supplicio, non ei vtique parcendo, cùm oportebit de illius delictis ferre sententiam. Vidésne quemadmodum duo ista mandata leuia sint, & obedientibus ingentium causa existant bonorum, sicut è regione inobedientibus ingentium malorum? Qui enim remisit proximo, se priusquam illum reatibus liberauit, nihil laborans, cùm vtique parcens atque ignoscens de peccatis alterius iudicaret, magnum sibi indulgentiæ thesaurum tali sententia recondendo. Si igitur fornicatus fuerit, inquis, non ei dicam quòd malum sit fornicari, neque corrigam increpatione lasciuum? Corrige quidem, sed noli vt hostis, neque vt inimicus exigens vltionem, sed vt medicus remedia profutura conficiens. Non enim dixit, Noli cohibere peccantem: sed, noli vtique iudicare: hoc est noli effici iudex amarus. Nam & aliter non de magnis desperatísque criminibus, quod paulò ante præmisi: sed de illis id dictum est, quæ† videntur crimina esse, cùm non sint:] propter quod ait, Quid autem vides festucam quæ est in oculo fratris tui, trabem autem quæ est in oculo tuo, non vides? Quod certè nunc plurimi faciunt, qui si viderint monachum habere superfluum vestimentum, legem illam dominicam impudenter obiiciunt, cùm millies ipsi aliena diripiant, & quotidie auaritiæ crimen exerceant. Et si eum cibo vti viderint largiori, accusatores existunt amari, ipsi quotidie crapulati atque temulenti: ignorantes, quòd cum propriis admissis hinc quoque sibi congregent maius incendium, omníque semetipsos excusatione denudent. Vt enim diligentius peccata examinentur tua, legem primus ipse posuisti, seueriùs de his quæ proximus peccauerat iudicando. Ne igitur graue esse credideris si talia sustineas etiam ipse supplicia. *Hypocrita, eiice primùm trabem de oculo tuo.* Hic iam iram vult monstrare plurimam, quam habet in eos qui ista committunt. Quotiescunque enim voluerit ostendere aliquod malignum esse peccatum, magnámque etiam propter illud & pœnam & iram, à conuitio facit correctionis exordium. Sicut ergo & aduersus illum qui à conseruo suo centum denarios exigebat, cum indignatione dixit: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi: ita hîc quoque ait, hypocrita. Non enim pietatis est tam rigida hæc aduersus delicta sententia, sed inhumanitatis. Et personam sibi quidem dilectionis imponit: opus autem malitiæ implet extremæ, dum falsa proximo opprobria affigit & crimina, & inuadit locum magistri, cùm non sit dignus tenere discipuli: propter quod illum etiam hypocritam nominauit. Qui enim tam acer, inquit, in alienis fuisti, vt etiam exigua denotares, quemadmodum in tuis tam negligens extitisti, vt etiam magna transcurreres? Eiice primùm trabem de oculo tuo. Vides certè quia non vetuerit iudicare, sed iusserit eiicere primùm de oculo proprio trabem, & tunc aliorum errata corrigere. nam & sua vnusquisque faciliùs cognoscit, quàm vtique cæterorum: & maiora citiùs prospicit, quàm minora: & seipsum magis amat profectò quàm proximum. Itaque si alterius curam gerens id facis, temetipsum antè curato, in quo & manifestius inuenitur peccatum, & grandius. Sin autem temetipsum contemnis, ac despicis: liquet omnino, quòd fratrem tuum ipse odio iudices, non studio disciplinæ: nec emendare illum cupias, sed notare. Quòd & si oportet huiusmodi aliquem iudicare, non tamen à te hoc fieri debet, verum ab eo qui nihil tale commisit. Quia enim magna philosophiæ dogmata & excelsa constituit, ne quis diceret, quoniam in talibus philosophari sermone promptissimum est: volens monstrare fiduciam conscientiæ, & quòd in nullo sit horum quæ dixit obnoxius, sed quòd cuncta omnino perfecerit, hanc comparationem consequenter inseruit: siquidem ipse quoque postea erat iudicaturus, dicendo: Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ. sed non erat eorum reus, de quibus alios iure culpabat: neque enim aut festucam eximebat, aut trabem in oculis gerebat: sed ab his omnibus purus & mundus, aliorum peccata correxit. Non enim debet aliquis condemnare alterum, cùm ipse sit reus. Et quid miraris, si Dominus posuit hanc legem, quæ etiam à latrone seruata est, qui in cruce dicebat ad socium suum: Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Protulit enim vocem Christi omnino sententiæ consonantem. Tu verò quidem tuam trabem non modò non eiicis, sed ne sentis quidem: fratris verò non modò vides, sed & iudicas, & eiicere conaris. Velut si aliquis sæuissimo hydrope, vel quolibet immedicabili languore constrictus, hunc quidem etiam negligat, eum verò culpet qui exiguum in aliqua corporis sui parte non curet tumorem. Si verò malum est propria peccata non cernere, duplex iam aut triplex malum est iudicare alios, & in suo oculo trabem absque dolore gestare. Omne quippe est grauius trabe peccatum. Hoc est ergo quod per hæc quæ sunt dicta præcepit, ne scilicet ille qui mille est vitiis obnoxius, acriorem se iudicem in aliorum velit præbere delictis: & præcipuè si hæc esse inueniantur exigua, non scilicet arguere alterum prohibens atque corrigere, sed dissimulare propria negligenter, & insultare impudenter alienis. Siquidem ad magnum istud proficeret malignitatis augmentum, & duplex malum iniquitatis inferret. Nam quicunque studet sua quidem, etiam cùm sint magna, negligere: aliena verò amarius delicta discutere, etiam paruula videlicet, ac vilia, duplex sibi importat incommodum: tum quidem propria negligendo, tum verò inimicitias in se ac simultates omnium commouendo, atque ad extremam omnino feritatem, duritiámque cordis semetipsum semper acuendo. Postquam igitur hæc cuncta sanctione saluberrimæ huius legis exclusit, aliud quoque præceptum intulit, dicens: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas [vestras] ante porcos.* Atqui in consequentibus præcepit, Quod audistis in aure, prædicate super tecta: sed ne hoc quidem mandatum aduersatur priori, nec indifferenter omnibus prædicari iussit, sed his quos doceri oportet, præcepit cum fiducia prædicari. Canes autem hîc significat homines in impietate viuentes immedicabili, spémque omnino conuersionis in melius non habentes. Porcos verò, in luto infrænis luxuriæ iugiter commorantes, quos sanè omnes huiusmodi doctrina pronunciauit indignos. Hoc ergo & Paulus adstruens ait: Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi. Alibi quoque corruptionem vitæ causam esse dixit quo minus recipiantur dogmata perfectiora: propter quod iubet ne huiusmodi hominibus fores pandamus: fiunt quippe magis postquam didicerint secreta, feroces. His enim qui benigno sunt animo atque prudenti, honestíssima apparent, cùm fuerint reuelata: imprudentes verò ac imperiti magis ea ignorata reuerentur. Quia verò discere illa naturali ratione non possunt, saltem præ igno-

non videntur esse crimina.)

Matth.18.

Matt.25.

Luc.23.

Matt.10.

1.Cor.2.

1.Cor.8.

præ ignorantia reuereantur. Neque enim porcus aliquando nouit cuius sit precij margarita: & hic ergo quia nescit, ideo nec videat, vt ne conculcet quæ non nouit. Nihil enim hinc affertur amplius his qui eiusmodi sunt, & tamen audiunt, nisi noxa cumulatior. Siquidem ab illis & sancta temerantur, nescientibus vtique cuius illa sunt meriti, & ipsi desperatiùs insolescunt, contráque nos potius armantur. Hoc est enim quod ait: *Ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos.* Sed adeo fortia esse debebant, inquis, vt etiam vbi semel edocta sint, inuicta maneant, nec præbeant contra nos aliis ansas. assentior. Sed illa non præbent, sed quòd ipsi sunt porci. Sicut etiam calcata brutorum pedibus margarita, non ideo quia vilis est conculcatur, sed quia in porcorum incidit vilitatem. Et bene ait, Conuersi dirumpant vos. Modestiam enim simulant, vt secreta condiscant: cùm verò didicerint, repentè alij ex aliis effecti irridenti, insultant, atque illudunt quasi quadam à se arte deceptis: propterea &

2.Tim.4. Ibidem. 2.Tim.3. Tit.3.

Paulus Timotheo dicebat: Quem & tu deuita, valde enim restitit verbis nostris. Et rursus alibi: Et hos deuita. & iterum, Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita. Non enim ex his armantur, sed eorum occasione superbiùs efferuntur, atque insolentia fœdiori complentur: & idcirco non exiguum lucrum est in sua illos ignorantia permanere: non enim adeo despiciunt. Si verò discant, geminum est omnino damnum, cùm certè & ipsi nihil inde fructificent, immo magis magísque lædantur, & tibi negocia ac pericula mille commoueant. Audiant hoc loco illi qui impudenter omnibus ac temerè copulantur, despicabilia ea quæ sunt reuerenda, facientes. Nam & mysteria ideo clausis ianuis celebramus, & eos qui nondum initiati sunt, adesse prohibemus, non quia infirmitatem mysteriorum aliquam deprehendimus: sed quia ad participationem eorum illi adhuc quos arcemus infirmi sunt. Propter quod etiam ipse multa ad Iudæos in parabolis differebat, quoniam non videbant videntes: propterea iussit & Paulus scire nos quemadmodum debeat vnicuique responderi. *Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Quia enim magna mirandáque præcepit, & passionibus esse liberos iusserat, ad ipsum quoque cœlum omnino adduxerat docendo, vt studerent non angelis, neque archangelis, sed ipsi omnium domino, inquantum possibile est, esse consimiles. Discipulos verò non modò ipsos ista perficere, verumetiam alios emendare ceperat, & malos omnes atque iustos iusserat discerni qui canes, & qui non canes. Multum autem est in hominibus occultum: ne dicerent, quia importabilia sunt ista prorsus, ac dura. Nam & in consequentibus

Mat.13.& Marc.4. Colos.4.

Ibidem. Infra 19.

Petrus ait tale quidpiam: Quis potest saluus esse? Et rursus idem: Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere. Ne igitur hîc quoque similia proferrent, quanquam etiam in præcedentibus ostenderit facilia esse præcepta, multas proferens omnino sententias, & sanè tales, quæ illis sufficerent suadere: hîc tamen etiam ipsius facilitatis infert coronidem, non leue aliquod laboribus eorum genus consolationis inueniens, auxilium scilicet Dei, quod orationum perseuerantia promeretur. Non solum, inquit, vos oportet studere virtutibus, sed ad tantum opus diuinum quoque aduocare præsidium. Veniet enim prorsus, atque aderit, & vobiscum certamina ipsa tractabit, ac facilia vobis cuncta perficiet. Propterea & petere præcepit, eísque se daturum spopondit: nec tamen obiter postulare iussit, sed cum sedulitate multa, & magna intentione: hoc est enim quod ait, Quærite: siquidem ille qui quærit aliquid, cuncta profectò alia mente proiiciens, vnum intendit illud quod solum requirit, ac præsentium rerum nihil omnino considerat. Norunt certè illud quotquot vel auro, vel seruis, vt plerunque contingit, amissis, experti sunt hanc quam dico diligentiam requirendi. Ex eo quidem quod ait, Quærite, istud ostendit: ab eo verò quòd dixit, Pulsate, vehementer accendi, & ardere prorsus mente præcepit. Noli ergo homo sponte concidere, néve inferius studium impende virtuti, quàm cùm aurum requiris amissum. illud enim frequenter requirens, nequaquam forsitan reperis, verumtamen cùm omnino nescires an inueniri posset quod fuerat amissum, omnes nihilominus perscrutandi excogitas modos. Hîc verò etiam sponsionem Christi tenens, quod absque dubio si quæsieris, accipias, ne minimam quidem partem illius studij conaris ostendere: quod si non continuò acceperis, ne sic quidem desperare te conuenit. Propter hoc quippe ait, pulsate: vt ostenderet, quia & si non continuò aperuerit, te nihilominus oporteat ad ianuam permanere. Si verò, inquit, meæ non vis credere sponsioni, crede vel huic quod à me profertur exemplo. *Quis, ait, ex vobis est pater, quem si filius suus petat panem, nunquid lapidem porriget ei?* Ab hominibus quidem cùm aliquid crebrò exposcis, & molestus omnino & onerosus videris: Deum verò quando id non facis, tunc amplius vt tibi indignetur accendis. Si verò permaneas postulando, etiam si non continuò accipias, accipies tamen: propterea quippe ostium clausum est, vt tu ad pulsandum inducaris: idcirco non celeriter annuit, vt tu diutiùs inquiras. Permane igitur in quærendo atque pulsando, & absque ambiguitate percipies. Ne enim diceres, quid si petiero, neque accepero? vt te securum redderet, parabolica locum ratione concluserit, de communibus certè rebus sententias proferendo, & exemplis hominum ad impetrandi te fiduciam nutriendo: pérque ista monstrando, quòd non solum petere oporteat, verum etiam illa tantummodo, quæ sola sunt poscenda deposcere. Quis enim est, inquit, ex vobis pater, quem si filius suus petat panem, nunquid lapidem porriget ei? Itaque & si non accipis, quia lapidem petis, idcirco non accipis. Nam & si filius sis, non tamen tibi sufficit ad omne quod popoposceris impetrandum, sed hoc ipsum est quod obstat quo minus accipias, quòd cùm sis filius Dei, ea quæ tibi non expediunt, deprecaris. Et tu igitur noli aliquando petere, seu quærere secularia, sed spiritalia omnia, & prorsus accipies. Nam & Salomon quandoquidem popoposcit ea quæ oportuit poscere, vide quàm celeriter acceperit. Duo igitur adesse oportet oranti, vt scilicet & vehementer petat, & illa quæ petenda sunt. Quia & vos, inquit, cùm patres sitis, rogari tamen expectatis à filiis: & si inutile aliquid petierint, dona vestra cohibetis. Si verò illi quod est petendum, & vtile postularint, annuitis atque præstatis. Et tu igitur ista considerans, non desistas, donec accipias, donec inuenias, ne recedas: nec omnino abeas, quoadusque clausa referentur. Si enim cum hoc studio mentis accesseris, & dixeris, nisi accepero non recedam, prorsus accipies: modò si talia postulaueris, quæ & illum qui petitur dare deceat, & accipere tibi qui precaris, expediat. Quæ verò ista sunt? si scilicet spiritalia cuncta deposcas. Et primò quidem his qui in te peccauerant, incunctanter remittas, ac tum demum accedas ad tibi quoque veniam postulandam, atque sine ira & disceptatione sanctas ad Deum manus eleues: si ergo sic petierimus, accipiemus profectò. Quemadmodum verò nunc petimus, risus quidem est nostra petitio, & rursus non sobriorum hominum, sed

1.Reg.8. & 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

temulentia sauciorum. Quid ergo, inquis, quando spi- A ritualia petiero, nec tamen ea fuero consecutus? Non studiosè proculdubiò postulasti, aut teipsum fecisti qui acciperes indignum: aut certè petere celeriter destitisti. Et cuius, inquies, rei gratia non dixit quæ debeant postulari? Et quidem cuncta dixit in his quæ prius memorata sunt, & ostendit pro quibus oporteret rogari. Noli ergo dicere, accessi ad petendum, nec tamen accepi. Nequaquam enim per Deum stat quo minus acceperis, qui adeò diligit, vt etiam patres superet: & quidem tantum superet, quantum ipsa bonitas vitium superat. *Si enim vos*, inquit, *cùm sitis mali, nostis dona bona dare filiis vestris: quanto magis pater vester cælestis?* Hæc verò dixit non vituperans humanam naturam, neque mortalium genus malum esse pronuncians, sed ad exprimendum bonitatis inter Deum atque homines pergrande discrimen amorem patrum malignitatem vocat: tanta quippe est in illo excellentia charitatis. Vidisti etiam argumentum † occultum] B quod potuit etiam minima desperatione deiectum, ad spes subleuare meliores. Nam hîc quidem sub exemplo patrum, redundantiam diuinæ benignitatis ostendit: in superioribus verò à maioribus quæ donauit, ab anima videlicet, & corpore, quibus nos creator profectò composuit, & nusquam adhuc caput ipsum bonorum, neque suam præsentiam adducit in medium. Qui enim filium suum pro nobis ad occidendum dedit, quemadmodum nobis non cuncta donabit? Nondum enim erat ad vlteriora progressus: sed Paulus quidem hoc ita ponit, ac dicit: Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? Ipse autem adhuc eis de humana vult conuersatione differere: deinde ostendens, quoniam nec orationi solùm debeant fidere, ea quæ in ipsis sunt negligentes, neque rursus cùm virtuti student, suo solum confidere studio & diligentia, sed diuinum quoque adiutorium C postulare, & ea quæ ipsorum sunt pariter inferre: *vtrumque istud frequenter inculcat. Nam & salubriter multa cùm admonuisset, eos orationi docuit insistere: & cùm orare docuisset, rursus ad eorum quæ agenda sunt cohortationem reuertitur: à quo iterum rediit ad docendum, quòd oporteat frequenter orare, dicendo: Petite, quærite atque pulsate: & ab illo rursum ad id quòd oporteat ipsos quoque esse virtutis studiosos. *Omnia ergo*, inquit, *quæcunque vultis vt faciant vobis homines*, * *hæc & vos facite illis.* Hoc autem dicit in breui cuncta replicans, & ostendens compendiosam rem esse virtutem, ac facilem omnibus atque manifestam. Neque simpliciter ait quæcunque vultis: sed omnia ergo quæcunque vultis. Hîc enim ergo istud, non ociosè posuit sed signanter: ac si diceret, Si ergo cupitis audiri, præter illa quæ dixi, etiam ista perficite. Quæ verò ista sunt? Quæcunque vultis vt faciant vobis homines. Vidisti certè, quemadmodum & hoc D quoque ostendat loco, quòd cum oratione opus sit etiam disciplina virtutum. Et non dixit, quæcunque vis tibi à Deo fieri, hæc ipse fac proximo, ne diceres: quonam modo hoc effici potest, cùm ille sit Deus, ego homunculus? sed quæ vis tibi fieri à conseruo, ea tu erga proximum, inquit, ostende. Quid vnquam hoc præcepto aut leuius inueniatur, aut iustius? Deinde declarans seruati istius præcepti ante præmia quoque grande præconium: *Hæc est*, inquit, *lex & Prophetæ.* Vnde manifestum est secundum naturam nobis esse virtutem. Domestico siquidem magisterio omnes quæ facere debeamus, agnoscimus, & impossibile omnino nobis est, ad ignorantiæ præsidium aliquando confugere. *Intrate per angustam portam, quoniam lata est porta, & spaciosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam: & arcta porta & angusta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam.* Atqui postea dicit: Iugum meum suaue est, & onus meum leue. In his quoque quæ paulò antè dixit, idipsum omnino signauit. Quo modo igitur hic arctam illam, angustámque pronunciat? Quanquam si diligenter inspicias, hîc quoque illam leuem valde dicit, & facilem. Et quemadmodum, inquies, quæ arcta & angusta est, facilis iudicatur? Quia & via est videlicet, & porta: sicut etiam illa ipsa lata & spaciosa via est, similiter & porta: in vtroque tamen nihil est omnino constans. Nam cuncta prætereunt, & aspera vitæ huius, & prospera. Haud verò ideo solum virtus est facilis, sed fine etiam suo rursum facilior redditur. Non enim transire solum labores atque sudores, sed ad bonum quoque properare finem (ad vitam quippe contendit) potest consolationem afferre certantibus: ita & temporale sudorum, & perpetuum coronarum: & quia prius sunt laboriosa quæ transeunt, postea gloriosa quæ permanent, maximum potest laborum esse solatium. Propter quod & Paulus tribulationem leuem vocauit, non vtique ad naturam tribulationum, sed ad certantium voluntatem, & spem respiciens futurorum. Quod enim, inquit, momentaneum 2.Cor.4. & leue est tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quòd si nautis minaces illi pelagi fluctus, si tempestates atque hyemes agricolis, si vulnera cædésque militibus, si grauissimi illi ictus plagæque pugilibus leues videntur, atque tolerabiles propter spem temporalium, ac pereuntium commodorum: multò magis cùm cœlum proponatur in præmio, & ineffabilia illa bona atque perpetua, nihil ex præsentibus his aduersitatibus sentietur. Si verò aliqui etiam sic vitam istam esse laboriosam putant, de sola eorum profectò desidia oritur ista suspicio. Vide igitur quemadmodum illam facilem etiam aliunde faciat, iubens eos non commisceri canibus, porcisque se prodere, & à pseudoprophetis cauere, & vndique illos docens debere esse sollicitos. Sed hoc quoque ipsum quod illam arctam vocauit, maximè ad faciẽdam illam facilem profuit, per hoc siquidem, vt semper vigilarent admonuit. Nam sicut Paulus cùm ait: Non est nobis colluctatio Ephes.6. aduersus carnem & sanguinem: non idcirco dixit, vt deiiceret animos militum, sed vt potius erigeret: ita hîc Dominus velut à somno suscitans viatores, viam eorum asperam nuncupauit. Nec hoc tantum illos modo ad vigorem mentis hortatus est, sed illud etiam commonendo: quia multos habeat via ipsa ad supplantandum paratos, quíque, quod est periculosius, non apertè se proferant, sed callidissimè tegant: talis quippe est falsorum natio Prophetarum. Sed tu nequaquam, inquit, istud aspicias, quòd hæc vel arcta vel aspera est, sed vbi desinat: nec quòd lata & spaciosa est illa contraria, sed quónam perducat. Hæc verò cuncta com- Matth.11. memorat, vt alacritatem in nobis voluntatis exuscitet, sicut & alibi dicit: Regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Qui enim certamen ingreditur, si videat certaminis præfectum ardua ipsius congressionis horridáque mirantem, maiore profectò animi alacritate succẽditur. Ne igitur angamur, cùm nobis multa in hoc itinere mœsta contigerint. Arcta est enim via, & porta prorsus angusta: sed non talis etiam illa est, ad quam tendimus ciuitas. Et idcirco neque hîc oportet sperare requiem, neque ibi triste aliquid iam timeri.

Dicendo

non repudiandum.)

Supra 6.

Rom. 8.

Vtrumque & diuinum auxilium, & nostrũ studium ad virtutem requiritur.

* pro hæc, alij legunt, ἕτω, id est, ita. In vtroque codice Græco neutra dictio habetur, nec etiam in Theophy. Romæ impresso.

Dicendo verò, *pauci sunt qui inueniunt eam*: segnitiem A plurimorum euidenter expressit: ac docuit auditores, vt non ad multorum prospera hæc ac læta respicerent, sed potius ad laboriosa paucorum. Nam plures, inquit, non modò per hanc non ingrediuntur viam, sed eam ne eligunt quidem: quod extremæ est omnino desidiæ. Verùm nequaquam ad multitudinem oportet aspicere, neque hac exemplorum densitate turbari: sed imitari paucos qui hoc nos itinere cautissimè incedere cohortantur. Nam cùm ipsa via arcta sit, tum etiam plurimi sunt iter facientium, qui ab eius nos excludere conantur ingressu, propter quod intulit, *Attendite à falsis Prophetis*: † *veniunt*] *enim ad vos in vestitu ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Ecce cum canibus ac porcis, aliud quoque insidiarum genus multò illis profectò efficacius ad nocendum. Illi quippe professi sunt, & omnino manifesti: isti verò fraudulenter obtecti: & idcirco ab illis quidem imperat abstinere, istos verò etiam diligenter examinari, atque B discerni, quasi omnino difficile sit ad primum illos intelligere congressum, propter quod dixit, Attendite: vt nos ad eos excutiendos redderet acriores. Deinde ne cùm audissent arctam atque angustam viam: & quia illos multis aduersantibus per eam oporteret incedere, porcos quoque & canes esse cauendos: cúmque istis aliud quoque malitiosius genus luporum: ne (inquam) tot tristium rerum aggestione conciderent, ac durum putarent, tam multis insidiantibus iter tale conficere, & de omnibus mandatis præterea esse sollicitos, malorum quoque illos quæ sub patribus eorum sunt facta commonuit, huiusmodi homines falsos Prophe- Luc.21. tas vocando: nam & antè talia contigerunt. Nolite, inquit, omnino terreri: nihil prorsus vobis nouum accidet, nihilque peregrinum, sempérque diabolus ad oppugnationem veritatis subornat errorem. Per pseudoprophetas autem hîc non mihi significare videtur hæreticos, sed eos qui cùm sint vitæ prauitate corrupti, C speciem tamen virtutis induti sunt, qui vulgò impostores vocari solent, propter quod intulit, dicens: *Ex operibus eorum cognoscetis eos.* Nam apud hæreticos quidem saltem vita honesta frequenter ostenditur, apud hos verò nec vita. Quid ergo, inquis, si etiam mores fingant honestos? sed facilè deprehendentur, atque capientur. Talis quippe est natura istius vitæ, quam vos conficere præcepi, laboriosa prorsus ac dura: virtutis verò simulator recusat laborem, solámque sui ostentationem requirit, propter quod etiam de simulatione conuincitur. Quia verò dixerat, *Pauci sunt qui inueniunt eam*: sanctam proculdubiò paucitatem ab eis secernit, qui cùm non inueniant iter illud angustum, tamen se inuenire simulant. Et cæteris præcepit, vt non ad eos qui virtutis specie teguntur aspiciant, sed potius ad eos qui illam viam in veritate concelebrant. Et cuius, inquies, rei gratia non eos facit esse manifestos, sed nobis potius curam huiuscemodi examinationis imponit? Vt pro- D fectò vigilemus, simus absque intermissione solliciti, non ab apertis modò, sed ab occultis quoque inimicis Rom. 16. cauendo, quos significat & Paulus, dicens: Et per dulces sermones seducunt corda innocentium. Nequaquam ergo turbemur, cùm huiusmodi homines nostráque ætate plurimos videmus. Nam hos quoque Christus ab initio prædixit. Et considera lenitatem: non ait, punite tales, sed tantummodo ne ab eis lædamini præcauete, & ne incircumspecti, atque immuniti in eorum insidias incidatis. Deinde ne diceres impossibile esse huiusmodi homines deprehendi, rursum similitudinem à communi hominum ponit exemplo. *Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem arbor fructus malos facit. Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Quòd verò dicit, huiusmodi est: nihil habent mite, vel dulce, qui oues vsque ad superficiem mentiuntur, propter quod omnino facilis discretio est. Et ne vel in exiguo quidem hæsites, naturalibus iam necessitatibus comparat ea quæ aliter fieri non possunt: quo more loquebatur & Paulus: Sapi- Rom. 8. entia, inquit, carnis, mors est: legi enim Dei non subiicitur, nec enim potest. Quod & idipsum ponit secundò, non est superflua repetitio verborum. Sed ne quispiam diceret, arbor mala affert quidem fructus malos, affert tamen etiam bonos, fitque ex duplici fructuum qualitate discretio ipsa difficilis. Non est hoc, inquit, omnino: malos verò tantummodo affert, bonos verò nequaquam poterit afferre. Sicut & arbor bona non nisi iuxta suam naturam fructificare solet. Quid igitur? Nunquámne homo bonus in malum versus est, aut malus rursus in bonum? atqui multorum omnino in diuersa mutatio talia nobis abundè ministrat exempla. Christus autem non dixit impossibile esse malum ad meliora conuerti, nec bonum negat in deterius posse transire, sed quia quamdiu malitiæ affixus est, bonum vtique fructum non possit afferre. Nam transire quidem ad virtutem, etiam cùm sit malus, potest: sed nunquam bonum affert fructum quamdiu in malitia perseuerat. Quid ergo? Dauid nónne cùm bonus esset, malum attulit fructum? Immo non permanens bonus, sed vtique mutatus. Cæterùm si qualis erat continuò perseuerasset, nequaquam talem fructum tulisset, neque enim permanens in cœpto virtutis vsu fecisset illa quæ fecit. Hæc autem idcirco præcipuè dicebat, vt eorum quoque qui temerè obloqui etiam innocentibus solent, linguas reprimeret, palsímque accusantium ora frænaret. Quia enim plurimi bonos quoque de malorum ingeniis æstimant, vt omni eos excusatione nudaret, hoc intulit: Non enim, inquit, potes dicere, Circumuentus sum atque deceptus. Siquidem manifestam tibi discretionem ex operibus ostendit, & vt etiam discuteres eorum opera, præcepit, ne scilicet temerè cuncta confunderes. Deinde quia eos puniri non iusserat, sed tantum caueri, hos quidem consolatur qui eorum patiebantur insidias: illos verò deterrens, & ad meliora conuertens, pœnam ab ipso infligẽdam eis ceu murum circumduxit, dicens: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur & in ignem mittitur.* Deinde vt sermonem ipsum aliquantulum temperaret, intulit: *Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Ne comminationem tanquam ex proposito & præcipuam videretur inducere, sed eam quę consilij vicem atque admonitionis impleret, hac eorum animos interminatione atque examinatione cõcussit. Quo quidem loco mihi etiam Iudęos videtur notare, huiusmodi fructus sæpe monstrãtes. Pro- Matth.5. pterea etiam Ioannis verbis vti maluit, per eadem scilicet rerum vocabula illis supplicium depingens. Talia quippe etiam ille dicebat, cùm instantem securim, & excidendam arborem, ignémque inextinguibilem nominaret. Et videtur quidem vna tantummodo pœna esse, nempe comburi. Si verò aliquis diligenter expendat, duplex hoc inuenit esse supplicium. Qui enim in gehenna vritur, cœlorum etiam regnum prorsus amittit: quæ certè pœna maior est, quàm cruciatus ille flammarum. Noui autem quòd plurimi pertimescant tantùm gehennam, ego tamen illius gloriæ amissionem multo amariùs, quàm ipsius gehennæ dico esse supplicium. Si verò id non possum sermone monstrare, nihil est omnino mirandum. Neque enim nouimus illorum beatitudinem præmiorum, vt infœlicitatem

venient.)

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoque de eorum amissione perspicuè scire possimus. Cæterum Paulus qui ista cognita habebat, certissimè nouit, quoniam excidere à Dei gratia, omnium sit profectò miserrimum. Nos autem hoc tunc absque dubio discemus, cùm experimento cœperimus doceri. Sed istud vt ne patiamur faxis ô vnigenite fili Dei, neque experiamur intolerabile istud horrendúmque supplicium quàm grande sit: Nam quàm malum illorum bonorum portione priuari, apertè quidem exprimi non potest: tamen prout mihi possibile fuerit, conabor atque contendam per exempla vobis illud facere vel ex parte manifestum. Ponamus igitur adolescentem aliquem esse mirabilem, eundémque & cunctis florere virtutibus, & totius tenere orbis imperium, támque in omnibus esse perfectum, vt vniuersos erga se homines patrio ardere faciat affectu. Quid non ergo istius patrem pati existimatis libẽti animo, ne talis filij priuetur conuersatione: quod verò vel exiguum vel grande malum non esse subiturum, modò vt illum etiam videat, atque illius præsentia perfruatur? Hoc igitur de futura quoque gloria cogitemus. Neque enim sic filius patri, etiamsi virtutibus mille decoretur, desiderabilis est atque mirabilis, vt cœlestium fructus bonorum, ac resolui, & esse cum Christo. Intolerabilis quidem res est etiam gehenna: quis nesciat? & supplicium illud horribile. Tamen si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est à beatæ illius gloriæ honore repelli, exosúmque esse Christo, & audire ab illo, Non noui vos: atque argui quòd esurienti & sitienti negauerimus cibum & potum. Est enim satius mille fulmina sustinere, quàm vultum illum mansuetudinis pietatísque plenum, nos tamen auersantem videre, & illos placidissimos oculos nequaquam nos aspicere sustinentes. Si enim ille me cùm ei inimicus existerem, eúmque odissem, atque auersarer: ita est tamen secutus, vt ne sibi quidem parceret, seséque ipsum in mortem traderet: quando post illa omnia esurientem illum ne pane quidem duco dignum, quibus iam illum potero oculis intueri? sed hoc etiam loco illius considera lenitatem. Neque enim beneficia sua imputando commemorat, nec quòd illi eum despiciant, quibus tanta præstiterit: nec enim dicit, me despicis, qui cùm non esses, esse te præstiti, & tibi inspirauí animam: qui te supra ea quæ in terra sunt cuncta constitui, qui propter te & cœlos, & aërem, & pelagus, & terram, & omnia quæ existunt, creaui: qui à te inhonoratus sum, & diabolo ipso vilior existimatus: qui nec siquidem destiti, sed innumera tibi beneficia etiam post ista donaui: qui ob tuam salutem fieri seruus elegi: qui palmis ora temeratus, & faciem sputaminibus aspersus, & occisus, & quidem turpissima morte: qui pro te etiam in cœlo interpello patrem, qui Spiritum sanctum tibi dono, qui te ad regnum inuito cœlorum, qui tibi etiam tanta promisi: qui & caput tuum esse volui, & sponsus, & vestis, & domus, & radix, & pastus, & potus, & pastor, & rex, & frater: qui te hæredem cohæredémque delegi: qui de tenebris in lumen te duxi: cùm hæc enim, hísque plura proferre posset, nihil horum omnino commemorat. Sed quid? solùm ipsum profectò peccatum, hîc quoque charitatem ac desiderium quod erga te habet ostendens. Neque enim dixit, Ite in ignem paratum vobis: sed, paratum diabolo. Et prius dicit, quænam illi peccauerint. Et ne tunc quidem cuncta, sed pauca: & ante hos illos qui mandata eius impleuerint, in regnum vocat, vt ex hoc quoque ostendat iustè se culpare quos damnat. Quónam ergo supplicio non sunt verba eiusmodi sæuiora? Si enim hominem aliquis à quo beneficiis affectus est, esurientem videns A minimè despicit: sed etsi fortasse despiciat, certè cum ei ille exprobrare beneficia sua cœperit, eligit magis in terram omnino demergi, quàm coram duobus tribúsve amicis tale aliquid audire: quid nos patiemur, perpendite, qui toto iam teste mundo hæc quæ memorata sunt, audiemus? quæ ne tunc quidem diceret, nisi & æquitatem propriæ vellet declarare sententiæ. Quod enim haud exprobrans ea proferret, sed quasi satisfaciens, & ostendens, quia non eis frustra, nec absque certa iustitiæ ratione dicturus sit, discedite à me: ipsa satis beneficiorum quæ eis antè contulerat liberalitate patefecit. Si enim exprobrare voluisset, omnia illa quæ dixi, adduceret in medium: nunc autem dicit sola illa quæ passus est. Timeamus igitur dilectissimi, huiusmodi tunc audire sermones. Non est lusus hæc vita, immo est quidem præsens vita lusus, sed non est lusus etiam futura. Immo non tam lusus est vita nostra, quàm aliquid fortè deterius. Non enim tendit B ad risum, sed intolerabilem quoque portabit dolorem eis qui mores suos non maturè ac diligenter instituunt. Quo enim distamus à pueris ludendi gratia casulas ædificantibus, nos qui ampla prætoria & clara construimus? Quæ autem dissimilitudo est inter eorum prandiola ad ludum parata, & nostra hæc splendidè ac delicatè apparata conuiuia? Nulla planè, nisi quòd ea nos ad supplicium nostrum sæpe faciamus, quæ illi imitantur ad ludum. Quòd si necdum perspicimus eorum quæ agimus vilitatem, non est profectò mirandum. Nondum enim venimus ad maturitatem virorum, quò cùm venerimus, intelligemus hæc omnia esse puerilia. Nam & illa cùm ad virilem transimus ætatem, ridere consueuimus, quę cùm pueri essemus, etiam studiosè credebamus esse facienda. Nam & testas & lutum sæpius aggerentes, non minus gloriabamur, quàm hi qui certatim amplas porticus & triclinia gaudent superba construere: sed tamen peribant illa, & C continuò corruebant. Verùm ne stantia quidem vtilia nobis esse potuissent, sicut ne istæ quidem splendidæ domus, quæ certè iam cœli ciuem capere non possunt. Sed neque iste in illis se habitare pateretur, qui patriam obtinet supernam. Verùm vt nos pedibus ludicra illa ædificiola plerunque destruimus, ita hæc sapienti illi mente subuertit: & sicut nos paruulos de illa flentes destructione ridemus: sic isti quoque nobis de hac subuersione mœrentibus, non modò rident, sed etiam flent. Siquidem & eorum viscera compassione plena sunt, & nobis ingentia hinc nascuntur incommoda. Iam igitur in viros transeamus aliquando. Quamdiu humi serpimus, de lignis ac lapidibus gloriantes? Quousque lusibus occupamur? atque vtinam tantummodo luderemus, nunc verò etiam salutem nostram ipsi despicimus, ac prodimus. Nam vt pueri cùm neglectis literis ad huiusmodi nugas sua studia conuerterint, durissimis verberibus subiacebunt: sic nos quoque qui D in his rebus studium omne consumimus, cùm à nobis spiritalium exigetur operum disciplina, nisi quæ reddenda erunt habuerimus parata, horrenda illa supplicia perferemus. Nec erit vllus omnino qui liberet, etiamsi pater, etiamsi frater, vel quilibet alius assistat. Sed hæc quidem, quibus nunc dediti sumus cuncta pariter euanescent: quæ verò ex istis pœna colligitur, immortalis erit, atque perpetua. Quod quidem accidere consueuit in paruulis, quorum puerilis illa constructio à parte tota propter ipsorum socordiam subruitur: ipsi etiam verberati post lusus conuertuntur ad lachrymas. Atque vt hæc ita se habere discas, illud ipsum erga quod maximum studium videtur esse ponendum, id est diuitias, in medium proferamus, & constituamus

stituamus quamlibet è regione virtutem, & tunc præcipuè illarum perspicies vilitatem. Duos igitur homines esse ponamus: nec de auaritiæ opibus sermo sit, sed de honestis adhuc, iustísque diuitiis. Duo ergo talium opum domini fingantur, quorum vnus quidem ad pecunias congregandas maria nauiget, terras excolat, multáque alia reperiat genera lucrandi: quanquam ignoro si hæc faciens iustè patrimonium possit augere. Verùm concedatur istud, & constituatur interim lucra illum iusta conquirere. Iste igitur & agros coëmat, & seruos, & quantacunque sunt talia nulláque ad hæc iniquitate ducatur: alter verò æqualiter locuples vendat agros, vendat domos, vasa quoque argentea & aurea, atque horum omnium precium indigentibus largiatur, pauperibus sumptus subministret, curet ægrotos, in necessitate positos absoluat, alios vinculis eximat, alios eripiat de metallis, alios egestatis impatientia ad laqueũ conuolantes, in vitæ amorem reducat, liberet de seruitute ac morte captiuos: de cuius vos tandem esse parte B malletis? Et certè nondum futura diximus, sed interim ista præsentia. Cuius, inquam, similes esse malletis? cõgregantis aurum, an plurimorum pericula submouentis? ementis agros, an hominibus diuersa calamitatum tempestate vexatis, semetipsum portum parantis? multo auro argentóque circundati, an mille laudibus coronati? Nónne enim hic quidem videtur angeli alicuius similis, qui de cœlo ad consolationem hominum, emendationémque descenderit? Alter verò nec homini cõferendus, sed cuipiam paruulo vanè cuncta & inaniter congreganti. Sin autem pronunciatis huiusmodi hominem esse ridiculum extremæque vecordiæ, quando etiam iniquè opes quis congregat: quid eo potest infœlicius iudicari? Si enim tanta illius sola derisio est, cùm addita fuerit & gehenna, & regni cœlestis amissio: quibus lachrymis, quibus tandem lamentationibus prosequendus est & viuus, & mortuus? Sed aliam quoque, si placet, virtutis partem, eiúsque contrarium pon- C deremus. Alium igitur rursus hominem proferamus in summa potentia constitutum, omnibus imperantem, ingenti prorsus honore conspicuum, præclara præconis sui voce terrificum, habentem baltheum & lictores, ac longo præeuntium ordine gloriãtem, multorum officiorum stipatum caterua: nónne magnum hoc esse quiddam creditur, ac beatum? Age igitur, contra hunc quoque alium è regione ponamus splendentem virtute patientiæ, humilitate, ac mansuetudine refulgentem, & hic tamen patiatur iniurias, atque etiam verberetur, cunctáque hęc facile portet, ac fortiter, eósque à quibus iniurias accepit, benedictionibus prosequatur: respondę, quæso, vter magis horum tibi admirandus videtur? ille inflatus & tumidus: an iste pressus, ac placidus? Nónne rursus hic quidem cœlestibus est virtutibus comparandus, quæ maxima impassibilitate potiuntur: ille verò homini morbo hydropis, & plurimo prorsus tumore turgenti? & hic quidem medico spiritali, ille autem pue- D ro buccas inflanti & ridiculo? Quid tibi arrogas homo, quia sublimi curru veheris, quia te trahat mularum iugum? Et quale istud est? Nam & saxa ita plerumque & ligna gestantur. Sed speciosa veste circundaris? Sed & respice pro cultu vestium, virtutum decore fulgentem, & videbis te quidem putrefacto iam fœno esse simillimum: illum verò arbori admirabiles fructus ferẽti, maximam præbenti cernentibus voluptatem. Tu quippe circunfers pastum vermium atque tinearum: quæ cùm tibi incubuerint, celeriter te huiusmodi ornatu nudum relinquent. Nam vestimentum & aurum, aliud quidem
filiæ sunt) vermium † cibus est, aliud verò terra, & cinis, & iterum terra & præterea nihil: at verò ille qui virtutum decore A circundatus est, talem profectò habet stolam, quam nõ modò tinea, sed ne mors quidem valeat ipsa corrumpere, ídque iure optimo. Siquidem istæ virtutes animi nequaquam à terra sortiuntur exordium: fructus quippe sunt spiritus, propterea neque vermium dẽtibus obnoxiæ sunt. In cœlo nanque huiusmodi vestimẽta texuntur, vbi non est tinea, non vermis, nec huiusmodi quicquam aliud omnino. Quid igitur est meliùs, respondę quæso, sublimari potentia: an potiùs inhonoratum iacere? Splendere diuitiis, an squalere pauperie? abundare deliciis, an fame atque egestate cruciari? Proculdubio melius atque optabilius in honore esse, & diuitiis atque deliciis. Si ergo res ipsas & non nomina cupis, relinque terras, & quæ in ea sunt, & transgredere totus ad cœlum. Siquidem præsentia ista vmbræ sunt, & quædam vanitates imaginum: futura autem veritas rerum immobilis prorsus, ac solida, nec ab vllo tibi aliquando rapienda. Hæc nos igitur omni cum studio diligamus, B vt ex horũ quæ hîc sunt liberemur tumultu, & ad portum illum tranquillissimum nauigantes, multa onusti merce veniamus, & ineffabilibus misericordiæ opibus redundemus: quibus nos omnes contingat potiri, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Homilia xxv. ex cap. vii.

Non *omnis qui dicit mihi Domine domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis est.* Cuius rei gratia non ait: sed qui facit volũtatem meam? Quia hoc interim poterant amabilius audire, quod dixit, citiúsque suscipere: illud autem ad eorum infirmitatem nimis erat grande, quod tacuit. Aliter verò idipsum quod reticuisse visus est, istud dicendo signauit. Præterea hoc quoque possumus dicere, expressum hîc esse manifestè, quia non sit in Patris ac Filij voC luntate diuersitas. Mihi autem videtur Iudæorum hîc propriè conscięntias verberare, omnem prorsus religionem in dogmatum ratione ponentium, de sancta verò conuersatione nihil omnino curantium: vnde illos etiã Paulus coarguit, dicens: Ecce tu Iudæus cognominaris, Rom.2. & requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem eius, verùm nihil tibi ex ea accedit quicquam, nisi eadem vitæ integritate & operibus declares. Ipse autem Dominus non solum id dixisse contentus est, sed & maiora longè & terribiliora subiunxit: *Multi*, inquit, *dicent mihi in illa die, Domine domine, nónne in nomine tuo prophetauimus?* Non modo ille, inquit, qui habet fidem, conuersatione neglecta regnum non poterit introire cœlorum: sed & ille qui vnà cum fide multa etiam splẽduit claritate signorum, nec tamen aliquid in vita boni operis exercuit, à cœlestibus similiter ianuis repelletur. Multi enim mihi dicent in illa die: Domine domine, nónne in nomine tuo prophetauimus? Nempe consiD deras quemadmodum se quoque introducat latenter: postquam enim totam absoluit cõcionem ad populum, meritò iam se iudicem esse demonstrat. Nam quòd expectat pœna peccantes, in superioribus euidenter expressit. Quis vero sit puniens hîc reuelat, nec tamen apertè dixit, ego sum: sed multi, inquit, in illa die dicent mihi, domine domine: idipsum rursus hac moderatione conficiens. Si enim iudex ipse non esset, quo modo ad eos diceret, *Tunc confitebor eis, discedite à me, nunquam noui vos?* Non vtique futuri solummodo iudicij tempore, sed ne tunc quidem, inquit, quando vos faciebatis signa mirabilia. Propterea etiam discipulos admonebat: Nolite gaudere, quia vobis dæmonia subiecta sunt, sed Luc.10. quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Et vbique

Universidad de Deusto
Biblioteca

prorsus ad plurimam eos curam conuersationis hortatur. Neque enim accidit, vt homo rectè honestéque viuens, atque ab omnibus vitiis liberatus aliquando despiciatur à Deo: sed etsi in aliquo errore teneatur, citò illum Deus ad notitiam pertrahit veritatis. Verùm sunt quidam qui opinentur mentiri tunc illos ista dicendo, & propterea, inquiunt, nec merebũtur omnino saluari: quod si ita est, ipse aduersus illum sẽsum agit, quem voluerat inducere. Voluit enim hoc loco asserere, quòd fides absque operum sanctitate nil etiam valeat: deinde idipsum vlterius extendens, adiecit & signa, vt videlicet ostenderet, quòd non modò fides, sed ne ipsa quidem cuipiam miraculorum operatio profutura sit, si ea operatus fuerit absque possessione virtutum. Sin autem illi nequaquam ista fecerint, quemadmodum hæc conficietur assertio? Aliter verò neque auderent hi ipsi Domino, iam vtique iudice præsente, mentiri: Quin & ipsa responsio, & quod per interrogationem dicunt, hæc eos fecisse demonstrat. Illi quippe, quia contrarium expectationis suæ finem videbunt, quia hìc fuerint mirabilia faciendo conspicui, vbi se intelligent illic puniendos, quasi stupentes dicent, atque mirãtes: Domine domine, nónne in nomine tuo prophetauimus? Quemadmodum nos auersaris modo? Quid sibi vult nouus iste finis, nec à nobis aliquando prouisus? Sed mirentur illi qui cùm tot signa fecerint, punientur: tu verò nihil omnino hoc mireris. Omnis quippe gratia donum est sólummodo largientis. Illi autem nihil ei de proprio attulerunt, propter quod etiam meritò puniuntur, qui erga eum à quo ita honorati sunt, vt talia etiam indignis dona conferret, ingrati existere maluerunt, tantorúmque beneficiorum prorsus immemores. Cur, inquis, iniquitatis operarij mirabilia fecerunt? Sunt quidam qui dicant eos non eo tempore quo signa faciebant, operibus iniquis vacasse, sed postea esse mutatos, & ad iniquitatis opera conuersos. Sed si id esset, alio rursus modo non cõsisteret illud quod Dominus curauit adstruere. Quod enim studuit ostendere, istud profectò est, quoniam neque fides, neque mirabilia quicquam valeant si non assistat vita. Quod certè dicebat & Paulus: Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, & nouero mysteria omnia, & si habuero omnem scientiam, charitatẽ autem non habeam, nihil sum. Qui igitur isti sunt, inquies? Multi profectò credẽtium acceperant dona gratiæ, ex quibus erat ille qui cùm in Christi nomine dæmonia eiiceret, non tamen eum etiam sequebatur: qualis erat & ipse Iudas. Nam hic quoque quanquam esset malus, gratiæ tamen munus acceperat. Quinetiam in veteri testamento idipsum qui quærit inuenit, videlicet in ipsis quoque indignis, ad aliorum vtilitatem gratiam frequenter operatam. Quia enim non omnes in omnibus idonei sunt reperti: nam alij quidem vitæ erant honestate conspicui, nõ tamen pari etiam ardore fidei seruebant: alij verò è contrario fidei bonum absque vitæ honestate seruabant: & illos per istos exhortatur, vt fidem studerent habere maiorem: & hos per ineffabile istud donum, vt essent etiam in conuersatione meliores. Et idcirco eis ad liberalitatẽ maxima gratiæ dona præstabat: *Virtutes*, inquiunt, *multas fecimus: sed confitebor illis tunc, nunquam noui vos*. Nunc quidẽ se esse amicos meos putant, tunc verò scient quòd non vt amicis ista donauerim. Et quid omnino miraris si hominibus in ipsum quidem credentibus, vitam tamen ipsi fidei conuenientem non habentibus, gratiæ suę dona largitus est, quando tale aliquid in his etiam qui vtroque hoc nudabantur bono, inuenitur operatus? Balaam quippe à fide ac probitate vitæ erat prorsus alienus, sed tamen operata est in illo Dei gratia, in ædificationem proculdubio cæterorum. Et etiam Pharao talis extiterat, verumetiam ipsi quoque ostendit futura. Et Nabuchodonosor iniquissimus fuit, sed huic quoque etiam ea quæ in nouissimo seculo futura sunt, reuelauit: sed & ipsius filio qui facilè patrem impietate superauerat, futura patefecit, admiranda & maxima negocia dispensando. Quia igitur & tunc ipsa adhuc erant euangelicæ prædicationis exordia, multáque oportebat diuinæ potentiæ clarere documenta, plurimi quoque indignorum accipiebant dona gratiæ: veruntamen nihil propter hæc illi signa lucrati sunt, sed magis etiam punientur, propter quod & terribilem minatur eis sermonem dicendo, Nunquam noui vos. Multos quippe hìc odit, atque auersatur etiam ante iudicium. Timeamus igitur dilectissimi, maximãque curam sanctæ conuersationis adamemus, nec putemus minus aliquid nos habere, quia nos modò signa nõ facimus. Nihil namque tunc nobis propter illa amplius reddetur, sicut nec minus dabitur, quia signa non facimus, si vtique omnibus studuerimus abundare virtutibus. De mirabilibus siquidem nos absque dubio debitores efficiemur Dei: pro bene autem acta vita Deum habebimus debitorem. Quia igitur eũcta perfectè de virtute disseruit, & simulatores eius plurimos ac diuersos esse monstrauit, cum eos qui ad ostentationem sui orant atque iciunant, tum etiam eos qui simplicitatem ouium tantummodo habitu profitentur, tum illos quoque qui veritatem opprimunt & persequuntur, quos etiam porcos & canes vocauit: hinc iam præceptis suis cõsolationem rursus admiscens, ostendit quantum sit virtutis etiam in hoc seculo commodum, quantum etiam malignitatis incõmodum. *Omnis*, ait, *qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti.* Quæ quidem passuri sunt, qui mandata non faciunt, quanuis faciant signa, audistis. Oportet ergo vos discere, quibus sunt illi fruituri bonis, qui omnia quæ præcepta sunt, obedicter impleuerint: qui certè non in futuro tantum, verumetiam in isto seculo de obseruati euangelij vtilitate gaudebũt. *Omnis*, inquit, *qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro prudenti.* Considera quàm admirabili varietate sermonem tractet, modò quidem dicens: Non omnis qui dicit mihi, domine, domine, séque ipsum reuelans: modò verò inferens, qui facit voluntatem patris mei. Et rursus iudicem se demonstrans, *Multi*, inquit, *dicent mihi in illa die: domine, domine, nónne in nomine tuo prophetauimus? & dicam illis, nunquam noui vos.* Hic quoque rursus ostendit habere se ouium potestatem, propter quod ait, *Qui audit verba mea hæc.* Quia enim cuncta disputauerat de futuris, regnum commemorando cœlorum, & mercedem ineffabilem pollicendo, & consolationem Dei, & quantacunque sint talia, vult eis etiam hinc tribuere fructus laborum, & ostendere quantum sit in præsenti quoque vita robur virtutis. Quodnam est igitur ipsius robur? Tutum viuere, atque munitũ, nullique aduersantium rerum in prædam patere, quinimmo cunctis quæ obsistunt superiorem omnino consistere. Cui bono quid vnquam inueniatur æquale? Hoc enim ne ille quidem ipse sibi præstare posset, qui diademate coronatur, sed qui virtute est prædituς. Solus enim iste, & quidem multo cum cumulo bonorum suorum possidet firmitatem, qui potentissima virtutum cohorte munitur, atque inter hos tumentes sæculi fluctus plurima trãquillitate perfruitur. Hoc est enim omnino mirabile, quia cùm nulla serenitas sit, immò cùm sit valida tempestas & magna commotio, & crebræ tentationes, ipse ne tantulum quidem poterit commoueri. *Descendit*, inquit, *pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petrã.* Hìc autem & pluuiam, & flumina, & ventos translatione verbo-

Gen. 14. Dan. 2.

1. Cor. 13.

Marc. 9.

Num. 24.

ne verborum afflictiones, & ingruentia hominibus pericula nuncupauit, calumnias videlicet, insidias, luctus, interitus, aliorum impugnationes, desertiones suorum, cæteráque omnia vitæ præsentis incommoda. Sed nulli, inquit, horum talis anima succũbit. causa verò istius firmitatis est, supra petram esse fundatam. Petram hìc autem doctrinæ suæ firmitatem & certitudinem vocauit. Siquidem omni petra illius sunt fortiora præcepta, & odedientem Deo cunctis prestant tribulationum fluctibus celsiorem. Quicunque enim diligenter hæc custodit, ac fortiter, non modò hominibus nocere cupiẽtibus, verumetiam ipsis dæmonibus sibi insidiantibus superior eminebit. Quod verò ista ad iactantiam non dicantur, Iob certè testis est: qui vtique & omnes diaboli in se excepit ictus, & tamen permanebat immobilis. Idipsum testantur & apostoli, qui fluctibus totius orbis in se pariter irruentibus, tyrannorum scilicet, atque populorum, Iudæorum atque gentilium, & suorum & alienorum, & diaboli prorsus & dæmonum, ad cunctas coniuratas aduersus se impugnationis machinas, pulsata fluctibus rupe firmius constiterunt: quódque est adhuc amplius, omnia ista domuerunt. Quid igitur hac vita beatius possit inueniri? Hoc enim non magnitudo diuitiarum, non corporis fortitudo, non potentia vlla, nõ gloria, non quicquam horum simile poterit polliceri, sed possessio sola virtutis. Non est enim, non est omnino alteram inuenire vitam malis omnibus liberam, nisi hanc profectò solam. Et testes huius rei vos certè ipsi estis, qui aulicas nostis insidias, & illos strepitus ac tumultus, qui domos diuitum sæpe subuertunt, nostis. Sed in apostolis tale omnino nihil cõtigit. Quid igitur? Nihílne erga illos huiusmodi factum putamus? Nihílne illi ab aliquo triste perpessi sunt? Hoc est enim præcipuè maximéque mirabile, quia cùm plurimas quidem illi paterentur insidias, maximéque in illos tempestatum turbines frequenter irruerent: nequaquam tamen eorum animos labefactare potuerunt, nec eis aliquem incutere mœrorem. Obtinuerunt vbique, vbique valuerunt, nudis omnino corporibus luctãdo, cunctáque aduersa vincendo. Et tu igitur si volueris cum diligenti omnia cautione perficere, cuncta hæc impugnationum genera ridebis. Si enim fueris harum adhortationum munitus armis, nulla tibi oppugnatio poterit inferre mœsticiam. Quid enim nocebit, qui diuersas contra te molitur insidias? pecunias fortè tibi diripiet? Sed etiam ante illius minas iussus es istas despicere, & cum tanto perfectionis cumulo, vt ne ab ipso quidem domino tale aliquid postulares. Sed recludet in carcerem? sed & ante carcerem ita te viuere vtique præcepit, vt toti iam mundo omnino esses crucifixus. At malignitate obtrectationis macerabit? sed ab hoc quoque dolore te Christus eripuit, multam tibi citra laborem pro susceptis maledictionibus pollicẽdo mercedem: sicque te esse mũdum iubendo ab ea quæ inde oritur ira, atque tristicia, vt tibi pro inimico etiam orare præceperit. Sed exagitabit te vndique, & afflictionibus mille circundabit? sed clariorem tibi profectò texet coronam. sed afficiet te plagis, vel etiam interficiet? & idcirco rursus tibi maiora præstabit, suóque te scelere ad martyrij palmam prouehet, citiúsque ad tranquillissimum portum ire compellet, amplioris tibi proculdubio mercedis occasionẽ ministrans, téque ab illius diei timore liberans, quo diuersorum actuum ratio in communi reddẽda est. Quod autem præcipuè mirandum est, non modò nihil omnino lædunt qui talibus insidias machinantur: sed eos etiam faciũt oppugnatione clariores. Cui bono quid vnquam simile valeat inueniri, talem vitam videlicet elegisse, qualis hæc sola est? Quia enim dixerat arctam & angustam viam: rursus hinc afferens consolationem laboris, quàm tuta sit via ipsa, quámque etiam suauis, ostẽdit: sicut etiam contrarij illius itineris & asperitatem plurimam, & maxima indicauit esse discrimina. Vt enim virtutis in præsenti beneficia monstrauit: ita etiam vitiorum pandit incommoda. Quod enim dicere semper soleo, id nunc quoque inculcare non desino. Vbique ferè ex vtroque auditorum operatur salutem, tum amorem virtutum, tum horrorem inserendo vitiorum. Quia enim futurum erat, vt ipsa quidem dicta aliqui mirarentur, nec tamen bonorum documenta operum præberent, præueniens eos terret, ac dicit: quia etsi bona sint quę dicuntur, nequaquam tamen ad securitatem sufficit solus auditus, sed obedientia quoque sit necessaria, quæ certè operibus ostenditur. Nam totum profectò in his præcipuè consistit. Itaque hìc iam interim sermoni suo terminum posuit, vbi maximè vigentem in eis timorẽ reliquit. Sicut enim ad studia virtutum, non solum de futuris eos præmiis incitauit, promittendo regna cœlorum, & ineffabilem omnino mercedem, & consolationem futuram, ac bona prorsus innumera: sed etiam de præsentibus, dum scilicet petræ robur & inconcussam firmitatem ostendit: sic etiam ab amore vitiorum non modò suppliciis deterret futuris, excidendam commemorãdo arborem, ignémque inextinguibilem, & à cœlesti regno exclusionem minando & dicendo, Non noui vos: sed de præsenti quoque, dum trãslatione verborum, domus commemorauit ruinam. Hoc quippe ipso vehemẽtiorem fecit profectò sermonem, quo illum etiam comparatione vestiuit. Non enim tantum etiam sententia eius pondus habuisset, si simpliciter dixisset, ac nudè: Insuperabilis erit, qui virtute munitur, & facilè in prædam patebit vnusquisque vitiosus: quantum certè nunc obtinet, cùm ad ipsum cumulatiùs exprimẽdum, & petra, & arena, & domus, & flumina, & venti, ac pluuiæ proferuntur. *Et omnis audiens*, inquit, *sermones hos meos, & non faciens, viro simili iudicabitur stulto, qui ædificauit domum suam super arenam.* Bene autem auditorem huiusmodi, stultum vocauit. Quid enim possit stultius, quídve infœlicius inueniri, super arenam ędificante domum, & laborem quidem necessarium sustinente, fructu verò ipsius laboris ac requie non fruẽte, pérque hoc etiam supplicia perferente? Quòd autem vitiis obnoxij laborent, omnino manifestum est: itaque & raptor, & adulter, & calumniator multum laborant, & plurimum afflictionis profectò sentiunt, vt vel malitiam, vel luxuriam suam ad effectum possint operis adducere: sed non modò nullum de huiusmodi laboribus fructum capiũt, verumetiam damnum grande patiuntur. Nam & Paulus hoc significando dicebat: Qui in carne sua seminat, de carne & metet corruptionem. Huius omnino sunt similes, qui ædificant in arenis, in fornicatione videlicet, atque luxuria, in iracundia, & cæteris talibus. Huiusmodi erat & Achab, sed non & Helias: etenim è regione ponentes & virtutes & vitia perfectius quàm sint hæc inter se diuersa cognoscemus: nam hic quidem super petram ædificauit domum, ille vero super arenam. Et idcirco ille diademate coruscus ac purpura contremiscebat prophetam, sola certè pelle circundatum. tales etiam Iudæi, sed non & Apostoli. Nam pauci hi cùm essent, atque etiam vincti, firmitatem petræ constantiæ virtute superabant. Illi verò qui plurimi armatíque cõstiterant, arenarum imitabantur instabilitatem, denique quasi trepidi cedentésque dicebant: Quid faciemus hominibus istis? Vides nempe stupenda rerum angustia coartari, non comprehensos & vinctos, sed comprehẽdentes, atque etiam vincientes, quo quid magis nouum valeat inueniri? Tu alterum vinculis adstringis, & ipse

Iob. 2.

Gal. 6.

3. Reg. 17. & sequ.

Act. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

potius coartaris: & meritò: siquidem cuncta ædificarãt A in arenis. propterea & imbecilliores omnibus erant, atque dicebant: Quid facitis, volentes inducere super nos sanguinem hominis huius? Quid agis? Cædis, & metuis: Act. 5. alium persequeris, & ipse formidas? Tu iudicas, & tamẽ tremis? ita est quippe malitia infirma. At non similiter & apostoli: sed quonam modo? Non possumus, inquiũt, Ibid. 4. nos quæ vidimus & audiuimus non loqui. Considerasti certè grande inuictæ mẽtis excelsum. Vidisti petram vndarum murmura deridentem. Vidisti domum contra ventorum flatus prorsus immobilem. Quod enim multò est amplius admirandum, non modò deterriti per aduersa non sunt, verumetiam maiorem inde assumpsere constantiã, & persecutores suos in trepidationem maximam compulerunt. Quicunque enim adamantem percutit, magis ipse percutitur. Et qui aduersus stimulum calcitrat, sine dubio ipse pũgitur, suisque propriis ictibus vulneratur: & qui impugnat virtutem tenentes, ipse profectò subruitur: & malitia tantò efficitur B infirmior, quantò contra virtutem diutius præliatur. Et sicut qui ignem obligat in vestimento, illum quidem nõ extinguit, vestem verò comburit: ita etiam qui in virtute positos persequebantur, comprehendebant, ac sæpius colligabant, illos quidem reddebant ex his omnibus clariores, se autem omnino perdebant. Etenim quantacunque ob iustitiam passus fueris aduersa, tantò ingentior efficeris, & firmior: quantóque studuerimus cœlestem honorare philosophiam, tanto magis nullius prorsus alterius indigebimus. Quantò autem non indigerimus alterius, tantò fortiores erimus omnibus, atque omnibus celsiores. talis profectò erat Ioannes. Illum quidem contristare poterat omnino nullus, ipse autem Herodem mœrere faciebat. Nam ille quidem inops rerum, aduersus regem constanter insurgit: hîc verò diademate ostróque fulgens, & mille aliis vmbræ istius ornatus insignibus, tremit ac formidat pauperem prorsus ac nudum. Sed † nec abscissum eius caput] securè pote- C (capite truncatum.) rat ac libenter aspicere, quia post mortem quoque Ioannis in illo terror vigebat. audi itaque quid dicat, Hic Luc. 9. est Ioannes quem ego interfeci. Hoc enim quod ait, interfeci, non est semetipsum superbiùs efferentis, sed timorem suum vtcunque solantis, & conturbatæ menti solicitè suadentis, vt recordetur ipsum esse qui à se fuerat occisus: tanta est vis quippe virtutis, vt post mortem quoque sit viuentibus fortior. Nam & cùm adhuc viueret, multarum domini diuitiarum veniebant ad eum, atque dicebant: Magister, quid faciemus? tanta certè habetis, & à nihil habente cupitis viam vestræ fœlicitatis addiscere? ab inope locupletes? ab eo qui nec domum Luc. 3. possidet, militantes? Talis etiam Helias erat, propter quod eadem libertate & regem increpat & populum: nam ille quidem dicebat, Vsquequo claudicatis vtro- 3. Reg. 18. que poplite vestro? Iste vero, genimina viperarum. Et Matt. 3. & Luc 3. ille quidem † imputabat aliquãdo regi, Tu perdis Israël, 3. Reg. 18. & domus patris tui] hic autem dicebat Herodi, Non li- D Matt. 6. cet tibi habere vxorem Philippi fratris tui. Vides certè dicebat, Inuenisti me inimice mi) sic quide habent Græca, sed mutila videtur: magis enim cõueniũt quæ mox adduntur, Inueni, quia venundatus es, &c. petram, vide rursus & arenam quàm facilè, quàm citò cedit aduersis, quàm facilè per cuncta subruitur: adeò est imbecillis nequitia, etiamsi honore regis iuuetur, etiamsi præsidio multitudinis, atque vniuersa huiusmodi potentia fulciatur: omnes tamen quorum pectoribus inest, sensu priuat, & stupidos reddit. Et idcirco nec simpliciter ruit, sed cum magno etiam fragore collabitur. Et facta est, inquit, ruina eius magna. Neque enim exiguarum leuiúmque rerum periculum est, sed de animæ discrimine, de immortalibus suppliciis sustinendis, de cœlestis regni æternorúmque bonorum amissione res agitur. Quinetiam ante ista tam grandia in præsenti quoque seculo nimis ærumnosæ vitæ, atque omnibus miseriori malitiæ sectator addictus est, cum timoribus assiduis, atque etiã formidinibus sub diuerso onere curarum & trepidationum angore viuendo. Quod certè Pro. 28. ille sapiens significando dicebat: Fugit impius nemine persequente. Huiusmodi quippe homines etiam vmbras tremunt, etiam amicos suspectos habent, hostes, seruos, conscios, ignaros: atque ante supplicium illud futurum, hîc iam sibi tormenta etiam multiplicant. Et hæc omnia Christus manifestando signabat, cùm diceret, *Facta est ruina eius magna.* Ibi apto prorsus fine bona hæc præcepta concludens, eos qui non plenè credunt futura, de præsentibus vitia fugere cohortatus est. Etsi enim maius longè profectò doctrinæ pondus est futuris vel prouocare præmiis, vel deterrere suppliciis, tamen crassiores quasque animas hic magis sermo cohibet, atque à studio malignitatis abducit. Propter quod etiam tali fine sermo eius impletus est, vt magis in eorum mentibus tam vtilis sententia figeretur. Hæc igitur scientes omnia, & præsentia scilicet & futura, vitia cuncta fugiamus: amplectamur verò virtutem, ne vanè atque inaniter laboremus: sed & hîc certo munimine, & ibi cœlesti gloria perfruamus: Quam omnibus nobis contingat adipisci gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVI. EX CAP. VII. ET VIII.

ET *factum est cùm consummasset Iesus sermones istos, mirabantur turbæ super doctrina eius.* Certè videtur fuisse consequens, vt quasi de oneribus præceptorum dolerẽt, ac velut quodam torpore fatiscerent, considerantes præceptorum sublimitatem: nunc verò econtrario etiam admirantur, & laudant. Tanta quippe erat virtus docentis, vt plurimi audientium ea quæ dicebantur, C reciperent, & in admirationem maximam cogerentur, déque ipsa delectatione dictorum persuasionem cohortationis acciperent, nec cùm sermonem ipse finisset, vsquam omnino discederent. Neque enim quia descendit è monte, idcirco auditorum est frequentia dissoluta, sed descẽdentem quoque omne illud sequebatur theatrum: tantum quippe illis dictorum suorum infuderat amorem. Admirabantur verò eius inter multa alia præcipuè potestatem. Non enim quasi ex alterius persona præcepta ponebat, sicut Moses fecerat ac prophetæ: sed ferè vbique se indicabat esse, qui imperandi authoritatem teneret. Etenim cùm præcepta ipsa sanciret, sæpe dicebat: Ego autem dico vobis: & terribilis illius iudicij faciens mentionem, se monstrabat esse iudicem, per Matt. 5. præmia & supplicia. Atque hinc quoque consequens erat illos etiam per ista turbari. Si enim Pharisæi ipsis illum ostendentem operibus potestatem suam, nec exagitare timuerunt, & lapidare moliti sunt: quantò magis hi cùm audirent sola verba, quæ istud signanter ostenderent, etiam consequenter poterant in scandalum cõcitari: præsertim cùm hęc inter ipsa adhuc principia diceret, & priusquam ipse potentiæ suæ documenta præstaret? Sed tamen isti nihil tale patiuntur. Quando enim bona audientis & grata mens est, facilè assentitur sermonibus veritatis. Propterea enim illi quidem signis ipsis Domini omnino potentiam prædicantibus, scandalum de potestate patiebantur operantis: isti verò cùm solum audissent, nudúmque sermonem, ei tamen sedulo credebant, ciúsque vestigiis inhærebant: hoc nanque significans euangelista dicebat, *Quoniam secutæ sunt eum* Cap. 8. *turbæ multæ.* non aliqui scribarum videlicet ac principũ, sed qui erant malitia liberi, incorruptæque sententiæ, & per

& per totum prorsum euangelium hos ei cernis affixos. A Siquidem cùm doceret, audiebant silentes, nihil vtique perstrependo, nec alicuius quæstionis obiectu consequentiam interrumpendo doctrinæ, neque pharisæorũ more tentantes, & reprehensionem aliquam in illo reperire cupientes. Itaque etiam sermone finito permanebant sequentes illum atque mirantes. Tu verò Domini perpende sapientiam, quemadmodum dispensationes etiam suas pro vtilitate variat audientium, vt nunc quidem à signis ad verba transeat, nunc autem à doctrina migret ad signa. Nam & priusquam in montem præcepta daturus ascenderet, multos vtique curauit, vt his quæ dicenda erant, viam pararet. Et rursus prolixo hoc doctrinæ suæ sermone finito, ad facienda iterum signa regreditur, vt ex his profectò dicta confirmet. Quia enim quasi habens potestatem docebat, ne putaretur ostẽtatio esse quædam atque præsumptio genus istud docẽdi, idipsum etiam operibus exercet. Curat enim quasi habens proculdubio potestatem, vt nihil iam omni- B no turbentur, ita eum audientes docentem, quemadmodum vident etiam signa facientem. Cùm enim de monte descendisset, accessit ad eum leprosus, dicens: *Domine, si vis, potes me mundare.* Magna est prudentia accedentis, & fides. Non enim quasi inconsideratus sermonem docẽtis incidit, nec illud auditorum theatrum importunus intercidit, sed expectauit tempus aptissimũ, & vbi descendisset, iam ei opportunissimè supplicauit. Nec sanè negligenter ac tepidè, sed cum ingenti mentis ardore. Nam sicut alter euangelista dicit, supplica- Marc. 1. uit fixis in terra genubus aduolutus, cúmque fide pura prorsus & vera, ac ipsa existimatione dignissima. Non enim dixit, si orauerit Deum, sed si velis, potes me mundare: neque ait, domine munda me: sed ipsi cuncta cõmisit, cúmque conferendæ sanitatis dominum esse cõfessus est, atque in ipso constituit omnium potestatem. Quid verò, inquis, si praua erat opinio leprosi? Proculdubio illam quidem destrui, istum verò corripi oporte- C bat & corrigi. Putásne igitur hoc facit? Nequaquam, sed è regione totum quod dixerat, & assensione prorsus, & operatione confirmat. Et idcirco non dixit, mundus esto, sed volo, mundus esto: vt non iam vltra † illius opi- (illius opinioni, sed domini voluntati sententia adscribatur.) nionem, sed Domini volũtatem sanitatis munus sequatur.] At non ita & apostoli, sed quonam modo? cùm eos homines obstupuissent, quid miramini nos (inquiunt) quasi propria potestate & virtute fecerimus hunc ambulare? Dominus autem cùm multa fuisset mediocri sermone locutus, sæpe etiam quæ infra gloriam eius iacerent, modò vt dogma veritatis insereret: hîc tamen plurimis de ipsius potestate mirantibus, quid ait? *Volo, mundus esto.* Et certè tot signa & talia operatus, nunquam hoc verbo vsus refertur. hîc verò vt de potestate sua opinionẽ & leprosi firmaret & populi, addidit, Volo. & non solum id quidem dixit verbo, & non impleuit effectu: verùm è regione continuò opus sermonem secutum est. Si verò non bene ille dixisset, sed blasphemia D fuisset vlla quod dixerat, cohibenda fuerat virtutis operatio. Nunc autem cessit extemplo iussui natura, cum tanta vtique celeritate, quanta Deum conuenit operari, & profectò maiore quàm euangelista memorauit. Nam confestim quoque ipsum, multò est tardius illius operis celeritate, quo leprosi est facta curatio, non autem ait simpliciter: Volo, mundus esto: sed extendens manum tetigit eum. Quod est certè inquisitione dignissimum. Cuius enim rei gratia, cùm eum voluntate ac sermone mundaret, manus suæ adiecit & tactum? Mihi prorsus videtur non ob aliam illud feciſse cautam, quàm vt hinc quoque ostẽderet, non se subditum legi esse, sed dominum, & quòd cuique mundo nihil sit prorsus immundum. Propterea Helisæus quidem neque videt Naamã, 4. Reg. 5. sed & scandalizatum esse audiens quia ad eum non esset egressus, nec tetigisset, rigorem legis obseruans manet domi, eúmque ad Iordanis fluenta mittit lauandum. At vero Christus ostendit quòd non vt famulus, sed vt dominus curet ac tangat. Non enim tangentis manus immunda est facta per lepram, sed per sanctam manum leprosi corpus omne mundatum. Non solùm enim corpora curaturus, sed animas quoque ad veram philosophiam inducturus aduenit. Sicut ergo vesci manibus illotis omnino non prohibet, optimam illam profectò legem de indifferentia inducens ciborum: ita hîc quoque ostendens animam oportere curari, & externis purgationibus omissis, illam purgari: ac ipsius lepram solummodo esse metuendam, quæ est peccatum. Nam leprosum esse corpore, nullum potest impedimentum afferre virtuti. Primus itaque leprosum ipse tangit, atque ex tanto populo nullus accusat. Non erant quippe ibi B iudicia corrupta, neque spectatores liuore vitiati. Propterea non modo non calumniati sunt signum, verumetiam cum stupore venerati sunt, & sponte concesserunt, ineuitabilem & inexpugnabilem eius potentiam tam ex dictis quàm ex factis adorantes. Cùm igitur curassent corpus eius, ne cui id diceret imperauit: sed vt ostenderet se sacerdoti, & munus offerret quod præcepit Moses in testimonium illis. Sunt quidam qui opinã- Leuit. 14. tur hoc eum propterea iussisse, ne cui diceret, ne callide ac versute agerent circa diiudicationem mundationis. quod qui putant, stultissimè atque ineptissimè suspicantur. Non enim sic eum ille mundauerat, vt emundatio ipsa esset ambigua: sed ne cui hoc diceret, prohibuit, docẽs quàm esset alienus ab aura gloriæ, põpáque iactãtię. Et certe nouerat quòd nõ esset ille taciturus, sed passim tam grande beneficium prædicaturus: & tamen quantum in ipso est, fugit ostentare quod fecerat. Et quemadmodum, inquies, alibi publicari talia ipse præcipit? C non contra se veniens, neque secum dissidens, sed cura- Marc. 5. & Luc. 8. tos à se gratos quoque esse ipse præcipiens. Non enim semetipsum prædicari iussit, sed dari gloriam Deo, vt & per leprosum istum gloriæ atque iactantiæ renunciandum doceret, per illum verò * quem à legione mundauerat,] gratias nos Deo referre commoneret, eiúsque beneficia confiteri, atque vt ostenderet semper ex mirabilibus suis laudem non nisi Deo esse referendam. Quia enim homines, quandiu quidem grandi aliqua ægritudine detinentur, Dei sæpe meminerunt: morbo autem liberati, grauius obsidentur languore desidiæ: idcirco præcipiens, vt & ægroti videlicet & sani Deum iugiter recordemur, ei quem curauerat, ait, Da gloriam Deo. Qua verò de causa iussit, vt seipsum ostenderet sacerdoti, & munus offerret? Vt legem vtique rursus impleret. Non enim vbique illam resoluit, nec vbique seruauit, sed nunc quidem illud, nunc istud effecit. Illud quidem futuræ viam philosophiæ præstruẽdo, istud verò impudentissima Iudæorum ora frænando, & infirmitati eorum necessaria condescensione medicando. Et quid omnino miraris, si hoc in prædicationis suæ fecit exordio, quando & apostoli postquam eos ad gentes ire præcepit, & doctrinæ ianuas toti prorsus orbi iussit aperiri, & excludi legem, & instituta præceptorum nouari, omniáque ferè vetera cessare, inueniuntur aliquando quidem custodire legem, aliquando vero transcurrere? Et quid hoc, inquis, ad legis videtur spectare custodiam, Leu. 14. si dixit, ostende te sacerdoti? immò vel maximè. Erat quippe lex vetus, ne leprosus emundatus, de emundatione sua ipse deceneret, sed vt conspectui sacerdotis se offerret, & probationem suam oculis eius exponeret, atque ex illius sententia in numerum mundorũ rediret.

* quẽ à legione) ista non habẽtur in Græcis: ita vt possit etiam intelligi de leproso, qui vnus è decẽ illis gratias Deo egit. Luc. 17.

3. Reg. 18. Matt. 3. & Luc 3. 3. Reg. 18. Matt. 6. dicebat, Inuenisti me inimice mi) sic quide habent Græca, sed mutila videtur: magis enim cõueniũt quæ mox adduntur, Inueni, quia venundatus es, &c. 3. Reg. 21.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nisi enim dixisset sacerdos leprosum esse mundatum, A adhuc cum immundis erat extra castra mansurus. Propter quod ait: Ostende teipsum sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moses. Non dixit, quod ipse præcipio: sed eum interim ad legem remisit, vndique ora obloquentium consuens. Ne enim cum dicerent rapuisse gloriam sacerdotum, opus quidem impleuit ipse, probationem verò permisit illis, quibus etiam de signis suis iudicandi tribuit potestatem: ac si diceret, Tam procul sum vt vel Mosi videar vel sacerdotibus repugnare, vt eos quos ipse curaui, ad parendum illis inducam. Quid verò est quod ait, *In testimonium illis*? In redargutionem profectò, in accusationem, atque documentum, si peruersæ voluerint esse sententiæ. Quia enim dicebant, vt seductorem ac deceptorem iure persequimur tanquam Deo contrarium, & præuaricatorem legis: tu, inquit, mihi in illo tempore in testimonium eris, quòd à præuaricatione sim legis alienus: quippe cùm te curauerim, ad legem remitto, atque ad sententiam sacerdotum: B quod certe erat honorãtis legem, & Mosi præcepta venerantis, nec antiquis dogmatibus resistẽtis. Si verò nihil iam commodi illis obseruatio ista præstabat, hinc quoque maximè possumus quantus penes illum sit honor legis, agnoscere: quia & præuidens nullum iam eos fructum de obseruatione eius habituros, tamen quæ ipsius erãt, cuncta prorsus implebat. Nam & hoc totum vtique præsciebat, & prædicebat: neque enim dixit, ad ipsorum correctionẽ, neque ad doctrinam: sed in testimonium illis, hoc est in accusationẽ, atque in redargutionem eorum qui me legis esse aduersarium mentiuntur: atque adeò in testimonium quòd tibi à me omnia facta sint. Nam & præscius eos absque emendatione mansuros, ne sic quidem quę facere oportebat omisi: illi verò in malitiæ suæ continuatione durauerunt. Tale est

Matt.24. quod alibi dicit: Prædicabitur hoc euangelium in vniuerso mundo, in testimonium omnibus gentibus, & tũc veniet consummatio. Quibus gentibus? non obedienti- C bus scilicet, neque euangelio consentientibus. ne enim aliquis diceret, cuius rei gratia omnibus prædicas, si omnes crediturí non sunt? Vt, inquit, clareat me ea quæ debui facere cuncta fecisse, & post hæc nemo culpare me possit, quasi qui non audierit prędicantem. ipsa enim

Psal.18. aduersus illum prædicatio testis insurget. Nec poterit post hæc aliquis dicere, non audiui, cùm ad fines orbis terræ pietatis sermo peruenerit. Hæc igitur etiam nos considerantes, nostrum officium præstemus erga proximos, & Deo semper gratias agamus. Est enim prorsus absurdum, nos opere quidẽ ipso beneficiis eius quotidie perfruentes, gratias ei nec sermone persoluere, & hoc cùm nobis rursus prosit ipsa confessio. Neque enim ille alicuius nostri eget, sed nos omnium quæ illius sunt, indigemus. Siquidem gratiarum actio, illi quidem nil omnino addit, nos autem magis illi familiares facit. Si enim nos hominum beneficia recordantes, vehementius eorum amore succendimur: multò magis benefi- D ciorum in nos Dei memores, studiosiores erimus ad ipsius mandata seruãda: idcirco Apostolus dixit, Et gra-

Coloss.3. ti estote. Optima quippe beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorũ, & perpetua gratiarum actio. Propterea & reuerenda ac salutaria illa mysteria quæ in omni certè Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucha-

Eucharistia. ristia (id est gratiarũ actio) nuncupat. Sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, capútque ipsum diuinę erga nos charitatis ostendunt, nósque faciunt debitas Deo gratias semper exoluere. Si enim dominum ex vir-

Matt.1. Matt.21. gine esse natum grande miraculum est, & euangelista cũ admiratione dicebat: Hoc autem totum factum est: in quo tandem beneficiorum ponemus loco, illum etiam mortuum esse pro nobis? Nam si illius tantummodo nasci, totum vocatur iam crucifixum esse, & sanguinem fudisse, & semetipsum nobis in cibum dare, & spiritales illas præbere epulas, quid vocãdum est? Agamus igitur ei iuges gratias, atque istud & verba & facta nostra præcedat, ac dirigat. Agamus verò gratias non de propriis tantum, verumetiam de alienis bonis. Ita enim & inuidiam poterimus extinguere, & alere charitatem, eámque in nobis efficere magis synceram. Neque enim iam illis poteris inuidere, de quorum bonis gratias Deo deferendo lætaris. Idcirco enim altari assistens sacerdos, pro vniuerso orbe terrarum, pro absentibus, atque præsentibus, pro his qui ante nos fuerunt, pro his qui postea futuri sunt, sacrificio illo proposito, Deo nos gratias iubet offerre. Hoc quippe & à terra nos liberat, & transponit in cœlum, atque ex hominibus angelos facit. Nam & illi ordinantes choros, pro his quæ nobis collata sunt bonis, gratias agebant Deo, atque dicebãt: Luc.2. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, in hominibus bona volũtas. Et quid ad nos, inquies, illud exemplum, quod non de habitatoribus terræ, neque de hominibus protulisti? Quinimmo ad nos maximè, qui ita docemur diligere cõseruos, vt illorum bona, nostra esse bona existimemus. Propter quod etiam Paulus in cũctis ferè epistolis suis pro totius penè orbis salute gratias agit ipsius salutis authori. Et nos igitur, tum de propriis, tum de alienis bonis, tum de magnis, tum de exiguis gratias ei referamus assiduas. Etsi enim paruum aliquid fuerit quod datum est, sit magnum tamen de honore donantis: immò nihil exiguum est, quod illo largiente confertur. Non solum etiã quia datur à Deo, † sed quia tale est quicquid ille confert, vt dici nõ mereatur exiguum.] Vt enim alia vniuersa præteream, quæ multitudine sua numerũ exuperant arenarum: quidnam poterit ei, quæ propter nos facta est dispensationi cõferri? Quod enim erat apud eum omnibus preciosius, vnigenitũ pro nobis filium dedit, & quidem cùm adhuc essemus ipsius inimici. Nec dedit solùm, sed & nostram illum fecit esse mensam, omnia faciens ipse pro nobis, & donando vidélicet, & gratiarum actores ipsa donorũ suorum vbertate faciendo. Quia enim in multis homo Deo existit ingratus, ipse vbique susçipit vicẽ nostram, & ea quæ ad nos pertinent, per diuitias suæ dispensationis operatur. Nam quod pro Iudæorũ aliquando salute faciebat tẽporibus locísque ac festiuitatibus variis, in memoriam illos suorum beneficiorum reducens, id nunc equidem magno cum cumulo est operatus in nobis, ipso genere sacrificij, ad iugem nos pro beneficiis suis gratiarum incitans actionem. Nemo quippe ita studuit probos efficere aliquos ac magnos, sempérque gratos, vt nos Deus ipse qui condidit. Propterea etiam nolẽtibus nobis sua interdum beneficia largitur, & iuuat sæpius nescientes. Sin autem mirum videtur quod dictum est, non in obscura aliqua vilíque persona, sed in ipso tibi Paulo istud accidisse mõstrabo. Etenim beatus ille, multis periculis magnísque tribulationibus aggrauatus, Deum frequenter rogabat, vt ab eo tentatio tanta discederet: veruntamen non ad petitionem eius, sed ad vilitatem potius aspexit Deus: idque declarans ait, Sufficit tibi gratia mea, 2.Cor.12. nam virtus mea in infirmitate perficitur. Itaque antequã ei causam panderet, beneficium præstabat inuito, ac penitus nescienti. Quid igitur magnum reposcit, qui pro tanta cura & solicitudine in nos sua solummodo gratos sibi esse nos præcipit? Obediamus igitur Deo, atque hoc vbique seruemus. Nã & Iudæos nihil magis perditioni dedit, quã quòd ingrati Deo esse voluerũt. Multas quippe illas, & vicissim sibi succedentes plagas, nihil in eos aliud quàm istud induxit: immo ante plagas quoque animas

sed per naturam ipsam.)

animas eorum hoc malum corrupit ac perdidit. Ingrati A
Sap.16. enim spes, inquit, sicut hyemalis pruina: ita torpescere & emori cogit animam, vt illa corpora solet. Hoc autem vitium ex arrogantia potissimum gigni solet, cùm se aliquis dignum esse beneficiis existimat. At cõtritus atque humiliatus, non pro bonis tantum, verumetiam pro his quæ aduersa esse videntur, Deo referet gratias: & quicquid tandem patiatur, nihil se indignum putabit perpessum esse. Age igitur nos quoque, quãtum in virtute proficimus, tantum nosmetipsos amplius conteramus: quoniã & hoc magnæ omnino virtutis est. Sicut enim quãtò acutius videmus, tantò magis discimus quàm lõge à cœli regione distamus: sic etiam quãtò superius ad virtutis ascendimus excelsum, tanto amplius docemur, quàm sit inter nos & Deum grãde discrimen. Nec sane minima est pars ista philosophiæ, meritũ suum posse dignoscere. Ille est maximè seipsum sciens, qui se esse nihil existimat. Propterea quippe & Dauid & Abrahã postquam ad summum iam fastigium virtutis euaserãt, tunc B
Gen.18. Psal.23. istud quod dico præcipuè videntur impleſſe. Nam vnus quidem se esse dixit terram & cinerem, alter verò se vermem vocabat, & cuncti omnino sancti horum se more deiiciunt: è regione verò qui arrogans esse mauult, ipse est qui se cunctis deterius ignorat. Propter quod more communi solemus dicere de superbis: Nescit seipsum, séque prorsus ignorat. Qui vero se nescit, quẽ iam poterit agnoscere? Nã sicut ille qui seipsum agnoscit, profectò nouit omnia: ita etiam qui se nescit, consequenter ignorabit & cętera: talis erat qui dixit: Supra sydera cœli ponam thronum meũ. Quia enim ignorauit seipsum,
Esa.14. 1.Cor.15. alia quoque simul cuncta nesciuit. Sed non sic etiam Paulus. Nam & abortiuum se, & minimum sanctorũ vocabat, & ne appellatione quidem Apostoli dignũ se esse dicebat, post tot certè illas, tantásque virtutes. Hunc igitur æmulemur, atque ardéter imitemur. Imitabimur autem, si à terra, & eis quę in terra sunt negotiis liberemur. Nihil enim perinde, quo teipsum ignores, facit, vt tem- C
Sed tantum die verbo, & sanabitur puer meus. poralibus his esse rebus affixum: & rursus, nihil ita temporalibus rebus hominem affigit, vt ipsa sui ignoratio: siquidem vtrumque hoc pendet ex altero. Sicut enim qui gloriam mundi huius requirit, & magna credit esse præsentia, etiam si multum omnino contendat, nunquã tamen ei semetipsum scire conceditur: sic etiã si seipsum despicit, semetipsum facilè cognoscet. Cùm verò se didicerit, hoc ipso iam itinere ad alias quoque partes virtutis accedet. Vt igitur bonam hanc possimus percipere scientiam, cunctis temporalibus liberati, quæ plurimam in nobis flammam cupiditatis accendunt, discẽtes propriam vilitatẽ, omnem ostendamus humilitatem, atque philosophiam: vt & præsentia bona, & futura consequamur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Homilia xxvii. ex cap. viii.

Cvm autem ipse introisset in Capernaum, adue- D
nit ei Centurio deprecans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Leprosus quidem, vt audistis, cùm à monte Iesus descẽdisset, ad eum ac-

Suprà. cessit: Centurio autem hîc cùm iam in Capernaum introisset, aduenit. Quanam igitur de causa neque hic, neque ille ad montem conscẽderunt? non negligẽtia profectò, cùm vterque fide ferueret, sed ne prædicanti obstreperẽt. accessit itaque verecũdè Centurio, ac ait: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Excusando se, vt quidam aiunt, causam adiecit, qua de re puerum non adduxit. Quippe cùm non fuerit facilè paralyticum, qui doloribus non paruis vexaretur,

Luc.7. enim in vltimis esset, Lucas significauit, dicens: Et erat moriturus. Ego autem id ardẽtissimæ illius fidei signum dixerim. Multò enim profectò maiorem istius, quàm eorum qui per tectum immiserunt, fidem arbitror. Quia enim non dubitabat vel solo Domini verbo iacentem excitari posse, idcirco minimè deportandum putauit. Cur igitur Dominus quod nusquam antè fecerat, hîc peragit? Nam cùm vbique voluntati tantummodo supplicantium obtemperaret, hîc etiam prosilit, & non curaturum se solum, sed domum quoque Cẽturionis profecturum pollicetur. Certè id ita facit, vt quanta sit Cẽturionis fides perdiscamus: nisi enim ita fecisset, sed illico puerum sanasset, syncera illius feruénsque fides ignota nobis fuisset. Idipsum etiam in Phœnissa muliere, Marc.7. quamuis contrario quodam modo, perfecit. Hîc enim nõ vocatus, vltrò se domum pollicetur profecturum, vt tu eximiam Cẽturionis fidem, & præcipuè humilitatem perdiscas: at verò in Phœnissa negauit se facturũ quod petebat, & illam constanter iterum atque iterum petentem perplexam & dubiam facit. Cùm enim sapiẽs prudénsque medicus sit, non ignorat cõtraria ex contrariis facilè elicere. Ita hîc vltrò se iturum offerẽdo, Cẽturionis: ibi verò prorogando, & quasi renuẽdo, mulieris fidem cunctis aperuit: sic ad Abraham quoque facit, dicẽs: Non celabo puerum meum Abraham. vt nos sum- Gen.18.
mam eius charitatem percipiamus, & quãta vel erga Sodomitas vsus prouidẽtia fuerit: sic denique qui ad Loth Gen.19. & Rom. 13.
missi erant, ingredi ad ipsum nolebant, vt inaudita ipsius hospitalitas non lateret. Quid igitur ait Centurio? *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum*. Audiamus quicunque volumus Christum susçipere: possumus enim etiam nũc nos ipsum susçipere. Audiamus (inquã) Centurionem, & imitemur, & simili studio Iesum recipiamus. Cùm enim pauperem fame & nuditate confectum receperis, Christum profectò recipis, atque nutris. Suprà & Luc.5.
Sed tantum die verbo, & sanabitur puer meus. Vides quòd Cẽturio veluti etiam leprosus veram de Christo habuit opinionem. Similiter enim quoque non dixit, ora, supplica, deprecare: solum impera. Timens deinde ne per modestiam renueret, illud adiecit: *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habẽs sub me milites, & dico huic vade, & vadit: & alij, veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit.* Sed quid hoc, inquies, si Cẽturio ita est suspicatus? Verùm non id quæritur, sed vtrum Christus opinionem eius de se acceperit ac confirmauerit. Probè valde abste, atque prudenter obiectum est. Si altiùs ergo inspicimus quod in leproso factum didicimus, idipsum etiam hîc perfectum inueniemus. Nam quemadmodum leprosus, si volueris, dixit: neque ab hac tantummodo voce de omnipotentia Christi testimonium est, verumetiam ab ipsius Christi responsione: qui non solùm quod de se leprosus credebat, non arguit, sed etiam mirum in modum confirmauit, quod abundans & eximium erat addendo, cùm dixit: Volo, mundus esto: ac sic verè illum opinari docuit. Simile quiddam hîc quoque diligentiùs considerantes, contigisse inspeximus. Cùm enim Centurio talia dixisset, ac Dei non hominis potestatem paucis ei verbis attribuisset, non modò non reprehendit: verùm etiam laudibus non paruis eum prosecutus est. Nam euangelista non refert quòd laudarit tantùm eius dicta, verum etiam laudis incrementum declarans, quòd etiam admiratus sit, & ita admiratus, vt tanta hominum turba præsente atque audiente imitandum ipsum cæteris proposuerit. Perpendis quòd singuli qui diuinam ei potestatem attestati sint non sine laudibus recipiuntur. Admirabantur turbæ super doctrina eius, quia sicut potestatem habens docebat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nec eos non solùm non reprobauit, sed vnà cum eis de monte descendit, sententiámque de se illorum, mundatione leprosi comprobauit. Clamat ille: Si volueris, potes mundare me. nec reiecit eum, sed sic mundauit, vt verbo illius vteretur, ac diceret: Volo, mundare. Deinde Centurio hic dicebat: *Dic verbo solùm, & sanabitur puer meus. Et admiratus eum dixit: Neque in Israël tantam inueni fidem.* Sed vt vndique muniaris, à contrario quoque idipsum docebimus. Nihil horum Martham, sed opposita dixisse inuenies. Scio enim, inquit, quod quæcunque à Deo petes, dabit tibi Deus: nec solùm quamuis ei familiaris esset, valdéque ipsum diligeret, laudem consecuta non est, sed quasi non rectè de ipso sentiens, emendatur. Respondit enim Dominus: Nónne dixi tibi, quia si credideris, videbis gloriam Dei? Sic apertè ipsam, quòd nõdum crediderit, accusauit. Deinde quoniam illa, quæcunque à Deo petis, dabuntur tibi, dicebat: volens eam ab huiusmodi remouere sententia, docerèque quòd non † aliunde habet] sed omnium bonorum fons est: Ego sum, inquit, resurrectio & vita: id est, non expecto vt ab alio mihi potestas cõferatur, sed à meipso cuncta possum efficere: propterea ergo Cẽturionem coram omnibus laudat, & cæteris omnibus anteponit, & regnum cœlorum ei demum largitur, & reliquos ad imitationem eius inuitat. Quod si non potes tibi persuadere, ideo hęc à Christo sic dicta fuisse, vt cæteri omnes hinc ad similem fidem perducãtur: perpende quàm diligenter id Euangelista significauit. † *Audiens autem Iesus, miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis*] *non inueni tantam fidem in Israël.* Ex his profectò intelligitur id maximè, fidem feruẽtissimam regnũ cœlorum, cæteráque bona nobis præbere, si magna de ipso, Deóque vero digna imaginari velimus: nec verbis solùm laudem illi attribuit, sed ægrotũ quoque propter merita fidei sanum fecit, fulgẽtémque ipsi coronam, ac magnis ornatam muneribus contexit, cùm sic dicat: *Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent* † *cum Abraham & Isaac in regno cœlorum: filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores.*] Liberiùs certè nunc postquam pluribus signis animos eorum attraxit, cum ipsis loquitur: verùm ne adulatione aliqua vsum fuisse Cẽturionem quisquam putet, vtéque omnes ex animo locutum intelligãt, audi quod infertur: *Vade, inquit, & sicut credidisti, fiat tibi.* & cõtinuò res ipsa consecuta, certissimum animi & voluntatis illius testimonium perhibuit. *Et sanatus est puer eius ab illa hora.* Idipsum etiam in Phœnissa pariter factum est: sic enim illi quoque dixit, Magna est fides tua ô mulier, fiat tibi sicut vis. & sana facta est illicò filia eius. Verùm quoniam idipsum in filium Cẽturionis signum Lucas exponẽs, alia quædã istis apponit, eáq; nobis dilucidãda sunt, ne discrepantiam facere videantur aut credãtur. Lucas igitur scribit, eum presbyteros Iudæorũ misisse ad ipsum, deprecantes vt veniret: Matthęus verò ipsum accessisse, ac dixisse, Non sum dignus. Non ignoro quosdam, quamuis in multis cõueniant, alium tamen hunc, alium illum opinatos fuisse. De illo enim dicitur, quia & synagogam nostrã constr uxit, & gentem diligit: de hoc autem ipse Iesus adiecit, Nec in Israël tantã fidem inueni. Nec apud Lucam scribitur, multos venturos ab Oriente: vnde consequens esse videtur ex Iudæorum illum genere fuisse. Nos autem etsi hoc modo faciliùs vitare discrepantiam fatemur, de eodem tamen & hîc & ibi dici arbitramur. Quomodo igitur, inquies, Matthæus non esse dignum dixisse scribit sub cuius tectũ Dominus introiret, Lucas verò misisse, vt iret? Duo hîc nobis Lucas, vt mihi quidem videtur, ostẽdit: quanta sit Iudaïca adulatio, & quòd calamitate oppressi homines, modò hoc, modò illud cõsilium anteponunt. Quare vetisimile mihi videtur, cùm voluisset ad Iesum proficisci Centurio, detentum à Iudæis fuisse, qui ei assentarentur atque dicerent: nos ibimus, & adducemus ipsum. quod ita esse perspicies, si plenam assentationibus orationem eorum diligentiùs cõsiderabis. Diligit enim, aiunt gentem nostram, & synagogam ipse nobis constr uxit. Neque vident vnde Centurionem commendent. Nam cùm dicere oportuisset, voluisse quidem ipsum venire & rogare: sed nos causam eius & calamitatis magnitudinem considerantes, vt domi manere vellet suasimus: ne magnam illius esse fidem ostenderẽt, atque hinc celsitudo Domini, Centurionis iudicio celsitudo Dei esse videretur, virtutem eius, animum, & fidem in Iesum propter inuidiam celare maluerunt, nec ad finẽ perducere istud curarunt, cuius gratia venerãt. Magnas profectò ad cæcandas hominum mẽtes inuidia possidet vires. Verùm is qui occulta cordium nouit, Centurionis fidem etiam inuitis patefecit. quod vt verum esse credas, ipsum Lucam (quæso) rursus audias illud declarantem: ait enim, quia non longè distante eo misit, dicens: Domine non vexeris: non enim sum dignus vt sub tectum meum intres. Vnde patet illum quando à Iudæorum molestia liber fuit, tunc misisse qui diceret: non negligẽtia factum quòd illico ipse non accesserit, sed potiùs quia indignũ se putauit, qui Dominum suæ domi reciperet. Quòd si Matthæus non per alios, sed per seipsum istud dixisse asseuerat, nihil prorsus ad rem: non enim id quæritur, sed vtrum Euangelistarum vterque, quod iam apertum esse arbitror, magnam animi promptitudinem & conuenientem de Christo existimationem habuisse Centurionem testetur. Non est absurdum missos esse primò aliquos, qui illud dicerent: deinde quoque ipsum accessisse, ac per se iterum eadem dixisse. At verò, inquies, Lucas alterum non scripsit: ego autem tibi alterum à Matthæo prętermissum esse respondebo, idque non esse eorum qui repugnãtia dicunt, sed eorum potiùs qui quæcunque ab alterutro prætermissa sunt, diligẽter supplẽt. Tu verò etiam Centurionis fidem à Luca prædicatam esse intellige, quum diceret, quia moriturus erat puer. Nec enim id desperationem adduxit patri, nihilóque minus superstitem fore sperauit. Quòd si Matthæus à Christo dictum ait, Nec in Israël tantam fidem inueni: & hinc non fuisse illum Israëlitam ac Iudæum putas significari, Lucas autem synagogam conditam esse ab illo, noli hæc pugnantia credere. poterat enim etiam cùm Iudæus non esset, Iudæorum & synagogam condidisse, & gentem vehementer amasse. Tu verò verba Centurionis diligentiùs perscrutare, & quòd præfectus erat non prætermitte, vt hinc facilè quanta virtus ipsius fuerit, possis perspicere. Tanta certè eorum superbia est, qui principatus præfecturáque gerunt, vt neque calamitatibus victi ad humiliora condescendant. Vnde ille de quo Ioannes scribit, trahens illum dumum dicebat: [Propera atque] descende: moriturus est enim filius meus: at verò hic non ita, sed tam illo, quàm his qui per tectum demiserunt lectulum, multò præstantior. Non enim præsentiam Christi quærit corporalem, neque ipsum ægrotum duxit ad medicum: sed summa de Christo imaginatus, ac Deum ipsum esse non dubitans, Dic verbo solo, inquit, nec id continuò incipiens dixit, sed ærumnam suam tantum exposuit. Ex nimia namque humilitate factum est, vt putaret non tam facilè Christum ita obtemperaturum suæ voluntati, vt etiam domum eius petere vellet. Quapropter statim cùm audisset dicentem: *Ego veniam & curabo ipsum: tunc exclamauit, Non sum dignus, sed dic verbo solum.* sic nec doloris magnitudo adeò animum eius confudit,

Ioan. 11.

opus habet vt ab alio accipiat.)

Conuersus enim, inquit, Iesus sequentibus se dixit.)

in sinibus Abrahæ & Isaac & Iacob. filij autem regni eiicientur foras.) Et hoc modo legisse videtur Chrysost. nam postea notat pro regno cœlorum sinum Abrahæ dictum esse.

Matt. 15.

Luc. 7.

Ibidem.

Ibidem.

Ioan. 4.

confudit, vt tanta calamitate pressus non philosopharetur. Non enim salutem solùm filij respiciebat, sed ne quid ipse minus decenter faceret aut diceret, animaduertebat: & quanuis non ipse petierit vt iret, sed Christus se iturum obtulerit, veritus tamen etiam sic fuerat, ne videretur maiora quàm dignitas sua pateretur accipere, ac rem grandem prorsus, ac suis viribus imparem subire. Vides prudentiam hominis, vides excellentiam animi, vides singularem quoque Iudæorum dementiam? Dicunt enim dignum esse cui gratiam tribuat. Nam cùm magis humanitatem, facilitatémque Iesu admirari debuissent, ad dignitatem Centurionis confugiunt, dignum esse dicentes, nec quare dignus esset prospicientes: sed non sic Centurio, sed valde se indignum esse asserebat, non salutari beneficio solùm, verumetiam vt domi Iesum reciperet. Idcirco cum dixisset, Iacet filius meus: non intulit, dic vt curetur: veritus ne tanto munere esset indignus, sed nudam calamitatem suam exposuit. Cumque Christi liberalitatem percepit, nec sic ausus est oblata percipere, sed adhuc constanter pertinentem ad se modestiam conseruat. Dicit fortasse quispiam, Et cuius rei gratia pariter eum Christus non honorauit? Respondebimus, Christum vicissim ipsum habuisse honoratum. Primùm quia benignam & humilem mentem illius declarauit: quod inde maximè apparuit, quòd domum ipsius non adiit, & filium curauit. Deinde, quia regni cœlorum participem ipsum constituit, & generi Iudæorum omnium præposuit: ita qui se indignum recipiendi Christum arbitrabatur, cœlo dignissimus factus, incorrupta bona quæ Abraham impetrauit, consecutus est à Domino. Et qua de causa, inquies, leprosus, qui etiã istis maiora perfecit, non est laudatus à Christo? Non enim dixit, dic verbo, sed quod multo maius erat, velis tantummodo. Id verò est quod de Patre ipso propheta protulit dicens: Omnia quæcunque voluit, fecit. Ego autem leprosum etiam laudatum existimo. cùm enim ipsi dictum sit, Offer donum quod iniunxit Moses in testimonium illis, nihil aliud dictum est, nisi quod tu accusabis, condemnabísque Iudæos incredulos, quoniam credidisti. quanuis alioqui non sit æquale quod fecerunt: maius est enim alienigenam quàm Iudæum credidisse. Non fuisse autem Centurionem ex genere Iudæorum, tum à nomine ipso vocabulóque Centurionis perspicuum est: tum etiam quia dictum est, nec in Israël tantam fidem fuisse inuentam. Et erat profectò arduum, hominem qui in Iudæorum numero non erat, tam magna de Christo cogitasse. Imaginatus enim mihi fuisse videtur cœlestem militiam, cuius Christum ducem ac dominum esse credidit: cui etiam mortem ipsam, & morbos ipsos, cæteráque omnia sic esse subiecta non dubitauit, vt nonnulli milites sibi, immò etiam multo magis: propterea dicere non ambigebat, Ego enim homo sum sub potestate constitutus: hoc est, tu Deus, ego homo: ego sub potestate, tu verò sub potestate non es. si ergo ipse qui homo sum, & sub potestate aliena, tot tantáq; facilè possum efficere: quid est quod facere ipse non possis, qui & Deus es, & sub aliena potestate non es? Non enim quasi simile quoddam affert, sed comparationis præstantia, quasi nimium Christus præcellat, hoc dicit: quòd si ego, qui similis sum quibus impero, & sub alterius potestate, tamen propter paruam excellentiam præfecturæ nemine repugnante fiunt quæ iussero, quanuis diuersa sint. *Alij enim dico, vade, & vadit: & alij, veni, & venit.* Quantò magis ipse ad finẽ perducere poteris quę iusseris? Quidam hunc locum ita legunt: Si enim ego qui homo sum, vbi interuallo suspendentes, postea inferunt: sub

Psal. 113. Supra & Leu. 14.

A potestate habens sub me milites. Tu verò illud etiam mihi perpende, quo pacto demonstrauit, quòd etiam morti tanquam seruo dominari possit & imperare vt dominus. Cum enim dixerit, dico, veni, & venit: ac vade, & vadit: illud profectò significare voluit, quòd minimè poterat in quemquam mors peruenire, si Iesus ei abscedere iusserit. Vides fidelem hominem? Nam quod omnibus postea futurum erat apertum atque clarum, quòd mortis ac vitæ potestatem Christus habeat, quòd ad inferi ianuas deducat, atque reducat, ipse multò antè & animo credidit, & aliis prædicauit: nec de militibus tantum, sed & de seruis dixit, quod maioris erat obedientiæ. & tamen in tam singulari atque mirabili fide tanta humilitas resplendebat, vt se indignum putaret: Dominus autem vt dignissimum etiam ostenderet, cuius domum intraret, multò maiora ei contulit, fidem eius cum admiratione prædicans, pluráque ipsi concedens quàm flagitauerit. venit enim corporis B salutem filio quærens, & regnum cœlorum etiam inuenit. Vides in hoc iam adimpletum illud fuisse quo dicitur: Petite primò regnum Dei; & hæc omnia adiicientur vobis. Nam quoniam & inauditam fidem, & eximiam humilitatem præ se ferebat, cœlos ei præbuit, & salutem ipsi adiecit. Neque hinc solùm magni ipsum fecerat, sed inde multò magis, quod omnibus significauit, post quorum eiectionem ipse reciperetur: vt iam neminem fugere possit, his verbis declarari, non ex operibus Legis, sed ex fide salutem hominibus æternam præstari. Idcirco non Iudæis tantum, verumetiam gentibus hoc donum propositum est, & gentibus potius quàm Iudæis. Non enim Centurioni soli, sed in toto terrarum orbe sic futurum prædicit: hoc autem dicebat de gentibus vaticinans: & bona spe eorum animos excitabat, cùm multi à Galilæa gentium ciuitate ipsum sequerentur. Hæc autem dicebat & gentes non sinens animum despondere, & Iudæorum fastum retundens. Ne autem offenderet his dictis auditores, néve occasionem præberet vllam, nõ tanquam primarium caput seu scopum verborum, sermonem de gentibus introducit, sed ansa accepta à Centurione: nec nomen gentium apertum inserit. Non enim dixit, Multi gentium, sed multi ab oriente & occidente, quo sanè gẽtes voluit designare: non tamen audientes perinde offendit: inuolutum enim erat dictum. Neque hac ratione tantummodo, nouum vt videbatur, atque inauditũ hunc docendi modum lenit, verumetiam quia cœleste regnum nõ suo nomine, sed sinum Abrahæ appellauit, quæ appellatio etsi erat ignota illis, attamen non poterat non excitare, & quasi mordere Abrahæ nomine in mediũ allato: qua de causa etiã Ioannes non statim de gehenna quicquam dixit, sed illud proposuit, quod Iudæos maximè contristabat, ne videamini dicere quoniam filij sumus Abrahæ: quamuis his verbis etiam efficiat, ne disciplinæ ac religioni maC iorum oppositus quidam esse videatur: nulla enim talis de ipso potest haberi suspicio: quia adeò patriarchas & Abrahã admiratur ac laudat, vt sinus eorum vltimũ bonorum omniũ finem arbitretur, ac prædicet. Nullus ergo putet vnicã illam esse cõminationem. Duplex enim & illis euenit pœna, & his lætitia & gaudiũ. Iudæis quidem nõ solum quòd exciderunt, sed etiã quòd suis & propriis exciderunt, dolendum: gentibus verò, tum quia bonorum cõpotes facti sunt, tum quia quę nõ sperarunt consecuti, certè gaudendum. His tertium quoq; adiici posset, quòd illi videant negligentia sibi ea excidisse, quæ isti studio rapuerunt. Regni autem filios illos vocauit, quibus regnum fuerat præparatum. Quæ res maiorem poterat ipsis inferre dolorẽ, quũ sinus Abrahę

Mat. 6.

Luc. 3.

Luc. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

repromissione suos, quasi à manibus eorum extorque- A
at. Verùm quia sententię cuiusdam ac iudicij pronun-
ciatio sermo is erat, fidem verborum signo confirmat:
sic & signa verè facta euentu prædictarum rerum cre-
duntur. Quare si quis verbo Saluatoris salutem tunc
puero præstitam dubitauerit, à prophetia Christi, quæ
iam sicut dixerat, in finem exiit: ad illud quoque cre-
dendum animum inducat. Nam & prophetia ante e-
uentum è signo quod tum editum est, omnibus nota
fiebat. idcirco antequam iacentem suscitaret paralyti-
cum, illa prædixit, vt à rebus præsentibus fidem oratio-
ni acquireret, ac minus à maiore confirmaret. Nam
quòd studiosi virtutis cultores fœlicem finem conse-
quantur, & his oppositi finem quoque oppositum: ni-
hil inconueniens, sed rationi consentaneum, & legum
præscriptis congruum est. Cæterum membra fluxa ac
resoluta roborare, & mortuum excitare, maius quàm
secundum naturam erat, eiúsque vires excedens. Attа-
men ad magnum hoc & admirandum facinus non pa- B
rum Centurio contulit. quod & Christus declarans di-
cebat, *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi.* Videsne quemad-
modum & Domini omnipotentiam, & Centurionis fi-
dem salus pueri patefecit, ac etiam prophetiam omni-
no fore confirmauit? imò verò hæc cuncta Christi o-
mnipotentiam magna voce prædicabant, qui non so-
lùm paralyticum pueri corpus confirmauit, sed Centu-
rionis quoque animum in fidem magnitudine miracu-
lorum attraxit. Tu verò non tantùm fidem vnius, & sa-
lutem alterius, verumetiá celeritatem considera, quam
ante oculos ponit euangelista, cùm dicat, *Et sanatus est*
Suprà. *puer in illa hora.* Quod similiter in leproso quoque signi-
ficauit, dicens: Et confestim mundatus est. Non enim
curatio, sed miraculosa ac in momento temporis facta
curatio potentiam ostendit. Ita signis pariter, ac do-
ctrina, qua cœleste regnum aperiebatur, omnes homi-
nes ad seipsum trahere studebat. Nam etiam quibus
minabatur Iudæis eiecturum se eos è regno, non vt eii- C
ciat minabatur, sed vt eiectionis timore ad ipsum con-
uersi non eiicerentur. quòd si etiam minis meliores ipsi
facti non sunt, ipsis crimen totum est imputandum, at-
que iis omnibus qui eodem morbo laborãt. Non enim
Iudæis solum id accidit, sed multis quoque fidelibus.
Nam Iudas filius regni erat, audiuitque vnà cum aliis
Mat.19. discipulis illud, Super duodecim sedes sedebitis: factus
Act.8. est autem gehennæ filius. At verò Æthiops, quamuis
Barbarus quidem esset homo, & vnus eorũ qui ab ortu
atque occasu erant, vnà cum Abraham, Isaac, & Iacob
æternis bonis fruetur. Idipsum in nobis quoque nunc
fit: nam multi erunt, ait, primi vltimi, & vltimi primi.
Mat.20. Vnde cauendum ne aut illi, quasi non possint redire, o-
mnino negligant: aut isti, quasi iam stabiles sint, confi-
dentia corrumpantur. Ita Ioannes quoque antequam
Mat.3. hæc fierent, clamans dicebat: Potest Deus ex lapidibus
his erigere filios Abrahæ. Quandoquidem enim id e-
uenturum erat, ne rei nouitate quisquam turbaretur, D
statim ab ipsis euangelij incunabulis id prædicitur. Ve-
rùm Ioanes quoniam † primùm prædicauit,]quasi pos-
homo e- sibile futurum prędixit. Christus verò vel operibus do-
rat.) cuit, non aliter quàm prædixit futurum. Non ergo ni-
mium confidant qui stant, sed secum crebrò illud repu-
tent, Qui æstimat se stare, videat ne cadat. Nec despe-
1.Cor.10. rent qui ceciderũt, sed dicant secum: Nunquid qui ca-
Psal.40. dit, non resurgit? Nouimus enim multos ad ipsius cœli
& Hier.8. ferè verticem cõscendisse, omnes virtutes numero ha-
buisse, deserta deuiáq; loca à vita hominum aliena co-
luisse, ac denique fœminam neq; in somnis quidem vi-
disse, & tamen negligentia lapsos ad vitiorũ barathrum
deuenisse. Contraq; non ignoramus fuisse nonnullos,
qui à vitiorum barathro commoti, ad cœlestem vitam
ascenderunt, & à scena atque orchestra ad angelicam
conuersationem traducti sunt, tantúmque virtute po-
tuerunt, vt dæmones deiicerent, aliisque multis signis
prefulgerent. Quorum omnium sic plenæ sunt scriptu-
ræ, sic plena est vita hominũ huiusmodi exemplorum,
vt iam adulteri & molles Manichæorum ora queant
comprimere, qui commissa semel delicta, quibus ani-
mus maculatus est, abstergi amplius non posse affir-
mant, diabolo seruientes, ac hominum animos ne vir-
tuti possint intendere deiicientes, totámque humanam
vitam euertẽtes. Nam qui persuadere conantur, vt ab-
iici non posse prauitatem credamus, hi non solùm vt
futura perdamus efficiunt, sed præsentia quoque, quan-
tum in ipsis est, omnino perturbant. Quomodo enim
quispiam cùm male vixerit, relictis vitiis virtuti se tra-
dere studebit, si non esse reditum ad ipsam putabit, nec
fieri posse vt quis ad meliora conuertatur? Nam si mo-
dò cùm sint leges quibus pœnę inferuntur, tum propo- B
siti honores, quibus plerique ad bene viuendũ inuitan-
tur, cùm gehennam malè agentes timeamus, cùm cœ-
leste regnum bonis promissum speremus: cùm denique
improbi dedecore, probi laudibus afficiãtur, vix tamen
pauci arduos virtutis labores, vitiorũ spreta voluptate
sequuntur: his omnibus sublatis, quid poterit homines
detinere ne ruant ac pereant? Non ignorantes igitur
quanta sit fraus & malitia diaboli, apertéque videntes
secularium legum latoribus, Dei oraculis, rationi natu-
ra duce nobis insitæ, communi omnium hominũ sen-
tentiæ, Barbaris, Scythis, Thracibus, ac cunctis simul
cæteris hominibus tam Manichæos, quàm eos qui fato
omnia necessitatéque fieri arbitrantur, oppositos atque
repugnantes: caueamus charissimi, ac per angustum
iter illis contemptis ita pergamus, vt confidere & time-
re verè videamur. Timẽtes quoniam ex vtraque itine-
ris parte, varia præcipitia sunt: cõfidentésque quoniam
C Iesus dux noster est, maturè viam sobrij atque vigiles
pergamus. Nam etiãsi vel paululum dormitauerimus,
& connixerimus, confestim delapsi in immensam præ-
cipitij voraginẽ deferimur. Non enim sumus perfectio-
res nos quã Dauid, qui parua negligẽtia in profundum 1.Reg.12.
peccati detrusus fuit: surrexit tamen velox, suscepitque
seipsum admonitus. Non ergo delinquẽtem solùm in-
spicias, sed etiam multò magis delictorum maculas ab-
luentem. Non enim idcirco hæc tam exquisitè histo-
ria scripta est, vt prostratũ tu illum videas, sed vt surgen-
tem recipientémq; se admireris. sic profectò disces, si
quando decides, quo pacto tibi surgendum sit. Nam
quemadmodum medici grauissimorum morborũ cau-
sas atque curam diligentius in libris suis describunt, vt
in difficilioribus exercitati qui discunt, facile quid sibi
in aliis faciẽdum sit intelligant: sic diuinæ literæ maxi-
ma delicta in medium posuerũt, vt inde minora etiam
committẽtes, facilius rationem curationis inueniãt. Si
enim illa remediũ habuerũt, multo magis etiã minora.
Cõsideremus igitur quo pacto ægrotauit, quomodóq; 2.Reg.11.
per totũ.
citò surrexit beatissimus ille vir. Quo igitur morbo de-
tentus fuit? vxorem alienã seduxit, virum innocentem
occidit. Non enim vereor magna hæc voce publicare.
Nam cùm Spiritus sanctus non in dedecus, sed in laudẽ
vniuersam hanc historiam per scripturam exposuit: cur
me subocculere oportebit? propterea nõ solum facinus prædicare, sed facinoris appendices adiicere cõsti-
tui. Qui enim occultant, mihi videntur obscuriorem il-
lius virtutem reddere: ac veluti qui certamen quo Go- 1.Reg.17.
liath illum obtruncauit, transeũt, non parum de laudi-
bus ipsius detrahũt: non aliter omnes qui hanc rem ta-
citi prætereunt, de gloria eius detrahere videntur. Ad-
mirabile

mirabile forsan videtur esse quòd dico, sed si æquo A
animo in audiendo perstabitis, meritò nos ita sentire
cognoscetis. ideo enim crimen magnum esse fateor,
& longo amplificans vtor sermone, vt magnis quo-
que ac mirabilibus ipsum curis atque remediis vsum
non nequeam affirmare. Quæ igitur facinoris appen-
dices? Virtus hominis, quæ intolerabile crimen facie-
bat. Non enim pariter commissa in omnibus accipien-
da. Potentes enim, ait, potenter tormenta patientur.
Sapien.6. Et, Qui nouit voluntatem domini sui, & non facit, va-
Luc.12. pulabit plagis multis. Ita plurimarum rerum cognitio
acerbiores peccatorum efficit pœnas. Ideo sacerdos si
pariter cum subditis peccat, non eadem, sed multo a-
cerbiora patietur. Sed forsan amplificatione criminis
trepidatis de me, atque timetis, quasi ad inuia periculo-
saque loca delato. Ego autem tãtum iusto illi tribuo,
vt vlterius etiam audeam progredi. Non enim dubito,
quin quanto magis delicti magnitudinem extulero,
tantò maiores Dauidis laudes demonstrare potero. At, B
Gen.4. inquies, quid cęde ac adulterio maius excogitari po-
test? potest profectò. nam sicut Cain non cædem solum
commisit, sed quod multis cædibus erat deterius, cùm
non alienum, sed germanum: non iniuriatum, sed iniu-
riam perpessum occiderit: nec exemplo aliorum cõci-
tatus, sed primus inuẽtor sceleris, aliis se ad exemplum
proposuit: similiter quoque & in hac, non cædes solùm
2.Reg.11. commissa fuit, sed multò maius quàm cædes: cùm non
vnus de multis Dauid fuerit, sed propheta eximius, nec
iniuriantem interfecerit, sed perpessum iniuriam. Non
enim mediocris iniuria est stuprum vxoris, & tamen v-
xorem rapuit, & cum cuius vxor erat, trucidari curauit.
Perpenditis nullo me pacto illi iusto peperciss̃e, nec
quicquam de delictis detraxisse: & tamen tantum illi
attribuo, vt post exquisitam omnium criminum expo-
sitionem, Manichæos quoque qui hæc maximè notant
& taxant, & Marcionis morbo laborantes adesse optа-
rem, vt hinc eorum ora summopere obstruerem: nec id C
iniuria. Nam cùm isti adulterium, cædémq; simplicem
factam asserant, non modò minimè nos id negamus,
verumetiam duplam hanc cædem fuisse affirmamus:
idque tum ab eo qui passus fuit iniuriam, tum à condi-
tione eius qui fecit, comprobamus. Non enim pariter
profectò delinquitur, si quis cùm Spiritus sancti gratiа
cõsecutus, cui multa magnáq; beneficia diuinitùs col-
lata sint qui tacitam authoritatem obtineat, qui deni-
que ad senilem iam sit ætatem prouectus, ea commise-
rit, quæ alius horum omniũ expers perpetrauit. Sed ta-
men idcirco maximè tam prudentiam, quã robur illius
animi admiramur: quod ad nequitiæ profundum dela-
psus, non decidit animo, non desperauit, non tãtis vul-
neribus letaliter à diabolo percussus, quasi victus humi
se resupinum prostrauit: sed velociter, imò certè conti-
nuo magna cum vehementia maiora quã accepit intu-
lit vulnera. Ita non aliter factũ est quàm cùm à Barbaro
quidã in acie fortis vir dimisso telo periculosè percus- D
sus, neq; id semel, sed iterum, atque grauius perpessus,
non cesserit, sed vndique sanguine perfusus magno in
1.Reg.17. hostem impetu ruerit: confestimque trucidauerit: sic e-
tiam Dauid, quantò magis saucium dices, tantò maio-
ris illum animi ostendes: qui postquam ita miserè de-
pressus fuit atque deiectus, velociter surgere, ac ante
primam aciem stare, percussorémq; ipsum humi sterne-
re potuit: quod quale quantumq; sit, hi maximè non
ignorant, qui in summas peccatorum ęrumnas decide-
runt. Non enim ita magni excelsiq; animi ego iudico,
si cùm recte vadas, iter tuum fœlici cursu perficias: ha-
post mil- bes enim dum curris spem optimam, quæ te hortatur,
se coro- incitat, roborat, vires addit: quemadmodum si † prope
nas.)

victoriam & coronam] atque trophæa grauiter lapsus,
ad eundem citò cursum te recipiens, victoriam conse-
quaris. At vt vobis apertiùs pateat quod dicitur, alia
quoque similitudo ante oculos ponatur. Finge igitur
gubernatorem quendam per mille maria incolumem
nauigasse, deinde posteaquam magnas tempestates, &
procellas horribiles, & fluctus insanos arte sagaci eua-
serit, cùm in ipso portus ostio mergeretur, vix inde nu-
dum effugisse: quem animum ad mare, & nauigatio-
nes, huiusmodique labores iste habebit? putásne quod
vnquam voluerit, nisi animi sit inuicti, vel littus ipsum,
aut nauem aliquam aut portum aspicere? Nõ equidem
arbitror, imò seipsum occultãs iacebit diem in noctem
vertens, atque spe omni ad nauigandum destitutus,
mallet mendicus vitam agere, quàm ad primos labo-
res, periculáque redire: sed non fuit huic similis ille, ve-
rùm magno naufragio post multos labores penè sub-
mersus, non desperauit: nec perpetuis se tenebris occu-
luit: sed naui rursum in pelagus deducta, dare vela ven- B
tis post naufragium ausus, & clauo rursum vsus, & plu-
res perpessus labores, maiores iterum accumulauit pe-
cunias. † Quòd si semper stare, ac nunquam cecidisse, Quòd si
diuinum est atq; mirabile:]quibus est laudibus dignus, stare adeò
qui se & à casu recipit, & multa maiora perficit intrepi- fit lauda-
dus? Et certè non erant pauca, quæ in desperationem bile, & ci
detrudere ipsum potuissent, Primum, delictorum inusi- decideris,
tata magnitudo. Secundum, quod non in ipso ingres- perpetuò
su vitæ, atque iuuenta, quæ spem solent nutrire, sed in non facere.)
senectute iam constitutus labitur. Nec enim mercator
qui nuper è portu soluens, ac mare ingressus naufra-
gium fecit: pariter dolet atque ille qui post multas fe-
liciter peractas negociationes domum repetens, naui
in scopulos deuecta, cuncta momento temporis perdi-
dit. Tertium, quoniam partas magnis laboribus ingen-
tes virtutum ac meritorum suorum diuitias his delictis
subuertit. Non enim paruus quidam, sed maximus sin- 1.Reg.16.
gularisque diuitiarum cumulus ipsi repositus erat: mul- Ibide.17.
ta à prima ætate quando pascebat fuerunt congesta:
multa quando gigantem illum atque horribilem Go-
liath superauit, atque deiecit. Multa cùm sæpius euãge-
lica magnanimitatẽ atque philosophica erga Saũl vsus
fuerit: nam cùm cẽties penè in manus ipsius incidisset
inimicus, ignouit semper, maluitque patriam ipse, ac li-
bertatẽ, vitamq;, si esset opus, amittere, quàm occidere 1.Reg.24
inimicum iniustè ipsi insidiantem. Neque his minora
regnum adeptus fecit. Prẽter hæc autem populi de ipso
existimatio, cui se non respondisse videbat, non parum
poterat animum eius cõturbare, cùm intelligeret, non
tantum se purpura exornari, quantum peccati macula
deformaretur. At hæc omnia non ignoratis profectò
quanta magnitudine animi opus sit, vt cùm detegantur
peccata, & in publicum quoque efferãtur: vt multi iam
carpere, ac testes turpitudinis esse queant, non turbe-
tur tamen, rex præsertim, neque decidat, sed meliori 2.Reg.12.
D spe præsumpta, seipsum recognoscat. His omnibus ex
animo pulsis, adeò post illa vulnera Dauid resulsit, sic
se à maculis abluit, ita mundum effecit animum, vt vel
mortuus peccantibus posteris suis succurrerit: & quod
de Abraham, id quoque de Dauid Deum dixisse scri-
ptura testatur, imò verò multò magis de Dauid. De A- Exo.6.
braham enim scriptum est: Recordatus sum testamenti 4.Reg.20
mei quod erat ad Abraham. hîc verò non dicit testa-
menti, sed propter Dauid seruum meum protegam ci-
uitatem hanc. Salomonem etiam qui nepharia crimi-
na commisit, charitate patris placatus Deus à fastigio
regni non deiecit, sed tanta de illo apud Iudæos meri-
to semper fuit opinio, vt apostolus Petrus post multos Act.2.
annos sic in concione Iudæis dixerit: Licet dicere ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

vos libere de patriarcha Dauid, quoniam & obiit, & sepultus est: sed Christus quoque Iudæis loquens tanta ipsum post hæc peccata Spiritus sancti gratia fulsisse ostendit, vt rursus de diuinitate sua, vt propheta, potuerit præuidere. per prophetiam enim eius Iudeorum comprimens ora, Christus dicebat: Cur igitur Dauid in spiritu dominum eum vocat, dicens: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis? Scimus etiam quemadmodum vel nolenti Mosi dedit pœnas Maria, quando contumeliosa in fratrem fuit: sic huic quoque nolenti sceleratus filius dedit pœnas. Quæ quidem præcipuam Dei beneuolentiam in illos viros magis, quàm cætera omnia declarant. Nam cùm Dei sententiam habeas, quid te amplius oportet inquirere? Quòd si velitis particulariùs philosophiam illius perdiscere, facilè poteritis, si quæ post peccatum gesserit, ab historia collegeritis, quanta ei loquendi ad Deum libertas concessa sit, qua erga Deum charitate arserit, quo modo ad virtutum in dies accesserit incrementa, quàm exactè ac exquisitè ad vltimum vsque spiritum vixerit: hæc omnia facilè inquam ex historia cognoscetis. Cùm igitur his exemplis moniti simus, inuigilandum nobis, prouidendúmque est primùm ne cadamus: deinde si fortè ceciderimus, ne diutiùs iaceamus. Non enim vt negligentiores vos faciam, Dauid delicta præ oculis posui: sed vt timore cadendi, maiore vos cura muniam. Nam si tantus vir quia parum neglexit, tot tantísque telis confectus penè fuit, quid de nobis erit, si rectè viuendi normam omnino contempserimus? Quare non quòd ceciderit solum considera, ne fortè pigrior inde fias: sed & diligenter cogita, quid post casum fecerit, quem fletum susceperit, qua pœnitentia die ac nocte confectus fuerit, & quo cilicio indutus, lachrymis lectum suum rigauerit. Quòd si ille tanta cordis compunctione indiguit, quo nos pacto salutem acquiremus nullo post peccata dolore compuncti? præsertim quoniam qui multa meruit priùs, poterit forsan hinc peccata occultare, qui autem nudus omnino est, ad quâcunque corporis partem telum peruenerit, mortale vulnus ingeritur. quod ne accidat, virtutibus nosipsos armemus: & si quid maculæ nos deformauerit, confestim lachrymis & gemitu abluamus, vt ad Dei gloriam hac vita peracta bonis perfruamur futuris. Quibus omnibus vtinam potiamur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium cum Patre & sancto Spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

Mat 22. Luc.20. Psal. 109. Num. 12.

HOMILIA XXVIII. EX CAP. VIII.

ET *cùm venisset Iesus in domum Petri, vidit socrum eius iacentem, & febricitantem: & tetigit manum eius: & dimisit eam febris. Et surrexit, & ministrabat illis.* At Marcus quoniam tempus significare voluit, *Statim etiam adiecit: hic verò signum nobis tantum exposuit, tempore omnino neglecto: & alij quidem addunt, quoniam & rogabat eum quæ iacebat: hic verò etiam id prætermisit: quod certè non est discrepantium, sed alterum breuitatis, alterum narrationis exquisitæ. Sed cuius rei gratia domum Petri Dominus petiit? Mihi quidem videtur, vt cibum assumeret, quod Euangelista quoque significauit, cùm dixit: Surrexit, & ministrabat illis. Nam apud discipulos solebat diuertere, sicut & apud Matthæum, quando eum vocauit: quod faciebat, vt hoc ab eo affecti honore, diligentiores ad omnia fierent. Tu autem etiam hic summam Petri in Christum reuerentiam considera, nam cùm socrus sua domi iaceret, caloréque febris arderet, non traxit eum in domum: sed expectauit quousque prædicationem absolueret, cæteróque omnes qui tunc ad eum confugerant curasset, & tunc demum cùm intrasset, ipsum rogauit: sic enim statim ab ipsis initiis, aliorum commoda suis vt præponeret, institutus erat. Petiit autem domum eius non ab eo vocatus, sed sponte atque à seipso, vt qui à Centurione audierant, Domine non sum dignus vt intres sub tectũ meum: hinc declarans quantum gratificaretur discipulo. Et quanquam cogitatione assequimur, quales quoque piscatorum domus fuerint: videmus tamen ipsum humiles sponte casas petere, vt his omnibus despiciendam esse humanam magnificentiam doceat: & aliàs quidem verbis solis affert curationem, nunc verò manus porrectione febricitantem sanauit. Nonnunquam autem vtrisque vtitur, vt multis modis præ oculis curatio adducatur. Nam cùm adhuc deitatis suæ mysterium latere multos commodius fuerit, ac præcipuè discipulos, ne præ gaudio exclamassent, ideo nolebat semper humanæ curationis modum excedere: quod inde patet: quoniam cùm à monte descenderet, præcepit ne cui dicerent quæ viderunt. Tetigit ergo manum eius, nec febrium tantum ardores extinxit, aut certa incolumitatis signa reduxit: verumetiam pristinas corporum vires recuperare illicò fecit, vt quando facilis curatu ægrotatio videbatur, curandi modo virtus curantis ostenderetur. Nam id certè medendi artificium facere non potest. Nemo quippe ignorat, quàm longo tempore posteaquam febres cessauerunt, opus sit ad pristinum robur recuperandum. Cuncta igitur tunc simul facta sunt: quod & in mari pariter euenisse perpendere possumus. Nam & ibi non ventos solùm, ac tempestates sedauit, sed quod inauditum omnino erat, fluctus etiam vndásque statim composuit. Nam etsi vis vétorum cessauerit, permanent tamen fluctus vndarum diutius: sed non ita hîc. Non enim natura duce, aut arte fiunt, quæ à Christo fiunt, sed simul omnia finem suum assequuntur: quod subostendit euangelista dicens: Surrexit, & ministrabat illis. Id certè tam virtutem Christi supra hominem significabat, quàm voluntatem mulieris, atque affectum erga Christum aperiebat. Illud quoque hinc discimus, quòd nonnunquam aliorum fide alios Dominus curat: pariter enim hîc, & in Centurionis filio, alij quoque modo credebant, alij curabantur. Nam etsi non curetur nisi credens, tamen si aut morbus, aut ætas tenera, aut ignorantia impedimento erat, ne magna quędam posset de Christo quispiam cogitare, aliorum hortatu ac fide adductus curabat. *Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & eiiciebat spiritus verbo, & omnes malè habentes curauit: vt adimpleretur quod dictum est per Esaiam prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit.* Vides iam multitudinis fidem adauctam, certè neque tempore ita cogente decedere poterant, nec importunos se putabant esse, si etiam vespere iam facto ægrotos ad eum adducerent: tu autem mihi perpendas quãtam multitudinem hominum curatam fuisse percurrant Euangelistæ, non per singulos minutim enarrantes, sed vnico verbo miraculorum pelagus exponentes. Deinde ne magnitudo rerum mirabilium incredulitatem cuipiam faciat, cùm tantum populum ex tam variis diuersisque morbis vno momento temporis ab eo liberatum fidem excedere videatur, propheta inducitur, qui iam diu his rebus testimonium perhibuit, vbi & clarè ostendit, magnę authoritatis esse probationem è scripturis petitam & depromptam, signísque profecto non minorem: idcirco dicitur ab Esaia prædictum fuisse: Quoniam infirmitates nostras accepit, & ægritudines*

Marc. 1. τῦθέως, i. statim, cõtinuò, cõfestim. Lucæ 4. Sic etiam habent codices Græci apud Lucam verò & Marcum non ipsa decũbens, sed discipuli pro decũbẽte Christũ interpellant.

Matt. 17. & Marc. 9. & Lucæ 9.

Hic & Mar. 4. & Lucæ 8.

Hic & Mar. 15.

Esa. 53.

tudines nostras portauit: non dixit dissoluit aut curauit: sed accepit atque portauit: quod de peccatis mihi dictum à propheta videtur, vt cum Ioanne conueniat dicente: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mũdi. Cur ergo, inquies, de moribus aut ægrotationibus id dictum euangelista in hoc loco scripsit? Certè aut historicè testimonium prophetæ accepit, aut subaperire voluit plurimas ægrotationes ab animi peccatis originem trahere. Nam si mors quæ morborum omnium fons capútque est, à radicibus peccati pullulauit: quid mirum est, si ægrotationes quoque multæ inde nascantur, vnde vel ipsa ægrotandi potestas egressa est? *Videns autem Iesus turbas multas circum seipsum, iussit vt abirent in vlteriorem ripam.* Videsne iterum, quanto studio fugiat ostentationem? Nam cæteri quidem dicũt dæmonibus eum præcepisse ne dicerent quod ipse esset. Matthæus autẽ dicit, quòd turbas remouebat: quod faciebat partim nos docens humiliánsque, partim ne Iudæi pestiferæ veneno inuidiæ tabescerent, monẽs nihil prorsus ad ostentationẽ à nobis esse faciendum. Etenim non corporum incolumitas curæ sibi tantũmodo erat, sed multò magis animarum saluti prouidebat: ita vtrinque supra hominem se esse ostendebat, & quod morbos verbo aut tactu curaret, & quod humanam gloriam non quæreret. Repellebat igitur turbam, quoniam erant ei affixi non pauci amantes, admirantésque ipsum, videréque ipsum semper cupiẽtes. Et certè quis ab authore talium signorum non inuitus recederet? aut quis vel faciem solam aspicere, ósque ipsum, ex quo diuina præceptorum instituta profluebant, ingenti desiderio non arderet? Nam vt in faciẽdis signis erat mirabilis, sic visu gratiosissimus traditur fuisse: idque ipse propheta significans, multò antè clamauerat, Speciosus pulchritudine super filios hominum. Quod autẽ dicit Esaias: Non habebat speciem, neque pulchritudinem: aut quoniam ad deitatis suæ ineffabilem gloriam, aut quoniam passionis cruentam deformationem, & liuidos tumores respexit, id ita dixit: vel etiã quia tenui eum & victu & vestitu vsurum significare voluit. Non autem prius iussit in vlteriorẽ ripam abire, quàm morbos curauit. Non enim æquo animo abire potuissent: & cui in mõte non concionanti solùm, sed & silenti adhærebant, eodem nunc modo etiam post miracula permanent ex solo aspectu non paruam vtilitatem assequentes. Nam si Mosi facies resplendebat, & Stephani vultus angelicus videbatur: quid de ipsius Domini facie debemus æstimare? Sed fortè nunc his verbis adeò nõnulli incensi sunt, vt desiderent effigiem eius videre: sed dummodò velimus, multò illa venustiorem, si bene hîc vixerimus, tũc aspiciemus, cùm immortalitatẽ adepti, obuiam in aëra ipsi immortali incorruptibilíque corpore rapiemur. Tu verò illud etiam considera, quòd non dicitur repulisse turbas, ne contemni viderentur: nec iussisse vt omnino recederent, sed vt abirẽt in vlteriora: vt spe allecti, quòd illò traiecturus esset, facilius obtemperarent. Et turbæ quidem non parua charitate deuincti, & magno animi affectu sequebantur. Quidam autem pecuniæ auidus, nimiúmque inflatus accedens ait: *Magister, sequar te quocunque abieris.* Perpendis quantus fastus? Nam dedignãs se turbę connumerari, sed ostentans se tãquam plebeiis multo excellẽtiorem, sic accedit. Huiusmodi certè mores Iudæorum sunt, quos aliena temporibus libertate sæpius vti non ignoramus: sic enim alius quidam, cùm cæteri omnes decenti taciturnitate adstarent, ipse quasi insultans ait: Magister, quod est præceptum primum? nec tamen molestè tulit Dominus, nec importunam libertatem corripuit, vt & nos ferendos esse huiusmodi homines perdiscamus: & quamuis non arguit apertè tam peruersa cupientes, tamen ita voluntati eorum responsum accõmodat, vt & ipsi se iustè reprehensos cognoscant, duplicem eis præparans vtilitatem, & quia ipsis adaperuit quòd secreta cordium sciret: & quia ostentationem ipsorum ineptam non protraxit in medium, vt si vellent facilè seipsos possent emẽdare: quod hîc factum liquidò videmus. Nam quæstui seruiens ille, cùm propter multitudinem signorum multos vndique affluere videret, putauit Dominum ex talibus miraculis ditari, ac ideo sequi cupiebat. Sed vnde id nobis patebit, inquies? à responsione Christi, quæ non ad sonum verborum, sed ad sensum interrogantis accommodata est. Quid enim, ait, pecunias credis collecturum, si me sequaris? Nónne vides nec diuersorium mihi esse, nec tantum quidem quantum auibus? *Vulpes enim, inquit, foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Hæc sanè non erant repellentis, sed eius qui & prauã illius opinionẽ carperet, & potestatem daret, si cum spe huiusmodi sequi vellet. Tu verò etiã vide improbos hominis mores, intellige quòd cùm hæc audisset, nihil ex commodissima perutiliq; responsione seipso melior factus est, nec dixit paratũ se esse Christo auscultare. Sed & aliàs sæpe hoc Christus fecisse apparet: apertè quidẽ non obiurgat: responso tamen animos detegit accedentium. Nam & illi qui magistrum bonum appellabat, quíque hac assentatiuncula verborum tracturum ad se Dominum sperauit: ad mentem illius respondens, cur me bonum nominas, inquit, cùm nemo sit bonus præter Deum solum? & qui ei dicebãt: Ecce mater tua, & fratres tui te quærunt: quoniam more hominum non vt aliquid boni perciperent, eum adierunt, sed vt solùm ostenderent, quantò ipsi essent cęteris cõiunctiores, & eo modo captarent vanam gloriam, confestim audierunt: Quænam est mater mea, vel qui sunt fratres mei? Ad fratres quoq; ipsos dicentes, Declara teipsum, quoniam hinc falsè aliquod choragium gloriæ indagabãt, audi quo modo respõdebat: Vestrum tempus semper est paratum, meum autẽ nondum adest. Sed per contraria quoque id facit, vt vbi de Nathanaële inquit: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est. Illud quoque ab his alienum non est, Abeuntes annũciate Ioanni quę audistis & vidistis. Nam hîc quoque non ad verba, sed ad mẽtem eius qui misit, responsum esse videmus: & turbæ autem mentis secreta tetigit, vbi dicit: Quid existis videre in desertum, calamum? Nam quoniam mutabilem quasi Euripũ esse credebãt: ideo falsam eorum de Ioanne suspicionem arguens, ait: Quid existis in desertum videre, calamum à vento agitatum, aut hominem mollibus vestimentis circumamictum? vtraque re significans, neque à seipso esse instabilem, nec quoniam deliciis corrumpatur, posse mutari. Non mireris ergo etiam hîc ad interrogantis mentem, non ad sonum verborum esse responsum. Quod quàm moderatissimè protulit, inde patet, quoniam non dixit habere se quidem, sed despicere, sed nihil se prorsus habere. Vidisti quanta diligentia ad eius infirmitatem condescendat. Nam & cùm esset cum publicanis, aut biberet, aut contra quàm Ioannes aliquid facere videretur, propter Iudæorum, imò potius totius orbis terrarum salutem faciebat. Sic enim & hæreticorum ora obstruxit, & illos qui tunc secum viuebant, summoperè attraxit: sed alius quidem ei dixisse scribitur, *Domine, sine me prius abire, & sepelire patrem meum.* Considera quantum inter hos discrimen est: ille impudenter, sequar te, inquit, quocunque abieris: hic verò etsi rem honestam peteret, nolebat tamen, nisi ei cõcederetur, abire: sed non permittitur ei. Dicit enim ei: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos, tu autem me sequere.* Ita vbiq;

Ioan. 1.

Marc. 1. & Luc. 4.

Mat. 22. & Mar. 3.

Luc. 8.

Ioan. 7.

Ioan. 1.

Luc. 7.

Ibidem.

1. Thes. 4.

Psal. 44. Esa. 53.

Mat. 22.

Universidad de Deusto
Biblioteca

voluntatem hominum inspicit. Sed cúrnam,quispiam A dicet,noluit? Quoniam videlicet neque pater insepultus iacuisset, cùm sepeliendi munus etiam alius quàm filius subire posset, & filium à rebus melioribus abduci non oportebat. Cùm autem mortuos dixerit suos, ostendit profectò non fuisse suum hunc mortuum: vnde mea quidem sententia, infidelium quendam illius patrem fuisse significatur. Si verò mirum tibi de adolescente videatur, quòd cùm rem tam honestam, feréque necessariam intenderet, non sua sponte & per se abiit, sed Iesum consulere voluit: illud mihi solet videri mirabilius,quòd cùm sibi negatum esset quod petebat, non grauiter tulit, sed æquo animo cum Iesu veluti iubebatur, permansit. Sed putásne, aliquis dicet,non ingens ingratitudinis crimen illum incurrisse,qui in sepeliendo parente non affuit?Ego verò ingratissimum hominem eum iudicarem,si negligentia id feciſſet. Si autem ne rem maioris momenti impediret,tum abire potius extremæ fuisset inscitiæ. Dominus enim ipse, non B quia despiciendi sunt parentes, abire vetuit: sed quia discere nos hinc voluit nihil esse vtilius, magísque necessarium nobis doctrina cœlesti,quæ tanto studio obeunda est,vt etsi magna sint quæ abire vrgeant,incumbere tamen omni diligentia,atq; inuigilare debeamus. Quid enim maius videtur, quàm dum sepeliantur parétes,adesse?Quid enim faciliùs,aut quid breuiori tempore peragi potest? quòd si nunc tam breue tẽpus propter sepeliendos parentes abesse à spiritalibus vetitum est:perpende quo supplicio digni sunt qui semper à doctrina Christi absunt, qui vilia nimium atq; abiecta secularium rerum negotia necessariis anteponunt nullo vrgente.Ego autẽ doctrinæ illius efficaciam vehementer admiror:nam cùm adolescentem sibi perpetuò affixerit,à mille malis veluti ab immoderato fletu ac dolore,aliorúmque,quæ hinc oriri solent,eripuit. Erat enim verisimile,post parentis sepulturam, ad testamẽti legatorísque considerationem deuenturum: & hæreditatis C diuisionem, deinde in aliud ex alio quasi vndarum fluctibus distractus procul à portu salutis iactaretur: quæ ne illi accidérent, secum esse ipsum iubet, eúmque sibi volentem affigit ac cõiungit. Si verò tu adhuc miraris, nec æquo animo ferendum putas,quòd non permitteretur adolescens adesse extremo in parentem officio: illud tecũ versa,sępenumero à prudentibus viris,si quis molestius parentis aut filij aut propinqui cuiuscunque mortem, quàm oporteat laturus videatur, non subitò neque in sepeliendi tempore, sed multò post opportunitate data charissimorum interitum fuisse nunciatum: nec vllus vnquam illos carpsit,neque quasi inhumanos reprehendit:iure id quidem. Ecõtra autem crudeles ac inhumani essent, si quos imbecilles animo cognoscerent, illos ad rem asperam atque turbulentam protraherent.Quòd si propinquos ita lugere, vt deiectus mẽtem esse videaris,nõ laudatur: quàm magnum esse malum putandum est, à spiritali doctrina huius vitæ curis D Luc. 9. abduci?ideirco alibi etiam ait, neminẽ qui aratro manu imposita,ad posteriora reuersus est,idoneum esse ad regnum cœlorum.Etenim multo melius,regnum promulgare, & alios à morte retrahere, quàm mortuũ qui nulli vsui est,sepelire: maximè quum sint qui isthæc omnia munia obeant. Quid igitur hinc præcipuè discimus? quid aliud, nisi quòd nullo momento temporis caduca hæc, etiam necessaria videantur, spiritalibus anteferẽda sunt,& quòd aliud longè vita est, aliud verò mors quàm vulgò æstimentur? Quippe cùm multi viuere credãtur,qui nihil à mortuis differant, quoniam in peccatis miseram vitam agentes,nil à mortuis differunt,immò verò maximè differunt,cùm sint illis multò deteriores.Nam qui mortuus est,inquit, iustificatus est Rom. 6. à peccato:hic autem seruit peccato.Nec enim mihi dices, non clausisse hunc oculos, nec sepulchro iacere, nec institis ligatum detineri, nec postremo vermibus esse proiectum,cùm multò peioribus hic quàm qui obierunt vexetur.Non deuorant vermes,sed perturbationes animi omni feroci bestia truculentius exagitant atque lacerant.Quòd si aperti sint oculi,id multo deterius est quàm si clausi essent. Clausi enim mortuorum oculi nihil mali videt: hic verò mille sibi morbos oculis cernendo quotidie contrahit.Ille iacet in monumẽto ad peccandum iam immobilis,hic in sepulchro malo à seipso intrusus,ingenti peccatorum mole obruitur. Sed corpus,dicet quispiam, huius pingue ac floridum, non tabe corruptum videmus. Magna verò res,si corpore integro iampridem anima corrupta atque deperdita est,ac multa putredine oppleta: & ille post mortem per decem dies malè olet,hic verò per totam vitam os habens vel ipsis cloacis spurcius,intolerabilem expirat fœtorem. Quare tanto ille discrimine hoc melior est, quanto naturali solum corruptioni subiectus, corruptionẽ ille patitur: hic verò antequam ad illam perueniat, peccatorum vndique fœdissimam sibi putredinem colligit, mille indies corruptionis vias excogitãs. Sed phalerato,inquit,equo fertur magnificè.Ego verò inquam meliorem illum esse, qui in vrna quasi in lecto quieſcit? quódque decentius est, illum quidem nemo putrescentem cernit, sed tegitur vrna dissolutum corpus: hic autem fœtentem animam in corpore quasi in sepulchro circumagit.Certè si posses animam hominis deliciis ac sceleribus dediti oculis cernere,non dubitares multò melius esse in sepulchro iacere,quàm delictis irretitum detineri: & lapide potius, quàm graui † peccatorum pondere]premi.Quapropter maximè conuenit vt istorum mortuorum propinqui, quandoquidem ipsi sua mala non sentiunt,Iesum pro ipsis adeãt,quemadmodum tunc Maria pro Lazaro fecit. Quòd si malè Ioan.11. oleat,etiam si quatriduanus sit,non desperes tamen,sed adeas,& lapidem inde primũ remoueas:tunc enim statim vt in sepulchro iacentem, & institis ligatum inspicies.Sed producamus in medium insignem quempiam atque potentem,vt in eo quę diximus,apertius conspiciatur:nec vereamini.Nomino enim neminem:quamuis etiam si nominarem,nihil omnino timendum esset: quis etenim vnquam mortuum metuit? vtcũque enim faciat, manet mortuus: mortuus cùm sit,nocere nullo pacto potest. Age igitur videamus caput ipsorum vinctum.Etenim cùm crebro ebrij sint, perinde vt mortui multis velaminibus & institis ligantur, ita istis omnia sensuum organa occluduntur & vinciuntur. Deinde si lubet etiam manus inspicite, videtéq; ventri annexas, sicut mortuorum,non quidem institis constrictas, verùm (quod turpius est) durissimis auariciæ vinculis, quæ vinctas non sinit ad liberalitatem porrigi, sed insensibiles ad huiusmodi officia reddit, sed mortuis inutiliores efficit. Vultis & pedes similiter irretitos videre? Videte variis eos curis alligatos, ac idcirco non posse Dei ecclesiam adire. Vidistis mortuum,nunc & pollinctorem videte. Quis igitur pollinctor ibi est? nempe nullus alius, nisi diabolus, qui eos diligenter ita stringit, & polit,vt non homines, sed ligna arida esse videantur. Nam vbi non oculi, non manus, non pedes, non alia membra suis officiis funguntur:quo modo hunc hominem putabis,præsertim cùm anima etiam eius peccatorũ fœditate obruta, idolum magis quàm anima esse videatur? Quoniam ipsi quasi mortui nihil sentiunt, adeamus Iesum, pro ipsis oremus,vt ipsos excitet: lapidem tollamus, institas dissoluamus:

Insensibilitatis operculo.)

uamus:nam si lapidem auferre poteris,insensibilitatem A eorum scilicet, qua premuntur, velociter profectò ipsos à monumẽto educes:& cùm eduxeris,citiùs atque faciliùs nexus eorum dissolues: tunc eos Christus cognoscet,cùm excitati fuerint, cùm soluti, tunc ad cœnámque suam vocabit. Quicunque igitur Christi estis amici,quotquot discipuli,quicunque mortuum diligitis,accurrite ad Iesum,atque orate. Nam quantò peius solent huiusmodi mortui, tantò magis debemus si eos amamus, pro eis intercedere: & sicuti sorores Lazari tunc feciſſe videmus,non prius à precibus ac orationibus abscedere,quàm viuum recipiamus.Non enim dubito, quin si nostras res & proximorum sic diligenter gubernemus, futuræ vitæ beatitudinem consequamur, ad quam omnes perueniamus, gratia & misericordia Iesu Christi.Amen.

HOMILIA XXIX. EX CAP. VIII.

Luc.8. Mar.4. ET *ascendente eo in nauiculam, secuti sunt eum* B *discipuli eius. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur à fluctibus: ipse verò dormiebat.* Lucas quidem, ne quis ab eo temporum ordinem quærat: Et factum est, inquit, vno dierum, & ipse ascendit in naiigium, & discipuli eius. Marcus quoque similiter. Hic verò consequentiam quandam temporum obseruat.Hæc à me prædicta sunt,ne quis, quoniam non eodem modo scribũt omnes, discrepare ipsos arbitretur, si quis quid prætereat. Turbas igitur præmisisse, ac discipulos tantũmodo secum retinuisse, illi etiam dicunt. Assumpsit autem non frustra,neque casu, verùm vt futuri signi eos faceret spectatores.Nam vt palæstræ magister optimus ad vtrunq; eos exercebat,ne aut terrore vincerentur in periculis,aut honoribus efferrentur: ita ne magnum quid sibi arrogent, quoniam aliis omissis ipsos tantum secum retinuit, vt in tempestatem incidant permittit, & simul in ferendis aduersis fecit me- C liores. Nam certè priora quoque signa, quæ iam ab eo gesta erant, magna fuere:verùm hoc non parum eos etiam exercebat,&antiquissimo illi simillimũ erat.Ideir co igitur solos discipulos secum duxit,quoniãvbi signa tãtummodo demonstrabantur, turbas quoque admittebat: vbi verò timor ac tremor imminebat, eos solos recipiebat,quos ad prædicationem & pericula erat missurus.Et Matthæus quidem dicit,quod dormiebat,Lucas † verò quod in ceruicali simpliciter, vt & humilitatẽ eius patefaceret,& præstantis philosophię præceptis nos instrueret.Cùm ergo fluctus vehementius insurgerent, ac mare procellis insaniret: tunc excitant ipsum, dicentes:*Domine salua nos,perimus.*Ipse autem eos priusquam mare sedaret, reprehendit. sicut enim diximus, ad exercitationem eorum hæc fieri permittebantur, erátque figura tentationum,ad quas essent peruenturi. Maioribus enim eos certè rerum tempestatibus postea permisit vexari: vnde Paulus quoque dicebat, Nolo D autem vos ignorare fratres, quòd valde grauati supra vires fumus,vt de vita etiam desperauerimus.ac rursum postea,qui ex tantis moribus nos eripuit.Vt hinc igitur eos doceret,quantum in eos confidere oporteret, cùm insani fluctus insurgant : discerétque quod ad melius cuncta dispensat, primùm ipsos increpat:nec enim incassum ad extremum vsque terrorem eos deuenire permisit,verùm vt signum eis ingẽs videretur,& perpetua miraculi memoria resideret. Nam quoniam post rem factam obliuio solet ex negligentia homines occupare:propterea priusquam signa fiant,multa præstruũtur, quæ diuturniorem memoriam faciãt.Sic & Moses serpentem primò perhorruit,neque id leuiter:deinde rem illam mirandam,haud tamen citrà solicitudinem contemplatur: & nunc discipuli cùm iam salutem ferè desperassent,tunc saluantur:vt ex periculorum confessione,magnitudinem signi perdiscant.hac de causa etiam dormiuit. Nam si vigilantem viderent, aut non adeò pertimuissent,vt petere ab eo salutem, qui pericula eorum videret, neglexissent, aut non posse ipsum fluctus sedare putassent. idcirco dormit, vt & timoris causa ipsis maior præberetur, & sensus eorum apertior ad videnda miracula redderetur. Nam cùm non pariter aliquis sentiat quæ in alienis fiunt corporibus, & quæ in seipso, oportebat discipulos eius, qui plurimos in dies liberari videbant,nec tale quid ipsi experirentur,& negligentiores erant,vt magis obligarentur, in seipsis omnipotentiã eius inspicere: cúmq; nec claudi essent ipsi,nec cæci,nec alia ægrotatione laborarẽt, tempestatem fieri permittit,vt liberati ab ea,manifestiorẽ beneficiorum eius in se sensum habeant.Propterea nec præsentibus turbis id facit,sed solos ipsos corripit, ne modicæ fidei à multitudine damnarentur, & antequã vndas aquarum deprimeret, nimios animorum fluctus sedauit. Corripuit enim eos,ac dixit: *Quid timidi estis modicæ fidei?*Ad hæc causam reddidit,non à tentationibus,sed ab infirmitate mẽtis timorem proficisci.Quòd si quis obiiciat, non fuisse formidinis nec paruæ fidei, quòd eum excitauerint,respõdebimus, Quinimmo,illud profectò non conuenientem se de ipso habere opinionem declarabat, quòd vigilantem posse tempestati resistere non diffidebant,dormiente verò minimè.Nec mirum si parum adhuc credunt, qui vel post multa etiam alia signa imperfectiores fuisse videantur. Quocirca & increpantur sæpius,vt cùm ad eos dicit:Adhuc & vos insipientes estis?Quod si discipuli adhuc deficie- Mar.4. bant,quid mirum est si turbæ nihil magni nec vltra ho- Ioan.14. minem de ipso cogitabant? Admirabantur enim dicẽtes,*Qualis est hic homo,quoniã & mare & venti obediunt ei?* Christus autẽ non arguebat eos nudum hominẽ ipsum vocantes,sed sustinebat,signisq; inducebat,vt viderent se non rectè opinari de ipso:hominem verò ipsum partim visu,partim quoniam dormiret etiã ac biberet,tum etiam quia nauigiis vtebatur,existimabant : propterea etiam obstupescebant dicentes, Qualis est hic:somnus enim & statura qua videtur, hominem ipsum declarat. at verò maris tanta per eum subitò facta, tranquillitas, Exo.14. Deum declarabat.quanquam enim & Moses tale quid olim fecerat,etiã inde patet excellentia: ille enim quasi seruus,hic verò quasi dominus mira operatur.Nõ enim virgam vt ille tetendit, non manus in cœlum sustulit, non precibus indiguit: verũ vt dominus ancillæ imperans,& conditor suæ creaturæ,sic fluctus maris depressit frænauítque verbo solùm atque præcepto.Omnis enim confestim soluta est tempestas, nec vestigium fuit vllum turbationis relictum: quod euangelista ostendẽs inquit:*Et facta est tranquillitas magna.* Et quod de Patre quasi res grandis dictum est, & ipsum Christus effecit. Scriptũ est enim de Patre: Dixit,& stetit spiritus tem- Psal. 109. pestatis:& de Christo hic scriptum est, quòd verbo solo facta est tranquillitas magna: propterea etiam mirabantur ipsum turbæ, quæ certè non adeò miratæ fuissent,si feciſſet vt Moses. Verum posteaquam à naui descendit, mirabilius quoddam signum subsequitur: dæmonibus enim quidam repleti, quasi improbi serui fugitiui,cùm Dominum viderent,clamabant: *Quid nobis ac tibi Iesu fili Dei?venisti huc ante tẽpus torquere nos?* Nam quoniam Iesum turbæ hominẽ appellabant,accesserũt dæmones,deitatem eius prædicantes : ita qui mare nec fluctuans, nec tranquillum audierunt, audiebant dæmones eadem ipsa clamantes, quæ mare tranquillitate

vide num legẽdum, Marcus.

2.Cor.1.

Exo.4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

subita prædicabat. Verùm ne assentatiuncula hæc dicere videantur, rebus ipsis probent, dicentes: Venisti huc ante tempus torquere nos? Ideo se hostes antè profitentur, ne suspecta eorum supplicatio videatur. Nam nemine vidente flagellabantur: multóque magis quàm mare paulo antè, perpuncti præsentia Christi atque incensi vexabantur, atque sæuissime torquebantur. Accessit enim Christus ipse ad eos, quoniam nemo illos dæmonibus terribiles adducere ad Christũ audebat. Et Matthæus quidem scripsit illos dixisse, Venisti huc ante tempus torquere nos? cæteri verò illud etiam adiiciũt, quòd deprecabantur eum, & adiurabant ne velit in abyssum eos immittere. putarũt enim supplicij iam tempus instare, ac ideo formidine commoti sunt, tanquam iam iam demergendi ad tormenta pœnarum. Quòd si
Luc.4. Lucas vnum fuisse scribit, hic autem duos, neque sic dissonantiam aliquam esse dicimus. Nam si vnum Lucas solũ fuisse affirmasset, discreparet certè à Matthæo: nunc verò cùm alter de vno, alter de duobus verba fa- B ciat, non dicunt certè pugnantia, sed aliter atque aliter rem eandem exponunt. Mihi videtur quidem duriori dæmone vexatum Lucæ suffecisse: quocirca & tragico quasi genere calamitatem enarrat, quòd nulla vincula, nullæ catenæ ipsum detinerent, sed omnibus diruptis
Matt.5. miser erraret per desertum. Marcus autem lapidibus seipsum cædere solitũ adiecit, sed verba quoque eorum ad ponendam præ oculis crudelitatem ac impudentiam ipsorum sufficiunt. *Venisti enim*, aiunt, *huc ante tempus torquere nos?* Nam cùm nõ possent excusare se quòd non peccassent, ne ante tempus pœnas darent, precantur. Quoniam enim iam se deprehensos in pernicios atque iniquis factis arbitrabantur, quibus omni quo poterant modo creaturas Christi exagitabãt: propterea putarunt non expectaturum ipsum punitionis tempus, sed acerbitate & magnitudine peccatorum commotum, tunc ipsos puniturum: ideo deprecabantur, rogabant, obtestabantur. Ita qui ferreis teneri non pote- C rant vinculis, vincti nunc veniunt: qui montes ferocitate arripiebant, ad campos nunc humiles exeunt: qui aliorum itinera occupãtes neminem transire sinebant, cùm eum vidissent qui vias ipsorum facilè obstruit, constiterũt. Sed cur nam in sepulchris versantur? Quia videlicet pernicios am opinionem ingerere hominibus conantur, quod hominum qui abierunt, animæ dæmones fiant, quod etiam à cogitatione nostra vtinam absit. Sed quid respondebis, obiiciet quispiam, cùm multi incantatores pueros nacti eos iugulent, vt habeant animam sibi postea subseruientem, & ipsos iuuantem? Sed vnde hoc patet? Quòd quidem iugulẽt, multi asserunt: quòd verò immolatorũ puerorum animæ ipsis cooperentur, vnde mihi persuadebitur? an quia ipsos dæmoniacos clamare nonnunquam audisti, anima talis ego sum? Verùm hæc quoque oratio à fraude atque deceptione diabolica est. Non enim anima defuncti est quę ista dicit, sed dæmon, qui hæc vt audientes decipiat, ef- D fingit. Nam si possibile esset animam hominis in dæmonis substantiam transire, multò facilius posset in corpus suum redire. Præterea quæ ratio inducet nos, vt credamus animam cui illata iniuria est, illi ipsi patrocinari, qui sibi iniuriam intulit: aut hominem posse facere, vt incorporea virtus in aliam substantiam transmutetur? Nam si est de corporibus impossibile, vt vnquam hominis corpus in asini corpus transmutetur: quanto minus inuisibilem animam in substãtiam dæmonis transformari possibile erit? Quare vetularum hæc verba, immo desipientium ducenda sunt, & puerorum ludibria. Nec enim potest anima è corpore separata in his regionibus errare. Iustorum animæ enim in manu Dei sunt.
Sap.3.

A Si autẽ iustorum, infantium quoq; similiter: non enim peccarunt. Peccatorũ verò post hunc exitum continuò abducuntur, quod à Lazaro & diuite planum efficitur: sed alibi quoque Dominus ait, Hodie animam tuam abs te repetent. Non igitur potest anima cùm à corpore abscesserit, apud nos hic errare: nec id iniuria. Nam si qui iter faciũt in terra assueta & nota & corpore amicti, cùm in ignotas regiones inciderint, nesciunt quò ituri sint, nisi ducem habeant: quantò magis anima relicto corpore, cùm nouam omnino sibi vitam ingrediatur, quò itura sit ignorabit, nisi ducem consequatur? Multis è locis scripturæ comprobari potest, non errare hic post mortem iustorum hominum animas. Nam & Stephanus ait: Suscipe spiritũ meum. Et Paulus resolui, ac esse cum Christo desiderabat. De patriarcha quoque scriptura dicit: Et appositus est ad patres suos: adultus in senectute bona. Quòd verò nec peccatorum animæ hic commorari possunt, diuitem audias quid dicat, perpendásque quid petit, & non impetrat. Quòd si possent animæ hominum hic conuersari, venisset ipse vt cupiebat, & suos de tormentis inferni fecisset certiores: quo ex loco Scripturæ illud etiã apertè patet, quòd post exitum à corpore, in locum quendam certum animę deducuntur, vnde redire sponte sua non possunt, sed terribilem illum iudicij diem ibi expectãt. Quòd si quis dicet, & cuius rei gratia dæmones petierũt, vt scilicet ad gregem porcorum possent proficisci, idque ipsis Christus permisit? Certè non illorum gratia id fecit, verùm vt multa hinc dispensando doceret. Primùm enim qui liberati à dęmonibus erant, facilè hæc ex re intellexerunt, quantum nocere cuperent qui ipsis insidiabantur. Deinde & omnes hinc discamus, ne in porcos quidem impetum facere dæmones audere, nisi ipse permittat. Tertiò docemur, nisi vel in ipsa calamitate dæmoniaci diuina prouidentia iuuarentur, multa peiora sibi à dæmonibus fierent, quàm nunc in porcos illata sunt. Nam quòd maiori homines odio habeant, quàm expertes rationis animantes, nullus vnquam dubitauit. Quare qui porcis non perpecerunt, sed confestim cùm sibi concessum est, in præcipitia compulerũt: multò magis in homines illa patrassent quos occupabant huc & illuc in deserto agitantes: nisi in ipsa etiam tyrannide ipsos magna Dei cura refrænaret, & cohiberet ne vlterius eorum impetus ferretur. Vnde manifestum est neminem esse, qui absque diuina prouidentia viuat. Quòd si non eodem modo cuncti eam percipiamus, hoc ipsum certè prouidentiæ quædam species est non minima, cùm ad id quod vnicuique confert, ratio prouidentię accommodetur. Ad hæc etiam illud discimus, non communiter solùm omnibus Deum prouidere, verùm etiam vnicuique separatim: quod etsi discipulis etiam adaperuit, cùm dicit, pilos quoque capitis ipsorum enumeratos esse: tamen & ab his dæmoniacis planè id perspicitur, de quibus iam omnino actum fuisset, nisi diuina cura conseruati essent. His igitur de causis concessit in porcorum gregem abire, vt simul omnes qui regionem illam habitabant, quanta esset virtus eius non ignorarent. Nam vbi magna fama de ipso erat, ibi non valde se ostendebat: vbi verò minus cognoscebatur, nec quicquam de eo ferebatur, ibi miraculis ideo magis effulgebat, vt eos ad cognoscendum deitatem eius attraheret. Ipsi verò qui ciuitatẽ illam incolebant, adeò insulsi fuerunt, sicut euentus rerum docuit, vt cùm admirari adorarẽq; virtutem ipsius deberent, repellerent potius, hortarentúrque à finibus eorum recedere. Sed quare à dæmonibus porci intercmpti sunt? Semper in deiectionẽ animos hominum intrudere dæmones studuerunt, sempérque gaudent cæde

Luc.12. Animæ post mortem nunquam huc redeunt.

Act.7. Phil.1. Gen.25. aut 49.

Luc.12.

Iob.2. cæde ac vastitate: quòd & diabolus aduersus Iob fecit, A cùm ipse Deus petenti concesserit, non ipsius gratia, verum vt seruum faceret clariorem, & dæmoni omnem impudẽtiæ prætextum auferret, ac in caput ipsius cuncta quæ aduersus iustum excogitarat, cõuerteret. Nam & hic oppositum certè factum est, quàm dæmones optauisset, cùm & Christi virtus præclarè prædicaretur, & malitia dæmonum (à qua eos liberauit qui ab ipsis occupabantur) manifestiùs appareret: ita vt nec in porcos habere potestatem videantur, nisi creator omnium Deus concesserit. Hęc si quis etiam anagogicè velit accipere, non prohibemus, dum rerum veritatem ita secundùm historiam habuisse se credat, vt euangelista præscripsit. Scire tamen licet, multos homines qui porcorum more non hominum viuant, facilè à dæmonibus inuadi solere: qui quousque aliquid hominis sapiũt, forsitan effugere poterint: Si verò porci omnino fient, non à dæmonibus solùm exagitabuntur, verumetiam per præcipitia deferentur. Sed ne fictam fabulam hoc B esse putes, sed firmiter credas expulsos ab hominibus dæmones fuisse: porcorum interitus efficit. Tu verò non omnipotentiam eius solùm, sed etiam clementiam considera. Nam cùm à regione sua, qui hæc bona perceperant, eum ingrati abigerent, non repugnauit, sed recessit: ac ipsos, qui se ipsius doctrina indignos faciebant, reliquit. Illos tamen qui à dæmonibus liberati erant, eis doctores dedit, qui porcos pascebant, vt ab eis quæ facta erant omnia percipere possent: ipse autem etsi recessit, timorem tamen ab eis non abstulit. Magnitudo enim damni atq; iactura porcorum, signi famam augebat, & res quæ acciderat, animum ipsorum perculit: & vndique miraculi nouitas prædicabatur, ab his qui liberati erant, à porcorum dominis, ac etiam à pastoribus ipsis. Hæc si altiùs consideras, etiam nunc fieri videbis, multósque inuenies in sepulchris dęmoniacos, quos ab insania sua non ferrum, non catenæ, non multitudo hominum, non exhortatio, non terror, non mi- C næ, non aliud quid huiusmodi abducere potest. Quid enim luxuria corruptus atque petulans, qui ad omnem corporis formam hiscit, à dæmoniaco differt? non videtur nudus ambulare, sed corporeis quidem vestibus amictus est, veris autem vestimentis priuatus, ea quæ ipsum decet gloria nudatus est: non lapidibus seipsum cædit, sed sceleribus, quę lapidibus duriora asperioraq; sunt. Quis igitur hunc hominem ligare poterit? quis eum à petulantia remouebit? quis ei persuadebit, vt lasciuiam aspernetur? Quo fit, vt nunquam sit in seipso, sed semper in sepulchris versetur. Sepulchra enim profectò sunt meretricum diuersoria, multo fœtore, multa putredine, multa immundicia repleta. Ac auarus, nónne talis est? Quis enim ipsum ligare poterit? Certè non timor, non quotidianæ minæ, non exhortationes, non consilia: omnia enim hæc vincula disrumpit, adiuratq; omnes qui eum à cupiditate auri remouere volunt, ne faciant, supplicium putans esse maximum, non viuere D in supplicio. Quid enim miserius auaro? Nam dæmoniacus etsi homines contempserit, verbo tamen Christi abactis dæmonibus liberatus est:] pecuniæ autem seruus Christo non auscultat: nam & si quotidie Christum audit prædicantem, Non potestis Deo seruire ac mammonæ: & si gehennæ terror incutitur, ac inferni pœnæ imminere dicuntur, non credit tamẽ, nec Christi verbo credit, nõ quia robustior ipso sit, sed quia nolentes nos ad virtutem Christus non adducit: idcirco quamuis celebres habitent vrbes, tales, tanquam in solitudine degunt. Quis enim mentis compos, cum huiusmodi hominibus conuersabitur? Nam mea quidem sententia, cum mille dæmoniacis habitandum potius esset, quã cum vno qui hoc morbo laboraret. quæ quidem sententia mea ab his quæ vtrique patiuntur, probari facilè potest. Nam æris quidem auidi etiam innocuos, nisi vtiles sibi sint, inimicos ducũt: & liberum hominem, si possent, libenter in seruitutem suam redigerent, cúmque mille implicant malis: dæmoniaci verò nihil huiusmodi faciunt, sed ipsi soli suo malo laborant. Et illi quidem multas domos euertunt, noménque Dei propter ipsas blasphemare faciunt: communis ærumna ciuitatum, atque orbis totius sunt: dęmonibus autem exagitati lachrymas nobis ita mouent, vt eorum facilè misereamur: & isti non sentiunt plerunque quod agunt, illi præmeditati omnia faciunt, in mediis vrbibus bacchantes, ac nouam insanientes insaniam. Quãdo enim omnes simul dæmoniaci tantum facinoris committẽt, quãtum Iudas solùm commisit? Qui ad extremam iniquitatem turpi pecuniarum ardore deuectus est, paritérque omnes qui auariciam illius imitantur, quasi feræ beſtiæ à † catenis] solutæ, cunctos homines nullo resi- caueis.) stente perturbant ac lacerant: & vincula quidem etiam his vndique coniecta sunt, iudicij timor, legum terror, multorum odia, cæteráque huiusmodi: sed his ruptis omnia perturbant. quòd si quis hos nexus omnino ab eis auferret, tunc videres peiore hos dæmone, quàm dęmoniacos, ac fortiore vexari. Verùm quoniam id facere non possumus, saltẽ oratione ita fingamus, vt cùm omnes catenas ab eo mente abstulerimus, clarè insaniam eius perspiciamus. Sed nolite atrocitatem beſtię cùm adaperta fuerit, formidare: nam hæc non veritate rerum facimus, sed sola oratione confingimus. Fingite ergo videre tetrum quendam hominem, qui ab oculis ignem emittat, cui ex vtroque humero dracones pro manibus dependeant, cuius os cauernæ instar magnitudine sit, in quo pro dentibus acuti enses stent, ex lingua venenosus fons scaturiat. Venter omni fornace sit voracior, cuncta quę immittuntur subitò consumens, C pedes alati, quauis etiam flãma vehementiores: facies, canis ac lupi simul faciem ostendat: nec hominis vocem emittat, sed insuaue quiddam atque terribile mugiat: is ad hæc omnia faces ardẽtes in manibus teneat. Horrenda hæc forsan vobis videntur, sed nondũ dignè ipsum descripsimus, sequi etiam debent horum instrumentorum effectus: itaque imaginemur eum obuiam factos iugulare, carnes corũ lacerare ac deuorare. Sed quid facio? Nam & hoc descripto multò truculentior est auarus, in omnes vt mors insiliens, omnes vt infernus deglutiens, communis generis hominum hostis: quippe qui vellet nullum hominem esse, vt omnia possideret. neque hîc tamen sistit gradum, sed quum omnes perdiderit cupiditate sua, etiã terræ substantiam cupit abolere, ac ipsam aurum factam iuuaret aspicere: nec solam terram, sed & montes, & valles, & fontes, & breuiter quicquid in rerum natura extat. Verùm vt videatis nondum nos insaniam illius oratione assecutos, fingamus à nemine ipsum accusari, nullum ipsi terrorem imminere: non à iudiciis, non à consuetudine hominum, non à legibus, & tunc videbis ipsum arrepto ense omnes interimere, nulli parcere, non amico, non cognato, non fratri, non ipsis parentibus: sed quid plura? interrogate auarum, si hæc secum quotidie versat, si omnes cogitatione inuadat amicos, cognatos, parentes. At nec interrogare quidem ipsum opus est. Scitis enim omnes, quòd qui hoc morbo premũtur, & vitam parentum senum grauiter ferunt, & dulce illud & natura suauissimum liberorũ donum graue ac molestum esse censent: vnde factum est, vt multi sterilitatem vxorum herbis † excogitarint,] ac naturam orbam effece- emerint.) rint, qui etsi filios natos non interfecerunt, attamen ne

Sepulchra

Auarorũ detestatio.

Nam dæmõ ille etiã si homines cõtẽpserit, imperio tamẽ Christi cessit, & protinus è corpore exiit.) Matt.6. Luc.6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnino nascerentur effecerunt. Quare nolite admirari, si sic auaros descripsimus, cùm videatis non potuisse nos prauitatem eorum oratione assequi: sed considerate quo modo poterunt ab hoc acerbissimo dæmone liberari. Quo pacto igitur liberabuntur? Si persuaderi eis certè poterit impedimento auariciam esse maximo ad conquirendam grandem pecuniã. Quæstus enim cupidi, parui spe lucri magnas plerunque faciunt iacturas. Quod ipsum prouerbio iactatur. Nam multi cùm magnis locare pecuniam studeant vsuris, cupiditate lucri minus diligenter conditionem eorum examinauerunt, quibus pecuniam crediderunt, atque ita cum vsuris sortis quoque ipsius iacturam fecerũt. Multi cùm in magna pericula deuenissent, quia parua se pecunia redimere noluerunt, vitam vnà cum opibus amiserũt. multi cùm aut dignitates, aut huiusmodi aliquid adipisci pecunia potuissent, propter auariciam omnia perdiderunt: nec mirum, nam qui seminare negligunt, ac semper ad messem se præparant, ipsius etiam messis
B expertes plerunque remanserunt. Nemo est quippe qui semper metere, aut semper emolumenta consequi possit: ita cùm velint impensas fugere, nec lucrari sciunt: quod vna in re facilè perspicere potestis. Nam si vxorem ducere volunt, aut decepti inopem pro opulenta eligunt, aut propter diuitem ductam quæ multis vitiis abundet, maiora damna suscipiũt. Non enim vxorum opes, sed virtus diuitias præparat. Nam quæ vtilitas maximæ dotis est, cùm inepta, prodiga vxor sit, cùm vt ventus omnia dissipet? Quid porrò si lasciua petulánsque sit, quam mille consequantur amantes? Quòd si etiam ebriosa, nonne citius in summã maritum depellet paupertatem? Non solùm in matrimonio id vsuenit, sed & emunt cum periculo & damno præ auaricia non frugi mancipia, sed vilia inquirentes. Hæc omnia vobiscum, oro, sæpius versate. Nam à rebus futuris siue gehenna, siue regno cœlorum non possum vobis prodesse. Si enim auari estis, non rectè sermonem de illis
C rebus accipietis: si ergo damna & iacturas, quas sæpe cupiditate quæstus feciſtis, vel in mutuo dando, vel in emendo, vel in vxorem ducendo, vel in tutelis, ac aliis huiuscemodi præ oculis semper habebitis, facilè pecuniam non amando, auaricià contemnetis, & sic & præsentem vitam tutius agetis, & cùm paulum adulti fueritis, etiã philosophiæ sermones audire poteritis: ac paulum visu penetrantes in ipsum iusticiæ solem intueri, & potiri his quæ ab ipso promissa sunt. Ad quæ omnes perueniamus, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

HOMILIA XXX. EX CAP. IX.

ET *ascendens Iesus in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Videns autem Iesus fidem illorum; dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Propriam D hic ciuitatem eius Capernaum appellauit. Bethlehem enim ipsum tulit, Nazareth educauit, sed Capernaum perpetuum ipsius erat habitaculum. Paralyticus certè
Ioan. 5. hic non est ille de quo Ioannes fecit mentionem. Nam ille apud piscinam Hierosolymis iacebat, hic in Capernaum: & ille triginta & octo annis laborauit, de hoc vero nihil tale adscriptum est: præterea nullos ille habuit ministros, hunc afferri ad Iesum à ministris videmus. Ad hæc, Confide fili, dixit huic, remittuntur tibi peccata tua. Illum verò interrogauit, an vellet sanus fieri. accedit quòd in sabbato illum curauit, hunc verò non in sabbato. Nihil enim tale hic accusare Iudæi videntur. Postremò post hoc signum tacuerunt Iudęi, post illud importuni persequebantur. Hæc non otiosè dixi, sed ne quis vnum eundémq; putãs esse, dissonantiam esse credat. Tu verò quàm clemens, quámque humilis sit Dominus, considera. Nam & antea turbas miti animo remouit, & à Gadarenis pulsus non restitit, sed Supra 8.
recessit, non procul tamen: rursúsque cùm etiam posset pedes transire, nauigio conscenso traiecit. Non enim Ibidem
semper signa facere volebat, ne humanitatis suæ mysterio derogaret. Matthæus igitur, Attulerunt eum, inquit: alij autem per tectum demissum fuisse descripserunt, ac ita Christo propositum, vt nihil à ministris, qui fide ad- Mar. 2. Lucæ 5.
ducti rem totam ei credidérũt, diceretur. Nam in principio quidem prædicationis & ipse circuibat, & non tantam ab adeuntibus fidem postulabat: hîc verò & accesserunt, & fides ab eis est requisita. Videns enim, inquit, fidem eorum qui dimiserunt: non enim vbique à laborantibus solùm postulat fidem, velut cùm desipiunt, vel alio modo vi morbi animo non constant.
B Vel potiùs morbo etiam laborãtis hîc erat fides. Nam nisi paralyticus ipse credidisset, demitti profectò non voluisset. Quoniam ergo tanta illi fide aduenerunt, propterea Dominus quoque virtutem suam magis ostendit, summa cum potestate à delictorum vinculis ipsum dissoluens, vt ex omnibus his Patri se demonstraret æqualem: quæ quidem altiùs mihi repetenda esse videntur. Manifestam igitur fecit per doctrinam potestatem suam, cùm docuit eos tãquam potestatem habẽs: cùm ad leprosum dixit, Mundus esto: cùm Centurionem, dic verbo solùm, & sanabitur puer meus, Supra 8.
dicentem, magnis laudibus extulit. Cùm mari fræ- Ibidem. Ibidem
num verbis imposuerit: cùm dæmones qui iudicij po- Supra.
testatem eum habere confitebantur, quasi Dominus eiecerit: nunc rursus alio quodam, multóque maiori modo inimicos suos cogit æqualem se Patri verbis suis confiteri: nam ipse omnem ambitionem fugiens, quoniam magna erat multitudo circunfusa, adeò vt omni
C obstruso introitu à tecto paralyticum demiserint, noluit statim corpus palam proposítum curare, verùm vt ab inimicis sibi occasio traderetur, latentem atque abditam curam animæ contulit, cùm peccata dimisit. Quod quidem & paralytico salutare erat, & ipsi nimium gloriosum non erat: hæc Iudæi à prauitate animi vexati reprehenderunt, & impedire volentes, maiora videri inuiti omnia perfecerunt. Sapientia enim eius factum est, vt ex inuidia eorum multo magis signum appareret. Videamus igitur posteaquam illi turbati dixerunt: *Hic blasphemat, quis potest peccata dimittere nisi solus Deus?* Videamus, inquam, quid ipse ait: vtrum opinionem eorum improbauerit, an potius comproba uerit: nisi enim æqualis esset Patri, dixisset: Quid mihi tribuitis non competentem opinionem? procul ego absum à tanta potestate: nunc verò nihil horum dixit, sed contrà illorum verbo ac signo affirmauit. Ita quoniam solet esse audientibus molestum, vt aliquis de seipso apertiùs dicat, aliorum verbis & signo Deum se, Patríque æqualem esse ostendit: & quod mirabilius est, non per amicos solùm, verumetiam per inimicos hoc peragit, vt & virtutis & sapientiæ suæ pelagus pateat. Per amicos quidem quando dixit, Volo, Mundus esto: &, Quoniam neque in Israël tantam fidem inueni. Per Ibidem & Luc. 5.
inimicos verò nunc: cùm enim illi dixissent, neminem Supra 8.
posse peccata dimittere, nisi solummodo Deum, intulit: *Vt autem sciatis quòd potestatẽ habet filius hominis dimittere peccata in terra, tũc dixit paralytico: Surgẽs tolle grabbatum tuum, & vade in domum tuam.* Non autem hoc solùm id facit, sed alibi etiam cùm inimici eius dicerent, Non de bono opere, sed de blasphemia lapidamus te, & quoniam cùm sis homo, Deum teipsum facis: non

refutauit

refutauit opinionem illorum, sed approbauit dicens: Si A
Ioan. 10. non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: sin autem facio, si mihi non creditis, saltem operibus credite. Verùm hîc aliud signum deitatis suæ, & quòd Patri æqualis esset, non paruum ostendit. Illi enim murmurantes, secum dicebant, peccatorum dimissionem esse solius Dei. Ipse verò non solùm peccata dimisit, sed occulta etiam cordium, quæ nosse solius Dei est, manifestauit. Non enim apertè, sed secum, hic blasphemat, dixerunt. *Ecce enim*, inquit, *quidam de scribis dixerunt intra se, hic blasphemat.* Iesus autem cogitationes eorum non ignorans: *Cur*, inquit, *mala cogitatis in cordibus vestris?* Quòd verò Dei solius sit secreta cordium nosse, audi prophetam dicentem: Tu nosci corda solus. & rursus,
3 Reg. 8. & 2. Paralipo. 6. Pial. 7. Hier. 17. 1. Reg. 16. Scrutans corda & renes Deus: & Hieremias, Profundum cor est super omnia, & homo est, & quis noscet eum? &, Homo videbit in faciem, Deus autem videbit in cor. multis quoque aliis percipere possumus solius esse Dei mentem ac animos hominum cognoscere. B
Quare æqualem Patri se ostendit, qui quæ inimici sui secum cogitabãt nec audebant multitudinem timentes proferre, hæc reuelauit. Magnam hîc quoque animi lenitatem ostendit: ait enim, Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quod si indignari quempiam oportebat, ægrotum magis oportebat, qui quasi deceptus potuisset exclamare: Ego ad curandum corpus veni, hic verò ad curandum animam refugit: vnde nanque manifestum est, dimissa mihi esse peccata mea? Nunc verò ille nihil huiuscemodi dicit, sed seipsum curantis potestati syncerè atque integrè tradit. Scribæ autem peruersitate atq; inuidia beneficiis aliorũ insidiantur, idcirco etiã clemẽtissimè ipsos increpat, re potius quàm verbis vt dicere videatur: Si non creditis posse me peccata dimittere, & tumoris quodam afflatu id me arripere putatis, quod non habeam: ecce ad illud hoc quoque adiicio, quòd secreta vestræ mentis reuelaui: & ad hæc tertium rursum addo, paralitici corpus firmum illicò atque robustum constituens. Illud verò non prætermittendum, quòd quando peccata paralytici dimisit, nõ apertè potestatem suam manifestauit. Non enim dixit, dimitto tibi peccata tua: sed, dimittuntur tibi peccata tua. Inimicis autem vrgentibus manifestiùs suam potestatem ostendit. Ait enim, vt sciatis quia potestatem habet Filius hominis in terra peccata dimittere: perpendísne quàm longè abest, vt nolit æqualis putari Patri? Non enim dixit quòd indigeat altero Filius hominis, aut quòd dedit sibi Deus potestatem, sed quòd potestatem habet Filius hominis: nec ad gloriam dico, ait, sed vt vobis persuadeam quia non blasphemo, cùm meipsum Patri æqualem faciam. Sed & alibi certa firmáque signorum vult argumenta prębere: veluti quando dixit, Vade ostende teipsum sacerdoti:
Supra 8. Ibidem. Ibidem. quando socrum Petri ad ministrationem vsque confirmauit: quando denique in præcipitia porcos abire permisit: sic in hoc loco quòd peccata verè dimissa essent, D
subita curatione corporis, quasi certo quodam argumento euestigiò confirmauit. Quòd verò corpus curatum erat: quoniã grabbatum tulit, ac abiit, dubitari non poterat. Hæc itaque facta sunt, ne quis putaret ficta phantasmata videre, nec tamen prius eum curauit, quàm ipsos interrogauerit. *Quid sit facilius dicere, dimittũtur tibi peccata, an tolle grabbatum tuum & vade in domũ tuam?* Hoc verò huiusmodi est, vtrum vobis facilius videtur, dissolutum corpus confirmare, an animæ peccata dimittere? Nec est dubium quin confirmatio imbecillis corporis facilior sit. Nam quanto anima corpore præstantior, tanto curatio eius curatione corporis maior ac difficilior: verùm quoniam alterum latet, alterum patet: quod quidem minus est, sed tamen manifestius, adiicio, vt illud maius ac inuisibile confirmatius certiúsq; per hoc reddatur: sic opere ipsi iam illud subaperiebat, quod Ioannes dixit: ipse tollit peccata Mundi. Mittit autem eum cùm sanasset, in domum suam, partim vt humilitatem ostenderet, quòd eum non retinuerit: partim ne multi non signum verum, sed phantasmate factum dicere auderẽt. qui enim morbi testes erant, hos & sanitatis testes esse volebat: vt dicere videatur, Ego quidem optassem præsentes omnes, qui cùm corpore sani sint, anima tamen vehementius ægrotant, per tuum morbum ad sanam mentem reduci potuisse: sed quoniam nolunt, vade in domum tuam, vt saltem tuorum mẽtes ab ægrotatione reuoces. Videsne quemadmodum tam corporum, quàm animarum conditorem se esse ostendat? Nam vtriusque substãtiæ morbum curauit, & occultum ex eo quod manifestum erat, patefecit. Sed nihilominus etiam humi turbæ adhuc iacent:
1. Reg. 16. miratæ namque fuerant, cùm hoc vidissent, & glorificauerunt Deum, qui tantam dedit hominibus potestatem. impedimento enim erat ipsis caro. Ipse tamen eos non increpauit: sed mẽtes eorum assiduis operibus excitabat, & ad sublimius sapiendum adducebat. Non enim paruum tunc videbatur, quod cæteris hominibus maiorem, & à Deo ipsum venisse arbitrarentur: quæ si firmo animo tenuissent, hac via à minoribus ad maiora procedentes, cognouissent profecto Dei filium fuisse: sed non seruauerunt hæc tenaciter, propterea ad excellentiora progredi non potuerũt, sed mutato animo rursus dicebant: Hic homo non est à Deo. Et quomodo ipse à Deo est? Quæ assiduè contorquebãt, suis morbis seu affectibus tales prætextus obtendentes. Quod etiam nunc multi faciunt, qui cùm se Deum vlcisci videri volunt, suis ipsi indulgent affectibus: quum oporteret omnia cum mansuetudine peragere. Nam ipse omnium Deus cùm posset in blasphemantes fulmina iaC cere, Solem tamẽ suum oriri super omnes facit, imbres Mat. 5.
demittit, cæteráq; omnia clementissimè præstat. Ipsum igitur imitemur vt oportet, exhortemur cæteros ad virtutem, cum mansuetudine admoneamus: nulla ira, nulla ferocitate moueamur. Nec enim ex blasphemia nocumentum aliquod in Deum peruenit, vt tu incandescas, atque ita commouearis: sed qui blasphemauit, ipse vulnus accepit. Itaque ingemisce, lachryma: lachrymis enim dignus est qui peccat. Præterea nullum mansuetudine melius remedium est ad hæc peccatorum vulnera. mansuetudo enim quàm quæuis violentia plus efficere potest. Et considera quomodo ipse Deus nobis tam in veteri quàm in nouo testamento tunc loquitur, cùm videatur cõtumeliis fuisse affectus. In veteri enim scribitur: Populе meus quid feci tibi? In nouo verò: Sau
Mich. 6. Acto. 9. 2. Tim. 2. le Saule, quid me persequeris? Paulus etiam cum omni mansuetudine iubet aduersarios corripere: sed & ipse Christus cùm accessissent discipuli postulantes vt ignis
Luc. 9. D de cœlo descenderet, vehementer ipsos increpauit dicens: Nescitis cuius spiritus estis vos. Hîc quoque non dixit, quid cogitatis ò vos scelesti, inuidi, & salutis humanæ hostes: sed, *cur mala in cordibus vestris cogitatis?* Oportet ergo clementer ægritudines animi remouere: nam qui humano timore melior factus est, ad prauitatem rursus citò redit: propterea zizania iussit dimitti, vt Mat. 13.
pœnitẽtiæ tempus præberetur. Multi certè tanta pœnitentia compũcti sunt, vt cùm antea peruersi essent, electissimi postea inuenirentur: vt Paulus, vt publicanus, vt latro, qui cùm prius zizania essent, in optimum triticum mutati sunt: quæ quidem mutatio in seminibus impossibilis est, at in voluntate facilis, atque procliua. Non enim naturæ terminis ad bonum aut ad malum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Liberũ arbitrium.

voluntas alligatur,sed libero honoratur arbitrio. Quare cùm inimicum veritatis aliquem videris, omni studio atque cura conare ad virtutem reducere, primùm viuendi exemplis, deinde orationis grauitate, ac postremum patrocinij & auxilij copia. Non graueris omnia emendationis genera percurrere. Imitandi sunt enim boni medici,qui non vno curationis modo vtuntur: sed cùm viderint primis remediis non esse depressum morbum, alia atque alia rursus excogitant: & aliquando quidem ligantes membra, doloribus dolores excutiunt,aliquando verò incidunt, ita multis variisq; medendi generibus tãdem corpus ad sanitatem reducunt. Quare pariter etiam tu animarum medicus factus, omni curationis modo secundum leges Christi

tuæ salutis, & vtilitatis alio rum.)

vtaris, vt & † operum tuorum,& aliorum salutis] meritum accipias in gloriam Dei omnia faciẽs. Nam qui hæc in gloriam Dei facit, ipse quoque gloriam consequetur. Glorificantes enim me,inquit,glorificabo: &

1.Reg.1.

qui contemnunt me,contemnentur. Quare omnia ad B gloriam Dei agamus, vt æternam requiẽ adipiscamur. Ad quam omnes vtinam perueniamus, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui cum patre simul atque spiritu sancto gloria,imperium, honor nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXI. EX CAP. IX.

ET *cùm transisset inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio,Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me: &c.* Cùm ingens signum mirabili curatione paralytici fecisset,nullam ibi moram contraxit, ne scribæ maiori, videntes ipsum, arderent inuidia: sed necessit, vt turbationem eorum mitigaret:quod nobis quoque faciendum est.Non enim debemus cominùs in aduersarios insurgere,sed vlceribus eorum mederi cedentes,vt dolor eorum mitigetur. Sed cuius rei gratia non cum Petro simul ac Ioanne, & aliis discipulis ipsum vocauit? Certè quemadmodum tunc ad illos accessit,vocauítque quãdo obtemperaturos sciebat, sic Matthæum quoque nunc vocauit,quando miraculorum fama perdomitum,minimè reluctaturum videbat. Qua de causa etiam Paulum post resurrectionem piscatus est.Nam

Act.9. Rom.8.

qui corda scrutatur, & occulta mentium perspicit, is etiam quando vnusquisque ad obediendum paratus erat,non ignorauit: propterea non continuò incipiens quãdo durior fuit,sed post mille miracula, & insignem atque prouulgatam famam, aptiorem iam ad obtemperandum vocauit. Sed non est ab re grandem euangelistæ philosophiam admirari, qui anteactã vitam suã non celauit,& nomen suum adscripsit: quod alij mutata appellatione occultauerant.Sed cur dixit,in telonio sedisse? Virtutem vocantis voluit ostendere, qui non imposito adhuc fine prauæ publicanorum conuersationi, è medio malorum pelago ipsum abstraxit, sicut beatum Paulum quoque furentem, ac omni rabie ar- D dentem, & ignem ecclesiæ inferentem, transmutauit: quam vocantis virtutem,ad Galatas scribens expressit,

Galat.1.

cùm dicat: Audistis fratres aliquando conuersationem meam in Iudaismo,quia supra modum persequebar ecclesiam Dei, & expugnabam ipsam.Piscatores quoque

Piscatura non vituperatur.

à mediis operibus suis vocauit.Sed piscatura quoddam artificium est,quod quanuis rudiorum hominum sit,& simplicium, nihilominus non vituperatur:publicanorum autem studia & exercitatio,impudentiæ ac crudelitatis plena sunt,quæstus nota illiberalis, turpis quædam mercatura, immò rapina lege seculari concessa: quæ omnia non erubuit Dominus. Nec mirũ si publicanum non erubuerit, quãdo nec meretricem erubuit, quam non à fornicatione solùm eripuit, verumetiã pedes osculari permisit. Venit enim nõ vt corpora solùm Luc.7. curaret, verumetiã multò magis vt ægrotis animis incolumitatem præstaret:quod planum in paralytico fecit,cuius cùm peccata dimiserit,tunc ad Matthæum accessit, ne turbarentur si publicanum viderent in discipulorum consortio collocatum. Nam qui potest delictorum dissoluere vincula, cur mirũ est si peccatorem, apostolum fecit? Vidisti virtutem vocantis, disce nunc vocati obedientiam. Non enim repugnauit,nec ambigendo secum dixit:putásne publicanum, peccatorémque me rectè absq; fraude vocauerit? Non est enim huiuscemodi intempestiua humilitas laudabilis: sed confestim ita obtemperauit, vt nec domum quidem ad communicãdum rem cum suis profectus sit,verùm sicut piscatores prius retibus vnà cum nauigio atque patre relictis: sic iste publico officio & quæstu relicto, sequebatur, sic præparatum animum atque præmeditatum ostendẽs,sic ab omni seculari negotio seipsum abrumpens,mirabili hac obedientia testimonium vocanti perhibuit,quòd opportunè ipsum vocauerit. Sed cur iam,inquies,non de omnibus scripsit quo modo vocati sunt, sed de Petro, Iacobo, Ioanne, atque Philippo solùm,de cæteris verò nihil? Quia isti maximè in humili artificio atque infami versabantur. Quid enim publicano peius, aut piscatura humilius? Philippum etiam non fuisse insignem, à patria eius planum fieri potest. idcirco de his atque eorum artificiis maximè scribunt, declarantes quòd quum præclara & splendida narrent, ipsis fidẽ habere oporteat. Qui enim nihil eorum quæ vitio dari possunt prætermittunt, sed præ aliis summa diligentia eiusmodi si qua sunt commemorant, tam in magistro quàm in discipulis, quo modo cùm laudabilia narrant,suspectos habebis?præsertim cùm multa signa & miracula breuiter transcurrant, crucis verò patibulum, quod opprobrij plenum esse videbatur, exC ctissimè prosecuti sunt, discipulorúmque studia, artificia,quæstus,cõemptum, & ipsius magistri progenitores qui turpitudine aliqua detinebantur, magna voce in medium proferunt. Patet ergo quanta sibi esset cura veritatis, cùm nihil ad gratiam, nihil ad ostentationẽ ambitiosè conscripserint. Verùm Matthæus vocatus, honorem quoque non minimum consecutus est. Mensam enim Domini continuò dignatus, poterat facilè maiora quoque separare,qui videbat iam se libere cum Domino conuersari: non enim longo temporis interuallo, sed repente à vitio fuerat sanatus: quamuis Iesus non cum illo solùm ad mensam accubuerit, sed aliis quoque cum multis, quod sibi crimini à nobilioribus dabatur qui peccatores depellendos esse censebant: sed nec hoc ipsum celarunt euangelistæ † quod ab im- vt pote qui res ab eo gestas vere ac religiose nar rare cõstituerint.)

probis atque inuidis ad infamiam dicebatur.] Concurrunt autem quasi ad consortem artificij multi publicani,quos Matthæus lætitia non parua propter accessum D Christi inuitauit, Domino ita disponente, qui omne genus curationis animorum exhibuit, nec differendo solùm aut ægrotos curando, aut inimicos redarguẽdo: verumetiam comedendo, atque bibendo,multos à vitiis ad virtutem reduxit, vt nos doctiores his omnibus efficeret, non esse tempus,nec opus,ex quo non possimus vtilitatem percipere. Et quanuis quæ tunc apposita erant,iniustè atque rapaciter fuerunt acquisita, non repellit tamen ea Dominus, sed assumpsit ex illis. Magnum enim lucrum inde oriebatur, quinimmo eodem tecto,eadémq; mensa cum peccatoribus vtimur. Hæc certè bonum medicum decent, qui nisi laborantium putredinem ferat, non potest eos doloribus liberare: sed Dominus malam multorum de se existimationem, ad quam

ad quam deuenerunt, quoniam cum publicanis in do- A mo publicani comederet, nõ timuit. Illi autem exprobrabant dicentes:Ecce homo edax,& vini potator,pu-

Matt.11.

blicanorum amicus, & peccatorum. Audiant hæc qui magnam sibi per ieiunium gloriam adipisci student, discántque Dominum edacem,viníque potatorem appellatum,non erubuisse. Omnia enim hæc despiciebat, vt ad finẽ optatum perueniret, sicut & factum est. Nam & conuertit omnino, & multò meliorem publicanum effecit. Et vt discas quantum aliis quoque profuit quãdo in domo Matthæi cum publicanis accubuit: audi quid Zacchæus dicit, alius item publicanus, qui cùm

Luc.19.

Christi verba percepisset dicentis, Hodie in domo tua oportet me manere: summa iucunditate perfusus medietatem substantiæ pauperibus tribuo,inquit,& si cui-

Ibidem.

quam aliquid calumnios abstuli, reddo quadruplum. Ad quem Iesus,Hodie salus huic domui facta est.Rectè

2.Cor.5.

enim dixim⁹, omni ex re meliores homines posse fieri. Sed quomodo (inquies) Paulus præcipit, si quis cùm B frater nominetur, sit fornicator vel rapax, cum eo non comedere? Primum quidem non patet,an magistris etiam hæc à Paulo præcepta sunt,an fratribus solùm: deinde nondum erant omnino fratres,quos vitandos dixit. Ad hæc, ad consortium fratrum iam ascitos, tunc vitare iubet cùm in malis perseuerẽt. Publicani autem illi ab illicitis cõuersi,iam meliora prosequebantur:verùm nihil horum Pharisæos meliores fecit,sed discipulos aggrediuntur, dicentes: *Cur cum publicanis & peccatoribus magister comedit vester?* Ita quando discipuli deliquisse in aliquo videbantur, Christum alloquuntur.

Infra 12.

Ecce,inquiunt, discipuli tui faciunt quod non licet in sabbato facere. Hîc verò ad ipsos discipulos Christo detrahunt: quæ omnia malitiosè agebant, volentes à magistro discipulorum multitudinem subducere. Quid autem immensa sapientia Domini ad hæc? *Non indiget*, inquit,*valentes medico, sed qui malè habent.* Perpẽdis quo modo in contrarium verba eorum conuertit. Illi culpæ C dabant,quoniam cum huiusmodi hominibus conuersabatur:ipse verò contrà indignum se suaq; in homines beneuolentia,si horum commercia & conuersationem fugiat. Quare non procul à culpa tãtum hæc esse ostendebat,sed principale propositum suum, & laude maxima dignum. Sed ne videatur turpitudinem vocatorum annectere, cùm dicat,malè agentes medico indigere: illud mitigando adiecit increpans ipsos ac dicens. *Euntes discite quid est, misericordiam volo, & non sacrificium.*

Osee 6.

quod dicebat,vt paruam eos scripturarũ habere ostenderet peritiam: quapropter acriori quoque oratione

ne illi animum despõderet.)

vsus est,non commotus ipse nequaquam, sed † vt illos commoneret:] & quanuis potuisset dicere, Non vidistis me paralytici membra firmasse, peccatorum nexus dissoluisse?nihil tamẽ horum, sed communibus & probabilibus primò vtitur. Deniq; Scripturas in medium adduxit: cùm enim dixerit, non eis qui rectè valent, medico opus esse: sed eis qui malè valent, & hinc occD cultè seipsum esse medicum declauerit, tunc adiecit: Euntes discite quid est, misericordiam volo, & non sacrificium. hoc & Paulus facit. Nam à communibus primùm, & probabilibus re confirmata, & postquam dixerit: Quis pascit gregem, ac ex lacte eius non comedit? tunc scripturarum testimonium adduxit. In lege nanque Mosi scriptum est,inquit: Non frenabis bouem triturantem: & rursum sic Dominus Euangeliũ annunciaturis concessit ex Euangelio viuere: at verò ad discipulos aliter dicit: in signorum enim memoriam reducit, dicens: Obliti estis quinque panum, & hominum quinque milium,& corbium quot tulistis? Non sic autem ad istos nunc ait,sed communis imbecillitatis me-

Supra. 1.Cor.9. Deu.25. 1.Cor.9. Mat.16. & Mar.8.

miisse facit, vt ex ipsorum numero eos etiam esse ostendat: quippe qui nec scripturarum peritiam habebant,& omnem virtutem negligentes,plurimùm in sacrificiis confidebant: id enim occultiùs significans breuiter tetigit, quod passim ab omnibus dicitur prophetis, cùm dicat, Discite quid est,misericordiam vo- Osee 6. lo, & non sacrificium: quibus verbis probat illos esse qui iniquiter agant, non se:quasi dicat, cuius rei gratia incusatis me, qui peccatores ad virtutem reduco? aut cur patrem propter idipsum non incusatis? Quemadmodum igitur alibi simili argumento vtens, dicebat: Pater meus vsque modo operatur,& ego operor: sic in hoc loco, Eũtes,inquit,discite quid est,misericordiam Ioan.5. volo, & non sacrificium. vt enim ille hoc vult, inquit, sic & ego. Vides illa quidem superflua,hanc verò necessariam. Neque enim misericordiam volo, inquit, & sacrificium, sed misericordiam volo, & non sacrificium. Alterum enim comprobauit, alterum reprobauit, ostenditque non modò non esse prohibitum quod illi vituperabant, sed etiam Lege sancitum, adeóque magis quàm sacrificia: & veterem legem adducit his consona dicentem ac decernentem. Cùm igitur & à communibus, ac probabilibus sententiis, & à Scripturis ipsos compressisset,adiecit, *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* quæ ironicè dicere videtur, sicut illud: Ecce Adam factus est,quasi vnus ex nobis. Et ite- Gen.3. rum: Si esuriero,non tibi dicam. Nam neminem in ter- Psal.49. ris iustum fuisse aperuit Paulus,vbi dicit: Omnes enim Rom.5. peccauerunt,& egent gratia Dei. Verum quod hoc hîc dicitur,ad vocatorum consolationem dictum est: adeò enim procul abest,ne peccatores abominetur, vt eorũ causa solum se aduenisse testetur: & ne his verbis resupinos ac desides faceret, quia peccatores appellauit, non tacuit,sed adiecit, ad pœnitentiã. Non enim vt in peccato permaneremus aduenit, sed vt commutati, meliora eligeremus: verùm cùm vndique ora eorum C partim à Scripturis, partim à rerum probabilitate obstructa fuerint, cúmque ipsi rei iam viderentur,ac peccato subiecti,& Legibus & Scripturis contrarij: omiserunt ipsum, ac ad discipulos iterum crimen transtulerunt. Et Lucas quidem Pharisæos, hic verò Ioannis discipulos fecisse dicit. Verisimile autem est ab vtrisque Luc.5. simul factum fuisse. Pharisæi enim confusionem suam intelligentes,Ioannis discipulos, mea quidem sententia, veluti in Herodianis postea fecerunt,secum acceperũt. Inuidebant enim semper Ioannis discipuli Christo, & contra cum disputabant, tunc solum ad humilitatem redacti,cùm Ioannes in carcerem fuit adductus. Modestius enim tunc accesserunt ad Iesum, ipsíque nunciauerunt,quamuis postea ad primum inuidię vitium fuerint reuersi. Quid igitur dicũt? propter quid nos & Pharisæi ieiunamus crebro, discipuli autẽ tui non ieiũant? Et ecce hæc illa est ægritudo quã Christus iampridem depellebat: dicens: Quando ieiunas,vnge caput tuum, Mat.6. & faciem tuam laua. prouidebat enim quot quantáq; vitia hinc oriãtur. Christus verò non increpat eos acriter,tanquam inanẽ querentes gloriam,& incassum sese ostentantes: sed maxima cum clementia respondet dicens, *Non possũt filij sponsi ieiunare donec cum ipsis est sponsus.* Quando enim pro aliis loquebatur nẽpe publicanis, vt animos eorũ vulneratos mitigaret, acrius in exprobratores insurrexit. Nunc verò cùm ipsum atq; discipulos suos carperẽt, humillimè occurrit. quod autẽ dixerunt, huiusmodi est: Concedatur tibi quasi medico ad curationem ægritudinum cum ægrotis comedere, discipuli autem tui cur ieiunio spreto, comessationibus inhiant? & vt crimen in maius efferatur, primum se, deinde Pharisæos posuerunt, comparatione peccatum amplificare

Universidad de Deusto
Biblioteca

studentes. Nos enim, inquiunt, & Pharisæi frequenter A
ieiunamus. Ieiunabant enim, quod alteri à Ioanne di-
dicerunt, alteri à Lege, veluti & Pharisæus ille dicebat:
Luc.18. Ieiuno bis in hebdomada. Quid igitur Iesus ad hæc?
Num possunt filij sponsi ieiunare donec cum eis spon-
sus est? Se prius quidem medicum, nunc verò sponsum
appellauit ineffabilia quædam mysteria his nominibus
adaperiens: & quamquam cum acrimonia potuisset sic
in eos inuehi, Vnde potestis vos huiusceomodi ieiunan-
di legem condere, aut quam vtilitatem vobis ieiunia
asserunt, cùm mens vestra sceleribus repleta sit, cùm a-
lios accusetis, cùm iudicetis, non paruas ipsi trabes ge-
rentes in oculis, cùm ad aucupandam hominum glo-
riam omnia faciatis? potius inanis gloria esset eiicien-
da, & omnes virtutes adhibendæ, fratrum dilectio, cha-
ritas, mansuetudo: nihil tamen horum dicit, sed humil-
limè, ac animo æquissimo. Non possunt, inquit, filij spō-
si ieiunare, donec cum ipsis sponsus est. In memoriam
Ioan.3. illorū Ioannis verba reducens, quibus ille dicebat: Qui B
habet sponsam, sponsus est, amicus autē sponsi, qui stat,
& audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Id
verò huiusmodi est: gaudij atque læticiæ præsens est tē-
pus, nolite igitur adhibere mœsta: mœstum autē quid
ieiunium est, non natura sui, sed comparatione illorum
qui adhuc inferiores sunt. Nam prouectioribus qui ad
sublimioris philosophiæ fastigium peruenire volunt,
iucunda quædam res est, & valde amabilis: & quemad-
modum ex bona corporis habitudine lætitia conse-
quitur, sic multò maior est animi voluptas, quando vir-
tuti deditus est: sed ad mentem eorum suspicionésque
respondit. Sic & Esaias de ieiunio verba faciens, humi-
Esa.58. litatem animi ieiunium appellat. Moses quoque pari-
Num.30. ter. Dominus autem non ex his quę dicta sunt, tantum-
modo ipsos retudit, verumetiam ex aliis, dicens: *Veniēt
dies quando auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.* Vn-
de patefacit non ventris causa discipulos nō ieiunasse,
sed quadam eius dispensatione mirabili: & simul cum C
his passionis mentionem in respondendo aduersariis
fecit, vt assuescant discipuli grauiora hæc audire: nam
ad eos ipsos de passione apertiùs dicere arduū nimium
adhuc erat, quippe quod multò pòst ad exercitatiores
dictum, ipsos conturbauit. Ad alios igitur dicitur, vt
mitius videatur, & quadam præmeditatione discipulos
confirmet: verum quoniam passione Ioannis superbum
quiddam, meo iudicio, sapere, atque sublime videban-
tur, hunc quoque tumorem ipsorum deprimit: de re-
surrectione tamen nondum fecit mentionem, nec erat
adhuc opportunum de tanto mysterio dicere. Nam se-
cundum naturam fit, vt qui putatur homo esse, moria-
tur, illud omnino supra naturam est. Deinde quod in
superioribus faciebat, id etiam conficit hic. Nam sicut
cùm inuidi conarentur nefanda in eum coniicere cri-
mina, quoniam cum peccatoribus comederet: contrà
ipse persuasit, non modò crimen id non esse, sed laude
quoque dignissimum: sic in hoc loco cùm ipsi vellent D
ostendere nescire ipsum vti discipulis, facilè probat eos
potius qui hęc dicunt, ignorare sectatoribus vti, & frus-
tra sine causa cæteros culpare. *Nullus enim immittit*, ait,
commissuram panni rudis in vestimentum vetus. Vide quo
modo à probabilibus confirmat orationem. Tale nan-
que est quod dicit, nondum discipuli mei ad maiora
conscenderunt, nondum spiritu renouati sunt: pro-
pterea huiusmodi indulgentia adhuc egent, vt maiora
sibi pondera præceptorum ita affectis imponenda non
sint. hoc autem dicebat, leges iam discipulis atque re-
gulas præbens, vt cùm etiam ipsi à quacūque orbis par-
te discipulos ascisca̅t, mites erga eos & suaues sint. *Ne-
Hier.13. que immittunt vinum*, ait, *nouum in vtres veteres.* Perpen-

dis hæc exempla similia esse priscis, vestimentum scili-
cet, atque vtres. Nam & Hieremias cingulum populum Luc.5.
dixit, & tam de vtribus, quàm de vino mentionem fe-
cit: à quibus nunc exempla accepit, quoniā & de mēsa,
& de ventris vitio sermo erat. Lucas autem addit, quo-
niam & nouum * scinditur, si veteri illud immiseris: ita *χίζεται.
non solum nullum commodum sequitur, verumetiam apud Lu-
damnū consequetur. Sic eisdē verbis & præsentia nar- cam tamē
rat, & futura prædicit, nempe quod noui postmodū fu- legitur
turi sunt, quæ antequam fiant, non oportere inquit au- χίζει, i.
sterum quicquam aut asperū discipulis præcipere. Nam scindit fa-
qui opportunitate non expectata, altiora hominibus ue rūpit.
dogmata proponit, is nec cùm occasio fuerit, aptos ad
audiendū inueniet, cū iam semel ineptos fecerit. Quod
nec susceptibilis rei causa, nec suscipientiū culpa cōtin-
git, sed propter imponentiū atq; docentium festinatio-
nem importunam. Hinc etiam causam docemur, quare
humilioribus verbis ad ipsos sæpe disseruit, cùm intelli-
gamus propter infirmitatē audientium multa fuisse ab
ipso humiliùs quā dignitas sua pateretur, de seipso dis-
putata: quod & apud Ioannem apertiùs exprimitur. Ioan.16.
Multa vobis habeo dicere, inquit, sed nō potestis ferre
modò. Nam ne putarent illa solum esse quæ dixit, sed
multa maiora restare crederent, infirmitatem eorum in
medium protulit, quasi promittēs tunc illa etiam ipsos
audituros, cùm robustiores fuerint: quod pariter hīc
quoq; facit. *Venient enim dies*, inquit, *cùm sponsus ab eis au-
feretur, tunc ieiunabunt.* Quas ob res nō debemus cuncta
à quibusuis in principio rerum exposcere, sed ea solum
quæ possibilia sunt, atque illorū viribus conueniunt, &
tum citò ad alia etiam perueniemus: quòd si curris atq;
festinas, velociúsque rem agere cupis, ideo noli festina-
re, quia quantò velocius perficere festinas, tātò tardius
perages: ideo ergo noli festinare, quia festinas. Sed ne
tibi obscuritate sermonis ænigma dicere videamur, i-
psam rerum naturam cōsidera, & non latebit te nostræ
C orationis sententia, nec te quisquam eorum qui te im-
portunè criminatur, conturbet. Nam & tunc Pharisæi
erant qui criminabātur, & discipuli qui opprobriis vr-
gebantur: sed nihil horum fecit vt Christus immutaret
sententiam, nec concessit dedecus esse, non ieiunare
hos, cùm illi ieiunarent. Verùm vt gubernator optimus
non commotis fluctibus, sed arti suæ intētus est: sic Ie-
sus fecit. Dedecus quippe non erat quòd illi non ieiu-
nabant, sed quoniam propter ieiunium magis fastus vl-
ceribus exacerbati disrumpebantur. Quæ nos intelli-
gentes his institutis nostros gubernemus. Vxorē habes
ornatum corporis nimium adamantem, quæ fuco per-
fusa quotidie lasciuia, deliciis, loquacitate diffunditur.
Nam etsi hæc omnia in mulierem vnam concidere ne-
queunt, fingamus tamen oratione omnia concurrisse.
Sed cur, inquies, de fœminis potius quàm de viris di-
cere voluisti? Sunt certè viri tali muliere corruptiores.
Verùm quoniam maribus gubernatio natura conce-
ditur, idcirco mulierē nūc describimus, non quia plu-
ra in mulieribus, quàm in viris vitia reperiantur. Mul-
ta enim apud viros sæpe inuenies, quæ apud mulieres
nunquam, aut certè rariùs reperientur: vt cædem, vt se-
pulchrorum euersionem, vt inutilem aduersus feroces
bestias pugnam, cęteráque huiusmodi. Nolite ergo pu-
tare sexus contemptu nos ista facere (hoc procul a me
absit) sed quia commodius nunc est ad hunc modum
imaginem depingere. Sit ergo talis mulier quam de-
scripsimus, eámque velit vir eius omni cura & studio
ad meliorem mentem reducere. Quónam igitur modo
id peraget? Si non vniuersa scilicet simul imperabit,
sed faciliora, eáque prius, quibus illa minus studere vi-
deatur. Nam si cuncta ab initio in melius vertere vo-

lueris,

lueris, nihil facies. Non ergo statim aureis ornamentis A
ipsam priuabis: habeat interim, atq; vtatur. Nam id mi-
nus esse malum videtur, quàm depicta fucatáq; facies.
Facies fu- Picturam ergo prius auferas, idq; non terrore nec minis
cata nota- facias, sed miti iucundáque suasione, partim † alias ac
tur. aliorum cusando,]partim tuo iudicio atque authoritate impro-
accusatio- bando: fac vt à te sæpe audiat non placere tibi fucatas
ne) id est facies mulierum, abominationem atque fastidium in-
quod alij de tibi tantum innasci solere, vt ferre non possis: cui tuę
reprehen- sententiæ aliorum quoque opinionem accommoda,
dant. atque dicito quòd etiā venustas ea res solita sit detur-
pare, vt ita vitium hoc eximas. Interea nihil adhuc de
gehēna dixeris, nihil de regno cœlorum. nequicquam
enim hoc dices: sed persuade ipsi magna te affici volu-
ptate, cùm talem eius faciem videas, qualis à Deo crea-
ta est: faciem verò corruptā & alienam à natura sua ru-
brica vel cerusa plenam, apud homines bonos vulgò
improbari. Prius igitur his tritis rationibus, & commu-
ni sentētia, morbum ab anima eius extermina. Et post- B
quam his verbis permulseris, de inferno etiam ac cœlo
dicito, nec semel, sed iterum atque iterum hæc dissere-
re non graueris: non odio aut ira, sed cum amore & le-
pore, nunc adulando, nunc quasi ex fastidio oculos a-
uertendo, nunc colendo. nónne vides pictores modò
hos, modò illos colores prioribus abrasis imponere, cū
formosam faciem pingūt? Noli tu pictoribus indoctior
fieri. Illi corporis effigiem tabulis pingentes, tanto stu-
dio atque cura vtuntur: nos cùm meliores animas fa-
cere volumus, an non æquum est omnem mouere ma-
chinam? Nam sic cùm faciem vxoris tuæ probè forma-
ueris, non videbis corporis sui faciem figmentis defor-
matam, non labia cruore polluta, nō os virsæ ori cruen-
tato simillimum, non atra supercilia quasi ad ollam at-
triuerit, nō albario illitas genas, ceu sepulchri parietes:
quæ omnia cùm fuligo, cinis & calx sint, summam de-
formitatem efficiunt. Sed quonam modo ad hæc ver-
ba dilapsus sum, vt qui alios moneam cum mansuetu-
dine docere, ipse ad iram videar deuolutus? Redeamus
igitur ad mitiorem admonitionem, feramus (inquam)
ita mulierū delicta, vt interea indulgendo emēdemus.
An non vides fieri ab omnibus infantium matribus,
cùm vehementius plorent quando ablactentur? Non
vides omnia nos æquo animo pati, dummodo facimus
ne priorem mensam reposcant? similiter in corrigendo
quoque agamus. Sufferamus interim cætera, vt vnum
solum consequamur: quod cùm habebimus, ad aliud
hac via progrediemur, ac ita pariter, similíque modo
de aureis ornamētis disputabis: si paulatim sic animum
vxoris tuæ formaueris, pictor eris optimus, seruus fide-
lis, probus agricola. Cum his simul illustrium quoque
mulierum, quæ aut forma præstiterunt, aut minus for-
mosæ fuerunt, mentionem crebro facito, Saræ videli-
cet, Rebeccæ, atque similium, quas omnes constat hu-
iusmodi vanitatem cōtempsisse: quod inde patet, quo-
Gen.17. & Tob. 10.12. & 1.Pet.3. Gen.24. & 25. & Gen.26. niam Lya patriarchæ Iacob vxor, etsi formosa non e- D
rat, nec admodum adamata à marito, nihil tamen hu-
iusmodi excogitauit, nec faciem à natura sua traduxit:
sed permanebat integra naturæ conseruans lineamen-
ta: nec ei offuit à Gētibus educatā fuisse. Tu verò cuius
caput Christus est, quæ fidelis es, inuentiones satanę
comprobabis: nec recordaberis aquæ illius quæ faciei
tuæ circunfusa est: nec sacramenti quod labia tua orna-
uit, nec sanguinis qui linguam tuam coccineam effecit?
quæ omnia si memoria teneres, etiam si valde ornatum
amares, non auderes tamen, nec ferre posses puluerem
aut cinerē aliquem super faciem tuam imponere. Me-
mento Christo te adaptatam fuisse, & hanc deformita-
tem abominaberis. Nō enim gaudet his coloribus, sed

sublimiorem pulchritudinem flagitat, animæ scilicet,
quam etiam valde diligit, quam & propheta non parui
faciendam ducit, vbi ait: Et concupiscet rex pulchri-
tudinem tuam. Non ergo inane quid atque superflu- Psal.44.
um nobis imponamus. Nulli enim ex operibus Dei
aliquid deest, nec quicquam est quod emēdatione tua
indigeat, nemo imagini quæ ad similitudinem regis ali-
cuius facta est, apponere quicquā audet: & si audebit,
non faciet impunè. Hominum igitur operi nihil addis:
quod verò Deus operatus est, id emendare conaris? nec
gehennæ ignis tibi venit in mentem, nec animæ desti-
tutionem pertimescis, quæ tūc omnino neglecta iacet,
cùm totam mentem, curam, studiúmque tuum ad cor-
pus contulisti. Cur dico animam negligi, cùm ipsi cor-
pori contraria contingāt, quā tu optaris: quod inde pa-
tet, quoniā cùm hac re formosa videri studeas, hac cer-
tè deformis appareas: hac re marito placere credis, hac
nō paruus ipsi dolor adducitur: nec ipse solum, verum-
etiam alieni te culpant. Vis adolescentula videri, at ea
res senium accelerat: hac re quasi formosam gloriari te
posse putas, hac tibi nō paruum dedecus affertur. Non
solum æquales, atque amicas, sed conscias ancillas, &
scientes seruos cùm vides erubescis, & multò plus cùm
te in speculo videas. Sed cur hæc tam multa connecto,
maiora illa præteriens? quod Deum offendis, † mode- temperan
stiam] suffodis, zelotypiæ flammam incēdis, prostituta tiam.)
scorta imitaris: quę omnia cogitantes, contemnite dia-
bolicos hos ornatus, & inutiles artes, ac formositate
hac, immo deformitate omissa, illam pulchritudinem
in animis comparate, quam angeli cōcupiscunt, quam
Deus diligit, quæ maritis iucunda est: vt honorificè vi-
ta hīc peracta, futuram quoque gloriam consequamur.
Ad quam vtinam perueniamus, gratia & misericordia
domini nostri Iesu Christi. Amen.

HOMILIA XXXII. EX CAP. IX.

C



AEC *illo loquente ad eos, ecce princeps vnus
accessit & adorabat eum dicens: Domine, filia
mea modo defuncta est, sed veni impone ma-
num tuam super eam, & viuet, &c.* Opus iam
sermonibus adiungitur, & Phatisæi magis
confunduntur: nam & qui accessit, synagogæ princeps
erat, & luctu magno premebatur. Vnica enim puella
erat, & duodecimum annum ipsum fermè florem æta-
tis attigerat. Quam ob rem maximè cōfestim eam vo-
luit suscitari. quòd si Lucas scribit venisse quosdam qui Luc.8.
dixerant, Noli vexare magistrum, mortua enim puella
est: dicemus quòd illud modò defuncta est, à tempore
itineris coniicientis erat modò mortuam esse, aut for-
san calamitatem amplificantis. Nam * qui re aliqua in- οἰδέποτοι,
digent, solent verbis ærumnas suas augere, & maiores qui indi-
facere, vt exorent. Sed vide ruditatem principis ipsius. gent, vel
Duo quædam à Christo postulat: vt veniat, & vt manū qui suppli
imponat, quod signū erat spirare adhuc puellā quando cant.)
ab ea pater decesserat. Id Syrus quoq; Naaman à pro-
pheta postulabat, cùm diceret: Exibit, & manum suam
imponet. Visu enim & rebus sensui subiectis indigent, 4.Reg.5.
qui rudiores sunt. Et Marcus quidē, & Lucas tres eum Mar.5.
accepisse discipulos dicunt: hic verò simpliciter disci- & Luc.8.
pulos scripsit. Sed cuius rei gratia Matthæum, qui mo-
dò accesserat, non accepit? partim vt maiori desiderio
arderet, partim quoniam adhuc imperfectior erat. Hac
enim de causa illos honorat, vt alij ad sublimiora imi-
tatione illorum conscendere conētur. Matthæo autem
satis erat, quòd sanguinis fluxu laborantem sanari vi-
derat: quòd eadem mēsa dignatus fuisset, ac salis com-
munione. Euntem verò eum sequebantur multi, tum
vt magnum viderent miraculum, tum propter dignita-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem personæ cuius filia laborabat. Et ad hæc quoniam A cùm rudiores plurimi essent, non ita integritatem animæ, vt corporis curationem quærebãt, ea propter confluebant, alij suis morbis cõpulsi, alij nouas inauditásq; res desiderantes, videre, doctrinæ autẽ prædicationísq; gratia pauci adhuc ad ipsum concurrebãt, & nihilominus non dimisit eos domum intrare, sed nec discipulos quidem omnes, eruditiores nos faciens paratioresq; ad omnem ostentationem depellendã. *Et ecce mulier quæ sãguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimẽti eius. dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentũ eius, salua ero.* Quam ob rem non liberè atque apertè ad Iesum accessit? Propter ægrotationis genus immũdam se putabat, ac ideo erubescebat. Nam si menstruorum tempore immundæ putabantur, multò magis quæ non natura, sed præter naturam fluxum sanguinis patiebatur, immundam se non immeritò æstimabat: propterea ergo abdit se atque occultat, quia ęgritudo hęc, magna immundicies secundũ Legẽ iudicabatur. Nondũ enim etiam ipsa rectè de Christo sentiebat: alioqui nequaquam speraßet se posse latere. Prima verò hæc mulier publicè accedere ausa est, quoniã fœminas quoq; ipsum curare iam audiuit: & quoniam ad filiolam archisynagogi mortuam profici sci conspiciebat: & ad domum quidem suam, quanuis opulenta esset, nihilominus non est ausa vocare: nec apertè accessit, sed occultè cum fide vestem ipsius tetigit. Cum fide, dixi: quoniam non hæsitauit, nec dixit: liberabórne ab hac ægritudine, si vestem eius tetigero, an non? sed non dubitãs sanitatem se ab huiusmodi tactu consecuturam, accessit. *Dicebat enim*, inquit, *in ſeipſa: Si ſolùm tetigero veſtimentum eius, ſaluabor.* Perspexit antea vnde Christus exiuit, è domo videlicet Publicani, & quales essent qui eum sectabantur, nempe peccatores & publicani, à quibus omnibus firmam non dubiam spem capiebat. Quid autem Christus? Non passus est eam latere, sed produxit in medium, & omnibus rem multis C de causis fecit manifestam: quanuis nõnulli stolidi ambitione ipsum commotum id fecisse autument. Cur enim, aiunt, non passus est eam latere? Quid ais tu omni scelere scelestior homo? qui imperat tacere, qui mille signa transcurrit, ambitione laborat? Sed cur, ais, in medium duxit? Primùm vt ab omni formidine fœminam liberaret, ne conscientię stimulis quási furata sanitatem mœrore exagitaretur. Deinde vt fidem ipsius corrigeret, quæ se putauit latere potuisse: denique vt fidem eius manifestam faceret, vt alij possent eam imitari. Præterea nõ est minus signum secreta cordium scire, quàm flumina sanguinis coërcere. Postremò principem synagogæ voluit confirmare, ne incredulitate omnia corrumperet. Venerant enim qui dicerent, Noli molestus esse magistro: mortua iam puella est: & qui erant in domo, deridebant ipsum dicentem, Quoniam dormit. & ne pater simile quid pateretur, ipsius imbecillitatẽ fulciens, mulierculam in medium producit. Nam quòd D ex crassioribus fuerit, inde liquet, quoniã dixit ad eum Noli timere, crede solùm, & saluabitur. Data enim opera commorabatur, vt post mortem puellæ veniret, & hinc resurrectionis mysterium patefaceret, idcirco tardiùs incedit, & mulierẽ pluribus alloquitur, & vt puella moriatur, vt diximus, & peruenirent qui dicerent, Noli negotium facessere magistro. quod & Lucas apertè ostendens, signanter dixit: Adhuc ipso loquente, venerunt aliqui de domo dicentes: Mortua est filia tua, noli exhibere negotium magistro. Mortẽ ergo eius vulgari voluit, ne resurrectio foret suspecta, quod in omnibus facit. Nam ad Lazarum non post primam aut alteram, sed post tertiam diem accessit. His igitur de causis in medium adduxit, & ait: *Confide filia.* Sicut & paralytico dicebat, Confide fili. Perterrita enim erat mulier, Ioan.11. idcirco & confide dixit, & filiam appellauit. & certè fides eius filiam eam Christi effecit. Deinde ipsam etiam laudauit, dicens, *Fides tua ſaluam te fecit.* Lucas autem multò plura de muliere nobis narrauit. Scribit enim posteaquam accesserit, & curata fuerit, nõ prius à Christo vocatam fuisse, quàm quæsitum sic fuerit: Quis est Luc. 8. qui tetigit me? Petrus autem & alij respondebant: Præceptor, turbæ te constringunt, & comprimunt: & tu dicis, quis est qui tetigit me? Id non paruum erat signum & veram ipsum carnem indutum esse, & omnẽ superbiam conculcare. Non enim porro sequebantur, sed vndiq; ipsum comprimebant: perseuerabat autem dicens, Tetigit me aliquis: cognoui enim virtutem à me exisse. Quod responsum tuditati audientium accommodatum, facilè fecit vt mulier quoque ad confessionem animum induceret. Ideo ipsam non statim redar- B guit, vt cùm ostendisset omnia se scire, spõte accederet ipsa, & factum prædicaret: ac ne, si ipse dixisset, suspectus videretur. Vides mulierem longe è archisynagogo præstantiorem? non apprehendit, non quicquam detinuit, summis digitis solum tetigit, & ideo cùm posterior venisset, prior curata recessit: & ille quidem medicum ipsum ducebat ad domum, huic verò solus tactus suffecit. Nam etsi ęgritudine tardabatur, fidei tamẽ voluntate volabat. Perpẽde autem quomodo ipsam consolatur, dicens: *Fides tua ſaluam te fecit.* Atqui si ipsam ambitionis ostentationísque gratia in medium produxisset, vt insani dicunt, nequaquam id adiecisset. Sed ista dixit, tum vt archisynagogi fidem cõfirmaret, tum vt mulierem commendaret, eique voluptatẽ ac vtilitatem præberet corporis curatione non minorem. Quod autem ad mulieris honorem atque gloriam, emẽdationem quoq; aliorum, non ad ambitionẽ ista fecerit, inde patet, quòd absq; hoc signo nõ minus ipse mirabilis esset futurus, cùm niuales imbres miraculorũ multitudo superaret, & multò maiora hoc & fecerit, & facturus erat. Mulier verò, nisi Christus factum suũ manifestasset, tam magnis laudibus caruisset: ideo eam in mediũ produxit, factum illius prædicauit, metũ eiecit (tremens enim accessit) confidere iussit, & ad reparationem sanitatis alia quoque præbuit quietis viatica, dicens: *Vade in pace.* Veniens autem in domum principis, & videns tibicines, ac turbam tumultuantem, dixit: *Diſcedite, nõ eſt enim mortua puella, ſed dormit.* Præclara sanè archisynagogo indicia. tibiæ nanque cæteráque instrumenta huiusmodi, quoniam mortua erat puella, ad concitandum fletum adhibita fuerũt. Quid autem Christus? Cæteros quidem omnes eiecit, parentes autem puellæ introduxit, vt testimonium præberent, à Christo non ab alio suscitatam fuisse: quamuis antequam surrexisset, verbo illam sanasset, dicẽdo: Non est mortua puella, sed dor- Mat.6. mit. Et multis quoque aliis in locis idẽ facit, veluti antequam fluctus maris sedasset, discipulos ipsos increpauit, pariter quoque in hoc loco turbationem mẽtis eorum qui aderant eiecit, ostendens etiam quási à somno facile sibi esse mortuos excitare. Id in Lazaro quoque fecit dicens: Lazarus amicus noster dormit. His etiam Ioan.11. docet non esse timendam mortem, cùm ad conditionem somni iam redacta sit. Deinde quoniam ipse quoque moriturus erat, aliorum morte ac resurrectione faciebat, vt discipuli confiderent, ac æquissimo animo mortem ipsam ferrẽt, cuius aduentu mors in somni cõditionem deuenisset. Deridebant autem ipsum: ipse verò etsi viderat nullam eos verbis suis fidem facere, nihilominus non molestè ferebat, nec increpauit deridentes, vt tam ipsi quàm tibiæ ac cymbala ac reliqua omnia

omnia clara mortis essent testimonia. Nam quoniã so- A lent homines facta præteritáque signa non credere, suis ipsorum verbis & risu eos præoccupat: quod & in Lazaro & in Mose similiter factum est. Dixit enim Mosi: Exod. 4. Quid est quod in manu tua est? vt cùm vidisset serpentem ex virga factum, nulla obliuione teneretur virgam prius fuisse, sed vocis propriæ memoriam habens, vehementer miraretur. In Lazaro quoque interrogauit Ioan. 11. vbi eum posuerunt: vt qui dixerunt, Veni & vide: & quòd fœtet, quoniam quatriduanus est: nullo pacto negare possent mortuum ab eo excitatum fuisse. Cùm ergo instrumenta fletus, & turbas vidisset, eiecit omnes, & in præsentia parẽtum signum operatus est, non aliam in corpus introducendo animam, sed eandem ipsam animam, quæ à corpore exierat, ita facilè reducendo, vt quasi à somno excitasse videretur. Manu autem ipsam accepit, vt visu ipso certiores fierent, qui cernebant à morte ipsam quasi à somno excitatam: & pater quidem dicebat, manum impone. Ipse verò maius quid fecit. B Non enim imponit manum, sed apprehendit & suscitat: neque orat, sed omnia sibi parere ostendens, non suscitauit solum, sed ne phantasma suscitatio videretur, cibum iubet dari puellæ: nec dedit ipse, sed alij. sic etiam in Lazaro fecit. Soluite (dixit) eum, & dimittite abire. Deinde mensæ suæ participem accepit: vtrunque certè simul comprobare solebat, mortem atque resurrectionem veram fuisse exquisitissimè vndique confirmans. Tu verò non resurrectionem solum puellæ mirari velis, verumetiam quia parentibus præcepit nulli dicere. qua ex re discere potes, ac firmiter credere, nihil vnquam ab illo ambitiosè, aut cupiditate gloriæ factum fuisse. Simul etiam considera flentes atque plorantes, quasi tam magna videre miracula indignos, omnes eiectos fuisse: nec velis tu cum lugentibus exire, sed cum Petro, Ioanne & Iacobo vnà remaneas. Nam si tunc eos qui flebãt eiecit, quando non erat ita planum, quasi in somnum iam mortem esse redactam: quid nunc faciet, cùm id C luce ipsa iam clarius sit? Sed non suscitauit filiam tuam nunc: sed suscitauit omnino longè maiori cum gloria. Puella namque illa resuscitata, rursus mortua est: tua verò posteaquam resurrexerit, nunquam in posterũ mortem videbit. Nemo ergo defunctos deinceps ploret, nemo lugeat, nemo mortem Christi qua mors superata est, calumnietur. Quid frustra fles, si mortem in somniũ redactam esse credis? Quid † te cædis] & luges? Gentes conque- id faciunt, quia non credunt: si autem fidelis pariter atque infidelis hac in re peccat, quid respondebit? quo modo veniam petere audebit, præsertim longis temporibus postea, cùm iam nemo Christianus de resurrectione ambigat? Tu verò sedulò studes delictum hoc quasi amplificare, & incitatrices fletus mulieres conuocas, quarum flebili cantu incẽdatur atque inflammetur 2.Cor.6. vehementius ægritudo tua: nec Paulo dicenti auscultas, Quæ consonantia est Christo ad Belial, vel quæ pars fideli cum infideli? Cúmque gentiles qui nihil de resurre- D ctione acceperunt, consolandi rationes inueniant, fer magno animo dicentes: nec enim vt quod factum est, infectum sit, facere poteris: nec lugendo charissima pignora excitabis: tu qui sublimioris philosophiæ præcepta quotidie audis, non erubescis grauiùs illis in tuo casu exagitari? Non enim dicitur tibi, fortiter feras: non potes facta infecta facere, sed æquo animo feras, haud dubiè enim resurget. Dormit enim puella tua, non est mortua: quiescit, non est perdita: resurrectio, ac æterna in posterum atquè immortalis vita illam excipiet, & quies angelica. Non audis prophetam dicentem: Con- Psal.114. uertere anima mea in requiem tuam, quoniam Dominus benefecit tibi? Beneficium Deus hanc rem vocat, &

tu ploras? Et quidnam faceres, si hostis, si inuidus, si inimicus esses defuncti? Nam si quempiã flere oportet atque lugere, diabolum certè oportet. Ille igitur pectus pugnis cædat, ille grauiter ferat, quoniam ad immortalitatem mortui tendunt: illius malitiam hi clamores & fletus decent, non te qui ad requiem & coronas proficiscris: & certè harum turbationum omnium tranquillus quidam portus in morte est. Examina quot quantáque mala sunt in hac vita, tecum ipse recensẽ quoties præsentibus rebus maledixisti, cùm semper in peius & videris & videas omnia ruere: quanuis & ab initio non parua pœna huic vitæ sit attributa. In doloribus, in- Genes.3. quit, paries filios: & in sudore vultus tui comedes pa- Ibidem. nem tuum: & in mundo tribulationem habetis. Nihil Ioan. 16. autem huiusmodi de futuris rebus scribitur, quinimmo Esa. 33. totum oppositum. Effugit, inquit, dolor, tristitia, gemi- Marc. 8. tus. & rursum: Ab Oriente atque Occidente venient, & Ezech. 40 recumbent in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob. & alibi, thalamus sunt, quæ illic sunt, spiritalis, inextinguibiles fulgidáque lucernæ, cœlestis vita. Cur ergo defunctum exagitas? Cur committis vt timeant mortem alij, atque formident? Cur causam præbes vt nonnulli Deum incusare audeant, quòd mala nobis tanta inuexerit? Immò verò cur post mortem tuorum pauperes conuocas? Cur presbyteros, vt pro eo velint orare, obsecras? Non ignoro te responsurum, vt defunctus requiem adipiscatur, vt propitium iudicem inueniat. his ergo de rebus flendum, atque vlulandum arbitraris? nónne vides quàm maximè tibiipse repugnas? Nam cùm illũ abisse in prata florentia putes, ingentes tamen aduersus teipsum fluctus suscitas tempestatis. Sed quid faciam, inquies? talis quædam res natura parentum est. Non est naturæ ista culpa, non est rei ipsius: sed nos qui omnia huc atque illuc impellimus, molles nimium atque deiectos nostros animos efficimus, & diuinam nostram perdimus nobilitatem, & simul infideles facimus deteriores. Quomodo enim de immortalitate animæ cum ipsis disputabimus? qua ratione resurrecturos nos illis persuadebimus, cùm longè magis quàm illi mortem formidemus? Multi enim apud gentiles cùm nihil de immortalitate animæ crederent, nihilominus mortuis filiis, vt inanem quandam gloriam consequerentur, corona ornati, & candidam induti vestem, in publicum prodierunt. oro vt futura illa quidem, & vera gloria moueat, vt effœminatos hos, eneruósque mores cõtemnere velis. Sed hæredem non habeo, inquies, nec quem rerum mearum successorem constituam. Ego verò te libẽter interrogarem, tuarúmne rerum, an cœlorum malis filios tuos esse hæredes? & vtrum magis desideres caduca hæc & corruptibilia possideri ab illis, quæ tamen post omnino essent relicturi, an stabilia illa & æterna? Non habes hæredes filios, sed habet ipsos pro te Deus: non hæredes facti fratrum suorum, sed facti sunt Christi cohæredes. Sed cui preciosas, inquies, vestes nostras, cui magnificas ædes, cui seruos, cui agros relinquemus? Illis ipsis profectò, & multò tutius, quàm si viuerent: nihil enim prohibet. Nam si multæ barbaræ gentes vnà cum defunctis res eorum cremare solent, quanto æquius defuncto tu filio † tua tradere potes:] non vt in cinerem re- fua tradigantur, sed vt glorioſum magis illum reddant? Putas dere debes.) eum maculis inquinatum abiisse, da ipsi sua, vt illis se à maculis detergat: putas in iniustitia ipsum decessisse, præbe ipsi tua ad mercedis & tributionis adiectionem. Sed videre, inquies, ipsum cupio. Igitur eandem quam ille vitam transige, & statim sacra illa visione frueris. Illud etiam tecum versa, quoniam si hac oratione nequaquam tibi persuadebimus, natura ipsa temporis tibi persuadebit. Nam multitudine dierum

Universidad de Deusto
Biblioteca

absque aliqua mercede consolaberis. quòd si statim in A tuorum morte philosophari volueris, duas res maximas consequeris. Nam & interea tranquilliori animo vives, & à diuina retributione fulgentissimam habebis coronam. Eleemosynam enim & cæteras virtutes excelsum animi robur, quo calamitates & ærumnas æquo animo ferimus, meo quidem iudicio superat. Tu autem recũ ipse cõtinuè cogita, filium Dei ipsum quoque obiisse: sed ille quidé propter te, tu verò tui ipsius causa. & illũ dixisse quidem scribitur, Transeat à me calix iste: & tristitia, agoniáque affectus, noluit tamen mortem non admittere, sed pluribus maioribúsque doloribus corporis vexatus, quàm tragœdi omnes scribere possent, expirauit. Non enim simpliciter mortuus est, sed turpissimum atque acerbissimum genus mortis sustinuit: & antequam moreretur, flagellis atque contumeliis cæsus, propter te omnia perpessus est, vt ad generosè ferenda omnia suo exemplo te institueret: quin & mortuus corpus reliquit, ac rursus ipsum cùm maiori gloria suscepit, B vt & tu certam resurrectionis spem retineas. Si hæc igitur non putas fabulam esse, noli plorare: si hæc vera credis, noli flere: sin verò ploras & fles, qua ratione infideli persuadebis quòd haec credas? Sed intolerabilis tibi casus tuus videtur. Propterea ergo defuncti gratia plorandum non est, quoniam à multis huiusmodi casibus liberatus est. Noli ergo facere vt inuidere videaris: nam qui mortem sibi optat, quoniam ante tempus aliquis suorum ereptus est, plorátque propter illum quia non viuit, vt multa huiusmodi subeat, inuidere magis quàm amare illum videtur. Noli ergo cogitare quòd non redibit vnquam domum tuam filius, sed quia & tu paulò pòst ad ipsum gradieris. noli cogitare illum huc postea minimè reuersurum, sed quia hæc quæ videmus, omnia cùm sint caduca & instabilia, nunquam eadem permanent: omnia enim transfigurabuntur, & cœlum, & terra, & maria, & tunc suscipies filios tuos maiori cum gloria. Quòd si in peccato mortui sunt, finem C tamen peccandi habuerunt. Nam si pœnitentiam fuissent acturi, Deus cui omnia patent, non antequam eam egissent, ipsos rapuisset: sin verò iusti decesserunt, euaserunt iam à periculis, & tuti supremam beatitudinem possident. His rebus omnibus planum factum est, non esse amoris has lachrymas, sed turbationis, & animi parum sapientis. Nam si defunctum diligeres, gauderes profectò, exultarésque: quia fluctus præsentis vitæ pernauigauit. Quid enim mirabile aut nouum, atque inauditum factum est? an non eadem ipsa quotidie reuoluí videmus? diem nox, noctem dies, hyeme æstas, æstatem hyems modò præcedit, modò sequitur: nec plus quicquam est: & hæc quidem eadem semper: mala verò alia atque alia in dies quae filium tuum haurire quotidie, & tecum esse velles omni morbo subiectum, omni luctui, cùm sua fomidine ac horrore vitam miserè agere, & alia quidem mala iam subeuntem, alia verò timentem ne subeat. Non enim poteris vnquam dicere D quòd potuisset longum istius vitae pelagus absque dolore, mœstitia, cura nauigare. ad hæc etiam illius tibi rationis memoria veniat, non immortalem te genuisse: sed si nunc diem suum non obiisset, paulò pòst certè ad hoc ipsum peruenisset. Sed non saturasti te amore illius. Sed ibi omnino perfrueris. At vellem, inquies, hic quoque ipsum videre. Et quid prohibet? licet tibi cum certè hic quoque videre, si sapis. Certa enim spes futurorum & iucundior visu, & clarior est. Tu verò si ad imperandum regnandúmque hoc caduco mortalique regno filius tuus abisset, nolles eum inde redire vt ipsum videres: nunc verò cùm ad meliora maioráque regna processerit, parui temporis absentiam ferre non

Matt.26. & Luc.22.

poteris? præsertim cùm loco illius coniugem habeas. Sed non est mihi coniunx, inquies. Habes patrem orphanorum, & viduarum iudicem in consolatorem. Audi Paulum talem viduitatem extollentem, atque dicentem: Quæ autem verè vidua est ac solitaria, sperat in Domino: præstantior enim hæc videbitur, cùm maiori patientia fulgeat. Noli ergo plorare, aut dolere ea de re, qua tibi corona præparatur, pro qua tibi merces debetur: reddidisti enim depositum, quod tibi creditum erat: non sis ergo solicita, si vides in inuiolabili ærario thesaurum tuum esse depositum. Quòd si etiã tam præsentis vitæ, quàm futuræ conditionem intellexeris: & hanc quidem aranearum esse telam atque vmbram, illã verò immobilem ac æternam esse firmiter credideris, non indigebis vlla alia ratione. Nunc enim filius tuus ab omni mutatione rerum ereptus est: si verò hîc esset, probúsne, an reprobus futurus esset, in ambiguo versaretur. Nónne vides quotidie multos à parentibus abdicari, multos tamen, licèt abdicatis longè peiores sint, necessario à parentibus domi detineri? Hæc igitur nobiscum cogitantes, sublimiori vtamur philosophia. Nam hoc modo & defunctis gratiores erimus, & in hac vita non paruas laudes consequemur, & à Deo ipso magna patientiæ præmia, magnásque retributiones suscipiemus, futurorum scilicet bonorum firmam stabilémque possessionem, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

1.Tim.5.

HOMILIA XXXIII. EX CAP. IX.

ET *transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes & dicentes: Miserere nostri fili Dauid. Et cùm venisset in domum, accesserunt ad eum cæci, & dixit eis Iesus: Creditis quia hoc possum facere? Dicunt ei, Vtique domine. Tunc tetigit oculos eorum dicens: Secundùm fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum.* Quam ob rem ipsos clamantes protrahit? docet rursus ambitionem esse fugiendam, & inanem hanc gloriam non conquirendam. Nam cùm prope domum esset, eos illuc ducit, vt occultius ibi curaret, ac ideo nulli etiam hac de re quicquam dicere præcepit: non paruo autem dedecori cæci Iudæis sunt, quoniam erutis oculis nihil videntes, auditu solùm crediderunt, cùm illi signa oculis cernentes, & optimum visus secum habentes testimonium, contrà quàm cæci & dicant & faciant. Ego verò animi eorum ardorem & à clamore & à verbis intelligo. Non enim simpliciter accesserunt, sed cum magno clamore: nec aliud quicquam petebant, quàm misericordiam: filium autem Dauid appellabant, quoniam id nomen magni erat honoris: vnde prophetæ quoque sæpius reges quos honorare, & magnos ostendere volebant, sic appellabant. Cùm verò in domum ipsos adduxisset, ideo rursum interrogauit, quoniam sæpius, ne quis ambitione ad miraculorum actionem sponte ipsum accurrere putaret, rogatus curare malebat: præterea vt ostenderet quod illi ea curatione erant digni: ac ne quis obiicere queat, si misericordia sola saluos faciebat, cur omnes saluos non fecit? Habet enim profectò ipsa misericordia quandam rationẽ: quoniam in eorum fide qui saluantur, radices agere solet: nec his de causis tantummodo fidem ab eis petit, verumetiam quoniam filium Dauid eum appellabant, ad altius atque sublimius reducere volẽs, vt dignam de ipso existimationem, rectúmque iudiciũ facerẽt, interrogauit: *Creditis quia possum hoc facere?* Non dixit certè, creditis quòd possim precibus id à patre meo impetrare, sed quòd ipse possim hoc facere. Quid autem illi? *Vtique Domine.* Non filium iam Dauid appellant, sed ad sub-

Exech.34. & Zach. 12.

ad sublimiora volantes, dominum ipsum tam magnæ A minem adducunt, à Deo abducunt: nullam fuisse futurã
potestatis attributione profitentur. Et tunc demum manum imposuit, dicens: *Secundùm fidem vestram fiat vobis.* quod fecit, vt & fidem eorum firmiorem redderet, ac simul ostenderet, nonnullam ad salutem suam ipsos quoque partem contulisse, & testaretur non adulationis verba ista fuisse, neque enim dixit, aperiantur oculi vestri: sed, secundum fidem vestram fiat vobis. Id semper penè faciebat, cùm antequam corpora curaret, animæ fidem manifestare studeret. Qua ex re non solùm ipsos qui salutem acceperant præstantiores reddebat, verumetiam cæteros eorum exemplo præstantiores faciebat. sic antequam paralytici corpus dissolutum consolidasset, animum eius excitauit dicens: Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua. Puellam verò cùm à morte excitasset, per cibum quem ei afferri iussit, à quo esset suscitata, instruxit, eodémque modo Centurionis fidei totum attribuit. nec discipulos à furore maris an- B tè liberauit, quàm † de parua eorum fide questus fuisset] pariter etiam hîc quanquam vel antequam ipse quicquam proferret, mentes eorum non ignorauit, nihilominus tamen vt etiam alios ad æmulandum adduceret, & aliis eos manifestaret, per finem sanationis latentem ipsorum fidem prædicat: deinde postquam curauit, nulli eos dicere iussit, nec simpliciter, sed magna cum vehementia iussit. acriter enim ipsis interminatus est dicens: *Cauete ne quis resciat. Illi autem euntes, diffamauerunt eum in tota terra illa.* Non potuerunt tamen illi sese continere, sed tantæ rei prædicatores ac euangelistæ facti, quod celare iubebantur, magna voce reclamabant: nec repugnat hoc illi quod alibi dictum esse non sumus nescij: Vade, & enarra gloriam Dei: quinimmo inter se, mea quidem sententia, summoperè conueniunt. His enim nos monet, vt quæ nobis laudi sunt, non modo ipsi taceamus, verumetiam aliis prædicare non permittamus. Quæ verò ad gloriam Dei pertinent, ea nec ipsi prætereamus silentio, sed & alios vt effe- C rant exhortemur. *Ipsis autem egressis, ecce attulerunt ei hominem mutum dæmonium habentem.* Non enim naturali cursu ægrotatio, sed dæmonis insidiis illi accidit. Quapropter ipse aliis qui ipsum adducerent opus habuit. Neque enim per se venire, oraréque Iesum potuit ligatáque lingua sibi vnà cum anima vi dæmonis ab aliis affertur, quas ob res nec fidem ab eo efflagitauit, sed illicò laborantem curauit. *Eiecto enim dæmone*, ait, *locutus est mutus. turbæ autem admiratæ sunt dicentes: Nunquam apparuit sic in Israel.* Qua ex re maximum dolorem Pharisæi contrahebant, quòd cunctis simul non præsentibus solum ac viuis, verumetiam defunctis ac prisci is ipsum anteponebant: anteponebant autem non quia curabat, sed quia quamprimum volebat, innumeros atque arte hominum incurabiles facillimè curabat. Et vulgus quidem ita dicebat, Pharisæi verò contrà, non modò calumniis obfuscare fulgorem signorum conantur, sed sibi ipsis contraria dicere non erubescunt. ita D pernicioſum malum, ac sibiipsi contrarium atque repugnans, inuidia. Quid enim dicunt? *In principe dæmoniorum eiicit dæmones.* Quid dementius hoc dici aut excogitari posset? Nam vt progrediens asserit, impossibile est à dæmone dæmonia eiici. Solent enim dæmones iuuare confirmaréque suos, non debilitare aut destruere. Præterea ipse non dæmonia eiecit tantum, verumetiam leprosos mundauit, mortuósque dormientes excitauit, marisque fluctus fræno compescuit, peccata hominum potestate propria dimisit, æternam immortalitatis beatitudinem prædicauit, ac denique ad Patrem conuersos adduxit: quæ omnia nec vellent nec possent dæmones facere. Ad idola enim dæmones ho-

Suprà Marc.5. & Luc.8. Matt.8. & Luc.7.

ab imbecilliore fide eos liberasset.)

Luc.8.

Matt.13. & Luc.4.

Ioan.4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gressum ipsius ad meliora impediebant. Nam vulgus A quidem admirabatur, & clamabat: *Nunquam sic apparuit in Israel.* Illi verò contra, *In principe dæmoniorum dæmonia eiicit.* Sed quosnam hic operarios vocat? duodecim certè discipulos. Quid igitur cùm dixisset, *Operarij autem pauci*, numerone discipulorum alios adiecit? Minimè: sed eos ipsos emisit. Cuius igitur rei gratia dicebat, *Orate dominum messis, vt mittat operarios in messem suam:* cùm neminem eis adiecerit? Quia videlicet etsi numero personarum non addiderit, virtutem tamen ac gratiam contulit. Orate autem, inquit, dominum messis. hic signanter magnitudinem doni ostendit, & occultiùs se esse dominum messis patefecit. nam quum dixisset, Orate dominum messis, atque illi neque orauerint neque obsecrauerint quempiam: ipse tamen cõtinuò eos ordinauit, atque consecrauit, vt hinc ipsum esse dominum intelligerent, & verba Ioannis memoria recolligerent, nec obliuiscerentur areæ, aut ventilabri, aut paleæ, aut tritici. Vnde clarum fit, ipsum es- B se agricolam, ipsum esse messis & prophetarum, qui semina messis iecerunt, dominum. Nam si ad metendum operarios mittebat, clarum est quòd non vt aliena meterent ipse mitteret, sed quæ per prophetas seminauerat. Neque hac tantum ratione ipsos animauit, quòd eorum ministerium in metendo versaretur, sed multò magis, quoniam mirabilem eis metendi potestatem

Cap.10. præstitit. *Vocans enim*, ait, *duodecim apostolos suos dedit eis potestatem immundorum spirituum, vt eos eiicerent, & curarent omnem infirmitatem, & omnem languorem.* Atqui nondum Spiritus erat datus: nondum enim, in-

Ioan.7. quit, Spiritus erat datus, quoniam Iesus nondum erat glorificatus. Quomodo igitur spiritus eiiciebant? Imperio certè ipsius, atque potestate. Tu verò diligenter perpende, quàm opportuno congruóque tempore ipsos miserit: & quòd non confestim incipiens: sed posteaquam non omnino paruo temporis spacio ipsum secuti, defunctum viderunt resuscitasse, mare sibi pa- C ruisse, dæmones extrusos, paralytici membra consolidata, peccatorum nexus solutos, & leprosum mundatum: cùm sufficienter omnipotentiam ipsius & verbis & operibus percepissent, tunc eos mittit, non ad periculorum negotia plena, cùm adhuc nullum his imminneret in Iudæa periculum, nisi quod ad verba maledictáque pertineret: & tamen quoque eis futura prædicit pericula, vt ab initio ipsos statim confirmet, & maioris animi faciat, assiduè illis ista prædicendo: deni-

Marc.6. que quoniam binas apostolorum coniugationes, Petri atque Ioannis nomine vocatas euangelista iam exposuit, & cum illis Matthæi quoque vocationem adiunxit, nullámque adhuc aliorum fecit mentionem, necessariò hic catalogum & numerum ipsorum atque nomina manifestauit: dicit enim, *Duodecim autem apostolorũ nomina sunt hæc: Primus, Simon qui dicitur Petrus.* Erat enim alter etiam Simon, qui Chananæus dicebatur: si-

Marc.3. militer Iudas alter Iscariotes, alter Iacobi. Iacobus etiã D eodem modo, alter Alphæi, alter Zebedæi. Et Marcus quidem ex dignitate ipsos ordine collocauit. Post duos enim qui apicem apostolatus tenuerunt, Andream posuit: hic verò haud ita, sed indifferenter. Immo verò etiam Thomam, se quidem multò inferiorẽ, priore loco & ante se numerauit. Sed inspiciamus à principio apostolorum catalogum. *Primus, Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius.* Non paruam laudem his attribuit, cùm* alterum à virtute, alterum à nobilitate morum appellauerit. *Deinde*, inquit, *Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius.* Vides non ex dignitate ipsos numerari: nam mea quidem sententia, Ioannes non solum illis qui post illũ numerantur, verumetiam fratre maior erat. Deinde

* Andreas à virtute. nam ἀνδρεία virtus & fortitudo dicitur, & Simon obediẽtem significat, Petrus saxum.

cùm recensuisset Philippum atque Bartholomæũ, postea intulit, Thomas, atque Matthæus publicanus. Lucas Luc.6. verò non sic, sed Thomæ istum anteponit. Iacobus deinde (inquit) Alphæi, quoniam erat (vt iam dixi) Iacobus Zebedæi. Lebbęum postea nominat, qui Thaddęus vocatus est, & Simonẽ Zelotem, quem & Chananæum nuncupat. Ad proditorem vltimò venit, non vt inimicus atque hostis, sed vt historiam conscribens: ita locutus est: nec dixit, sceleſtus ille Iudas, sed à patria ipsum appellauit Iscariotem. Erat enim alter Iudas Lebbæus, Ibidem. quem Thaddæum vocauerunt, quem Iacobi esse Lucas dicit: ab hoc igitur illum diuidens, Iudas, inquit, Iscariotes, qui & prodidit ipsum: nec pudebat ipsum ita scribere dicendo, qui & prodidit ipsum, cùm nihil vnquam nec eorum quidem quę vituperari posse videbantur occultarit: sed apostolorum omnium primus & quasi vertex, indoctus ille erat, ac rudis. Animaduertamus autem quò, & quos misit. Istos, inquit, duodecim misit Iesus. quos istos dicit? Piscatores scilicet, & publicanos. Quatuor enim erant piscatores, duo publicani, Matthæus & Iacobus. vnus etiam proditor. Quid igitur ipsis præcepit? *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne intraueritis: sed potius ite ad oues quæ perierũt domus Israel.* Ita ipsis apertè dicere videtur, non putetis odio mihi vos esse: nec animum meum ab ipsis auersum esse, quia contumelias mihi ingerunt, & dæmoniacum appellant. Videtis enim tãtam me curam horum habere, vt non ad alios, sed ad istos in primis vos mittam, vt & doctores & medici eis sitis: nec prius his, quàm cæteris prædicare denũcio solum, sed ne viam quidem attingere quæ ad illos ducat permitto, nec in ciuitatẽ Samaritanorum intrare, quoniam non bono in Iudæos animo erant Samaritani: & quãquam facilliores ad credendum essent Samaritani, ad difficiliores tamen Iudæos mittit, vt quantam illorum curam gereret, ipse demonstraret: & sic ora ipsorum obstrueret, & ad do- C ctrinam apostolorum præpararet, ne rursus criminari audeant, ad præputium habentes Christi abiisse discipulos: ac ideo iure viderentur ipsos odisse, atque abominari. Oues autem quæ periere, ipsos appellat, nõ quæ fugam sponte ceperunt: vt vndique paratam eis veniam esse ostendendo, mentes eorum permulceret. *Euntes autem*, ait, *prædicate dicẽtes: appropinquabit regnum cœlorum.* Vides ministerij magnitudinem, vides sublimem apostolorum dignitatem, nihil quod ad corpus, nihil quod ad hos sensus pertineat: nec similia Mosi & prohetarum doctrinæ, sed noua quædam atque inaudita, qualia priores non docuerunt, quia terrena hæc bona promittebant: sed cœlorum regnum, & totam illam beatitudinem prædicare iubentur, nec tamen hac ratione solum maiores isti atque præstantiores sunt, verumetiã quia cõfestim obtemperarunt. Non enim recusant, neque cunctãtur, quemadmodũ nõnulli veteres, sed pericula quoque ipsa, & bella cęteráque intolerabiles afflictiones audiendo, singulari obedientia iussa capessunt, gaudentes quòd regni cœlorum facti essent prædicatores. Sed cur miraris, quispiam obiiciat, si non ad durum atque arduum aliquid, sed ad prædicandum missi, continuò paruerunt? Quid dicis, non ad ardua missos ipsos fuisse? Non audis carceres, non vincula, non intestina bella, non odia omnium hominum, quæ omnia paulò pòst subituros esse prædixit? Nam aliis quidem prædicatores, & mille bonorum conciliatores constituit: ipsis autem afflictiones multitudine ferè infinitas, magnitudine intolerabiles prænunciauit. Deinde vt fide dignos prædicatores regni efficeret, *Infirmos curate*, ait, *mortuos suscitate, leprosos mũdate, dæmones eiicite. gratis accepistis, gratis date.* Considera qualiter nõ minorem curam habet,

habet, vt mores eorum in melius reducat, quàm vt si- A gnorum præbeat potestatem. Nam vt ostendat absque nobilitate morum nihil signa valere, vtque in nullum fastum animi atque tumorem incideret, gratis accepistis, inquit: deinde ne cupiditate pecuniarum moueretur, intulit, gratis date. Nam ne quasi sua ipsorum potestate miracula facientes inde superbirent: gratis, dixit, accepistis: nihil largimini his qui vos recipiunt. non enim tanquam mercedem vestris laboribus debitam ista accepistis: mea enim est gratia. Sic igitur aliis quoque hæc beneficia quorum nullum potest condignum precium inueniri, gratis date. Post hæc cùm radicem malorum omnium voluerit euellere, vitiorum fundamentum diruere: *Non possideatis aurum, neque argentum*, dixit, *neque pecunias in zonis vestris, non peram in via, nec duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Non dixit, non accipiatis vobiscum, sed non possideatis: vt si & aliunde sumere possent, recusarent tamen, ac pernicioſam hanc ægritudinem fugerent. Quo B quidem præcepto multa profectò complectitur commoda. Primum, vt nulla de discipulis possit esse suspicio, deinde ab omni seculari cura sic ipsos liberos reddit, vt prædicationi solum vacare possint: ad hæc immensam suam potentiam ipsis patefacit, quod & postea commemorauit dicens: Nunquid vobis tunc aliquid defuit, quando vos nudos & absque calceis misi? Illud etiam consideratione dignum est, quòd non incipiens statim dixit, Non possideatis aurum neque argentum: sed cùm prius mundandi leprosos, eiiciendi dæmonia potestatem eis dederit, tunc intulit: Nihil possideatis: gratis accepistis, gratis date. Sic rebus ipsis docuit vtilia se & honesta, & facilia factu eis præcipere. Sed inquies cætera quidem non absque ratione certa dicta esse: quid autem vt peram non habeant in viam, nec duas tunicas, nec virgam, nec calceos? quánam de causa eis iniunxit? Exactissimè certè sublimioris vitæ fundamenta voluit iacere: sic & in superiori- C bus nullam de crastino die curam ipsos habere hortatur. Nam cùm ad vniuersi terrarum orbis magisterium ipsos missurus esset, non iniuria ad angelicam, vt ita dixerim, disciplinam ex humana vita traducit, ab omni cura rerum secularium liberos reddens, vt vni rei, prædicationi videlicet euangelij, solummodo vacarent: immo verò etiam ab ea solicitudine atque cura

Infra. eos liberauit, cùm dixerit: Ne soliciti sitis qualiter vel quid loquamini: ita quod videbatur horroris laborísque plenum, facile ipsis atque procliue fecit. Nulla enim res tranquillitatem animi magis, gaudiúmque solet efficere, quàm si omnem curam & solicitudinem deposueris, præsertim cùm liceat ipsis huiusmodi solicitudine liberis nihil detrimenti accipere, Deo videlicet præsente, atque abunde ipsis omnia suppeditante. Deinde ne dicant, Vnde igitur quæ ad vitam necessaria sunt, consequemur? non adduxit in medium quod aliàs eis dixerat, Inspicite volucres cœli, Nondum e- D nim poterant re ipsa hoc præceptum præstare, sed quod multò est minus adiecit dicens: *Dignus est enim operarius cibo suo.* Vnde perspicuum fit, à discipulis ipsos esse alendos, ne aut ipsi aduersus eos quos docebant, quasi omnia præbentes, & nihil vicissim accipientes, insurgerent, aut illi qui audirent, quasi neglecti atque spreti decederent, ac ne eos pudeat, qui quasi mendicando viuere ipsos volebat, operarios vocauit: & quod eis dabatur, mercedem appellauit, vt rem debitam dari sibi ostenderet. Nam etsi verbis solùm operari videbantur, res tamen erat non parui laboris, & beneficia collata non parua. Quare quod apostolis dabatur, non gratis offerebatur: sed ad retributionem beneficiorum

reddebatur. Dignus est enim operarius cibo suo, non quia tanti solummodo labores illi apostolici fuerunt, absit. nequaquam enim hoc cogitandum est. sed propterea istud ita ordinauit, ne apostoli plus aliquid quærant: & qui ipsis necessaria ministrabant, nulla iactatione liberalitatis tumerent, si debitum persoluebant. *In quamcunque autem ciuitatem vel castellum introieritis, exquirite quis dignus in ipsa est, & illic manete donec exieritis.* Hic quoniam dignos esse dixit operarios cibo suo: ne opinarentur omnium domos hoc verbo sibi patere, sed magnam quoque in hoc moderationem scirent esse habendam: hoc adiecit, quod & laudi esse poterat, & ad necessariorum præparationem conferebat: nam si dignum inuenirent, daret certè ille cibaria non inuitus, præsertim cùm nihil vltra necessaria peterent. Non autem solùm dignos quærendos iubet, verumetiam ne de domo in domum transeant, vt neque qui suscepit, turbaretur, nec ipsi aut leues aut ventri dediti viderentur: quod signanter expressit cùm dicat, *Ibi* Mar. 6. & *manete donec exieritis.* Quod clariùs ab aliis euangelistis Luc.10. discere possumus. Perspicis qualiter iam ipsos grauiores maturioresque reddidit: & eos qui susceperi erant diligentiores, cùm ostenderit magnam hinc illos potiùs vtilitatem, magnámque gloriam consecuturos. Deinde idipsum rursus confirmare volens, dixit: *Intrantes autem in domum: salutate eam, [dicentes: Pax huic do-* Hæc in Græcis codicibus regiis non habentur. *mui.] Et si quidem domus fuerit digna, veniat pax vestra super ipsam: si autem non fuerit digna, pax vestra ad vos reuertatur.* Vides quòd vsque ad minima non recusat descendere, nec iniuria athletas eos pietatis, & prædicatores veritatis ad vniuersum orbem erat missurus, ac ideo etiam vt moderatiores, simul & magis expetendos eos faceret, adiecit: *Quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes domum vel ciuitatem illam, excutite puluerem de pedibus vestris: Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorũ & Gomorrhæ in die iudicij, quàm* C *ciuitati illi.* Nolite, inquit, cogitare quoniam doctores estis, idcirco expectandum vobis esse, donec salutatio ab illis vobis afferatur, sed præuenite vos honore, primíque salutate. Volens autem ostendere non esse salutationem hãc nudam, atque inanem, sed benedictionis vires retinere: Si erit, inquit, digna domus, veniet super ipsam: sin verò superba atque contumeliosa, prima quidem pœna erit quòd pace vestra non perfruetur, deinde non minori supplicio punietur, quàm Sodoma. Sed quid ad nos, inquient, supplicia eorum? domos dignorũ habebitis. Quid autem sibi vult, cùm dicit: Excutite puluerem pedũ vestrorum? certè vt ostendant nihil penitus ab illis habuisse, vel vt testimonium perhibeant longi itineris quo ad eos peruenerunt. Tu verò cõsidera nondum ipsis omnia esse donata. non enim præsciẽtiam ipsis adhuc largitus est, vt prospicere possent quis dignus, quisque indignus sit, sed inuestigãdi cura & pe- riculo rerum id intelligendum commisit: ita ipse apud Matt.9. publicanum mansit, quoniam dignum se per pœnitentiam præbuit publicanus. Sed illud non prætermittendum, quòd cum omnibus eos priuasse videatur, cuncta concessit. Permisit enim vt ipsi nihil habentes, in eorum domos intrarent, qui disciplinam suam susciperent, & ibi diutiùs manerent: hoc pacto & ab omni apostolos cura liberabat, & cæteris persuadebat, propter salutem eorum ad se missos apostolos fuisse. Persuadebat autem facilè, vel quoniam nihil importarent, vel quoniam nihil plus, quàm necessaria doctores & medici petebant: vel quoniam non ad omnes simpliciter, & sine inquisitione introibant: ita non signis solum: sed multò magis propria illorum virtute fieri claros apostolos volebat. Nam nihil ita sublimitatem philosophiæ ostendit, quẽ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

admodum si nihil superfluum possideas, & quod licet nulla re indigeas, quam etiam illi qui falsò appellati apostoli fuerant, non ignorant: idcirco Paulus quoque dicebat, vt in eo quo gloriantur, inueniantur sicut & nos. Quòd si alienas regiones petentibus, & ad ignotos proficiscẽtibus nihil plus quærendum sit, quàm quotidianus cibus: quantò minora quærenda sunt ab his qui domi suæ morantur? Hæc (quæso) non audiamus solùm, sed diligenter etiam imitemur. Non enim solis Apostolis dicta sunt, sed omnibus qui cum sanctis connumerari volunt. Faciamus ergo nos dignos à quibus Apostoli suscipiantur. Ex animo enim & bona suscipientium voluntate pax ista in domum venit, & ex mala rursus euolat. non enim docentium præsentia solùm, sed dignitate suscipientium id fieri scimus. Nolite ergo paruam putare iacturam, si quis hanc pacem amiserit, quam propheta quoque multò antè pronunciabat, dicens: Quàm pulchri sunt pedes euangelizantium pacem. cuius pacis dignitatem atque præstantiam explicans, intulit: Euangelizantium bona. cuius etiam Christus magnitudinem atque sublimitatem ostendẽs, dicit: Pacem dimitto vobis, pacem meam do vobis. Quare omnia nobis facienda sunt, vt ea pace & domi & in Ecclesia potiamur. Nam & in Ecclesia præsul pacem præstat, & hoc illius figura est, & oportet omni studio ipsum ante mensam libenter recipere. Nam si turpe est mensæ communionem non offerre, quanto turpius hic faciet, qui pacem offerentem depellet? Causa tui presbyter sedet, causa tui rectus stat doctor, laboribus & afflictione affectus. Qua igitur te excusabis ratione, si ne ad audiendum quidem paratum animum ei præbueris? Communis certè domus Ecclesia omnium est, quam vos priores, nos posteriores intramus, illorum formam & exemplum obseruantes: atque ideo communiter omnibus confestim cùm intrauerimus, pacem secundum illam legem offerimus. Nemo ergo desidia veniendi studio supersedeat, nemo secularibus suspensum animum rebus habeat, cùm iam ad prædicandum sacerdotes intrauerint: non enim parua imminet punitio. Vnde ipse optarim millies domi alicuius vestrum contemptus esse, quàm in hoc loco prædicans, semel tantummodo non auditus: tantò certè mihi hoc quàm illud molestius esse videtur, quantò hęc domus quàm vestra excellentior est. Nam hîc magnæ nobis sunt possessiones, hîc omnis spes nostra sita est: omnia quæ hîc sunt, sublimia certè sunt atque fulgentia: hæc mensa preciosior multò est atque iucundior, quàm tua: & lucerna quàm tua lucerna: Et nouerunt quotquot cum fide tempestiuè oleo vncti à morbis liberati sunt. Arca etiam hæc melior quàm tua est, magísque necessaria: non enim preciosas vestes, sed misericordiam inclusam continet, † qua qui priuantur, culpa sua priuantur.] Hic & lectulus est valde tuo præstantior: diuinarum enim scripturarum lectio omni magnifico lecto suauior est: & certè bene nobiscum ageretur, si nullam aliam domum præter hanc possideremus: quod dictum ne graue vobis videatur, rectè dictum tria milia hominum & quinque milia illi testantur, qui domum vnam, & mensam vnam, & animam vnam habuerunt. Totus enim multitudinis credentium, inquit, vnum cor erat, & anima vna. Verùm quoniam nimium longè à virtute illorum absumus, & dissipati per proprias domos sumus, saltem quando huc conueniemus, omni studio istud faciamus. Nam & si in aliis rebus pauperes & inopes nos sumus, nihilominus cùm huc ad vos intramus, cum charitate nos oro suscipiatis: cúmque pax vobis dicimus: & vos dixeritis, & spiritui tuo, non voce solum, sed animo

Naum.1. & Rom. 10.

Ioan.14.

Act.4.

† etiam si pauci sint qui eam possideat)

quoque, respondeatis, non ore magis, quàm mente id proferentes. Quòd si hîc quidem respondeas, pax etiam spiritui tuo: cùm verò exieris, impugnas, despicis, maledicis, mille opprobriis clam laceras, qualis nam hæc pax est? Sed ego quidem etiamsi centies mihi coram maledixeris, toto studio tibi mente syncera, & animo integro pacem præbeo, nihil vnquam de te maledicens aut cogitans: habeo enim viscera paterna: & si aliquando increpauero, cura tui permotus id facio. Tu autem occultè mordes, & cùm me in hac Dominica domo mente non recipis, vehementer timeo ne rursus maiorem mihi mœrorem inferas: non quia contumeliatus, nec quia ex animo me eiecisti, sed quoniam ita pacem repulisti, vt acerrima illa tibi attraxeris supplicia. Nam & si ipse pulluerem aduersus te non excutiam, etiamsi non auertam animum meum abs te, permanent tamen immota quæ tibi Christus minatus est: ita ego quidem crebrò pax vobis dicam, neque vnquam id dicens finem faciam. Si verò vos contemptui & contumeliæ me habebitis, neque sic pulluerem in vos excutiam: non quia nolim auscultare, obtemperaréque Domino, sed quia charitate vestri vehementius ardeo. Nam nihil prorsus vestri effeci causa, neque longam peregrinationem accepi, nec in illo habitu ita veni, vt nihil prorsus haberem. Quapropter nosipsos prius accusemus, nec sine calceis, nec absque secunda tunica veni, ac ideo forsan vos quoque negligentiores facti estis. Verumtamen non est id satis ad vestram excusationem: sed quamuis iudicium nobis maius ipsi præparauimus, nulla tamen hinc vobis venia concedetur. Domus priscis temporibus Ecclesiæ erant, nunc ipsa etiam Ecclesia in domum redacta est. Nihil autem in priuata domo carnale loquebantur, nihil nunc in Ecclesia spiritale memoratur: sed huc etiam fori & iudicij negotia introducitis. Cúmque Deus loquatur, non modo ipsum silentio non auditis, verumetiam contraria inferentes inculcatis: atque vtinam ad hanc vitam saltem vtilia, & ad vosipsos pertinentia, & non illa quæ nihil ad vos pertineant & diceretis & audiretis, quas ob res acerbè fleo, & nunquam flendi finem faciam. Nunquam enim possum ab hac domo in aliam proficisci, sed necesse est mihi donec à præsenti vita in aliam traducar, hîc habitare. Suscipite igitur nos, sicut Paulus quoque iussit. Nec enim hæc de mensa dixit, sed de animo atque mente: hoc ipsum ergo nos etiam à vobis quærimus, charitatem scilicet, dilectionémque feruentem illam & syncèram. Quòd si hoc etiam recusatis, saltem omni languore animi depósito, vosipsos diligite, hoc nobis satis est ad consolationem, si viderimus vos feliciter agentes, & ad meliora progredientes. Qua ratione maiorem etiam ipse potero ostendere charitatem, si abundantiùs vos amans minus à vobis diligar. Multa enim nos coniungunt, ac copulant, vna mensa omnibus nobis proposita est, vnus nos omnes genuit pater, eosdem omnes dolores partus intulimus parenti, idem potus omnibus: quid dico, idem ac vnus potus, cùm etiam ex vno & eodẽ calice detur? Pater enim noster magno charitatis vinculo studẽs nos vnire, vt etiam ex vno calice biberemus effecit: quæ res maxima nos charitate copulat. Sed longè, inquies, à dignitate apostolorum tu abes. Fateor, nec vnquam negabo non solum non illis, sed ne vmbra quidẽ eorum me dignum esse: sed tamen si vestrum officium vos conseruabitis, nullam iacturã hinc facietis, immo magnam etiam vtilitatem cõsequemini. Nam cùm vel erga indignos magna sitis affecti charitate, cùm singularem præstetis eis obedientiam, maiora tunc præmia, maiórque vobis debetur retributio. Non enim nostra prædicamus,

Rom.15. & ad Philip.

(vobis.) mus, quoniam nullus est † nobis] doctor in terra: sed quę recepimus, ea tradimus, & tradentes ea, nihil aliud à vobis flagitamus, quàm vt diligamur. Quòd si etiam diligi sumus indigni, sed nos ex dilectione ac charitate vestra dignos citò facietis: quamuis mandatum sit non amicos solum, verumetiam inimicos diligere. Quis ergo sic durus atque agrestis est, vt cùm huiusmodi mandata sibi tradita sint, nihilominus amantes auersetur, atque oderit, etiam si mille vitiis mentem irretitam atque oppressam habeat? Communicamus eadem mensa spirituali, communicemus & spiritali charitate. Nam si latrones cùm alteri alteris sale communicauerint, latrocinandi ferocitatem deponant: quibus nos rationibus excusabimus, domini corpore communicantes, & latronum consuetudinem atrocitate superantes? præsertim cùm multis gentilibus, non quoniam vna mensa vterentur, sed quoniam vnius essent ciuitatis, satis ad amicitiam fuerit: nos autem qui eiusdem sumus ciuitatis, vna nobis domus est, eadem mensa, eadem via, ianua, radix, vita, quibus idem caput est, idem pastor, idem rex, vnus & idem magister, iudex, conditor, pater, atque omnia nobis æquali quadam insunt communitate, qua erimus venia digni, si mente diuisi alter alterum non diligimus? Sed signa forsan quæritis, quæ Apostoli faciebant: velletis videre mundari leprosos, dæmoniacos curari, defunctos è sepulchris exilire. Sed maximum vobiscum & ardẽtis illud charitatis signum est, si absque pignoribus firmiter Deo credatis. Qua de causa iam cessasse crediderim, quanuis etiam aliam cessationis causam habeam. Nam si cessantibus signis qui doctrina aut virtute aliqua præstant, seipsos extollunt, paruíque cæteros facientes, disseparant se ab illis atque seiungunt: quot quantásque diuisiones ac schismata esse putaretis, si miraculo signorum aliqui præfulgerent? Hæc non coniectura mihi inani dicta sunt, sed attestantur mihi Corinthij, qui multa perpessi dissidia sunt, quoniam valde signis attendebant. Non ergo signa, sed animi incolumitatem quæras: noli defunctum aliquem ex mortuis suscitari desiderare, cùm didiceris vniuersos homines resurrecturos. Non quæras cæci curationem, qui omnes nunc videas acutissimè aspicientes sublimiori atque vtiliori aspectu. Quare discas tu quoque continentissimè aspicere, vt incolumitatem oculorum possideas. Nam certè si talis vita nostra esset, qualem scripturæ instituunt: multò magis de nobis quàm de signa facientibus gentiles admirarentur. Signa enim non verè, sed phantasticè nonnunquam apparuisse homines suspicati sunt, & à dæmonibus plerunque fieri credita, quanuis nostra semper verissima fuerint: vita verò integra nullam vnquam patitur suspicionem, sed omnium hominum qui detrahunt ora facilè obstruit virtutis possessio. Virtutis igitur, quæso, cura & studio exardescamus: ingentes in ea opes depositæ sunt: omnes eam admirantur: hæc homines vel dum seruiunt liberos esse ostendit, non seruitutem depellendo, sed liberis multò præstantiores seruos faciendo: quæ res ipsa libertate multò excellentior est. Hæc non facit quidem ex paupere diuitem, verùm vt paucioribus pauper quàm diues egeat, facilè facit. Quòd si velis etiam signa videre, extermina abs te omne delictum, & vidisti quod cupiebas. Magnus enim dæmon peccatum est, quod si abs te abieceris, maior tu eris, mihi crede, quàm qui dæmonia eiiciunt. Audi Paulum dicentem, & miraculis longè virtutem anteponentem: Æmulamini, ait, charismata meliora, & adhuc excellentiorem vobis iam ostendo: quàm viam deinceps exponens, nullam facit mentionẽ de mortuorum resurrectione, nihil dixit de leprosorum mun-

2. Cor. 12.

1. Cor. 12.

datione: nihil, inquam, omnino harum rerum, sed charitatem in medio posuit. Audi Christum etiam ipsum dicentem: Non lætamini, quoniam dæmonia vobis obediunt, sed quoniam nomina vestra scripta in cœlis sunt. Et iterum: Multi dicent in illa die, domine domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? tunc respondebo eis, quoniam non noui vos. Ad crucem etiam iturus vocauit discipulos, & dixit eis: In hoc cognoscent omnes, quoniam mei discipuli estis, non si dæmonia eiiciatis, sed si charitatem habeatis inter vos. Et alibi: In hoc cognoscent omnes quoniam tu me misisti, non si mortuos hi suscitauerint, sed si vnum fuerint. Nam signa sæpe profectò vtilitati aliis fuerunt: eum verò qui fecit, cùm in tumorem inanémque gloriam impulerunt, plurimum nocuerunt. Virtutis autem opus, tum aliis, tum vel maximè eis qui operantur, profuerit. Virtutis igitur, virtutis inquam, curam oro habeatis. Si ex auaritia in liberalitatem transieris, siccam & mancam manum recuperasti. Si theatralibus ludis spretis atque relictis, ecclesiam petieris, claudicanti pedi incolumitatem restituisti. Si oculos tuos ab aliena forma, & à meretricio aspectu reuocaueris, cæcum te illuminasti. Si diabolicos cantus despexeris, & eorum loco spiritales psalmos dideceris, iam loqueris, cùm antea mutus esses. Hæc maxima miracula sunt, hæc signa eximia, hæc si faciemus, nosipsi præclari erimus, atque illustres, & multos à fœditate vitiorum in virtutis fulgorem reuocabimus, & vitam demum æternæ beatitudinis consequemur. Ad quam vtinam peruenia-
mus gratia & misericordia, &c.

Luc. 6.

Matt. 7.

Ioan. 13.

Ioan. 17.

HOMILIA XXXIIII. EX CAP. X.

ECCE ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cauete autem ab hominibus: tradent enim, &c. Cum magno animo esse, & de necessariis ad vitam confidere fecerit, omnium hominum domos patefaciendo, & honestissimam ipsi ingressui formam addiderit, non enim vt errones quosdam & mendicos, sed vt ipsis etiam suscipientibus excellẽtiores adire alios iussit, quod ostendit dicendo: Dignus est operarius † cibo suo] Et quoniam præcepit dignos esse quærendos, & manendum apud eos, & suscipientes esse salutandos, & quoniam intolerabilia non suscipientibus imminere supplicia dixit. Cùm igitur his omnibus omnem solicitam curam ab ipsis eorum cordibus eiecerit, & signorum armauerit miraculis, omníque seculari negotio & cura liberos, ferreos quasi atque adamantinos fecerit: tunc euentura sibi aduersa prædicit, non ea solum quæ paulò pòst futura erant, verumetiam illa quæ post longa temporum spacia, vt ab initio & antequam duri labores acciderent, aduersus diabolí bellum ipsos instrueret. Multa enim ex hac prædictione futurarum rerum in melius rediguntur. Primùm vt summam eius virtutem atque potentiam, qua etiam futura nouerat, non ignorarent. Deinde vt nemo posset suspicari de imbecillitate ipsius qui misit in tantas ipsos afflictiones incidisse. Præterea ne si repente atrocitate malorum premerentur, quia præter spem, & contra opinionem aliquid accidisset, turbarentur. Denique ne passionis tempore ista audientes stuperent nimium, & vltrà quàm oporteret mouerẽtur: quod certè dominicę tempore passionis ipsis accidit: vnde & increpabat ipsos dicens: Quoniam hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum, & nullus ex vobis interrogat me, quò vadis? Nondũ tamen de se quicquã dicit, quòd sci-

(mercede sua) vt habetur Luc. 10.

Suprà. Ibidem.

Ioan. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

licet vinciretur, flagellis cæderetur, & demum crudeliter & iniquè interficeretur. Magis enim hæc mentes eorum profectò exagitassent, quàm quæ sibiipsis futura prædicabantur. Deinde vt videant nouum quendam atque inauditum bellandi modum imminere, ac mirabilem hanc aciem militum futuram, qui nudi, vna induti tunica, sine calceis atque virga, sine cingulo, absque proprio cibo in prælia descendebant. Non fecit hic dicendi finem, sed inexpugnabilem virtutem suam ostendens, quanuis aduersus lupos essent ituri: nec simpliciter aduersus lupos, sed in medium luporum, omnem tamen mansuetudinem eos habere iubet: nec ouium tantum mansuetudinem, sed columbæ quoque simplicitatem: sic enim virtus eius maximè patere potest, si lupi superabuntur ab ouibus, quæ cùm in medio luporum sint, & hinc atque illinc morsibus luporum lacerarentur, non modò non deficerent, sed lupus in naturam ouium transmutaretur. Maius certè atque admirabilius est mentem atque animum aduersariorum commutare, quàm gladio ipsos superare: præsertim cùm duodecim numero ibi essent, quia aduersus cæteros omnes homines (qui lupos atrocitate vincebant) mitterentur. Erubescant igitur qui contrà facientes, quasi lupi aduersarios suos persequuntur, cùm videant innumeros lupos ab ouibus vinci pauciſſimis. Et certè quousque sumus oues, facilè hostes vincimus: cùm verò in naturam luporum transimus, tunc superamur: tunc enim nullum nobis à pastore patrocinium adest, qui non lupos, sed oues pascit: atque ideo cùm in lupum te conuerteris, abit confestim, & relinquit te, qui non permittis virtutem ipsius in te clarescere. Quando enim iniuria vexatus, æquo mitique animo cuncta pateris, ipsi soli trophæum attribuis. Si verò exieris aduersus hostes atque pugnaueris, victoriam illius obfuscas. Tu autem etiam diligenter considera, qui sunt qui hæc ardua & laboriosa audiunt, formidolosi videlicet, & indocti, illiterati, rudes, obscuri quidam homines & ignoti, qui nunquam philosopherum perceperunt instituta, vixque vnquam in forum descenderunt, piscatores & publicani, multis repleti rebus, quæ iure animos eorum possent deiicere. Nam si magnos & claros viros tanta difficultas rerum potuisset commouere, quomodo non potuisset imperitos homines, quibus nullius rei magnæ aliquid venit in mentem? Sed non deiecit, neque turbauit: Nec iniuria, fortasse dicet aliquis, dedit enim ipsis potestatem qua leprosos mundarent, dæmones eiicerent. Ego autem dicere non dubitarim, quòd videlicet idipsum iure debebat ipsos conturbare: quoniam qui tantam potestatem haberent, vt defunctos etiam à morte possent excitare, hi tanta pericula essent subituri, tanta bella gesturi, ad iudices vincti deducendi, communis denique totius orbis abominatio futuri. Quæ igitur in omnibus his erat consolatio? Sola mentis virtus. Quocirca ita signanter incepit: Ecce ego mitto vos. Sufficiat hoc vobis ad omnem consolationem, satis sit ad confidendum, nec quenquam metuendum eorum qui in ipsos irruat. Vides quanta eius est authoritas, intelligis quoniam maxima sit potestas? percipis inexpugnabilem eius esse virtutem? sic enim dicere videtur, nolite turbari, si quasi oues in medio luporum vos versari, & columbas esse iubeo. Nam & si possum contrarium quoque præstare, vt nihil laboris atque doloris ad vos perueniat, neque vt tanquam oues lupos timeatis, sed quasi leones terrorem inferatis omnibus, tamen confert ita fieri quemadmodum iubeo: id enim illustriores vos facit, id meam facilè declarabit virtutem. Sic enim postea dixit Paulo: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus mea in infirmitatibus perficitur. Ipse igitur Apostolos oues mansuetudine fecit. Id enim significatur cùm dicitur: Ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Nolite igitur animo esse deiecto, mittenti mihi credite hac re præcipuè inuictos vos esse futuros. Deinde vt etiam aliquid à seipsis conferant, nec omnia videantur esse à gratia, nec frustra & aliena solùm virtute coronari æstimentur, adiecit: *Efficiamini ergo prudentes vt serpentes, & simplices sicut columbæ.* Sed quid poterit nostra prudentia in tot tantisque periculis efficere? Aut qualiter poterimus tantis agitati fluctibus prudenter quippiam prouidere? Quid enim sibi prodesse poterit ouis, etiamsi omnem ouium sensum accumulauerit, cùm in medio tam multorum conuersetur luporum? Aut quid emolumenti columba consequetur, etiam si fuerit simpliciſſima, cùm ea vndique truculentiſſimi accipitres inuadant? In his quidem quæ carent ratione, nihil: in vobis verò, plurimum. sed inspiciamus quam prudentiam quærit, serpentis certè prudentiam imitari cohortatur. Nam quemadmodum serpens totum seipsum tradit, nec admodum curat, si corpus inciditur, donec caput suum integrum seruet: Eodem tu quoque modo, præter fidem cætera perdere non cures: profundas vniuersam tuam pecuniam, tradas corpus: vitæ ipsi si opus est, minimè parcas, dummodo fidem serues quæ caput & radix est: qua seruata, etiamsi omnia perdas, omnia tamen rursus maiore cum magnificentia recuperabis: idcirco nec simplices solum iussit esse, nec prudentes solùm, sed ambo hæc in vnum commiscuit, vt in præcipuam virtutem simul vertantur. Et prudentiam quidem serpentis adhibere te iubet, ne velis vulneribus atque periculis principaliſſima membra obiicere. Simplicitatem verò columbæ, ne iniuriatus vlciscaris, aut ad punitionem insidiantes abducas: nihil enim tibi prudentia proderit, nisi hæc simplicitas adiiciatur. Quid ergo magis arduum atque difficilius his, inquies, poterit vnquam inueniri præceptis? Non sufficit quòd malè vexer, verumetiam omnem animi molestiam eiiciendam imperas. Id enim per simplicitatem columbæ significas, quod simile est ac si quis arundinem in ignem imponens, non cremari ab igne illam velit, sed contrà ignem ab arundine extingui. Sed nihil vobis, quæso, conturbationis oriatur: hæc enim quæ impossibilia videntur, exitum suum iam & finem consecuta sunt, & re ipsa atque opere, non mutata natura, sed in eadem qua nos sumus humanitatis natura persistentes, serpentis prudentiam, & simplicitatem columbæ habuerunt Apostoli. Nemo igitur impossibilia quædam data putet mandata. Scit enim ipse naturam rerum præ aliis omnibus, scit non audaciam audacia, neque temeritatem temeritate, sed mansuetudine extingui solere. Quòd si rebus ipsis id ita fieri videre desideras, Actus Apostolorum diligenter lectitato: perspicies profectò, cùm sæpe Iudæorum populus in Apostolos insurrexerit, ac dentes in eos acuerit, columbæ simplicitatem nunquam ipsos perdidisse: sed mansuetudine ac moderatione respondendi, iram ipsorum superasse, furorem incitatum extinxisse, impetū retardasse. Nam cùm illi dicerent, Nónne etiam atque etiam præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto? quamuis innumera possent edere miracula, nihil tamen asperum, nihil acre neque dixerūt, neque fecerunt, sed mansuetè respondentes dicebant: Si iustum est vos audire magis quàm Deum, iudicate. Perspexisti simplicitatē columbæ, vide nunc serpentis prudentiam. Non enim possumus, inquiunt, nos quæ vidimus & audiuimus, non loqui. Perpende qualiter exactè nos admonet, quia perfectos vndique esse oportet, vt neque periculis animus deiiciatur, neque ab ira efferatur: idcirco dicebat:

Serpentis astutia.

2. Cor. 12.

Act. 4.

Cauete

Cauete ab hominibus, tradant enim vos in concilia, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ad præsides & reges ducemini propter me, in testimonium illis & gentibus. Ita vbique ad vigilandum eos animo præparat, afflictiones quidem ipsis tribuendo, affligere autem posse cæteris permittendo, vt tu ex hoc discas in afflictionibus esse victoriam, & præclara hinc statui trophæa. Non enim dixit, luctamini cum illis & concertate, & contra insidiantes insurgite: sed, ad vltimas afflictiones atque pericula venietis. O admirabilem dicētis virtutem, ô sublimem audientium philosophiam: valde namque mirandum est quo modo non statim hæc audientes, fugam ceperunt formidolosi homines atque imperiti, qui nihil vltra stagnum illud, in quo piscabantur, nouerant. Quo modo autem non cogitarunt, neque hæc secum dixerunt: quò igitur fugiemus, si omnia iudicia hominum in nos præparantur, si reges aduersus nos futuri sunt, si Iudæorum synagogæ, si duces, si populi gentium, si principes denique, & subditi? Non enim in Iudæa solum hæc futura prædixit, sed in toto terrarum orbe. Ad reges enim, inquit, & ad præsides ducemini: vt ostenderet ad gentes quoque ipsas suo iussu illos præcones destinari. Omnem orbem in nos concitasti, omnes terrarum habitatores aduersus nos armasti, populos, duces, reges. Sed longè horribilius est quod sequitur, cùm & fratricidas & parricidas propter nostram doctrinam homines futuros pronuncies. *Tradet enim frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient.* Quo modo igitur cæteri credent, qui propter nos viderint filios interimi à parentibus, fratres à fratribus, cum sceleribus cuncta repleri senserint? Nónne vt seductores dæmones, nónne vt sceleſtos latrones, & totius orbis corruptores vndique nos expellent, cùm viderint cognatorum atque affinium sanguine omnia repleri? Háncne igitur pacem ita optabilem quæ tot tantásque cædes illis inferat, domi suscipientibus retribuemus? Quòd si non duodecim, sed mille millia essemus: si non rudes atque indocti, sed sagaces & peritiſſimi ad dicendum oratores: si non inopes atque mendici, sed reges magnos exercitus, magnas opes possidentes, non possemus adhuc profectò terrarum orbi persuadere, cùm ad intestina, ciuiliáque bella, immo ciuilibus multò peiora inflammare videmur. Nam & si parum, vt præcipis, de salute nostra curabimus, quis tamen nobis mentem adhibebit? Nihil certè horum cogitauerunt, nihil dixerunt, nec præceptorum temeraria curiositate rationes quæsierunt, sed cedebant libenter imperanti, atque obsequebantur: quod non ipsorum solummodo virtutis erat, sed etiam præcipientis immensæ sapientiæ. Examinemus enim diligentiùs qualiter vnicuique afflictioni consolationem adiunxit. De non suscipientibus enim dixit: Tolerabiliùs erit terræ Sodomorum & Gomorrhæ in die iudicij, quàm ciuitati illi. & hìc rursus quia dixit, ad præsides & reges ducemini: statim intulit, propter me in testimonium ipsis & gentibus. Non est profectò parua hæc consolatio, vt propter Christum patiaris, & in redargutionem illorum qui tibi molesti erant. Nam Deus etiam si nullus attendat, vbique tamen quæ sua sunt, ineffabili virtute operatur. Hæc ipsos non ideo consolabantur, quoniam punitionis aduersariorū cupidi essent, sed partim quia confidere poterāt se vbique ipsum habituros præsentem, qui hæc prouideret: partim quia non quasi pernicios & perditi homines, sed altioris dispēsatione mysterij hęc paterētur. Quibus etiā aliā addidit præcipuam, meo iudicio, afflictionis mitigationem, dicit enim: *Cùm autē tradiderint vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Ne dicere possent, qualiter, cùm tam crudeliter atque acerbè in nos inuehantur, persuadere ipsis poterimus? summoperè iubet & super defensione confidere. Et alibi quidem ait, Ego vobis os & sapientiam dabo. in hoc autem loco, Spiritus patris vestri est, qui loquitur in vobis. Sic ad dignitatem Prophetarum qui spiritu loquebantur, eos adducit. Ac ideo cùm virtutem eis datam exposuerit, tunc etiam consecutura mala coniunxit, cædes scilicet atque interitus. *Tradet enim frater fratrem ad mortem*, ait, *& pater filium, & insurgent in parentes filij, & morte afficient eos.* Nec finem hìc fecit, sed aliud quoque multò horribilius addidit, vel quòd lapidea corda posset exagitare atque concutere. *Et eritis odio omnibus.* & confestim consolationem adiunxit, cùm dicit, *propter nomen meum ista patiemini.* cui alteram copulauit. *Qui autem perseuerauerit vsque in finem*, dicens, *hic saluus erit.* Hæc etiam alioquin animos eorum erigere possent, atque confirmare: quoniam tantam prædicationis suæ virtutem audiebant futuram, vt omnis sanguinis cōiunctio virtute illius contemneretur, omnis affinitas sperneretur, omnia illi cederēt aduersa, omnis potestas vndique pelleretur. Nam si nulla naturæ vis aduersus sermonem vestrum potest reluctari, sed vniuersa deprimitur atque resoluitur, quídnam aliud vincere vos poterit? Nec tamen quoniam tanta potestas vobis data est, idcirco in securitate vitam agetis, sed omnes communiter homines qui terrarum orbem habitant, hostili odio vos aggredientur. Vbi nunc Plato, vbi nunc Pythagoras, vbi Stoïcorum turba? Plato certè quamquam magnam gloriam fuerit consecutus, sic tamen à nonnullis contemptus fuit, vt etiam venderetur, & vt videtur, nihil earum rerum quas optauerat, in finem perduxit, neque vni solummodo principi persuadere potuit, sed perditis auditoribus non parua cum miseria naturæ concessit. Cynicorum autem durissima vita quasi vmbra atque somnium ab omnibus iamdiu contempta est: atqui nullos in labores, nulla in odia hominum inciderunt, sed contrà clari atque illustres propter seculares has literas, & in anem mundi philosophiam videbantur; adeò vt Athenienses † Dionis epistolas, quas ille Platoni scripserat,] publicè proposuisse ferantur. Et tamen solutam vitam semper viuebant, & opibus non paruis affluebant. Unde Aristippus quidem magni precij scorta conduxit. Alius verò testamenta condidit, non contemnendam pecuniam hæredibus relinquens: alius cùm discipuli seipsos substrauissent, desuper ambulauit. Sinopensem autem Diogenem scribunt in foro turpitudinem publicè peregisse. Talia certè omnia præclara illorum sunt: nihil verò hìc huiusmodi cernimus, sed omnia cum exquisita modestia, & honestate suprema, & bellum etiam aduersus terrarum orbem pro veritate & pietate susceptum: quo fiebat, vt quotidie cæsi, & neci traditi fulgentissima tamen postea trophæa erigerent. Sed fuerunt apud gentiles etiam, obiicies, illustrissimi duces, qualis Themistocles ille, qualis Pericles fuerat. Verumtamen puerorum ludos & ineptorum studia, res gestas iudicabis, si cum his quæ piscatores gesserunt, conferre volueris. Quid enim magni de Themistocle dices? an quoniam persuasit Athenienſibus naues conscendere, cùm ingenti exercitu Græciam Xerxes aggrederetur? Sed hìc non Xerxes inuadit Græciam, sed diabolus cum vniuerso terrarum orbe, innumeris dæmonibus, aduersus duodecim homines, non breui tempore, sed per totam eorum vitam insurrexit. Superarunt tamen atque vicerunt duodecim illi homunculi: quódque mirabilius est, non fuderunt aduersarios, nec trucida-

Matt. 10.

Luc. 21.

Platonis interitus. Cynici.

Dion. Platonis epistolas à Dione missas.) Aristippus.

Diogenes Sinopensis.

Themistocles.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tunt, sed mentes atque animos ipsorum in melius redu-
xerunt. Illud verò obseruandum vbique est, quòd non
fugarunt atque interfecerunt insidiantes sibi Apostoli
hostes: sed cùm fœdiores atque immaniores dæmoni-
bus inuenissent, ad angelicam vitam traduxerunt. Sic
humanæ naturæ libertate donata, ne pernicioso simu-
lachrorum cultui seruirent, seductores illos & corru-
ptores hominum dæmones, non solùm à domibus ac
ciuitatibus, verumetiam ab eremo exterminarunt. Te-
stantur id chori & multitudo monachorum, quibus v-
bique plantatis habitata simul loca & deserta omni ab
inquinatione mundata perlucent: & quod nemo vn-
quam cogitasset, nulla hęc legione, nullis armis, sed pas-
sionibus solùm Apostolorum perfecta sunt. Habebant
in medio sui ciuitates, synagogæ, reges ac principes,
duodecim homines: vinculis, flagellis, carceribus, qui-
buscunque poterant, vt silerent comminabantur, nec
potuerunt ora eorum obstruere: sed veluti nemo sola-
res radios vincire potest, sic nullus linguam eorum po-
tuit compescere. Quæ res ea de causa sic fiebat, quoni-
am non homines, sed Spiritus sancti virtus loquebatur:
qua etiam Paulus Agrippam & Agrippæ ministros, Ne-
ronem quoque omnium hominum perniciosissimum
facilè superauit. Dominus enim mihi adstitit, ait, & 2. Tim. 4.
confortauit, & eruit me ab ore leonis. Tu verò de ipsis Luc. 12.
etiam Apostolis mecum admirare, qui cùm audierint,
ne solliciti sitis: & crediderunt, & obsecuti sunt, & ni-
hil ex terribilibus horrorem potuit illis inferre. Si verò
quispiam obiiciet, satis illos inde corroboratos fuisse,
quoniam audiuerint: Spiritus patris vestri loquetur. Matt. 10.
Ego certè etiam propter hoc stupeo, quòd nulla ambi-
guitate detẽti fuerunt, nullam liberationem ab his ma-
lis quæsierunt, præsertim cùm non per duos vel tres an-
nos, sed per totam vitam hoc impendêre sibi perice-
rent. Hoc enim ipsum signanter expressit, cùm dixit:
Qui autem in finem perseuerauerit, hic saluus erit. Vult
quippe non solum gratia sui ipsos esse munitos, sed à se- C
ipsis etiam nonnihil ad præclara opera conferre. Quod
ita esse videbis, si altius consideraueris, alia omnino ad Apostolos aliquid posse à seipsis.
eum, alia etiam ad discipulos posse referri. Nam quòd
signa facere queant, Christi est: quòd autem nihil pos-
sideant, Apostolorum. Similiter quòd domus alienæ i-
psis paterent, gratia Christi faciebat: quòd verò nihil
vltra necessaria peterent, ad perfectionem ipsorum per-
tinere videtur. Dignus est enim operarius † cibo suo.] mercede sua) Matt. 10. & Luc. 10. & 1. Tim. 5.
Præterea quòd possent pacem suscipientibus donare,
cœlestis liberalitate muneris præstabatur: quòd autem
dignos quærerent, neque omnes indiscretè adirent,
continentiæ erat hoc suæ, atque maturitatis. Adhuc
quòd pœnas daturi essent, qui non susceperint, omni-
potentiæ Christi: quòd verò clementer abirent, nul-
lam iniuriam, nullam reddentes contumeliam, ad man-
suetudinem illorum spectabat. Quòd etiam spiritus eis
daretur, & ab omni sollicitudine liberarentur, Christi
erat mittentis spiritum: quòd verò mites vt oues fie- D
rent, & columbæ simplicitatem imitarentur, ac omnia
magno animo ferrent, robur Apostolorum profectò
ad prudentiam respicit. Quòd etiam odio haberentur,
neque tamen mentem atque animum deiicerent, ipso-
rum erat: quòd verò perseuerantes saluarentur, mitten-
tis spiritum proprium est: ideo dicebat, Qui perseuera-
uerit in finem, hic saluus erit. Nam quoniam plerique
consueuerunt magnam diligentiam incipientes adhi-
bere, ac postea resolui & deiici: idcirco finem, ait, ego
summopere considero. Nam quam vtilitatem pullula-
tio seminum potest habere, si cùm vsque ad flores cre-
uerint, postea exaruerint? Continuam ergo patientiam
quærit. Nam ne quis nihil Apostolis, sed totum Christo A
attribuat: ne quis nihil mali pertulisse Apostolos putet,
atque ideo de patientia ipsorum non admiretur, idcir-
co patientia quoque vestra opus est, ait. Nam & si pri-
mo vos à periculis eruam, grauiora tamen alia atque
alia deinde succedent, nec exitus vnquam illorum erit
in hac vita. Istud enim significauit, dicens: *Qui autem
perseuerauerit in finem, hic saluus erit.* Hac etiam de cau-
sa hic cùm dixisset, Ne solliciti sitis quid loquamini,
alibi ait: Parati sitis ad respondendum omni petẽti vos Matth. 15.
rationem de spe vestra: ita quando certamen quod- 1. Pet. 3.
dam & luctatio ad amicos est, nobis quoque nonnul-
lam curam reliquit. Quando autem terribilis iudex se-
det, & populus rabie furit, & horror vndique circum-
stat: sua ope facit vt confidamus, vt omni trepidatione
ab animis pulsa, non prodamus veritatem. Incredibile
profectò est, hominem in stagnis exercitatum, circa
pelles & publicanorum officia educatum, cùm reges
pro tribunali sedeant, satrapæ & satellites cum cuagina- B
tis assistant ensibus, ac cæteri cum illis adstent, ipsum
introductum solum, vinctum catenis, oculos in terram
demittentem, potuisse os aperire, & verbum aliquod
proferre. Neque enim ipsorum excusationem aliquam
audire sustinebant, sed dogmatis nouitate perculsi, ceu
communes orbis pestiferos hostes ad cruciatum atque
tormenta rapiebant. Qui enim orbem terrarum pertur- Act. 16.
bant, hi sunt, dicebant, & hic adsunt. Et rursus aduersus Ibid. 17.
edicta Cæsaris isti prædicant, cùm Iesum Christum re-
gem appellant. Iudices ergo vbique iam aduersus eos
erant persuasi, & absque superiori auxilio nulla huma-
na virtus vtrunque potuisset demonstrare, tum quòd
verum esset ipsorum dogma quod prædicabant, tum
quòd communi hominum legi non aduersarentur.
Nam si veritate dogmatis sui non perterriti exclama-
rent, mandata legum euertere videbantur: si verò per-
territi communem disciplinam susciperе faterentur,
veri dogmatis synceritatem confundebant: quæ ta-
men omnia tam à Petro & Paulo, quàm cæteris omni- C
bus prudenter atque decenter facta esse non ignora-
mus. Nam cùm quasi factiosi, nouarúmque rerum cupi-
di accusarentur, non solùm hanc suspicionem tanquam
falsam refutarunt, verumetiam contrariam de se ani-
mis hominum existimationem immiserunt: vt vbique
quasi saluatores & præcipui benefactores, & quasi pa-
tres curam de omnibus gerentes, facilè prædicarentur,
quæ omnia inaudita incredibilique patientia faciebat:
quod Paulus ostendit, dicens: Quotidie morior: & ta- 2. Cor. 15.
men ad finem in periculis patienter perseuerabat. Qua
igitur venia nos erimus digni, talia habentes exempla,
& in omni tranquillitate & securitate rerum molliter
ac deiectè viuentes? Nam cùm nemo nos hostiliter in-
uadat, trucidamur: cùm nemo nos persequatur, fundi-
mur atque dissipamur, nec in pace ipsa vt iubemur, salui
possumus viuere. Et illi quidem cùm totus orbis arde-
ret, cúmque in tota terra vnus quasi rogus flagraret, in
medias flammas insilientes multos eripiebant. Tu verò D
nec tibi soli saluti esse potes. Quænam ergo libera nobis
respondendi potestas erit, quæ venia concedetur, quos
non exagitant flagella, non vrgent carceres, quibus
non principes, non synagogæ minantur, nec aliquid
huiusmodi malorum impendeat, immo verò omnia se
in contrarium habeant? dominamur enim, & regna
possidemus: quippe qui fideles reges habemus, vnde
Christiani honoribus affluunt, præfecturas regionum
adipiscuntur, honore, securitate, ac pace potiuntur, ne-
que sic tamen vincimus. Et illi quidem cùm ad cruciа-
tum quotidie ducerentur, & tam magistri quàm disci-
puli, mille tormentis atque flagellis cæderentur, maio-
ribus tamen illi deliciis fruebantur, quàm qui in virida-
riis &

riis & hortis amœnis degunt. Nos verò qui nec in so- A
mnis quidem cruciatum aliquem sustinuimus, multò
molliores quàm cera sumus. Sed illi, dices, miraculis atq
que signis fulgebant. An fortassis idcirco non cædе-
bantur, an ideo vndique non pellebantur? immo verò
etiam istud valde admirandum ac suspiciendum est,
quòd cùm ab his de quibus bene meriti fuerant, sæpe-
numero vexarentur, nec sic tamen conturbarentur,
maleficia pro beneficiis recipientes. Tu verò si cui non
magnum beneficium conferis, ac deinde ab eo pro
gratia malum susceperis, pœnitet illico te beneficij, ac
omni tribulatione furoréque plenus pati non potes.
Quòd si acciderit, quod Deus auertat, neque permit-
tat vnquam venire, bellum Ecclesiæ ac persecutio: co-
gita quantus orietur risus, quàm magna erunt nostra
opprobria. Meritò id quidem. Nam cùm nemo in are-
na seipsum exerceat, quo modo aliquis in certamine
insignis erit, atque conspicuus? Quis vnquam athleta,
non ab ineunte adolescentia in palæstra corroboratus, B
potuit in Olympicis excelso ac magno animo aduersa-
rium aggredi? An non oportet quotidie luctari atque
currere? Nónne videtis eos quos quinque certaminum
athletas appellant, cùm nullum fortè reluctatorem re-
pererint, ad saccum arena plenum, vires suas excitare:
his verò iuniores cum iunioribus quasi cum aduersariis
pugnam ad exercitationem inire? Hos imitari stude, ac
ipse tecum altioris philosophiæ instituta meditare, ac
re ipsa plerunque confirma. Sunt enim multi qui ad iræ
nos rabiem incitant, multi qui concupiscentiæ flam-
mam incendunt. Insurge igitur contra passiones, vincas
animi labores, vt corporis quoque labores possis per-
ferre. Nam & beatus Iob ille, nisi antea præmeditatus
fuisset, non ita in certamine resulsisset: nisi certè cre-
brò cogitasset, qua ratione mœrorem omnem superа-
ret: dixisset omnino aliquid mœstum, cùm repentè
obiisse filios rescisset. Nunc verò ita præmeditatus ex- Iob 1. & seq.
ercitatúsque fuerat, vt ad omnia ingenti animo persti- C
terit, ad totius substantiæ, & tam multarum rerum ia-
cturam, ad filiorum amarissimum obitum, ad vxoris af-
fectum, ad acerba corporis vlcera, ad iniusta amicorum
opprobria, ad ancillarum conuitia atque seruorum.
Quòd si eius mirabilia gesta cupis inspicere, ipsum au-
di, ac ab eo ipso disce qualiter vniuersam spernebat pe-
cuniam. Si lætatus sum, inquit, multis mihi affluentibus Iob 13.
vndique diuitiis, si putaui aurum robur meum, * si in la- robur meum, nam pro ἐλεχοῦν legendum est, ἰσχὺν μου, vt habetur.
pide precioso fiduciam habui. Hæc ille. Propterea nec
cum erepta quidem omnia subitò essent, turbatus est,
quippe qui præsentibus non delectabatur. Tu verò et- Iob 31.
iam animaduerte quo modo filiorum rem gubernabat,
& admiraberis ipsum nulla negligẽtia vnquam, quem-
admodum nos, retardatum, sed exactissima cura quæ
facienda essent illis proposuisse. Nam qui pro occultis
filiorum delictis sacrificabat, quanta eos sollicitudine
in manifestis debebat corripere? Quòd si continentiæ
quoque certamina videre cupis, audi ipsum dicentem: D
Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem qui- Iob 31.
dem de virgine. Hac de causa non fregit animam eius
vxor: diligebat enim profectò, sed non magis quàm
debebat, sed sicut prudens vir atque fortis vxorem mo-
destam. Quas omnes ob res mecum ipse plerunque ad-
mirari soleo, quare in mentem diabolo venit, exercita-
tiones istius non ignoranti, tot tantósque aduersus i-
psum cogitasse labores. Cur igitur illi venit in men-
tem? Truculentissima certè est bestia, nec vnquam so-
let desperare victoriam, quod ad condemnationem
nostram spectat: nam ille nunquam, vt dixi, nostram
desperat perditionem, nos de salute nostra sæpius de-
speramus. Sed perpende etiam quo modo corporis A
morbum & labem, antequam pateretur, cura & cogita-
tione ferebat. Nam quoniam nihil tale vnquam pertu-
lit, sed in diuitiarum viuebat deliciis & splendore, alie-
nas calamitates præ oculis indies sibi proponebat. Id
enim significat, dicens: Timor quem formidabam, Iob 3.
peruenit ad me, & quem trepidabam occurrit mihi. Et
rursus: Ego verò super omni imbecillo ploraui, & in- Ibid. 31.
gemui in necessitate hominem videns. His igitur de
causis nulla rerum acerbitas, nullus calamitatum impe-
tus eum perturbauit. Nec solùm substantiæ iacturam
considera, nec immaturum filiorum obitum, nec vlce-
ra illa procul ab omni curatione remota, nec vxoris
astutas insidias: verumetiam ea quæ his omnibus lon-
gè grauiora fuerunt. At quid grauius, obiicies, his pas-
sus vnquam Iob est? Nihil enim præter hæc ab historia
cognoscimus. Rectè dicis: nam quoniam sedemus dor-
mitantes & oscitantes, non discimus: nam qui diligen-
ti cura, & solerti studio margaritas quærit, multò plura
inuenit. Grauiora quippe alia etiam erant, quæ turbare
magis animam hominis poterant. Ac primùm, quoni-
am non ita clarè de regno cœlorum & resurrectione
nostra quicquam perceperat, vnde lugens quoque ipse
dicebat: Non enim in æternum viuam, vt longanimus Ibid. 7.
sim: deinde, quoniam multorum bonorum sibi con-
scius erat. Tertium, quoniam nullius delicti conscien-
tia eum remordebat. Quartum, quoniam à Deo hæc si- Iob 2.
bi putabat illata: quòd si etiam à diabolo, idipsum satis
erat ad perturbandum. Quintum, quoniam audiebat Ibid. 4.
amicos tanquam perditum hominem vituperantes.
Non enim condigna, dicebant, neque vt peccata tua
flagitant percussus es. Sextum, quoniam iniquè viuen-
tes in fœlicitate viuere cõspiciebat, qui etiam, quod a-
cerbius est, ipsi illudebant. Septimum, quoniam non
viderat quemquam qui talia passus esset, cuius exemplo
posset consolari. Hæc quàm maxima sunt, facilè intelli-
ges, si præsentia considerabis, quòd quamuis firma spe
cœlorum regnum ac resurrectio, & beatitudo illa su-
prema expectatur: quamuis multorum hominẽs sibi
ac atrocium peccatorum conscij sunt: quamuis exem-
pla sublimis philosophiæ plena non desint, si tamen pa-
rum quid auri quispiam amiserit, nec id forsan suum,
sed quòd aliunde vi rapuit, nec molestia vxoris incum-
bente, nec liberis suis defunctis, nec amicis exprobran-
tibus, non insultantibus seruis, cùm multi verbis, multi
rebus consolentur, vitam sibi acerbam putat. Quibus i-
gitur ille laudibus dignus non erit, qui videbat quæ iu-
stis laboribus sibi ac liberis collegerat, repentè absque
causa eripi: qui posteaquam omnia perdidit, quasi vim
pluuiæ tentationum multitudinem pertulit, nec com-
motus vnquam fuit, sed gratias semper Domino de-
centes peregit? Sed vt alia omittamus, nónne solius v-
xoris verba durissimos silices commouissent? Animad-
uerte quàm versutè atque maliciosè ipsum inuadit.
Nullam de diuitiis fecit mentionem, nullam de came-
lis, nullam de gregibus atque armentis. Sciebat enim
quanta philosophia mariti animus in contemnendis
rebus huiusmodi muniretur. Sed quod erat durius at-
que acerbius, liberorum obitum ante oculos ponit, hãc
rem tragicis verbis amplificat, cui etiam vexationem
suam adiunxit. Quòd si multi cùm fœlici etiam in statu
essent, cùm nihil mali sibi accideret, vxoris tamen ver-
bis deliniti peccarunt: quanti roboris illi animum fuis-
se credendum, qui tamen vxoris vim atque arma facilè
repulit, qui duas acerrimas passiones depressit, cupidi-
tatem scilicet, atque misericordiam? Multi enim cupi-
ditatis victores misericordia inflexi sunt. Nam glorio-
sus ille Ioseph ardentissimas quidem cupiditates, atque Gen. 39.
tyrannicas flammas extinxit, & barbaram mulierem,

Universidad de Deusto Biblioteca

Ibid. 37. quæ mille indies machinas ad capiendum excogitabat, robore animi repulit, lachrymas verò idem continere Ibid. 45. non potuit : ſed cùm vidiſſet fratres quorum iniuria venundatus fuit, flagrauit affectu, & velamine abiecto rem totam patefecit. Quando autem vxor quæ poſſunt ad miſericordiam commouere flebiliter dicit, cui etiam opportunitas temporis opituletur, vlcera quoque atque liuores, milléque alij ærumnarum fluctus: quónam modo adamantis etiam naturam ſuperaſſe illum animum non dicemus, qui à magnæ tempeſtatis impetu atque procellis commotus non eſt? date veniam liberè loquenti.

Iob non minor Apoſtolis.

Si non fuit maior Apoſtolis beatiſſimus ille Iob, certè nec minor, meo iudicio, fuit. Nam Apoſtolis non parua erat conſolatio, cùm ſe ſcirent cauſa Chriſti tormentis vexari: quod remedium tanti erat, tantámque vim ad ſubleuandos à paſſionibus quotidie Apoſtolos retinebat, vt vbique firmè id poſitum eſſe à Domino videamus. Crebrò enim ſcriptum inuenies, propter me, & gratia mei. &, ſi patremfamiliâs Beelzebub vocarunt. Ille autem tali conſolatione omnino carebat, ſed nec ſignorum miraculis iuuabatur, nec gratiæ cauſa confirmabatur. Non enim gratia ſpiritus tanta vi temporibus illis fuſa erat, & quod maius eſt, in diuitiarum educatus deliciis, non piſcator, nec publicanus fuit, nec tenuiter vitam peregit: ſed qui antea honorificentiſſimè vixit, multa poſtea indignè perpeſſus eſt. Quódque in Apoſtolis grauius videtur, idipſum ille quoque ſuſtinuit, ab ancillis & ſeruis, ab inimicis, ab amicis, ab his ipſis de quibus bene meritus fuerat, acerbiſſimo vexatus odio: nec ſacratiſſima illa muniebatur ancora, nec tranquilliſſimo portu illo quieſcebat, qui Apoſtolis erat donatus, propter me, ſcilicet, & propter nomen meum. Mirabiles etiam eſſe dico tres illos pueros, qui ardentem fornacem contempſerunt: qui tyranno reſtiterunt: ſed audi quid dicunt,

Dan. 3. Deos tuos non colimus, & imaginem quam ſtatuiſti, non adoramus. Idipſum certè magnum illis robur præbebat, quoniam non ignorabant propter Deum ſe pati quæcunque ipſi paterentur: Iob autem neſciebat quod certamen quoddam in his erat atque luctatio. Nam ſi reſciuiſſet, nullo penè ſenſu percepiſſet dolorem. Vnde quando audiuit: alia me ratione putas tibi reſpondiſſe, quàm vt iuſtus prædiceris? animaduerte qualiter confeſtim hoc verbo reſpirauit, qualiter ſeipſum humiliorem fecit, qualiter nihil ſe paſſum ſtatim æſtimauit, dicens: Quid adhuc iudicor admonitus & correctus à

Iob 42. Domino, cùm hæc audiam qui nihil ſum? Et rurſus: Auditu quidem auris audiebam te prius, nunc autem & oculus meus vidit te: quapropter nihil me facio, & liquefactus ſum, ducóque meipſum terram eſſe ac cinerem. Hanc igitur animi fortitudinem, hanc incredibilem manſuetudinem imitemur, qui poſt legem, qui poſt gratiam ſumus. Illius exemplo viuamus, qui ante legem & gratiam vixit, vt in æterna tabernacula ad eum perueniamus. Quod vtinam omnibus nobis contingat, gratia & miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cum Patre, ſimul ac Spiritu ſancto gloria, imperium & honor, nunc, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA XXXV. EX CAP. X.

CVM *autem perſequentur vos in ciuitate hac, fugite in aliam. Amen dico vobis, non conſummabitis ciuitates Iſraël, donec veniat filius hominis.* Cùm illa terroris atque horroris plena abſoluerit, quæ vel adamantinos animos frangere potuiſſent, quæ poſt crucem & reſurrectionem, & aſcenſionem Domini eis erant euentura: ad leuiora rurſus orationem deducit, vt milites videlicet

A illi reſpirare poſſent, atque aliqua tranquillitate prænunciatam duritiem rerum mitigare. Non enim iuſſit cominùs aggredi perſecutores, ſed fugere. Nam quoniam adhuc in principiis atque in ipſa origine res erat, mitiori vtitur oratione. Non enim de his perſecutionibus dicit quæ poſt crucem fuerunt, ſed de his quas ante crucem & paſſionem habuerunt: quod ſignificanter expreſſit, dicens: Non enim * obibitis ciuitates Iſraël, donec venerit filius hominis. Nam ne dicerent, ſi ab alia ciuitate in aliam fugerimus, quid faciendum nobis eſt, ſi illuc vſque perſecutores peruenerint? ab hoc timore ipſos liberans, Non poteritis, inquit, Palæſtinam prius circuire, quàm ego ad vos veniam. Tu verò perpende qualiter etiam in hoc loco non penitus imminentia mala repellit, ſed adeſt in periculis atque leuat. Non enim dicit, eripiam vos à perſecutoribus, ac perſecutiones cunctas diſſoluam: ſed nequaquam explebitis ciuitates Iſraël, donec filius hominis venerit.

* πλέσητε, quod prius vertit, conſummabitis, Eraſ. perambulaueritis. πλεῖν, enim peragere etiam & pertingere ſignificat, aut peruenire.

B Sufficiebat certè ad ſedandos labores ipſorum ſolus aſpectus Chriſti. Tu verò hic conſidera non omnia eis per gratiam concedi, ſed nonnihil etiam ipſos conferre iubet, quod ſignificauit, dicens: Si timetis, fugite. nec antequam pellerentur fugere permittit ipſis, nec magna ſpacia locorum largitur, cùm Palæſtinæ ciuitates ſolum circumeundas dicit. Deinde rurſus ad aliam partem philoſophiæ traducit. Nam primùm quidem à ſollicitudine ciborum liberauit, deinde periculorum terrorem expulit, nunc autem detractionis atque infamiæ abiicit timorem. Primùm illis verbis docuit: Dignus eſt operarius † cibo ſuo] quibus ſignificauit multos eorum doctrinam eſſe ſuſcepturos. Alterum verò quod ad pericula attinet, cùm dicit, Non ſitis ſolliciti qualiter aut quid loquamini. Et, Qui perſeuerauerit in finem, hic ſaluus erit. Verum quoniam timere poterant ne infamiæ maculis laborarent, quod moleſtius multis plerunque ſolet videri: attende quo modo ipſos

† mercede ſua.) Hic & Lucæ 10. & 1. Tim. 5.

Matth 1 Hic & infrà 24.

C hac quoque in re conſolatur à ſeipſo, & ab aliis dictis ſuis conſolatione diligenter cõtexta, quo quidem conſolandi modo nihil melius, nihil ipſis gratius inueniri poterat. Sicut igitur prius dixit, Omnes vos odio habebunt: & ſtatim adiecit, propter nomen meum: ita etiam in hoc loco, quamuis alteram quoque afferat conſolationem, cùm dicat: *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrũ, nec ſeruus ſuper dominum ſuum: ſufficit diſcipulo vt ſit ſicut magiſter eius, & ſeruo, ſicut Dominus eius. Si patrem familiâs Beelzebub vocauerunt, quanto magis domeſticos eius?* Perpende quemadmodum Deum, Dominum, conditorémque omnium ſeipſum eſſe oſtendit. Quid igitur, inquies? Nequaquámne diſcipulus ſuper magiſtrum, & ſeruus ſuper Dominum reperiri poteſt? Nempe quouſque diſcipulus aut ſeruus eſt, magiſtro & domino nonnunquam excellentior erit honore ac dignitate. Noli enim ea quæ rariſſima ſunt in medium producere, ſed ab his quæ ſæpe ſolent fieri, orationem conſidera.

Hic, & Luc. 21.

D Non autem dicit, quantò magis ſeruos: ſed quanto magis domeſticos eius, vt magna ſe illi charitate coniunctos cognoſcerent. ſic etiam alibi: Vos amici mei eſtis, & non dico ſeruos vos. Nec generaliter ſolùm contumeliis atque maledictis patremfamiliâs petitum dixit, verumetiam contumeliæ modum expreſſit, dicens: Beelzebub vocarunt. Tertiam quoque ad hæc addidit conſolationem, altera non minorem: & quoniam altiorem philoſophiam adhuc non attigerant, altera etiam opus erat, quæ maximè ipſorum animos reficere poſſet, quam hîc ponit. Et ſermo quidem vniuerſalem de omnibus annunciationem continere videtur: non tamen ad omnia, ſed ad propoſita ſolum pertinet. Quid enim ait? *Nihil eſt opertum, quod non reuelabitur: nec occultum,*

Ioan. 15.

cultum, quod non cognoſcetur. Hoc autem huiuſmodi eſt: ſufficere vobis debet illa conſolatio, quòd me quoque magiſtrum & dominum ſimilibus iniuriis ac contumeliis lacerarunt. Si verò adhuc dolore vexamini, quoniam malè audituri propter me ſitis: illud dolorem veſtrum ſedet, quòd non multò poſtea ab omni ſuſpicione liberamini. Cuius enim rei gratia grauiter contumelias fertis? An grauis iniuria eſt, quia præſtigiatores & ſeductores vos vocant? At ſuſtinete pauliſper, & non multò pòſt ſaluatores vos, benefactoréſque totius orbis terrarum prædicabunt. Tempus enim quòd obumbrata omnia declarat, ac detegit, & illorum aduerſus vos ementita verba redarguet, & virtutis veſtræ ſplendorem patefaciet. Nam quando re ipſa benefactores eſſe cognoſcemini, quando videbunt omnes veræ cultores virtutis vos eſſe, tunc aduerſariorum veſtrorum ſermonem contemnent, veritati rerum adhærentes. Sic illi ſycophantæ mendaces, maledici, falſíque aliorum accuſatores videbuntur, vos autem vel Sole ipſo clariores eritis, atque illuſtriores. longa enim ſpacia temporis omnem tubarum clangorem in prædicandis meritis veſtris ſuperabunt, teſtéſque claritatis veſtræ vniuerſos ſimul habebitis homines. Nequaquam verò præſenti ſermone animus veſter deiiciatur, ſed ſpes futurorum bonorum erigat: impoſſibile enim eſt abſcondi res veſtras. Deinde quoniam ab omni terrore & ſollicitudine ipſos eripuit, atque altiores omni calumnia effecit, opportunè nunc de libertate prædicationis diſſerit. Quid enim ait? *Quod in tenebris vobis dico, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.* Quanquam enim non fuerint tenebræ quando hæc illis committebat, nec in aure clàm ipſis loquebatur, ſuperlatione quadam tamen ſermonis vtitur. Solis enim ipſis, & in paruo angulo Palęſtinæ dicebat, idcirco quaſi ad futurum vbique ingentem Euangelij ſonitum hęc conferendo ita dixit: non enim vni, aut duobus, aut tribus ciuitatibus, ſed toti orbi terrarum prædicabitis: maria, terras, loca habitata & inhabitata tranſituros oſtendit. Nec pauperibus ſolùm, aut rudibus, ſed regibus opulentis, potentibus populis, acutiſſimis philoſophis, facundiſſimis oratoribus, aperto ac nudo capite liberè ac fidenter hæc dicturos prænunciat. Propterea dixit, ſuper tecta & in lumine, ne aliquid ſubticendum aut celandum putent. Sed nónne ſatis erat, forſan quiſpiam obiiciet, ſuper tecta, atque in lumine dicere: ſed adiecit, quod in tebneris vobis dico, & quod in aure auditis? Non erat certè ſatis maiores ipſorum animos

Ioan. 14. reddere volenti: nam veluti quando dicebat, Qui credit in me, opera quæ ego facio, ille quoque faciet, & maiora his faciet: ſic etiam in hoc loco, vt oſtendat totum, aut certè multò maiorem partem per illos quàm per ſe facturum, id poſuit. Principia enim, ait, horum ego ſum exorſus per me: quæ verò poſt principia ſequuntur, per vos conficere ſtatui. Hæc autem non imperando ſolummodo dicit, verumetiam multò antè futura prædicendo. His enim dictis, & omnium illos victores fore prædixit, & occultè contumeliarum moleſtiam ſedauit. Nam ſicut hoc Euangelium interim latẽs omnia peruadet ac illuſtrabit, ſic malitioſa Iudæorum ac pernicioſa de Apoſtolis exiſtimatio citò peribit. Verùm cùm extuliſſet animos eorum, atque ſublimiùs euexiſſet, pericula rurſus prænunciat, eorum mentem erigens, & ſublimiores omnibus periculis reddens. Quid enim dicitur? *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum qui poteſt & corpus & animam perdere in gehennam.* Vidéſne vt omnibus eos effecerit ſuperiores? non ſolum curis, neque conuiciis, neque periculis & inſidiis, ſed ipſa etiam

A morte, quæ omnium maximè videtur terrorem incutere: neque verò ſimpliciter morte, ſed ea etiam violenta. Et non dixit, interficiemini, ſed cum quadam amplitudine conueniente omnem rem explicat. Nolite timere eos, inquiens, qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. Crebrò id facit: ſæpe enim ad oppoſitum orationem detorquet. Nam quid pertimeſcitis, inquit? mortémne, aut eius terrore pulſi tardiores eritis ad prædicandum? At hac de cauſa potius vobis prædicandum eſt, quoniam mortem perhorreſcitis: Nihil enim aliud à vera morte vos eripiet, quàm ſalutaris Euangelij prędicatio. Nam etſi interempturi vos ſunt, meliorem tamen partem veſtri nullo modo attingent, etiamſi maxime contendant. Idcirco non dixit, qui animam non occidunt, ſed, qui non poſſunt occidere: vt intelligamus non poſſe ipſos, etiamſi voluerint. Quare ſi vltima

B ſupplicia timetis, illa perhorreſcite, quæ multò grauiora ſunt. Vides quòd non promittit ipſis huius vitæ perpetuitatem, mori autem promittit, vt maiora ſublimioráque conferat, quàm ſi nunquam morti traderentur. Et certè multò melius eſt mortem omnino deſpicere, quàm eam effugere. Quocirca non in pericula eos coniicit, ſed periculis ſuperiores facit. Ita breui oratione duobus vel tribus verbis abſoluta, ſalutarem de immortalitate opinionem in animis eorum fixit, atque plantauit, & aliis rationibus eos conſolatur: Ne enim putarent quaſi ſe derelictos ab eo, ad cædem & violentum peruenturos interitum, de prouidentia Dei diſputat, dicens: *Nónne duo paſſeres aſſe venduntur, & vnus ex ipſis non cadet * in laqueum ſine patre veſtro qui eſt in cœlis? veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt.* Quid enim vilius paſſeribus? ait, ſed tamen nunquam ignorante Deo capientur. Non enim cooperante Deo cadere, ait, quod diuinæ maieſtati indignum eſt, ſed nihil

* εἰς παγίδα. Theophyl. tamen cum aliis legit, ἐπὶ τὴν γῆν, in terram.

C prorſus eorum quæ geruntur, Deum latere oſtendit. Quòd ſi nihil penitus eorum quæ accidunt, Deus ignorat: vos autem verè ac ſyncerè magis quàm Pater amat, & ita amat, vt pilos capitis quoque veſtri non negligat: quid timendum vobis eſt? Hoc autem dicebat, non quia Deus aliquo humano more numerat, ſed quia perfectam cognitionem rerum omnium, & ſummam de omnibus Dei prouidentiam oſtendere voluit. Si ergo cuncta nouit quæ fiunt, ſi vult potéſtque ſimul ſeruare vos: nolite cùm tribulationes vobis acciderint, derelictos vos eſſe à Deo exiſtimare. Non enim ab incommodis corporis liberare vos vult, ſed ad eam perfectionem adducere ſtudet, vt incommoda corporis contemnatis. Id enim eſt quod maximè à corporis liberat incommodis. *Nullus ergo timor animos veſtros perturbet, cùm multis paſſeribus vos ſitis præſtantiores.* Vides quo modo timorem eorum depreſſit. Sciebat enim arcana mentis, ac ideo attulit: *Nolite ipſos timere.* Nam ſi

D vos vincent, inferiorem partem veſtri, corpus videlicet, ſolummodo vincent: quod etiam ſi ab iſtis trucidatum non fuerit, natura tamen duce obruetur: nam † nihil iſti à ſe vobis facient, ſed quod duce natura fit, id ferocitate compulſi.] Quòd ſi hos timetis, quantò magis ille timendus eſt, qui tam animam quàm corpus in gehennam perdere poteſt? Non expreſſit tamen apertè ſe illum eſſe, ſed per ea quæ iam dicta ſunt, neminem fugiet quod de ſeipſo dicit, cùm iam ipſum iudicem fore ſignificauerit. Nos verò contrarium omnino facimus: nam eum qui poteſt animam perdere, id eſt, æternis ſuppliciis punire, nequaquam timemus: eos autem qui corpus interimunt, perhorreſcimus: atqui ille quidem vnà cum anima corpus quoque ipſum ſupplicio afficit:

† Itaque neque iſtius quidem rei poteſtatem habent iſti, ſed à natura illud acceperunt.)

Universidad de Deusto
Biblioteca

hi verò quos nimium metuimus, non solùm animam, sed ne corpus quidem punire possunt. Nam quæ pœna hæc est, quæ quantò maior fuerit, tantò illustriorem reddit patientem? Percipis qualiter hæc certamina faciliora facit: valde namque adhuc terribilis mors videbatur, nondum contempta ac spreta erat. Nec qui eam neglecturi erant, Spiritus sancti gratia potiebantur. Terrore igitur mortis, quo mouebantur, repulso, timore iterum timorem eiicit, & spe præmiorum corroborat. Magna igitur comminatur eis potestate atque licentia. Ita vtrinque timore peiorum, & certa spe meliorum, ad liberam veritatis prædicationem impellit, dicens: *Quicunque igitur confitebitur in me coram hominibus, confitebor† eum*] *& ego coram Patre meo, qui est in cœlis. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego ipsum coram Patre meo qui est in cœlis.* Ita non spe meliorum solùm, sed ab oppositis etiam hortatur, & in acerbiora tandem desinit. Tu autem diligenter scriptum considera. Non enim dixit, qui confitebitur me, sed in me: vt tibi ostenderet non propria virtute, sed gratia superiore adiutum confiteri eum qui confitetur. Qua etiam de causa non simpliciter dixit de negante, qui in me negauerit, sed qui me negauerit. Nam qui negat, superioris patrocinio gratiæ priuatus negat. Sed cuius rei gratia, inquies, si priuatus quis gratia, derelictúsque negat, quasi criminosè egisset, accusatur? quia videlicet qui derelinquitur, culpa sua derelinquitur. Sed quamobrem, quispiam obiiciet, non sufficit fides in animo & voluntate, verumetiam oris confessio flagitatur? Liberam certè petit confessionem, ad maiorémque charitatem nos adducit, & sublimes atque inuictos esse desiderat. Quapropter omnibus hæc præcipit: non enim ad personam solummodo spectant discipulorum, sed discipulorum quoque discipulis robur adiiciunt. Nam qui hæc rectè intellexerit, ac crediderit: his non liberè solum prædicabit, verumetiam cuncta pericula magno & æquo animo perferet. Id certè firma creditum fide multos fecit confluere ad Apostolos. Nam vt in malis maiora supplicia sequuntur: sic in bonis maior erit retributio. Etenim quoniam qui confitetur in Christo, tempore primus est, & quia tarditate supplicij nonnihil se lucrari peccator putat: idcirco parem, immò verò multo maiorem tam mali quàm boni retributionem habent: videlicet prior tu, ait, tempore me hîc confessus es, sed maiora tibi referam, & tantò maiora, vt omnem ad hæc quæ tu fecisti, comparationem effugiant. ibi enim te confitebor. Vides ibi nobis tam bona quàm mala seruata esse? Cur ergo festinas? cur properas? cur in hac vita retributiones quæris, qui per spem seruatus es? His de causis si quid boni hîc feceris, cuius retributionem hîc non receperis, forti tranquillóque animo sis: maiora enim præmia in futura vita tibi reseruata sunt. Quòd si quicquam perperam gesseris, neque pœnam vnquam propter id dederis, noli credere iam te effugisse. futura enim te ibi æternáque pœna expectat, nisi pœnitentia meliorem te feceris. Si verò parum mihi credis, saltem à præsentibus futura coniicias. Nam si in certaminis laborisque tempore sic sunt illustres, qui confitentur: quales in coronæ retributionisque tempore futuros credis? Si hostes hîc superant te atque deprimunt, qui te magis diligit, quàm parens tuus dilexit: admirabitur te ibi & laudabit, vbi tam bonorum præmia, quàm malorum supplicia reseruantur. Quare qui Christum negant, & nunc vexantur, & tunc in æternum punientur. Nunc quidem quoniam conscientiæ stimulis exagitantur, nec vitam negatione consecuti sunt, qui paulò pòst morituri sunt: tunc autem etiam ipsi non dubitant vltimos se cruciatus perpetuósque subituros. Qui verò Christum confitentur, magnos & in hac vita & in illa quæstus, & magna lucra inuenient. Cúmque bene mortui sunt, & hîc viuis clariores sunt, & ibi bonis ineffabilibus perfruentur. Non enim ad puniendum solum, verumetiam multo magis ad bona largiendum paratus est Deus. Sed curnam, inquies, alterum semel, alterum bis posuit? nouit pœnarum timore magis, quàm bonorum spe homines castigari: idcirco cùm dixisset, Timete magis eum, qui potest & animam & corpus in gehennam perdere: iterum intulit, Negabo & ego ipsum. Hac ratione Paulus quoque assiduè pœnarum meminit. Verum omni ex parte audientes communiuit, cœlos enim nobis aperuit, terribile iudicium monstrauit futurum, vbi angelici præconis tuba athletarum coronæ prædicantur, quibus magna incentiua nobis præbentur ad seruandam facilè pietatem ac fidem. Nam ne timiditate Apostolorum Euangelium retardari queat, ad armatas quoque expeditásque legiones paratos esse iubet: vt discamus infideles homines non solùm suę perfidiæ, verumetiam insidiarum quas aduersus fideles cogitant, acriores pœnas daturos. Cùm simus igitur certiores ad meliorem vitam nos morte traiecturos, antequam tempus moriendi aduenerit, mortem contemnamus. Sed dolendum est, quispiam dicet, quoniam corpus post mortem omnino corrumpitur. Ego verò ideo gaudendum nobis magis censeo, quoniam corruptione corporis mors ipsa corrumpitur, mortalitas destruitur, non substantia corporis: nam vt quando æs funditur vt inde statua confletur, nullam æris perditionem tunc esse dicemus, cùm ad meliorem vsum traducatur: similiter de corpore quoque tuo futurum est. Nullis ergo lachrymis, nullo mœrore, quoniam moriturus es, te lacera. Tunc enim flendum esset, quando in huiusmodi conditione ac pœna perpetuò corpus tuum permansurum scires. Sed melius esset, inquies, si nulla putredine corpora tabescerent, si integritatem suam semper conseruarent. Ego verò non video, quam hoc aut defunctis aut viuis vtilitatem afferre posset. Quousque hæc fœtida corpora diligetis? Quousque terræ affixam mentem habebitis? Quousque huius vmbræ ardenti amore laborabitis? Non enim intelligo quid emolumenti si corpora integra permanerent, consequeremur, immò verò è cõtra magna pernicies nos inde inuaderet. Nam si corpora nullo fœtore inquinata conseruarentur, primùm perniciosissimum superbiæ malum magis vigeret. Nam si etiam cùm putredine tabescant, cùm vermibus post mortem scaturiant: multi tamen deorum honoribus coli voluerunt: quid non fieret, nisi fœdissimo corporis fœtore ab hac insania deterrerentur? Deinde non facilè aliqui sibi persuaderent terrena esse corpora nostra. Nam si cùm in terram modò resoluuntur, nonnulli tamen an terrena sint ambigunt: quid non suspicarentur, nisi hoc ita fieret? Tertiùm, magis ab omnibus corpora diligerentur, & carnales magis rudioréque multi hominum efficerentur. Nam si aliqui etiam fœtentibus sepulchris stulto suorum amore coniunguntur: quid facerent si corpus integrum detinere possent? Quartùm, non valde homines futuræ vitæ statum desiderarent. Quintùm, qui perpetuum esse mundum opinantur, quasi certior conseruatione corporis esset sua opinio, esse conditorem mundi aliquem pernegarent. Sextùm, quanta sit virtus animi, non facilè cognosceretur, nec quantum ipsi corpori affert, cùm ei coniuncta sit. Septimùm, multi amore suorum cœtibus hominum spretis, vt continuè suos viderent, sepulchra mortuorum habitare non erubescerent. Etenim si clarissimorum effigies plerique depingentes, quoniam defluens

in eo.)

fluens corpus secum detinere non possunt (id enim fieri non potest, sed illis etiam inuitis defluit & dissilit) tabulis affixi vitam peragunt: quid non auderent excogitare, syncerum ac integrum corpus suspicientes? Facilè mihi videtur ad condenda talibus corporibus templa multos conspiraturos fuisse, & cultu dæmonum ariolos, qui talibus rebus dediti sunt efficere, vt mortui sui quasi viui loquerentur, quando etiam nunc hi quos necromantas Græcè appellamus, multa huiuscemodi solent excogitare. Quanta verò idololatrię cultus sæuitia fureret, quis ignorat, cùm in puluerem ac cinerem corporibus redactis, nonnulli magnopere contendant idololatriæ cultum restituere? Ne igitur omnia hæc mala, cæteráque huiuscemodi locum habeant, ac vt discamus non esse mentem in terrenis rebus retinendam, nostra ante oculos nostros corpora omnem fœtorem exhalantia tabescunt: sic qui nimium corporis formam admiratur, muliebri ardore perflagrans, si ratione deformitatem nostri corporis intelligere nollet, ipsis oculis cernere posset, cùm multæ pares atque æquales eius quam ardet, ditiores etiam plerunque, ac delicatiores morte præuentæ, post vnum vel alterum diem fœtida sanie fluentes, vermium materia factæ sunt. Qua ex re percipere debes, quali forma occupatus es, & quæ te peruertit cupiditas. Quòd si corruptionem corpora omnem effugerent, vnde id aliquis rectè perdisceret? Nónne quemadmodum ad sepulchra dæmones concurrere videntur, sic morbo cupidinis laborantes, sepulchris continuè affixi, dæmonum suas animas efficerent habitacula, atque in hoc fæuissimo insaniæ furore animam amitterent? Nunc verò ad hæc omnia id etiam animum cupientis consolatur, quoniam cùm nullibi veram desideratæ imaginem rei videre licet, in obliuionem facilè labitur: ego verò arbitror quòd nec sepulchra quidem essent, si corpora illæsa remanerent: vrbes quippe non statuis, sed mortuorum corporibus plenas videres, cùm singuli suos apud se retinerent. Qua ex re, magna quædam & detestanda fieret confusio: pauciſſimi animæ curam haberent, cùm plures nihil de immortalitate animi audire paterentur. Multa prætereo fœdiora, quæ silentio transeunda iudico. Ea ergo de causa confestim tabescunt, vt tu pulchritudinem animi nudam perspicere queas. nam si talem formam, & talem vitam anima corpori præbet, qua ipsa in se pulchritudine ac vita viuit? si corpus ita deforme ac fœtulentum ipsa continet & conseruat, quantò magis seipsam conseruabit? Nulla enim alia corporis nostri pulchritudo est, nisi staturæ compositio, & flos qui ab anima corpori conceditur. Animam ergo dilige tuam, quæ corpus tuum in pulchritudine ac in flore conseruat. Sed nescio cur dixi in morte quanta sit vis animæ, facilè videri, cùm in ipsa vita facilius hoc perspiciatur. Lætitia enim animus perfusus, roseo genas conspersit colore: dolore autem vexatus, omnem oris pulchritudinem statim deformauit: vnde qui assidua lætitia gaudent, in bonam corpora sua reducunt habitudinem: qui verò semper dolent, imbecilliora telis aranearum atque subtiliora reddiderunt. Ita perterritus animus, furibundum vultum efficit: tranquillitate autem stabilitus, iucundam constituit faciem. Si laborauit inuidia, tabidum pallorem per corpus effudit: honesto amore, ac moderato captus, formositatem corpori mirabilem largitus est. Qua ratione multæ deformes non paruam gratiam ab anima ad corpus traduxerunt, nonnullæ præcipuam corporis formam animi vitiositate corruperunt. Veniat in mentem tibi, quo modo candida facies interiore rubro pertincta, cùm pudoris affectus animam inuasit, varietate coloris suauissimam reddit faciem: sicut etiam contrà impudens animus quauis fera faciem exhibet ingratiorem. Nihil enim est formoso animo formosius, nihil iucundius: nam corpora quidem absque dolore amari non possunt, animi autem pura synceráque voluptate amantur. Cur igitur regem omittis animum, & ad præconem stupes? cur philosopho spreto interpretem nimia cupidine ardes? oculos perspexisti formosos, quære quo animo regantur: quem si turpem inueneris, oculos quoque despice. Nam si mulierem deformem specioso velamine adopertam conspiceres, nullo affectu moereris: sic è contrà pati non posses, vt specioſa & pulchra velamine tegeretur, sed eo detracto nudam ipsius formam velles intueri. Idipsum igitur in anima etiam facias, cui quasi velamen corporis pondus circumpositum est: quod quidem † vim sensitiuam omnino deponere non potest:] animus autem citò à deformitate ad pulchritudinem transibit, dum velit. Nam cùm deformem, asperum atque durum habuerit oculum, facilè potest eum in formosum, mitem, serenum, iucundúmque reformare. Animi ergo nostri pulchritudinem quæramus, oro, huius decore gloriemur, vt Deus qui hunc decorem concupiscit, æternam beatitudinem nobis largiatur, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi. Amen.

tale manet quale est.)

Arioli, & Necromantici, qui.

HOMILIA XXXVI. EX CAP. X.

NOLITE *arbitrari quia veni mittere pacem in terram: non veni mittere pacem, sed gladium.* Iterum difficiliora, magisque ardua, & quidem affatim atque copiosè proponit, quódque ipsi obiecturi erant, id prænuendo prædicit. Nam ne superioribus auditis in talem sermonem crumperent, idcirco ergo aduenisti, vt tam nos qui te secuti sumus, quàm eos qui sermonem nostrum non repudiabunt, interimas, ac orbem terrarum bellis & cædibus repleas? præuenit ipse, atque ait: Non veni pacem in terram mittere. Quo modo igitur ipsis præcipit, cùm ad susciepientium domos ingrederentur, pacem omnibus dicere? aut quo modo Angeli clamabant: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax? Quo modo etiam omnes pacem Prophetæ tempore ipsius futuram prænunciarunt? Quia videlicet præcipua, singularísque pax tunc præstatur, quando quod tabo vel sanie corruptum est, abscinditur atque proiicitur, quando factiosa & improba pars repellitur, aut omnino destruitur: sic certè cœlis terra coniungi potest. Nam & medicus hoc modo reliquum corpus conseruat facilè, si quod reduci ad sanitatem non potest, exciderit atque abiecerit: & militiæ dux ad soluendam militum conspirationem, alterum in alterum concitat. Sic in turre illa factum videmus, quando perniciosa illa pax per salutarem vocis dissonantiam dissoluta, tranquillam atque laudabilem pacem reddidit. Sic etiam Paulus eos qui aduersus se conspirabant, diuidebat, atque dissipabat. Tempore verò ipsius Naboth concordia illa quouis bello fuit atrocior. Nec enim semper concordia laudanda, cùm etiam latrones magna inter se concordia conspirare sciamus. Non igitur ex proposito Christi, sed ex mente, animóque hominum vitioso bellum erumpit. Nam ipse certè vellet, vt omnes vno consensu veram pietatem amplecterentur: verùm quoniam resistunt atque reluctantur, bellum prorumpit. Quod igitur ait, Non veni mittere pacem, ad illorum consolationem dicit. Nolite existimare harum rerum causam vos futuros. Ego sum, qui quoniam homines ad vitia infidelitatémque procliues sunt, hæc præparo. Non ergo quasi præter expectationem vestram quicquam acci-

Gen. 11.

Act. 9. & 23. 3. Reg. 22.

Universidad de Deusto Biblioteca

derit, turbatione aliqua moueamini, cùm ideo venerim, vt bellum committam. Hæc voluntas mea est, nulla vos inuadat turbatio, quasi bello, atque insidiis orbe terrarum ferociùs exagitato. Nam si hoc modo peiorem partem conciderimus, tunc pars melior cœlo copulabitur. His etiam verbis aduersus malam multorum existimationem ipsos fecit firmiores. Non autem dixit bellum, sed quod atrocius est, gladium. quòd si acerbius hæc, & minus compositè dicta tibi videantur, nequaquam mireris. Verborum enim asperitate aures ipsorum exercere voluit, ne in rerum ipsarum difficultate resilirent, atque etiam ne quis diceret verborum lenociniis allectos fuisse Apostolos, non iucundè rem asperam, sed asperrimè protulit: satius est enim lenitatem & mansuetudinem in rebus cernere quàm in verbis. Propterea nec ista sibi suffecerunt, sed latiùs naturam istius belli ac singulas partes amplificans, omni bello intestino atque ciuili multò magis pestiferum ostendit, dicens: *Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam.* Non enim ciues solùm, aut amici, sed affines atque cognati alter in alterum insurgent, & natura ipsa disseparata, nunc semetipsam impugnabit. Separare namque hominem veni aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam: ita non solùm inter domesticos bellum oriri prædicabat, verumetiam inter ipsos qui necessariis naturæ vinculis proximè colligati sunt: quæ res virtutem ipsius magnopere declarat. Magnum enim omnino, ac super hominem est, quod qui primi hæc audierint, libenter suscipere, & aliis persuadere potuerunt. Et quanquam non ipse, sed hominum improbitas horum omnium causa futura esset, se tamen facturum omnia dicit. Talis quippe scripturarum est consuetudo: [Ezec. 12. & Ioan. 9.] vt enim etiam alibi dicitur, Dedit ipsis Deus oculos ne videant: sic etiam in hoc loco, vt quemadmodum diximus, hæc omnia præmeditati atque his verbis stabiliti, cùm opprobriis & contumeliis peterentur, minus turbari possent. Si autem grauiora hæc cuipiam videantur, priscam historiam animo verset. Hoc enim ipsum & superioribus temporibus contigit: quod maximo argumento est, cognata esse vetera nouis, & eundem esse, [Exod. 32. Num. 25. Psal. 105.] qui hæc dicat, & illa imperauit. Iudæis enim tunc placatus est, cùm singuli proximos suos interemissent: sic etiam quando vitulum consecrarunt, & quando Beelphegor initiati sunt. Vbi ergo sunt, qui dicere audent, pestifer est ille Deus, hic propitius atque mitis? Ecce namque cognatis videmus sanguinibus orbem redundasse, & tamen magnam in hoc opere misericordiam ac mansuetudinem Dei fuisse asserimus. Quapropter vt ostendat seipsum esse, cui etiam illa grata fuerunt, prophetiæ mentionem fecit: quæ quamuis ad hoc propositum dicta non sit, hoc ipsum tamen signanter expressit. [Mich. 7.] Sed quænam hæc est prophetia? Inimici hominis domestici eius. Nam cùm pariter temporibus Iudæorum accideret, vt populus propter Prophetas & pseudoprophetas scinderetur, & domus diuiderentur, & istos alij, alij illos sequerentur, monebat populum Propheta, dicens: nolite credere amicis, nec sperare in ducibus. A coniuge quoque tua te custodias, nec quicquam ipsi committas. [Ibidem.] Inimici enim hominis sunt, qui in domo eius sunt. His verbis Propheta omnibus rebus superiorem facere conatur eum, qui dicta eius esset suscepturus. Nec enim mori, sed malè mori malum est: ideo dicebat, Ignem veni mittere in terram: quibus verbis vult significare magnitudinem ac ardorem charitatis quam flagitat. Nam quoniam ipse nos mirum in modum dilexit, ideo singulari à nobis quoque charita-

A te diligi desiderat. His quippe monitionibus Apostolos simul & muniebat, & sublimiores faciebat. Nam si à posterioribus vxores vnà & liberi & parentes propter me contemnentur: quales oportet vos esse, à quibus illi quasi magistris fidem suscipient? Nec enim hæc quæ prædixit dura & ardua vobiscum finem habebunt, sed in posteriores quoque transfundentur. Sicut enim summam vobis attuli beatitudinem, sic singularem obedientiam & affectionem à vobis postulo. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Vidisti præcipuam docentis authoritatem? intellexisti quo modo verum patris Dei filium se esse ostendit, cùm iubet omnibus rebus charitatem suam anteponere? Sed quid de amicis atque cognatis disputo, cùm etiam si animam tuam meæ charitati anteposueris, procul à discipulorum meorum numero, ait, te separaueris?

B Quid igitur, obiiciet quispiam, an hæc veteribus contraria non sunt? Nequaquam, immò verò & valde consona, omninóque coniuncta. Sic enim etiam non odio solùm, verumetiam lapidibus cultores idolorum persequendos iussit: & in Deuteronomio veritatis cultores [Deut. 33.] admirandos, ait: Qui dicit patri, aut matri, non vidi te, & fratres suos non cognouit, & filios ignorauit, is custodiuit eloquia tua. Si autem Paulus multa disputat de [Coloss. 3. & 1. Thessal. 5.] parentibus, summam eis obedientiam volens præberi, non admireris. In omnibus enim obtemperandum parentibus est, præterquam in his quæ pietati officiunt. Ita cùm sanctum sit omnem honorem parentibus afferre, cùm plus quàm oporteat, quærunt veritati reluctantes, resiliendum est: sic Lucas quoque scribit: [Luc. 14.] Si quis venit ad me, & non habet odio patrem suum, & matrem, & vxorem, & liberos, & fratres, & adhuc animam suam, non potest meus esse discipulus. Non simpliciter iussit te coniunctos tibi homines insequi: id

C enim iniquum omnino atque pestiferum est. Sed quando plus me petit aliquis diligi, odio ipsum habeas, ait. Hoc enim tam diligenti, quàm ei qui diligitur, perniciosissimum est: hac doctrina & credentes filios maioris animi fecit, & patres remissiores & leniores, ne ab amore Christi liberos deturbarent, faciebat, videntes tantas esse ipsius vires, vt facilè posset à parentibus filios eripere: quare ea tentare non debent, quæ ad finem deducere non possunt. Deinde ne molestè aut grauiter ferant fideles, animaduerte quò sermonem deducit: cùm enim dixerit, Qui non audit patrem & matrem: confestim intulit, & animam suam. Quid enim parentes, fratres, sorores, vxorem, pro me solum abiiciendos putas? Nihil est homini anima sua coniunctius, & tamen nisi hanc etiam oderis, non ea quæ diligenti, sed ea quæ odio habenti tibi retribuentur. Nec simpliciter odisse animam iubet, sed adeò, vt ad bellum, ad pugnas, ad cædem, ad sanguinem prodas. *Nam qui non portat*

D *crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Ita non ad mortem simpliciter paratos esse iubet, sed ad mortem etiam violentam: nec ad violentam solùm, verumetiam ad maximè omnium exprobrabilem. Nec tamen aliquid adhuc de sua passione disseruit, vt istis interea castigati, æquiori animo de passione ipsius verba facturum audiant. An non est dignum vehementer admirari atque stupere, quo modo anima à corpore illorum non euolauit, qui hæc audiebant, qui dura & tristia omnia iam sentire poterant, iucunda verò atque fœlicia spe sola consequebantur? Quomodo igitur non euolauit? Maxima erat ac ineffabilis virtus dicentis, atque audientium charitas non parua: hac de causa cùm grauiora multò & duriora quàm magni illi

viri Moses

viri Moses atque Hieremias perpessi fuerant audirent, ferebant æquo animo, immò persuasi nihil penitus obiecerunt. *Qui inuenit animam suam,* ait, *perdet eam: & qui perdet animam suam propter me, inueniet eam.* Perspicis quantam iacturam faciant qui animam suam plus quàm oporteat diligant? perspicis quam vtilitatem consequantur qui oderint? Nam cùm amarissima quædam illis atque ardua præciperet, cùm aduersus parentes, aduersus liberos, aduersus naturalem cognationem, contra vniuersum orbem terrarum, contra etiam ipsam animam pugnam indiceret, atque aciem esse instruendam, magnitudinem quoque vtilitatis ostendit. Non enim magna hæc atque aspera, quæ multis detestanda videntur, solummodo non obsunt, sed summam quoque afferunt vtilitatem: horum autem contraria sunt, quæ maximè obsunt: sic ab his quæ ipsi desiderant, quod sæpe facit, ipsis persuadet. Cur enim, ait, tuam despicere animam non vis? an quia ipsam amas? Ideo ego quia ipsam diligis, despice, vt summopere ipsi prosis, ac tum quæ sunt verè amantis demonstraueris. Animaduerte autem quo modo ineffabili prudentia hæc disposita sunt. Nam posteaquam de parentibus & liberis dixit, tunc ad animam opportunissimè transit: vt ab hoc vltimo illa priora minora anima videantur, ac etiam vt discant sic se parentibus maximè proficuos fore, quemadmodum animæ suæ rei omnium preciosissimæ prodesse possunt. Quæ omnia satis poterant homines ad suscipiendos Apostolos tanquam ipsis profuturos inducere. Quis enim tam generosos animos, tam fortes viros, qui ceu leones cursu orbem circumibant, qui cuncta spreuerant sua, vt alios saluos facerent, libenti ac prompto animo non susciperet? sed aliam quoque mercedem proponit, declarans non minorem sibi de suscipientibus hospitio curam esse, quàm de hospitio susceptis. Et primùm quidem maximum honorem præbet, cùm dicit: *Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Cui quidem rei quid vnquam æquale poterit inueniri? aut quid conferri omnino huic poterit? patrem enim ac filium vnà susceptos esse vides, promittit tamen etiam alteram retributionem non paruam. *Qui recipit,* ait, *Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.* In superioribus quidem non parua supplicia non suscipientibus minatus est: hic verò bonorum requie ac fœlicitate ipsos condonat. Et vt discas maiori se habere curæ suscipiẽtes, non dixit solum qui Prophetam aut iustum suscipit: sed adiecit, in nomine Prophetæ, & in nomine iusti: quod significat, ne alia quidem de causa sæculari, neque propter has caducas mortalésque res, sed solum quia Propheta sit, vel iustus sit, suscipiat: tunc enim Prophetæ vel iusti mercedem capiet, illam videlicet, quam decens est vt is capiat, qui Prophetam aut iustum recipit, vel certè qualem ipse Propheta aut iustus consequetur: quod & Paulus [2. Cor. 8.] dicebat: Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum. Deinde ne quis inopia se possit excusare, ait: *Quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, nequaquam perdet mercedem suam.* Etiamsi frigidæ aquæ calicem dabis, quam rem nullo impendio facillimè facies, erit tibi merces omnino reposita. Hæc enim vniuersa gratia eorum qui recipiunt. Animaduertis quot, quibúsque causis persuadet, & domos totius orbis Apostolis aperit, cum planè his omnibus significet vniuersos ipsis homines debitores futuros. Primum quia dixit, dignus est operarius cibo suo. Deinde quia nudos nihil habentes emisit. Tertiò, quia in bella & pugnas

A pro suscipientibus eos emisit. Quartò, quia mirabilibus atque inauditis signis eos illustrauit. Quintò, quia quod omnium bonorum causa, pacem ipsorum ore ad domos recipientium adducit. Sextò, quia grauiora non suscipientibus minatus supplicia, quàm Sodoma mereantur. Septimo, quia ipsum etiam cum Patre apud recipientes hospitari asseruit. Octauò, quia Prophetæ mercedem ac iusti futuram recipienti pollicetur. Nonò, quòd aquæ frigidæ calicem præbentes, non paruas sint retributiones habituri. Quorum vnumquodque per seipsum satis magnas vires ad attrahendum possidet. Quis enim militiæ ducem, quàm plurimis vulneribus sanguinolentum videns post multa trophæa à bello atque acie redeuntem, omnibus ianuis patefactis non libenter domum recipiat? Sed quísnam talis modò est, inquies, & recipiemus ipsum? Propterea discipuli, Prophetæ, ac iusti denique nomen adiecit, vt discas non ex dignitate recepti, sed ex vo-

B luntate recipientis mercedem omnem esse constitutam. Nam quod in hoc loco de Prophetis, discipulis, ac iustis dicit: id alibi de recipientibus abiectos ac minimos homines protulit. Inquantum enim, inquit, vni minimorum fecistis, mihi fecistis: & contrà rursus, si nulli horum, nec mihi. Nam etsi nihil habeat magni qui ad te refugit, homo tamen est, qui eundem quem tu terrarum orbem habitat, eiusdem radiis solis illustratur: immortalem sicut tu habet animam, eundem adorat conditorem, ad eandem mysteriorum communicationem crebrò accessit, ad eosdem vocatus est cœlos: & quod negligendum non est, iustè ideo petit, quia paupertate oppressus, necessariis eget viuendi alimentis. Nunc verò qui te à somno hyemis tempore tibiæ sonitu atque fistularum excitant: quanquam ea res plerunque tibi molesta sit, multis tamen onerati muneribus abeunt, histriones præstigiatorésque & qui fuligine obliti ne noscantur, turpia in o-

C mnes iaciunt scommata: & qui sagaciori versutia prodigia facere videntur, omnes harum rerum abs te non paruam mercedem accipiunt. Si autem mendicus ac pauper, ipsius etiam panis indigens te adierit, quibus tu non vteris maledictis, quæ crimina, quas contumelias, quæ conuitia, quas desidias non obiicies? cùm nec tecum ipse reputas, quanta etiam tu desidia vitam trahas, & tamen Deus multa tibi bona indies præbet. Nec volo mihi respondeas, nonnihil te quotidie facere. Sed illud mihi ostende, si earum rerum aliquid tractas ac facis quæ necessariæ sunt. Sin verò pecuniarum quæstus quasi diligentissimus caupo, & iugem quam de accumulandis opibus habes, curam mihi proponis: non verebor ipse tibi respondere, non esse opera hæc: quippe cùm illa mea sententia, & quidem certè, magnáque opera sint, misericordia erga pauperes, oratio iugis, eorúmque protectio qui maioris alicuius iniuria vexantur, cæteráque huius-

D modi. Quæ omnia nullum apud nos habent locum, sed in maxima desidia, otióque viuimus semper, nec tamen nobis vnquam à Deo dictum est, Otiosus es atque deses. Nolo ergo tibi solem accendere, nihil quod sit necessarium operaris, lunam ergo tibi extinguo, in sterilitatem gremium vertam terrarum, retinebo stagna, fontes recondam, flumina exiccabo, aërem in nihilum redigam, pluuias retrudam: sed omnia nobis affatim atque copiosè proponit. Quid quòd multis non solum otio corruptis, verumetiam non parua peccatorum illuuie mersis, eorum omnium quæ diximus, vsum præstet? quare cùm inopem videris, nulla dedignatione mouearis, si iuuenis, atque saluus abs te alimenta petat, ne siquidem sicut

Universidad de Deusto
Biblioteca

seruus sit fugitiuus: sed ea quæ diximus, tecum versa, A immò verò illi ad hæc dicenda libertatem concede, & clamabit ad te iustus magna se turbari dedignatione: quoniam cùm sanus fœlíxque iudicio tuo sis, nihil eorum agas quæ à Deo nobis mandata sunt: sed quasi seruus à communi omnium Domino arrepta fuga, in alienis, id est, in omni vitio versaris, temulentia, furto, rapina, cæterísque vitiis inquinatus aliorum domos subuertis. Deinde audes otium cæteris obiicere, qui tot delicta tibi non obiicis, non insidias, non periuria, non mendacia, non latrocinia, non alia mille tua huiusce modi facinora & flagitia recordaris. Hæc autem dico, non quia velim legem pro otiosis condere, (absit) sed quia valde desidero bonis vos esse operibus occupatos. Omnium enim vitiorum quasi magistra quædam atque origo est otiositas. Itaque oro vos atque obsecro, ne misericordiam contemnatis, ne duri & illiberales sitis. Nam & Paulus cùm multùm conquestus fue-
1.Thess.3. rat, dicens: Si quis operari non vult, non comedat: non B facit hic finem, sed ad hæc addidit, Bonum facientes, non deficiatis: quæ certè contraria esse videntur. Nam si iussisti ne comedamus, quo modo aliis dare otiosis mones? Itaque, inquit, iussi: remouere enim volens vos ab illis, & non conuersari cum illis: ac rursus monui ne inimicos eos putetis, sed continuò ac diligenter admoneatis, non discrepantia, sed consona nimium atque conuenientia ad vnius legis seriem deducens. Nam si ad misericordiam ambos procliues faciam, citò & ille ab otio, & tu à mente illiberali recedes. Sed multa, inquies, mendacia, multas fabulas pauperes fingunt. Ego verò hac etiam de causa maiori misericordia moueor, cùm in eam necessitatem incidisse homines videam, vt impudentissimè mendaciis viuere cogantur: quorum nos non modò non miseret, sed verbis etiam asperis eos laceramus: non accepistis dicentes semel iam, atque bis? An ergo cibo rursus non indigent, quia semel atque bis acceperunt? Cur non C tuo quoque ventri eandem legem imponis? Cur ad eum non dicis, repletus hesterno die, atque nudiustertius fuisti, quid amplius quæris? Sed ventrem quidem tuum etiam vltra mensuram replendo disrumpis, à paupere autem modica petente faciem auertis, cuius vel hac de causa misereri debes, quoniam quotidie te adire non parua premitur necessitate. Nam si nulla esset alia ratio, quæ ad misericordiam flecteret: propterea tamen misericors erga pauperem esse deberes, quoniam necessitate coactus ad te venit. Tu verò non modò benigno animo non es, quoniam illum ad eam impudentiam ipsa penuriæ coëgerit necessitas: nec solùm te illius non miseret, verumetiam paupertatem multis præsentibus exprobras. Cúmque Deus iubeat occultè, atque in abdito præbere: audes tu publicè pauperem afficere opprobriis, qui à te misericordia esset subleuandus. Dare misericorditer non vis? Quid igitur criminaris? quid tribulas calamitosam atque miseram D animam? refugit ille ad manus tuas ceu in tranquillum portum. Cur tu omnem fluctuum vim in illum concitas, & maiores in ipsum excitas procellas? Cur miseriæ ipsum condemnas? Credis, quia si talia se putasset abs te percipere, venisset ad te? Quòd si talia se auditurum abs te putauit, & tamen venit? multò magis tamen eius te misereri oportuit, téque de tua crudelitate pertimescere, qui cùm ita inuictam necessitatem imminere illi videas, mitior factus non es, nec opinaris satis ipsi esse ad excusationem impudentiæ ingentes famis vires: sed impudentiam ei obiicis, qui maioribus in rebus impudentissimus sæpe fuisti. Quippe pauperum impudentiæ venia iure conceditur. Nos autem plerunque tanta impudentia feruemus, vt non modò veniam non mereamur, verumetiam acerbis supplicijs simus puniendi. Hæc quæso ita in memoria teneamus, vt humiliores facti non irrideamus miseros, nec vulneremus eos qui remedium à nobis quærunt. Nam si præbere non vis, cur cædis? Non est tibi animus latgiendi, quid contumeliaris? Sed non vult aliter abire, inquies. Sic ergo fac quemadmodum vir ille sapi- Eccles. 4.
ens iussit: pacificè ac mansuetè pauperi respondeto. qui certè inuitus ita impudens est: non enim est omnino, non est (inquam) homo qui non inuitus impudentiæ crimine velit confundi. Nam si etiam mille quispiam afferat rationes, quibus oppositum probare contendat: nunquam tamen mihi persuadere poterit, eum qui victum facilè habeat, malle se ab aliis turpiter mendicare, quàm honestissimè suis vesci. Nemo ergo vos falsis rationibus decipiat. Si autem Paulus 2.Thess.3.
scripsit, Si quis operari non velit, non manducet: pau-
peribus non diuitibus scripsit. Nam potentibus qui- Ibidem.
dem contrarium dicit: bonum facientes non deficiatis. Etenim quemadmodum nos sæpe domi facimus, qui quando viderimus duos amicos, alterum in alterum acerbè insurgere, seorsum alterum deducentes, vtrumque admonendo culpamus: sic non Moses solùm, Exod.32.
verumetiam ipse Deus fecit. Nam Moses quidem ad Deum dicebat: Nisi dimittis ipsis peccatum, me quoque vnà cum ipsis deleas. Ipsos autem iussit seuerissimè puniri, cognatósque à cognatis interimi. Quæ quamuis opposita videantur, ad vnum tamen finem concurrebant. Deus autem ad Mosem quidem Iudæis audien-
tibus dicebat: Dimitte me, & conteram populum Ibid.32.
hunc. Nam etsi tunc non aderant Iudæi, quando hæc Deus Mosi dicebat, postea tamen hæc audituri erant: seorsum autem, atque priuatim contraria his Mosi committit: vnde Moses coactus exclamabat, dicens: Nunquid ego ipsos in vtero concepi, quia dicis mihi, Num. 11.
Leua eos, sicut leuat nutrix lactentem, in sinum suum? Similia in magnis familiis quoque fiunt. Nam crebrò paterfamilias pædagogum seorsum increpat, dicens: Nimium es acerbus in adolescentulum, atque durus. Adolescentem autem, quasi iure cæsum criminatur. Sic à contrariis eandem vtilitatem educandi honestè filij colligit. Pariter igitur Paulus quoque sanis quidem, 2.Thess.3.
ac inopibus scribit, vt ad operandum eos excitet: Si quis nolit operari, non comedat: his autem qui possunt liberalitate vti, non sic, sed aliter scribit, Bonum faci- Rom.12.
entes non deficiatis: vt eos ad benignè dandum impellat. Eodem quoque modo in epistola ad Romanos his qui à gentibus erant, consuluit, ne ceruices in Iudæos extollant, & oleastri similitudinem adduxit in medium, ita vt alia his, alia illis dicere videatur. Non ergo in crudelitatem incidamus, sed pareamus Paulo dicenti: Bonum facientes non deficiatis. Audiamus etiam Do- Luc.6.
minum, qui iubet omni petenti dare, & alibi ait, Estote misericordes, sicut & Pater vester. Ita cùm pleraque alia dixit, de nullo id præterquam de misericordia dixit, Sitis misericordes sicut Pater vester. Nihil enim certè nos vsque ad similitudinem Dei sic effert atque extollit, quemadmodum libera, benefica & copiosa collatio. Sed nihil est impudentius paupere, ais. Cur quæso? Quoniam huc atque illuc percurrens aduersus omnes inuehitur, atque obtrectat. Vis ergo vt facilè tibi ostendam multò impudentiores molestióréque nos illis esse? Veniat tibi (oro) in mentem quoties ieiunij tempore mensa vesperi apposita, si minister vocatus tardiusculè accesserit, omnia euertisti contumeliando, calcitrando, atrociter miserum ministrum verbis ac pugnis mulctasti, quæ omnia parua mora incitatus

citatus feciſti, cùm tamen certior eſſes paulò pòſt vari- A vltrò intelliges quàm atrox facinus commiſiſti. Nam
is poſſe ventrem tuum cibariis explere. Deinde non ſi famulus tuus ad alium famulum ſimiliter tuum ar-
vocas teipſum, qui nulla de cauſa vel certè minima in gentum repetiturus, quod illi dederis, iuſſu tuo pro-
beſtiarum ferocitatem excidiſti, impudentem atque fectus ſit, nec inde ſolum vacuis manibus, verumetiam
importunum: pauperem verò qui magno pondere omni conuitio, atque contumelia pulſus redierit: dic,
premitur, qui non moram edendi, ſed famem perhor- quo ſupplicio famulum tuum punires, cùm teipſum ab
reſcit, importunum atque impudentem, cæteriſque eo contemptum atque ſpretum cenſeres? pauper ergo
conuiciis audes petere. Et quo modo, dic mihi, non de Deo etiam cogita. Ipſe enim eſt qui ad nos pau-
maximæ impudentiæ hoc eſt? ſed hæc ne cogitare qui- peres mittit, nec noſtra, ſed Dei damus, ſi quicquam de-
dem volumus, ac ideo moleſtos eſſe illos arbitramur. derimus. quòd ſi non dederimus, verumetiam iniuria
Nam ſi noſtra quoque diligentiùs examinaremus, & laceſſitos repulerimus, ipſe tecum animo volue, qui-
cum factis eorum iuſtiùs conferremus, non putaremus bus ſuppliciis, quo fulmine rem dignam egerimus.
illos eſſe importunos. noli igitur iudex eſſe acerbus. Hæc omnia (quæſo) cogitantes, & linguam domitam
Nam etſi ab omni delicto liber eſſes, nec tamen etiam quaſi fræno teneatis, & omnem illiberalitatem eiicia-
ſic lex diuina tibi commiſit temeraria curioſitate alio- tis, manúſque veſtras ad miſericordiæ munera porriga-
Luc.18. rum crimina rimari. Nam ſi Phariſæus hac de cauſa ſe- tis. Nec pecuniis ſolum & rebus noſtris, verumetiam
ipſum perdidit, quàm nos excuſationem inuenimus? ſi ſuauitate ſermonis conſolemur pauperes: hoc enim
rectè viuentes non patitur aliorum crimina indagare, modo tam æterna, quæ contumelioſis hominibus im-
quantò minus peccatores patietur. Nolite igitur duras B pendentur, ſupplicia fugiemus, quàm beatiſſima illa re-
atque inexorabiles pauperibus aures præbere. Nolite gna, quæ miſericordibus & benignis conferentur, adi-
ferarum immanitatem ſuperare. Non enim ſum neſci- piſcemur, gratia & miſericordia Domini noſtri Ieſu
us, ad tantam crudelitatem nonnullos deueniſſe, vt ex Chriſti. Amen.

HOMILIA XXXVII. EX CAP. XI.

*ET factum eſt cùm conſummaſſet Ieſus præcipi-
ens duodecim diſcipulis ſuis, tranſiit inde vt do-
ceret & prædicaret in ciuitatibus eorum.* Cùm
Apoſtolos Dominus miſiſſet, tùc ſeipſum
data opera ſubtraxit ab ipſis, vt opportu-
nitatem, occaſionémque haberent mandata efficere.
Nemo enim profectò præſente magiſtro, morbúmque
omnem repellente, diſcipulos adire voluiſſet. *Cùm au-
tem audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti, mittens duos
de diſcipulis ſuis, interrogabat eum, dicens: Tu es qui ventu-
rus es, an alium expectamus?* Lucas autem dicit ipſos Io- Luc.7.
annis diſcipulos ſigna Ieſu ad Ioannem detuliſſe, ac
tum demum ad Ieſum miſſos fuiſſe: quod tamen nul-
lam prorſus habet ambiguitatem, ſed altiorem quan-
dam ſolùm conſiderationem. Hinc etenim etiam
quàm acerbo inuidiæ flagrarent ardore, occultiùs ſub-
oſtenditur. Quod autem ſequitur, ambiguum valde
perplexúmque eſſe videtur. Quid enim ſibi voluit illa
interrogatione, Tu es qui venturus es, an alium expe-
ctamus? Quo modo enim qui vel antea quàm ſigna Ie-
ſus feciſſet, ipſum cognouit, qui à Spiritu hæc didice-
rat, qui à Patre ipſo audierat, qui coram omnibus ip-
ſum eſſe agnum Dei prædicauerat: quo modo (in-
quam) interrogatum nunc mittit, vtrum ipſe, an alius
venturus ſit? Nam ſi dubitas an ipſe ſit Chriſtus, quo
modo tibi fidem habendam putas, ſi de rebus ignotis
enuncies & aſſeueres? Summæ namque fidei dignita-
tem oportet eum habere, qui teſtimonij ſui pondere
tantam rem ſit approbaturus: an non es tu qui dicebas,
Non ſum ſufficiens corrigiam calciamenti eius ſolue- Luc.3. &
re? qui dicebas: quoniam non noueram ipſum, ſed ille Ioan.1.
qui miſit me baptizare in aqua, ille dixit: Super quem
videris deſcendentem Spiritum, & permanentem in i-
pſo, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto? An nõ vidiſti
Spiritum in ſpecie columbę? Non audiſti vocem? Nónne tu prohibebas ipſum, dicens: Mihi eſt opus à te ba- Matth.3.
ptizari? Nónne diſcipulis quoque tuis dicebas, illum o-
portet creſcere, me autem minui? Nónne vniuerſę præ- Ioan.3.
dicabas plebi ipſum eſſe, qui baptizabat in Spiritu ſan-
cto, & igne: & quòd ipſe eſt agnus Dei, qui tollit pecca- Matth.3.
ta mundi? Hæc certè tu omnia, antequam ille ſignorum Ioan.1.
miraculis coruſcaret, magna voce prædicaſti. Quo
modo ergo nunc, quando iam omnibus ipſius virtus
manifeſtior eſt, quando per totam Palæſtinam cele-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bertima eius fama præfulget, quando mortui ab eo excitati sunt, dæmones depulsi, multáque alia perlucent miracula, tunc mittis, ac interrogas ipsum? Quidnam hoc est? an per fraudem illa priora quasi longas fabulas confinxisti? Et quis mentis compos talia fecisset? Luc. 1. Non dico de Ioanne, qui exultauit in vtero, qui priusquam nasceretur, Christum prædicauit, qui eremum habitauit, qui angelicam viuendi perfectionem in corpore adhibuit: sed de quouis homine non insano? Nam si etiam abiectissimum quendam dicas, certè tamen post tot tantáque tam sua quàm aliorum testimonia nullo modo dubitasset. Ex his omnibus apertissimè patet non ambigentem, nec vlla ignorantia ductum mississe qui quærerent. Sed nec illud dicere quisquam poterit, sciuisse quidem ipsum, terrore autem carceris ac vinculorum timidiorem fuisse. Num deliberationē sibi hæc interrogatio affert, nec si etiam hāc speraſſet, quicquam aduersus veritatem simulasset vir ille, qui pietatis gratia vel mille mortes obiisset? Nam nisi excelso robore animi atque inuicto fuisset, nunquam profectò ad vniuersum Iudaicum populum iam diu exercitatum effusione prophetici sanguinis tam forti extitisset. Nunquam ferocissimum illum tyrannum tanta libertate dicendi sic redarguisset, vt in media vrbe, ac foro, cunctis audientibus, tanquam infantem, aut adulescentulum increpasset. Quòd si timidiorem quispiam suspicatur factum fuisse, quo modo discipulos suos non fuerit veritus, quibus audientibus tot tantáque de Iesu attestatus fuit: sed eos interrogatum misit, cùm alios mittere potuisset, quamuis non ignoraret inuidia quadam illos in Christum commoueri, & ansas reprehendendi semper quęsisse. Quo modo autem plebis etiam eum Iudaicæ non puduit, cui multa de Christo, ac magnifica prædicauerit? Quid autem ipsi ad effugienda vincula & carceres hoc profuisset, qui nec Christi causa vinctus fuerit, nec quia diuinam virtutem Christi prædicauerit: verum quia illegitima Herodis coniugia accusauit? Patet igitur non dubitasse Ioannem ea de re, de qua non nisi infans, aut mente captus dubitasset. Imò ea de re nec vulgaris aliquis homo aut stupidus, vt ex prædictis patet, dubitare potuisset: tantum abest vt de Ioanne istud suspicari possimus. Quare oportet responsum adinuenire, cuius nam rei gratia interrogatum Ioannes misit. Alieniores erant à Christo discipuli eius, & inuidiæ cuiusdam stimulis semper agitabantur, magistrum suum pluris esse cupientes, quæ res maximè verbis ipsorum comprobatur. Dicebant ad Ioannem: qui tecum erat trans Iordanem, cui & testimonium perhibuisti, ecce is baptizat, & omnes ad eum veniunt. ac rursus de mundatione facta est quæstio inter Ioannis discipulos, & Iudæos: præterea Iesum aggredientes dicebant,
Matth. 9. Cur nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? Nam cùm nihil adhuc altius, ac super hominem de Christo cogitarent: Ioannem autem plus quàm hominem arbitrarentur, non poterant æquo animo ferre, crescere indies Iesum videntes, Ioannem verò quemadmodum ipse dixerat, quotidie minoris æstimari: quæ quidem inuidia impediebat ac viam intercludebat ne ad Christum accederent: ad quod Ioannes donec cum ipsis erat, tam precibus, quàm rationibus hortabatur. Verùm cùm non persuaserit, mortem autem propinquam fore videret, timens ne pernicioſæ materiam opinionis relinqueret, si maiorem se Christo putantes discipuli nullo pacto illi coniungerentur, hoc modo Christo ipsos offerre curauit. Nam si apertè ipsis consuluisset vt Christo tanquam meliori adhærerent, nullo pacto ei credidissent: vt qui ab ipso distrahi nollent: sed præcipua Ioannis modestia id dictum putantes, magis ipsum colerent, silentio autem tantam rem pertransire non potuit. Quid igitur facit? vt ab illis ipsis quanta miraculorum splenderet gloria Christus, posset audire, non omnes, sed duos, quos forsan faciliores ad credendum cæteris putabat, & qui simpliciter absque suspicione interrogare possent, ac rebus ipsis discere quantum interest inter Ioannem & Iesum, mittere studuit. Ite igitur (inquit) atque ab eo quærite, tu es Christus, an alium expectamus? Iesus autem qui mentem Ioannis non ignorabat, non dicit: Respondete Ioanni, quia ego sum: sed quamuis ad interrogationem consequens erat, tamen quoniam poterat turbare auditores, vt ab ipsis rebus possent quod quærebant perdiscere, sedulò facit. Scribitur enim multos ipsum tunc curasse cùm aduenissent, & certè non erat consequens cùm interrogatus esset, túne Christus es, ad quæsitum quidem nihil respondisse, sed confestim multos ægrotantes curasse, nisi hoc facere voluisset quod diximus: cùm nemo ignoret, testimonium quòd à rebus trahitur, certius esse quàm verborum, & absque vlla suspicione. Quia ergo sicut Deus qua mente misisset Ioannes, non erat nescius: cæcos, claudos, aliisque morbis plurimis laborantes illicò curauit. Non vt Ioannes hæc disceret: non indigebat enim his ille qui credebat: sed vt discipulos eius ambigentes attraheret, ideo post curationem multorum, ait ad eos: *Ite & renunciate Ioanni quæ auditis & videtis: cæci respiciunt, claudi rectè ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.* Quibus adiecit, *& beatus est qui non scandalizatur in me.* Ex quo illis ostendit, non esse sibi occultas cogitationes eorum. Quòd si respondisset, ego sum: & offendisset nempe ipsos responsum hoc, & dixissent, aut certè cogitassent, quod Iudæi crebrò solent dicere, tu de teipso testimonium perhibes: idcirco non ita dicit, sed signis ipsos ad fidem adducit, vt & omni suspicione doctrina eius careat, & dilucidior sit. Quapropter occultè ipsos arguendo momordit. Nam cùm illi scandalum propter ipsum paterentur, passionem mentis eorum ita detexit, vt nullus huius rei testis esse posset, sed conscientiæ ipsorum, qui sibiipsis conscij erant, res tota relicta sit, quantum in ipso scandalum paterentur, ac ideo attraxit eos, dicens: Beatus est qui non scandalizatur in me: illos enim notans ista dicebat. Verùm vt veritas vndique collucescat, illa etiam quæ ab aliis hoc in loco dicuntur, in medium protrahamus, vt ex illorum comparatione veritas manifestior reddatur. Negant igitur nōnulli, ea de causa quæ iam dicta est ad interrogandum misisse Ioannem, sed quia ignorabat: ignorabat autem, aiunt, non totum mysterium, sed ipsum quidem esse Christum non ambigebat: vtrum verò † ab] hominibus morti traderetur, an non, id pro) dubitabat: propterea etiam interrogabat, dicens: túne es ille qui venturus est? id est, túne ipse ad inferos descendes? sed nulla prorsus hic sermo ratione comprobari potest. Non enim ignorabat hoc Ioannes, Ioan. 1. qui hoc ante alios maximè prædicauit. Ecce namque, inquit, agnus Dei qui tollit peccata mundi. Agnum quippe vocauit, qui in crucis patibulo suspendendum sciebat. Cùm etiam dixerit, qui tollit peccata mundi, idipsum significauit. Non enim alia, quàm per crucem, via peccatum mundi abstulit, vt Paulus et- Coloss. 2. iam declarat, dicens: Quod aduersus nos erat chirographum de medio abstulit, cruci ipsum affigens. Quando autem dicebat, hic est qui vos in Spiritu baptizabit, Ioan. 1. ea quæ post resurrectionem futura erant prædixit. Sed resurrecturum quidem ipsum & Spiritum daturum,

daturum, inquiunt, sanctum, non ignorabat, sed cruci affigendum nesciebat. Quo modo igitur resurgere poterat, nisi passus crucifixúsque fuisset? Quomodo autem maior Prophetis Ioannes, qui vel ipsa quæ Prophetæ
Matth. 11. & Luc. 7. dixerunt, nesciebat? Quòd verò maior erat quàm Propheta, ipse Christus attestatus est. Quòd autem Prophetæ passionem Christi præuiderunt, nemo vnquam
Esa. 53. inficiabitur. Esaias enim clamat: Sicut ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se, obmutescet. Et ante hoc testimonium, dicit: Erit radix
Esa. 11. Iesse, & qui exurget principari gentibus: in ipso gentes sperabunt. Passionem deinde significans passionísque gloriam adiecit: Et erit * requies eius honor. Nec
sic dicit secūdùm lxx. alia autem versio habet, Et erit sepulchrū eius gloriosum. solùm quòd crucifigetur, Esaias prædixit: verumetiam cum quibus crucifigetur. Reputatus est enim, inquit, cum iniquis: neque id solùm, sed etiam quòd nulla se defensione liberabit: hic namque, ait, non aperiet os suum. Iniquitatem enim condemnantium significat, cùm dicit: In humilitate eius iudicium ipsius sublatum B
Psal. 2. Esa. 53. est. Sed Dauid quoque ante Esaiam totum prædixit, & iudicium simul descripsit. Quare, inquit, fremuerunt
Ibidem. gentes, & populi meditati sunt inania? Adstiterunt reges terræ, & principes congregati sunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Alibi autem
Psal. 21. modum quoque ipsum crucifigendi expressit, dicens:
Ibidem. Foderunt manus meas, & pedes meos. & ipsa quæ milites facere ausi sunt, exquisitissimè expressit. Partiti
Psal. 68. sunt, inquit, vestimenta mea, & in vestem meam miserunt sortem. Nec de aceto siluit, quod Christo allatum in cruce est. Dederunt, inquit, in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Deinde Prophetæ quidem ante multos annos iudicium & condemnationem crucifigendorum cum ipso, vestimentorum distributionem, vestis sortem, aliáque huiusmodi plura præscierunt: nec enim nunc omnia dicere necesse est, ne prolixa nobis nimium fiat oratio. Hic verò qui maior illis omnibus fuerat, etiam hæc ab aliis prædicta ignorabat? Quónam rationis colore hic sermo sustentari poterit? Aut cur illo modo non interrogauit Ioannes, tu es qui ad inferos venturus es, sed simpliciter, tu es venturus? Multo autem illud ridiculosius est: asserunt enim ideo à Ioanne quæsitum fuisse, vt cùm ad inferos deuenisset, ibi quoque prædicaret: aduersus
1. ad Cor. 14. quos non erit absque re ita dicere, Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote. præsens enim hæc vita rectè viuendi occasionem & opportunitatem habet: postquam verò diem tuum obieris, iudi-
Psal. 6. cium & pœna consequitur. In inferno enim, Psalmista dicit, quis confitebitur tibi? Quo modo igitur æneæ portæ confractæ sunt, & vectes ferrei contriti? Per corpus eius: tunc enim primò immortale corpus hominis apparuit, quod etiam mortis ipsius tyrannicam dissoluit potestatem, omnibúsque ostendit vires mortis iam esse destructas, non eorum qui ante ipsum mortui fue-
Matt. 11. rant peccata dissoluta. Quod si ita non est, sed omnes D ab initio defunctos à gehenna liberauit: quo modo ipse, inquit, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum? Quod certè significat puniendos quidem illos omnino, quamuis remissius. Nam si hac quoque in vita pœnas dederunt, non tamen idcirco punitionem in vita illa effugerunt. Quòd si illi qui tam grauiter hîc puniti sunt, ibi quoque puniuntur, quantò magis qui nullum hîc perpessi sunt supplicium? Sed magna, inquies, iniuria illis hac ratione fit, qui ante aduentum Christi naturæ concesserunt. Minimè, inquam: poterant enim homines tunc, etiam ipsum non confessi, saluari. Non enim Christi, qui nondum venerat, ab illis cultus petebatur, sed vt idolorum cultu spreto, vnum

solum Deum conditorem omnium noscerent. Dominus enim, inquit, Deus tuus, Dominus vnus est: idcirco
Deut. 6. Vide Iosephum, & 1. Macchabæorum 1. Macchabæi admirationi sunt, qui ne legem traderent, mori maluerunt. Valde admiramur pueros quoque illos, alióque complures apud Iudæos, qui bene & optimè vixerunt, & hanc cognitionis mensuram inuiolatam conseruarunt, à quibus nil aliud amplius petitū est. Tunc enim, vt diximus, sufficiebat vnum solum Deum nosse. Nunc autem non ita est, sed necessaria est ad salutem Christi cognitio: propterea dicebat, Si non veniIoan. 15. sem, & locutus ei non fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Pariter etiam maiora in viuendi disciplina petuntur à nobis. Nam illis temporibus cædis perpetratio homiExod. 21. cidam perdebat, nunc verò etiam irasci satis est vt pereas. Et tunc quidem alienæ vxori commisceri, atque adulterari, supplicium afferebat: nunc autem etiam incontinéter oculis cernere, punitionem non fugit. Nam sicut cognitio ad perfectius atque sublimius peruenit, sic certè disciplina quoque viuēdi ad melius nunc progressa est. Non igitur præcursore apud inferos opus erat. Præterea si post mortem infideles reduci ad fidem possunt, atque saluari: nullus vnquam peribit. Poterunt enim homines tunc pœnitentiam agere, & Christum adorare, quod Paulus testatur, dicens: Omnis lingua Philip. 2. confitebitur, & omne genu flectetur, cœlestium, terrestrium & inferorum. & iterum: Vltima inimica de1. Cor. 15. struetur mors. Sed nullam vtilitatem ex ista subiectione consequentur. Non enim voluntatis gratæ ac bonæ opus erit, sed rerum ipsarum (vt ita dicam) necessitatis. Fugiamus ergo tales opiniones: fabulas certè aniles, atque Iudaicas. ipsum audiamus Paulum de his differentem. Quicunque enim, ait, sine lege peccaRom. 2. runt, sine lege etiam peribunt: quod de his qui ante legem fuerunt, protulit. Et quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur: id iam de his qui post Mosem fuerunt, omnibus dicit. Et quoniam reuelatur ira Dei de cœlo in omnem impietatem & iniustitiam hominum, furor, & ira, & tribulatio, & angustia, in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm atque Græci. Et certè mille afflictiones, vt historiæ externæ demonstrant, & scripturæ quoque nostræ, gentes in hac vita passæ sunt. Quis enim narrare poterit exquisitè, quæcunque Babylonij passi mala omni tragœdia digna? Aut quis Ægyptiorum exponet calamitates? Quòd autem qui ante Christum obierunt, ac ideo ipsum non cognouerunt, si idolorum cultu recesserunt, ac Deum solum adorarunt, si præterea honestè vitam peregerunt, æterna bona & beatitudinem adipiscentur, audi quid dicat Paulus, Gloria autem Rom. 2. & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Gentili. Vides apertè retributiones bonorum istis repositas, contrà supplicia & pœnas illis qui opposita effecerunt. Vbi ergo, vbi sunt (inquam) qui gehennam fore non credunt? Nam si qui ante aduentum Christi vixerunt, qui nunquam gehennæ aut resurrectionis nomen audierunt, qui hac in vita graues pœnas dederunt, etiam ibi puniuntur: quid de nobis erit, qui tam sublimis philosophiæ præceptis educati sumus? Sed quænam ratio persuadebit, inquies, eos qui nunquam aliquid de gehenna perceperunt, ad ipsam esse venturos? Poterunt enim facilè seipsos excusare ac dicere, Si gehennam nobis minatus fuisses, metu perterriti, modestiùs vitam egissemus. Sanè quidem: non enim vt nunc viuimus, qui quotidie de gehenna verba facientes audimus, nec tamen vllo modo attendimus. Sed præter hæc illud quoque dicere licet, quòd si quis vitæ suppliciis non corrigitur, eum multò minus

Universidad de Deusto
Biblioteca

futuris punitionibus emendatè victurum. Rudiores A enim homines & crassiores præsentia magis quàm futura mala perhorrescunt. Sed cur, inquit, cùm maiore formidine nos à malè agendo deterreamur, non iniuria illis facta est, qui tanto timore castigati non sunt? Nequaquam: primum quidem non iidem labores nobis, atque illis propositi sunt, sed multò maiores nobis. Qui autem maiore onere laboris premuntur, eis maiore patrocinio opus est. Non est autem paruum patrocinium atque tutela, formidinis incrementum. Quòd si nos illis potiores sumus, quia futura non ignoramus, in hoc etiam illi nos superant, quoniam vehementius, ac ferè confestim puniebantur. Sed aduersus hæc nonnulli dicunt: Et quomodo iustus est Deus, si quis cùm hîc peccarit, hîc atque ibi puniatur? Vultis igitur in memoriam eius rationis vos redigam, quam in ore habere soletis, vt nullum nobis afferatis laborem, cùm satisfactionem à vobis ipsis habeatis. Multos vestrum ego sæpe audiui, cùm latro, aut fur, pœnas dederit, ex dedignatione huiusmodi verba dicere: Mille cædes sceleстus ille, mille furta commisit, & vnica solùm morte morietur? Vbi ergo iustitia? Vosipsi ergo confitemini non satisfeciſſe ad iustitiam, quòd vnica morte ille mulctatus est. Cur igitur nunc contraria sententia iudicatis? quia videlicet vobisipsis, non aliis modò iudices estis. Impeditur certè qui seipsum nimium amat, ne possit quod iustum sit prospicere. Propterea quandoquidem de aliis iudicamus, diligenter omnia perscrutamur: quando verò de nobisipsis sententiam laturi sumus, tenebris obducti parum intelligimus. Nam si tam acri cura nostra examinaremus, quemadmodum aliorum, syncera integráque sententia iudicaremus. Sunt enim & nobis certè peccata non duabus aut tribus, sed mille dignissima mortibus. Et vt alia prætermittam, recordemur quoties indignè corpus Christi susceрimus, cùm non ignoremus huiusmodi homines corporis at-
1.Cor.11. que sanguinis Christi reos esse. Ita cùm de homicida C quicquam dicis: tuipsius veniat in mentem. Et considera illum quidem hominem interfeciſſe, te autem cædis dominicæ reum esse. Et illum quidem tantorum participationem mysteriorum non habuisse, nos autem ad sanctissimam mensam sæpius accessisse. Quid de his dicam, qui proximos assiduè mordent, atque deuorant, magnum illis venenum immittentes? aut de his qui cibum inopum rapiunt? Nam si qui retinet, nec præbet pauperi de suo, quasi cibum eripiat ab eo, peccare videtur: quàm multis latronibus peiores hi sunt, qui auaritia inducti per fraudem aliena retinent? quàm multis homicidis aut sepulchrorum effossoribus his qui rapiunt, fœdiores? Quot autem inueniuntur qui spoliis hominum non satiati, sanguinem eorum etiam concupiscunt? Minimè, minimè, inquies. Nunc quidem minimè dicis, sed vellem tunc potius diceres, quando inimicum tuum persequeris: tunc (quæso) hæc verba memoria habeas, vt cùm exquisitè vixeris, D Sodomorum supplicia fugias. Ne Gomorrhæ mala in te veniant, ne Tyriorum afflictiones Sidoniorúmque patiaris, vel potius ne Christum malè viuendo offendas: quod mihi cæteris omnibus magis pertimescendum videtur. Nam etsi multi gehennam omnium malorum supremum atque vltimum putant: ego tamen sic censeo, sic assiduè prædicabo, multò acerbius esse Christum offendere, quàm gehennæ malis vexari. Hortor vos, atque oro, vt mecum hac in re sentire velitis. Hoc enim modo & gehennam fugiemus, & Christi gloria fruemur. Quam vtinam omnes consequamur, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi. Amen.

Homilia xxxviii. ex cap. xi.

Illis autem abeuntibus cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? etiam dico vobis, & plusquam Prophetam. Bene confecta fuisse à Iesu quæ ad discipulos Ioannis spectabant, iam vidimus. Signis enim atque miraculis illicò factis cõfirmati redierunt. Restabat autem vt multitudinem etiã ad meliora reduceret. Nam etsi discipuli quidem Ioannis nullum leuitatis crimen de magistro suo cogitassent, vulgus tamen & turbæ, cùm qua mente Ioannes interrogaret scire nequirent, ex illorum interrogatione ad absurda multa poterant deuenire, secúmque ipsi cogitare: Nónne Ioannes multa de isto testimonia perhibuit? quomodo igitur
B nunc mutatus ambigit vtrum iste an alius venturus sit? Num diffidia forsan inter ipsum & Iesum sunt, an fortasse afflictione carceris timidior factus est? An potius illa testimonia vana & temeraria erant? Hæc igitur, aliáque huiusmodi quæ illi ex imbecillitate poterant suspicari, vide quomodo illorum suspiciones tollit, ac imbecillitatem corrigit. Euntibus autem illis, inquit, cœpit dicere turbis. Cur ita illis abeuntibus? ne videatur assentari homini. Cùm autem populum emendat, non Matt.9.& producit in medium illorum suspicionem: sed cogitationum tantum solutionem adducit, quæ ipsorum mentem turbabat: vt etiam istis ostẽdat non ignorare se arcana mentis eorum. Nec dicit quemadmodum ad Iu- Matth.9. daeos, quid cogitatis praua in cordibus vestris? Nam quicquid illi cogitauerunt, non ex malitia, sed ex ignorantia eorum quæ dicta erant agitabantur: ideo non aeriter illis loquitur, sed suauiter ab omni falsa suspicione ipsos remouet, & pro Ioanne respondet, ostendens
C non ipsum esse mutatum ab illa priore sua opinione. Non esse leuem quendam hominem, qui huc atque illuc Euripi modo iactetur: sed stabilem, atque constantem, ita vt nullo modo proditam ab eo veritatem fuisse suspicari possitis. Hæc autem non statim sua sententia, sed ab eorum prius testimonio probat, ostendens eos nõ verbis solùm, verumetiam factis stabilitatem Ioannis attestatos fuisse. Dixit enim: Quid existis in desertũ videre, id est, cur omissis ciuitatibus atque domibus vestris ad desertum vnà omnes concurristis, vt miserum quendam atque mobilem hominem videretis? Nõ potuissetis certè tanto studio in desertum impelli, tot tantarúmque ciuitatum populi, nec ita facilè omnes ex vniuersa Iudæa effusi in fluuium Iordanem fuissetis, nisi magnum quendam & mirabilem virum, & adamantinis lapidibus firmiorem Ioannem putassetis. Nec enim ad videndum arundinem vento agitatam existis. Istis maximè sunt similes illi qui nunquam idem dicunt, sed
D huc atque illuc facilè pulsi, modò hæc, modò illa soliti sunt asserere. Considera autem quo modo cæteris malis omissis hanc solam suspicionem posuit, qua tunc illi turbabantur, atque mobilitatis & inconstantiæ occasionem aufert. *Sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis amictum? Ecce qui mollibus induti sunt, in domibus regum sunt.* Quod quidem huiusmodi est: A seipso mutabilem atque inconstantem non fuisse Ioannem, totius Iudææ ad ipsum effusio demonstrauit. Nec tamen illud poterit quispiam dicere, stabilem quidem illum prius fuisse, sed emollitum vitæ deliciis, mobilitatis macula deturpari. Nam hominum alij natura procliues ad aliquid sunt, alij vitæ institutione ac casu procliues fiunt: quemadmodum iracundi multi sunt

ti sunt natura, nonnulli longa ægrotatione ad huiusmo- A di vitium lapsi fuerunt. Et rursus alij leues natura & inconstantes, alij deliciis effœminati, enerues & instabiles facti sunt. Sed Ioannes nec natura instabilis est: non enim quasi ad videndum arundinem in Iordanem ad ipsum Iudæa fuit effusa. Nec deliciis corruptus robur animi sui perdidit: probat hoc amictus ipsius, probat eremus, probant carceres. Nam si deliciis ille caperetur, non eremum, non carceres, sed regias domos habitasset: poterat enim profectò, si tantummodo silere voluisset, magnis ab Herode affici honoribus. Nam
Matth. 6. si & redarguentem & vinctum mirum in modum Herodes verebatur, multò magis tacentem coluisset. Quare qui gestis suis tantam constantiam ostendit, quomodo poterit in suspicionem incidere leuitatis? Ita partim à loco, partim à vestimentis, partim à concursu populi, Ioannis moribus laudatis, maius quid adduxit, dicens: *Sed quid existis videre? Prophetam? vtique dico vobis, & plus quàm Prophetam. Hic enim est de quo scriptum*
Malac.3. *est: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam coram te.* Quum prius Iudæorum de Ioanne testimonium adduxisset, tunc & Prophetarum adaptat testimonium. vel potiùs: Primùm quidem Iudæorum de Ioanne adduxit testimonium, quod quidem quoniam ab inimicis ipsis ferebatur, maximas vires habebat. Deinde arduam viri vitam præ oculis posuit. Tertiò, sententiam suam protulit. Quartò, authoritate prophetica ora ipsorum obstruit: & ne dicere aut cogitare possent, magnum quidem illum prius virum fuisse, nunc autem mutatum, vestimentis & carcere atque etiam prophetia in oppositum induxit. Tandem cùm dixisset Prophetis illum esse maiorem, quare maior sit ostendit. Cur igitur maior Prophetis Ioannes? quoniam propinquior erat Christo venturo. Mitto enim, inquit, Angelum meum ante faciem tuam: qui autem ante faciem est, is proximus est. Nam quemadmodum maiore dignitate hi sunt, qui proxi- C mè regium vehiculum equitant: sic & Ioannes proximè ipsius aduentum præcedens, maiore gratia fulsit. Nec tamen testimonium Prophetæ ad ostendendam excellentiam ipsius suffecit, sed sententiam quoque suam attulit: *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.* id est, non peperit mulier Ioanne maiorem. Quæ sententia quamuis per seipsam sufficiat, tamen si velis à rebus ipsis veritatem inspicere, veniat in mentem tibi mensa illius, educatióque, & mentis altitudo: ita enim in terris quasi in cœlo versabatur. Naturæ namque omni necessitate superata, mirabile quoddam peregit iter. Semper in hymnis, semper in orationibus fuit. Nulli hominum antequam ad baptizandum accederet, Deo autem soli sua semper offerebat colloquia: neminem vidit vnquam conseruorum, nec ab aliquo horum visus fuit: non lacte nutritus, non lecto susceptus, non tecto, non foro, non alia re humana vsus erat: tamen mitis simul D & acer, quorum alterum ex conuersatione sua cum discipulis, alterum ex responsione ad Iudæos atque ad regem libera, facilè perdisces. Itaque dicebat, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista. Verùm ne his Ioannis laudibus ab aliis quæ audiebant priora exciderent, ac Christo Ioannem præponerent, perpende qua ratione ipsos detinet. Nam quemadmodum vnde firmabantur discipuli, inde multitudo conturbatur, mutabilem & inconstantem Ioannem suspicando: sic vnde multitudo ad meliora reducta est, inde maior pestis sequi cæteris potuisset, maiorem propter hæc dicta de Ioanne, quàm de Christo existimationem facientibus: id ergo apertè corrigit, dicens:

Qui autem minor est in regno cœlorum, maior est illo. Minor quippe ætate, minor multorum opinione. Eadem enim Christum appellabant, & vini potatorem, & nónne hic est fabri filius? & vbique ipsum minoris faciebant. Quid igitur, inquies? Comparatus Ioanni maior erat? minimè. Nec enim ipse Ioannes cùm de Christo dicat, Quia fortior me est, comparando se illi dicit: nec Paulus cùm de Mose scribat: Ampliori gloria hic, quàm Moses dignus est, comparando id scribit: ipse etiam Christus cùm dicat: Ecce plus Salomone hic, non comparat se Salomoni. Quòd si quis per comparationem id dictum contendat, dicemus accommodatè hoc factum propter audientium imbecillitatem: & qui semper ante procliuiores ad Ioannem erant, & tunc partim propter carceres, partim propter fiduciam, qua liberè regibus loquebatur, clariorem existimabant, satísque erat si ita dictum etiam per comparationem accepissent. Consueuit profectò etiam vetus scriptura per comparationem introducens ea quæ inter se comparari non possent, ab erroribus homines liberare: vt quando dicit, Non est similis tibi in diis Domine: & rur- Pſal.85. sus, Non est Deus, sicut Deus noster. Dicunt au- Exod.8. tem aliqui de Apostolis id dictum fuisse, aliqui de Angelis: sed malè. Nam qui à veritate semel aberrauerunt, ad multas variásque fraudes deducuntur. Et quænam consequentia rerum seruari poterit, si aut de Apostolis, aut de Angelis dictum accipiamus? Præterea quid prohibet nominatim discipulos dicere? Nam seipso minorem nominatim non dicit propter suspicionem hominum, quæ adhuc illorum mentem occupabat, & ne multum arrogare sibi videretur: quod in aliis quoque locis factitat. Quid autem est quod dicit, in regno cœlorum? In spiritalibus scilicet, omnibúsque cœlestibus. Verùm etiam cùm dixerit, Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne, distinguebat diſſeparabátque se ab hac comparatione. Nam si ex muliere natus est, sed non sicut Ioannes, non enim simplex ac nudus homo erat, nec omnino naturæ hominum lege, sed inaudito quodam atque mirabili partu. *A diebus autem Ioannis Baptistæ*, ait, *vsque nunc regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et quámnam consequentiam, inquies, hoc habet ad ea quæ iam dicta sunt? Magnam certè, valdéque illis concinentem. Hinc enim audientes impellit iam ad fidem, quam de se habere debeant, ac ea quæ pridem dixit Ioannes, vehementius comprobat. Nam si vsque ad Ioannem omnia completa sunt, ego ille sum qui venturus erat. *Omnes enim*, inquit, *Prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetarunt.* Non enim cessassent Prophetæ, nisi ego veniſſem. Quare nihil est quod amplius expectetis: nemo expectandus vlterius vobis est, cùm inde apertè pateat, quòd ego sim: quoniam Prophetæ iam cessarunt, & quoniam multi quotidie fidem rapiunt. Sic enim iam manifesta atque illustris est, vt ad ipsam multi cursu contendant. Et quis vnquam rapuit? obiicies. Omnes scilicet, qui magno studio properantes Christo adhæserunt. Aliud deinde signum ponit, dicens: *Si vultis recipere, ipse est Helias qui venturus est.* Mittam enim, ait, vobis Heliam Thesbitem, qui conuertat corda Malac.4. patrum ad filios. Hic est (ait) Helias, si attendere diligenter volueritis. Mittam enim, ait, Angelum meum Malac.3. ante faciem tuam. Rectè autem appositi si vultis recipere, ostendens neminem violenter cogi. non enim cogo, inquit. Hoc autem dicebat, vt gratam ab omnibus petere mentem videretur. Significauit autem Ioannem Heliam esse, & Heliam Ioannem: vtrique enim vnam

Infra. Matt.13. Matth.3. Marc. 1. Heb.4. Matth.12. & Luc.11.

Christus supra comparationem Ioanne maior.

Universidad de Deusto
Biblioteca

administrationem susceperunt, & præcursores ambo constituti sunt. Quapropter non dixit, hic est profectò Helias: sed si vultis suscipere, hic est: si mente videlicet attenta vtriusque gesta, & animo facili, non contentioso considerare volueritis. Nec finem hic fecit: sed vt ostendat quanta solertia opus sit, cùm dixisset, Helias qui venturus est, confestim adiecit: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Multa verò huiusmodi, vt ad interrogandum eos incenderet, ænigmata proferebat. Qui si ne sic quidem excitarentur, sed quasi dormitantes negligebant, multò tardiores certè fuissent, si apertè planéque omnia dixisset. Nemo enim obiicere audebit, ita difficilem Iesum fuisse, vt interrogandi fiduciam difficultate illius amitterent. Nam qui de paruis rebus per tentationem interrogabant, quíve subdolè quærere, quamuis sæpius refutati fuerint, nunquam cessauerunt: quo modo non quæsissent de necessariis, si discendi cupiditate incensi fuissent? Et qui de legalibus quærebant, quódnam esset mandatum primum nulla opportunitate inducti sciscitabantur: quo modo eorum quæ ab ipso dicebantur, & quorum rationem reddere, si dubia erant, tenebatur, sensum non inuestigarent, præsertim cùm ipse ad hoc incitare videretur? Nam cùm dixerit, violenti rapiunt illud: &, qui habet aures ad audiendum, audiat: ad interrogandum eos impellebat. *Cui autem assimilabo generationem hanc? Similis est pueris sedentibus in foro, qui acclamantes sodalibus suis dicunt. Tibia cecinimus vobis, & non saltastis: lamentati sumus, & non planxistis.* Hæc rursus quamuis suspendi separarique à superioribus videantur, valde tamen illis coniuncta sunt, & ad illum locum pertinent, quo ipsi consona Ioannem facere ostendebat, etiamsi ea quæ fiebant, contraria essent. Probat igitur nihil spectare ad salutem ipsorum, quod iam diligenter adhibitum non sit, & in medium illud quasi adducit propheticum: Quid oportebat facere huic vineæ, & non feci? Cui enim, ait, similem existimabo hanc generationem? similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes cum æqualibus dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentati sumus, & non planxistis. *Venit enim Ioannes neque manducans neque bibens, & dicunt, dæmonium habet: venit filius hominis manducans, atque bibens, & dicunt: ecce homo vorax, & vini potator, publicanorum amicus & peccatorum.* Huiusmodi autem est quod dicitur, Oppositis quibusdam itineribus ego & Ioannes ad vos venimus, idémque fecimus, quod venatores solent facere, qui quando fugacissima captúque difficillima insectantur animalia, non vna via, sed diuersis, & non diuersis solum, sed per contraria plerunque aggrediuntur, vt si alterum effugerint, in alterum incidant. Nam quoniam vniuersum penè genus hominum maximè ieiunantes solet admirari, & duritiem viuendi nimium approbare: idcirco statim à teneris vnguiculis dispensatione diuina duriter vixit Ioannes, ad hoc vt ad credendum verbis suis populi ducerentur. Sed cuiusnam rei gratia, inquies, hoc ipse iter viuendi ingressus non est? Immo verò hanc quoque viam ipse confecit, cùm quadraginta diebus ieiunauerit, & circumierit ita docens, vt non haberet vbi caput reclinaret. Sed tamen etiam aliter id ipsum præparauit, vt faciliùs omnes lucrifaceret. Idem enim erat, aut etiam maius, testimonio eius, qui durissima disciplina viuendi fuerat vsus, approbari, quàm ipsum ieiunare, atque duriter viuere. Præterea præter vitæ sanctimoniam nihil aliud magni Ioannes ostendit. Nullum enim, ait, signum Ioannes fecit: Christus verò signorum atque miraculorum testimonio claruit. Illam autem aliam viuendi viam quæ ieiunio claros effecit, Ioãni omnino postea dimisit: ipse verò publicanorum atque peccatorum mensas elegit, vt publicanos & peccatores saluaret. Interrogabimus ergo Iudæos si ieiunium admirantur, atque collaudant: cur Ioanni ieiunanti non crediderunt, cuius verba ad Iesum apertissimè illos adducebant? Quòd si grauius quædam res atque tristis ieiunium ipsis videtur: cur Iesum comedentem atque bibentem repulerunt? vtraque enim via, siue Ioannem, siue Iesum recepissent, salutem consequebantur. Illi autem quasi crudelis quædam bestia contumeliis vtrumque lacerarunt. Non erat ergo culpa eorum quibus non credebatur, sed eorum qui credere nolebant. Nemo enim non insanus contraria simul vituperare ac laudare studet. Quod autem dico, huiusmodi est: qui remissos lætósque homines laudant, hi scueros atque tristes ferre non possunt: & qui scueros laudant, hi lætos repudiant. Non enim possumus vtrosque simul iudicio nostro approbare. Propterea etiam ipse ait: Tibia cecinimus vobis, & non saltastis, id est, remissiore viuendi disciplina volui vos attrahere, & noluistis: lamentati sumus, & non planxistis: id est, noluistis attentam Ioanni mentem adhibere, qui durissima disciplina viuendi ad vos venit. Non enim ad aliud Ioannes, ad aliud ego vos induco. Quippe vnum est vtriusque consilium, etiam si viuendi studia contraria videantur. Quapropter ea quæ ab vtrisque facta sunt, communia sunt. Non enim à discrepantia, sed à summa concordia contrarias vias elegimus, quæ tamen ad vnum exitum omnino perducunt: qua igitur excusatione vti poteritis? *Et iustificata est*, inquit, *sapientia à filiis suis.* Id est, nulla vos potui attrahere via, quare iure me iam incusare nunquam poteritis: quod de patre pariter dixit Propheta, Vt iustificeris in sermonibus tuis. Deus enim, quamuis sciat nihil boni vos facturos, cura tamen ac prouidentia summa erga vos vtitur: ita vt etiam his qui impudentissimi sunt, nec vmbram quidem insulsæ dubitationis relinquat. Si verò exempla, quibus vtitur, tenuia quidem tibi videntur, ac incomposito orationis contextu, non mouearis. Ad fragilitatem enim audientium sermo semper accommodandus est. Sic Ezechiel multis similitudinibus quæ Iudæis conueniebant, vtitur: quamuis non ignoraret, à diuina maiestate alienas fuisse. Id enim maximè dignum atque gratum Deo est, quod imbecillitati humanæ accommodatum, ad salutem nostram pertinet. Tu verò aduerte quemadmodum repugnantibus Iudæis seipsos implicabant. Namque de Ioanne ieiunante dixerunt, quod dæmonium haberet. Iidem ipsi rursus hoc ipsum de Christo contrario quodam modo viuente affirmarunt. Sic sibiipsis semper repugnantes, nunquam constanter idem senserunt. Lucas autem ad ea quæ dicta sunt, aliud etiam addit, quo multò magis Iudæi accusandi esse videntur: dicit enim: Quoniam publicani iustificarunt Deum suscipientes baptisma Ioannis. Tunc incepit exprobrare ciuitatibus, cùm iustificatam esse sapientiam à filiis suis, atque omnia impleta esse ostendisset. Nam quæ docendo persuadere non potuit, quæ signis atque miraculis non effecit, vt duritiem cordis deponerent, ad exprobrandum iam accedit, quod multo maius mihi videtur, quàm si formidinem atque timorem incuteret. *Tunc enim*, ait, *Iesus cæpit exprobrare ciuitatib⁹, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quia non egissent pœnitentiam, dicens: Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaida.* Et vt videas non natura illos tales fuisse, nomen illius vrbis posuit, vnde quinque emicuerunt Apostoli. Nam Philippus, & duo illa paria quæ apostolatus verticem tenuerunt, inde fuisse dicuntur. *Quoniam si in Tyro atque Sidone factæ essent*, ait, *virtutes, quæ*

Esa. 5.

Luc. 9.

Ioan. 10. Ibid. 11.

Psal. 50.

Ezech. 4. & 16.

Luc. 7.

rutes, quæ in vobis factæ sunt, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Veruntamen dico vobis: Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij, quàm vobis. Et tu Capernaum quæ vsque ad cœlum exaltata es, vsque in infernum descendes: quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, mansissent vtique vsque in hanc diem: verùtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij, quàm tibi. Non simpliciter neque otiosè Sodomorum fecit mẽtionem, sed vt ostendat quòd maxima sit prauitas eorum qui nõ solùm præsentes, verumetiam præteritos omnes vitiis superasse videntur. Sic etiam alibi modò ad Niniuitas, modò ad reginam Austri conferens, ipsos condemnat. Verùm eorum ibi qui rectè, hîc eorum exẽplo qui perperam fecerunt, quod modo grauius est, eos accusat. Hanc condemnandi legem ac rationem Ezechiel quoque non ignorauit. Dicit enim ad Hierusalem: Iustificasti sorores tuas in omnibus peccatis tuis. Ita vbique veteri testamẽto doctrina eius cõsimilis est: nec tamen orationẽ ad hoc vsque solum produxit, sed maiorẽ incutit metũ dicendo, grauiora incredulos Iudæos, quàm Tyrios atque Sodomitas expectare supplicia: ita ipsos partim quoniam vt miseros luget, partim quoniam terret, allicere studet. Hæc autem etiam nos audiamus. nõ enim infidelibus solùm, sed nobis etiam grauiorem pœnam quàm Sodomitis constituit, nisi aduenas & peregrinos ad nos venientes susceperimus, cùm etiam puluerem excutere iusserit, nec id iniuria. Nam Sodomitæ quanuis iniquissimè vixerint, sed tamen ante legem & gratiam peccarunt: nos autem post legis & gratiæ tam diligentem curam, qua venia digni erimus, aduenas atque peregrinos odio tam magno persequentes, & ianuas nostras, immò verò antequam illas claudamus, aures pauperibus obturantes? quid dico pauperibus, cùm apostolis ipsis id faciamus? Idcirco etiam pauperibus siquidem & Apostolis: Nam quãdo publicè legitur Paulus, & tu non animaduertis: quando Ioannes tonat, & tu non audis: inopem tu audies, qui Apostolum non audis? Vt igitur pauperibus domus nostræ, & Apostolis aures pateant, omnem sordiciem ab auribus animi expurgemus. Nam quemadmodum sordes & limus aures corporis obstruere solent: sic meretricij cantus, huius sæculi fabulæ, debitorum onus, creditorúmque ac fœnorum ratio, aures mentis solent magis quàm quæuis sordes obstruere. Vel potius, non obstruunt tantum, sed etiam impurum faciunt & immundum: quasi enim stercus auribus vestris immittunt huiusmodi colloquia: quod Barbarus ille minabatur dicens: Comedetis stercus vestrum: id etiam nunc multi non verbo, sed re vobis faciunt, immo verò etiam multò peius ac fœdius. Nam fornicatorij cantus multò magis quàm stercora sunt abominabiles. Quódque ægrius ferendum est, non solùm nullam talia audientes molestiam capitis, verumetiam ridetis, atque lætamini. Cúmque vitare ista, abominaríque deberetis, suscipitis ac laudatis. Descende igitur tu quoque si hæc abominabilia non sint, in orchestram, imitare quod laudas, habeas cum his qui huiusmodi commouent risum, societatem atque commercium. sed si in illo ipso consortio coniungi nolles, cur tantum ei honorem tribuis? Et leges quidem gentilium infames eos esse volunt: tu verò quasi ad legatos, aut duces militiæ cum vniuersa ciuitate omnibus conuocatis effunderis, vt vnà cum omnibus stercus in aures tuas immittas: & qui seruum cædis si coram te turpe quicquam protulit, qui filio id non permittis, qui domi tuæ quasi turpitudinem quandam ista fieri non pateris, cùm verberones quidam, & seruiles abiectíque homines, vt hæc audias, vocent, non modò molestè non fers, sed lætaris etiam, atque laudas, & gratias agis. Et quid hac amentia maius vnquam poterit inueniri? Sed ego turpia hæc, & incentiua voluptatum nec dixi, nec cecini vnquam, dicis. Et quænam vtilitas est, si cùm non dicas, libenter audis, immò verò vnde idipsum planum facies, quòd non dicas? cùm libenter hæc cum risu audias, & ad percipiendum magno cursu contẽdas? dic mihi oro, cùm blasphemantes audis, gaudes atque exultas, aut potius perhorrescis, aures obstruis? non dubito quin perhorrescas. Quamobrem? quia videlicet nunquã tu blasphemare soleas: pariter ergo in turpiloquio etiam facito, si persuadere nobis omnino vis non libenter turpissima te verba proferre: tunc tibi credimus, cùm nec audire quidem perspeximus. Nam quo modo virtutem colis, qui hæc audiendo enutriris? quo modo castimoniæ arduos poteris perferre labores, qui risu diffluis, & cantu meretricio caperis? Nam si vix quæ longè ab huiuscemodi cantibus remota est anima, castimoniæ honestatem amplectitur, quo modo cõtinenter viuere poterit, qui in his viuit? An ignoratis procliuiores nos esse ad vitia? Cùm igitur etiam arte & studio ad ea curramus, quo modo fornacem æterni ignis fugiemus? Non audistis Paulum dicentem: Gaudete in Domino? In Domino dixit, non in diabolo. Quando igitur audire Paulum poteris? quando peccasse te senties, cùm semper ridiculis istis atque spectaculis quasi ebrius efficiaris? Quòd enim huc modò peruenisti, non miror, immò verò & valde miror. Nam huc quasi simpliciter ac perfunctoriè venisti: illuc verò omni studio, cursu, alacritate quotidie ruis: quod inde patet, quia fœtulentissimum limum, qui in animas vestras visu & auditu infusus fuit, inde à theatris domos vestras conducitis, immò verò in mentibus ipsis atque animis collocatis, ac sumitis: & ea quæ digna abominatione non sunt, auerteris, abominanda verò admiraris ac amas. Multi enim à sepeliendi officio redeuntes, balneum confestim intrarunt: à theatris autem recedentes, nec gemuerunt, nec lachrymarum fontes effuderunt. At certè nullam immundiciam cadauer habet, peccatum autem ita maculat, vt nulli fontes, nulla flumina, sed lachrymæ solùm atque confessio mũdare queant. Sed nemo est qui peccati sordes quàm magnæ sint sentiat. Nam quoniam nõ timemus timenda, idcirco formidamus quæ nullam in se causam formidinis habent. Quis autem est ille theatralium hominum adeò magnus sonitus? quis tantus tumultus? qui diabolici clamores? qui vestitus satanicus? Alius cùm adolescens sit, comam ponè reductam habet, & naturam aspectu, vestitu, incessu, cæterísque huiusmodi effœminando, ad teneriusculæ imaginem puellæ deducere contendit: alius econtrà cùm sit senex, nouacula pilos pudorem omnem abrasus, cinctus assistens, ad dicendum ac faciendum omnia paratus est. Mulieres autem nudo atque aperto capite populum absque rubore alloquuntur, tantáque præmeditatione impudentiam adsciscunt, tantámque lasciuiam in audientium atque videntium animos infundunt, vt vno omnes animo radicitùs modestiam è mentibus euellere, dedecore muliebrem naturam afficere, pernicioſa voluptate cupiditates suas implere tonari videantur. Cuncta enim simpliciter quæ ibi fiunt turpissima sunt, verba, vestitus, tonsura, incessus, voces, cantus, modulationes, oculorum euersiones, ac motus, tibiæ, fistulæ, & ipsa fabularum argumenta, omnia (inquam) turpi lasciuia plena sunt. Dic ergo, quando à tanta fornicationis immũda cupidine, quam tibi diabolus infudit, teipsum recipies, atque resipisces? Non enim ignoramus quot tibi fornicationes peragantur, quot adulteriis matrimonia maculentur, quot viri muliebria patiantur, quot iuuenes effœminentur, cuncta iniquitatis summæ, cun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cta prodigiorum, cuncta impudentiæ plena sunt. Quas ob res non cachinnis diffluere sedentes, sed lachrymis gemere ac dolere oportet. Quid igitur vis, inquies, an vt ludorum omnium locum claudamus, & tibi obtemperãtes, omnia euertamus? Quid euertamus dixisti? Nónne cuncta iam euersa sunt? Nam vnde credis nuptiarum insidiatores proficiscí? Nónne ab huiuscemodi scenis? Vnde illos qui thalamos aliorum effodiunt? Nónne ab orchestra illa? An non hinc vxoribus viri molestissimi, & viris mulieres contemnendæ fiunt? Nónne hinc cõplures adulteri? Itaque is mihi videtur omnia euertere, qui theatra petit, qui tyrannidem sæuissimam inducit. Minimè, inquies, mulieres à viris suis disseparare, puerorum pudicitiam rapere, domos euertere: hæc omnia eorum tyrannorum sunt, qui arcem occuparunt, & ciuitatem vi premunt: quæ verò nos facimus, legibus approbata sunt, & adulteriis nunquam hæc spectacula opportunitatem præbuere. Immò verò quis non adulter modò factus est? Nam si possem nomine omnes appellare, citò tibi ostenderem. Quot quasi captiuos scorta inde abduxerunt, quot aut ab vxoribus abstraxerunt, aut ad legitimum omnino thorum peruenire non dimiserunt? Quid igitur, inquis, an leges omnes euertemus, quibus hæc constituta sunt? immò verò his theatralibus ludis euersis, non leges, sed iniquitatem euertetis, ac omnem ciuitatis pestem extinguetis. Hinc enim seditiones excitantur, hinc tumultus oriuntur. Qui enim his ludis aluntur, quíque vocem ventris causa vendunt, qui dicere facere omnia prõptissimi sunt, atque in eo suam operam collocant, hi maximè solent rumoribus populos inflammare, & tumultum in ciuitates immittere. Ociosa enim iuuentus in huiusmodi malis educata, omni ferocissima bestia immanior est. Malefici autem nónne à theatralibus ludis multi constituuntur? Nam vt vniuersum populum ad hæc possint inflammare, vt tripudiantes suas consequantur voluptates, vt modestas mulieres meretricibus commixtas corrumpant, ad tantum maleficij genus perueniunt, vt nec ab ossibus quidem mortuorum abstineant. Quid dicam quòd ad diabolicas has sodalitates innumeras multi consumunt pecunias? Quid de lasciuia? quid de aliis malis? Animaduertis te illum esse qui vniuersam vitam hominum euertis, cùm ad hæc cæteros trahis, non me qui huiuscemodi omnes ludos omittendos censeo. Diruemus igitur omnium loca ludorum? inquies. Vtinam iam diruta essent, quanuis, quantum ad nos attinet, iam pridem desolata iacent. Nihil tamen facere horũ vos iubeo, quippe cùm ædificiorum magnificentia permanere possit, & ludi & tripudia omnino cessare: quod maiori vobis laudi erit, quàm si cuncta funditus euerteretis. Sumite saltem exemplum vobis à Barbaris, qui omniũ huiusmodi spectaculorum turpitudine carent: quàm rationem pro vobis afferetis, si, qui adscripti estis in cœlis, angelorum atque archangelorum socij ac cohæredes, multò peiores hac in re Barbaris ipsis inueniamini? præsertim cùm queas multa aliunde tibi meliora solatia comparare. Nã cùm recreare animum volueris, poteris hortos petere, fluentes riuos conspicere, ingentes lacus considerare, amœna cernere loca, cicadas audire canentes, in templis martyrum conuersari: vnde præcipua tibi corporis sanitas tribuetur, ac ad animam tuam eximia peruenient vtilitas, vnde singularem capies voluptatem: quoniam nullum damnum, nullus dolor, nulla mœsticia consequitur. Habes vxorem, non cares liberis, abundas amicis, quæ omnia delectationem honestam & emolumenta nonnunquam solent præbere. Quid enim liberis suauius? quid vxore casta moderato & temperanti marito dulcius? Barbari quidem ipsi cùm de theatralibus his ludis, & importuna delectatione fabularum audissent, dixisse feruntur verba omnibus institutis philosophiæ dignissima. Romanos enim dixerunt, quasi liberis atque vxoribus careant, tales sibi excogitasse voluptates. Quibus verbis ostendebant nihil vxore modesta, nihil liberis esse posse suauius ei qui honestè viuere velit. Sed ego, inquies, ostendam nihil multis huiusmodi ludos obfuisse: immò verò id maximè nocet, quòd frustra & incassum tempus consumis, & scandalum aliis offers. Nam etsi tu quodam excelsi animi robore, nihil inde tibi mali contraxisti: attamen quoniam alios imbecilliores exemplo tui spectaculorum studiosos fecisti, quomodo nam ipse malum tibi contraxisti, qui causam mali committendi aliis præbuisti? Qui enim ibi corrumpuntur, tam viri quàm mulieres, omnes corruptionis crimina & causam in caput tuum transferunt. Nam quemadmodum si non essent qui spectarent, nec essent etiam qui luderẽt: sic quoniam vter sunt causãque peccatorum quæ committuntur, ignem etiam patiuntur. Quare quanuis animi tui modestia effecisti, vt nihil tibi inde obfuerit, quod ego fieri posse non arbitror: quoniam tamen alij causa ludorum multa peccarunt, graues propter hoc pœnas lues, quanuis etiam multò modestior & temperantior esses, si nullo modo eò pergeres. Non ergo inutiliter contendamus, nec vanas excusationes excogitemus, cùm vna nobis sufficiat excusatio, longè à fornace Babylonia fugere, procul ab Ægyptio scorto abesse, atque si necesse sit, nudos à manibus eius elabi: sic enim ingentes voluptates capiemus, cùm stimulis conscientiæ minimè pungamur. Sic & in hac vita moderatè viuemus, & futura bona cõsequemur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

Homilia xxxix. ex cap. xi.

In illo tempore respondens Iesus dixit: Confiteor tibi Pater, domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Perpẽdis quot, quibúsque modis ad fidem ipsos inducit? Primùm præcipuis Ioannis laudibus: nam cùm eum magnum atque mirabilem, & plus quàm prophetam ostenderet, ad præbendam illi fidem impellebat, qui apertissimè ipsum esse Christum attestabatur. Deinde, quia dixit, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud: hoc enim non hortantis magis ad fidem, quàm impellentis esse videtur. Tertiò, quoniam omnium prophetarum prædicationem adimpletam iam esse docebat, quo significabat seipsum esse, quem illi prædixerunt vẽturum. Quartò, quoniam omnia iam facta esse monstrauit, quæ ab ipso fieri oportebat, quod similitudine puerorum ante oculos posuit. Quintò, exprobrando ac miserando incredulos, & terrore ac minis reuocando. Sextò, quoniam gratias modò pro credentibus agit. Quòd enim hic, confiteor dixit: idem valet quòd gratias ago. Gratias, inquit, tibi ago, quoniam à prudentibus & sapientibus hæc celasti. An igitur perditione illorum gaudere ipsum dicemus, & quoniam illi hæc non didicere? Minimè. Sed hæc est via salutis optima, vt qui respuunt quæ dicuntur, & nolunt suscipere, nullo pacto cogantur: vt quoniam vocati non obtemperarunt, nec meliores hic facti sunt, sed spreuerunt atque contempserunt salutem, quoniam caecti sunt, resipiscere cogantur: sic certè diligentiores etiam fient, qui crediderunt, quibus quoniam reuelata mysteria sunt, lætari atque gaudere dignum est. Quoniam verò ab illis occulta sunt, non gaudere, sed lachrymarum fontes emittere dignissimum: quod profectò facit lachrymans atque commiserans ciuitatem. Non

Supra.

ergo

ergo quia sapientes non cognouerunt, gaudet: sed quia quæ sapientes non cognouerunt, hæcisti perceperunt,
Rom. 6. lætatur. Ita & Paulus dicit: Gratias ago Deo meo, quoniam fuistis serui peccati: obedistis autem ex corde in quam traditi estis formam doctrinæ. Non ergo Paulus propterea gaudet, quia erãt serui peccati: sed quia cùm essent huiusmodi, veritatis cultores facti sunt. Prudentes autem hîc Scribas & Pharisæos appellat: quibus verbis alacriores reddit discipulos, cùm intelligant illa se piscatores esse consecutos, à quibus illi summi, vt videbantur, viri exciderunt. Cùm autem, sapientes, dixerit: non illam veram laudabilem sapientiam intelligit, sed hanc quæ seculari doctrina præstatur: idcirco etiam nõ dixit, stultis reuelasti, sed paruulis: quasi non fucatis, sed simplicibus. Ita ostendit non indignè illos, sed iure his rebus fuisse priuatos: ac per omnia nos docet flatum superbiæ omnino esse fugiendum, ac simplicitatem admirandam. Quod Paulus amplioribus verbis scribit dicens: Si quis in vobis videtur in hoc sæculo sapiens esse,
1. Cor. 3. is fiat stultus, vt sapiens efficiatur. Sic enim gratia Dei monstratur. Cur vero gratias agit Patri, cùm ipse illud fecerit? Sicut orat & intercedit pro nobis ad Deũ, magnam erga nos declarans charitatem, sic etiam & hoc ex charitatis feruore peragit: & simul ostendit non ab ipso solùm, verumetiam à Patre illos excidisse. Quòd enim præcepit discipulis, dicens, Nolite sanctum dare canibus, hoc præoccupans ipse facit. Deinde ex his ostendit tum suam tum patris primariam & antecedẽtem
Matt. 7. voluntatem. Vt enim suum est gratias agere, atque gaudere quòd paruuli recepti sunt: sic Patris est, ne precibus flexus, sed sponte sua commotus id feciſſe videatur. Sic enim, inquit, fuit placitum ante te: id est, sic tibi patri omnium placuit. Sed cur tandem, inquies, occultata
Rom. 10. ab illis sunt? audi Paulum dicentem. Quoniam quærentes propriam iustitiam statuere, iustitiæ Dei subiecti non fuerunt. Perpende igitur qualiter affici discipuli debebant, cùm audirent, quia sapientes non nouerunt quæ ipsi cognouerunt: & cognouerunt paruuli permanen-
Luc. 10. tes, cognouerunt ipsius Dei reuelatione. Lucas autem dicit, ea hora quando septuaginta redierunt de dæmonibus nunciantes, tunc exultasse spiritu, & ista dixisse, quæ tam diligentiores, quàm moderatiores ipsos faciebant. Erat enim moderante doctrina certè illis opus, ne magnum quid de se crederent, atque inflarentur, quoniam dæmonia eis obtemperarent. Reuelatio enim magnarum sibi rerum non studio, nec merito suo concessa fuit: quapropter scribæ ac Pharisæi qui se sua opera sapientes esse arbitrabantur, suo elati tumore ceciderunt. Quare si arrogantia illis obfuit: formidate vos, inquit, vt paruulorum statum conseruetis, non ignorantes id illud esse quod vobis hæc reuelari effecit, cuius contrarium illos hac reuelatione priuauit. non enim quando dicitur, occultasti hæc à sapientibus, rem to-
Rom. 1. tam Deo attribuit: sed sicut cùm Paulus dicit, Quia tradidit eos in reprobum sensum, & excæcauit intelligentiam ipsorum: non operatum hæc Deum fuisse asserit, sed illos qui causam præbuerunt: sic etiam hîc dictum est, reuelasti. Deinde quoniam prædixit, Confiteor tibi pater, quia hæc occultasti ab illis, & reuelasti paruulis: ne putes hac reuelandi potestate ipsum esse priuatum, ac ideo gratias agere, adiecit: *Omnia mihi tradita sunt à patre meo.* Ad eos verò qui lætabantur quoniam dæmones sibi parẽrẽt, Quid ita gaudetis frustra, inquit? mea omnia sunt, mihi à patre meo tradita. Cùm autem audis, tradita: nihil humano more factum suspicetis, quę dictio, ne duos ingenitos arbitrari quis possit, posita est. Filius autẽ dominus omnium nascitur, quod alibi multis in locis significat. Maius quiddam deinde adducit, vt mentem tuam ad sublimius erigat. *Et nemo nouit filium, nisi pater: neque patrem quis nouit, nisi filius.* Et videtur quidem id multis qui hæc altiùs non examinant, separatum atque alienum à superioribus esse: quod certè plurimùm illis conuenit, atque cohæret. Nam quoniam dixit, Tradita sunt mihi omnia: quid miramini intulit, si omnium ego sum Dominus, qui & aliud quid multò maius possideo, quòd Patrem nouerim, quòd eiusdem cum eo substantiæ sim? Id enim occultius significatur ex eo quòd sic solum se nouisse Patrem dicit, idipsum (inquam) significatur quando dicitur: Nullus cognoscit patrem, nisi filius. Tu autem diligenter perspice quando hæc dixit, quando videlicet, quanta esset potẽtia ipsius, operibus cognouerunt, quando non solum ab ipso signa vidisse fieri, sed ipsi quoque in nomine ipsius miracula perpetrarunt: deinde quoniam & reuelasti ea paruulis dixit, ostendit etiam ipsum feciſſe. Nemo enim, inquit, cognouit patrem, nisi filius, *Et cui voluerit filius reuelare.* Non, inquit, cuicunque iniunctum sit, nec cuicunque iussum sit, sed cuicunque velit reuelare. Quòd si patrem reuelat, & seipsum videlicet, quod tanquam manifestum, & tanquam consequens, reliquit, quod & alibi facit: vt quando dicit, Nemo potest ve-
Ioan. 14. nire ad patrem, nisi per me. Hinc etiam monstratur vnius esse voluntatis cum patre. Ita enim, inquit, procul absum, ne repugnare Deo patri videar, aut illi aliquo modo reluctari, vt nemo ad ipsum aliter quàm per me possit accedere. Nam quoniam multi turbabantur, antitheum appellantes: propterea tam signis, quàm doctrina hanc eorum opinionem destruit. Cùm autem dicit à nemine patrem, nisi à filio cognosci: non dicit ab omnibus Deum ignorari, sed non cognosci ea cognitione ab alio qua ipse cognoscit: quod pariter de filio quoque dicendum est. Non enim de ignoto quodam Deo, cuius nulla vnquam habita sit cognitio, hæc dicit, vt Marcion asserit: sed exquisitam perfectámque cognitionem
1. Cor. 13. hîc intelligit. Nam nos quidem nec filium perfectè cognoscimus, quod Paulus scribit dicens: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm igitur per ea quæ dicta sunt, confirmasset ipsos, atque in desiderium sui attraxisset, omnipotentia ipsius aliqualiter monstrata, tunc ad se vocat, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Non hic, aut ille, sed omnes qui curis, qui doloribus, qui peccatis laboratis, venite ad me, non vt pœnas luatis, verùm vt dolores peccatáque vestra resoluantur: venite ad me, non quia glorificari me à vobis opus est mihi, sed quia salutem vestram maximè sitio. Ego, inquit, requiem vobis tribuam: non dixit saluos faciam, sed quod maius est, in omni quiete constituam. *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Nolite igitur iugum audientes pertimescere, suauitatis enim eximiæ plenum est. Neque metuatis etiam si onus dixerim, leue enim est. Quomodo autem in superioribus dicebat angustam esse ianuam, & arctam tribulationibus viam? quando videlicet desidia, quando ignauia dissolutus es. Nam quando quæ dicta sunt
Supr. 7. perfeceris, leue tunc erit onus. Quomodo autem, inquies, quæ dicta sunt perficiã animo? Si humilitate syncera, si mãsuetudine vera, si moderatione integra te cõmunies. Humilitas quippe virtus est, & sublimioris philosophiæ mater est atque origo. Propterea etiam cùm nobis diuina traderet instituta, ab humilitate initium fecit. Et hoc in loco ab eo iterum exorsus magnam pollicetur mercedem. Non enim aliis, inquit, solùm accõmodus atque vtilis fueris, sed tibiipsi firmam stabilémque requiem compræstabis. Inuenietis enim animabus

Universidad de Deusto
Biblioteca

vestris requiem, inquit. Sic antequam futura veniant, A hîc quoque retribuit, & victoriæ præmium præbet, non solum hac ratione, sed etiam seipsum in exemplum nobis proponendo, faciens, vt acceptior doctrina hæc sua & gratior esset. Quid enim dubitas, inquit, ne minor atque despectior propter humilitatem videaris? In me igitur respice: meáque omnia hæc præcepta non ab alio, sed à memetipso discas: ita enim & luce clarius patebit tibi quàm maximum bonum humilitas sit. Considera quomodo his omnibus vt humilitatem præcipuè colant, ipsis persuadet. Primò in his quæ ipse peregit. Discite (inquit) à me, quoniam mitis sum. Deinde magnitudine retributionis: Inuenietis enim requiem animabus vestris. Præterea his quę ipse gratis affert: Ego enim, inquit, refocillabo vos. Ad hæc, quia facilem rem atque suauem esse approbauit. Suaue namque iugum est, inquit, & onus meum leue. Sic & Paulus persuadet dicés: 2. Cor. 4. Quod enim momentaneum & leue tribulationis nostrę est, mire supra modum æternum gloriæ pondus operatur. Sed quomodo, inquies, leue hoc onus est, cùm dicatur: Nisi quis odio habuerit patrem ac matrem: &, nisi Luc. 14. quis tollat crucem suam, & sequatur me, non est me dignus. &, nisi quis omnibus rebus suis renunciauerit, nō Ibidem. poteſt meus esse discipulus: cùm iubeat ipsam quoque Ibidem. animam esse tradendam, quomodo (inquam) leue est? Rom. 8. doceat te Paulus, dicens: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, Ibidem. an nuditas, an periculum, aut gladius? Et, quoniam non sunt condignæ passiones præsentis huius temporis ad gloriam quæ reuelabitur erga nos. Doceant te illi qui à synagogis Iudęorū post mille flagella ac verbera, summo gaudio affecti redibant, quia videlicet digni sunt inuenti qui pro Christi nomine contumeliam paterentur. Act. 5. Quod si adhuc iugum ac onus audiendo formidas nimium, atque perhorrescis: non naturæ rerum huiusmodi timorem, sed ignauiæ totum attribuas. Nam si accinctus & præparatus eris, & nulla desidia effœminatus, cū- C cta tibi facilia, leuissimáque videbuntur. Quapropter etiam Christus, vt quanta cura vigilandum esset, certiores nos redderet, non commoda & suauia tantum posuit, nec etiam tantum onerosa, sed vtrumque complexus, & iugum dixit, & suaue appellauit: onus apposuit, & leue adiecit: ne aut tanquam laboriosa nimium fugeres, aut tanquam nimium facilia contemptu prosequereris. Quòd si post hæc omnia vehementer ardua difficilísque tibi virtus videtur, veniat in mentem tibi quantò difficilior vitiositas est: quod ipse occultius significat, cùm antequam de iugo suo aliquid dixerit, Venite ad me omnes, exclamauerit, qui laboratis & onerati estis. Hinc enim ostendere voluit, quantum laborem, quantum grauamen intolerabile, peccatum hominibus afferat: idcirco non qui laboratis solummodo ait, sed etiam qui onerati estis: quod Psalmista significauit apertius, & naturam ipsius peccati describit, dicens: Sicut onus Psal. 37. graue grauatæ sunt super me. Zacharias quoque simili- D Zach. 5. ter peccatum describens, plumbi talentum esse ait. Id etiam rerum experiętia facilè intelligimus. Nullo enim pondere grauius premitur anima, nihil tam vehementer mentis restringit oculos, nihil magis deiicit atque prosternit, quàm malè actæ vitæ ac peccatorum conscientia & recordatio. nihil econtra sublimiorem atque altiorem mentem hominis reddit, sicut iustitiæ atque virtutis possessio. Quid enim intolerabilius esse videtur, quàm nihil penitus possidere? Quid difficilius, quàm si vapules, non solùm vices non reddere, verumetiam alteram vertere maxillam? Quid grauius, quàm mortem violentia obire? Sed tamen hæc omnia si rectè perpetiamur, leuia & facilia, & honestæ voluptatis efficacia constituuntur. Sed nulla turbatione moueamini: Inquirere nanque singula diligēter, ac exactè tractare animus est, & si ita vultis, quod primum dictum est, quódque multis difficillimum esse videtur, iam perscrutemur. Vtrum igitur graue atque molestum est, vnius habere ventris curam, an de mille solicitum esse? vnico vestimento indui, nec plura desiderare, an plura & preciosa possidentem, die ac noctu cruciari de conseruatione ipsorum atque custodia metuentem, & sola damni memoria dolentem, ne fortè tineis corrodantur, ne seruus furto auferat? veruntamen quantumcunque dixero, nunquam tantum oratione assequar, quantum vos experientia rerum cognoscitis. Quare optarem aliquem eorum qui ad summum philosophiæ apicem peruenerunt, nobis adesse, vt facilè aspiceres, quanta res ista voluptate potiatur: propterea nemo eorum vnquam qui paupertatem amplectuntur, diuitias optat. Sed ne diuites quidem, inquies, paupertatem eligerent, vt à multarum rerum curis persoluerentur. Et quid istud est? Stultitiæ enim ipsorum, ac ægroti animi, non iucunditatis rerum hoc signū est. Nec alios huius rei testes citare volumus, quàm vosipsos, qui quotidie curis pressi, acerbam hanc vitam vobis putatis: non autem illi sic, sed gaudentes semper, sed exultantes semper, non minus paupertate, quàm reges diademate gloriātur. Maxillam autem vertere multò facilius vapulanti, quàm repercutere, si attenditis. Hinc enim bella & diffidia originem trahunt, inde verò bellorum omnium atque inimicitiarum causæ soluuntur. Et altero quidem modo maiorem flammam suscitasti, altero autem vtriusque incēdium extinxisti. Quòd verò nullo incēdio laborare suauius est, quàm igne peruri, nullus vnquam si de corporibus dicitur, dubitabit. Quantò autem animus corpori præstat, tantò & incendium eius periculosius est, & suauitas certè iucundior. Præterea vtrum leuius atque facilius, in luctamine concertare, an corona donari: currere in stadium, an brauiū C iam obtinuisse: fluctibus agitari, an in portu deuehi? quare mori etiam melius, quàm viuere censeo. A procellis enim atque periculis per mortem liberamur, vita verò & laborum cumulos exaggerat, & plurimorum peccatorum reos facit, & insidiis quotidie implicat, quibus efficitur vt mori melius, quàm viuere mihi videatur. Quòd si mihi non credis, ab his audias, qui vultus martyrum in tempore certaminis conspexerunt, quando flagellis cęsi, vncis ferreis laniati, in sartagine immissi lętabantur, gaudebant, & ceu in rosario constituti gestiebant. Quare Paulus quoque hinc abiturus, & violenta morte obiturus, Gaudeo, inquit, & congaudeo vobis o- Philip. 2. mnibus, & vos pariter gaudete & mihi congaudete. Vides quāto conatu vniuersum orbem terrarum ad communicationem gaudij cōuocat? adeò magnum esse bonum hinc discedere nouerat, ita mortem illam terribilem atque violentam desiderādam existimabat. Verum quòd suaue leuéque sit virtutis iugum, multis aliis etiam possēt comprobari. sed nos ad vltimum iam veniamus, & molesta onera peccati consideremus, ac ex omnibus maximè auariciam in medium educamus, qua turpissima multi peccata dolosè cauponantur recauponantúrque. Quid igitur molestius hac re vnquam inuenitur? quot dolores, quæ magnæ curæ, quot rerum offensiones, quanta pericula, insidiæ, pugnæ, huiusmodi lucris quotidie exoriūntur? quæ turbationes, qui tumultus? Nam quemadmodum sine fluctibus mare nunquam conspicitur, sic animos eorum absque solicitudine, terrore, & turbatione nunquam reperies: sed antequam priora componant, alia inuaserunt: & ad hæc rursus alia atque alia subingressa, ingentem cumulum montium instar erexerunt. Sed iracundi animum atque contumelioſi

lioſi fortè velles videre, quo quidem cruciatu quid peius? quid intestinis vlceribus asperius? quid fornace qua vruntur quotidie, & flamma qua semper incenduntur, ardentius? At verò vita eorum qui corporum formas admirantur, & pulchritudine aliorum tabescunt, quid miserius? quid hac deiectione animi molestius? Vitam ipsius Cain degunt, perpetuo tremori & metui impliciti, in vnoquoque moriętium magis quàm illorum propinqui propriam lamētantes mortem. Quid porrò turbulentius superbia & ceruicibus? aut quid tumore hoc animi furiosius? Discite, inquit, à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Omnium enim bonorum fons atque origo clementia est. Non ergo pertimescas onus, nec ab eo iugo resilias, quo te Christus ab omnibus istis vindicat: sed omni alacritate animi iugum hoc subeas, & tunc quàm suaue sit, facilè cognosces. Nec enim teret ceruicem tuam, sed ornatus gratia imponitur: & vt discas ordine ad regiam viam procedere, & præcipitia vtrinque vitare, ac B facilè per angustam viam lætus incedere. Quoniam ergo tot tantáque bona hoc iugum præbet, quoniam tanta securitate vallatum est, quoniam tanto gaudio replet: omni cura, studio, operáque ipsum trahamus, vt & hîc requiem animarum inueniamus, & futura beatitudine potiamur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

HOMILIA XL. EX CAP. XII.

sabbatis. Lucæ 6. IN illo tempore: Abiit Iesus † sabbato] per sata: discipuli autem eius esurientes, cœperunt euellere spicas & manducare. Lucas verò dicit in sabbato secundo primo. Quid autem est, in sabbato secūdo primo? Quando festum duplex erat, tam sabbati domini, quàm solennitatis alterius succedentis. Sabbatum enim quamlibet quietem atque otium appellabant. cúrnam per ea loca illos ducebat, cùm sciret omnia, nisi soluere quietem sabba- C ti vellet? Et volebat quidem, sed non absque causa soluere: quapropter nunquam nisi data occasione soluit, vt & legem cessare faciat, & obtrectatores non offen- Ioann. 5. dat. Est autem quando principaliter etiam nulla re cogente sabbatum soluit: vt cùm luto cæci oculos perunxit: & cùm dicit, Pater meus vsque modo operatur, & ego operor: quæ omnia sic gerit, tum vt patrem glorificet suum: tum vt imbecillitati consulat Iudæorum: quod etiam hîc factum videmus, cùm esurientium naturalis necessitas ad excusationem adhibetur. In his autem quæ peccata omnino sunt, nulla certè vnquam excusatio inueniri potest. Nam neque homicida, si per iracundiam se fecisse dicet: neque adulter, si per cupiditatem commisisse asseuerabit, nunquam satisfaciet: nec alia vlla excogitari causa poterit, vt hæc quæ peccata sunt, non esse peccata videantur: hic autem cùm famis necessitatem ad satisfactionem attulerit, ab omni crimine illos vindicauit. Tu verò abstinentiam discipulo- D rum mecum admirare: admirare, inquam, quomodo nullam corporis curam, nullum studium habeant: sed sine præmeditatione aliqua ac præparatione mensam sibi sic constituunt, vt continua ferè cogantur inedia premi, neque tamen à Christo abscedant: nam nisi malo inediæ nimium vexarētur, nunquam certè illud in sabbato fecissent. Quid igitur Pharisæi? cùm vidissent, ait, dixerunt ei: *Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere* in sabbato. † *in sabbatis.*] Non vehementer quidem hoc in loco, quanuis consequentia rerum id petere videatur, incensi sunt, sed simpliciter atque oratione quieta criminantur. Quando autem siccam, detentámque manum curauit, atque restituit: tanta tunc exarserunt immanitate, vt etiam de interimendo ipso consilia agitarent. Cùm enim nil magnum atque sublime fit, quietiores sunt: cùm autem sanitatem hominibus solo verbo præstari conspiciunt, quasi feroces bestię perturbati, vehemētius in illū insiliunt. Sic inuidiæ veneno suffecti, salutem hominum persequūtur. Quomodo autē discipulos excusat Christus? *Nō legistis*, ait, *quid fecit Dauid in templo quādo esuriuit* 1. Reg. 21. *& ipse, & qui erant cum eo, qualiter intrauit in domū Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei comedere, neque his qui cum ipso erant, nisi solis sacerdotibus?* Ita quando pro discipulis causam dicit, prophetam aliquem: quādo autem pro semetipso, patrem in mediū solet adducere. Et animaduerte quàm acriter: non legistis, inquit, quid Dauid fecit? Magna enim erat de propheta illo hominū existimatio atque opinio, & ita singularis, vt Petrus et- Act. 2. iam postea cùm ad Iudæos faceret verba, sic dixerit: Licet ad vos liberè de patriarcha Dauid dicere, quoniam & obiit, & sepultus est. Cur autem cùm Dauid mentionem faciat, neque hîc, neque alibi adiecta dignitate, vnquam nominauit? Ideo forsan, quoniam secundùm seriem generis ab illo trahebat originem. Si Pharisæi autē indulgere atque veniam opportunè scirent concedere, inediæ causam pro integra satisfactione solam potuisset adducere: verùm quoniam iniqui atque inhumani sunt, historiæ quoque recitatione comprimuntur. Mar- Marc. 2. cus autem sub Abiathar sacerdote illud factum fuisse asserit: neque contraria & repugnantia historiæ dicit, sed diuersis nominibus illum appellatum fuisse ostendit: deinde cùm ab eo datos fuisse panes Dauid atque suis assęueret, magnos defensioni campos asserit. Siquidem etiam sacerdos ipse id fieri permisit, neque permisit solum, verumetiam diligētius administrauit. Nec modò mihi illud opponas, quòd Dauid propheta erat. Nam ne prophetis quidem id licebat, sed soli sacerdoti hæc prærogatiua conferebatur: vnde & adiecit, Nisi solis sacerdotibus. Quantumuis enim propheta esset, attamen non erat sacerdos, & ille quidem tātummodo erat propheta, non autem & qui secum erant, quibus pariter de propositionum panibus concessum fuit, prophetæ fuerunt. Quid igitur? æqualés ne Dauid prophetæ isti sunt, quispiam obiiciet? Cur dignitatem quæris, vbi legis transgressio fieri videtur? Quid si naturalis necessitas vrget? hac enim ratione potius à crimine liberātur, cùm qui maior fuerat, similiter fecerit. Sed quid ad propositum inquies? Non diem sabbati Dauid contempsit. Maius certè quid dicis, quo præcipuè sapientia Christi demonstratur, qui die sabbati prætermisso aliud quoddam exemplum protuli, ipso sabbato maius. Non est profectò æquale, dici solennitatem non obseruare, & sacram illam mensam, ad quam tibi accedere nefas sit, manibus contrectare. Sabbatum quippe sæpe solutū fuerat, im- Num. 28. mo verò & in circūcisione, & in aliis compluribus sem- per soluitur: & in Hierico autem hoc ipsum esse factum Ios. 5. licet conspicere, istud autem, tunc solummodo: quare à pluribus victoria præstatur. Quomodo igitur hac de 1. Reg. 21. re Dauid nemo criminatus est: præsertim cùm maior hinc culpa cædis sacerdotum, atque interitus exordium sumpserit? quam rem ideo non posuit, quoniam ea sibi sola sufficiunt, quæ ad propositū spectāt: sed aliter quoque respondere voluit. Nam cùm arrogantiam, elationémque ipsorū, Dauid dignitate atque authoritate cōpresserit, tunc maiorem subiungit ambiguitatis solutionē. Et quænam hæc est? *Nescitis*, inquit, *quoniā in templo sacerdotes sabbatum violant, & sine crimine sunt?* In superioribus quippe necessitatis causa, hîc autem nulla ex causa satisfactio affertur: itaque primum confessione, deinde per negationem respondit: & quod vehementius est, vltimum vt oportuit collocauit, quanuis etiam prius suam

Universidad de Deusto
Biblioteca

habet efficaciam. Noli enim mihi obiicere non esse idoneam excusationem, cùm alium idem impunè fecisse in medium adducimus. Nam quando qui fecit, nullius criminis accusatur, tunc quod factum est, quasi lege lata comprobati videtur. Non tamen illo solo contentus fuit, sed vehementius etiam ac maius attulit, cùm apertè neget culpam esse quiequam in sabbatis operari, quod claræ ac indubitatæ victoriæ proprium est. Sic à seipsa legem iam solutam ostendit, nec esse nefas id facere, dupliciter, partim à loco, partim ab ipso sabbati die comprobat: immò verò tripliciter, quoniam & duplicatum opus attulit, & aliud à sacerdotibus subiungit: & quod mirabilius ac maius est, absque culpa ipsos etiam tunc fuisse asseruit. ait enim, & sine crimine sunt. Perpendis quot argumenta induxit? Locum, quia in templo: personam, quia sacerdotes: tempus, quia in sabbato: rem ipsam, quia violant. non enim dixit, quòd sabbatum soluunt, sed violant siue prophanant: & quòd illi qui maius faciunt, quia contaminant, non modò pœnas non luant, verùm etiam culpa careant: sine crimine enim sunt. Quod certè nullo modo illi priori simile putare debemus: nam illud semel duntaxat propter necessitatem, nec à sacerdote factum, veniam non iniuria consecutum est: hoc autem omni sabbato & in templo, & secundum legem sacerdotes factitant. Quapropter etiam non concessionis atque veniæ iure, sed authoritate legis longe ab omni culpa, inquit, remoti sunt. Nec enim criminando hæc dixi, ait, neque vt venia dignos ostendam: sed vt iustitiæ dignitate defendam. Ita illorum quidem causam dicere videtur, & discipulos innocentes esse ostendit. Nam quando de illis dicit, quòd inculpabiles sunt: relinquitur quòd isti multò magis inculpabiles sint. At non fuisse hos sacerdotes, fortè obiicies: ego autem non verebor respondere multò maiores sacerdotibus illos fuisse, præsertim cùm ipse dominus templi, ipsa veritas non figura ipsis affuerit: quapropter etiam dicebat, *Dico autem vobis, quia templo maior est hic.* Quam rem ita magnam atque mirabilem illi audientes, nihil dixerunt, forsan quia non de salute hominis agebatur, cui tamen quia molesta videri poterat, citò medetur ad veniam, cum quadam acrimonia traducens orationem: dicit enim, *Si autem sciretis, quid est, misericordiam volo & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes.* Animaduertis quomodo veniæ innititur, & quomodo rursus præstantiores ostendit, quàm qui ad veniam debeant confugere? non enim condemnassetis, inquit, inculpabiles. Et prius quidem à sacerdotum facto idem inferebat, quòd inculpabiles essent: hoc autem à seipso, immò verò etiam hoc à scriptura concludit, propheticum enim dictum recitauit. Demum post hæc omnia aliam etiam causam adiecit: *Dominus enim est sabbati filius hominis.* quod de seipso dictũ accipimus, quanuis Marcus etiam de natura communiter hominum id dictum scribat. Dicit enim, sabbatum propter hominem factum est, non autem homo propter sabbatum. Sed si ita est, inquies, cuius rei gratia qui ligna colligebat, puniebatur? Certè quoniam si statim à principio, quando feruntur leges, ac ferè in promulgatione ipsa contemnerentur, nullo modo possent postea custodiri. Sabbati autem obseruatio magnas vtilitates ab initio contulit populo: mites enim atque humanos alterum ad alterum reddidit, prouidentiam Dei atque creationem rerum, vt ait Ezechiel, docuit, castigauit paulisper, & à malignitate semouit, ac spiritalibus rebus attentiores effecit. Nam quando lex de sabbato dabatur, si scriptum fuisset, bona quidem omnia in sabbato faciatis, mala verò non faciatis, non conseruassent legem Iudæi: quocirca necesse fuit ab omnibus eodem modo compesci: nihil enim in die sabbati faciatis, inquit: neque tamen sic detineri potuerunt. Ipse autem occultius significauit, quoniam à malignitate solummodo legis compescat authoritas: nihil faciatis, inquit, præterquam ea quæ facit anima. Cùm autem in templo die sabbati, & quidem studio atque opera multò maiore fierent omnia, per ipsam certè legis vmbram veritatem his subaperiebat. Sed cur, inquies, tãtam vtilitatem, quantam sabbato consequebantur, abstulit Christus? immò non abstulit, sed fœlicia illi addidit incrementa. Tempus enim iam aderat altiore sublimioréque rerum omnium intelligentia erudiri: quare non oportebat manus hominis, qui prauitatem odisset, & virtutis ardore sublimius volaret, vinctas coerceri. Nec decebat authoritate legis solum à Deo creata esse omnia credere, nec terrore præcepti humanos eos esse, qui ad imitationem clementiæ diuinæ conuocantur. Sitis enim, ait, misericordes, sicut & pater vester: nec vnum diem solennem agere ipsos, quibus tota vita solennitas est. Festum enim celebremus, ait, non in fermento veteri, nec in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis. Nec iuxta Dei arcam assistere atque altare aureum, eos qui creatorem omnium in seipsis habebant habitantem, multisque modis, immò verò modis omnibus ipsos alloquentem: alloquitur enim certè fideles, orantes, offerentes, per scripturas, per misericordiæ officia: & quòd omnia continet, qui in ipsis habitat. Cur igitur sabbato illi opus est, qui per totam vitam suam agit solennitatem, qui cœlesti viuit disciplina, qui peccatorum immunis, virtutes obseruat & colit? Solenniter igitur viuamus continuè, nihil omninò malignitatis committentes. Nam tunc solum veram solennitatem peragimus, cùm spiritalis vitæ cõtinuè cultum augemus, quum à terrestribus abstinemus, quum spiritali otiamur otio, manus ab auaritia cohibentes, corpus à superfluis & inutilibus abducentes laboribus. Seruitutis enim sunt extremæ hi labores, illisque profectò similes sunt, quibus in Ægypto Iudæorum populus vexabatur. Nullũ enim inter auri sollicitos collectores, & cœni atque laterum operarios, quisque ad paleas colligendas flagellis adigebantur, discrimen omnino est. Nam vt tunc Pharao atrocissimus ille tyrannus, flagellis ad colligendas paleas compellebat Hebræos: sic etiam nũc diabolus ad officium laterum flagellis cupiditatum multos incendit. Quid enim aliud aurum est, quàm cœnum? & argentum quid aliud, quàm palea? sicut ergo palea ignem, sic pecuniæ cupiditas auaritiæ flammã incendit, & quasi cœnum aurum ipsum inquinat possidentes: sed missus est nobis liberator, non Moses à deserto, sed Dei filius de cœlo. Quare si post aduentum eius etiam in Ægypto permanebis, Ægyptiorum etiam suppliciis cruciaberis: sin verò Ægypto spreto Israël spiritalem sequeris, miraculorum omnium eris spectator. Nec tamen id solum ad salutem sufficit: non enim ab Ægypto tantummodo recedẽdum est, sed in repromissionis quoque terram omnino veniendum. Nam & Iudæi, sicut Paulus attestatur, & si per mare rubrum facto itinere transierint, & si manna comederint, & si spiritalem biberint potum, omnes tamen perierunt. Ne igitur etiam nos similia patiamur, omnem desidiam, omnem torporem proiiciamus. Cúmque audiuerimus malignos quosdam exploratores, qui angustum & laboris plenum iter quemadmodum speculatores illi faciebant, condemnent, non vulgus, sed Iesum imitemur & Chaleb Iephonne filium, nec à latere ipsorum antè recedamus, quàm repromissionis terram, & cœlos ipsos adipiscamur. Itineris autem difficultatem cur quisque timebit? Nam si hostes atque inimici Dei reconciliati cum

Osee. 6.
Marc. 2.
Luc. 6.
1. Cor. 5.
Exod. 1. Ibid. 5.
Heb. 11. Exod. 14. Exod. 16. Ibid. 17.
Num. 13. Iosu. 14. & 15. Eccl. 46. Rom. 5.

cum Deo sumus, multò facilius post reconciliationem saluabimur. Sed angusta est, inquies, via hæc, & ardua nimis: illa verò prior, qua progrediebaris, non angusta solùm & ardua, verùm etiam inuia, & atrocissimis plena bestiis fuit. Et quemadmodum impossibile omnino erat per mare rubrum pertransire, nisi miraculo facta via fuisset: sic à priore vita ad cœlos conscendere sine mediatione baptismi non possumus. Et si quod factu impossibile erat, factum est possibile: quantò magis angustum hoc atque arduum iter facilè fiet? Ita, inquies, sed diuina potestate atque gratia solùm transitus tunc Iudæis concessus fuit. Idcirco tu debes considere. Nam si gratiæ beneficio solùm illi transierunt, cùm tu ad gratiam laboribus quoque tuis niteris: nónne securior es? Si enim otiosos saluauit, quantò magis solerti laborantibus studio certissimam feret opem? Sed quid ab impossibilibus diuina potestate confectis, vt in difficili re confidas te hortor, cùm illud liceat dicere, quòd si iugiter vigilamus, non est angustum, neque difficile hoc iter? Considera enim diligenter quæ facta sunt, mors iam ipsa conculcata est, diaboli crudele imperium cecidit, atrox peccati lex extincta est, Spiritus gratia diffusa, † via] in compendium redacta, onera legis ablata: at si velis ita esse vt dico perdiscere, cogita quòd iam viri sancti maiora quàm Christus præcipiat, effecerunt: tu verò medio criter quæ scripta sunt, reformidas. Quam igitur satisfactionem habebis, cùm aliis etiam vltra metam currentibus, tu vel ad constitutum terminum peruenire grauaris? Tibi quippe vt partem tuarum rerum pauperibus offeras præcipitur, qui alios vides omnia sua cõtempsisse. Tu rogaris cum vxore modestè viuere, qui alios videas ne legitimo quidem coniugio copulari voluisse. Et quotidie quidẽ nostro tu hortatu impelleris, ne venenosæ inuidiæ vitio labores, quum alium producere possimus qui præ alterius charitate suam ipsius animam exposuerit: ac te hortamur vt clemens sis & non crudelis in peccantes, quum alius alapa percussus, alteram quoque maxillam verterit. Quid igitur (quæso) respondebimus, aut quo modo defendemus, qui nec iussa quidem suscipimus: cùm alij multo maiora, quàm iuberentur, perfecerint? qui certè nequaquam præcepta ipsa superassent, nisi mirum in modum res ipsa facilis esse comprobaretur. Respondeˌquæso, Quis tabescit, & quasi cera continuè liquatur? vtrum qui bonis aliorum insidiatur ac inuidet, an qui gaudet ac congratulatur? Quis atroci suspicione semper vexatur, ac tremit? vtrum qui moderatè viuens, castitatem colit ac seruat, an qui alienis vxoribus plagas tendit? Quis optima spe munitus, gaudet? vtrum qui rapto viuit, an qui sua indigentibus partitur? Hæc igitur cogitantes non cunctemur, nec ignauia virtutis cursum relinquamus: sed cum omni alacritate animi præclara hæc certamina arripiẽtes, paruo tempore colluctemur, vt coronas semper florentes adipiscamur. Quibus vtinam omnes potiamur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

(vita)

HOMILIA XLI. EX CAP. XII.

ET *transiens inde venit in synagogam eorum: & ecce homo habens manum aridam.* Iterum vt re quoque ipsa pro discipulis satisfactionem redderet, in sabbato curat. Et alij quidem euangelistæ scribunt in medio homine constituto interrogasse, an bene agere liceret in sabbatis. Vide igitur misericordiæ viscera, constituit hominem in medio, vt videntes viderent, vt oculis cernentes misericordia fracti, malignitatem deponerent, aut saltem ægroti hominis eos puderet, vt ab immanitate ferarum cessarent: illi autem non inhumani solùm, verùmetiam hominum omnino inimici malebant gloriæ Christi officere, quàm ægroti hominis salutem videre: ita vtrinque prauitatem animi ostendebant, & quia Christo data opera repugnabant: & quia id sic obstinato animo faciebant, vt aliorum etiam sanitatem ac vtilitatem impedire conarentur. Et alij quidem, vt diximus, ipsum Christum interrogasse scripserunt, hic autem interrogatum fuisse asseruit. *Et interrogauerunt ipsum*, inquit, *dicentes: Licet in sabbatis curare? vt accusarent eum.* Vtrumque autem factum esse credendum est. Scelesti enim illi atque astuti, quoniam ad curationem hominis tandem ipsum peruenturum non dubitant, interrogando præuenire studuerunt, vt hoc pacto ipsum à benefaciendo remouerent. Non ergo interrogabant si liceat in sabbatis curare, vt discerent, sed vt accusandi reprehendendique materiam nanciscerẽtur. Cúmque operatio ipsa ad accusandum malignis animis posset satis esse verbis tamen etiam irretitum ideo capere conabantur, vt magnam sibi argumentorum copiam inde constituerent. Ipse autem humaniter curat, & respondet, quàm mitis sit facilè omnibus aperiens, ac insidias inimicorum in ipsos conuertens, ac inhumanitatem atque atrocitatem ipsorum omnibus manifestans. Statuit, inquit, hominem in medio: non quia ipsos metueret, sed quoniam ad misericordiam eos trahere cupiebat. Cùm autẽ nullo modo illi flexi sunt, tunc contristatus ait atque iratus ipsis propter duritiem cordis eorum. *Quis erit homo*, inquit, *ex vobis, qui habet ouem vnam, etsi sabbatis in foueam hæc ceciderit, nonne tenebit & leuabit eam? Quantò melior est homo oue? Itaque licet sabbatis benefacere.* Nam ne rursus impudenter inuehantur, nec transgressionis crimine iterum incusent, hac similitudine prius ad eos ratiocinatur. Tu verò diligenter perpende qualiter variis modis & vbique conuenienter ac consequenter satisfactiones de sabbati solutione intulit. Et quanuis pariter cæci miraculum, quando lutum fecit ab eis reprehenderetur: tamen tacuit tunc, quoniam ipse curationis modus creationem adumbrans dominum legis per se prædicabat. At verò in paralytico qui lectulum portauit, modò vt Deus, modò vt homo respondere voluit. Vt homo quidem cùm dicat, circuncisionem sumit homo in sabbato, vt non soluatur lex Moysi: mihi quoniam totum hominem saluum feci, irascimini: vt Deus autem, quoniam dicit: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Pro discipulis autem satisfaciens, dixit, Non legistis quid fecit Dauid quando ipse esuriit, & qui cum eo erant quo modo introiuit in domum Dei, & panes propositionis comedit? Sacerdotes quoque in medium detulit, hic verò interrogauit vtrum liceret in sabbato benefacere, aut malefacere, & quis ex vobis, cùm habeat ouem &c. Non erat enim nescius quanta æris cupiditate vexarentur, & quòd auri multo magis quàm humanitatis essent cultores. Alius autem euangelista scribit, quòd circunspexit etiam eos cùm hæc interrogaret, vt etiam aspectu atque oculorum motu ad misericordiam ipsos flecteret: sed ne sic quidem illi facti sunt meliores: & hic quidem verbo tantummodo, alibi autem manus quoque impositione curauit, sed nihil horum ipsos reddidit misericordes. Homo igitur ægrotus sanitatem adeptus est, ipsi autem curatione illius ad peius fuerant deuoluti. Et quidem præ cæteris illos curare volebat, & multis nobis remedium afferebat, tum re ipsa & signis, tum verbis & argumentis. Cùm autem omnem illi rationem retruderent, tunc homini dixit: *Extende manum tuam: & extendit, & restituta est sanitati, sicut altera.* Quid autem illi? egrediuntur, inquit, & consilium capiunt vt

Marc. 5. & Luc. 6.
Ioan. 9.
Matt. 9.
Ioan. 7.
Ibidem 5.
Hic suprà, & 1. Reg. 12.
Marc. 3.
Matt. 9. & Marc. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsum perdant. ait enim. *Pharisæi exeuntes, consilium ceperunt aduersus eum, quomodo eum perderent.* Ita nulla iniuria vexati de interitu meditabantur, adeo pernicioſum malum inuidia eſt: nec enim alienis ſolùm, ſed domeſticis & illis ipſis qui inuident peſtifera eſt. Marcus autem inquit, quòd cum Herodianis tale conſilium capiebant. Marc. 3.
Quid autem ille mitis atque manſuetus, quem omnia nequaquam fugiebant? quid inquam fecit? *Ieſus autem*, inquit, *cùm cogitationes eorum cognoſceret, receſſit inde.* Vbi ſunt ergo, qui clamare audent ſigna fieri oportere? Etiam eis planè monſtratur, nec ſignis quidem animo ingrato poſſe perſuaderi, ſimúlque declaratur quòd diſcipulos temere accuſauerint. Obſeruare autem diligenter oportet, tunc maximè illos efferatos, cùm iuuari homines perſpexiſſent: tunc enim incuſabant, tunc vehementi furore incitati inſaniebant, quando ægrotum aliquem repentè incolumitati reſtitutum cernebãt, quando etiam à prauitate, corruptíſque moribus reuocatos ad virtutem nonnullos intelligebant. Nam quando me- Ioan. 8. Luc. 7.
retricẽ erat ſeruaturus, & quando cum publicanis comedebat, quaſi atrox facinus commiſiſſet, criminabantur: nunc & quando manum ſiccam reſtituit, ferre non poſſunt. Tu verò illud mecum admirare, qualiter & ægrotorum præcipuam habet curam, & inuidiam illorum multis mitigat modis. *Et ſecuti ſunt ipſum multi, & curauit eos omnes, & præcepit ne manifeſtum eum facerent.* Turbæ quidem nimium admirantur, nimium etiam diligenter ſequuntur. Illi autem à mente mala malóque animo non recedunt: verùm ne quis conturbetur inauditum illorum furorem conſiderans, prophetæ prædicentis hæc teſtimonia affert. Tanta enim fuit prophetarum diligentia, vt ne minutiora quidem reliquerint: ſed tam itinera eius, quàm migrationes prædixerint, quáque mente fecerit non contiecuerint, vt tu credas Spiritus ſancti poteſtate cuncta fuiſſe prædicta. Nam ſi nudi cuiuſdam hominis impoſſibile eſt arcana cognoſcere, multò minus certè Chriſti animus atque volun- C
tas, non reuelante Spiritu, à prophetis cognita fuiſſet. Eſa. 42.
Quid autem propheta dixit? *Vt impleatur quod dictum eſt per prophetam Eſaiam: Ecce puer meus, quem elegi: dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ: ponam ſpiritum meum ſuper ipſum, & iudicium gentibus nunciabit. Non cõtendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius: arundinem quaſſatam non confringet: & linum fumigans non extinguet, donec emittat in victoriam iudicium: & in nomine ipſius gentes ſperabunt.* Clementiam atque manſuetudinem eius, & ineffabilem potentiam huius effert, & ianuam gentibus latam adapertam oſtendit, & euentura Iudæis mala prædicit: atque concordiam & conſenſum qui ipſi eſt cum patre non occultat. Ecce, inquit, puer meus quem elegi: dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meę. Qui autem electus eſt, is non vti inimicus atque hoſtis legum latoris legem ſoluit, ſed vt conſentiens, eáque agens, quæ à legum latore ſimiliter comprobantur: Clementiam autem ipſius mirabilem, D
inauditam manſuetudinem, incredibilem humanitatem prædicendo, inquit: Non litigabit, neque clamabit. Nam ipſe quidem optabat cum eis eſſe, atque eos curare: renuentibus autem ipſis, atque adeò repellentibus reſiſtere atque reluctari noluit. Deinde prophetа vt virtutem Chriſti, & illorum imbecillitatem oſtenderet: Arundinem, inquit, contritam non franget. Sic certè ipſe omnes frangere facilè poterat, vt arundinem: nec vt arundinem ſimpliciter, ſed vt arundinem iam contritam. Et linum fumigans non extinguet. Hic accenſam illorum iram, atque furorem præ oculis ponit: & virtutem Chriſti tantam eſſe confirmat, vt comprimere ac extinguere facilè poſſit: quod cùm A non fecerit, immenſa humilitate ac manſuetudine feciſſe comprehenditur. An igitur ſemper hæc ita erunt, ſempérque feret eos, qui ſingulari furore concitati, hæc inſidiantur? Nequaquam: ſed cùm ſua omnia optatum exitum fuerint conſecuta, tunc etiam illos caſtigabit. quod inde ſignificatur. Donec, inquit, emittet in victoriam iudicium: & in nomine eius gentes ſperabunt. vt & Paulus quoque dicit: in promptu habẽtes, inquit, 1. Cor. 10.
omnem inobedientiam vlciſci: cùm completa fuerit veſtra obedientia. Quid autem eſt, cùm emiſerit in victoriam iudicium? cùm ſua omnia impleuerit, videlicet tunc vltionem conſummabit, tunc grauia nimis, duráque aderũt omnia, cùm ipſe clarum trophæum ſtatuerit, cùm iuſtificationes ſuæ victoriam nactæ fuerint, cùm denique nullam, etiamſi impudentiſſimi ſint, reſpõſionem ſibi relictam viderint. Nouit enim iudicium ipſam iuſtitiam dicere, verùm non in ſupplicio ſeductorum diſpenſatio finietur, ſed orbem quoque vniuerſum
B ad ſe attracturus eſt, ideo ſubiunxit: Et in nomine ipſius gentes ſperabunt. Et vt certior ſis hoc etiam voluntate patris factum, ideo ſtatim propheta cum cæteris hoc quoque confirmauit, dicens: Dilectus meus in quẽ ſibi complacuit anima mea. Qui enim dilectus eſt, is cuncta ex ſententia diligentis peragit. *Tunc oblatus eſt ei dæmonium habens cæcus & mutus: & curauit eum ita vt cæcus ac mutus & loqueretur & videret.* O peſtiferam dæmonis aſtutiam, vtranque viam occupauit atque obſtruxit, quibus erat ille crediturus, viſum ſcilicet atque auditum, quas tamen ambas vias Chriſtus reſeruit: *Et ſtupebant turbæ dicentes: Nunquid hic eſt filius Dauid? Pharisæi audientes dixerunt: Iſte non eiicit dæmones, niſi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Et certè nihil magni turbæ dixerunt, & tamen nec illud pati potuerunt, adeò, quemadmodum iam dixiſſe memini, beneficiis aliorum ceu acerbo morſu exagitantur. Nec quicquam eſt quod eos tanto dolore cruciet, ſicut indubitata hominum certáque ſalus. Nam quanuis & receſſerit, occaſionémque ipſis ſedandi perturbationes dederit, inflammabatur tamen rurſus illorum animus, quoniam iterum beneficio illius incolumem hominem videbãt. Qua ex re dæmone quoque ipſo magis dolebant. quippe dæmon ab homine cito recedens, ac nihil dicens, fugam arripuit, illi verò modò interficiendi agitabant conſilia, modò quoniam illud ſibi non proceſſit, calumniis exiſtimationem hominum de eo retundere conabantur. Tale certè malum inuidia eſt, qua nulla vnquam malignitas peior inuenitur. Nam adulterio inquinati, voluptatis Inuidia.
ſaltem iniquæ fructum, vt putant, aliquem capiunt, & breui tempore peccatum committunt. Inuidi autem & multò ante ſeipſos, quàm quibus inuident perturbant & cruciant, & ita in agendo ſemper inuidẽdóque ſunt, vt nunquam peccandi afferant finem: ſed quemadmodum ſues lutoſa immundicia, & dæmones noſtris damnis lætantur, ſic inuidi calamitate proximorum exultant. Cúmque aliquid triſte ac doloris efficiens proximo acciderit, tunc aliquantulum acquieſcit, atque reſpirat inuidus: alienas enim iacturas ſuos quæſtus exiſtimat, & aliorum fœlicitatem miſeriam ſuam arbitratur: nec magis conſiderat quid ipſe ſuaue conſequatur, quàm quid proximo calamitoſum inferatur. Nónne igitur tales homines lapidibus petendi. Nónne omni cruciatu torquendi ſunt? Non aliter profectò quàm canes rabie concitati, infeſtíque dæmones, atque furiæ ipſæ. Nam quemadmodum ſcarabæi alieno ſtercore, ſic inuidi aduerſa aliorum fortuna nutriuntur, cùm ſint cõmunes humano generi hoſtes atque inimici. Et alij quidẽ homines ſi animãtes rationis expertes crudeliter cædi, ac dilaniari viderint, aliquantulum commiſerantur:

tu verò

tu verò cùm ſalutis beneficium conferri homini cer- A
nas, expalles & tremis, & in ferocitatem cædendi benefactoris conſpiras. Et quid hac inſania furioſius vnquam reperietur? His profectò de cauſis fornicatores, ac publicani ad cœlos conſcendere potuerunt, inuidiæ autem morbo laborantes, quum intus eſſent, à re-
Mat. 8. gno cœlorum exciderunt: filij autem, inquit, regni eiicĩẽtur foras. præterea omni prauitate illi ex animis expulſa, ea quę nunquam ſperarunt, facilè nacti ſunt. Pharisæi autem vel ea quæ retinebant bona penitus amiſerunt: neq; id iniuria. Nam inuidia peſtiferum malum, hominem in diaboli cõditionem, ac in dæmonem im-
Geneſ. 4. maniſſimum conuertit. Inuidia prima hominis cædes apparuit. Inuidia fraterna charitas contempta eſt. In-
Num. 16. & 26. uidia ſanguine hominis terra primo maculata. Inuidia denique factum eſt, vt hiatu ſuo terra Dathan, Chore, Abyron, vniuerſumq; illum populum viuos abſorpſerit. Sed facillimum eſt dicet aliquis, inuidos accuſare: dicendum autem eſt quo modo hoc morbo liberabi- B
mur. Quo modo igitur ne veneno ſuo nos inficiat, faciemus? Si dabimus operam, vt quemadmodum fornicatori nefas eſt eccleſiã ingredi, ſic inuido quoq; : immò verò multò magis inuidus, quàm fornicator à cœtu fidelium exterminandus eſt. Si enim nunc cùm id malum indifferens penè videatur, à nõnullis ſpernitur: profectò ſi atrocitas malignitatis eius omnibus patuerit, facilè ab ea reſiliemus. Lachrymarum igitur fontes in fletibus manare deberent ex oculis. Deus orandus, perdiſcendúmque tibi eſt turpiſſimum flagitium eſſe inuidiam: ſic enim affectus celeriter tanquam à periculoſo morbo fugies, ac pœnitentiam ages. Sed quis ignorat, inquies, vitium eſſe inuidiam? Ignorat quidem, vt dicis, nemo: non tamẽ ſicuti fornicationem, aut adulterium, abominandam ducunt. Quod vt credas, quæſo dic mihi: quãdo quiſpiam amare ſicuit, quoniam in inuidiam lapſus eſſet? Quando Deum aliquis propitium eſſe ſibi orauit, quoniã inuidia peccaſſet? Nemo certè vnquam. C
Sed quãuis omnibus inuidẽtior hominibus ſit, ieiunio tamen aliquo, aut paruo argento pauperibus dato effeciſſe credit, vt nihil mali commiſiſſe videatur, cùm tamen omnium peſſima atque ſceleſtiſſima paſſione vexetur. Nam vnde Cain fratricida effectus eſt? Vnde verò Eſau fratrẽ inſectabatur? Vnde Labam: vnde Iacob
Gen. 4. Ibi. 27. Geneſ. 31. Ibid. 37. Num. 16. & 26. Ibid. 12. Geneſ. 3. filij: vnde Chore, Datham, & Abyron: vnde Maria atq; Aaron inquinati fuerunt? Vnde ipſe diabolus calumnię nomen ſortitus eſt? Ad hæc illud etiam tecum ſemper verte, quia non maiorem illi cui inuides, quàm tibiipſi facis iniuriam, cùm teipſum verſus mucronem impellas. Quid enim incommodi Cain fratri ſuo Abel intulit? Nónne illum quidem inuitus ad meliorem vitam citius tranſmiſit, ac ſeipſum ærumnis inuoluit? Eſau verò qua in re manſueto Iacob obfuit, cùm ipſe etiam paterna domo excidit: & poſt inſidias illas in aliena vagabatur regione: Iacob verò multis bonis atque diuitiis abundauit. Qua in re fratres ſui Ioſeph peiorem reddi- D
derunt? Nónne quanquam vſq; ad ſanguinem ferè veniſſent, inediæ malo in extremis periculis fuerunt, cùm ille regia poteſtate in Ægypto potiretur? Nam quanto maiore inuidia laboras, tanto maiora illi offers bona, cui inuides. Deus enim qui omnia perſpicit, cùm viderit innocentem iniuria circunuentum, extollit multò magis, clarúmque illum facit, inuidẽtem autem deprimit. Nam ſi eos qui ob inimicorum incommoda lętan-
Prou. 14. tur, non ſinit eſſe impunitos (Ne gaudeas enim, inquit, caſu inimicorum tuorum nequãdo videat Deus, & diſpliceat ei) multò maioribus profectò eos à quibus innocentes per inuidiam exagitãtur, ſuppliciis tradet. Interimamus ergo peſtiferam hãc beſtiam, ac multa eius capita detruncemus. Multæ quippe inuidiæ ſunt ſpecies. Quòd ſi qui amantem ſe diligit, nihil maius publicanis adipiſcitur: qui odio innocentem inſectatur, quid patietur? Quo modo autem gehennam effugietis, qui gentibus atque infidelibus deteriores eſtis? Quibus de cauſis fit, vt vehementius doleam atque crucier, cùm video nos qui angelos vel potius angelorum dominum imitari ex præcepto debemus, diabolum obnixa æmulatione zelare. Magna enim etiam in Eccleſia & in clero, multóque maior quàm in laicis eſt inuidia: propterea de nobis quoque ipſis dicendum eſt aliquid. Cuius enim rei gratia proximum inuidendo perſequeris? An quia in honore ac dignitate viuit? Non cogitas igitur quantam honores perniciem ignauis ac indiligentibus ſolent afferre? Extollunt enim ad inanem facilè gloriam, in tumorem atque ſuperbiam, & contemptum aliorum impellunt, deſidiam augent: & ad hæc omnia ipſi etiam parua cõmoti aura defloreſcũt: quòd- B
que acerbius eſt, malorum præcipitia, in quæ honores detrudunt, perpetua ſunt atque prærupta. Voluptas verò quæ ab eis capitur, vix ſenſum deliniuit, ac repentè vniuerſa deuolauit. Iſtis ergo de cauſis inuides, reſpõde quæſo? Ita, inquis: ſed plurimum ille apud pontificem poteſt. Ducit, fert, vexátque omnia quocunq; velit, & offendentes atque inimicos perſequi poteſt: adulatores, aſſentatoréſque ſuos in maius euehit, magnaq; vſus fœlicitate poteſtatéque ſimul lætatur. Secularium, perditorumque hominum hæc verba ſunt. Nam ſpiritalem hominem nulla res poteſt dolore vexare. Quid enim malefaciet, ſi etiã à dignitate te deponeret? Nam ſi iuſtè id fecerit, maxima certè contulit. Nulla enim re magis Deus offenditur, quàm ſi quis indignus ſacerdotij dignitate præfulgeat. Sin verò iniuria, omnis culpa non te, ſed illum tenet irretitum: nam qui iniuriam paſſus æquo animo perfert, maiorem hac re apud Deum acquirit fiduciam: quare nolimus, obſecro, excogitare C
quo modo in honoribus atque dignitatibus, ſed quo modo in virtute atq; recta philoſophia viuemus. Nam dignitates profectò ad multa quæ Deo minimè placent, hominem inducũt. Quapropter etiam valde magno animo, ſublimíque opus ingenio eſt, vt dignitate vti, non abuti poſſis: ita qui ea caret, volens nolénſque philoſophatur. Qui verò dignitate ac poteſtate floret, ei ſimilis eſt qui cum puella formoſa cohabitans, legem atque præceptum ſuſcepit, ne iniquè laſciuientibus ipſam oculis videat. Talis quippe res dignitas atq; poteſtas eſt. Quo circa multos etiam inuitos ad contumeliandum intruſit, iram plerunque accendit, linguæ frænum abſtulit, & ianuam † morti] reſeruit, quaſi ma- oris.)
gna procellarum vi animum ſubuertens, & ad profundum malorum omniũ nauiculam ſubmergens. Cur igitur virum tu admiraris, eíque inuidendũ eſſe putas, qui tot tantiſq; periculis concutitur? & quænam hęc eſt dementia? ſed ad hæc quæ dicta ſunt, tecum illud etiã verſa, quot inimicis, quot accuſatoribus, quot aſſentatoribus, qui in dignitatibus eſt, obſideatur. Hæc igitur reſponde quæſo, beatificatione digna opinaris? quiſnam id diceret? Sed apud populum, inquies, magna de ipſo exiſtimatio eſt. Quidnam hoc ſibi vult? Nõ enim certè populus, ſed Deus iudex eſt, cui vitæ rationes redditurus es. Quare quando populũ dicis, caue promontoria, ſcopulos, atq; latétia ſaxa. Approbatio enim vulgi quãto clariorem quempiam facit, tãtò maioribus curis, ſolicitudine atq; periculis vexat. Nec enim reſpirare qui dominatui populi ſeruit, nec in re aliqua firmiter ſtare poteſt. Cur autem nec reſpirare, nec firmiter ſtare diximus? Difficilè (inquã) huiuſmodi homines, etiãſi mille virtutibus muniantur, in regnum Dei peruenięt. Ni-

Universidad de Deusto
Biblioteca

hil enim magis è iugo iustitiæ subducere collum solet, A quàm hic inanis conflatus gloriæ, quæ timidos, remissos, adulatores, simulatores homines reddit. Cur autem putas Christum à pharisæis dæmoniacum fuisse appellatum? Nónne quia gloriam à multis aucupari cupiebant? Vnde autem vulgus rectius de Christo sentiebat? nónne quia procul ab huiusmodi ægritudine aberat? Nihil certè ita iniquos atque amentes facit, quemadmodum si ad inanem multorum gloriam inhiare cupiditate cogaris: nihil ita probos, fortes, ac adamantis instar infractos constituit homines, quemadmodum inanis huius gloriæ ac existimationis multorum cõtemptus. Quare excelso quodam robore animi opus est, vt possimus tot tantósque vndarum fluctus inuadere, tot ventorum flatibus reluctari, atque resistere. Nam qui multitudinis existimationem & famam sequitur, quando adspirauerit fortuna, omnibus seipsum fluctibus proponit: quando verò reflauerit, in profundum vellet seipsum submergere. Et enim cùm hac passione B quispiam victus fuerit, sicut populari aura extolli, regnum cœlorum ducit, ita deprimi atque exsibilari gehẽnam arbitratur. Hæc igitur, obsecro, digna sunt, quibus inuideas, an potius fletu atque lachrymis copiosis? Tali ergo tu homini cùm inuideas, ei similis es qui cùm vinctum afflictúmque viderit, atque cæsum vulneribus ac flagellis, commotus ipsi nimium inuidet. Nam certè quot homines in populo sunt, tot vinculis constringitur, tot dominis subiicitur, qui vulgi laude gaudet: quódq; indignius est, quod singuli diuersis vtantur sententiis: qui cùm incommoda accidunt: ea omnia ipsis seruienti attribuunt, nullum negocium examinantes, sed quæ huic vel illi visa in concione fuerint affirmantes. Hæc igitur qua tempestate, quibus procellis peiora non sunt? inflantur enim voluptate tales homines, ac extolluntur, & in profundum rursus facilè demerguntur, semper vexati animo, nunquam in tranquillitate viuunt. Nam antequam dies cõcionis, & orandi facul- C tas aduenerit, tremunt, ac de exitu nimium reformidant: post concionem verò, atque comitia, aut repulsi mœrore repulsæ iacent, aut quod mœstitia turbulẽtius est, immoderata lætitia inflantur. Quòd enim voluptas non minus malum, quàm dolor est, facilè credes, si quomodo animum nostrum afficit, diligentius considerabis. Leuem enim, atque quasi alatum faciens ventis secundis committit: quod à prioribus illis viris facilè discere possumus. Quando igitur probum fuisse Dauid legimus? Vtrum cùm secunda afflaret fortuna, an quãdo aduersa premebat? Et quando Iudæorum populus

Exo.32. virtutem colebat, vtrum cùm angustis rebus perdomiti, gemitibus atque lachrymis Deum inuocabant, an quando in eremo lætitia corrupti vitulum adorabant? Quas ob res etiam Salomon, qui maximè omniũ quid-

Eccle.7. nam voluptas sit percepisse videtur: Melius est, inquit, ire in domum luctus quàm in domũ risus. Idcirco Dominus quoque alteros beatificat, Beati qui lugent, di- D

Matt.5. Luc.6. cens. Alteros quasi misericors deflet. Væ vobis qui ridetis, quoniã flebitis: nec iniuria. Nam in deliciis mollior flexibiliórque est animus, in luctu verò quasi contractus, atque in se reuersus moderationem colit, & à congerie passionum liberatus, robustior atque sublimior efficitur. Hæc igitur omnia probè scientes, inanem gloriam & voluptatem quæ ab ipsa capitur celeriter fugiamus, vt veram atque permanentem consequamur. Qua potiri vt omnes possimus deprecemur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

HOMILIA XLII. EX CAP. XII.

SCIENS *autem Iesus cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum cõtra se diuisum desolabitur, & omnis ciuitas vel domus diuisa contra se, non stabit: & si satanas satanam eiiciet, aduersus se diuisus est: quomodo ergo stabit regnum eius?*

Calumniati iam pharisæi fuerant, quòd in Beelzebub dæmonia eiiceret: sed tunc quidem non increpauit, nec quicquam omnino ad hoc respondit: sed partim à multitudine ignorum, partim à dignitate doctrinæ ad cognoscendam omnipotentiam suam inducebat. Verùm quoniam in nequitia eorum perseuerantes eadem dictitabant, respondit nunc, vt deitatem suam ostendat. Primùm quando arcana cordium ipsorum, quæque inter eos secretè agitabãt, proferret: deinde quando facilè dæmones proiiceret. & quanuis valde impudens illa calumnia erat, cùm inuidentes non considerent quid dicant, sed quicquid in buccam venerit, proferant, non neglexit tamen Christus, sed propter vtilitatem ipsorum clementer atque vtiliter respondet: vt nos doceat, ita mites esse erga inimicos, vt etiamsi aduersus nos ea dicant, quæ nulla ratione nitantur, quorúmque ipsi nequaquam conscij simus, non conturbemur tamen, neque commoueamur, sed æquo animo ipsis omnium rerum rationẽ referamus. Quod ideo maximè tunc peregit, vt vel hoc signo mentitos esse aduersus ipsum eos confirmaret, quoniam non sit dæmoniaci tanta clementia, mansuetudine, humanitatéque vti, nec est dæmoniaci arcana hominũ nosse. Nam quia impudentissima erat talis excogitatio, ideo etiam timore multorum perterriti, non ausi fuerant in publicum afferre, sed mente secum assiduè versabãt. Christus verò, vt viderent quoniam hæc ipsum non fugiunt, arcanas eorum cogitationes atque calumnias non publicauit, nec versutam malignitatẽ eorum effert, sed occul- C torum incusatione solutionem adducit, conscientiæ ipsorum redargutionem relinquẽs. Vni enim solummodo rei maximè studebat, vtilitati peccantium, non vt in vulgus eos traduceret. Et quamquam si voluisset rationibus eos quasi nequam homines conuincere ac pœnas ab eis petere, facilè potuisset, hac re tamen prætermissa ad illud solummodo respiciebat, vt moderatiores eos redderet, aut saltem à praua cogitatione subduceret, ac aptiores ad emẽdandum redderet. Quomodo igitur respondet? non à Scriptura certè, cui minimè ipsi probè vacabant, falsis eam expositionibus subuertentes, verum ab his quæ communiter solent fieri arguit, dicens: *Omne regnum contra seipsum diuisum non stabit.* Ciuitas enim ac domus si fuerit scissa, dissoluetur. Non enim adeò externa, quantum intestina atque ciuilia bella prosternunt: idipsum in corporibus quoque fieri solet, id in cæteris, ac etiam omnibus rebus: sed à manifestioribus similitudines sumpsit. Nam etsi nihil regno in terris est firmius, facilè tamen destruitur seditione dissipatum. Quod si multitudine ac magnitudine rerum regni, quæ in se aduersæ corruent, fieri quispiam contendit: quid de ciuitate aut domo vna dici potest? Ita siue paruum siue magnum sit quod secum ipsum dissidet: prosterni atque cadere necesse est. Si ergo dæmonium ipse habeo, quo dæmones eiicio, seditio iam & pugna inter dæmones est, cùm alter in alterum insurgat. quod si dabitis, dissoluta est iam omnis vis ipsorum, atque corrupta. *Si satanas satanam proiiciet.* Non dixit, si satanas dæmonia, sed si satanas satanam, vt magnam inter eos concordiã ostẽderet. In seipsum autem regnũ diuisum, ait, quoniam quod diuisum est, imbecillius factũ dispergitur: dispersum autem atque dissolutum,

solutum, quã vim habebit vt alios possit eiicere? Vides A quanto risu digna est hæc accusatio, quã furiosa, quàm repugnans. Non est enim consentaneum vt vnus & idem dicat quòd stet & quòd eiiciat dæmones: quodq; propter hoc stet propter quod destructas iam esse vires ipsius oporteret: & hæc quidem vna solutio est. Altera verò illa, quæ de discipulis dicitur. non enim vno solo argumento, sed altero, atque tertio nonnũquam futiles rationes dissoluit, multis modis volens impudentiam

1.Reg.21. Num.28. Osee.6. & Matth. hic & supra 9. eorum retũdere: sic & de die sabbati feciſſe ipsum videmus. Cùm & Dauid regem in medium produxerit, & sacerdotum factum non tacuerit, & Scripturam testem citauerit, dicentem: Misericordiam volo, & non sacrificium: ac denique causam sabbati adduxit, quomodo hominis causa factum fuit: pariter igitur etiam hîc secũdam satisfactionem multò quàm primam clariorem subiunxit, dicens: *Si ego in Beelzebub dæmonia eiicio, filij vestri in quo eiiciunt?* Perspicis etiam hîc quàm mitis sit sermo. Non enim dixit discipuli mei, aut apostoli, sed B filij vestri, vt siquidem ad eandem cum illis animi nobilitatem venire velint, magnã hinc opportunitatem, atque occasionem nanciscantur. Si autem in ingratitudine, ac sopore mentis, & in nequicia permaneant, nulla sibi ratio ad excusationem relinquatur. Tale igitur est quod dicitur: Si ego in Beelzebub eiicio, apostoli ac discipuli mei in quo eiiciunt? Expulerunt enim iam & discipuli dæmonia potestate illis à Christo data, nec ipsos criminabantur. non enim rem, sed personam persequebantur. Vt igitur ostenderet ea quæ aduersus ipsum aut dicebant, aut cogitabãt, ex sola inuidia proficisci, apostolos in medium produxit. Nam si ego ea ratione dæmonia expello, qua suspicamini, multo magis illi qui à me potestatem proiiciendi acceperunt: de quibus cùm nihil tale vnquam suspicati sitis, quo modo mihi, à quo illi hanc gratiam habuerũt, molesti estis, nihil tale in ipsos conferentes? Qua de re non euadetis supplicium, sed cruciatu maiori torquebimini. Ac ideo C subiunxit, Ipsi vestri erunt iudices: nam quoniam à vobis sunt eiusdem legis atque disciplinæ, & tamen mihi paruerunt: non est dubium, quin condemnabunt vos, à quibus contrà & dictum & factum est. *Si autem ego in spiritu Dei dæmones eiicio: igitur peruenit in vos regnum Dei.* Quid est regnum Dei? Aduentus scilicet Christi. Tu verò diligenter rursus considera quomodo ipsos attrahit, mitigat, & ad cognitionem allicit suam, ostendens eis, quòd bona propria & felicitatem propriam contemnant. Nam cùm gaudere & exultare debeatis, inquit, quoniam ingentia & ineffabilia illa, quæ prophetæ cecinerunt largiturus vobis veni: quoniamque beatitudinis vestræ iam tempus adest, vos contra facitis, non solum hæc bona repellentes, verumetiam calumniantes & falsas aduersus me causas confingentes. Et Matthæus quidem, Si ego in spiritu Dei: Lucas autem, Si ego in digito Dei, scriptum reliquit. Qua ex re mõstratur dæmones eiicere maximæ potentiæ esse, ac gratiæ D minime vulgaris. Vnde ratiocinando concludi potest: quoniam si hoc est, certè peruenit ad vos filius Dei. Sed id quidem non apertè infert, adumbratè autem & occultius, vt æquiori animo ferant, illud ipsum significauit dicens: Peruenit ad vos regnum Dei. Vides excellentiam sapientiæ, atque præstantiam: per ea quibus incusabant monstrabat aduentus sui fulgorem. Deinde vt alliciat, non dixit solùm peruenit regnum Dei, sed, ad vos, inquit, hæc bona iugiter manant. Cur ergo in beatitudine vestra tanto mœrore turbamini? Cur aduersus vestram salutem arma confertis? Hoc tempus est quod prophetæ futurum prædixerunt, hoc signum aduentus mei dederunt, quod hæc diuinitus fierent. Nam quod hæc agantur, vosipsi videtis: quod diuinitus, magna voce res ipsę prædicant. Non enim possibile est, cùm hæc in salutem hominum fiant, fortiorem esse quàm prius satanam, sed imbecillior est necessariò. Qui verò imbecillior est, non potest quasi robustus robustum dæmonẽ eiicere. His verbis charitatis vires, & dissidij atque litigationis imbecillitatem patefacit: idcirco assiduè sursum atque deorsum ad charitatẽ hortatur, vt diaboli robur deiiciat, qui omni conatu vt eam auferat incumbit. Ad secundam autem satisfactionem subiunxit & tertiam, dicens: *Quomodo potest aliquis intrare in domum fortis, & vasa illius diripere, nisi prius ligauerit fortem, & tunc domũ illius diripiat?* Nam quoniam non potest satanas satanam pellere, à dictis manifestum est. Quoniam autem nemo extrudere fortem potest, nisi prius illum superet: nullus vnquam dubitauit. Quid igitur ex his conficitur? Maiori robore cõfirmatur quod dictum est. Adeo enim procul absum ne socio atque coadiutore diabolo vtar, quod bellum mihi perpetuum cum eo est, & victum vincio, atq; spolio: cuius rei certum illud vestigium est, quia vasa eius direpta videtis. Animaduerte qualiter in oppositum quàm argumentantur, cõcluditur. Illi enim inferre volebant, non propria ipsum potestate dæmones eiicere, ipse autem ostendit non solùm dæmones eiicere, sed principem quoque dæmonum vinculis complicatum detinere, atq; illum sua propria potestate vicisse: quod à rebus factis cõprobatur. Nam si diabolus quidẽ princeps est, cæteri verò dæmones illi subiiciũtur: quo modo illo non vincto, atq; perdomito satellites vincerentur? Mihi autem propheticè id dici videtur. Non enim solũ dæmones vasa diaboli sunt, sed vniuersi certè homines qui malè viuendo illi adhærent. Quare non dæmonia solùm eiici ab eo confirmat, verumetiam totius orbis terrarum tenebras illuminaturum, & seducentes dæmonum artes destructurũ prædicit. Nec dixit rapiet, sed diripiet, vt cum potestate fieri hæc ab ipso significaret. fortem autẽ diabolum appellauit, non quia natura talis sit, sed vt tyrãnicas eius vires, quas prius habuit, ex nostra ignauia habuisse ostenderet. *Qui nõ est mecum, contra me est: & qui non congregat mecũ, spargit.* Ecce quarta ad idẽ solutio. Quid enim ego quæro, aut quid volo, inquit? vniuersos ad Deum reducere, vera ipsis virtutũ tradere documenta, regnum cœlorum cunctis annunciare. Quid autem diabolus, atque dæmones quærunt? Quippe omnia quæ eis opposita sunt. Quomodo igitur qui mecum non colligit, neq; mecum omnino est, sua me operatione iuuat? Sed quid iuuare dico? qui etiam spargere, atque dissipare mea desiderat? Qui igitur non solum mecum non colligit, verumetiam cuncta mea dispergit, quomodo adeò mihi assentiret, vt mecum vellet dæmonia eiicere? Hoc autem nõ de diabolo tantummodo, verumetiam de seipso dictum non iniuria posset quispiam opinari. Hostis quippe diabo- D li Christus est, & omnia quæ diaboli sunt, ipse dispergit. Quomodo autem qui non est secum, aduersus eum est? hac ipsa re scilicet, quia non colligit, neque congregat secum: quod si verum est, multo magis ipse aduersatur, qui aduersus eum est. Nam si ille est inimicus, qui non iuuat, quantò magis erit, qui bella suscitat? Hæc ab ipso dicta sunt omnia, vt magnas inter se ac diabolum inimicitias esse ostenderet. Respondet enim obsecro, si aliquis cùm bellum gerendũ sit, nolit tibi esse auxilio: Lucæ. 9. nónne idcirco aduersus teipsum esse iudicabis? quod si alibi scribitur, qui non est aduersum vos, pro vobis est, non est profectò illud huic contrarium. Nam hic aduersarium eis ostendit, illic verò ostendit eum aliqua Matt.7. ex parte cũ eis esse. In nomine enim tuo vidimus quẽ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dam eiicientem dæmonia. Quanuis mea quidem sententia Iudæos hic occultius denotasse videatur. Qui enim aduersus ipsum inuigilabant,& quæ ipse congregasset dispergere conabantur, cum diabolo constituti sunt:quod significauit dicens:*Ideo dico vobis:omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus.* Posteaquam enim responderit,& obiectionem illorum diluerit,ostenderitque illos temerè, & sine causa impudenter agere, deinceps illos terret. Consilij siquidem & correctionis ista non parua est portio, non solum defendere & suadere,verùm etiam comminari: quod frequenter facere solet qui leges sancit, atque etiam qui consilium dat & admonet.Quod autem hic à Christo dicitur, videtur quidem non parum habere obscuritatis: si verò attendamus,tenebras facilè dissoluemus. Prius itaque operæprecium vt verba ipsa expendamus.*Omne*,inquit, *peccatum & blasphemia dimittetur hominibus, blasphemia verò Spiritus non dimittetur eis. Et quicũque dixerit verbum contra filium hominis,remittetur ei:quicunque autem dixerit contra Spiritum sanctum,non remittetur ei,neque in præsenti seculo,neque in futuro.* Quid igitur est quod dicitur? Multa iam aduersus me calumniati estis, quoniã seductor, quoniam Deo aduersarius,aliáq; plura,quæ omnia vobis si pœnitentiam gesseritis,penitus dimitto,nulla supplicia sumam. Spiritúsne, inquies, blasphemia non dimittetur pœnitẽtibus? quod omnino falsum esse patet. Peccatum in spiritũ sanctum. fidè receperunt.) Nam & hoc peccatum dimissum scimus, cùm multis eorum qui talia in Spiritum dixerãt, quia postea † eius rei pertæsum fuit,] ignotum fuisse constet. Quid igitur est quod dicit? Significare voluit multo minus cæteris hoc esse ignoscibile,ac veniale.Quámnã ob rem? Quia videlicet quisnam esset Christus, ignorabant .Spiritus autẽ sancti gratia multis & magnis signis seipsam manifestauerat. Nam & prophetæ per Spiritum omnia locuti sunt, & omnes illi veteres multa de ipso acceperant documenta. Tale igitur est quod dicitur: Sedulò in me offenditis propter hãc mihi assumptam carnem. An igitur etiam de spiritu potestis dicere, quoniam ipsum quoque ignoretis? Minimè.Ideo cùm veniale vobis non sit hoc peccatum, tam in præsenti vita quàm in futura pœnas luetis ingentes.Multi enim hic solùm puniti sunt: vt ille qui fornicatus est, & qui sacramentis 1.Cor.11. indignè apud Corinthios communicauerunt. Vos autem tam hîc,quàm ibi vexabimini. Nam quæcunque aduersus me anteà blasphemastis, æquo animo vobis dimitto:pariter etiam facinus illud atrox Crucis,quod in me committetis,dimittam,& solius infidelitatis supplicia patiemini.Id ideo fecit, quoniam qui ante Crucem crediderunt,plenam in omnibus fidem non habebant.Qua de causa crebrò admonet,ne ante passionem ipsum manifestum faciant:& in ipsa Cruce pro eis orauit,vt illud ipsis peccatum dimitteretur.Quæ autem de Spiritu dixistis, nullam pro eis veniam impetrabitis. Quod autem de his dicat quæ ante Crucem aduersus ipsum dixerint, significauit dicens: Quicunque dixerit sermonem aduersus filium hominis, dimittetur ei:quicunque autem aduersus Spiritum sanctum dixerit,minimè. Quare sic? quoniam cùm Spiritus iam vobis notus esse debeat,rem claram atque manifestam impudẽter oppugnatis. Nam si me ignoratis, ignorare tamen non potestis expulsionem dæmonum, curationẽsque hominum mirificas Spiritus sancti esse operationes. Non ergo mihi, sed Spiritui sancto contumelias exaggerare conamini: quapropter nisi pœnitentiam agatis, nec in præsenti vita,nec in futura punitionem effugietis. Vniuersorum enim hominum alij & hîc & ibi supplicia dabunt, alij in præsenti solummodo vita, alij in futura tantùm: alij nec in præsenti, nec in futura: hîc quidem & illic,vt illi ipsi de quibus nunc agitur. Nam & hîc ipsos vltus est, quoniam intolerabilia passi sunt, vrbe ipsorum vi à Romanis expugnata:ibi autem acerbissima eos expectant tormenta, vt Gomorrhæ ac Sodomorum ciues, aliíque complures. Ibi verò solummodo, vt diues ille qui in flamma cruciatus, nec guttæ vnius aquæ dominus est. Hic autem tantum, vt qui apud Corinthios fornicabatur: neque hîc verò,neque Luc. 17. ibi,sicut apostoli,prophetæ: sic beatus ille Iob, cæteráque huiusmodi. Non enim ad punitionem aliquas passiones hîc susceperunt, sed vt clarius in luctamine vicisse cognoscerentur.Diligenter igitur demus operam, oro vt in portione istorum inueniamur. Quòd si istorum assequi portionem propter negligentiam non poterimus , saltem partem eorum consequi studeamus, qui hîc in vita commissa dissoluunt. Terribile nanque illud iudicium est,inexitabilis pœna, intolerabilia tormenta: sed si vis, quod ego consulo, nec hîc quoque aliqua pœna cruciari,tu ipse tibi iustus sis iudex, exige à te ipso rationem & correctionem. Audi Paulum di- 1.Cor.11. centem, Quoniam si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Si id facies, ordine paulatim progrediens,ad coronam quoque peruenies. Et quonam modo,inquies, à meipso rationes viuẽdi & supplicium exigam? Largos lachrymarum effunde fluuios, ingentes compunctionis gemitus redde, humillimus sis, laboribus ac vigiliis teipsum affligе, peccata tua per singulas species recole. Non paruus est hic cruciatus animæ, nec quantus sit ab alio cognoscitur, nisi ab eo qui compunctus est, qui non ignorat hac re animam in hac vita maximè torqueri, nec est nescius quantus dolor ex memoria peccatorum nascatur. Quas ob res iustitiam Deus huic pœnitentiæ in præmium proposuit dicens: Dic tu prius peccata tua, vt iustificeris. Non Esaiæ 43. est profectò, non est insufficiens ad emendandum via, si cùm omnia secundum speciem in vnum peccata collegeris, assiduè animo deinde ipsa verses , ac de ipsis continuè mediteris & cogites. Nam qui hoc faciet, his adeò compungetur, vt neque hac vita seipsum dignum existimet. Quòd qui de seipso iudicabit, omni cera tenerior humilius viuet in dies, nec fornicationes solùm & adulteria , atque illa quæ omnes perhorrescunt, collegeris : verumetiam occulta insidiarum consilia, & calumnias, obtrectationes arcanas, inanem gloriam, inuidiam, cæteráque huiusmodi omnia collige. Non enim effugient qui hæc delinquunt,extremos suppliciorum dolores. nam & conuiciatores in gehennam incident: & qui vino inebriatur, nihil cum regno Dei habet commune. Et qui proxi- 1.Cor.6. mum non diligit,sic Deum offendit, vt neque martyrio iuuetur.Et qui propinquos negligit,fidem negat: & qui pauperes despicit atque contemnit, ad ignem mittitur.Noli ergo tanquam parua hæc negligere, sed collige,ac in mente peruide, ac si in libro conscriberes. Si enim tu scripseris, Deus delebit:sin verò non conscripseris,ipse Deus & scribit,& pœnas exigit. Quare multò melius est à nobis ista conscribi, vt à Deo deleantur, quàm horum nobis omnium oblitis, præ oculis nostris in die Iudicij hæc à Deo proponi. Quod ne ita fiat, exquisitè omnia recolamus, & inueniemus multis nos esse obnoxios. Quis enim ab auaritiæ crimine mundus? Noli enim mihi dicere, moderatè aliena atque timidè tetigisse: sed cogita propter hanc rem paruam quam rapuisti, non paruo te cruciatu in æternum esse puniendum. Id inquam cogita , & pœnitentiam age. Quis à conuicio atque obtrectatione liber est? Id autem proculdubio in gehennam intrudit. Quis occultè proximum calumniatus non est? quis superbia

perbia non intumuit? Hic etiam cæteris omnibus immundior est. Quis oculos à lasciuo aspectu continuit? Quem adulterio deliquisse non dubitamus? Quis frustra fratri suo iratus, non consilio atque reatui reus est? Quis non iurauit, qui à malo esse cognoscitur? Quis nõ periurauit? De quo quid possum dicere videtis,cùm qui iurauit,eum à malo esse contendam. Quis aliquando mammonæ seruus non fuit? Qui profectò fecit ne Christi seruus sit. Possum & alia his maiora recensere: sed hæc sufficientia duxi ad compunctionem vos inducere , nisi quis valde lapideus atque insensatus est. Nam si singula istorum ad gehennam deducunt, quid futurum est, si ad vnum omnia coëunt? Quomodo igitur, inquies, saluari possibile est? Si opposita his adhibeamus remedia, misericordiam in pauperes, orationem, compunctionem, pœnitentiam,humilitatem, contritum cor apprimè, contemptum rerum præsentium. Mille namque salutis vias Deus nobis proposuit,dummodo diligenter velimus attendere. B Animaduertamus igitur nos, ita medicinam recipiamus, vt per omnia remedia vulnera nostra curemus, & maculas detergamus: quod facilè facimus, si misericordes simus,si his qui nobis dolori fuerant,nequaquam irascimur: si gratias in omnibus Deo agimus,ieiunantes pro viribus, orantes assiduè, amicos nobis ex mammona iniquitatis facientes. Sic enim certè poterimus & delictorum veniam impetrare, & futura bona consequi. Ad quæ omnes perueniamus, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

HOMILIA XLIII. EX CAP. XII.

SVT *facite arborem bonam, & fructum eius bonum:aut facite arborem malam , & fructum eius malum. Ex fructu enim arbor cognoscitur.* Rursus aliter ipsos confundit,nec sibi satis superiores sunt redargutiones, quod non C facit vt seipsum à culpa defendat, suffecissent enim quę iam dicta sunt, sed ad emendationem eorum sedulò facit. Tale igitur est quod dicit : Nemo vestrum curatos reprehendit, nec malum esse ausus est eis dicere à dæmone liberari. Nam etsi valde temerarij erant, non fuerant tamen id dicere ausi. Quoniam ergo operibus quidem non detrahebant, operum autem authorem diabolum nuncupant : ostendere voluit, quia & præter communes hominum cogitationes, & contra consequentiam rerum,calumnia & obtrectatio illa est. Et certè inauditæ videtur esse impudentiæ, quòd non malignè solum cogitarent, sed ea etiam cogitarent, quæ communiter homines concipere atque cogitare non soleant. Tu verò perpende quàm procul à contentione sit. Non enim dixit, facite arborem bonam, quoniam fructus eius bonus est: sed vltrà quàm dici possit, ora eorum obstruit, tam mansuetudinem suam, quàm impudentiam eorum aperiens. Dicit enim : Si D opera mea reprehẽdere vultis,nihil prohibeo,dummodo constanter nec inconsequenter id faciatis.Sic enim manifestius quasi compediti teneri poterant, si ostenderentur clara nimium impudenter confundere. Nam & malignè agitis, inquit, nec consequentia ad cohærentia sibiipsis & cogitatis & dicitis. Arbor enim à fructu, non autem fructus ab arbore cognoscitur. Vos autem contrarium facitis. Nam etiam si arbor fructus sui causa sit,fructus tamen arboris qualitatem declarat. Atque consequens erat aut etiam opera reprehendere, quoniam nos accusatis : aut si opera laudatis, nos quoque operum authores immunes criminis ducere.Nunc autem contrà omnino facitis. Nam cùm nullo modo A fructui, id est operibus, coniiciari possitis, dæmoniacum me appellatis,qui arboris locũ in hac similitudine teneo: quod extremæ dementiæ est. Hoc iam etiam in superioribus approbauit, dicens : Quoniam non potest arbor bona fructus malos facere, nec econtrà. Quare præter omnem rerum consequentiam atque naturam huiusmodi criminatione vsi sunt. Deinde quia non pro se, sed pro Spiritu verba facit, acrius inuehitur, dicens : *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali?* Id iam & accusantis est, & superiora ab illorum exemplo confirmantis. Ecce nanque, inquit,cùm deprauatæ vos arbores sitis, bonum fructum producere non potestis. Quare non mirandum, si malè loquimini: quia cùm à malis parentibus malè educati sitis, mentem quoque malam possidetis. Tu autem diligenter perspice , quo modo crimina tam clarè illata sunt vt negari nõ possint. Nec enim dixit,quonampacto bona loqui poteritis,cùm progenies sitis viperarũ, hoc enim nihil ad illud : sed qualiter potestis bona loqui , cùm sitis mali? A viperis autem eos productos dixit,quoniam de maioribus nimirum gloriabantur. Vt igitur ostẽdat nihil eos à progenitoribus lucratos fuisse, ab Abrahæ quidem coniunctione ipsos abscindit, similium verò morum progenitores ipsis attribuit,& à nobilitate Abrahæ denudauit. *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Hîc rursus se Deum ostendit, quoniam secretas cogitationes eorum pernoscere: & docet,quòd non de verbis solum, verumetiam de prauis cogitationibus pœnas luent: & quòd eas norit tanquam Deus : quamuis & hominibus posse scire concedat,ex naturæ scilicet quadam consequentia,cùm malignitate intus ebulliente, verba foris per os effundantur. Quare cùm hominem audias turpiter loquentem, noli tantam solummodo putare in animo ipsius prauitatem esse sitã,quanta impudenter nimium os suis verbis suspicari manifestauit: sed multo maiorem fontem C esse cõiice.Quod enim extra profertur,ex illo profluit: eiúsque superfluum est,quod intus est. Vides quãta eos acrimonia percussit? Nam si dicta eorum praua sunt, & ab ipso diaboli sensu scatent,coniice qualis est ille fons ex quo ista deriuantur:quę res certè natura duce ita fit. Nam lingua quodam rubore impedita,non potest vniuersum mentis furorem effundere : pectus autem cùm nullum huiusmodi testem habeat, intrepidè quæcunq; vult mala excogitat, si mẽs ad Deum conuersa non sit. Quoniam igitur quæ dicimus,trutinę audiẽtium subiecta esse:quæ verò in pectore sunt,velaminibus obducta penitus obfuscari nõ ignoramus, idcirco parua verborũ turpitudo magnã intus reconditã esse testatur. Cùm verò magnus obscœnarum cumulus cogitationũ intus ebulliat,tunc magno impetu obducta exiliunt.Et quẽadmodũ vomitu laborantes,in principio quidẽ detinere intus egredientes humores nitũtur: cũ verò fastidio victi succubuerint, magnis singultibus omnia è profũdo eructant:sic qui praua consilia in proximos versant, cùm malignitatem mẽtis ferre nequeant, obtrectationis sanię euomunt. *Bonus homo de bono thesauro profert bona,& malus homo de malo thesauro profert mala.* Noli putare,inquit,id in vitiis ita fieri solũmodo, cùm etiã in virtute pariter contingat. Proba enim verba multò probatiorem virtutem intus esse significant:per quę declarat existimandum esse,& illos peiores esse, quàm verba significarent, & se meliorẽ quàm verbis cõfirmaretur: thesaurũ autem ait, vt stupendam multitudinẽ ante oculos ponat: deinde rursus timorem intulit. Nec enim putare debetis,inquit,ad hęc vsq; tantũ condemnationem vestram progressam esse,vt prauę cogitationes vestræ omnibus notæ factæ sint:ab ipsisq; condemnẽtur,

Universidad de Deusto Biblioteca

sed ad vltima tormenta deuenietis, quicunque talia perpetratis:nec dicit, vos: partim vt communius oratione prolata vniuersum genus hominum commoneat, partim vt minus onerosus sermo esse videatur. *Dico autem vobis, omne verbum otiosum quodcunque loquentur homines, reddent de eo rationem in die iudicij.* Otiosum est verbum, quod rei propositæ non conuenit, nihilque confert vtilitatis, quod mendacio inquinat, quod ad calumniam dicitur. Quidam autem otiosa etiam asserunt verba, quæ vana sunt: vt quæ profusum mouent risum, aut turpia, impudica, illiberalia. *Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Perpendis non esse molestum, aut crudele hoc iudicium. Vides quo modo hæ exactiones rationum tranquillæ sunt. Non enim ex aliorum verbis, quæ aduersum te dixerint, sed ex his quæ tu ipse protuleris iudex sententiam feret:quod omnium certe iustissimum est. Tu enim qui iudicaris, dicendi male, & non dicendi quoque potestatem habes: quare non hi quorum aures iniuriis percussæ sunt, sed hi qui conuiciantur, perhorrescere debent. Non enim qui malè audierunt, sed qui malè dixerunt, iudicio subiecti sunt:his pericula imminẽt, hos cruciatus expectant. Quare qui male audierunt, cùm nullam eius rei reddituri sunt rationem, tranquillo animo esse oportet. Non enim de his quæ alij malè dixerint, rationem sunt reddituri:qui verò de aliis male fuerint locuti, illos tremere ac trepidare oportet, tanquam qui super his ad iudicium sint trahendi. diabolicus certè hic malè dicẽdi laqueus est, & peccatum nullam voluptatem, sed damnum tantum afferens, & magnum delictorum aceruum efficiens. quòd si quis perniciosis humoribus plenus, ęgrotationis laborem non effugiet: multò magis qui hanc omni cholera amariorem malignitatem in seipso recondit atque conseruat, vltimi atque perpetui doloribus morbi laborabit. Quod planum à verbis suis est, quæ cùm aliis dolorem inferant, quantò magis animam prorumpentis interimẽt? Nam insidiator & calumniator seipsum prius interficit. Siquidem qui ignem tangit, seipsum comburit: & qui adamãtem percutit, seipsum lædit: & qui aduersus stimulos calcitrat, seipsum cruẽtat. Tale quiddam est qui iniuriam pati ac generosè ferre nouit, & adamas, & stimuli, & ignis. Qui verò iniuriã inferre meditatur, quouis luto imbecillior est. Non ergo iniuriam pati, sed iniuriam facere, aut nescire pati, malum est. Quot quantásque iniurias ferebat Dauid? quot quantásque faciebat Saül? vter enim istorum fortior, ac beatior fuit: & vter miserior, aut miserabilior? Nónne qui iniuriosè fa-
1.Reg.18. ciebat? Expende autem, promiserat Saül, si à Dauid su-
1.Reg.17. Ibide 19. peratus alienigena fuerit, affinitate sibi eum coniungere, ac filiam illi in vxorem libẽter tradere. Interemptus à Dauid fuit alienigena, neglexit conuentiones atque pacta Saül, nec solum filiam illi non tradebat, sed necem quoque machinabatur. Vter igitur illorum clarior atq; illustrior? nónne alter tum mœrore tum pernicioso dæmone angebatur, alter fulgorem solis trophæis, atque victoriis superabat, quodque maius est, gratiam diuinam consequebatur? In mulierũ verò choro, nónne alter inuidia tabescebat, alter silentio cuncta ferendo ad se vniuersos attraxit, atque coniunxit? Cúmque
1.Reg.24 illum in manibus habuerit Dauid, atque pepercerit, vter miserior ac imbecillior, aut beatior atque fortior? Nónne ille qui ne iustè quidem in inimicum animaduertit? Meritò, inquam, ille fortior. Nam Saül armatus erat, constipatus militibus: Dauid autem iustitia muniebatur, quæ multis exercitibus robustior est: idcirco iniuria vexatus, nec iustè quidem perimere inimicum voluit, nouerat enim nequaquam nos inferen-

A do iniuriam, sed æquo animo patiendo fortiores fieri: quod & in corporibus & arboribus perspicere licet. Quid porrò Iacob? Nónne à Laban iniuriam accepit? Gen.31. Vter igitur fortior atque robustior, qui cùm alterum in manu habuerit, nec tangere vnquam ausus fuerit, sed semper eum timuerit: an qui sine turba militum omni exercitus ductore illi terribilior fuerit? Verùm vt nobis confirmatior hæc oratio fiat, in ipso rursus Dauid in contrariam partem verso sermone rem considerabimus. Nam qui cum magno animo ferebat in- 2.Reg.10.
iurias, inuictus erat: is postea iniuriatus, imbecillis factus est. Nam ordo ille tunc permutatus fuerat, cùm Vriæ iniuriam intulit, & imbecillitas quidem iniurianti, robur autem iniuriam perpesso cõiungebatur: quippe Vrias vel mortuus domum illius vniuersam depo- 2.Reg.11.
pulabatur, ita vt Dauid, quamuis & rex esset, & viueret, nihil tamen posset. Ille autem gregarius miles & occisus omnia illius sursum ac deorsum cõfudit. Vultis
B quoque alia ratione muniamus orationem? Perscrutemur diligenter quid his euenerit, qui iustè vindictam peregerunt. Nam quòd iniuriantes viliores cæteris sint animam suam oppugnantes, nullus vnquam negabit. Sed quisnam, inquies, iustam expetens vltionem mille incendit mala, & multis calamitatibus fuit confossus? Ductor exercitus Dauid. Nam & hic bellum graue cõcitauit, & non pauca pericula subiit, quorum nihil accidisset, si philosophari voluisset. Fugiamus igitur, fugiamus huiusmodi delicta, studeamúsque vt nec verbo nec re iniuriam inferamus. Non enim dixit, si accusabis publicè, si ad iudicem deferas, sed simpliciter, si maledixeris, etiam si tecum id feceris, etiam si verè, non falsò dixeris, non effugies tamen extremas pœnas, nec si persuasus quidem dixeris, atque sic vltionem exegeris:non enim à factis illius, sed à verbis tuis aduersus te diuinitus sententia feretur. Ex verbis enim tuis condemnaberis, ait. Non animaduertis quod & Pharisæus,
C quamquam & vera & manifesta dixerit, nec tectum aliquid retexerit, condemnatus tamen est? Quòd si & aperta in dedecus aliorum dicenda non sunt, quantò magis silentio tradenda quæ ambigua sunt? Est enim constitutus iudex peccatori: noli tu dignitatem vnigeniti temerario impetu rapere, illi iudicij sedes ac solium conseruatur. Quòd si cupiditate iudicandi iudex esse velis, sedem ego tibi ostendam, quæ magnum quæstum tibi conferet, & nulla criminis sorde maculabit. Sedeat mens, atque cogitatio tua iudex in animam atque conscientiam tuam, adducas omnia delicta tua in medium, scrutare quæ animo commisisti, & sedulò rationem exigas & dicas, Quare hoc, atque hoc ausus es? quare illud & illud perpetrasti? Quòd si ab his quidem conscientia tua refugit, aliena verò curiosè rimatur, dic ad ipsam: Non ego iudex in alios, nec tu alios defensura iudicium subiisti. Quid enim ad te, si hic vel ille malè viuat? tu cuius rei gratia hoc at-
D que illud deliquisti? non defende: accusa tua vitia, non aliena. Sic assiduè ipsam ad † hunc terrorem] reuoca, hoc certamen.)
deinde si causam suam dicere non possit, sed subterfugiat & detrectet: quasi superbam ancillam, & fornicatione corruptam, cæde, verberibus ac flagellis dilania. Hoc iudicium quotidie tibi diligenter constituatur. Venenosum vermem & ardentem fluuium propone, cæteráque tormenta omnia ostende, neque dimittas in posterum cum diabolo fornicari, neque patiaris si impudenter dicit, diabolum ad ipsam venire, insidias sibi ab eo strui: sed dic ad eam, Superflua sunt hæc omnia, si tu velis. Quòd si rursus dicit, corpori colligata sum, carne induta, cum hominibus habito, in terris conuersor: dicas, hæc omnia inanes causæ sunt, pec-

candi opportunitatem volenti præstantes. Nam & alij corpori coniuncti, carnémque habentes, cum hominibus habitantes, & in terra conuersati rectè vixerunt, tu quoque ipsa carne induta nullo à benefaciendo impedimento vnquam vetaris. Quòd si hæc audiens doleat, non subtrahas manum: non enim morietur percussa, sed mortem effugiet: & si rursus dicit, ille me irritauit, responde, Atqui in potestate tua est non irritari: cuius certissimum argumentum est, quia nonnunquam iram superasti. Si dixerit, formositate mulieris incensam se atque inflammatam fuisse, responde ad eam, Poteras
Gen.3. profectò teipsam continere: afferas exempla multorum, memento mulieris primæ, quæ dixit, Serpens decepit me, & non effugit. Hæc omnia cùm inquiras, nemo assit, nemo perturbet: sed quemadmodum iudices semotis arbitris sententiam conscribunt, pariter tu quoque ad occasionem tranquillitatis secretiora loca require. Itaque lectum atque quietem petiturus, hoc iudicium ineas:idoneum enim ad hanc rem hoc tempus est, & consentaneus locus, camera & lectulus:quod
Psal.4. propheta quoque denotauit dicens:Quę dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. Nec res paruas contemne, sed magnas etiam earum rationes repete. Hoc modo magna facilius euitabis delicta. Id si quotidie diligenter facies, terribili futuri iudicis tribunali lętus assistes. Hoc modo Paulus seipsum mun-
1.Cor.11. dauit, ac ideo dicebat:Si nosipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Sic & Iob liberos suos mundauit: nam qui pro incertis hostias assiduè offerebat, multò magis certorum illum atque manifestorum rationes repetisse credendum est. Nos autem non ita facimus, sed contrà: quoniam quamprimum recumbimus, secularia nobiscum negocia vertimus, ac alij quidem spurcissimis cogitationibus inquinamur: alij verò quid mutuò dedimus, aut accepimus, cæteráque huiuscemodi caduca & instabilia cogitamus. Et filias quidem virgines diligenter obseruamus: animam verò quæ omni hac vita præstantior est, fornicari atque deturpari mille spurcissimis cogitationibus sinimus. Nam siue deliciarum, siue formosi corporis, siue odij, siue alia quæcunque cogitatio nobis inciderit, ianuis continuò apertis inuitamus & trahimus, & cum omni securitate fornicari cum anima nostra permittimus. Qua re quid ineptius aut stultius fieri potest? Animam nostram qua nihil habemus preciosius, tot tantísque sordidissimis adulteris quasi despectam tradere, vt cum illis tandiu corrumpatur, quandiu satietate illi fessi decesserint. Quod nunquam certè fit, nisi cùm iam somnus defatigatos inuaserit, imò verò ne tunc quidem tantum. Somnia enim, atque nocturna earumdem rerum simulachra nobiscum pernoctant, ita illucescente iam die, somnia plerunque in rem veram exeunt. Et pupillam quidem oculorum tuorum, ne minimo lædatur puluere, diligẽter custodis:animam autem tuam tanta malorum congerie pressam negligis. Quando igitur ab his sordibus animam detergemus? Quando huiusmodi veprium radices amputabimus? Quando virtutum semina spargemus? Nescitis tempus messis iam instare? Nos verò nec nouales quidem adhuc præscidimus. Si ergo agri dominus venerit, & rationes petat, quid dicemus? quid respondebimus? An quia semina nobis adhuc tradita non sunt? Atqui quotidie in animis nostris disseminatur. An quia sentes incidere nullus docuit? Atqui assiduè acutas falces præbemus. An quia secularium curæ rerum illiciunt? Quare his te non eruis? cur te ipsum mundo non crucifi-
Mat.25. gis? Si enim is qui solummodo reddidit id quod acceperat, maius habetur, quoniam acceptum non dupli-

A cauerit: quid auditurus est is qui illud quod acceperat, dissipauerit ac perdiderit? Si ille constrictus eò proiectus est, vbi fletus est, ac stridor dentium, quid nobis eueniet, qui quum infinita nos ad virtutem attrahant, cunctamur tamen ac refugimus? Quid enim non sufficiat vt nos ad meliora incitet? An non vides quàm vilis & abiecta sit hæc vita atque incerta, quamque multis laboribus ac sudoribus referta? Ne enim mihi dixeris virtutem cum laboribus, vitium verò citra labores exerceri posse. Quum igitur & hîc & illic labor obiiciatur, cur non potius virtutem amplecteris, quæ plurimum lucri sibi coniunctum habeat? Quin potius virtutes quædam sunt quæ sine labore parari queant. Quis enim labor est non maledicere, non mentiri, non iurare, iram proximo remittere? Contrarium potius eueniet, si ista facias. Multam enim & molestam secum inuehunt solicitudinem. Quæ igitur nobis reliqua erit defensio, quæ venia, quum ne ista quidem corriga-
B mus? Ex his enim manifestum est, quòd ardua illa & magis laboriosa præ negligentia & socordia nos fugiant. Quæ omnia considerantes, vitium fugiamus, virtutem amplectamur: vt tum præsentia bona, tum futura consequamur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi. Cui gloria, &c.

HOMILIA XLIIII. EX CAP. XII.

TVNC *responderunt ei quidam de scribis & pharisæis dicentes, Magister, volumus à te signum videre. Qui respondens ait, &c.* Poterítne quicquam, non dico impium magis, sed stolidius istis inueniri, qui etiam post tot tantáque signa, quasi nullum signum esset factum, dicere audent, volumus abs te signum videre? Cuius igitur rei gratia ita stultè loquuntur? Profectò vt rursus carpant. Nam quoniam non semel, sed bis atque sępius inuerecundorum linguam argumentis compescuit, o-
C pera rursus quærunt, ac ideo quasi admirans Euangelista scribit: Tunc responderunt ei quidam scribarum & pharisæorum signum petentes. Tunc istud, quando significat? Quando scilicet flexos iam esse oporteret, quando admirari atque obstupescere, quando saltem confusi decedere debebant, tunc in malignitate atque pertinacia sua pertinaciter perseuerant. Tu verò ipsa etiam verba considera, quo modo adulatione ac derisione plena sunt. Putarunt enim assentatiuncula ipsum allicere, qui modò adulantur, modò conuiciantur, modò dæmoniacum, modò magistrum appellant. Quæ quanquam inter se opposita reperiantur, à malo tamen animo atque mente procedunt, quapropter valde ipsos carpere voluit. Ita cùm illi asperè atque contumeliosè interrogant, mansuetè ac leniter respondet: cùm verò assententur, tunc non mediocri vtitur acrimonia, omni se perturbatione superiorem ostendens. Veluti enim tunc nulla ira concitatur, eo-
D dem nunc modo adulationibus non delinitur. Aduerte autem quia ita conuiciando respondere videtur, vt non solùm conuicietur, verùm etiam illorum malignitatem declaret. Quid enim ait? *Generatio mala, & adultera signum quærit.* Tale igitur est, quod dicit: Quid mirum est si ita perperam me tractatis, quem nondum cognouistis, cùm etiam Patrem quem plurimis & maximis periculis noscere deberetis, pariter offendatis: quem crebrò derelinquentes dæmonum cultus secuti estis, malos vobis (veluti Ezechiel assiduè carpere sole- Eze.16.&
bat) amatores allicientes. Quibus verbis & se conso- 23.
num atque concordem esse Patri ostendit, & eos nihil alienum maioribus suis facere. Arcanaq; mentis ipsorũ reuelat, quod simulantes, & ceu inimici miracula pete-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bant: propterea & generationem malam nuncupauit, A tum quia semper ingrati benefactoribus extiterunt, tum quia susceptis beneficiis, quod extremæ vitiositatis est, ad malignitatem incitantur. Adulteram porrò generationem appellauit, tam priorem quam præsentem ipsorum infidelitatem designans. Vnde rursus Patri seipsum æqualem esse demonstrat. Siquidem pariter qui sibi, quemadmodum qui patri non credunt, adulterij crimine notantur: deinde post contumeliosa & acerba illa verba addit. *Nec dabitur ei signum, nisi signum Ionæ prophetæ.* Resurrectionis iam mentionem facit, & à figura Ionæ rem ipsam confirmat. Quid igitur inquies? Nónne data sunt ipsi signa petenti? Sed non vt eos induceret, sciebat enim obstinatos esse: verùm vt alios alliceret, signa faciebat. Aut ita igitur respondere possumus, aut quia non habituri erant tale quale illud erat. Signum enim illis datum est quando vexati, quāta esset virtus illius, cognouerunt. Et hìc quidē comminationibus occultius id tangit: vt quasi dicere videatur. B Mille vobis beneficia contuli, & nihil horum vos mihi conciliauit, neque fecit vt omnipotentiam meam velitis cognoscere: sed cognoscetis tunc à cōtrariis, quando vrbem vestram prostratam videbitis, quando mœnia eius deiecta, quando templum subuersum, quando libertate, priscáque viuendi disciplina priuati, errantes ac profugi per vniuersum orbem dispergemini. Hæc igitur omnia, quę post passionem meam euenient, in signum vobis maximum erunt. Et certè maximum videri debet, sicuti & est, quòd afflictiones eorum nec auferentur, nec remittantur, neque quamuis multi conati sint, nullus tamen potuerit ærumnis atque miseriis Iudæorum mederi. Nec hæc expressit, sed futuris temporibus manifestanda reliquit. Nunc autem resurrectionis sermonem quam futuris calamitatibus cognituri

Ionæ 2. erant, probat atque adstruit. *Sicut enim fuit Ionas*, ait, *in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Liquido ne verba eius illuderent, non dixit, quia resurget, id autem occultius tetigit, vt præscientiam eius non ignorarent, quæ ipsos adeò non fugit, vt ad Pilatum postea

Mat. 27. assererent, quia ille seductor dixit, post tres dies resurrecturum: quod certè discipuli eius tanquam rudiores non intellexerunt. Quo circa pharisæi & scribæ sua

Mat. 27. ipsorum sententia condemnati esse videntur. Aduerte autem quo modo, quanuis occultè, significāter tamen illud dixit. Non enim ait, in terra, sed in corde terræ: vt & sepulchrum denotet, & nemo apparentiam fuisse suspicetur. Tribus autem diebus mortuus esse voluit, vt nemo mortuum esse ambigeret. Nō enim cruce solùm, & visu omnium qui tunc aderant, verùm etiam dierum numero mortem confirmat. Nam etsi vniuersa futura tempora resurrectioni testatura erant, tamen si tunc non multa morti attestata fuissent, potuisset dubitari: morte autem non credita, resurrectionis etiam mysterium omnino vacillabat. Idcirco signum etiam mor- D tem vocauit: quare nisi crucifixus fuisset, signū datum nō esset. Hac etiam de causa figuram ipsam in medium adduxit, vt veritas crederetur. Dic mihi, quæso, fictóne sermone putas in ventre ceti Ionam fuisse? Nec potes id quidem dicere: quare nec Christum in corde terræ fuisse negandum tibi est. Non enim fieri potest, vt veritatis figura procul à figmento sit, veritas autem ipsa falsa imagine inuoluatur: idcirco vbiq; & in mysteriis, & in baptismate, & in cæteris omnibus mortem ipsius

Gala. 7. annunciamus. Ideo Paulus magna & clara voce clamat dicens: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Vnde apertissimè patet diaboli discipulos esse omnes qui Marcionis morbo laborāt, cùm hæc non credant: quæ ne obliuioni traderentur, mille sacramentis effectum à Christo est, & quæ maximè diabolus delere obliuione conatur. Crucem dico, & Passionem. Ita & alibi dicit: Soluite templum hoc, & in tribus erigam ipsum diebus. Et erunt dies quando Mat. 26. & Ioan. 2. auferetur ab ipsis sponsus: hìc autem, Non dabitur ei signum, inquit, nisi signum Ionæ prophetæ: ostendens quòd pro ipsis patietur, & nihil inde lucrabuntur: quod paulò pòst significauit. Et tamen quanquam sciret nihil se ipsis profuturum, tāta eius misericordia est, quod pro ipsis mortuus est. Sed ne quis putet tales Iudęorum exitus futuros, quales Niniuitarum fuerunt, quorum vrbem, quoniam pœnitentiam egerunt, ab irruentibus Barbaris eripuit. Ne igitur quis putet post resurrectionem pœnitentiam Iudæos hanc quoque acturos, audias quemadmodum contrariū designatur. Nam quòd nihil fructus ex tot tantísque beneficiis consequantur, imò etiam econtrà intolerabiles ærumnas patientur, similitudine dæmonis denotauit, ac futurarum afflictionum causam reddidit, ostendens quòd meritò in ipsos incident: calamitates autem & desolationem ipsorum per hoc exemplum repræsentauit. interim autem declarat quòd iustè ista patientur: quod antiquissimis etiam fecit temporibus. Sodomorum enim vrbem va- Gen. 18. staturus, causam Abrahæ prius exposuit, declarauitque quantus virtutum contemptus Sodomis esset, vbi in tam magnis, populosísque vrbibus, ne decem quidem viri moderatè viuentes poterant reperiri. Ipsi quoque Loth in hospitalitatem ipsorum anteà, & amores mon- Ibidē 19. strauit turpissimos, & postea ignem immisit. Pariter ē- Gene. 6. tiam in diluuio rebus ipsis ad Noë causam detulisse vi- Exo. 5. detur: sed Ezechieli etiam cùm apud Babylonios degeret, quæ Hierosolymis mala fiebant, ante oculos per- Hier. 7. & spicienda proposuit. Cúmque Hieremiæ dicebat: Noli 11. & 14. pro ipsis orare, an non vides quid isti faciunt? causam profectò dicebat: quod igitur vbique fere factitauit, id etiam hìc conseruat. Quid enim ait? *Viri Niniuitæ surgent, & condemnabunt generationem hanc, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plus quàm Ionas hic.* Nam cùm ille seruus fuerit, ego dominus sum: ille à ceto exiliit, ego à morte resurgam. Subuersionem ille vrbi futuram prędicauit, ego regni cœlorum Euangelia vobis enuncio. Et Niniuitæ quidem absque signo aliquo crediderunt, cùm vos multa miraculorum signa videatis: nec quicquam ante Ionæ verba illi audierunt, cùm vos per diuersa genera philosophiæ ego educarim. Prętera Ionas quasi minister ad Niniuitas accessit, ego autem ad vos dominus atque creator deueni, nihil intentans, nullas viuendi rationes exigens, sed peccatorum condonationem adferens. Accedit quòd illi quidem essent barbari, vos autem inter prophetas innumeros educati: tum quòd de Iona nemo illis prædixit, cùm de me plurimi prædixerint, & opera prædicationi consonare perspiciatis. Ionam etiam ne derideretur fugisse non ignoratis, cùm ego & crucis patibulum subiturus, & omnes illusiones vestras laturus vltrò aduenerim. Itaque cùm ille nullum pro Niniuitis opprobrium tulerit, ego vel mortis acerbitatem libenter sufferam. Et ille aduena quidem atque peregrinus erat, & hominibus illis omnino ignotus: ego verò vobis coniunctus secundum carnem, ab eisdem sum oriundus progenitoribus. Multa huiusmodi relinquo, quæ ab exemplo Ionæ atque Niniuitarum facilè quis potest excogitare. Dominus verò aliud etiam subiunxit, dicens: *Quoniam & regina Austri surget in iudicio cū generatione ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plus quàm Salomon hic.* Hoc priore maius atque mirabilius est. Ionas enim ipse ad Niniuitas Ionæ 3. abiit:

abiit: Regina verò austri non expectauit oscitando, vt A Salomon illam requireret: sed ipsa & mulier barbara, & tanto interuallo locorum remota, studuit ad Salomonem venire, non minis aut terrore aliquo impulsa, sed solo sapientiæ amore incensa. *Sed ecce plus Solomone hic.* Tunc ad Salomonem reginam mulier accessit, nunc ipse rex omnium ad vos aduenio. Et illa ab extremis orbis terrarum partibus accessit: vos in vrbibus atque vicis vestris sedentes omnia me lustrantem videtis. Et

Eccl. 2. & 3. Salomon quidem de arboribus & plantis peritè disserebat, vnde non præcipuam vtilitatem audiens consequi poterat: ego autem ineffabiles quasdam res & mirabilia sacramenta vobis annuncio. Cùm igitur oratione ipsos corripuerit, ac declarauerit ipsos peccata minimè condonanda patrasse, ostenderitque ingratitudini atque pertinaciæ suæ inobedientiam eorum non imbecillitati dicentis esse attribuendam, idque tam aliis multis quàm Niniuitarum ac reginæ exemplo communierit: tunc futuros quoque labores prenunciat, & B quamuis occultè & ænigmaticè, ita tamen vt non paruum narrationis series terrorem inferre videatur. *Cùm enim*, ait, *exierit immundus spiritus ab homine, ambulat per loca arida requiem quærens, & non inueniens dicit, reuertar in domum meam vnde exiui. Et veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam & ornatam: tunc vadit, & assumit secum alios septē spiritus nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic.* Hinc dilucidius ostendit, non in futuro seculo solùm, verumetiam hìc grauiora durioráque ipsos passuros. Nam quoniam Niniuitas dicebat resurrecturos in iudicio, & condemnaturos generationem hanc: ne prolixitate temporis ad iniuriam deuoluātur, ac circa virtutes negligentiores reddantur, hac in vita

Osee 9. futuras ipsis afflictiones subtexit: quas Osee propheta minando dicebat, quoniam erunt veluti mente captus propheta, homo spiritu correptus, hoc est sicuti furiosi & bacchantes præ multitudine iniquitatum, falsi pro- C phetę, qui malis spiritibus exagitantur. Mente enim captum hìc prophetam, falsum prophetam appellauit: quales arioli, & gentium vates fuerunt. Quod significanter expressit, dicens: quia peiora prioribus erunt. Aduerte quo pacto vndique attentiores facit, à presentibus, à futuris, à comprobatis atque laudatis, Niniuitis dico, Austri regina: & ab his qui Deum offenderant,

Hiere. 35. Osee 2. Esa. 1. nempe à Tyri & Sodomorum ciuibus. Pariter etiam prophetæ hac simili doctrina vtebantur, qui filios Rechabin adducunt: & sponsam quæ ornatus proprij, atque monilis non obliuiscitur: & bouem qui cognouit possidentem, ac asinum qui præsepe domini sui non ignorauit. Hac ergo trita prophetarum doctrina progrediēs, cùm per comparationem ingratitudinem eorum, atque malignitatem præ oculis posuerit, tunc futuras calamitates prenunciat. Quid igitur dicit? Quemadmodū dæmoniaci, ait, cùm ab infesto dæmone sunt liberati, si negligentia corrumpantur, grauiores aduer- D sus se attrahunt imaginationes: sic vobis accidet. Dæmonio enim tunc vexabamini, quādo idola colebatis, & dęmoniis filios vestros occisos offerebatis, ingentem hac ex re insaniam ostendentes: nec tamen dereliqui vos, sed per prophetas dæmonem eieci, & nūc per memetipsum curare penitus vos constitui. Verum, quoniam aduertere non vultis, sed ad maiorem prauitatem sponte ruitis: quippe cùm multò deterius sit in meum, quàm in prophetarum interitum sæuire: idcirco multò grauiora vobis imminent, quàm Babylonis, quàm Æ-

Mat. 14. gypti, quàm Antiochi mala fuere. Nam quæ Vespasiano duce ac Tito ipsis acciderūt, multò magis omnibus illis asperiora durioráq; fuerunt. Quapropter dicebat, erit tribulatio magna, qualis nunquam fuit nec erit. Non autem hoc solùm similitudo designat, verumetiā quia omnium virtutum numero contempto, facilius à prauis spiritibus quàm prius occupabantur. Nam quāuis olim assiduè peccarent, habebant tamen emendantem doctoris disciplinam, aderat illis ipsa Dei prouidentia, non omnino dereliquerat eos spiritus gratia, cura, castigatione, omniúmque remedio iuuans: nunc verò penitus à diligēti cura spiritus desolatos fore prædicit. Quare cùm virtutis penuria sit, crimina intēdun- tur, dæmones acrius in eos insurgunt. Nemo enim verstrum ignorat, memoria nostra, quando Iulianus (qui Iulianus. omnes homines impietate superauit) contra Christianos sæuiret, quo modo plerique gentibus adhærebant, & cultus idolorum præferebat. Quare si aliquo modo modestius nunc degere videntur, formidine principum id simulant: quę si nulla esset, crudeliora quàm anteà vnquam facere auderent, cùm omni prauitate atque malitia priscos nimium antecedant, maleficas artes atque magicas, petulantiam, audaciam, cæteraque vitia supra modum colentes: & quanuis tanto fræno coērceantur, sæpenumero tamen in principes conspirarunt, & in extremas inde calamitates inciderunt. Vbi ergo nunc, vbi (inquam) sunt, qui signa & miracula curiosè inquirunt? Audiant & intelligant, mente atque animo grato nobis opus esse: quæ res si non adest, nihil vtilitatis à signis adipiscimur. Nam & Niniuitæ absque aliquo penitus signo animo crediderunt: Iudæi verò etiam post tot & tanta miracula in peius deuoluti, domicilium dæmonum facti sunt, & innumeras contraxerunt ærumnas: neque id iniuria. Nam quando quispiam ab afflictionibus liberatus non modestior fit, multò grauiora quàm prius patietur: idcirco enim dixit, Non inuenit requiem: vt ostendat necessariò ad huiusmodi hominem insidias dæmonum peruenturas. Nam qui duabus his præcipuis causis castigatus non est, à præcedentibus videlicet calamitatibus, & à liberatione secuta, quibus tertiam quoque addere possumus, comminationis scilicet peioris: nisi resipuerit, qua ratione sperare de illo poteris amplius, quòd melior futurus sit? Hæc non ad illos solùm, verumetiam ad nosipsos dicta esse credamus. Nam diuina luce illuminati, & à prima delictorum miseria erepti, rursus ad eandem malignitatem reuertimur, grauior punitio nos profectò expectabit: ideo Christus quoque paralyticum admonebat dicēs, Sanus iam factus es, noli ergo amplius Ioan. 5. peccare, ne quid peius tibi cueniat. Sed quid peius, inquies, illi accidere poterat, qui triginta & octo annos ægrotus iacuit? Multa profectò peiora & grauiora diuturno illo morbo possent excogitari. Vtinamq; tot tantáq; nobis non accidāt, quot quantáq; pati possumus. Magna enim suppliciorum atque punitionum apud Deum copia est, quāuis per ineffabilem misericordiam eius iusta ipsius ira clementer mitigetur: quod & ad Hierusalem per Ezechielem dicit: Vidi enim te, ait, pol- Ezech. 16. lutam sanguine, & ablui, atque vnxi, & factum est tibi nomen in pulchritudine tua, & fornicata es cum finitimis tuis: ideo nūc grauiora illi peccanti minatur. Qua ex re non supplicia tantummodo, verumetiam infinitam Dei longanimitatem, atque misericordiam admirari debemus. Quoties enim ad eadem peccata lapsi sumus, & vsque adhuc in clementia & misericordia sua perseuerat? Non tamen propter misericordiam suam nobis confidendum est magis quàm pertimescendum. Nam & Pharao si confestim prima percussione fuisset Exod. 7. admonitus, neque posteriores plagas habuisset, neque & seq. tandem cum eo tantus exercitus demersus periisset. Exod. 14. Hæc ideo dico, quia non ignoro multos etiam nunc in

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pharaonis impietate viuẽtes dicere, Non noui Deum, & luto ac figulinæ suos subditos affigere: quumque Deus iubeat vt minas remittant, ipsine labores quidem volunt relaxare, qui non in rubro mari demergentur, sed in ignis fluuium, atque pelagus intrudentur, pelagus impertransibile, atque magnitudine acerbissimum, in quo ignei fluctus montium instar eriguntur: ignei dico, non huius ignis, sed ignis certè multò quàm hic horribilioris, cuius flamma maximam conficit abyssum, ita vt vndique ignis immanissimæ similis feræ transcurrere videatur. Quòd si sensibilis iste atque materialis, eos qui extra fornacem erant veluti fera exiliens absorpsit, quid ille ignis faciet iis qui in ipsum
Esa.13. inciderint? Et audi quid prophetæ de illo die præcinuerunt: Dies domini incurabilis, furore ac ira plenus. Nullus enim erit qui assistat, nemo qui iuuare possit, nunquam iucundam & trãquillam Christi faciem perspicere poteris. Verùm quemadmodum qui ad metalla destinantur, acerbis ita traduntur hominibus, vt nullos amicorum postea, sed solos eos qui præsunt videãt: simile quid tunc etiam erit, imò verò asperius atque truculentius. Nam hîc quidem accedere nonnunquam ad principes, atque rogare pro condemnatis possumus: ibi autem non amplius licet, sed perseuerabunt in tanto dolore atque molestia, quantum nec dicere homini possibile est. Nam si acerrimos quos iste ignis & hæc flamma dolores infert, oratione assequi non possumus: quid de illo dicemus? præsertim cùm hîc vno temporis momento in ignem positus homo expiret, ibi autem crematur quidem ac dolet, sed nequaquam quod crematur, consumitur. Quid ergo ibi faciemus? Nam hæc etiam de meipso dico. Sed tu qui magister es, de teipso hæc dicis, quispiam obiiciet. Nulla mihi ergo cura est, nihil mirum si in illa supplicia venero. Noli, obsecro, his cogitationibus deprauari, noli hinc tibi consolationem quærere. Dic enim quæso, nónne naturæ incorporeæ diabolus est? nónne multò melior C hominibus erat? hic tamen in tenebras ex luce conuer-
Esa.14. sus est. Putásne igitur consolationem inde tibi futuram, si vnà cum illo punieris? Minimè certè. Quid porrò Ægyptij? nónne magistratus etiam suos, & singulas principum domos eisdem vlceribus vexari videbant, quumque singulas domos luctus occupasset? an igitur putas ea de re illos respirasse? Nequaquam. Quod à factis eorum patuit. Nam vt quasi flagello igneo compulsi, ad regem irruerunt, & Hebræorum populum emittere coëgerunt. Friuola enim atque frigida hæc ratio, nec credas, si cum aliis puniaris, consolari te posse. Sed quid ego de gehenna loquor? Podagricos tibi ante oculos pone, qui quando acutis compunguntur dolorum stimulis, etsi mille offerres vehementius dolentes, ne respicere quidem dignantur. Non enim patitur intensus dolor, vt quasi otiosi de cæteris cogitent, ac inde consolentur. Minimè igitur nos huiusmodi spes alat: nam consolatio quæ à malis aliorum ori- D ginem trahit, in mediocri afflictione locum habet. Quando autem magnus est cruciatus, & anima vexat animum, adeo fluctuatur, vt seipsam quoque ignorare videatur: vnde fructum consolationis excerpere poterit? Ridicula ergo sunt huiusmodi verba, & puerorum incompositæ fabulæ, mœrori atque luctui, & huic moderato hæc solent remedia decantari. Quiescimus enim aliquantulum, quum audimus simile quid alteri accidisse: quamuis plerunque ipse quoque luctus hac ratione non mitigetur. Quid ergo erit in cruciatu ineffabili, quem stridor dentium declarat? Nunc molestus forsan vobis sum, & dolorem his verbis infero. Sed quid faciam? Vellem ita mihi & vobis conscius esse virtutis, vt hæc dicenda non viderentur. Verùm quamplurimi nostrum in peccatis vitam trahimus, vtinam possem verè ad dolorem vos inducere, vtinam mentem atque animum vestrum possem commouere: quo facto, exitum orationi tunc optatum facerem. Nunc autem vereor, ne quidam hæc dicta mea contemnant, & maiores hac de causa pœnas mereantur. Nec enim cùm dominus quispiam seruis suis comminetur, si quis verba eius contemnat, impunè id faciet, sed huius quoque rei supplicium luet. Quare oro atque obsecro, quãdo de gehenna quicquam audimus, compungamur. Nihil enim certè hoc sermone iucundius est, quandoquidẽ nihil sit his rebus amarius. Et quomodo, inquies, de gehenna audire quicquam, ac dicere iucundum esse asseris? quippe quoniam res tristis est in gehennam incidere, idcirco qui ab ea re procul amouent, sermones suauissimi sunt. Præterea hæc audiendo anima ad se conuertitur, & cautior facta effertur altius, volátque B sublimius, malignæ cupiditatis expulsa tyrannide. Ita hæc de gehenna verba, ne in gehennam deuenias efficiunt, ac medicinæ loco sunt sumenda. Quare date mihi veniam, vt verecundiam etiam atque dedecus futurum adiiciam. Nam quemadmodum Niniuitæ Iudæos tunc condemnabunt, sic multi qui modò inferiores videntur, nos condemnabunt. Veniat ergo in mentem Hic, & quanta erit illa derisio, quanta condemnatio: veniat Luc.11. ita (inquam) in mentem, vt incipiamus aliquando ad veram accedere pœnitentiæ ianuam. Mihi hæc ipsi dico, meipsum primò exhortor, nemo mihi quasi cõtemptus atque condemnatus irascatur. Capiamus iter angustum. Vsquequo deliciabimur? vsquequo degemus ociosè, ridentes ac oscitantes? Non sumus adhuc satiati desidia, & procrastinatione? Nónne eadem semper erunt, eadem iterum mensa, eadem saturitas, idem sumptus, eædem pecuniæ, possessiones, constructiones ædium, quarum rerum omnium qui erit demum finis? mors: quis erit, inquam, finis? cinis, sepulchrum, vermes, puluis. Aliam ergo viuamus vitam, faciamus de terra cœlum, monstremus rectè viuendo gentilibus, quibus bonis careant: nam quando laudabiliter nos viuere videbunt, quasi faciem regni cœlorum aspicient. Quando quippe cernent modestos, iustos, procul ab ira, inuidia, auaricia, atque ab omni praua cupiditate: quando cernent omnes virtutis numeros in nobis, admirabuntur, ac dicent: Si angeli nunc facti sunt Christiani, quales postea futuri sunt? Si vehementer hic splendent, vbi se peregrinos arbitrantur, quo fulgore rutilabunt, cùm patriam recipient? Sic illos etiam meliores faciemus, sic religionis nostræ sermo non minus quàm tempore apostolorum curret ac progredietur. Nam si duodecim illi viri, ciuitates ac nationes integras conuerterunt: quid erit, si vitam illorum omnes imitabimur? ac per vitæ nostræ integritatem & claritatem aliis præluceamus? Cogita tecum ipse, quò sublimitatis religio nostra conuolabit: non enim ita mortuus à morte excitatus ethnicum attrahet, vt vir religiosè viuens. ab illo enim in admirationem rapietur, ab hoc verò magnam vtilitatem consequetur. Præterea resurrectio à mortuis semel facta, facile obliuioni committitur: philosophia verò viuendi perpetuò manet, & viuentium animos sedulò excolit atque nutrit. Excolamus igitur nosmetipsos, vt etiam illos lucrifaciamus. nihil dico arduum, nihil difficile. Non præcipio ne vxorem ducas, non iubeo vt vrbem derelinquas, vt secularia negocia negligas: sed vt in his ipsis viuendo virtute præfulgeas. Volo enim maiori gloria virtutis coruscare vos, qui in medio vrbis versamini, quàm illos qui montes & eremum petierunt,

tierunt. Quare sic? Quia magnam hinc vtilitatem cæ- A
Mat.5. & Luc.11. teri consequuntur. Nemo enim accensa lucerna sub modio ipsam ponit. Hac de causa hortor, vt supra ornata candelabra cunctas imponatis lucernas, vt ampliſſima inde luce hunc ignem accendamus, cuius lumine sedentes in tenebris ab errore liberabimus. Nec mihi dicas (quæso) vxorem te duxisse, liberos procreasse, magnarum ædium gubernationem habere, ac ideo non posse ista perficere. Nam quemadmodum etiam si nihil harum rerum haberes, nihil tamen facere posses pigrescendo: sic his omnibus circundatus, diligentia, studio curáque superabis. Vna certè res quæritur, magnitudo & generositas animi, quam non ætas, non inopia, non diuitiæ, non aliquid aliud ne ad virtutem peruenias coërcebit. Quippe tam senes quàm iuuenes, quàm vxores habentes, liberos educantes, artes professi præceptis domini rectè paruerunt. Iuuenis atque
Daniel.1. adeo adolescens Daniel erat: Ioseph in Ægypto ser-
Gen.39. & seq. uiebat: Aquila artem profitebatur: & purpuram quæ- B
Act.18. dam vendens, officinæ præerat: alius carceris custos:
Ibid.16. alius Centurio, vt Cornelius: alius imbecillis ac æ-
Ibid.16. ger, vt Timotheus: alius non solum seruus, sed &
Ibid.10. fugitiuus, vt Onesimus: sed nihil horum obfuit, ne
Ibid.16. omnes viri, mulieres, iuuenes, senes, serui, liberi,
Ad Philemoné per totum. tam priuati quàm cum potestate, virtute coruscent. Non ergo vanis nos causis excusemus, sed optimo vsi consilio, qualescunque simus, meliora capessamus, vt rectè viuendo futura bona consequamur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

HOMILIA XLV. EX CAP. XII.

ADHVC *eo loquente ad turbas, ecce mater eius & fratres stabant foris quærentes ei loqui. Dixit autem quidam ei: Ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes te alloqui. Ipse autem respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei.* Quod pridie dicebam, inania scilicet esse cuncta, atque superflua, cùm virtus non assit: id nunc, imò multò magis etiam ostenditur. Nam ego quidẽ dicebam, nec ætatem, nec sexum, nec eremi habitationem, nec cætera huiusmodi quicquam nobis conferre, si mens atque animus probus non sit: hodierno verò die maius aliquid quàm hoc sit, ab Euangelio discimus. Nam neque Christum in vtero gestasse, neque mirabilem illum partum edidisse admodum profuerit, nisi virtus adfuerit. quod ex sequentibus patet. Adhuc enim ipso loquente ad turbas, ait, dixit quidam ei, mater tua & fratres tui, quærunt te. Cui Christus respondet. Quænam est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Hoc autem dicebat, non quia de matre sua verecundaretur, aut quia natum se negaret ab illa. Non enim profectò ille vterus eum concepisset, si ab ea matre nasci noluisset. Verùm vt D significanter exprimeret, nullam etiam esse matri, quoniam peperit futuram vtilitatem, nisi vt decet vitam peragat. Quanuis & ex facto matris nonnihil importunitatis quoque accessit. Considera igitur tam matris quàm fratrum importunitatem. nam cùm debuissent intrare, atque cum turbis simul audire, aut saltem expectare foris sermonis finem, ac demum accedere, ambitione quadam ac ostentatione commoti, foris eum in præsentia omnium euocarunt, vt viderentur facilè ac magna cum potestate Christo imperare. Hoc enim ipsum occultius significans Euangelista dicit: Adhuc ipso loquente turbis: ac si diceret, an non erat alia opportunitas? an non poteratis seorsum atque secretius colloqui? Quid porrò alloqui Christum volebant? Si enim de dogmatibus veritatis, publice atque in medium cunctis audientibus proponere debebant, & communiter omnibus fierent vtilitati: sin verò de rebus quibusdam priuatis atque suis, non decebat tanta festinatione vrgere. Nam si ad sepeliendum patrem, ne consequentia disciplinæ inscinderetur, non abire permisit: quantò minus prædicationem absoluisset pro re aliqua priuata? Vnde patet inani quadam gloria illos commotos fuisse, nihil adhuc magni de ipso cogitantes. quod apertius significauit Ioannes, dicens: quia neque fratres eius credebant in eum. Verba quo- Ioan. 7.
que ipsorum recitat, non paruæ plena dementiæ, dicens quòd magno studio Hierosolymam ipsum trahebant, non alia de re, nisi vt à signis illius aliquod choragium gloriæ consequerentur. Nam tu qui hæc facis, aiebant, ostendas teipsum Mundo. Nemo enim in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse. Ipse autem tunc eos increpauit, carnales eorum accusans cogitationes. Nam quoniam Iudæi conuiciantes dicebant: Mat.6.
Nónne hic est fabri filius, cuius & patrem & matrem & Ioan.6.
nouimus, & fratres eius apud nos sunt? ignobilitati generis detrahentes, propterea ipsum ad ostendenda miracula prouocabant. Christus autem ipsos depellebat, vt ab hac ægritudine animos ipsorum liberaret. Nam si matrem voluisset negare, tunc opportunè profectò negasset, quando sibi opprobrio mater à Iudæis dabatur. Nunc autem tantam curam de ipsa facere videtur, vt cùm vel in cruce penderet, amantissimo eam discipulo commendaret, ac multa super illam ordinaret: nunc verò non tantum ei honoris conferre videtur, quoniam fratrum, qui nudum hominem illum censebant, inanem ambitionem eiicere stupebat. Itaque acerbius non ad contumeliam, sed ad emendationem respondit. Tu verò noli verba tantùm perpendere quæ mediocrem acrimoniam continent, verumetiam importunitatem, atque audaciam fratrum considera. Et ad C hæc quanta esset maiestas illius qui increpat, in animo tuo versetur, quia non nudus homo, sed vnigenitus Dei filius: quem etiam ad finem verba illa tendant cogita. Non enim id dicebat vt illos perturbaret, sed vt à tyrannica passione ipsos liberaret, & paulatim ad rectam opinionem traduceret, ac persuaderet, quòd non solummodo filius ipsius esset, verumetiam dominus atque curator: tunc videbis increpationem illam decentem, atque vtilem, admodúmque mansuetam. Non enim respondet, abeas, & dic mulieri huic, quia mater mea non est: sed ad dicentem directo sermone dicit, quæ est mater mea? Præterea illud etiam probat, nec matrem, nec fratres suos, nec quoscunque alios sua fretos necessitudine & consanguinitate, virtutem negligere oportere. Nam si nullam mater etiam inquantum mater, vtilitatem consequitur, nisi virtutem colat: multò minus alij D necessitudine saluabuntur. Vna enim sola & vera & communis nobilitas atque necessitudo cum Christo est, vt voluntatem Dei facias: hic propinquitatis modus multo melior illo est atque præstantior. Quæ omnia probè tenentes, nec de filiorum gestis gloriemur, nisi virtutes eorum imitemur: nec de parentum nobilitate quicquam nobis arrogemus, nisi probam eorum vitam sequamur. Potest quippe etiam qui non genuit, pater esse, & qui genuit, eodem modo non esse. Idcirco alibi cùm mulier quædam dixisset, Bea- Luc.11.
tus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti: non respondit, nullus me portauit venter, nec vlla ipse vbera suxi, sed beati qui faciunt voluntatem patris mei. Vides quemadmodum nullibi coniunctionem hanc na-

Universidad de Deusto
Biblioteca

turæ hominum negat, sed præponit semper illam quæ A
à virtutibus est. Præcursor etiam Ioānes cùm dicit: Ge-
nimina viperarum, ne videamini dicere patrem habe-
Matt. 3. mus Abraham, noluit ostendere quia non essent ex
Abraham secundum naturam, sed quia nihil ipsis pro-
derat esse filios Abrahæ, nisi etiam virtute illi coniun-
gerentur: quod & Christus denotat dicens, Si filij esse-
Ioan. 8. tis Abrahæ, opera vtique Abrahæ faceretis. Nec enim
carnis cōiunctione ab Abraham eos separare volebat,
sed admonebat vt nobiliorem hac atque veriorem in-
uestigarent propinquitatem. Quod & hîc diligenter fa-
cit, quamuis aliquantulum moderatius & lenius videa-
tur, quia de matre sermo habetur. Nec dixit, non est
mater mea hæc, nec illi fratres mei, quoniā non faciunt
voluntatem patris mei: non enim condemnare fratres
suos, sed emendare voluit, ac ideo mansuetè, vt ipsum
decebat respondens: *Qui facit voluntatem patris mei*, in-
quit, *hic frater & soror & mater est*. Quare si isti etiam esse
volunt, hanc viam peragant, in hac perseuerent. Quan- B
do autem mulier illa clamauit dicens, Beatus vēter qui
te portauit: non dixit se non habere matrem, sed inde
matrem quoque suam beatitudinem consecuturam as-
seruit, si patris eius faceret voluntatem: quam qui dili-
genter sequūtur, & fratris, & sororis, & matris retinent
locum. O mirabilem honorem, ô virtutis incredibiles
vires, quò ducitis bene viuentes homines? mulieres
sanctissimam illam virginem beatificarunt, quotquot
vterum illum admirantur, quotquot optarūt tales fuis-
se matres, & cætera contemnere omnia. Quid igitur
prohibet? Ecce nāque rectam atque facilem viam no-
bis proposuit, vt non fœminis solùm, verumetiam viris
ad hunc ordinem peruenire liceat, imò verò etiam ad
maiorē. Multò enim propinquiores Deo sunt, qui vo-
luntatem eius faciunt, quàm qui summa carnis neces-
situdine coniunguntur. Non ergo simpliciter propin-
quitatem illam desidera, verumetiā viam capesse, ma-
gnóque studio confice, quæ ad hoc desiderium te per- C
ducat. Hoc cùm dixisset, exiuit è domo. Ita & increpa-
uit, & citò fecit quod postulabant. Pariter in nuptiis
Ioan. 2. quoque factum ab eo videamus. Nam & ibi increpauit
importunè petentem, non tamen contradixit, vt & im-
becillitati mederetur, & beneuolentiam erga paren-
tem ostenderet: hîc quoque similiter & ægritudinem
inanis gloriæ repulit, & matrem vt decebat, quanuis
Cap. 13. non in tempore petierit, honorauit. *In illo enim die*, ait,
exiens Iesus è domo, sedebat secus mare. Ac si diceret, si vi-
dere me ac audire vultis, iam exeo vt differam. Et quo-
niam multis coruscauit signis, prædicando rursus pro-
desse hominibus vult. Et prope mare sedens, eos qui in
terris erant piscabatur. Sedisse autem in littore secus
mare, non simpliciter positum ab euangelista est, sed vt
intelligamus ne quispiam à tergo Christi esset, sed o-
mnes contra faciem eius aspicerent. *Et congregatæ sunt*,
inquit, *ad ipsum turbæ multæ, ita vt in nauiculam ascendens*
sederet, & omnis turba in littore stabat, & locutus est eis mul- D
Matt. 5. *ta in parabolis*. Non ita certè in monte, neque per tot pa-
rabolas, sermonem contexuit: tunc enim ibi quædam
turba erat, & plebs incomposita, hîc verò & scribæ &
pharisæi plerique assunt. Sed aduertamus (quæso) dili-
genter quam primò parabolam attulit, & quomodo ex
consequentia Matthæus omnia nobis proposuit. Quam
ergo primum dixit? Certè quam primā esse oportebat,
quæque auditores mirum in modum attentiores facie-
bat: nam quia ænigmaticè prædicaturus erat, exusci-
tandę vehementius primum erant audientium mentes.
Hac ratione increpasse quoque ipsum alius euangelista
scribit, quasi non intelligentibus dicentem: Quomodo
non percepistis parabolam? Neque hac ratione in pa-

rabolis solummodo loquitur, sed etiam vt tenacius me-
moriæ quæ dicuntur commendari possint, & expres- Matt. 4.
sior propter similitudines sermo res ipsas ante oculos
apponat: qui dicendi modus prophetis etiam tritus est.
Quæ igitur parabola est? *Exiit qui seminat seminare*, in-
quit. Vnde exiit, qui vbique præsens est, qui omnia re-
plet? aut qualitérnam exiit? Certè non loco, sed habitu-
dine, atque incarnationis dispensatione propinquior
nobis factus. Nam quia nos venire ad ipsum non po-
teramus, peccatorum maceria ingressum atque aditum
prohibente, ipse ad nos egreditur. Ad quid igitur exi-
uit? an vt terram vepribus plenam perderet & ignauos
agricolas puniret? Minimè: verùm vt optimo cultu
terram arando fertilem faceret, religionis ac pietatis
seminibus diligentius iactis. Nam semen hîc doctri-
nam suam, arua verò & campos animas hominum, se-
minatorem autem seipsum appellat. Quid igitur de
isto semine fit? Tribus perditis partibus, vna tantum-
modo saluatur. *In seminando enim ipsum*, inquit, *quædam* B
secus viam ceciderunt, & venerunt volucres cæli, & comede-
runt ea. Nec dixit seipsum in viam proiecisse, sed quòd
ceciderunt secus viam. *Quædam verò supra lapidem, vbi*
non habebant terram multam, & continuò exorta sunt, quia
non habebant altitudinem terræ: Sole autem orto æstuauerunt,
& quia non habebant radicem, aruerunt. Quædam autem ce-
ciderunt inter spinas, & creuerunt spinæ, & suffocauerunt ea.
Quædam verò ceciderunt in terram bonam, & dabant fru-
ctum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum.
Qui habet aures audiendi audiat. Quarta pars sola saluа-
ta est, nec vniuersa æqualiter, sed magno quodam in-
terecto discrimine. His verbis copiosissimè omnibus
pietatis doctrinam propositam esse ostendit. Nam quē-
admodum agricola seminans non discernit campum,
vt in altera parte seminet, in altera verò minimè, sed
vbique proiicit semina: eodem ipse modo saluator no-
ster non diuitem, non pauperem, non ingeniosum aut
rudem, aut fortem, aut ignauum, aut diligētem, aut de-
fidem discernit: sed omnibus, quanuis non ignoret fu-
turum exitum, pietatis doctrinam commendat. Sic
certè iiecebit ei dicere: Quid oportuit me facere, nec
feci? Et prophetæ quidem tanquam de vinea de popu- Esaiæ 5.
lo loquuntur. Vinea enim facta est, ait, dilecto: &, Vi- Ibidem. Psal. 79.
neam de Ægypto transtuli. Ipse autem tanquam de fe-
mine: vnde significat facilius, atque maturius nunc ho-
mines obtemperaturos, & fructum confestim daturos.
Quando autem audis exiisse seminantem, vt seminet,
non idem iterari putes. Sæpius enim egreditur semi-
nans ad aliam quoque rem, quàm ad seminandum: pu-
ta vt nouales scindat, vt pernicioſas herbas amputet,
vt vepres euellat, aut tale quid aliud faciat. Ipse autem
ad seminandum egressus est. Cuius igitur causa, dic
(quæso) maior pars seminis amissa est? Non seminan-
tis quippe causa, sed suscipientis culpa terræ, hoc est
propter non attendentem aut repugnantem animam.
Sed cuius rei gratia non dixit quòd inertes ac desides
otio semina corruperunt, diuites deliciis merserunt,
molles atque ignaui perdiderunt? Noluit acerbius re-
prehendere, ne in desperationem immittat: sed con-
scientiæ audientium, atque prudentiæ huiusmodi exa-
minationem reliquit: non autem semen solummodo,
verumetiam sagenam hoc passam esse inuenies. Multa Sagena
enim illa quoque incommoda tulit. Hac parabola malos etiā
discipulos docuit & exercuit, vt etsi plures eorum qui pisces cō-
prædicationem apostolorum suscepturi erant, perde- plectitur.
rentur, non caderent animis, cùm id etiam in domi- Mat. 13.
no atque magistro pariter factum recordarentur: ne-
que tamen ipse, quanuis ita id futurum non ignoraret,
semina proiicere neglexit. Sed quomodo, inquies, cre-
dendum

dendum est in vepribus, & in lapide, & in via pruden- A
tem hominem seminare? In agris certè & in seminibus
quæ terræ traduntur, stultè factum videretur: in ani-
mis autem, atque doctrina probè atque laudabiliter.
Non enim absque crimine agricola illud faceret, cùm
non sit possibile lapidem, aut viam, aut vepres in terram
bonam mutari: in animis autem hominum non ita.
Possibile enim est, vt lapis in terram fertilem cōuerta-
tur, & vt via non conculcetur, nec prætereuntibus cun-
ctis proposita iaceat: sed in vberes agros traducta,
nec vepres emittat, & semina foueat. Nam nisi hoc
possibile, immò verò facilè esset, nec certè seminasset.
Quòd si hæc præterea mutatio in omnibus facta non
est, non seminantis culpa, sed audientium inobedientia
id contigit. Nam ipse quidem diligenter eis semina tra-
didit. Si verò illi corruperunt accepta, inculpabilis o-
mnino est qui tanta benignitate in omnes æqualiter
vtitur. Nos verò illud etiam intelligimus, quia non est
vna perditionis via, sed multæ magnóque inter se dis- B
iunctæ interuallo. Nam, qui via significantur, hi negli-
gentes sunt, atque otiosi. Qui lapidi conferuntur, hi
sunt pusillanimes qui solum per infirmitatem labun-
tur. Quod enim in petrosa loca cecidit, inquit, hic est,
qui verbum audit, & accipit cum gaudio: sed quoniam
non habet radicem, in tempore credidit, & persequ-
tione veniente scandalum passus est. Omnes audientes
veritatis verbum, & non intelligentes, quoniam à cor-
dibus eorum pernicioſus diabolus rapit quod semina-
tum est: hi omnes viæ conferuntur. Non est autem æ-
quale nulla tribulatione atque vexatione deficere, &
tentationibus victum succumbere. Qui autem vepri-
bus atque spinis similes sunt, multò magis cæteris o-
mnibus peccare videntur. Quare ne quid tale nos pa-
tiamur, diligentia, magnitudine animi, & iugi memo-
ria semina obducamus. Rapere quidem ipsa diabolus
potest, sed nos possumus facere ne rapiantur. Arescunt
plerunque semina, sed non exusta calore. Non enim C
æstibus calefacta exaruisse dixit, sed quia radicem non
habebant. Suffocantur spinis quæ audiuimus, non qui-
dem ipsarum spinarum culpa, sed eius qui crescere ipsas
permittit. Potes enim, dummodo velis, pernicioſa hæc
germina sentium incidere, ac diuitiis laudabiliter vti.
Ideo nec sæculum dixit? sed solicitudinem sæculi, nec
diuitias, sed diuitiarum fraudem: non ergo rebus cau-
sam, sed menti corruptæ, atque animo attribuamus.
Possumus enim ita ditari, vt non decipiamur: & in hoc
seculo sic conuersari, vt harum rerum curis non sub-
mergamur. Duo quippe vitia inter se opposita in diui-
tiis sunt. Alterum quod incendit solicitudinem, & ob-
fuscat curis: alterum quod molliores deliciis reddit.
Rectè autem dixit fraus atque deceptio diuitiarum:
quippe cum nihil aliud in deliciis sit, præter deceptio-
nem: nomina enim sola sūt in illis de rebus posita. Nam
cùm voluptas & gloria, tum ornatus & pompa horūm-
que similia, phantasmata quædam sunt nullam rem ve- D
rè continentia. Quando igitur perditionis modos pri-
mò exposuit, de agro feraci postremò mentionem fa-
cit, docens quod desperandum non sit, sed spem salutis
per pœnitentiam esse retinendam. hoc enim possibile
est à dictis perditionum modis ad hūc salutiferum mo-
dum traduci. Sed cur, si fertile territorium est, & agri-
cola vnus, & eadem semina, alius cētum, alius sexagin-
ta, alius triginta producit? Certè hoc quoque propter
ipsam terrę naturam, cum discrimine ac differentia hęc
prodeunt. Ita non agricolæ, neque seminum causa, sed
terræ conditione non naturaliter insita, sed voluntate
constituta, maior atque minor progressio fit. Misericor-
dia verò eius atque benignitas hîc quoq; apparet, cùm

non vnam ab omnibus mensuram efflagitet: sed pri-
mos ita libenter recipiat, vt secundos non eiiciat, &
tertiis locum præbeat. Quæ omnia dixit, ne sequentes
ipsum putarent solam audientiam ad salutem sufficere.
Sed curnam, inquies, nullam aliarum malignitatum
mentionem facit? nihil de amoribus, nihil de vana glo-
ria, nihil de aliis compluribus? Quum dixerit, solicitu-
do sæculi istius, & fallacia diuitiarum, omnia compre-
hendit. omnia enim hæc huius sæculi & diuitiarum
sunt. Viam autem & lapidem adiecit, vt ostendat non
esse satis pecuniam cōtemnere, sed oportere aliis etiam
virtutibus operam dare. Quid enim prodest, si diuitiis
non seruis, ignauus autem atque mollis sis? Quid etiam,
si cùm sis generosus, pigritia & negligentia audiendi
verbi diuini labores? Non enim vna re ad salutem opus
est, sed primum oportet exquisitè audire, atque audita
ritè memoriæ commendare, deinde magnitudinem a-
nimi adhibere. Accedit, quod omnis pecunia contem-
nenda sit, & sæcularium cura rerum eiicienda: ac ideo
audientiam primò posuit: quandoquidem ea in primis
opus est. Quomodo enim credent, si non audient? Nos Rom. 10.
quoque ipsi, quomodo quæ facienda sunt perdisce-
mus, nisi prædicantibus diligenter attendamus? Forti-
tudinem animi, ac diuitiarum contemptum subiunxit.
Hæc attentè audientes, vndique nosipsos diligenter
muniamus, firmas in profundum radices iacientes, ac
sæculares res omnes parui facientes. Quòd si illa facie-
mus, alia negligemus, nihil nobis confert ad salutem.
Quid enim refert, vtrum hoc vel illo modo perdaris?
Quid interest si non diuitiarum fraude, sed otio: aut
non otio, sed pusillanimitate corrumparis? Sic & agri-
cola quocunque modo semina peritura pariter luget.
Non ergo consolationem hinc accipias, quòd non
omnibus modis pereas: sed acerbè lugeas, quòd vno
aliquo quocunque tandem modo pereas. Crememus
vepres, quæ prædicationem suffocant. Sciunt id pro- C
bè diuites, quoniam non ad hæc solùm, sed nihil e-
tiam ad aliud valent: nam cùm voluptatibus seruiant,
etiam ad res ciuiles inutiles redduntur: quòd si ad illas,
multò magis ad cœlestes. Duplex enim pestis cogita-
tiones illorum inuadit: deliciarum putredo, & cura-
rum magnitudo: quorum vnumquodque ad subigen-
dum nauigium sufficit. Si verò ambo concurrant
atque conueniant, quanti proh dolor fluctus, quanta
tempestas concitatur? Nec mireris si nomine spinarum
delicias appellauit. Tu enim harum turbatione supera-
tus, non sentis: sed qui procul inde absunt, non igno-
rant quòd vehementius omnibus stimulis pungant ci-
borum deliciæ, ac multò magis quàm vlla solicitudo
tabefaciant animam, acerbissimos dolores tam ani-
mæ quàm corpori inferentes. Non ita certè curis ho-
mo lauciatur, vt voracitate. Itaque quando vigiliæ,
quando aurium, quando capitis dolores, atque tinni-
tus, quando stomachi subuersio, cæteraque huiusmodi
hominem occuparunt: nónne omnium stimulorum D
puncturas hæc superant? & quemadmodum acutè ve-
pres vndecunque capiuntur, atque constringuntur,
manus cruentant: eodem modo deliciæ pedibus, ma-
nibus, capiti, oculis, omnibus similiter membris offi-
ciunt: steriles etiam sunt, nullum quemadmodū vepres
fructum producētes, ac multò magis quàm cætera pe-
nè omnia hominem conficiunt. Deliciis enim senectus
citius surrepit, deliciis sensus obtunduntur, deliciis co-
gitatio retardatur, citius mens tenebris obducitur, cor-
pus dissoluitur, maior stercoris copia reconditur quasi
atque reponitur: ita ex ingenti afflictionum aceruo,
nauigio nimium oneribus oppresso, crebra contingunt
naufragia. Quid enim, respondę quæso, ita pingue cor-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pus efficere ſtudes? An vt te ad immolandum ducamus? an vt menſæ immolatum apponamus? aues certè pingues ad ſaniorem diætam inutiles ſunt. Adeo mala deliciarum laſciuia eſt, vt irrationalibus quoque peſtifera ſit. Nam & volucres ſaturitate nimia & ſibi & nobis inutiles efficiuntur: ſuperfluitates enim indigeſtæ, ac putredo humidior à pinguedine oriuntur: quæ verò animalia non copioſè aluntur, ſed quaſi ieiunantia mediocri victu ſimul & labore exercentur, hæc animalia tam ſibi ſanitatem ſeruant, quàm nobis accommodiora ſunt. Quare qui his veſcuntur, ſani viuunt: qui verò illis pinguioribus ventres voraciter replent, illis ſimiles efficiuntur, tardi, & ad ægrotandum aptiores facti, & ſtrictiora ſibi vincula comparantes. Nihil certè ita corpori noſtro repugnat & obeſt, vt ſatietas: nihil ita reſcindit, & ſuffodit ipſum, atque corrumpit, vt luxuria. Quare amentiam atque ſtoliditatem ipſorum inde maximè quiſpiam admirabitur, quia nec ita ſibi parcere volunt, ſicut vtribus cæteri. Nam qui vina huc & illuc traducunt, nolunt nimium vtres implere, ne diſtenti rumpantur: iſti verò ærumnoſum ventrem nec vtris quidem dignitate condonant, ſed diſtentant, & replent vſque ad fauces, vſque ad nares, vſque ad aures, duplicem hinc ſpiritui & ori animal diſpenſanti anguſtiam facientes. An ideò tibi fauces factæ ſunt, vt vſque ad os vino atque cibo, & aliis corruptionibus te impleas? Non idcirco, crede mihi, ſed principaliter, vt orando canas ad Deum, & diuinas ſcripturas ſacro ore perlegas, & proximis oratione conſulas. Tu verò ad hoc miniſterium nunquam aut rariſſimè faucibus vteris, ſed per totum vitæ ſpacium voracitatis inſanæ ſubiicis ſeruituti. Et quemadmodum ſi quis citharam aureis fidibus coaptatam in manus ſumeret, & cùm illam concinnè pulſare deberet, ſtercore atque cœno ipſam indignè obrueret: ſimiliter hi quoque faciunt. Stercus autem non alimentum, ſed delicias & intemperantem illam voracitatem appellaui. Quod enim neceſſitatem in comedendo excedit, id non alimentum, ſed peſtis eſt. Aluus enim ſola ad cibos recipiendos facta eſt, os verò & fauces & lingua etiam ad alia his magis neceſſaria creata ſunt. Vel potius neque aluus aut ſtomachus ad recipiendum ſimpliciter cibum, ſed moderatè recipiendum factus eſt: quod manifeſtat cùm vehementer repletione grauatur, non modo reclamando nobis, ſed vlciſcendo, & vltima ſupplicia inferendo: Nam primùm pedes acrius punit, quibus ad praua ſympoſia, & ad incontinentes epulas adducimur. Deinde manus, quæ ſuperflua miniſtrarunt, acrius ligat: in pleriſque autem diſtortione os, oculi & caput dolore vexati ſunt. Et quemadmodum ſeruus, quando ſupra vires quicquam impoſitum eſt, domino impudentius maledicit: ſic & venter nimium plenus præter dicta membra, mentem quoque & cogitationem plerunque corrumpit. Quod mirifica diſpenſatione dixerim diuinitus factum: vt ſi ſponte moderatiorem viuendi contemnis normam, ſaltem inuitus, quoniam videas tantum ex ſaturitate tibi imminere periculum, modeſtius viuere coneris. Hæc igitur probè tenentes, fugiamus delicatas ciborum apparationes, quæ in voracitatem inducunt. Curæ nobis ſit moderatio, vt & corpore benè valeamus, & animam ab omni languore liberemus, & futuram beatitudinem conſequamur, gratia & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.

HOMILIA XLVI. EX CAP. XIII.

ET *accedentes diſcipuli dixerũt ei: Quare in parabolis loqueris eis? Ipſe autem reſpondens, dixit eis: vobis datum eſt noſſe myſterium regni cœlorum, illis autem non eſt datũ.* Dignum certè eſt de diſcipulorũ admirari prudentia, qui etſi magna diſcendi cupiditate arderent, opportunitatem tamẽ interrogationis expectant. Non enim coram omnibus id faciunt, quod Matthæus vno verbo deſignauit, dicens: & accedentes. Nec à verbo hoc ſolùm quaſi cõiiciens id aſſero, ſed à Marco apertius ſcriptum non ignoro, dicente quòd ſeorſum acceſſerint. Sic matrem quoque ac fratres feciſſe decuiſſet: non autem palàm oſtentationis cauſa foras euocaſſe. Sed charitatem eorum diligenter perpende, quomodo non mediocri curæ omnes qui Ieſum ſequebantur, ſibi erant. Prius enim aliorum commoda, deinde ſua quærere videntur. Cur enim, inquiunt, in parabolis eis loqueris? Non dixerunt, cur in parabolis nobis loqueris? Nam & alibi ſæpius nimium ſe proximis affectos eſſe omnibus oſtendunt: vt cùm dicunt, abſolue turbas: & quoniam nouiſti quòd ſcandalizati ſunt. Quid igitur Chriſtus? Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum: illis autem datum non eſt. Hoc autem dixit, non neceſſitatem quampiam oſtendens, nec temerariam ad aliquos doctrinæ attributionem à caſu, & vt contingit, illatam: ſed vt in ipſis omnium cauſam eſſe malorum ſignificaret, ac aperiret donum quoddam hoc eſſe, ac gratiam infuſam, quę nullo pacto libertatem humanæ tollit naturæ: quod à ſequentibus liquidius efficitur. Et attende quomodo ne aut illi deſperent, aut iſti corpore tabeſcant, datum & non datum eſſe audientes, in nobis harum eſſe principium rerum aſſeruit. *Quicunque enim habet, dabitur ei, & abundabit: quicunque autem non habet, & † quod habet*]*auferetur ab ipſo.* Is locus non parua caligine obductus eſt, & ineffabilem diuinæ maieſtatis iuſtitiam aperit. Tale namque eſt quod dicitur: Cum enim quiſpiam deſiderat, ait, & magno ſtudio atq; cura virtutem inquirit, tunc ei ex Deo cuncta præſtabuntur: cùm autem nullo ſtudio atque voluntate ad rectè faciendum pronus eſt, tunc ei diuinum auxilium non cõceditur: & quod etiam habet, auferetur ab ipſo. Non aufert certè Deus, ſed non præbet indignis fauorem & patrocinium ſuum. Hoc ipſi quoque nos factitamus. Cùm enim negligentem quẽquam ad audiendum perſpexerimus, adhortamur & admonemus, vt diligentius attẽdat: & ſi crebrò id facientes non perſuademus, ſilentio vtimur, præſertim cùm videamus ex maiori eura in maiorem illum deuolui deſidiam. Attentiores autem diſcendiq; cupidos attrahimus libẽter, & complura docemus. Rectè autem dixit, quod habere videtur: neque enim habet, quod æſtimatur habere. Deinde aperiens quid ſibi vult illud: ei qui habet, dabitur: ab eo verò qui non habet, auferetur: *Idcirco*, ait, *in parabolis eis loquor, vt videntes non videant, & audientes non audiant, neque intelligant.* Aperire igitur oculos eorum oportebat, inquies, quoniam non videbant. Oportebat quippe, ſi natura cæci non vident. Verum quoniam volentes oculos claudebant, ideo non ſimpliciter dixit, non videt, ſed videntes non vident, vt à praua illorum mẽte cęcitatis originem eſſe intelligeremus. Nam cùm videant dæmonia eiici, dicunt, in Beelzebub principe dæmoniorũ dæmonia eiicit. Cùm audiãt quod ad Deũ eos adducam, & oſtendam me admodum ipſius voluntati conſentire, non eſſe me à Deo contendunt. Quoniam igitur contra veritatem, quam viderunt & audierunt, iudicant: ideo etiam ipſam audiendi facultatem ab eis

Mar. 4.

Infra 4. Infra 15.

Supr. 12.

quod habere videtur.) ſic hoc legiſſe videtur Chryſoſt. quod tamẽ habetur Lucæ 8.

ab eis aufero, cùm nihil ipſis vtile inde, ſed maius peccatum accedere, rerum periculo pateat. Non enim ſolum incredulitatis crimine tenebantur, verùm etiam quoniam accuſabant, & increpabant, & inſidiabantur, & maiorem ſibi delictorum cumulum exaggerabant. Non autem dixit hæc apertè, ne accuſando moleſtus eſſet: ſed ab initio quidem non ſic locutus eſt, ſed enodatius atque apertius: poſtea verò quia ſeipſos peruertebant, in parabolis loquitur. Sed ne quis eorum putet odio atq; calumnia ad dedecus ipſorum dicta, prophetam ipſius dictis conſona proferentem in medium, adduxit. *Completur enim*, ait, *prophetia quæ dicit: Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. Incraſſatũ enim eſt cor populi huius, & auribus ſuis grauiter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt: nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant: & conuertantur, & ſanẽ eos.* Vides quàm exquiſitè propheta iſte prædixit? vides quàm palam ipſos accuſauit? Nec enim dixit, non videbitis: ſed, videbitis, & non videbitis: nec ſcriptum reliquit, quia nõ audietis: ſed, audietis, & non intelligetis. Quare ipſe ſeipſos intelligentia vera priuarunt, qui aures obſtruunt, qui oculos clauſerunt, corda obdurarunt. Non ſolum enim non audiebant, ſed grauiter audiebant: hoc autem faciebant, ne quando conuertantur & ſanem eos: intenſam & magnam nimirum nequitiam eorum ſignificat, & ſtudioſe ipſos auerti oſtendit: quanuis etiam his verbis incitet ipſos, atque attrahat, cùm oſtendat, quia ſi conuertãtur, ſanabit eos. Ac ſi quiſpiam diceret, noluiſti me videre, & gratiã habeo: nam ſi dignũ me putaſſes, ſtatim flexus tibi affuiſſem: qui enim his verbis vtitur, reconciliationis viam affert. Sic igitur etiam hîc, quando ait, nequando conuertantur, & ſanem eos: ita vtrumque oſtendit eſſe poſſibile, & conuerſionem videlicet hominum, & ſalutem conuerſorum: & quod non ad gloriam ſuam, ſed ad ſalutem illorum omnia faciebat. Niſi enim voluiſſet eos conuerti, ac ſaluos eſſe, tacuiſſet profectò, neque in parabolis quicquam locutus eſſet: nunc verò hac ipſa re, quia tenebris obfuſcatur oratio, ad quærẽdum eos mouet. Deus enim non vult mortem peccatoris, ſed vt cõuertatur, & viuat. Nam quod nec à natura, nec à neceſſitate atque vi delicta oriuntur, audi quid ait Apoſtolus: *Veſtri autem beati ſunt oculi, quoniam vident, & aures, quoniam audiunt.* Non dicit quippe de viſu hoc, neq; de auditu corporis, ſed de viſu atque auditu mentis. Iudæi etiam illi erant, ad quos hæc ſcribit, in eiſdem legibus atq; moribus educati, nec tamẽ ipſis quicquam obfuit prophetia: quia bona fundamẽta, bonas radices voluntatis atque mentis poſſidebãt. Vides non ſignificare neceſſitatẽ, quod dicitur, vobis datum eſt? Non enim beatificarentur, ſi coacti vi quicquam rectè feciſſent. Nec obiicere potes obſcurè illis hæc dicta fuiſſe: potuiſſent enim opportunè accedere ac interrogare, ſicut & diſcipuli fecerunt: ſed torpore atque negligentia corrupti noluerunt. Cur dixi, noluerunt? immo etiam aduerſus eum ſtudioſe nitebãtur: nec enim ſolũ non credebant, aut non audiebãt, verumetiã impugnabãt, & perſequebantur prædicantem: quod propheta illis verbis denotauit dicens: grauiter audierũt. Diſcipuli quia tales non fuerũt, beatificãtur, & alibi rurſus beatitudinem eorum confirmando, dicit: *Amen amẽ dico vobis, quia multi prophetæ, & iuſti cupierunt videre quæ videtis, & non viderũt: & audire quæ auditis, & nõ audierũt.* aduentũ ſcilicet meum, præſentiam, miracula, vocem, prædicationẽ. Hîc enim nõ ſolùm perditis illis eos anteponit, verumetiam prophetis ac iuſtis præſtantiores eſſe aſſerit atq; beatiores. Quare ita? quoniam nõ ſolùm iſta aſpiciũt, quæ illi non viderunt, verumetiam quæ illi videre cupierũt, iſti oculis cernunt. Nam fide ſolùm illi intuiti hæc fuerunt, ſed iſti & oculis & multò clarius omnia perſpexerunt. Perpendis quomodo rurſus vetera nouis cõglutinat? cùm enim non ſolùm præciſè illos futura non vidiſſe, ſed deſideraſſe quoque oſtendat: ſi alienus quidem à Deo eſſet, aut Deo cõtrarius, profectò non deſideraſſent. Vos igitur, inquit, quibus datum eſt, audiatis parabolam. Expoſuit deinde quæ nobis dicta pridem ſunt de negligentia & ſtudio, de ignauia & fortitudine, de conſequendis & abiiciendis pecuniis, vt quantum altera noceant, tantum altera prodeſſe intelligamus. Virtutis quoque ipſius non vnam dedit viam: neque dixit, niſi qui centum faciet, eiicietur, ſed ſaluabitur, etiam ſi ſexaginta reddet, ſi ad triginta ſolummodo peruenerit: ita facilè nobis per omnia ſalutis iter conſtituit. Quas ob res etiam tu ſi virginitatis arduum iter ingredi non potes, viuas moderatè cum vxore. Non potes omni ex parte pecuniam eiicere? offeras partem egentibus: graue videtur onus illud? æqualiter cum Chriſto partire ea quæ habes: quod ſi non velis illi omnia relinquere, dimidium ſaltem, vel etiam tertiam partem ipſi tradas. Frater tuus eſt, atque cohæres in regno cœlorum, ſac eum etiam hîc cohæredem, præſertim cùm omnia quæ ei præſtas, ad teipſum redundent, atque refundantur. Non audis prophetam dicentem: Propinquos ſeminis tui non deſpicias? Quòd ſi coniunctos ſanguine minimè oportet negligere, quantò magis Deus negligendus non eſt? qui cùm ſit dominus, ſumma etiam tecum neceſſitudine iungitur: qui etſi nihil abs te acceperit, vltro tamen ineffabili ſua commotus miſericordia, cohæredem te ſuum conſtituit. Quomodo igitur non eſt extremæ tuæ dementiæ, ad nullam te benignitatem tanto munere moueri? Nec retributionem aliquam pro gratia, nec minima pro maximis reddere? Ipſe te cœlorum hæredem ſtatuit, tu nec ex iſtis terrenis quicquam ipſi concedis? Ipſe nullius te boni authorem, ſed hoſtem atque inimicum Dei reconciliauit: tu nec etiam amico & benefactori quippiam retribues? Quãuis certè etiam antequam regnum adipiſcaris, antequam cætera conſequaris quę tibi promittuntur, propter idipſum, quoniam das, gratiam ei referre par eſt: ſic enim etiam liberti atque ciues, cùm dominos atque patronos in cõuiuium inuitarunt, non obtuliſſe illis aliquid, ſed accepiſſe ab illis arbitrantur: hîc autem contrà factum eſſe videmus. Non enim ſeruus dominum, ſed dominus ſeruum ad menſam ſuam primus inuitauit, primus ad tecta ſua ſubduxit: tu verò etiam nec poſt hæc nec ſecundo loco inuitare ſuſtines. Nudum te induit, tu nec peregrinum conducis. primus tibi calicem ſuum obtulit, tu vel aquam frigidam ei negas. potauit te Spiritu ſancto, quanuis indignus eſſes: tu nec corporalem hanc ſitim ſuam mitigare ſtudes, præſertim cùm omnia hæc non à tuo: ſed à ſuo proueniant. Nónne magnum ducis, quòd calicem illum tenere potes, vnde Chriſtus bibiturus eſt? nónne vides, quia ſoli ſacerdoti fas eſt ſanguinis calicem tibi tradere? Ego verò, Chriſtus inquit, non ad vnguem iſta perſcrutor: ſed cùm tu præbueris, accipiam: etiamſi ſecularis ſis, non recuſabo, nec tantum poſtulo, quantum dedi: non enim ſanguinem, ſed aquam frigidam flagito. Cogita igitur cui potum præbes, & perhorreſcas: cogita quia ſacerdos Chriſti tu fias, cùm propria manu ei offeras, non carnem, ſed panem: non ſanguinis, ſed aquæ frigidæ calicem. Veſtimentum te induit ſalutare, & hoc per ſeipſum, atque vltrò perfecit: tu ſaltem ipſum per † puerum atque famulum] indue. Gloriſum te fecit in cœlis: tu nuditate, deformitate, frigore ipſum eripe. Angelorum te conciuem effecit,

Eſai. 6.

Luc. 3.

Eſa. 58.

Eccc. 18.

pauperẽ.)

Universidad de Deusto
Biblioteca

tu in tecto saltem suscipias, & sicut vnum famulorum A domo tua contegas. Non renuo, inquit, hoc ego diuersorium, qui tibi ad cœlum viam construxi: qui te à durissimo erui carcere, istud abs te non peto: si liberare me à carceribus non potes, non paruum mihi solamen est, si modò vinctum visites. Ego te mortuum suscitaui, nec tale quid abs te requiro, sed ad videndum ęgrotum solummodo veniens. Quando igitur ita se res habeant, & magna nobis largitus sit, pro quibus minima quædam repetat: ista negligētes iure ad ignem intrudemur, ad quem sponte ruimus, diabolo & angelis eius præparatum, cùm vel lapides ipsos, ac duros silices insensibilitate superemus. Dic enim, quæso, quanta tibi hæc mentis videtur tarditas, si qui tot tantáque accepisti, qui tot tantáque accepturus es, pecuniæ seruies, quam paulò pòst etiam inuitus relinques? Quandoquidem multi vel vitam ipsam neglexerint, sanguinem suum effuderint: tu nec ista quidem superflua, vt cœlo potiaris, promere velis: qua dignus eris venia? aut quam satisfa- B ctionem inuenies, qui semina terræ spe inductus tradis, qui magnas fœnore pecunias locas, & in Domino sub pauperum persona alendo durus atque inflexibilis omnino esse videris? Quæ omnia iugiter animo versantes ac recolentes quæ accepimus, quæ accepturi sumus, quæ à nobis repetuntur: omni studio, cura, opera, spiritalibus rebus incumbamus, humani atque misericordes simus, ne intollerabiles cruciatus nobis attrahamus. Cur enim non putas sufficere ad condemnandos nos quòd tot & tanta simus consecuti, quòd nihil magni à nobis exigatur, quodque illa exigantur quæ vel inuiti hîc relinquemus, quòd denique tantam in rebus temporariis curam impendamus? Quorum singula ad condemnationem nostram certè sufficiunt. Si verò vniuersa confluant atque concurrant, quæ nobis spes reliqua salutis erit? Ne igitur condemnati cruciemur, benignè inopes pertractemus, vt hîc honestè, & ibi glorioſè in æternum viuamus, gratia & C misericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

HOMILIA XLVII. EX CAP. XIII.

ALIAM *parabolam proposuit eis dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo: cùm autem dormirent, &c.* vsque, Simile est regnum cœlorum fermento. Quid interest inter hanc & superiorem parabolam? Illud certè: nam ibi eos qui nullo modo eum audire voluerunt, sed confestim resilientes, semina omnino perdiderunt: hîc hæreticorum conciliabula significauit. Prædixit enim etiam hoc, ne hac de re discipuli postea turbarentur. Illa igitur parabola non susceptum, aut abiectum Christum esse ostenditur: hac verò corruptorem etiam simul demonstrat susceptum. Illud profectò diaboli artibus astutè fieri scire debemus, vt veritati semper errores connexi atque inserti, per similitudines facile de- D cipiant leuiores. Propterea non alia semina, sed zizania immixta dixit, quæ tritico in speciem simillima sunt. Modum quoque insidiarum proposuit: dum enim homines dormirent, ait. Non paruum periculum prærupti præcipitij præsulibus hinc imminere videtur, quibus agrorum custodia commissa est: nec præsulibus modò, verumetiam subditis. Liquidò autem hinc appareret post veritatis semina iam collecta erroris fraudem pullulasse, quod euentus quoque rerum confirmauit. Falsi enim prophetæ post prophetas apparuerunt, & fallaces apostoli post apostolos, & post Christum Antichristus. Nam diabolus nisi prius videat quid sibi sequendum sit, aut quibus insidiandum, cùm quid faciendum sitne sciat, nec conatur quidem. Sic ergo etiam nunc, posteaquam intellexit ab alio centum, ab alio sexaginta, ab alio triginta fuisse producta, fraudem excogitauit: nam quoniam euellere non potuit quod actis radicibus iam propagatum fuit, nec suffocare, nec vrere: fraudulenter nisus est sua disseminare. Et quónam discrimine disseparantur dormientes hi, & illi, qui per viam significati fuerant? quod videlicet ibi continuò rapuit, antequam radices emitterent: vnde maiori artificio, & non paruo conatu hîc sibi opus fuisse videmus: ita omnibus istis semper vigilandum esse admonet. Nam si illas pestes effugies, non adhuc tutus es, inquit, atque securus: sed quemadmodum ibi alios per viam, alios per petram, alios per spinas, sic multos hîc per somnum salutem amittere videmus. Iugi ergo atque perpetua nobis custodia opus est. Ideo alibi dicebat: Qui ad finem vsque perseuerauerit, hic saluus erit. Principium autem mali fuit, quia multi ex præsulibus dormitantes, prauos & hæresim occultantes viros, ad gubernacula ecclesiarum promouerunt: qua ex re tanta facultas diabolo data est, vt iam illis in medio prælatis multò minus laboret. Et quo modo, inquies, non dormire poterimus? Corporis certè somno penitus impossibile, volūtatis autē omnino possibile. Quare Paulus quoque dicebat: Vigilate, state in fide. Nec noxiam solum, sed superfluam rem ostendit, cùm posteaquam cultus seminatúsq; sic ager fuerit, vt nulla re opus esse videretur: tunc tandem diabolus per hæreticos seminat, qui non alia de re, quàm inani commoti gloria, pernicioſum venenum effuderunt: non autem his verbis solum, sed per sequentia etiam diligēter eorum figmenta descripsit. Quando enim germinauit, ait, herba, & fructum fecit, tunc apparuerūt zizania. Id certè moris est apud hæreticos, vt obumbrent seipsos atque occultent in principiis, quousque maiorem fiduciam capiant, & quodam fauore multitudinis iuuētur: tunc enim contagioſa venena intrepidi effundunt. Sed cuius rei gratia seruos introduxit factum narrantes? vt scilicet non esse † timendos] hæreticos ostenderet. Hominem verò inimicum, ipsum diabolum, quia semper omnibus obesse conetur, meritò appellauit. Conatus enim ipsius omnis aduersus non est: causa verò atque origo, vt nos impugnet, ab odio quo in maiestatem diuinam fertur, profecta est. Vnde patet quia maiore charitate nos à Deo, quàm à nobisipsis diligimur. Verum inimici malignitas etiā inde perspicitur, quia nō prepārauit seminare tunc cùm nihil poterat interimere, sed cùm alia sata diligēter vidisset, tūc seminauit, vt vniuerso simul labori agricolæ, studióq; officeret: quæ omnia propter testatas erga agricolam inimicitias fecit. Vide autem & ipsorum seruorum diligentiam. Nam etsi non prudenter, sedulò tamen ad euellenda zizania festinant, quæ res solicitudinem ipsorum ac diligentiam erga semina ostendit, quodque ad vnum solummodo respiciant, non vt pœnas inimicus luat, sed vt iacta semina non depereant. Quare quomodo morbum depellant, inquirunt? nec sibi confidunt, sed domini sententiam expectant, ac ideo interrogant, dicentes: *Vis igitur abeuntes colligamus ea?* Dominus autem prohibet, ne fortè simul cum zizaniis herbas etiam tritici euellant: quod dicebat, vt bella & effusionem sanguinis prohiberet. Nam si trucidarentur hæretici, atrox & irreconciliabile bellum orbi inferretur. Duabus igitur rationibus prohibuit: Altera, quia frumentis parum nocerent: altera, quia nisi sanarentur, extrema supplicia non euaderent. Quare si & puniri eos vultis, & frumentis nequaquam officere, opportunitas tēporis congrua expectanda vobis est. Quid autem est quod ait, ne eradicetis simul cum eis & triticum? Certè aut quia si A etiam sæpius interpretationem requirerent. Vbi nunc arma capietis, inquit, necesse est, cùm hæreticos trucidatis, multos sanctorum simul interimere: aut quia ab ipsis zizaniis verisimile esset multos in triticum conuertendos. Si ergo præuenientes euelletis, ea frumenta deperibunt, quæ à commutatis zizaniis prouenirent. Non prohibet autem conciliabula hæreticorum dissipare, ora obstruere, libertatem loquendi concidere: verum interficere ac trucidare. Sed vide quàm mitis sit: non enim solùm prohibet, sed cur prohibet, rationem exponit. Quid autem si perseuerabunt ad finem vsque zizania? *Tunc dicam messoribus*, inquit, *colligite primum zizania, & in fasciculos ea alligate ad comburendum.* Rursus eos verborum Ioannis commonefacit, quibus iudicem ipsum fore asserebat, dicens parcendum esse zizaniis quousque vnà cum frumentis in agro sunt, quia possunt in frumenti statum commutari. Si verò nihil hac longanimitate domini lucrabuntur, & recesserint, tunc ineuitabilis pœna necessariò eos suscipiet. Dicam B enim messoribus, ait, colligite zizania primùm. Cur ita primùm? Ne suspicentur serui, quasi vnà cum zizaniis frumenta incidantur, & alligate ea, inquit, in fasciculos ad comburendum: triticum verò congregate in horreum meum. *Aliam parabolam posuit eis, dicens: Simile est regnum cœlorum grano sinapis.* Nam quoniam dictum est tres partes seminis amitti, ac vnam solummodo conseruari, ipsi quoque conseruatæ portioni tot tantáque præterea imminere pericula: ne occasionem interrogandi habeant, quot & qui fideles erunt, vltrò ipsorum solicitudinem tollit, per ipsius grani sinapis parabolam ad synceram fidem conducens. Hac quippe imagine prædicit prædicationem per vniuersum orbem omnino coruscaturam: idcirco huius oleris similitudinem proposuit, quia his rebus apprimè accommodetur. *Cæteris enim seminibus minus est: cùm autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & in ramis eius habitent.* Magnitudinis enim indicium declarare C voluit. Quod etiam in prædicatione futurum dicit. Imbecilliores cæteris omnibus atque minores erant Apostolis, verum quia in ipsis magna erat virtus, fama eorū vbique terrarum claruit. Deinde fermenti ponit imaginem, dicens: *Simile est regnum cœlorum fermento, quod accipiens mulier abscondit in farinæ sat is tribus, donec fermentatum est totum.* Nam sicut fermētum magnam farinæ copiam in vires suas, quanuis modicum sit, conuertit: sic quoque vos vniuersum terrarū orbem conuertetis. Prudentissimè autem ex natura rerum imagines adduxit, vt ostēdat quòd sicut illa natura duce impossibile est nō fieri, pariter hæc quoque naturæ domino cōducente necessario fient. Non igitur opponetis: Et quid poterimus ad tantā duodecim homines multitudinem? Id enim ipsum maximè virtutis vestrę splēdorem ostendet, quòd multitudini orbis immixti non confundemini. Nam & fermentū cùm farinæ appropinquauerit, non solum appositum, sed immixtū penitus totam massam fermētat: D propterea non dixit, apposuit: sed abscōdit. Sic igitur & vos cùm vniti atque cōmixti iis fueritis qui vos oppugnāt, tunc ipsos superabitis, & quēadmodum fermentū in farina submersum nō deperditur, sed in naturā suam farinam transmutat: pariter in prædicatione hac euangelij fiet. Nolite igitur timere, si magna pericula futura prædixi: non enim extinguetur fulgor vester, sed omnia superabit. Tria vero sata pro multis hîc posuit. Consueuit enim hoc numero pro multitudine abuti Scriptura. Nec mireris, si de regno cœlorū differens, sinapis & fermēti fecit mentionē. homines enim alloquebatur quasi agrestes, atque imperitos, qui maximè his rebus commoneri solent, quique sic erant aggrestes, vt harū rerum etiam nunc ingentium alumni sunt? Intelligant saltem nunc à rerum ipsarum euentu, quàm ineffabilis sit Christi virtus, & vtraque ratione ipsum adorandum credant: vel quia incredibilem futuram rem prædixit, vel quia quod prædixit, nō aliter quàm prædixerat, adimpleuit. Ipse namque est qui tantam fermēto virtutem imposuit, & multitudini hominum ita credentes immiscuit, vt infideles fidei credentium adhærerent. Nemo ergo paucitatem vestram, inquit, deploret: magna enim est prædicationis virtus. Et quod semel fermentatum est, fermentum rursus ad reliqua efficitur. Et quemadmodū fauilla cùm in arida ligna inciderit, in flammam ipsa conuertit, quæ vi sua deinde vel viridia ligna facilè incendit: eodem quoque modo prædicatio. Sed cur non dixit ignis, sed fermentum? Quoniam non ignis virtute totum fit, sed lignorum quoque ariditate: fermentū verò per seipsum omnia cōficit. Si autem duodecim homines totam penè farinam orbis fermentarunt, diligenter animo versa quæso quanta sit nostra malignitas atque ignauia, qui cùm iam innumeri simus, has gentium reliquias cōuertere non possumus, qui vel mille mundis satisfacere deberemus. Sed Apostolos illos fuisse inquies. Quid ad rem? Nónne tecum eiusdem naturæ fuerunt? Nónne cum hominibus etiam ipsi conuersabātur, easdem artes professi, eisdem rebus nutriti? An forsan credis illos angelos natura, aut de cœlo lapsos fuisse? Nō, inquies, sed signis illi rutilabāt. Non propter signa certè illi claruerunt. Vsquequo ita ignauiam nostram miraculorū fulgore, quæ tunc coruscarunt, quasi velamine quodā obducimus? Multi enim qui dęmones eiecerūt, ob improbam ipsorum vitam haudquaquam clari euaserunt, sed etiam suppliciis affecti sunt. Quid igitur, inquies, fuit quod præcipuè illos magnos effecit? Certè verus ac nō simulatus gloriæ atque pecuniæ contemptus, & quoniam nullam secularium harum rerū omnino curam habebant. Nā nisi hoc habuissent, si passionibus veluti nos seruissent, etiā si à morte innumeros homines suscitassent, non solum nihil vtilitatis fecissent, verumetiam seductorum atque deceptorum nomen non effugissent. Viuendi ergo disciplina est, quæ vbique fulget, quæ spiritus etiam gratiam attrahit. Quod enim signum Ioannes fecit, qui tot tātáque ciuitates eruditit? Nam nihil miraculosè ipsum egisse testatur Euāgelista, dicens: Ioannes quidem nullum signum fecit. Vnde autem Helias mirabilis factus? nónne quia regem liberè alloquebatur? Nónne à zelo quem habebat erga Deum? nónne quia nihil possidebat, clarius quàm per signa quoque perfecit? Iob autē illum quibus signis diabolus admiratus est? Certè signo quidem nullo, vitæ autem mirabili disciplina, & robore animi excelso atque inuicto. Quæ signa Dauid adhuc adulescens effecit, vt Deus diceret: Inueni Dauid filium Iesse, virum secundum cor meum? Abraham porrò, Isaac & Iacob quos mortuos suscitarunt? quē leprosum mundarunt? An ignoras quia miracula nisi iugiter vigilemus, plerunque nocēt? Multi enim è Corinthiis alter ab altero scissi miraculis fecerunt, multi Romanorū resilierunt. Simon quoque Magus hac ratione fuit iectus: quia etiam ille qui sequi Christum desiderauit, quasi reprobus audiuit, Vulpes foueas habēt, & aues cœli nidos. Nam horum omnium alius pecuniam, alius gloriam à signis accumulare cupiens, eiiciebātur, & deperibant: cura verò rectè viuendi & syncerus virtutis amor, non modò tales cupiditates non parit, sed natas etiam radicitus euellit: Ipse autem Dominus quando leges discipulis ferebat, quid eis præcipiebat? non certè vt signa facerent, vt videntes homines glorificarent Patrem. Sed quid porrò? Luceat lu-

Ioan. 10.
3. Reg. 18.
Iob 1. & 2.
Act. 13.
1. Cor. 1. & 3. Act. 8.
Sup. 8. & Luc. 9.
Sup. 7.
Sup. 7.
Sup. 10. & infrà 14.
1. Cor. 16.
tollēdos siue auferendos.)

Universidad de Deusto Biblioteca

men veſtrum coram hominibus, vt videant bona opera veſtra, & glorificẽt patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Petro quoque non dixit: ſi me amas, ſigna fac: ſed, paſce oues meas. Ioan.21. Cúmque ipſum cæteris præponeret cum Iacobo ſimul atque Ioanne, quare quæſo te præponebat? vtrum propter ſigna? Ab omnibus certè pariter leproſi mundabantur, mortui ſuſcitabantur: omnibus enim æqualiter poteſtas fuit conceſſa. Vnde igitur tres illi anteponebãtur? Non profectò præterquam à virtute ac magnitudine animi. Vides quia benè viuendi norma, & rectis operibus opus eſt. A fructibus namque ipſorum cognoſcetis eos, inquit. Suprà 5. Vitam autẽ noſtrã quid eſt quod maximè commendat? Putáſne quia ſignorum oſtentatio, an viuendi exquiſita diſciplina? Iſtud videlicet vltimum, à quo etiam ſigna originem trahunt, & ad quod tandem deuenire ſolent. Nam & qui rectè vixit, ſignorum gratiam impetrauit: & qui gratiam impetrauit, ideo ſuſcepit, vt aliorũ vitam facilè poſſit emendare. Nã & Chriſtus propterea miracula fecit, vt cùm fide dignus videretur, ad ſe homines attraheret, & virtuoſè viuere perſuaderet. Quocirca magnam curam, magnúmque ſibi ſtudium virtutis fuiſſe videmus. Non enim ſignis vtitur ſolùm, verumetiam gehennæ atrocitatem intentat, regnum cœlorum pollicetur, mirabilia præcepta ac leges poſuit, cæteráque omnia pertractauit, vt in angelorum æqualitatem homines adduceret. Cur dixi à Chriſto omnia virtutis gratia facta fuiſſe? cùm tu ſi quis optionem tibi daret, vtrũ ſuſcitare in nomine Chriſti mortuum velles, an propter nomen ipſius mortem oppetere: hoc vltimum proculdubio eligeres. Alterum enim ſignum eſt, alterum opus. Si quis autem, vt alterutrum optares, tibi poteſtatem daret, fœnum in aurum vertere, aut omnes pecunias tanquam fœnum contemnere, nónne hoc ſecundum capeſſeres? neque id iniuria: hac enim re homines maximè alliciuntur. Nam ſi alias res in aurum verteres, augeretur certe pecuniæ cupiditas, cunctis optantibus talem virtutem poſſidere: quod Simoni mago euenit. ſin verò aduerterint te quaſi fœnum contemnere aurum, hoc exemplo commoti, morbo huic meritò mederẽtur. Vides quia vita recta magis cæteris omnibus iuuat. Rectam autem vitam appello, non ieiunandi laborem, nec cilicij ac cineris lectulum: ſed ſi pecuniam non aliter quàm oporteat deſpicias, ſi charitate ardeas, fameſcentes pane tuo nutrias, ſi ſuperior ira ſis, ſi gloriam inanem non concupiſcas, ſi inuidia non detinearis. Hæc enim ipſius documenta ſunt. Non enim dicit ieiunium ſuum eſſe imitãdum, quanuis quadraginta illos dies poſſet proponere: ſed, diſcite à me, quoniam mitis ſum, & humilis corde. Sup.11. Immò verò contrà, quum apoſtolos ad euangelizandum mitteret, non dixit, ieiunate: ſed quicquid vobis apponitur, comedite. Luc.10.& 1.Cor.10. Suprà 10. De pecuniis autem quàm exactiſſimè mandauit, dicens: Non poſſideatis aurum, neque argentum, nec æs in zonis veſtris. Hæc dixi, non quia ieiunium mihi non placeat, quod magnis ſoleo efferre laudibus: ſed quia doleo, ſi cæteris neglectis, ſatis ad ſalutem vobis ieiunium exiſtimetis, quod in choro virtutum vltimum certè ſortitur locum. Præcipuæ nanque virtutes ſunt charitas, humilitas, miſericordia, quæ vel virginitatem ſuperant. Quare ſi volueris apoſtolorum virtutes aſſequi, nihil te prohibebit: ſola enim voluntas, ac feruentiſſimus virtutum amor tibi ſufficiet. nullum igitur expectatio ſignorum retardet. Multò enim magis dæmon dolet, ſi à peccato liberatam animam perſpexerit, quàm ſi à corpore fuerit eiectus: maxima enim eius virtus eſt peccati amplificatio, quam vt extinguat Chriſtus, in patibulo pependit. Peccatum enim mortem induxit, per peccatum quæ ſuperiora fuerant, ad inferos

A depreſſa ſunt. Id igitur ſi deſtruxeris, neruos diaboli omnes incidiſti, caput eius contriuiſti, vires reſoluiſti, ac vniuerſum eius exercitum fudiſti atque fugaſti: ſignum omnibus miraculis maius effeciſti. Nec à me id, ſed à beato Paulo dictum putes, qui cùm dixiſſet, Æmulamini chariſmata meliora: 1.Cor.12. & adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro: non ſubiunxit ſigna, ſed charitatem, quæ omnium bonorum radix & fundamentum eſt. Hanc igitur ſi retinebimus, & omnem quæ ab hac oritur philoſophiam, non erit nobis opus ſignis: ſin verò negligemus, nihil nobis proderunt ſigna. Hæc igitur ſcientes, illa faciamus, quibus apoſtoli perfulſerunt. Vnde igitur illi tales facti ſunt? Petrum audi, rogo. Ecce nos dereliquimus omnia, inquit, & ſecuti ſumus te: Infrà 19. Ibidem. quid ergo erit nobis? audi & Chriſtum reſpondentem: Ibidem. Marc.10. Super duodecim ſedes ſedebitis. & alibi, Quicunque reliquerit domum, aut fratres, aut patrem, aut matrem, centuplum accipiet in hoc ſæculo, & vitam æternam B poſſidebit. Quas ob res omnibus ſæculi negociis poſtpoſitis, Chriſto nos ipſos tradamus: & ex ſententia ipſius ad apoſtolorum æqualitatem aſcendemus, & vita æterna perfruemur, gratia & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen.

HOMIL. XLVIII. EX CAP. XIII.

HÆc omnia Ieſus in parabolis locutus eſt ad turbas: & ſine parabolis non loquebatur eis, vt impleretur quod dictum eſt per prophetam, dicentem: Aperiam in parabolis os meum: & eructabo abſcondita à conſtitutione mundi. Pſal.77. Marcus autem aſſeruit non aliter ipſum in parabolis fuiſſe locutum, quàm ferre poterant. Marc.4. Sed ne quid in noua re præter veteris ſcripturæ documenta dicere videretur, prophetam introduxit, huius prædicationis modum magnis antea temporibus præcinentem. Deinde oſtendens ea mente Chriſtum ita prædicaſſe, non vt i- C gnorarent, ſed vt ad ſciſcitandum incitarentur, ſubiunxit: *Et abſque parabola nihil loquebatur eis.* Dixit quippe multa etiam abſque parabola, ſed non illo tempore, nec vllus ab eo quicquam ſciſcitatus eſt. Et prophetas quidem ſæpius interrogabant, vt Ezechielem, alióſque complures: à Chriſto autem iſti nihil prorſus de his parabolis quæſierunt. Nam quanuis quæ dicta erant, ſufficerent ad incendendum eorum animum ad quæſtionem, maximè quia ſupplicia plerunque comminari parabolis videbatur, nullo tamen pacto illi commoti fuerunt. Quocirca reliquit ipſos, atque abiit. *Tunc enim*, ait, *dimittens turbas, venit in domum.* Ieſus ſcilicet: & nemo ipſum ſcribarum ſequebatur. Vnde clarum fit, non alia de cauſa ipſos ſecutos fuiſſe, quàm vt capiendi cauſas reperirent. Poſteaquam autem non intelligerent ea quę dicebantur, reliquit eos, & abiit. *Et acceſſerunt ad eum diſcipuli eius dicentes: Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri.* Cúmque eos trepidantes plerunque aliàs quicquã D ab eo quærere non ignoremus, vnde nunc ipſis tanta fiducia eſt? Quia audierunt: Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum: Suprà, & Marc.4. Luc.8. & audentiores facti ſeorſum ſciſcitantur, non quia inuidebant multitudini, ſed quia Dominum audierunt: Iſtis autem datum non eſt. De fermento autem & ſinapi parabolas, tanquam liquidiores præterierunt: hanc verò vt coniunctam illi de ſemine, & maius aliquid afferentem, exponi maluerunt. Nequaquam enim bis eadem dixiſſet: huius autem explicationem cognoſcere percupiebant, quãdoquidem viderent ex hac non paruas repręſentari comminationes. Præterea nec carpit quaſi parum intelligẽtes, ſed explanauit apertius parabolã: & ita explanauit, vt ſæpius me dixiſſe memini, nõ ad verbum exponẽdas eſſe parabolas, ne

las ne multa ſequantur abſurda. Id diligenter ad noſtram doctrinam ſubſeruit. Non enim dixit, quinam eſſent ſerui qui acceſſerunt, ſed vt oſtendat conſequentiæ cuiuſdam cauſa, ac ferè ad conformationem imaginis eos poſitos eſſe, hac relicta particula neceſſaria, & propter quæ parabola hæc dicta eſt, interpretatur: ſeipſum & iudicem & dominum omnium rerum declarans. *Et reſpondens*, inquit, *dixit eis: Qui ſeminat bonum ſemen, eſt filius hominis: ager autem eſt mundus. Bonum autem ſemen, hi ſunt filij regni: zizania autem, filij ſunt illius mali: inimicus verò qui ea ſeminauit, diabolus eſt: meſſis verò, conſummatio ſeculi eſt: meſſores autem angeli ſunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: ita erit in conſummatione ſæculi huius. Mittet enim angelos ſuos filius hominis, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciebãt iniquitatem, & mittent eos in caminũ ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Tunc fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris eorũ.* Nam quoniam ipſe eſt qui ſeminat agrũ ſuum, quíque ex regno ſuo congregat, non eſt clàm, quin & hic præſens mundus ipſius ſit. Tu verò conſidera ineffabilem eius miſericordiam, & quòd ad benefaciendum quidem pronus eſt, à deſiderio autem puniendi alienus: nam quando ſeminat, per ſeipſum id peragit, ſupplicia verò per alios infert. Mittet enim, inquit, angelos ſuos. Tũc, ait, iuſti fulgebũt vt ſol in regno patris ſui: non quia Solis etiam ſplendorem non ſuperabunt, ſed quando nihil fulgentius Sole videmus, propterea re apertiſſima nobis ad exprimẽdum vſus eſt. Cùm autem alibi meſſem iam adeſſe dixerit, vt cùm de Samaritanis dicat: Ioan.4. Leuate oculos veſtros, & cõſiderate regiones, quoniã iam albę ſunt ad meſſem. & rurſus, Meſſis quidem multa, operarij autem pauci. Suprà 9. & Luc.10. Quomodo igitur illic quidem iam meſſem adeſſe dicit, hìc verò futuram eſſe oſtendit? Aliam certè ibi, aliam hìc verbi huius poteſtatem eſſe videmus. Quare etiam, inquies, cùm alibi dixerit quòd alius eſt qui ſeminat, alius qui metit, hìc ſeipſum eſſe qui ſeminat? Profectò ibi non ſimpliciter, ſed ad prophetarum atque a- C poſtolorum diſtinctionem illud dicebat, quod de Iudęis quoque ac de Samaritanis dicebat. Ipſe enim eſt qui per prophetas ſeminauit: quanuis nonnunquam meſſem & ſemen eandem rem, ad aliud tamen atque aliud referens nuncupauit. Nam quando credulitatem atque obedientiam audientium deſignat, vt rei conſummationem oſtendat, meſſis vocabulo denotat: quando autem fructum prædicationis quærit, ſemen: & meſſem ipſam conſummationem appellat. Luc.13.& 1.Theſ.4. Et quo modo etiam alibi ſcribitur, quoniam primi iuſti rapiuntur? rapiuntur quidem primi, poſt autem Chriſti aduentum pœnis traduntur iniqui: & tunc ad regnum cœlorum iuſti proficiſcuntur. Nam quoniam in cœlo iuſtos oportet conuerſari, iudicium verò in terris peragitur: cùm alteros condemnauerit, tunc à iudicio abiens alteros quaſi rex amicos ſuos in vltimam beatitudinem illam traducet. Ita duplicem futuram punitionem videre licet, alteram quoniam igni æterno ardebunt, alteram quoniam ab ineffabili illa gloria excident. D Sed cuius rei gratia, inquies, cùm multitudo iam receſſit, in parabolis etiam diſcipulos alloquitur? Sapientiores iam præcedentibus facti facilius atque melius intelligebant: propterea etiam cùm ad eos dixiſſet, intellexiſtis hæc omnia? vtique domine, reſponderunt. Sic ad alia quæ dicta ſunt, hoc etiam parabolis effectum eſt, vt perſpicaciores diſcipuli redderentur: quid igitur ait? Rurſum, *Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro: quem qui inuenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vẽdit omnia quæ habet, & emit agrum illum. Item ſimile eſt regnum cœlorum homini negociatori bonas quærẽti margaritas: qui inuenta vna precioſa margarita, abiit, & vẽdit omnia quæ*

A *habet, & emit eam.* Sicut granum ſinapis & fermentum, ſic duæ parabolæ iſtæ theſauri atque margaritæ parum inter ſe differunt: illud enim ambabus his denotatur, quoniam oporteat prædicationem Euangelij omnibus cæteris anteponere. Et illis quidem, fermenti dico, atque ſinapis, magna Euangelij virtus oſtendebatur, quæ omnino totum orbem terrarum erat ſuperatura: hæ verò poſteriores ſummi eſſe precij ſignificant. ſicut enim ceu ſinapis extenditur, atque propagatur, & ceu fermẽtum ſuperat, ſic quaſi margarita precioſiſſimum eſt: ac infinitas exhibet commoditates, vt theſaurus. Nec illud ſolùm diſcimus, quia cætera abiicienda ſunt omnia, & ſola prædicatio euangelij retinenda, verumetiam magno id eſſe cum gaudio faciendum. Sanè qui renunciationem bonorum facit, is nullam iacturam, ſed quæſtuoſiſſimam facit mercaturam. Perpendis quomodo in mundo abdita atque cælata prædicatio eſt, & in prædicatione ſumma fœlicitas recondita? niſi ergo cunctas B res tuas venundabis, non emes: niſi curioſè quæras, non inuenies. Duo hæc quippe nobis ad ſalutem neceſſaria ſunt, ſecularium rerum contemptus, & iugis vigilantia. quærenti enim, inquit, bonas margaritas: & cùm inueniſſet vnam precioſiſſimam, vendidit quæcunque habebat, ac emit eam. Vna quippe veritas eſt, nec in multas ſcinditur partes, ac veluti qui margaritam habet, ipſe nouit ſe diuitem eſſe, etiam ſi aliis ignotum nonnunquam illud ſit, cùm paruo in loculo margarita recondatur: Sic & in prædicatione veritatis qui ei adhærent, tótoque animo illam amplectuntur, opulentos ſeſe non ignorant, quanuis infideles theſauri vim non cognoſcentes, fidelium opes contemnant. Deinde ne confidamus plurimum quoniam Euangelium ſuſcepimus, neque opinemur ſufficere ſolùm nobis fidem ad ſalutem, horroris plenam affert parabolam. Quæ nam eſt illa? *Simile eſt*, inquit, *regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare, ac ex omni genere piſcium congreganti: quàm cùm impleta eſ-* C *ſet educentes, & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa ſua, malos autem foras miſerunt.* Sed quid intereſt hæc ab illa, quæ de zizaniis eſt? Suprà. eodem enim modo etiam ibi alij ſaluantur, alij perduntur. Verum ibi hæreſi, atque prauis dogmatibus & qui ante illam parabolam ſunt, quoniam prædicationi non adhæſerunt: iſti verò malè viuendo pereunt, & cæteris ſunt inferiores, quoniam veritatem quidem cognouerunt, & in verriculum piſcatorum inciderunt, & tamen malè viuendo periere. Et certè alibi ait: Quia ipſe ſegregabit eos vt paſtor oues ſegregat: Infr.25. hìc verò & in parabola de zizaniis angelos iſtud facturos dixit. *Sic enim*, inquit, *erit in conſummatione ſæculi, exibunt angeli, & ſegregabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in fornacẽ ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Quid igitur hoc eſt? Nonnunquam condeſcendens ipſis craſſius, vt ita dixerim, nõnunquam vt res petit ſublimius loquitur. Hanc autem parabolam non interrogatus, ſed ſpontè atque à ſeipſo ex parte interpretatur, D & formidinem magis amplificat. Nam ne cum aduertis putrida foras eiecta eſſe, nullum aut paruum eiectionis periculum credas, interpretando ſupplicium declarauit, dicens quòd in fornacem immittẽt. Et ſtridore dentium, doloris magnitudinem expreſſit. Animaduertis quot perditionis viæ? Vides quòd alij vepribus, alij via, alij lapidibus, alij zizaniis, alij in ſagena pereunt? Non igitur iniuria dictum eſt, latam eſſe viam illam quæ in perditionem adducit, ac multos eſſe qui per eam ingrediuntur. Sup.7. hæc enim cùm dixiſſet, & ad horrorem terminaſſet ſermonem, atque immoratus amplificaſſet, adiecit: *Intellexiſtis hæc omnia? dicunt ei, Vtique domine.* Deinde quoniam intellexerunt, laudat, dicens: *Propterea omnis ſcriba doctus in regno cœlorum, ſimilis eſt ho-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

mini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. A
Marc.13. Ideo alibi ait: Mittam vobis sapientes & scribas. Vides quo modo vetus testamentum non eiicit, sed laudibus effert, & thesaurum appellat? Quare qui diuinarum scripturarum imperiti sunt, non erunt hi certè patres familias, qui cùm nec à seipsis habent, quærere indignum putant, sed negligenter viuendo in media depereunt. Non autem hi solùm, verumetiam hæretici expertes sunt huius beatificationis: quia non possunt emittere noua & vetera: nam cùm vetera non teneant, noua credere non possunt: sicut econtrà, qui noua non habent, hi veteribus penitus carent: hæc enim inter se magno iuncta & connexa vinculo sunt. Audiamus igitur, audiamus quicunque scripturarum lectionem negligimus, quantum damnum, quantam inopiam patiamur. Quando enim bona viuendi opera faciemus, qui etiam præcepta & instituta ipsa quibus viuendum est, ignoramus? Et opulenti quidem qui cupiditate pecuniarum insaniunt, assiduè vestes suas, ne tineis corB rodantur excutiunt: tu verò cùm obliuio omnibus tineis peior ac maior pestis animam tuam deuoret, non accedes ad libros, non excuties tineas, non ornabis animam tuam, non aspicies continuè imaginem virtutis,
Virtutis imago. nec membra eius & caput cõsiderabis: habet enim certè caput & membra omni muliere formosa multò venustiora ac pulchriora. Quod igitur caput virtutis est?
Suprà 5. humilitas certè: quapropter ab ipsa incipit Christus dicens: Beati pauperes spiritu. Hoc caput etsi nec cæsariem nec crines habeat: sic tamen pulchrum est, vt
Esa. 66. Deum ad seipsum attrahat. Ad quem enim inspiciam, ait, nisi ad mitem & quietum, & humilem, & tremententem sermones meos? Et oculi mei super mites terræ: &,
Psal. 33. propè Dominus est tribulatis corde. Hoc caput pro
Psal. 50. crinibus atque coma hostias offert Deo gratissimas, hoc aureum certè altare est, hæc ara spiritalis. Sacrificium enim Deo spiritus contribulatus. hæc sapientiæ mater est. qui hoc habet, is membra reliqua etiam consequeC tur. Perspexisti caput quale nunquam vidisti: vide nunc etiam faciem, ac primum attende qualis color eius sit, quàm rubicundus, quàm floridus, quàm glorioſus, &
Eccl. 32. disce vnde constat. Vnde igitur constat? ab erubescentia certè atque pudore: propterea quidam dicebat, Antè verecundum gratia proceder. Hæc & aliis quoque membris magnam vim formositatis effundunt: nec si mille commisceas colores, talem speciem conficies. Quòd si oculos quoque velis aspicere, considera modestiam, quanto decore, quanta diligentia depingantur: vnde non solum speciosissimi, verumetiam tam acri acumine pollent, vt vel dominum ipsum aspiciant.
Matt. 5. Beati enim, inquit, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Huic capiti os est sapientia & intellectus, & spiritalium cantuum perpetua vox. Cor autem magna scripturarum peritia, veri dogmatis conseruatio, misericordia & benignitas. Et quemadmodum non est possibile animal sine corde viuere, sic sine hoc corde D salus haberi non potest: hinc enim omnia bona originem trahunt. Pedes ac manus habet, quibus recta opera ostendat. animata est pietatis & rectæ fidei anima. pectus aureum ac adamante robustius ipsi est fortitudo, per quam efficitur ne vnquam pectus hoc queat infringi. Spiritus autem qui animalium corda & cerebrum continet, charitas est. Vis re ipsa tibi hanc imaginem ostendamus? Hunc ipsum euangelistam considera, cuius etsi conscriptam vniuersam non habeamus vitam, possumus etiam ex paucis coruscantem effigiem eius videre. Quanta enim humilitate, quantáque contritione rutilaret, inde cognosces, quia vel posteaquam præest Euangelio, publicanum seipsum nominat.

Misericordiam verò eius inde percipies, quia cunctis Suprà 9. exutus Iesum sequebatur. Synceram fidem de dogmatibus percipies, prudentiam & charitatem ab Euangelii compositione facilè intelliges. Vniuersi enim orbis curam gerebat. Fortitudinem eius cognoscimus, quia cum gaudio à conspectu concilij reuertebatur: bonorum autem operum ostentationem, quia in sublimi sede omnino sessurus est. Imitemur ergo omnes eius virtutes, ac maximè omnium humilitatem & misericordiam, sine quibus salutem consequi non possumus: vt quinque illæ virgines, & Pharisæus post illas ostende- Infra 25. runt: quippe absque virginitate multi beatitudine illa Luc. 18. potientur, quam nemo absque misericordia consequetur. Vna enim res ex necessariis, quibus salus ipsa continetur, misericordia est. Quare meritò in corde virtutis ipsam collocauimus, & cor ipsum esse censemus: quod quidem cor nisi cæteris omnibus spiritum præbet, velociter extinguitur. Nam quemadmodum fons si aquarum flumina in seipso quasi stagnum quoddam retineat, facilè putrescit: eodem certè modo diuites, cùm in seipsis opes suas detineant, marcescunt: idcirco trito prouerbio fertur: Multa diuitiarum putredo apud talem hominem est, nec dicitur magna copia ingens thesaurus. putredo enim profectò est, non possidentium, sed opum ipsarum. Nam reconditæ vestes corrumpuntur, aurum ærugine decoloratur, frumenta marcescunt. Quid plura? Cor possidentis hæc atque conseruãtis maioribus in dies curis, quàm ærugine decoloratur atque tabescit. Nam si animum auari nudum absque corpore cogitatione perspexeris, inuenies sicut vestem mille tineis corrosam: sic vtique à curis perforatum, à peccatis putrefactum, & habendi solicitudine tabescentem. Non talis profectò animus inopis est. Inopis dico, vltrò ac sponte sua: sed fulget ille quidem vt aurum, splendet sicut gemma, floret quasi rosa: nulla tinea ibi est, nullus fur, nulla cura secularis, sed viuit angelica vita. Vis huius animi pulchritudinem aspicere? vis paupertatis opes quantæ sint discere? Non imperat hæc viris, sed imperat dæmonibus: non assistit regi, sed assistit Deo: non hominum, sed angelorum commilito est. Non habet duos, tres vel viginti loculos rerum plenos: sed sic abundat, vt vniuersum mundum paruipendat: & thesaurum habet in cœlo. Non indiget mancipiis, sed habet loco seruorum passiones, habet seruos appetitus, qui regibus dominantur, vt nec respicere audeant: regnum porrò atque aurum, & omnia huius generis hæc de qua dicimus paupertas, quasi pueriles ludos, trochos dico, talos, pilas, turbines, aspernatur atque contemnit. Habet enim ornamenta quæ videre atque sentire nequeunt, qui huiusmodi rebus ludicris occupantur. Quid igitur hoc paupere melius excogitari poterit? Hic in cœlo tanquam in pauimento ambulat. Quòd si tale pauimentum domus eius est, cogita per teipsum quale tectum sit. Sed non habet, inquies, equos, D neque vehicula. Certè nec harum rerum opus est ei, qui nubibus vectatur, & cum Iesu conuersatur. Hoc igitur tam viri quàm mulieres diligenter intelligentes, diuitiarum copiam inconsumptibilium inquiramus, vt & regno Dei perfruamur gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

Homil. xlix. ex cap. xiii. et xiiii.

Et factum est, cùm consummasset Iesus parabolas istas, transiuit inde, vsque ibi: & accedentes discipuli eius tulerunt corpus eius, & sepelierunt illud. Cuius rei gratia istas, dixit? quoniam & alias videlicet dicturus erat. Qua porrò de causa inde recedit? vt certè verbum euangelij vbique

vbique seminaret. *Et cùm venisset*, inquit, *in patriam* A
suam, docebat eos in synagogis eorum. Quamnam patriam suam modò appellat? meo quidem iudicio, Nazareth: non enim fecit ibi, ait, virtutes multas: in Capernaum
Suprà 11. autem fecit: vnde dictum est: Et tu Capernaum quæ vsque ad cœlos exaltata es, vsque ad inferos descendes: quoniam si in Sodomis factæ essent virtutes quæ factæ sunt in te, mansissent vtique vsque hodie. Cùm igitur iussset illuc, signa quidem multa nõ fecit, ne maiore inuidia exardescerẽt, néve grauius propter maiorem incredulitatem damnarentur. Doctrinam autem proponit non minoris quàm signa admirationis: illi verò cùm mirari ac stupere propter docendi virtutem debuissent, ex vecordia vilipendunt eum, ob illum qui pater esse putaretur, quum tamen exemplis priscorum potuissent commoneri, qui à parentibus parum notis insignes filios procreatos nouissent. Nam & Dauid agricolæ ignoti filius erat. Et Amos caprarij filius, & ipse caprarum custos. Moses quoque ille legislator multò infe- B
1. Par. 2. Amos 1. Exod. 2. Vide Iosephũ de antiquitate Mosi, lib. 2. antiq. riorem se ipso parentem habuit. Cùm igitur cò maximè admirari & venerari deberent, quòd à tali natus, ita diuinitus loquebatur, vt clarum esset, non humana doctrina, sed Dei virtute ipsum ita prædicare: vnde admirari ac colere debebant, inde ad spernendum concitantur. Assiduè autem ad synagogas ibat, ne si continuò in eremo versaretur, tanquam schismaticum & reipublicæ aduersarium impugnarent. Stupentes igitur & ambigentes dicebant: *Vnde huic sapientia hæc, & virtutes?* Virtutes aut signa nominabant, aut etiam sapientiam atque doctrinam ipsam. *Nonne hic est fabri filius?* quare miraculum maius, & stupor multò amplior. *Nonne mater eius dicitur Maria? fratres eius Iacobus & Ioses & Simõ & Iudas, & sorores eius nonne omnes apud nos sunt? vnde ergo huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo.* Vides in Nazareth ista dicta fuisse. Nónne fratres eius, inquiunt, ille atque ille sunt? Quid hoc sibi vult? Hinc enim magis in fidem induci deberetis. Sed pessima certè C res inuidia est, & sibiipsi sæpe repugnat. Nam quæ inaudita & mirabilia erant, ac sufficientia ipsos ad Iesum attrahere, ea illos magis scandalizabant. Quid igitur dicit ad eos? *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua. Et non fecit ibi*, ait, *multas virtutes, propter*
Luc. 4. *incredulitatem eorum.* Lucas autem, inquit, & non fecit ibi signa multa. Atqui quispiam obiiciet, facere debuisset. Nam si admirationi esse id illi succederet, tunc enim admirabantur, quamobrem multa non fecit signa? Quia videlicet non seipsum ostentare, sed aliorum vtilitatem quærebat. Quia igitur incredulos eos esse videbat, ne maiori culpa obnoxij essent, non multa signa operatur. Quanquam enim multo tempore pòst, cùm iam miraculorum fama vniuersam Iudæam impleuisset, patriam repetiisset, non potuerunt tamen ferre, sed magno igne liuoris inflammabantur. Sed cur etiam pauca fecit signa? ne dicere possent ad eum, Medice, cura teipsum, ne hostem atque inimicum putaret, D neque despici se ab eo arbitrarentur, ne denique sic excusare se auderent, dicentes: Si facta signa fuissent, credidissemus. idcirco igitur pauca, non multa fecit, partim vt suas partes ipse expleret, partim ne maioris illi criminis rei fierent. Quanta igitur illius esset sapientia, tecum tu ipse cogita, quippe vel cùm inuidiæ malo vehementius laborantes ipsum admirentur. Verum quemadmodum in operibus atque signis non accusant quæ facta sunt, sed falsas confingunt causas, dicentes:
Suprà 12. & Luc. 11. In Beelzebub principe dæmoniorum, dæmonia eiicit: sic etiam hîc non vilipendunt doctrinam, sed ignobilitatem generis respuunt. Doctor atque magister non conuiciatus est, sed mirabili quadam mansuetudine

A respondet: Non est, inquit, propheta sine honore nisi in patria sua. Nec hic sermonem terminauit, sed illud subiunxit: Et in domo sua, vt (mea quidem sententia) hac adiecta particula, fratres quoque sui intelligerentur. Apud Lucam verò exempla quoque ponuntur, Luc. 4. 1. Reg. 17. quia nec Helias ad suos venit, sed ad viduam alienige- 4. Reg. 5. nam: nec ab Helisæo quisquam leprosus alius mundatus est, præter alienigenam Naaman. Iudæi autem non receperunt quicquam boni ab illis, neque fecerunt, sed peregrini solummodo atque aduenæ. Quibus dictis prauos eorum mores, ac improbam consuetudinem à priscis defluxam temporibus reprehẽdit, ostendens nihil in ipso noui ab eis fieri. *In illo tempore audiuit Hero-* Cap. 14. *des tetrarcha famam Iesu.* Rex enim Herodes, pater huius qui pueros in Bethlehem crudelissimè necauit, ferè iam pridem expirauit. Non autem ociosè tempus Euangelista denotauit, verùm vt fastum tyranni & negligentiam omnes intelligere possemus. Non enim ab ipsis statim miraculorum exordiis famam Iesu, sed post mul- B tum tempus percepit. Huiusmodi certè sunt qui in principatibus viuunt. Nam quoniam fastu rerum plurimum sibi arrogant, parui facientes cætera, ferò ea perdiscunt. Tu autem etiam hîc animaduerte, quàm ingentes virtus habeat vires. Nam hic Herodes adeò Ioannem mortuum perhorruit, vt à nimia formidine, vel de resurrectione philosopharetur. *Dixit autem pueris suis: hic est Ioannes, quem ego interfeci, ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo.* Vides nimium ipsum timuisse, nec etiam hæc verba ad alienos efferre audet, sed vernas suos alloquitur. Sed tamen hæc sua opinio irrationabilis & absurda, & (vt ita dicam) militaris est. Multi enim surrexerunt à mortuis, nec vllus eorum huiusmodi quid vnquam confecit, quanuis ambitionis simul atque timoris hæc verba mihi plena videantur. solet quippe vesanus animus repugnantia sæpe simul recipere. Lucas autem ait, quia turbæ dicebant, hic est C Helias, aut Hieremias, vel priscorum vnus propheta- Luc. 9. rum. quare hic quasi prudentius quicquam atque verius allaturus hoc dixit. Verisimile autem mihi videtur, aduersus eos qui ipsum Ioannem esse dicebant, (multi enim etiam id de Iesu arbitrati fuerunt) illud primò Herodem dixisse quasi insolescentem, & amentiæ cæteros accusantem, Ego Ioannem interfeci, quomodo dicitis Ioannem hic esse? Solebat enim dicere, vt à Marco & à Luca subintelligere possumus, Ego Ioan- Luc. 9. & nem decollaui: fama verò signorum iam corroborata Marc. 6. surrexisse Ioannem suspicatur. Deinde historiam nobis euangelista contexit, non quidem principaliter: omnis enim intentio eius atque studium est, doctrinam & signa Christi describere, quare nihil aliud nisi quod ad hoc negocium conducat, exponit. Itaque hanc quoque historiam non induxit, nisi propter Christum, & quoniam Herodes dicebat surrexisse Ioannem. Marcus autem ait, quia Herodes quanuis à Io- Ibidem. anne reprehenderetur, valde tamen ipsum honorabat: ita inuicta res virtus est. Narrando deinde, inquit: *Herodes enim cùm tenuisset Ioannem, ligauit eum, & posuit in carcerem propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui. dicebat enim illi Ioannes, non licet tibi habere eam. Et volens eum interficere, timuit populum, quia sicut prophetam eum habebant.* Et cùrnam nihil Ioannes hac de re mulierem, sed virum alloquitur? quia & principalior vir est, & potestas in illo erat. Animaduerte autem quomodo hanc accusationem minus onerosam facit, quasi historiam describit, dicens: *Cùm autem natalitia Herodis agerentur, saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi.* O conuiuium diabolicum. O satanæ spectaculum. O iniquum tripudium, & mercedem tripudij multò iniquiorem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cædes enim omnium scelestissima cædium excogitabatur. Et qui coronati, ac laudibus in cœlum efferri merebatur, percussus securi iacebat. Qui dæmones deuicit, eius caput post cædem ad mensam afferebatur, & victoriæ modus rebus gestis respondens. *Saltauit*, inquit, *Herodiadis filia in medio, & placuit Herodi: vnde iureiurando affirmauit, quodcunque petierit, se illi daturum: illa verò à matre præmonita, Da mihi*, ait, *hic in disco caput Ioannis Baptistæ*. Duplex hîc crimen est, & quoniam impudenter saltauit, & quoniam adeò placuit, vt cædem loco mercedis acceperit. Vides quàm atrox, quàm insensatus, quàm vecors est, qui iurando se obnoxium facit, & illi petendi potestatem concedit, & posteaquam vidit ad quantum mali res prorupit, contristatus est, inquit. Atqui timuisse ipsum à principio scribitur. Cur igitur contristatur? Quia videlicet talis res virtus est, vt nequam etiam homines & admirentur ipsam, & laudent. Sed ô furiosam mulierem, quæ cùm adorare admiraríque deberet Ioannem, quoniam ab iniuria eam vendicabat, cædem constrúit, laqueum ponit, & gratiam petit diabolicam. *Ipse autem timuit*, inquit, *propter iusiurandum autem & simul recumbentes*. Et quamobrem quod grauius erat non timuisti? Nam si testes periurij habere formidabas, multò te magis metuere oportuit, tot tantósque iniquissimæ cædis testes habere. Verùm quoniam multos opinor criminis causam vnde cædes oborta est, ignorare, operæprecium duco id nunc discere, vt legumlatoris prudentiam videatis.

Deut.25. Quænam erat ergo prisca illa lex, quam Herodes conculcabat, & Ioannes vlciscebatur? Si quis absque liberis obierit, fratri eius vxor ipsius detur. Nam quoniam nullo solatio mors mitigabatur, & pro vita omnia facere solebat, legem tulit, vt frater viuens mortui fratris vxorem ducat, & fœtus inde procreatus defuncti nomine appellaretur, ne domus scilicet illius omnino corrueret: nisi enim liberos defunctus reliquisset, quæ res maximè mortis consolatio est, intolerabilis luctus atque inextinguibilis fuisset: idcirco tale solamen iis quibus natura prolem negasset, conditor legum excogitauit, & nasciturum illius nomine vocari præcepit. Cùm verò liberi erant defuncti, nullo modo tale matrimonium procedebat. Sed curnam ita, inquies? Nam si alij vxorem defuncti ducere licebat, nónne multò magis fratri? Minimè. Voluit enim latius affinitates euagari, vt multis modis inter se homines vincirentur. Quare igitur non alius quàm frater, sine liberis defuncti vxorem ducebat? Quia eo pacto nequaquam defuncti fœtus putaretur. Nunc autem si frater generaret, probabilis animos hominum occuparet cautio, quanuis & alioqui nulla necessitate alius vrgebatur defuncti domum restituere, quod à fratre iure propinquitatis postulabatur. Quoniam igitur Herodes vxorem fratris quæ prolem habebat, duxit: hac de causa Ioannes criminatur, moderatè id & cum fiducia manſuetudine mixta faciens. Tu verò perspice quomodo totum illud spectaculum satanæ erat. Nam primùm temulentia & deliciis constabat, vnde nihil vnquam probè factum est. Deinde spectatores omnes erant corrupti, & ille qui conuiuio præerat, omnium iniquissimus. Tertiò, voluptas atque licentia omnia dicendi, audiendi, faciendi, maxima in ipsis erat. Quartò, puella propter quam matrimonium fieri non poterat, quæ abdi atque occultari tanquam matre per illam infamata debebat, ingreditur, sese ostentans, & omnes meretrices virgo impudentia superans. Temporis quoque ipsius inopportunitas scelus Herodis mirum in modum amplificat. Nam quãdo gratias Deo agere oportebat, qui eum illo die in lucem produxit, tunc nefandissimam cædem committit: quãdo vinctum ex gaudio soluere debebat, tunc ad vincula iniquissima iussu mors suo accessit. Audiatis hæc virgines, immò verò etiam nuptæ, quæ in aliorum nuptiis similiter indecorè vos gerere, saltare ac tripudiare, & communem fœminarum sexum deturpare non veremini. Audiatis etiam hæc viri, qui magnifica conuiuia ebrietate plena consectamini: audiatis, inquam, & diaboli barathrum perhorrescite: sic enim omnino miserum illum hæc cõuiuiorum pompa oppressit, vt quemadmodum Marcus dicit, etiam iurauerit, Marc. 6. quicquid puella peteret, & ad dimidium vsque regni sui se libẽter daturum. Tanti scilicet principatum suum faciebat, adeò voluptate captus erat, vt tripudiis regna concederet. Miraris forsan si hæc tunc fiebant, cùm etiam nunc post tantam religionis nostræ philosophiam, multi iuuenum adeò molles eneruésque sint, vt nulla iurisiurandi necessitate vrgente, vel animas suas tripudij gratia largiantur. Nam à voluptate semel victi, quasi pecudes quò lupus trahit, concurrunt: quod etiam tunc vesanus ille patiebatur, qui duo maxima mente captus commisit. Nam & illam furore & temulentia concitatam, adeò vt nihil mali prætermittendum duceret, dominam fecit, & iurisiurandi necessitate rem cõfirmauit. Sed quanuis ita iniquus ille fuerit, multò tamen iniquior tyranno & puella mulier cula illa fuit, quæ omnia hæc mala contexuit, & quasi architectus magna versutia totam rem fabricata est: quam maximas habere gratias Ioanni oportebat, hæc ad impudentissima tripudia filiam impulit, hæc cædem Baptistæ flagitauit, ab hac Herodes irretitus deperiit. Vides quàm probè illud à Christo dictum est: Qui patrem aut matrem super me Supra 10. diligit, non est me dignus? nam si hęc illa cõseruasset, nõ tot tantásque leges transgressa corruisset, non ita scelestam cædem perpetrasset. Quid enim hac immanitate peius excogitari poterit? cædem in gratiam petis, & cædem scelestissimam, & hoc inter cœnandum publicè atque impudentissimè. Nec enim seorsum accessit, ac colloquuta de istis est, sed coram cunctis audientibus, velamine abiecto, nudo capite, diaboli vsa patrocinio, petitionem peregit: ille enim effecit vt ipsa saltans placeret, ille mentem Herodis eripuit. Vbi enim saltus lasciuus, ibi diabolus certè adest. Non enim ad tripudia pedes nobis præbuit Deus, sed vt modestè incedamus, non vt impudenter camelorum modo saliamus: nec enim solùm fœminæ, verumetiam cameli turpiter saliunt: sed vt in angelorum choris consistamus. Quòd si corpus deforme fit impudenter saliendo, quantò magis animam fœdari credendum est? His tripudiis diabolus saltat, his à dæmonum ministris homines decipiuntur. Sed petitionem ipsam consideremus. *Da mihi*, ait, *hîc in disco caput Ioannis Baptistæ*. Vides impudentiam puellæ, vides à diabolo penitus ipsam detineri? Dignitatis etiam meminit, neque sic tamen pudore affecta vultum demittit: sed quasi de dapibus loqueretur, sic sacrum illud atque beatum caput in disco afferri postulat: nec causam petitionis vllam affert, quippe nulla excogitari poterat: sed absque ratione aliorum calamitatibus honorari contendit: nec postulat vt coram producatur atque interficiatur. Nec enim etiam ad mortem cuntis libertatem ferre potuisset, sed exhorruisset etiam dum necaretur, vocem illius. Non enim in extremo tempore vitæ siluisset: ideo da mihi hîc, ait, in disco. Magna enim inflãmata cupiditate sum videndi illam linguam silentem. Non enim effugere solum illas redargutiones cupiebat, sed insultare quoque ac illudere iacenti. Deus autem sustinuit, nec fulgure à cœlo vibrata impudentissima facies illa est, nec terræ hiatu turpissimum illud est absorptum conuiuium: vt & iustus ille fulgentiores

coronas

coronas consequeretur, & qui postea iniuriam passuri essent, hoc exemplo corroborati, æquiori animo cuncta perferrent. Intelligamus hæc omnes qui studiosè viuentes, à prauis vexamur hominibus: intelligamus hæc omnes, inquam, Deum tunc sustinuisse illum, qui in eremo, qui in zona pellicea, qui in cilicio vixerat, qui propheta fuit, & prophetis omnibus maior, quo nemo maior in natis mulierum surrexit, à petulantissima puella, & impudentissimo scorto iugulari, præsertim cùm leges diuinas defenderet. Hæc cogitantes, magno feramus ánimo quæcunque patiamur: nam & tunc polluta illa homicida tantum efficere potuit, quantum voluit, & animũ suum satis supérque expleuit. Deus autem permittebat, quanuis nihil prorsus in illam, sed in illum crimina Ioannes cõiecit: sed habebat accusantem conscientiam suam, cuius morsibus tanquam stimulis cõcitata, magis bacchabatur, & in summum dedecus omnes

D. Hieron. viuẽte marito istas contractas fuisse nuptias putat. detrusit, seipsam, filiam suam,* defunctum maritum, viuentem adulterum, & priora superare certabat. Nam si doles, inquit, quòd adulterium committat, ego illum etiam homicidam faciam, & accusantis interfectorẽ. Audiatis quicunque mulieres plus quàm decet admiramini, audiatis quicunque de re incerta iusiurandum præstatis, & aliis perditionis vestræ potestatem tribuitis, & profundissimum vobis barathrum effoditis: sic enim etiam Herodes periit. Putauit enim puellam in solennitate & conuiuio, in tanta celebritate gratiolam quãdam festiuam, & sibi nihilominus conueniẽtem, non autem caput Ioannis petituram, & deceptus est. Sed tamen nihil horum à supplicio illum defendet. Nam licet illa atrocissimi animi fuerit, non tamen ita facilè ille decipi debebat, vt in tyrannico imperio mulieris omnia subire vellet. Nam primùm quis non abhorruisset, sacrũ illud in cœna caput propositum videns sanguinem stillare? Sed non fuit commotus Herodes, nec illo scelerator illa mulier. Tales quippe sunt mulieres omnes quæ mercede corpus prostituunt, impudentissimæ omnium atque truculentissimæ. Quod si nos modo hæc audientes perhorrescimus: quanta illos turbatione ad tale spectaculum tunc commotos esse credimus, qui simul in conuiuio recumbebant, nuper interfecti caput hominis cruentatum videntes? Sed nihil illa truculentissima furiis quoque ipsis immanior hoc aspectu passa est, verumetiam exultabat ac lætabatur. Et quanuis ipsius aspectus flexisse ipsam debuisset, nihil tamen scelesta & sanguinem propheticum sitiens commota est. Talis certè res luxuria est, non petulantes solùm, verùm homicidas facit. Nec dubitandum est adulterij cupidas, ad maritorum cædem, quibus iniuriam afferre meditantur, paratas esse atque accinctas: nec ad vnius hominis interitum solùm, verumetiam ad omnium ad quos sui dedecoris infamia pertinet: cuius rei multi passim testes inueniuntur. Quod & illa tunc fecit, putans nullum amplius quicquam de fornicatione sua dicturum. Euenit autem totum oppositũ, quia maiore ac clariore voce postea Ioannes exclamauit. Verum malignitas, quemadmodum febricitantes quando frigidam aquam expetunt, non futura, sed præsentia solùm considerat. Nam nisi accusantem iugulasset, non ita prædicata esset petulantia ipsius & audacia. discipuli enim eius, quando in carcerem fuit coniectus, nolentes aliorum publicare flagitia, nihil omnino dixerunt: cùm verò iniuria interfectum doctorem vidissent, tunc coacti rem omnem exposuerũt, causam etiam ipsius cædis, ne quis fortè iustiorem putaret, sicut in Theuda & Iuda, impelluntur explicare. Vnde patet quantò magis quis hoc modo peccata obumbrare atque offuscare voluerit, tantò magis in lucem omnia venire. Sic delicta non ad-

Act. 5.

A iectione delictorum, sed pœnitentia & confessione celantur. Tu autem perpende quemadmodum simpliciter omnia, & absque molestia ita narrat, vt quasi defendere videatur Herodem. De ipso enim dicit, quod tristatus fuit, sed tamen propter iusiurandum, ac simul recumbentes: de puella verò, quoniam à matre fuit inducta, cui etiam postea caput attulit: perinde ac si diceret, mandatum illius implebat. Omnes enim iusti, non quia quispiam iniuriam patiatur, sed quia faciunt iniuriam, dolent: quem profectò verè iniuriam pati dicere possumus. Nullam enim Ioannes, sed qui mortem ipsi machinati sunt, iniuriam patiebantur. Ita & nos, oro, faciamus. Non insultemus proximorum peccatis, sed quantum possumus, occultare conemur: suscipiamus animum philosophia dignum, imitemur Euangelistam, qui etsi de muliere fornicatrice & homicida diceret, quantum potuit tamen absque vlla reprehensione narrauit. non enim dixit à scelerata & vesana, sed à matre puellam admonitam atque inductam fuisse. B Ille honestissimo vocabulo matrem appellauit. Tu maledicis & conuiciaris proximum. Nec ita manſuetè si frater vnquam te irritauerit, de ipso loqueris, vt ipse de corrupta muliere: sed quasi fera bestia ira tumescens, malignum diceres illum, fraudulentum, amentem, cæteráque huiuscemodi. In ferarum enim crudelitatem prorumpentes, quasi de alienigena loquimur, contumeliantes atque vituperantes. Non ita certè sancti viri faciunt, sed lachrymas potius pro peccatoribus fundunt, quàm eis maledicant. Hoc nos quoque, obsecro, faciamus: lachrymis dignam putemus Herodiadem, & omnes illius imitatores. Multa enim etiam nunc huiusmodi sympoſia celebrantur, in quibus etsi Ioannes non interficitur, Christi tamen membra dilaniantur, multóque grauiora committuntur. Non enim caput Ioannis qui modò tripudiant, sed animas recumbentium petunt. Cùm enim voluptatum seruos effecerint, & illicitis meretricum amoribus occuparint, nõ caput à ceruicibus, sed animam à Christo disiungunt, adulteros & enerues ac effœminatos spectatores reddentes. Nec audebis, rectè scio, mihi respondere, vino te sepultum, & ebrietate superatum, tripudio mulieris, & dictis lasciuis non fuisse commotum. Moueris enim certè in lasciuiam, & illud in te horribile perficitur, quòd Christi membra, meretricis conficis membra: etsi non assit Herodiadis filia, sed adest tibi diabolus, qui etiam tunc in illa tripudiauit, & nunc in ista te spectatore tripudiat, & discumbentium atque spectantium animas captiuas abducit. Quòd si quis potest ebrietatem vitare, & omnem huiuscemodi temulentiam superare: aliorum tamen peccatis adesse, nihil aliud est, quàm peccati se participem facere. Multis certè rapinis huiuscemodi conuiuia plena sunt. Nam si cùm appositas videas carnes, & ingentis placentas precij: vnde illarum rerum copia collecta sit, cogitas, inuenies vi & rapina fuisse accumulatas. Quòd si illa non fuerint rapta, neque tamen etiam sic opiparæ comparatæ cœnæ, delictis carent: audi qualiter propheta etiam si per fraudem aut vim illa parta non fuerint, tamen accusat: Væ qui Amos 5. bibitis vinum colatum, & vnguentis preciosis vngimini. Vides qualiter hîc delicatam vitam reprehendit? Non enim auariciam his verbis, sed voluptatem accusat. Et tu quidem immoderatè deuoras, cùm Christus esuriat. Tu preciosissimas placentas, ac liba, Christus verò nec siccum quidem frustum panis. Tu vina bibis falerna, Christo verò nec frigidæ quidem aquæ calicem sitienti dedisti. Tu in tenerrimo lecto atque perornato stertis, cùm Christus frigore laboret. Quare si omni etiam auaricia conui-

Marc. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uia tua vacent, tamen ideo flagitiosa sunt, quia cùm immoderatè omnia facias, nec necessaria quidem Christo præbes, præsertim cùm rebus illius lasciuias. Sed etsi orbi parentum adolescentuli tutelam haberes, quo famescente tu rebus illius lautissimè viueres, & mille homines haberes accusatores, & à legibus statuta supplicia non euaderes: cùm autem diuitias Christi receperis, non putas frustra eas consumendo pœnas te aliquando daturum? Hæc non de his dico qui scorta nutriunt: non enim magis ad illos mihi sermo est, quàm ad canes. Nec de auaris atque rapacibus, nec de his qui tam suo, quàm aliorum ventri diligentissimè studet: nihil enim mihi commune cum ipsis est, quemadmodum neque cum porcis, aut cum lupis: sed de his dico, qui abundè rebus suis potiuntur, nihil aliis præbentes, de his qui paterna bona ociosè consumunt, qui omnes grauiter accusandi sunt. Cur enim iure non accusaberis, cùm gnathones tibi, & canes pleno ventre assistant: Christus verò indignus, qui tibi assit, videatur? Cùm B histrio ad risum te mouendo abundè ac delicatè cibum abs te sumat: Christus verò cœlorum regnum offerendo, nec minimam quidem partem accipiat? Et ille si facetè aliquid dixerit, plenus abit: Christus autem qui ea docuit, quæ nisi sciremus, nihil canibus præstantiores profectò essemus, nec tantum quidem quantum ille consequitur. Horrescis hæc audiendo? horresce (quæso) non verbo, sed opere: eiice hos gnathones, suscipe loco ipsorum Christum. Si sale ac mensa tibi communicauerit, mitis erit cùm te iudicet: solet enim valde mensam venerari. Nec id iniuria, cùm eam etiam latrones venerentur, quantò magis dominus? Veniat tibi in mentem meretricis illius, quæ à mensa ita manfuetum Christum reddidit, vt Simonem increparet, dicés:
Luc. 7. Osculum non dedisti mihi. Quòd si hæc te non facientem Christus nutrit, quid non retribuet tibi facienti? Nec inopem fastidias, quoniam sordidus atque pannosus accedit: sed recordare quia Christus domum per C illum tuam ingreditur, & derelinquas aliquando verborum acrimoniam, quibus semper confundis accedentes, importunos, otiosos, cæteráque huiusmodi inclamando. Cogita, oro, quando hoc dicis, quot quantásque res tibi gnathones conficiunt, quod emolumentum tibi, aut domui tuæ afferunt. Prandium, inquies, suauius reddũt: quo modo suaue quicquam facere possunt, qui palmis cæduntur, qui turpissimè loquuntur? Quid amarius, respondè, quàm ad imaginem Dei factum, pugnis lacessere, & ab hac proximi contumelia iucunditate affici? An non pudet spectaculum ex domo tua facere conuiuio hominum repleta, & scenicos imitari, cùm ingenuus vir & generosus esse videaris? Hæc igitur suauia tu vocas, respondè (quæso) pro quibus largus lachrymarum fluuius effundendus, pro quibus flendum atque ingemiscendum est? Cúmque deberes ad probam eos vitam exhortari, & rectè consulere, tu ad periuria, & ad turpissima verba impellis: ob- D lectationem hanc rem tu vocas, & voluptatis materiam tibi præbere putas, quæ gehennam tibi administrat. Cùm enim vrbanè quicquam dicere gnathones non possunt, iureiurando & periurio inde se soluunt. Hæc tu risu, & non lachrymis & planctu prosequenda ducis. Quis nisi mentis inops hæc diceret? Hæc à me dicta sunt, non quia prohibeam alimenta illis præstari, sed quia hac de causa nollem præstari. Ex misericordia enim, non ex contumelia originem alimonia trahit: miserescе, non derideas, nutriásque quia inops est, nutrias quia Christum in ipso nutris, non quia diabolicis verbis cachinnum mouet, & suam obruit vitam. Noli faciem externam respicere ridentis, sed animum eius considera, & tunc intelliges millies sibi à seipso maledici, tunc gementem atque plangentem videbis. Quam rem si occultat, propter te quippe occultat. Adhibeas igitur pauperes homines & liberos in cõuiuio, non periuros, neque mimos. Quòd si huius impendij atque laboris mercedem exigere ab eis velis, da eis libertatem, vt si quid abs te fieri absurdè videant, increpent, admoneant, habeant curam domus atque familiæ tuæ, habes liberos, sint tecum patres illorum, illis tecum vnà præficiantur, qui omnes lucra tibi afferant, quæ Deo placeãt, in spiritalem ipsos remitte mercaturam. Auxilio quis eget, ipsis iniunge vt auxilientur: iube vt inseruiant: per istos venare peregrinos, per istos indue nudos, necessitates dissolue proximorum, tunc tibi alimoniæ gratiam referant: quæ tam tibi, quàm illis prodesse potest, quam nullus vnquam accusabit: hoc modo etiam amicitiæ conglutinantur. Nam & qui gratis nutriuntur, etiam si diligi videantur, verentur tamen, quasi apud te incassum viuentes. Si verò ista perficiant, & ipsi ad te facilius venient, & tu suauius nutries, tanquam non frustra sumptum faciens: & illi honestius & liberius apud te versabuntur. Ita domus tibi non spectaculũ, sed ecclesia fiet. Ita fugam inde diabolus rapiet, & Christus cum angelorum innumera multitudine ingredietur. Vbi enim Christus est, ibi angeli sunt, ibi cœlum, ibi lux hac solari luce fulgentior. Quòd si vberiores fructus ab eis capere volueris, iube cùm tibi est otium, diuinas ab eis legi scripturas: libentius in his tibi morem gerent, quibus tam tu quàm illi honestiores efficimini, quàm in illis gnathonicis, quibus vnà omnes dehonestamini, tu quasi contumeliator ac temulentus, illi quasi miseri ac ventri seruientes. Nam qui ad cõtumeliam aliquos nutrierit, grauius quid facit, quàm si occideret: qui verò ad lucrum & laudem, is magis prodest, quàm si à morte liberaret. Et modò quidem magis quàm vernas ipsos contemnis, & vernæ ipsi, cæterique serui liberius apud te viuunt, tunc verò angelis æquales facies. Libera igitur & te & illos ab his opprobriis, & gnathonum & parasitorum omisso vocabulo, socios viuendi appella, amicos non adulatores voca. Amicitia enim diuinitus non in malum amicorum, sed in vtilitatem atque commodum inuenta est. Illæ verò parasitorum amicitiæ omni capitali peiores inimicitia sunt. Nam multa ab inimicis lucrati sumus, ab istis verò semper nobis opprobria, semper nocumenta inuehuntur. Non retineas amicos damni magistros, non retineas amicos mensæ magis quàm amicitiæ cupidos. Qui enim tales sunt, si delicias detraxeris, illi quoque amicitias dissoluent. Qui verò virtutis gratia tecum viuunt, erunt continui, etiam si aduersa fortuna reflauerit: parasitorum autem genus sæpe etiam te vlciscitur, prauam de te apud homines æstimationem suscitans. Non enim ignoro multos hinc ingenuos viros praua & falsa fama laborasse, alios maleficis artibus, alios adulterij crimine, alios aliter dehonestatos. Cùm enim nihil faciant, & lautè apud aliquem frustra viuant, voluptatis ministri fuisse facilè traduntur. Quare ne in hanc suspicionem deueniamus, & vt maximè Deo placeamus, & gehennæ supplicia fugiamus, diabolicam hanc consuetudinem omnino dissoluamus: & comedentes itaque & bibentes, ad 1. Cor. 10.
gloriam Dei omnia facite, vt ad gloriam ipsius peruenire possitis, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

HOMILIA

HOMILIA L. EX CAP. XIIII.

ET *cùm audisset Iesus, recessit inde in nauicula in locum desertum seorsum. & cùm audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de ciuitatibus.* Vide crebrò ipsum secedentem. Nam
Suprà. & quando Ioannes traditus fuit, & quan-
Suprà 3. do interemptus, & quando Iudei audierunt complures ad eum discipulos confluere: pleraque enim volebat humano more peragere, cùm nondum tempus postularet vt deitatem suam manifestè reuelaret. qua de re di-
Matt. 17. & Marc. 9. & Luc. 9. scipulis quoque dicebat ne vlli dicerent, quia ipse esset Christus: post resurrectionem enim suam hoc manifestari volebat: vnde non seuerus fuit in eos Iudæos qui ante crucem non crediderunt, sed ad dandam veniam paratissimus. Cùm autem recessisset, non ad vrbem aliquam, sed in eremum, & cum nauigio proficiscitur, vt nemo ipsum sequeretur. Tu verò considera, quo modo
Supra 9. Ioannis discipuli familiariores Iesu facti sunt. Ipsi enim B erant, qui occisum Ioannem nunciauerunt: ita cæteris omnibus derelictis, ad Iesum confugiunt. Sic quæ optimè differendo ab eo responsa fuerant, non parum vtilitatis post calamitatem illis attulerunt. Sed cuius rei gratia non antè recessit, quàm de interempto Ioanne nuncium acceperit, præsertim cùm omnia quæ fiunt, antequam nuncientur, non ignoret? per omnia videlicet ostendens incarnationis veritatem. Ideo non solum aspectu, sed re ipsa & opere hominem se credi volebat, quoniã diaboli versutiam atque malitiam nouit, quem omnia facturum videbat, vt non verè homo factus fuisse videretur. Et ipse quidem hac de causa discessit, turbæ autem neque sic remorantur, nec Ioannis interitu quicquam de se reformidant, sed sequuntur diligenter vbique (dilectio nempe atque amor cuncta facilè mala & terribilia depellit) ideo etiam confestim retributionem laboris acceperunt. *Cùm enim exisset*, ait, *Iesus, vidit turbam multam, & misertus est eis, & curauit languidos eorum.* Quamuis magno sudore illi sequebantur, ta- C men quę Christus ipsis retribuit, omnem studij illorum diligentiam superabant. Idcirco huius curationis causam intensam quandam misericordiam fuisse asserit: curauit enim omnes, nec fidem vt solitus fuit eorum petiit. Nam quoniam vrbibus relictis, incertis eum locis diligenter quærebant, ac inedia etiam cogente non recedebant, quo animo atque fide in ipsum essent, latẽre non poterat. Cúmque famescentibus cibum miraculosè allaturus esset, differt tamen, nec vltrò à seipso illud facit, sed preces aliorum expectat. Cõseruat enim consuetudinem suam, vt iam diximus, neque prior quasi exultans & insiliens, sed vocatus atque rogatus signa & miracula conficit. Sed cúrnam nemo ex turba accedens pro seipsis Christum rogauit? Mirum in modum verebantur ipsum, atque amabant, adeò vt vel inediam æquiori animo perferrent: sed neque discipuli pro turba orauerunt, vt eos nutriret. imperfectiores enim ad- D huc erant. *Vespere autem facto*, ait, *accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes: Desertus est locus, & hora iam præteriit, dimitte turbas, vt euntes in castella emant sibi escas.* Nam si post factum miraculum obliti sunt, si post sportas, cùm doctrinam Pharisæorum fermentum appellaret, de panibus ipsum putarunt dicere: quãtò minus anteaquam hæc viderunt, nihil huiusmodi suspicati fuissent? Et quamuis præueniens, multos curauit ægrotos: sic tamen adhuc imperfectiores erant, vt neque hinc quod de panibus factum est, cogitare potuissent. Perpende igitur Christi sapientiam, quo modo ad fidem vocare voluit. Non enim dixit, ego ipsos pascam: incredibile enim id videretur audientibus. Quid igitur? *Iesus autem*, inquit, *dixit eis: Non habent necesse ire, date illis vos manducare.* Non dixit, ego eis dabo: sed, vos date: vt homini enim solum ei administrabãt, nec adhuc commoniti emendantur, aut ad altiora eriguntur, verùm vt homini respondent, dicentes: *Non habemus nisi quinque panes, & duos pisces.* Vnde Marcus quoque ait, quia non Marc. 6. intellexerunt quod dictum erat: erat enim obscuratum cor eorum, quoniam humi iacebãt, à seipso iam omnia peragit. *Afferte namque*, ait, *illos mihi huc.* Nam etsi locus desertus est, tamen qui vniuersum orbem terrarum pascit, hic præsens est: etsi transierit hora, sed qui temporibus non subiicitur, vobiscum colloquitur. Ioannes Ioan. 6. autem hordeaceos panes fuisse scribit, non superfluè, neque ociosè id enarrans, sed deliciarum luxum Apostolorum exemplo calcãdum esse instruens. Talis nempe Prophetarum etiam mensa erat. *Cùm igitur sumpsisset quinque panes & duos pisces, ac iussisset turbas recumbere in fœno: respexit*, inquit, *in cœlum, & benedixit: cúmque fregisset, dedit discipulis panes, discipuli autem turbis: & manducarunt omnes, & saturati sunt: & tulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos. Manducantium autem fuit numerus ferme quinque millia virorum, exceptis mulieribus & pueris.* Cur ita respexit in cœlum, & benedixit? Vt crederetur non aliunde quàm à Patre missus fuisse, & illi æqualis esse, quarum rerum approbationes repugnare sibiipsis videntur. Nam æqualitas quidem, quoniam magna potestate omnia faciebat, demonstrabatur: à Patre verò ipsum esse vnde persuaderetur, nisi multa cum humilitate quęcunque faciebat, in ipsum ita retulisset, vt etiam eum ad præclara facinora inuocaret? Propterea non alterum ipsorum semper solùm factitauit, sed vt vtraque illa confirmaret, modò summa cum potestate imperij, modò inuocans Patrem atque orans miracula peragit. Ac ne repugnantia quædam in ipsis esse videretur, in cœlum minora peracturus respicit, cùm maiora cum potestate à seipso faciat, vt videlicet tu discas, non quia non posset minora peragere, idcirco inuocasse atque orasse, sed vt Patri honorem redderet. Nam quando peccata dimisit, quando paradisum aperuit, & latronem introduxit, quando legem veterem vt author eius soluit, quando mortuos quasi à somno excitauit, mare frænauit, secreta cordium reuelauit, oculos cæci hominis curauit, quæ nullus nisi Deus facere potest: non orauit neque inuocauit. Quando autem panes multiplicauit, quòd multo minus erat, tunc in cœlum respexit: partim vt ea quæ diximus, firma, stabiliáque haberentur, partim docens non esse ad mensam accedendum, quousque gratias ei agamus, qui cibum nobis præbuit. Sed cur panes non facit ex eo quod non est? Vt Marcionis & Manichæi impudẽtia ora hinc obstruantur, qui eum non esse creatorem asseuerant. His enim operibus docet opera sua esse omnia quæ videntur, & eum esse qui terræ fructus præbet, qui ab initio dixit: Germinet terra herbam fœni, & producant Genes. 1. aquæ reptilia animarum viuentium. Non est certè minus illis: nam etsi ex eo quod non est, reptilia tunc producta videntur, ex aquis tamen fuere. Nec est minus ex quinque panibus tot panes produxisse, & ex duobus piscibus tam magnam multitudinem piscium, quàm aut germinasse à principio terram, aut aquàs pisces produxisse. Hoc nempe signum erat terræ ac maris ipsum esse † creatorem.] Nam quoniam crebrò in singulis ægrotantibus diuinas vires suas ostendebat, vniuersale nunc beneficium turbæ contulit, ne spectatores solummodo aliorum multitudo salutis esset, sed ipsi quoque in seipsis gratia fruerentur: ita quod Iudæis in deserto mirabile videbatur: dicebant quippe, Nunquid & panem potest dare, vel parare mensam in deserto? idipsum Psal. 77.

† domi-num.)

Universidad de Deusto
Biblioteca

opere conficit. Propterea in eremum etiam ipsos duxit, vt & maius, & absque suspicione aliqua, signum & esset, & videretur: ne quis putet si vicus aut villa propinquior esset, inde ad illam mẽsam aliquid fuisse conductum. Quocirca non modo loci, verumetiam temporis atque horæ mentionem fecit. Illud enim hinc discimus, quanta philosophia, angustáque disciplina viuendi Apostoli viuerent, omnium deliciarum luxum contemnentes. In duodecim nempe hominibus, quinque panes & duo pisces reperti sunt: ita quæ ad corpus pertinent, omnia superflua & contemnenda sibi videbantur: ita spiritalium rerum tantummodo cura tenebatur, vt ea quoque pauca libenter aliis tradiderint: vnde docemur etiam si pauca possideamus, ipsa tamen egentibus esse concedenda. Nam & illi cùm quinque panes afferre ad Christum iussi essent, non clamauerunt, Nihil nobis postea relinquitur, quo nostram inediam mitigare possimus: sed confestim nihil murmurãtes paruerunt. Accedit autem ad ea quæ quæsita sunt, quamobrem ex subiecto produxit? vt ad fidem eos, meo quidem iudicio, paulatim attraheret: imbecilliores enim adhuc erant, qua de causa etiam in cœlum respexit. Nam aliorum quidem signorum multa sibi poterant exempla proponere, huic autem simile nihil habebant. Cùm ergo accepissẽt panes, fregit, & dedit discipulis, discipuli verò turbis, honoratiores hac re ipsos constituens: nec id solùm, verumetiam vt ministri rerum facti, nec dubitarent, nec obliuiscerentur eius miraculi, quia manus suæ attestarentur. Qua de causa non prius eum feciſſe crediderim, quàm acriore inediæ sensu turbæ vexarentur, & quàm discipuli accessissent, atque rogassent, per quos etiam multitudinem discumbere fecit, & quorum manibus distribuit, ita singulos opere ipso voluit præoccupare. ad hæc panes etiam ab ipsis accepit, vt multa signi haberent testimonia, multa miraculi monumenta extarent. Nam si etiam his omnibus abhibitis obliti sunt, si hæc non fuissent facta, quid ipsis accidisset? Iubet autem in fœno discumbere, ad sublimiorem philosophiam eos instituens. Nec enim corporibus solum, verumetiam animis alimenta præbere volebat. Sic & à loco: & quoniam non plures panes ac pisces propositi fuerant, & quoniam omnibus communiter eadem allata sunt, & quoniam æqualiter distributa, ad humilitatem, abstinentiam, charitatem mutuam, & vt omnia communia esse putarent, eos inducebat. Cùm igitur quinque panes fregisset, illos dedit discipulis, discipuli verò turbis. Cùm, inquam, panes fregisset ac dedisset, quinque illi panes in discipulorum manibus multiplicabantur, ac fontis in morem scaturiebant, adeo vt non sufficerint solum, verumetiam superabundauerint. Non integri quidem panes, sed fragmenta, vt ostenderent illorum panum has reliquias esse, vtque ad omnes quod factum esset, peruenire facilius posset. Propterea & esuriisse turbas permisit, ne quispiam phantasma id fuisse opinaretur. Duodecim verò corbes abundarunt, vt Iudas etiam corbem portaret. Potuisset autem facere, vt extincta fame, nihil superflui remaneret: verùm quoniam & sub Helia simile quid factum est, non ita omnipotentiam eius discipuli cognouissent. Vnde adeo ipsum hinc Iudæi mirati sunt, vt regem quoque constituere voluerint, cùm in aliis signis nunquam istud feciſſent. Sed qua quis oratione assequi poterit, qualiter panes è panibus, vt de fonte profluebant, quo modo multiplicabantur in deserto, qua ratione tam multis satisfecerunt? Quinque millia enim erant absque mulieribus & pueris. Magna profectò laus multitudinis illius, cùm & fœminæ & pueri vnà cum viris omni labore cõtempto sequerentur. Sed & illud prioribus minus non est, quo modo tantæ reliquiæ factæ sunt, vt æquales numero corbes, nec plures neque pauciores discipulis exæquarentur: quos quidem fragmentorum corbes non turbis, sed discipulis tradidit. Imperfectior namque multitudo erat quàm discipuli. Signo autem facto, statim ad nauigium ascendere discipulos compulit, & præcedere eum in vlteriorem ripam, donec ipse turbas dimitteret: vt si præsentia sua phantasmatis suspicionem, non veritatis certitudinem ipsis præberet, absentia magis corroborarentur, accuratiori experientiæ rem factam permittens, cùm monumenta signi, & testimonia miraculi secum habẽtes traiicerent: Quamuis etiam, quando maiora faciebat, † turbas à discipulis, & seipsum ab hominibus dirimere] solebat. Docet quippe nos, nunquam inanem multorum gloriam esse aucupandam, neque multitudini semper adhærendum. Quum autem dicit, compulit, declarat quòd magno suæ amore præsentiæ discipuli detinebantur, & occasione quidem turbæ ipsos misisse videtur. Id autem fecit, vt in montem ipse solus ascenderet, vt nos discamus non semper cum multis esse cõuersandum, neque semper multitudinem fugiendam, sed alterutrum esse faciendum. Discamus igitur etiam nos Christo adhærere, non corruptibilium harum rerum præmio, ne Iudæorum exprobremur more: Quæritis enim, inquit, me, non quia signa videtis, sed quia panibus saturati fuistis. Quapropter nec crebrò id signum, sed vix semel ac iterum operatus est, vt doctiores omnes redderet, non esse ventri seruiendum, sed iugiter ac semper in spiritalibus commorandum. Sic igitur faciamus: quæramus panem diligenter illum cœlestem, quo accepto, omnium secularium rerum curam proiiciamus. Nam si illi domo, patria, propinquis omnibus neglectis, in desertis morabantur, nec vrgente inedia recedebant: quid facere nos oportet, qui in tali tantáque mensa recumbimus? Maiorem certè afferre nos philosophiam debemus, & spiritalia semper appetere: & post ista, corporalia petere. Nam & illos accusari videmus, non quia propter panes, sed quia propter id solùm atque principaliter eum quærebant. Caueamus igitur: nam si quis magna & mirabilia dona negligit, & parua diligentius sectatur, quæ contemnenda censet is qui ea largitur, etiam magna illa perdit, quemadmodum si illa sectatur, hæc quoque parua sibi accedunt. Magnis enim parua, non econtra, in accessionem data sunt. Hæc autem caduca & instabilia, etiamsi maxima in se videantur, tamen illis collata, parua & vilia comperiuntur. Non ergo his studeamus, sed tam possessionem, quàm priuationem indifferentem arbitremur, Iob illum imitantes, qui neque cùm hæc adessent, vehementius his detinebatur: neque cùm abessent, valde quærebat. Pecuniæ certè χρήματα Græca lingua dicuntur, quia non sufficere, sed vti probe eis debemus, cùm χρώμεθα Græcè, Latinè vtor dicamus. Et quemadmodum artificum vnusquisque propriam artificij sufficientiam nouit, sic diuites non fabricare, nec ædificare, nec texere, nec nauem extruere, nec aliud huiusmodi artificium norunt. Illam igitur artem discant, vt diuitiis rectè & vt decet vtantur. Non est enim certè ars illa contemnenda, qua discunt opulenti conferendum indigentibus esse. Præcipua enim est, & aliis artibus multò præstantior. Huius artis officina in cœlo est, huius non à ferro, neque ab ære instrumenta sunt: sed voluntate sola, ac benignitate mentis constructa. Huius magister Christus est, & pater eius. Sitis misericordes, inquit, sicut & Pater vester qui in cœlis est. Quódque mirabilius est, cùm ita cæteras artes antecellat, non opus est labore, neque tempore,

turbas ac discipulos ablegare.

1.Reg.17.

Ioan.6.

Luc.6.

tempore, sed sola voluntas sufficit vt perdiscatur. Sed conspiciamus etiam finem istius artis. Quis igitur finis huius est? Cœlum, & quæ in cœlo fœliciſſima atque beatissima sunt, ineffabilis illa gloria, spiritales thalami, fulgentissimæ lampades, conuersatio æterna cum sponso, cæteráque huiusmodi, quæ nulla oratio, nullum flumen ingenij potest assequi: quare à fine quoque multò excellentius hoc cæteris artificiis est. Nam cùm complures aliarum artium ad hanc solummodo vitam conferant, hæc etiam ad futuram vitam nos ducit. Quòd si commodissimis & necessariis in hoc sæculo artibus tantum præstat, vtputa medicinæ, ædificatoriæ, cæterísque huiusmodi: quantò magis aliis excellat, quas ne artes quidem, si quis curiosius inuestigat, appellabit? Nunquam enim ego superfluas atque otiosas artes vocabulo artis esse dignas putabo. Ad quid enim ars coquorum nobis prodest, immo verò ad quid non obest, cùm tam corpori quàm animo non mediocriter officiat? Matrem enim omnium ægrotationum atque passionum, deliciarum scilicet vsum, magna pompa constipatam, in medium adducit. Neque pingendi artem, aut variè exornandi, artes ego nominarim, quippe cùm nihil conferant necessariarum rerum, quibus vita nostra continetur: artes constructiuæ sunt. Propterea mens diuinitus nobis data est, vt artificia inueniamus, quibus facilius atque honestius viuere possumus: qui verò animalia in tabulis pingunt, aut in pannis intexunt, respondẽ, quæso, ad quid conducunt? quas ob res & à texentibus, & ab his qui cãlceos consuunt, multa sunt circumcidenda. Necessitate namque superata, ad delicatissima atque superflua artes peruenerunt, & veræ arti vanam admiscuerunt curiositatem: quod ædificatoria quoque ars passa est. Sed quemadmodum ipsam quousque domus non theatra construit, & in domibus necessaria non superuacanea componit, artem appello. Textoris artificium quousque pannos vestitui necessarios texit, nec araneas ita imitatur, vt multa ridicula inferat, artem nominare soleo. Similiter calceamẽtorum sutores, donec necessarios faciunt calceos, artificis vocabulo largior: cùm verò virorum calceos mulieribus adaptant, & econtrà: tunc quia vtrumque sexum eneruant, superfluam, immò verò maleficam artem appellamus. Nec ignoro quòd multi pusilla me querere, ac valde me curiosum esse opinantur, nec verò idcirco hæc prætermittam: nam etsi parua hæc peccata videantur, ac ideo negligantur, maiorum tamen delictorum causas nobis præbent. Sed quod minus peccatum inueniri poterit, inquies, quàm ornatos & quasi resplendentes habere calceos, ac pedibus ita inhærentes, vt nulla inde ruga conficiatur? si tamen istud peccati appellatione notandum sit. Vultis igitur vt largas orationi habenas mittamus, ac dedecus huius rei præ oculis ponamus? Sed nolite (oro) irasci, immo verò etiam si irascimini, parua mihi cura est. non enim ipse, sed vos huius molestiæ causa estis, qui cùm nec peccata quidem ista putetis, ad reprehendendum acrius tale prodigalitatis genus impellitis. Age igitur diligentiori vsi examine, quale malum hoc sit, videamus. Quantum vobis dedecus esse putatis, cùm serica licia calciamentis vestris, quæ nec vestibus quidem vir probus vnquam subtexerit, diligenter inseritis: quantis hoc dignum cachinnis arbitramur? Quòd si huic nostræ sententiæ non acquiescitis, audiatis Paulum quanta hæc cum acrimonia reprehendat, & authoritate ipsius turpitudinem rei cognoscite. Quid igitur hac de re Paulus scribit? Non in tortis crinibus, inquit, aut auro, aut margaritis, vel veste preciosa. Quam igitur veniam habere poteris, cùm neque vxori tuæ, iubente Paulo, preciosæ vestes permittantur: tu calceos luxuriosissimè polias, ac ita construas, vt nimium attentus ad ridiculosa dedecora esse videaris? Nónne vides naues fabricari, eligi remiges, ac gubernatores, vela dari ventis, maria nauigari, ac mercatores patria, vxoribus & liberis relictis, ac vita contempta, & fluctibus commissa, ad extremas Barbarorum partes mille periculis peruenire propter serica hæc licia, vt tu scilicet calceis tuis ipsa inseras, & corium exornes? Dic, oro, quid hac absurditate peius? Non erant veterum talia indumenta, sed viris probè conuenientia. Quare ipse timeo ne tempus veniat, in quo adulescentes apud nos vestibus atque calceamentis sine pudore aliquo mulierum vtantur. Illud autem molestius differendum est, quòd iuuenum parentes cùm indifferentem hanc rem censeant, non increpent, non expostulent. Vultis vt afferam quod grauissimum mihi videtur, quòd pecuniis ita abutimini, quum multi inedia laborent, quum esuriens Christus ac nudus in medio vestri versetur, captus, catenis etiam vinctus nonnunquam: & quibus non ista digna sunt fulminibus? Illum quidem cibo necessario indigentem negligentes vos sericum calceis inseritis. Ipse cùm discipulos suos legibus instituebat, nullos illis calceos permittebat: nos autem non dico nudis pedibus, sed viriliter calceatis deambulare non sustinemus. Qua turpitudine atque risu quid peius fiet? Magnam enim animi mollitiem hoc ostẽdit, atque etiam sæuitiam & crudelitatem, magnam denique leuitatem vnà cum curiositate temeraria. Nã quando rebus poterit, qui tãtis defluit luxuriis, diligenter vacare? quando animæ suæ curam habebit? immo verò, quando se omnino habere animum cognoscet? pusillanimis enim omnino est, atque abiectus qui hæc admiratur. Atrox etiam atque crudelis, qui hac de causa pauperes negligit. Virtutis quoque penitus expers, qui studium suum ad hæc contulit vniuersum. Nam qui gloriam serici, qui florem coloris, qui ad aureos intextus curiosè perspicit: quando in cœlum suspiciet, quando illam pulchritudinem admirabitur, qui tincturas istas respiciens, & ad terram flexus altius se non potest erigere? Et Deus quidem cœlum extendit, ac solem accendit, vt oculos tuos sursum erigat: tu verò ad terrena quasi porcus diaboli artibus persuasus deolueris. Hæc enim omnia ille excogitauit, vt illa tu beatitudine priuatus, & ad hæc miserrima detrudaris. Ita Deus qui cœlum tibi offert, à diabolo serica tibi licia offerente superatur: immo verò nec ista offert diabolus, opera enim hæc etiam Dei sunt, sed mollitiem, luxum, atque maleficas artes, quibus oppressi adolescẽtes aspicere terram coguntur: qui cœlorum philosophiæ studere iussi sunt, magis calceis suis gloriantur, quàm si nouas res atque inauditas gessissent. Digitis enim pedum subleuatis deambulant in plateis, nimio plerunque inde mœrore confecti, ne cœno in hyeme, aut puluere in æstate, calcei sui maculentur. Quid facis homo? animam hac luxuria in cœnum coniecisti, eam in terra negligis detineri, & calciamentorum tanto mœrore angeris: discas vsum ipsorum, & tanti ea facere pudebit. Adinuenta enim certè sunt, vt lutum & omnes terræ sordes audacter conculcemus. Quòd si tu ab huiusmodi labe munda cupis calciamenta seruare, ceruicibus tuis aut capiti connecte. Ridetis hoc audientes, mihi autem lachrymandum potius videtur, cùm studia in his rebus vestra, & vesaniam considero, cúmque intelligam corpus vos malle luto quàm calceos deturpare. Ita pusillanimi, ac penitus molles hinc iuuenes efficiuntur, erunt etiam alia ratione pecuniarum auidi. Nam qui vestibus, calceis, cæterísque huiusmodi valde inhiare soliti sunt, cùm multa in his rebus consumant, magno indigent

Quænam veræ artes sint, & quæ inanes & otiosæ.

Ars.

Artifex.

Curiositas vestimentorum vituperatur.

1.Tim.2.

Supra 10. Marc. 6. & Luc. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pecuniæ cumulo: quod si acciderit, vt ambitiosum et-
A iam,& ostentatorem patrem quispiam habeat,tunc verò hac turpissima captus cupiditate, acrioribus seruitutis vinculis coarctatur: sin verò auarum,cogitur ad alia peiora confugere, vt sibi pecuniam ad impendia ista conquirat. Hac ratione multi ex adolescentibus ætatis florem perdiderunt, & gnathones atque parasiti diuitum constituti, vt huiusmodi cupiditatem, atque animum suum expleant, turpia nimium ministeria subierunt. Quòd igitur auarus effœminatus, pusillanimis atque otiosissimus sit, & ad omnem luxuriam pronior qui hæc optat, manifestum ex istis fecimus: quòd autem etiam crudelis, ac inanis gloriæ cupidus, quis vnquam non insanus dubitabit? Crudelis enim est, quia cùm viderit pauperem, tanta sui ornatus cura detinetur,vt nec aspexisse quidem videatur: sed auro quidem atque serico seipsum ornat, pauperem autem fame deperire sinit. Inanis verò gloriæ cupidus est, qui vel minimarum rerum gloriam aucupatur. Ego quippe sic ar-
B bitror, Romanorum nunquam imperatorem fuisse,qui se tantum propter trophæa sua iactaret, quantum luxu perditi adolescentes ob calceorum ornatum, ob vestes scitè constrictas, ob cæsariem in modum pilæ tonsoris opere circumductam: nec pudet alienis artificum operibus gloriari. Quòd si aliorum artificio se iactant,quid facerent si quicquam magni de se ipsis præstarent? Adderem alia his grauiora, at hæc vobis satis sunt: sed mihi opus est orationem iam finire. Longior autem propter contentionis cupidos fui, qui nullum his rebus committi delictum arbitrantur.Et quamuis non ignorem plurimos adolescẽtum tanta huius passionis temulentia mente capi, vt nullam verbis meis attentionem præbuerint,non fuit tamen consilium silentio hæc præterire.Nam patres eorum,nisi mente capti sint,vel inuitos filios ad meliorem cogent vitam transire.Nemo ergo mihi dicat nihil esse hoc, aut minimum, etenim id-
ipsum iam pridem cuncta deiecit. Quippe qui paruis in
C rebus magnanimos, & ornamentorum contemptores filios reddit, is etiam in magnis probatiores inueniet. Quid enim elementorum doctrina humilius? Hinc tamen rhetores,hinc eloquentes,hinc philosophi eruuntur.Et qui elementa ignorant,maiora percipere nequeunt. Quare non ad iuuenes solùm, verumetiam multò magis ad puellas & mulieres hæc dicta esse velim:quæ cò magis ad illas pertinent, quò virginibus & mulieribus honestatis decus magis conuenire videtur. Quamobrem quæ ad adolescentes diximus, ne rursus eadem reuoluere opus sit,vobis quoque dicta putate. Sed iam tempus est sermonem orando concludere. Orate igitur vniuersi nobiscum, vt adolescentes baptismatis lauacro renouati,honestè vitam perducant, & ad maturam senectutem perueniant. Nam qui luxuriosè ac malè viuunt, eos senes fieri non expedit: qui verò in adole-
scentia moribus consenescunt, eos oro ad extremam
D vsque viuere senectutem, & liberos sui similes procreare,quorum virtute parentes,atque in primis Deus gaudeat: qui vtinam non istum solùm ornatus morbum, sed omnem animi perturbationem radicitus ex vobis reuellat. Nam quemadmodum ager diu non proscissus,sic iuuentus neglecta syluescit, ac passim innumeras vepres producit. Ignis ergo sancti Spiritus immittendus est, quo improbis cupiditatibus concrematis, noualia excolamus quæ spiritalia semina possint suscipere. Quod si nunc apertè fecerimus,iuuenes aliarum nationum senibus erunt modestiores: quod certè admiratione dignum est, vt in adolescentia diligens fulgeat moderatio. Nam qui modestus est in senectute, eum cùm ætate plurimum iuuetur,non magnam suæ mode-
A stiæ mercedem arbitror habiturum: illud verò mirum est, vt in fluctibus & procellis tranquillitate fruaris, & in media fornace non ardeas, & in iuuenta nulla corrumparis luxuria. Hæc igitur memoria tenentes, beatum illum Ioseph, qui summis temperantiæ laudibus Gen. 39.
coruscauit, diligenter imitemur, vt vnà cum illo fulgentissimas consequamur coronas. Quibus vtinam omnes potiamur, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium nunc & in secula. Amen.

HOMILIA LI. EX CAP. XIIII.

ET *dimissa turba ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi: nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus:erat enim contrarius ventus.* Cuius rei gratia in montem ascendit? Certè vt nos erudiat, cùm orare Deum opus sit,tunc eremo ac solitudine no-
B bis maximè opus esse. Propterea igitur crebrò deserta petit,& solus orans plerunque pernoctat,vt eius exemplo tam à tempore, quàm à loco tranquillitatem orandi quæramus. Tranquillitatis quippe mater eremus est, quietis portus, omnis turbationis expultrix. Et ipse quidem his de causis ascendit in montem, discipuli ve- Suprà 8.
rò iterum procellis & fluctibus vexantur,& tempestate non minori quàm prius exagitantur, nisi quia tunc in nauigio secum Dominus erat: nunc verò absentia Domini desolati, tempestatis acerbitate iactantur. Paulatim enim ad maiora ipsos ita inducebat,vt excelso cuncta perferre animo discerent: idcirco præsens quidem erat in primo periculo,sed dormiebat,vt non longè salutem abesse crederent. Nunc verò firmiorem illorum animum faciens, cùm omnino absit, in medio mari tempestatem exoriri sinit, ne alicunde salutis spem expectẽt. atque etiam tempestate ipsos per totam noctem laborare permittit, vt tempestatis & temporis terrore
C perculsi magis ipsum desiderarent, & firmam eius atque perpetuam memoriam retinerent. Propterea nec confestim periclitantibus succurrit, sed quarta vigilia in mari ambulans venit ad ipsos: eruditens nos, non esse citò solutionem calamitatum quærendam, sed magno animo aduersa perferenda.Cùm igitur iam confestim se liberatum iri crediderunt, tunc maior eis timor calamitatum erat. Videtes enim eum, inquit,super mare ambulantem,turbati sunt, dicentes, Phantasma est. & præ timore clamauerunt. hoc enim semper facit, vt quando vrgentia mala expulsurus sit, tunc grauiora & terribiliora inducat: quod etiam tunc accidit.Ad tempestatis enim terrorem non minor à visu terror accessit:propterea nec tenebras omnino dissoluit, nec se statim manifestauit,vt (quod dixi) periculorum frequentia fortiores redderentur. Hoc & in Iob factum fuisse videmus. Nam cùm tentationi finem allaturus esset, tunc molestiora fieri permisit, non dico de liberorum
D morte, non de verbis vxoris, sed de seruorum atque amicorum opprobriis. Similiter quando de peregrina- Iob 4.&
tionis afflictione Iacob illum liberaturus erat, maior & 15. Genes. 31.
turbatio accidit: socer enim eum persecutus, mortem minabatur, & paulò pòst frater successit, qui maiorem illi timorem incussit. Nam quoniam ferre iusti homines non possent, si longo tempore atque acerrimè tentarentur,cùm pericula euasuri sint: tunc vt maiora mereantur,maiora inferri permittit certamina.Id etiam in Abraham factum non ignoramus: vltima enim atque terribilis illa tentatio fuit, qua immolatione filij angebatur.Sic enim quæ intolerabilia sunt,tolerari poterũt, Gen. 22.
si iuxta tentationum finem illata velociter dissoluantur.Hoc igitur tunc etiam factum videmus. Nec enim prius se

prius se Christus reuelauit, quàm magnitudine terro-
A ris superati vna omnes voce clamitassent. Quanto enim maior erat trepidatio, tanto lætior atque gratior præsentia eius illis apparuit. cùm enim clamassent, ait: *Statim locutus est Iesus ipsis, dicens: Habete fiduciam, ego sum, nolite timere.* His verbis timor omnis solutus, fiduciæ ac certæ spei locum reliquit. Nam cùm visu ipsum non cognouissent, partim propter noctis tenebras,partim etiam quia nunquam auditum fuit super aquas hominem ambulasse, voce seipsum manifestauit. Quid igitur Petrus,qui semper feruentissimus fuit,& vbique ante alios præsiliebat? *Domine*, inquit, *si tu es, iube me venire ad te super aquas.* Non dixit, ora & deprecare Deum, vt venire possim: sed, iube vt veniam. Vides quàm vehementer arderet? vides quanta fides ipsius etiam tunc esset? Et certè sæpenumero, quia maiora petit quàm vires suæ postularent, in periculum incidit, & nunc amore, & non ostentatione impulsus immensa petiit.Nemo enim ita vt ipse Iesum amabat: propterea
B nec dixit,iube vt super aquas ambulem: sed,iube vt ad Ioan.21.
te veniam.Pariter etiam post resurrectionem fecit. Nõ enim potuit alios expectare, sed feruore victus præcurrit.Non solum autem charitatem, sed fidem etiã ostendit. quia enim credebat, non tantummodo Christum super mare ambulare, verumetiam aliis id posse concedere, ausus est hoc petere, vt cum eo citius esse posset. *Ipse autem dixit, Veni. Et cùm descendisset de nauicula Petrus, ambulabat super aquas, vt veniret ad Iesum. Videns verò ventum validum, timuit: & cùm cæpisset mergi, clamauit, dicens: Domine saluum me fac. Et continùo Iesus extendens manum, apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti?* Hoc priore multò mirabilius est, ac id-
eo post illud etiam conficitur. Cùm enim ex priore mi-
raculo patuerit in maria ipsum habere imperium, tunc magis admirandum profert miraculum. Prius enim ventis solummodo imperauit,nunc verò & ipse ambu-
lat,& alium ambulare super maria facit: quod si ab ini-
C tio fecisset, non similiter certè Petrus, (non enim tantam fidem adhuc habebat) mari se commisisset.Quamobrem igitur Christus iussit? Quia si dixisset,Petre non potes: ille amore concitatus contendisset: ideo re ipsa eum deterret, vt modestior postea fieret. Ille autem nõ potuit seipsum detinere,sed descẽdit: & timore victus, fluctibus obruebatur. Et timor quidem à vi procellarum, periculum verò à timore originem cœpit. Ioan-
Ioan.6. nes autem ait, quia voluerunt ipsum in nauigium accipere, & confestim nauigium venit ad terram, ad quam ibat: idipsum certè significans,ita cùm terræ applicaturus esset,in nauigium ascendit. Cùm itaque descendisset de naui,ad ipsum ibat,non tantum gaudens,quia super mare ambulabat, quantum quòd ad Iesum itinere mirabili veniebat.Ita quod maius erat, super maria scilicet de nauigio confidenter descendere, magno animo fecit: vi autem vẽtorum,& impetu fluctuum,quod erat minus, superatus timuit. Naturæ quippe humanæ
D hæc conditio est, vt difficilioribus nonnunquam superi.Reg.19. Exod.2. 2.Reg.11. ratis, succumbat in minoribus, quod etiam Helias sub Iezabel passus est,Moses in Ægypto, Dauid in Bethsabee: & nunc Petrus terrore tempestatis tota nocte vexatus, magna cum fiducia in aquas descendit: ad ventorum autem impetum animi magnitudinem retinere non potuit, præsertim cùm iam prope Christum esset. Nihil certè prodest loco iuxta Christum esse, si fide nõ sis. Hac de re quantum interest inter magistrum & discipulum, patuit. Hinc cæteri solamen consecuti sunt. Nam si in duobus fratribus commoti fuerant, multò magis id molestè tulissent: nondum enim gratia Spiritus corroborati, facilè mouebantur: gratia verò acce-
A pta non tales nempe fuerunt, sed vbique primatum Petro præbent, & in concionibus eum anteponunt, quamuis cæteris rudior videretur.Sed curnam non im- Galat.1.& Act. 2.
perauit ventis vt cessarent, sed ipse manu extensa accepit eum? Quia videlicet fide ipsius opus esset. Cùm enim nosipsi fide deficimus, tunc Dei patrocinia retardantur. Vt ergo ostenderet non à procellis, neque à ventis,sed à modica fide sua ipsum euerti,ait: Quid hęsitasti modicæ fidei? Nisi enim labefactatus in fide aliquo modo fuisset,etiam ventis facilè restitisset: idcirco manu comprehendens eum confirmauit vento spirante,qui donec firma fides erat,nihil nocere potuit.Et sicut cùm antequam volare queat, si nido pullus exiens in terram decidat,mater velociter raptum in nidum restituit: sic tunc Christus in Petro peregit. *Et cùm ascendis-* Suprà 8.
sent in nauiculam, cessauit ventus. Et prius quidem dicebant,qualis est homo hic, quia venti & mare obediunt ei? nunc autem non ita. Nam qui erant in nauicula,ve-
B nientes, inquit, adorauerunt eum, dicentes: *Verè filius Dei es.* Perpende quomodo paulatim ad sublimius omnes adduxit. Nam & quia ipse ambulauit super maria, & quia alium etiam fecit ambulare, & quia ipsum à periculo liberauit, non parum eorum fides creuit. Et prius quidem imperauit mari,vt quiesceret: nũc autem non sic, sed alio quodam multo mirabiliori pacto omnipotentiam suam ostendit.Vnde in fidem ducti:verè filius Dei es tu, dicebant. Num igitur increpauit eos qui istud dicebant? Imò verò econtrà verba eorum confirmauit, & cum maiori potestate quàm antea venientes ægrotos curauit. *Et cùm transfretassent*, ait, *venerunt in terram Genesaret. Et cùm cognouissent eum viri loci illius, miserunt in vniuersam regionem illam,& attulerunt ei omnes malè habentes, & rogabant eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Et quicunque tetigerunt, salui facti sunt.* Non enim quemadmodum prius ad domos suas ipsum trahebant, nec magnum tactum quærunt,
C nec imperia eius verbis edita, sed maiore fide altioréque philosophia curationem morborum consequebantur.Ita mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur,rectius philosophari omnes eruditi. Vt autem ostende- Suprà 9. Matth.5.
ret Euangelista magno temporis interuallo illuc Christum rediisse, ait: Quia cùm cognouissent eum viri loci illius,miserũt ad omnem regionem,vt ægrotos ad eum offerrent.Sic longa temporis spatia non modo non debilitarunt fidem illorum, verumetiam in maius desiderium extulerunt. Tangamus ergo etiam nos fimbriam vestimenti eius,vel potius si volumus, ipsum totum habemus.Non enim vestis solùm,sed corpus ipsius nobis propositum est, non vt tangamus solummodo, sed vt comedamus & saturemur. Adeamus igitur Christum singuli ægrotantes magna cum fide. Nam si qui fimbriam vestimenti eius tunc tetigerunt, rectè omnes conualuerunt: quantò magis corroborabimur, si totum in nobis habebimus? Cum fide autem accedere, non est
D vt tantummodo propositum corpus recipias,verumetiam multò magis, vt mundo corde tangas, vt sic adeas quemadmodum ad ipsum Christum.Quid enim si vocem eius non audis? nónne vides iacentem, immo ve- Cœna Domini.
rò & loquentem per Euangelistam ipsum audis? Credite igitur omnes, quia etiam nunc illa cœna celebratur,in qua Christus ipse recumbebat. Nihil quippe interest inter illam & hanc: Non enim hæc ab homine, illa ab ipso conficitur: sed & hanc & illam ipse efficit. Quando igitur sacerdotem corpus tibi prębere videris, noli sacerdotis, sed Christi manum ad te porrigi arbitrari.Nam quemadmodum in baptismo nõ à sacerdote baptizaris, sed à Deo caput tuum virtute inuisibili tenetur,non ab angelo,neque ab archãgelo: nullus enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

prorſus id facere poteſt: ita etiam nunc. Cùm enim homo regeneratur, ſolius Dei hoc munus eſt. Nónne vides eos qui in hoc ſæculo ſibi filios adoptant, quomodo nullo pacto rem ſeruis committunt, ſed ipſi præſentes in iudicio cuncta peragunt? Sic Deus non angelis hoc munus commiſit, ſed ipſe præſens iubet, ac dicit: Infrà 15. Nolite vocare patrem ſuper terram. non vt parentes cõtemnas, ſed vt omnibus illum anteponas qui te creauit & adoptauit. Qui enim maius, id eſt ſeipſum pro te poſuit, quare dedignabitur ſuum tibi tradere corpus? Audiamus igitur tam ſacerdotes quàm alij, quàm magna, quàm admirabilis res nobis conceſſa eſt. Audiamus oro, & perhorreſcamus: carnes ſuas nobis tradidit, ſeipſum immolatum propoſuit. Quam igitur ſatisfactionem offeremus, cùm tali pabulo nutriti taliter peccemus, cùm agnum comedentes in lupos conuertimur, cùm ouinis carnibus ſaturati, vt leones rapiamus? præſertim cùm id ſacramentum non à rapina ſolùm, verumetiam ab omni ſuſpicione inimicitiarum mundum B ſemper ſeruare iubeamur. Pacis enim ſacramentum eſt hoc ſacramentum: inquiſitioni pecuniarum & ſimoniæ non conuenit. Nam ſi ipſe ſibi gratia noſtri non pepercit, quo ſupplicio non erimus digni, ſi animam negligimus, pro qua Chriſtus ſeipſum tradidit, & pecuniis parcimus? Et Iudæis quidem ſingulis annis beneficiorum ſuorum monimenta per feſtos dies Deus propoſuit, tibi verò quotidie ferme per hæc myſteria ipſe (ne obliuiſcaris) proponitur. Noli ergo crucem verecundari: hæc enim ſunt decora noſtra, hæc ſacramenta, hoc ornamur dono, hoc gloriamur: nec ſi cœlum, ſi terram, ſi maria dixero à Deo creata: ſi Prophetam, ſi angelos Rom. 8. miſſos, nihil quicquam huic æquale afferam. Hoc certè Matt. 27. caput bonorum eſt, quòd proprio filio non pepercit vt Act. 8. fugitiuos ſeruos ſeruaret. Nullus ergo Iudas, nullus Simon hanc menſam adeat, quorum vterque æris cupiditate periit. Quare fugiamus, oro, hanc foueam, neque putemus ſatis eſſe nobis ſalutem, ſi cùm viduas & orbos C parentum ſpoliaueris, aureum calicem & gemmis ornatum huic menſę offeras. Vis hoc ſacrificium honorare? animam tuam offeras, propter quam Chriſtus immolatus eſt, eam auream facito. Quòd ſi anima tua plumbo ac teſta deterior eſt, quid tibi proderunt aurea vaſa? Non igitur laboremus ad aurea vaſa offerenda ſolùm, verumetiam multò magis de iuſto labore acquiſita offeramus. Hæc enim aurea ſunt & precioſa, quæ auaritia non maculantur: non enim auri vel argenti officina, ſed angelorum celebritas Eccleſia eſt. Animarũ ergo munditia opus eſt, propter quas etiam vaſa hæc Deus recipit. Et certè non erat ex argento illa menſa, nec ex auro ille calix, quo Chriſtus diſcipulis ſanguinem præbuit ſuum, precioſa tamen erant omnia, & venerationis plena, quia ſpiritu abundabant. Vis corpus Chriſti honorare? non deſpicias ipſum nudum: neque hîc quidem in Eccleſia ſericis pannis induas, foris autem frigore ac nuditate confici negligas. Qui enim di- D xit, Hoc eſt corpus meum, & rem ſimul cum verbo confecit, idem dixit: Eſurientem me vidiſtis, & non cibaſtis. & in quantum non feciſtis vni eorum minimorum, nec mihi feciſtis. Hoc certè corpus Chriſti nõ Infrà 26. & Marci 14. amictu, ſed anima munda indiget: illud autem multa Infrà 25. cura, & magna diligentia eget. Perdiſcamus igitur philoſophari, & ipſum Chriſtum ex voluntate ſua honorare: nam qui honoratur, eo maximè honore lætatur, quem ipſe vult, non quem optamus. Sic & Petrus honorare Chriſtum credebat, ſi eum à lotione pedum Ioan. 13. prohibuiſſet: quod certè contrarium erat. Pariter tu etiam ita eum honora, vt ipſe vult, expone diuitias tuas pauperibus. Non eſt opus vaſis, ſed animis aureis. Hæc dico, non quia vetare velim talium vaſorum oblationem, ſed quia dignum putem ante omnia miſericordiæ ac benignitati eſſe incumbendum: nam & vaſa Deus ſuſcipit, ſed illa multò magis ſibi gratioſa ſunt. Et vaſa quidem danti ſolum profuerint, benignitas verò etiam accipienti. Et hîc quidem oſtentatio nonnunquam poteſt accuſari, ibi verò totum miſericordi animo attribuitur. Reſponde, quæſo, quænam vtilitas eſt, ſi cùm menſa eius multis calicibus aureis ornatur, ipſe inedia pereat? Prius igitur ipſum eſurientem ſatura, deinde ex quadam ſuperabundantia menſam etiam eius ornabis. Calicem aureum facis, & aquæ frigidæ calicem ei non præbes: & quod hinc emolumentum conſequitur? Coopertoria menſæ auro nitent, & ipſi neceſſaria velamina negas: quid igitur ipſi præbes? Dic, oro, ſi quem fame pereuntem videres, nec cibo ſoluere ipſius famem curares, ſed multo argento ac auro menſam ſolummodo exornares: quas putas illum gratias tibi habiturum, ac non potius indignaturum? Quid porro ſi veſtibus detritis ac pertuſis veſtitum, & frigore congelatum hominem aſpiceres, nec veſtem aliquam ei præparares, aureas ſtatuas ad laudem eius erigeres, nónne contemnere, atque irridere ipſum videreris? Ita te oportet in Chriſto etiam cogitare, cùm errabundus & peregrinus circumuagetur, tecto indigens, tunc tu ipſum quidem non ſuſcipis: vermiculato emblemate pauimenta ornas, magnificos muros conſtruis, columnarum capita erigis, lychnos ab argenteis catenis dependère facis: ipſum verò nec viſitare quidem curas in carceribus vinctum. Nec prohibeo magnifica templa condere, ſed hæc cum illis, immo verò hæc ante illa facere moneo: nemo enim quia templa magnifica non condiderit, vnquam accuſatus eſt: at verò gehenna, ignis inextinguibilis, ſupplicia dæmonum imminent, niſi quis diligenter iſta peragere velit. Cùm ergo ædes exornes, noli afflictum fratrem deſpicere: hoc enim templum illo eſt multo præſtantius. nam & illud infideles reges & tyranni, & latrones capere poſſunt. Quicquid autem benignè in fratrem feceris, nec diabolus ipſe poterit vnquam eripere, ſed manet theſauris æternis reconditum. Quare igitur, inquies, ipſe dixit: Pauperes vobiſ- Infrà 26. & Marci 14. cum ſemper habetis, me autem ſemper non habetis? Propterea etiam cenſeo miſericordia liberaliter eſſe vtendum, quia non ſemper, ſed in præſenti tantummodo vita ipſum eſuriẽtem habemus. Quòd ſi ſenſum cupis illius textus vniuerſum perdiſcere, ſcias illud non eſſe aduerſum diſcipulos dictum, quamuis ita videatur, ſed imbecillitati mulieris accommodatum. Nam cùm adhuc imperfectior eſſet, ne verbis diſcipulorum quaſi perperam faciens turbaretur, ad confirmandam ipſam hæc dicta ſunt. Vnde pro ea reſpondens, intulit: Quid Ibidem. moleſti eſtis huic mulieri? Nam quia ipſum nobiſcum ſemper habemus, alibi manifeſtauit, dicens: Ecce ego Infrà 18. vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. Ex quibus omnibus patet, non alia de cauſa Chriſtum ita dixiſſe, niſi vt tenera mulieris fides tunc pullulans, dura diſcipulorum increpatione non emarceſceret. Non confugiamus ergo ad ea, quæ tunc aliqua de cauſa dicta, tempori accommodata fuerunt, ſed omnia quæ in ſcriptura ſiue noua, ſiue veteri de miſericordia & benignitate ſcripta ſunt diligenter lectitantes, magno ſtudio huic rei incumbamus. Hæc enim à peccato mundat. Date, inquit, eleemoſynam, & omnia vobis munda erunt. Hæc ſacrificio maior eſt: Mi- Luc. 11. ſericordiam, inquit, volo, & non ſacrificium. Hæc cœ- Oſee 6. & Matth. los aperit. Orationes, inquit, tuæ, & eleemoſynæ tuæ 9. aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. Hæc Act. 10. magis neceſſaria quàm virginitas eſt: teſtantur virgi- Infrà 25. nes, quarum

nes, quarum aliæ huius rei diligenti cura ſuſceptæ, aliæ A expulſæ, à thalamis negligentia ſunt. Quæ omnia colligentes, ſeminemus in benedictionibus, vt copioſa nobis meſſis afferatur, & futura bona conſequamur, gratia & miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen.

HOMILIA LII. EX CAP. XV.

TVNC *acceſſerunt ad Ieſum à Hieroſolymis ſcribæ & phariſæi, dicentes: Quare, &c.* Tunc, inquit, quando ſcilicet innumera ſigna operatus eſt, quãdo tactu ſolummodo fimbriæ multos curauit ægrotos: propterea enim Euangeliſta notauit tempus, vt magnam eorum malitiam oſtenderet. A Hieroſolymis autem ait ſcribas illos & phariſæos fuiſſe, quoniam per omnes tribus in duodecim partes erant diſſeminati: ac nequiores aliis Hieroſolymitanos fuiſſe non eſt dubitãdum, quia cùm maiores honores conſequerentur, plurimum ſibi arrogabant. Tu autem conſidera, quo modo ab ipſa interrogatione capiuntur: non enim dicunt, cur legem Moſi, ſed cur traditionem ſeniorum tranſgrediuntur. Vnde patet multa fuiſſe à ſacerdotibus innouata: & quam- Deut. 4. uis Moſes magno terrore comminatus fuerit, ne quid addant, aut auferant. Non adiicietis enim ad verbum, ait, quod ego præcipio vobis hodie, nec auferetis ab eo. plurima tamen noua induxerunt. Ex quibus illa erant, ne illotis comederent manibus, calices ac vaſa ænea & ſeipſos baptizarent. Cúmque oportuiſſet eos progreſſione temporis huiuſcemodi obſeruationes contemnere, pluribus ac maioribus ſeipſos coarctauerũt. Ita cùm timerent ne principatum amitterent, ceu legumlatores, vt maiores viderentur, plurima innouarunt. Quę res ad tãtam peruenit nequitiam, vt præcepta ipſorum magis, quàm Dei mandata cuſtodirentur, adeò vt iam iure reprehendi viderentur, qui obſeruationes ipſorum negligebant. Qua ex re duplicem culpam contrahebant: nam & innouatio ipſa non paruum erat crimen, & quia C nullam de mandatis Dei curam facientes, obſeruationum contemptores vlciſcebantur, maximo delicto obnoxij erant. Prætermiſſis ergo vreeis & æramẽtis, & huiuſmodi aliis quæ ridicula erant, quod præcipuum ipſis videbatur, id in medium afferunt, vt ſi quo quo modo poſſent, ad iram eum incitarent. Quocirca de ſenioribus etiam mentionem faciunt, vt ſi eos deſpicere videretur, quaſi victum iam atque confuſum tenerent. Sed conſideratione dignum eſt, cur illotis manibus diſcipuli manducarẽt. Cuius igitur rei gratia ſic comedebant? non ſtudioſè, atque data certè opera, ſed ſeriis atque neceſſariis apprimè attendentes, ſuperflua & inutilia facilè ſpernebant, ita vt pro lege non haberent lotis aut illotis manibus comedere: ſed ex temporis opportunitate alterum faciebant. Nam qui alimenta neceſſaria plerunque negligebant, quo modo his minimis ani- Suprà 14. & 12. mum dediſſent? Quoniam igitur ſæpius illotis manibus nulla obſeruatione comederent: vt quando in de- D ſerto, vt quando ſpicas incidebant, idipſum pro crimine illi obiiciunt, qui grandia ſemper negligentes, maxima de friuolis cura ſollicitabantur. Quid igitur Chriſtus? Non reſtitit eis, neque cauſam diſcipulorum dixit: ſed ſtatim recriminatus eſt, vt audaciam eorum reprimeret, atque oſtenderet non oportere illos qui delinquunt in maximis, pro paruis aliorum criminibus adeò moueri, vt exactiori eos trutinæ ſubiicere velint. Cùm oporteret, inquit, vos reprehendi, audetis etiam alios ipſi reprehendere? Tu autem diligenter perpende quo modo quandocunque legale aliquot ſoluere volebat, excuſationis quodam ordine illud fecit: quod hoc loco factum videmus. Non enim ad tranſgreſſionis cri- A men ſubito venit, nec friuolum eſſe id atque ſuperfluum dicit, ne audientes magis inflammarentur: ſed prius maiora in caput illorum crimina ingerendo, ferocitatem retudit. Nec dixit rectè ipſos facere, qui non Dei, ſed legem hominum contemnunt, ne reprehendendi anſas ipſis præberet: neque rurſus perperam diſcipulos ſuos facere conceſſit, ne legem ipſorum approbaret. Nec ſeniores tanquam iniquos & ſceleſtos accuſauit, ne quaſi conuitiatorem ipſum auerſarentur. Verum omnibus his neglectis, aliam quandam & altiorem viam peregit: & videtur quidem hos, qui hæc diſcipulis imponebant increpare, pungit verò eos qui hæc quaſi legalia tradiderunt. Ita quamuis nullam de ſenioribus fecerit mentionem, iſtos tamen accuſando, ita illos deiecit, vt duplex id eſſe crimen oſtenderet. Primò, quia Deo non parerent, deinde quia hominum gratia id facerent. ac ſi diceret, Hoc, inquam, vos & illos perdit, quia ſenioribus vbique obtemperare vultis. Non au- B tem exprimit apertè, ſed occultius id ſignificat, hoc modo reſpondendo. *Quare etiam vos tranſgredimini* Exod. 20. & Deut. 5. *mandatum Dei propter traditionem veſtram? Deus enim di-* Exod. 21. & Leuit. 20. *xit, Honora patrem & matrem: & qui maledixerit patri* Prou. 20. *vel matri, morte moriatur: Vos autem dicitis, Quicunque dixerit patri vel matri, munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit: & non honorabit patrem ſuum, aut matrem ſuam, & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.* Non dixit, ſeniorum traditionem, ſed veſtram: nec quia ſeniores, ſed quia vos dicitis, vt minus moleſtus ſermo videretur. Nam quoniam tranſgreſſores legis diſcipulos oſtendere conabantur, idipſum eos re vera facere oſtendit, & diſcipulos ab hoc crimine vindicauit. Non enim habet authoritatem legis, quod ab hominibus adinuentum eſt: quocirca non legem, ſed traditionem hominum iniquiſſimorum traditionem appellat. Verùm quoniam non erat illa traditio legi contraria, quæ lotis manibus comedere iubebat, aliam legi contrariam in medium adducit. quod enim dicit, tale quid eſt: Pietatis ſimulatione deſpicere parentes adoleſcentes fuerunt eruditi. Quo pacto? Si quis parẽs à filio ouem flagitaret, aut vitulum, aut huiuſmodi aliquid, præmonitus à ſcribis & phariſæis filius reſpondebat: Quod à me in vtilitatem tuam pater petis dono, iam Deo promiſſum eſt, ac ideo dare non poſſum. ita dupliciter peccabant. Nam neque Deo offerebant, & parentes oblationis nomine defraudabant. Parentes igitur quaſi gratia Dei, & Deum parẽtum nomine contemnebant. Non intulit autem id antequam legem diuinam recitaſſet, qua oſtenditur quàm maximè Deo placeret, parentes à liberis honorari. Honora enim, inquit, patrem tuum, & matrem tuam, vt ſis longæuus in terra. Item, Qui male dixerit patri aut matri, morte moriatur. Chriſtus autem determinatum his qui parentes honorant præmium omiſit, & horribile contemnentibus genitores ſupplicium poſuit, vt perterriti comminatione legis reſipiſcerent, atque per iſta morte dignos eos eſſe demonſtrat. Nam ſi qui verbo parentibus iniuriantur, morte plectantur: quo ſupplicio digni eſtis, qui re ipſa & opere violatis? Nec ſolùm id vos facitis, verumetiam alios inſtruitis. Qui ergo capitali ſupplicio digni eſtis, quomodo meos diſcipulos criminamini? Non autem mirum eſt, ſi ita me quem non cognoſcitis, ac meos repellitis, cùm aduerſus patrem talia machinati ſitis. Ita vbique & dicit, & oſtendit à contemptu patris hanc arrogantiam originem traxiſſe. Nonnulli aliter id exponunt, donum quodcunque ex me tibi proderit: id eſt, nullum honorem tibi debeo, ſed dono tibi datum ſit, ſi à me honoratus fuiſti. Sed huius contumeliæ nullam Chriſtus mentionem feciſſet. Marcus et- Marc. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iam liquidius fecit, sic dicens: Corban, quodcunque ex me tibi proderit. Corban verò non donum, non munus, sed oblatio propriè dicitur. Cùm igitur demonstrasset, non iure illos qui legem Dei conculcent, alios reprehendere, quòd seniorum institutа non seruant: prophetica etiam authoritate idipsum approbat, & aduersus confusos vi maiori inuehitur: quod vbique facit, scripturam in medium producens, vt eius authoritate consonum se Deo atque concordem ostendat. Quid igitur ait Propheta? *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè à me est: incassum verò colunt me docentes doctrinas mandata hominum.* Vides ad vnguem prophetica verba euangelicis conuenire? Vides à priscis temporibus malignitatem ipsorum esse prædictam? quòd enim Christus postea criminabatur, id Esaias multò ante prædixit, quòd scilicet mandata quidem diuina spernant: incassum enim, inquit, me colunt. Magnam verò curam de seruanda sua doctrina habent: docentes enim, inquit, mandata doctrinam hominum. Iure igitur doctrinam non Dei, sed hominum discipuli mei non seruant. Cùm itaque letalem plagam eis insixisset, & rebus ipsis, ac ipsorum sententia, atque prophetica authoritate grauiorem accusationem effecisset, nihil iam ad illos qui emendari non poterant, sed ad turbas refert orationem, sublime quoddam, & perfectiore philosophia plenum dogma introducens, sumptáque occasione maius illud ex hac opportunitate construit, vniuersam ciborum obseruationem eiiciens. Et perspice quando. Quando leproso mundato sabbatum dissoluit, quando terræ & maris Dominum esse res ipsa ostendit, quando peccata remisit, quando mortuos excitauit, quando multa iam deitatis suæ testimonia extabant, tunc de cibis disputat: nec id iniuria. Vniuersus Iudaismus hac re continetur, qua refutata totus facilè refutatur: hinc quippe ostenditur circumcisionem quoque soluere oportere. Sed non principaliter de circumcisione quicquam induxit, quoniam cùm multò antiquior esset aliis mandatis, maiore hominum existimatione seruabatur, sed discipulorũ legibus eam postea soluit. Nempe adeò magna res videbatur, vt cùm postea discipuli eam deiecturi essent, magna dispensatione atque tractatione ad deiiciendam indiguerint. Sed videamus qualiter legem induxit: *Cùm aduocasset* (inquit) *turbas, dixit eis: audite & intelligite.* Ita non simpliciter quod vult enunciat, sed honorificè atque obsequiosè eos compellando prius attentiores ad audiendum facit, quod eo denotauit Euangelista, quia dixit: Cùm aduocasset turbas: quamuis etiam opportunitate ipsa multo attentiores reddebantur. Postea enim quàm pharisæi & scribæ confusi sunt, posteaquam prophetica authoritate illos condemnasset, tunc legem proposuit, cùm iam facilius omnia quę dicebantur possent suscipi. Nec solùm aduocando eos, verumetiam verbis attentiores facit, dicens: Intelligite, id est attendite, atque aures arrigite. Si enim istis auscultatis institutа sua tradentibus, multò magis par est me audire, qui ad sublimiorem vos opportunè philosophiam induco. Nec dixit friuolam esse obseruationem ciborum, atque inanem, nec quia non rectè fecerit Moses, qui hæc præcepit, nec quia condescendens hæc scripserit: sed quasi admonendo, atque consulendo à conditione ipsarum rerum testimonio sumpto, inquit: *Non † quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quæ ab ore procedunt.* Ita secundum rerum ipsarum naturam legem ponit, & sententiam profert. Hæc pharisæi ac scribæ audientes, nec contradixerunt quidem, nec dixerunt: Quid tu ais, cùm Deus de obseruatione ciborum millies præceperit, tu contradicis? Sed quoniam iam vehementius refutati atque reiecti fuerant, non solùm quia confusi, verumetiam quia quæ dolosè intendebant, aperuit, & arcana mentis suæ reuelauit: cum silentio recesserunt. Tu autem considera quo modo nondum manifestè propter infirmitatem multitudinis contra obseruationem ciborum inuehitur. Non enim apertè dixit cibaria, sed ea quæ intrant, non coinquinant hominem. Quod non absurdè de illotis etiam manibus accipi potuisset. de cibis tamen dicebat etiamsi de illotis manibus intelligi potuit. Tanta quippe cura obseruatio ciborum defendebatur, tanta existimatione hominum muniebatur, vt vel post resurrectionem Petrus dixerit: Non Domine, quia nunquam commune, aut immundum quid comedi. Nam etsi aliorum gratia hæc dicebat, & vt satisfactionem ad accusantes præpararet, cùm se contradixisse ostenderet, nec quicquam efficere potuisse: magnam tamen monstrat de hac re curam & opinionem hominum fuisse. Ideo & Christus non apertè dixit cibaria, sed quæ in os intrant. Cúmque circa huiusmodi sermonis finem clarius id expressisset, illis tamen verbis expressum obduxit, atque obumbrauit, dicens: Illotis autem manibus mãducare non coinquinat hominem. Ita visus est hoc orationis exitu de illotione manuum cuncta disseruisse. Quocirca non dixit, nulla cibaria quæ comedit homo, inquinant eum: sed quasi de re illa disputans, quæ intrant dixit, vt illi omnino confusi, nec mutire quidem possent. hæc igitur audientes, inquit, scandalizati sunt, non turbæ, sed pharisæi. *Accedentes enim*, inquit, *discipuli eius dixerunt ei: Scis quia pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt?* Et certè nihil aduersus eos dictum erat. Quid igitur Christus? Non soluit scandalum illorum, sed increpauit, dicens: *Omnis plantatio quam non plantauerit pater meus cœlestis, eradicabitur.* Sciebat enim quando contemnenda, & quando non contemnenda scandala erant: quippe alibi ait, Sed ne scãdalizemus eos, mitte hamum in mare. hic autem dicit: *Sinite illos, † cæci sunt, & duces cæcorum.*] *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadent.* Hæc autem discipuli dixerunt, non quia solùm pro illis dolebant, verumetiam quia ipsi quoque aliquantulum turbabantur, neque audentes de seipsis hoc dicere, quasi condolentes aliis certiores fieri nitebantur: quod ita esse facilius credideris, si ardentem illum, & vbique cæteros præuenientem Petrum audias: paulò enim pòst accessit ac dixit: *Edissere nobis parabolam hanc.* Ita etsi turbationem, atque imbecillitatem animi non omnino reuelauit, tamen quia parabolæ petebat explanationem, commotum se esse ostendebat, atque propterea increpabatur. Quid igitur Christus? *Omnis plantatio quam non plantauerit pater meus cœlestis, eradicabitur.* Quod de lege dictum esse Manichæi contendunt: sed ea quæ præcesserunt, ora ipsorum penitus obstruunt. Nam si de lege hoc dictum est, quo modo superius acerrimè pro lege ipsa pugnabat, dicens: Quare mandatum Dei propter obseruandas traditiones vestras transgredimini? Quo modo etiam Prophetam in medium induxit, dicentem, Populus iste labiis me honorat, &c. Non igitur de lege, sed de illis ipsis, ac de traditionibus illorum hæc disputat. Præterea si à Deo dictum est: Honora patrem tuum, & matrem tuam: quo modo non est plantatum à Deo, quod dictum à Deo est? à sequentibus autem etiam patet non de lege, sed de ipsis & traditionibus dictum esse. Quippe cùm subiunxerit, duces sunt cæci cæcorum: ita legem ab omni accusatione vindicauit, & ad illos omnem culpam traiecit. Quod si de lege illud dictum esset, dixisset vtique, dux est cæcus cæcorum, non autem ita dixit, sed, duces sunt cæci cæcorum, legem quidem ab accusatione liberans, & in illos

Esa. 29.

Act. 10.

Infra 17.

duces sunt cæcũ cæcorũ.)

quia intrant) in plurali numero legisse videtur.

& in illos crimen omne conferens. Deinde multitudinem ab eis disseparans, quæ per doctrinam illorum ad interitum veniebat, ait: *Si cæcus cæcum ducat, vterque in foueam cadet.* Magnum quidem malum est, si quis cæcus est: quòd si talis quispiam existat, nec solum ductorem aspernetur, verumetiam ipse si ducis locum retineat, multiplex culpa contrahitur. Si enim periculosum cæco est, ductore carere: multò periculosius profectò erit, si aliis quoque loco ducis velit præsse. Quid igitur Petrus? Non dicit, quid hoc est quod proposuisti, nec tanquam iniquum reprehendit, ne commotus putaretur, sed quasi de obscuro dicto interpretationem desiderat. Quòd verò non obscuritatis causa, sed scandalizatus quærebat, locus ipse in quo nihil obfuscatum latet, ostendit. Quocirca & increpatur à Christo dicente: *Adhuc vos etiam amentes estis?* Nam turbæ forsan

non intellexerunt.) † intellexerunt] quæ dicebantur, ipsi verò scandalizati, primo quidem quasi de pharisæis dolentes occultius discere voluerunt: deinde postquam comminantem ipsum atque dicentem audierunt: Quia omnis plantatio, quam non plantauerit pater meus cœlestis, eradicabitur: &, duces sunt cæci cæcorum: depressi atque coarctati tacuerunt. Sed ardor Petri silere non patitur: quid igitur dicit? Edissere nobis parabolam hanc. Christus verò vehementius increpat, dicens: Adhuc vos sine intellectu estis? nondum scilicet hæc intelligitis. Hæc dicebat & reprehendebat, vt à præoccupatione animos illorum eriperet. Ideo non hic finem fecit, sed alia quoque adiecit, dicens: *Quoniam omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur: quæ autem procedunt ex ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, blasphemiæ, falsa testimonia. & hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.* Vides quanta vehemẽtia atque acrimonia vtitur, ab eo quod natura duce solet fieri, ad vtilitatem ipsorum, quæ dicta sunt comprobans. Cùm enim dixerit, in ventrem vadit, & in secessum emittitur: iuxta Iudaicam deiectionem adhuc ad illos respondet: Non enim permanet, inquit, sed egreditur: ac certè etiamsi permaneret, nullo modo immundum redderet. Sed nondum id æquo animo audire poterant. Propterea & legislator tanto dimittit tempore, quanto intus maneat: cùm autem egressum fuerit, non amplius ita: in sero denique lauari iubet, ac mundum esse, digestionis ac expulsionis tempus diligentius examinans. Quæ autem cordis sunt, inquit, non solùm cùm intus locata sint, verumetiam egressa contaminant. Primùm autem prauas posuit cogitationes, quod maximè Iudæorum erat: nec adhuc à natura rerum, sed à partu ventris & cordis redarguit, quia hęc remaneant, illa minimè. Nam quæ de foris ingrediuntur, foras rursum expelluntur: quæ verò intrinsecus oriuntur, hæc & cùm intus sint, & multo magis cùm exierint, maculant. Hæc ita dicit, quia nondum poterant altiora conuenienter recipere. Marcus autem scribit, quia hæc ad purganda cibaria dixerit, non tamen expressit, quia talibus vesci non maculat animam. Non enim potuissent ita clarè id dictum æquo animo perpeti, ac ideo illico subiunxit: Illotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem. Discamus igitur, obsecro, quænam ea sint, quibus turpiter homines fœdantur. Discamus, oro, & fugiamus: in nonnullis enim iam ecclesiis hunc morem corroboratum videmus, vt diligenter multi studeant, quo modo manibus loti, candidis induti vestimentis, in Ecclesiam ingrediantur: quo modo autem animam atque mentem suam puram atque defecatam offerant Deo, nullam prorsus habẽt curam. Hæc dico, non quia lauare os aut manus prohibeam: sed quia non aqua solum lauare os velim, verumetiam, vt æquius est, omni virtutis numero. Sordescunt quippe manus homicidio, cęteríque operationibus prauis: os autem maledictione, blasphemia, contumelia, verbis iracundis atque obscœnis, dissoluto risu, atque scurrilitate. Si ergo nullius horum tibi conscius es, neque his maculis obscœnus, ingenti accede fiducia: sin autem millies his sordibus te deturpasti, cur incassum laboras? cur aqua os atque linguam diligẽter lauas, pernicioſam verò atque pestiferam maculam ipsorum nõ abstergis? Die sodes, si stercore manus atque cœno illitas haberes, auderés ne ita sordidus orare? Minimè, inquies. Atqui hoc nullum tibi damnum afferret: illud omni peste pernicioſius est. Quo modo igitur ea quæ indifferentia sunt, vereris: quæ autem certam perniciem habent: ex desidia negligis? Quid igitur? an non est orandum, inquies? Orandum quidem tibi est, sed non sordido, neque ita deturpato. Sed si casu lapſus fuero, inquis, quid faciendum censes esse? Deterge maculas tuas diligenter. Quo pacto? Largas effunde lachrymas, ingemisce, misericorditer pauperibus de tuis offeras: si iniuriatus cuipiam es, satisfacias abundè, reconcilia te illi, & ne magis oratione tua Deus irritetur, deterge linguam oraturus. Nam si quis pedes tuos stercore sordidatis manibus supplicãdo tangeret, non modò nõ exaudires, verumetiam calcibus expelleres. Quo modo igitur audes tu hoc modo Deum orare? nam qui orat, quasi manu lingua vtitur, qua genua Dei supplicando attingit. Nolite igitur ipsam maculare, ne Deus ad vos dicat: Si multiplicaueritis deprecationem, non exaudiam vos. Vita enim & mors est in manu linguæ: &, ex sermonibus tuis iustificaberis, atque ex sermonibus tuis condemnaberis. Magis igitur quàm pupillam oculi linguam tuam custodias. Regius quidam equus est lingua nostra. Si ergo ei frænum immiseris, & doctrina tua gradarium feceris, ascendet in eum rex, & quiescet in eo: si autem nullo fræno domueris, sed huc atque illuc in frænũ iactari permiseris, diaboli eam vehiculum fecisti. Tu verò eo die quo liberis legitimè operam dedisti, quamuis crimen illud nõ sit, orare tamen non audes, conuiciatus autem atque contumeliatus, quod gehennam tibi præparat, antequam teipsum mundes, manum ad cœlum tollis: dic quæso, quo modo non inhorrescis? An non audisti Paulum dicentem, honorabiles esse nuptias, ac lectum incontaminatum? quòd si ab incontaminato resurgens lectulo times ad orandum accedere: cùm in diaboli lectulo sis, cur horribile Dei nomen audes inuocare? Diaboli quippe lectus est, in conuiciis & iniuriis delectari: atque veluti pernicioſus quidam adulter, iracundia occulta voluptate cum animo adulteratur, & ex pernicioſo sperma-te diabolicas inimicitias parit: contráque matrimonium omnia peragens, eos qui pacis vinculo in vnum coarctantur, in multas dirimit partes, cùm matrimonium in vna duos carne coniungat: nec coniunctos solùm disseparat, sed ipsum etiam animum scindit & lacerat. Quare vt liberè Deum adire possis, coniunctionem hanc atque adulterium iracundiæ quasi rabidum canem procul ab animo tuo extermina. Sic Paulus etiam iussit: Leuantes, inquit, sanctas manus absque ira & disceptatione. Noli igitur pati linguam sordescere: quo enim pacto pro te deprecabitur, si libertatem propriam amittat? Orna eam humilitate atque modestia, dignam fac Deo qui per eam rogatur, repleas ipsam benedictionibus, repleas misericordiæ muneribus: possumus enim etiam verbis misericordiæ opera efficere. Melior, inquit, est sermo quàm datio. & respondе pau-

Matth. 7.

Exod. 20.

Eſt 1.

Prou 18. Supra 12.

Heb. 13.

1. Tim. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eccles. 4. peri pacifica in mansuetudine: omni tempore diuina-
rum legum narratione ipsam politiorem facere conę-
Ibid. 9. ris. Omnis enim narratio tua, inquit, in lege altissimi sit.
Sic dispositi atque affecti ad regem accedamus, & ad
genua eius procidamus, non corpore solùm, verum et-
iam multò magis mente atque animo. Veniat nobis in
mentem quem adire constituimus, & pro quibus, &
quid efficere volentes Deum adimus, quem Seraphim
aspicere nequeunt, quem terra contremiscit, qui lucem
inaccessibilem habitat. Adimus autem, vt nos à tor-
mentis gehennæ vindicemus, vt peccatorum indul-
gentiam impetremus, vt intolerabiles pœnæ dissol-
uantur, vt cœlos, & quæ ibi bona sunt, consequamur.
Concidamus igitur tam corpore quàm mente, vt ipse
iacentes nos erigat: oremus humiliter ac mansuetè. Sed
quis ita miser, inquies, ac ærumnosus, vt dum orat, hu-
milis atque mansuetus non sit? Ille certè qui maledi-
ctionibus & furore plenus orat, qui inimicos persequi-
tur. Nam si vis accusare, teipsum accusa: si vis acutam B
atque volubilem ad eneruanda peccata hominis lin-
guam habere, tua delicta sedulò recense: nec quid ali-
us, sed quid tu aduersum teipsum feceris, enarra. Id e-
nim maximum malum tibi est, quod tu perpetrasti. Ne-
mo enim potest iniuriam tibi inferre, præter teipsum.
Quare si iniuriatos tibi persequi cupis, teipsum primò
inuadas, nullus enim prohibet: nam si alium aggredi-
eris, maiori iniuria pressus iacebis. Quas verò iniurias
alterius aduersus te dicere potes, quia tibi scilicet alius
conuiciatus est, alius te percussit, alius tua rapuit, alius
† ἀδικεῖσθαι. id est, iniuriam pati, lædi, iacturam facere. in pericula iniecit? Sed non est hoc † iniuriam pati:
verum si vigilanter inspicimus, non paruo emolumen-
to iuuari: non enim qui passus est, sed qui fecit, iniuri-
am patitur. Omnium certè malorum hæc causa est,
quia nec intelligimus quidem * quis facit, & quis pati-
* quisnam sit qui lædat, & quis lædatur.) tur iniuriam.] Nam si rectè intelligeremus, non iniuriis
nosipsos vexaremus aduersus alium orantes, cùm cer-
tiores essemus, neminem in terris posse nobis officere: C
non enim tua rapi, sed aliena te rapere, tibi malum est.
Quare si rapuisti, acerrimè teipsum accusa: sin verò a-
lius tua rapuit, non parua tibi sedulitate orandum pro
illo est, qui tibi maximè profuit. Nam & si non ea
mente fecerit, plurimum tamen tibi contulit, dummo-
do tu viriliter, ac magno animo perferas. Illum quip-
pe tam homines, quàm diuinæ literæ miserantur: te au-
tem qui patienter iniuriam pertulisti, & corona donat,
& æternis præconiis laudant. Quemadmodum enim si
quis febricitans, plenum frigidissima vas aqua rapuerit
ab aliquo, & cùm pestiferam bibendi cupiditatem ex-
pleuerit, & morbum vehementer auxerit, non eum vn-
de aqua rapta est, sed eum qui rapuit, læsum esse, & sibi-
ipsi iniuriatum censemus: sic certè de auaris atque ra-
pacibus cogitare debemus. Peiore namque isti febri la-
borantes, per alienarum rerum rapinam suam ipsorum
flammam incendunt. Et si quispiam in furore concitus,
gloria à latere cuiuspiam rapto, seipsum inuaserit: nón- D
ne qui rapuit, sibiipsi iniuriam intulit, cùm is à quo en-
sis raptus fuit, nulla sit vexatus iniuria? Hoc ipsum ergo in pecuniarum quoque rapina fieri iudicemus. Sic-
ut enim periculosissimum est furioso, si ensem teneat:
sic diuitiarum cumulus auaro perniciosus, immò verò
etiam multò magis. Insanus enim ille mucrone ad sei-
psum conuerso, à furore liberatus quieuit, nec vllum
postea vulnus accipit: rapax verò atque auarus postea-
quam semel seipsum percusserit, mille in dies vulneri-
bus laceratur. Non enim potest à cupiditate seipsum
rapiendo vindicare, sed illam potius auget: & quantò
plura, maioráque vlcera sibi præparauerit, tantò in-
consideratius ad alia ruit. Hæc igitur nobiscum quoti-
die versantes, magno hunc mucronem studio fugia-
mus, inhorrescamus istam insaniam: non parum facie-
mus si aliquando, quamuis tardè, ab hac liberati, tem-
periem colemus. Non enim minus hæc virtus mode-
stia potest appellari, quàm illa cui hoc vocabulum vul-
gò accommodatur. Ibi enim aduersus vnam cupidita-
tem certatur, hîc multæ ac variæ cupiditates extirpan-
dæ sunt: nihil est quippe amentius, nihil deterius eo,
qui pecuniæ seruit. Dominari videtur, cùm seruiat: im-
perare cæteris credit, cùm à vilissima metallorum sibi
materia imperetur: vinculis seipsum vehementius co-
arctando gaudet, cùm ferocior propter maiorem re-
rum copiam aduersus ipsum bestia insurrexerit, lætatur:
& cupiditate vinctus, gaudet & exultat: cúmque à ra-
bido isto auaritiæ cane opprimi se videat, nec vinculis
arcere, nec inedia eum consumere parat, sed largiora ei
pabula præbet, quibus & fortior factus, maiore vi ad-
uersus miserum insiliat. Hæc igitur omnia cogitantes,
dissoluamus vincula quibus ligati sumus, interimamus atrocissimam hanc feram, quæramus remedium
morbi, liberemus nos à furore: vt quiete animi sere-
nissima, & sanitate potiti, ad tutissimum securúmque
deducamur portum, atque æterna bona consequa-
mur, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Chri-
sti. Amen.

HOMILIA LIII. EX CAP. XV.

ET egressus inde Iesus, recessit in partes Tyri & Sidonis. & ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit, dicens ei: Miserere mei fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur.

Marcus autem ait, quia cùm in domum
venisset, latère non potuit. Quamobrem autem in illas
partes profectus est? Quum obseruationem ciborum
contemnendam esse docuisset, tunc recto itinere ac
ordine progrediens, gentibus etiam ianuam aperit.
Sic & Petrus, cùm soluere has obseruationes iussus Act. 10.
esset, tunc ad Cornelium missus fuit. Si verò quispi-
am dixerit, & quónam modo cùm discipulis iniunxe-
rit, dicens: In viam gentium ne abieritis, ille ipse ab- Sup. 10.
iit? Primùm illud adducemus, quia non tenebatur ip-
se, quæ discipulis seruanda præcepit, omnino con-
seruare: deinde quia non vt prædicaturus illuc acces-
sit, quod denotauit Marcus dicens, quoniam & oc- Marc. 7.
cultauit seipsum, & non latuit. Quemadmodum enim
rerum consequentia postulabat, ne ad gentes primùm
proficisceretur, sic non erat humanitatis, vltrò venien-
tes repellere: nam si fugientes sequendi sunt, multò
magis sequentes expectandi. Considera igitur omni
beneficio dignam mulierem fuisse: non enim ausa
fuit in Iudæam abire, quando seipsam indignam pu-
tabat. Nisi enim is timor eam deterruisset, Hieruśa-
lem ipsam profectò petiisset: quod partim ardore fi-
dei suæ, partim quia terminos suos egressa fuerat, com-
probatur. Nonnulli autem & allegoricè istud expo-
nunt, dicentes: quia quando à Iudæa Christus exiuit,
tunc & ecclesia gentium terminos suos egressa, adire
ipsum ausa est. Obliuiscere namque, ait, populum tu- Psal. 44.
um & domum patris. Tam enim Christus, quàm mu-
lier illa egressi à terminis suis, conuenire, & colloqui
potuerunt. *Ecce namque*, inquit, *mulier Chananæa egres-
sa à finibus suis.* Accusare mulierem Euangelista vide-
tur, vt & miraculum ostendat, & ipsam laude dignam
fuisse confirmet. Cùm enim audiueris Chananæam,
non poteris non meminisse iniquissimarum illarum
gentium, apud quas etiam leges ipsius naturæ fundi-
tus euersæ fuerant: quòd cùm memoria repetieris,
virtutem quoque aduentus Christi diligentius cogita.

Qui enim

Qui enim electi sunt, ne Iudæos peruerterent, hi adeò A
ipsis Iudæis meliores fuerunt, vt terminis suis relictis,
ad Christum accederent, cùm Iudæi ad ipsos venien-
tem extruserunt. Cùm igitur accessisset mulier, nihil
aliud, nisi miserere mei exclamabat, & ingens spec-
taculum clamore suo concitauit. Erat enim certè mise-
rabilis quædam res, mulierem aspicere tam magno
dolore coactam exclamare: mulierem, inquam, & ma-
trem, & pro filia quæ malè vexabatur, miserabilis res
erat exclamantem præ dolore aspicere. Nec enim ausa
fuit ad magistri & domini conspectum dæmoniacam
filiam adducere, sed illa domi iacere dimissa, sola ipsa
ad supplicandum proficiscitur: & morbi quidem ge-
nus exponit tantummodo, nec quicquam addit, me-
dicum autem non domum suam vt regulus ille addu- Supra 9.
cere conatur, qui dicebat: Veni & impone manum
tuam, & descende antequam moriatur puer meus: sed
calamitatibus suis expositis, & morbi magnitudine
narrata, misericordiam à Domino postulabat vehe- B
mentius clamans. Nec dicit miserere filiæ meæ: sed
miserere mei: nam illa insensata iacet, ego verò illa
sum quam sensus morbi non fugit, quæ sentiens at-
que intelligens insanio, mille vexor ærumnis. *Ipse au-
tem non respondit ei verbum.* Quàm nouum atque inau-
ditum hoc est: Iudæos ingratos rationibus etiam in-
ducit, & blasphemantes rogat, & tentantes non negli-
git: hanc autem quæ spontè venit, quæ deprecabatur
& supplicabat, quæ quanquam nulla lege, nullis Pro-
phetis fuit commonita, tamen tanta cum reuerentia
accessit, nec responso quidem dignam putare videtur.
Et quis non moueretur, cùm aliter quàm fama prædi-
caret, fieri videret? Audierunt certè quia ciuitates &
vicos Iudææ circumiens, ægrotos curabat, & hanc vi-
dent mala sua deplorantem depelli. Quis porrò miseri-
cordia flexus non fuisset, cùm ita humiliter illam pro
laborante filia supplicare oculis cerneret? nec enim
quasi digna, nec quasi debitum efflagitans adiit, sed C
misericordiam petebat, & calamitates suas tragica
oratione narrabat, nec responso digna visa fuit. Multi
forsan eorum qui audiebant, scandalum passi sunt, i-
psa verò nec commota quidem fuit. Quid dico mul-
tos audientium, vbi & discipulos ipsos calamitate mu-
lieris commotos fuisse, atque turbatos arbitror? nec
tamen ausi fuerunt dicere, concede ipsi quod petit.
*Sed accedentes discipuli eius, rogabant eum, dicentes: Dimitte
eam, quia clamat post nos.* Nos enim cùm volumus vt au-
Ioan. 9. ditorum animum nostra oratio penetret, contraria
sæpenumero dicimus. Christus verò ait: *Non sum mis-
sus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël.* Quid igitur mu-
lier, posteaquam hoc audiuit, num tacuit, ac destitit,
aut alacritatem remisit? nequaquam: sed magis insta-
bat. At nos haud ita: verùm quum quod volumus non
assequimur, desistimus: quum propterea magis insta-
re oporteret. Atqui quem non perplexum reddidisset
ista responsio? Sufficiens equidem erat Christi silen- D
tium, vt illam in desperationem coniiceret: responsio
verò id multo magis efficiebat. Quum enim videret
patronos etiam ipsos repulsam passos fuisse, ac per-
plexos esse, audirétque rem istam fieri non posse, istud
sanè sufficiens erat vt ipsam in permagnam desperati-
onem deiiceret. Attamen non desperauit mulier: sed
quum videret patronos suos nihil efficere, pulchra
quadam inuerecundia inuerecunda fuit. Antea enim in
conspectum venire non audebat (clamat enim, inquit,
post nos) quando verò consentaneum erat vt ipsa re-
bus desperatis longius abiret, tunc propius etiam acce-
dit, atque adorat, dicens: Domine, adiuua me. Quid
hoc est, mulier? num plus fiduciæ habes quàm Aposto-
li? num plus virium? Fiduciæ quidem, inquit, & virium
nequaquam, quin & pudore abunde suffundor: attա-
men ipsam inuerecundiam pro supplicatione propo-
no. Meam, spero, fiduciam & libertatem reuerebitur.
Sed quid hoc? an non audiuisti ipsum dicentem, *Non
sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël?* Audi-
ui, inquit: sed ipse Dominus est. Propterea non dice-
bat, ora & precare: sed, adiuua me. Quid igitur ipse
Christus? ne istis quidem fuit contentus, sed rursum
desperationem auxit, dicens: *Non est bonum sumere pa-
nem filiorum, & mittere canibus.* Ita quando responsum
ei dedit, tunc magis quàm prius silentio exulcerauit: ac
non iam ad alios causam traducit, nec se non esse mis-
sum affirmat: sed quantò illa feruentius orat, tantò ip-
se vehementius retrudit: nec oues Iudæos amplius,
sed filios, ipsam verò canem appellat. Quid igitur mu-
lier? Ab ipsis Christi verbis deprecatoriam orationem
connectit: Nam & si canis sum, inquit, non tamen pe-
nitus aliena sum. Rectè igitur Christus dicebat, in iu- Ioan. 6.
dicium se in mundum venisse. Philosophatur alieni-
gena fœmina, & dum contemnitur, singularem pa-
tientiam, præcipuámque fidem ostendit. Iudæi verò
tanto affecti honore, tot tantísque miraculis admoni-
ti, mala pro bonis referunt. Non enim ignoro, inquit,
quin necessaria hæc alimenta filiis seruanda sint: ve-
rumtamen cur ego vetor, etiam si canis sum? Nam si
nefas est quicquam accipere, nec micæ quidem sumen-
dæ sunt: sin verò licet quodammodo participare cani-
bus, non omnino ipsa prohibeor, sed potius hac ra-
tione participare debeo. Hac de causa certè Christus
eam repellebat, nouerat enim ipsam ista dicturam, id-
eo negabat gratiam, vt philosophiam eius omnibus pa-
tefaceret, non quia curare filiam eius nolebat, quam
certè curauit: sed quod ad Centurionem dixit, Ego Supra 8.
veniens curabo ipsum: vt reuerentiam, & fidem illius
nos perdiscamus, ac audiamus dicentem: Non sum
dignus vt intres sub tectum meum, quódque in fluxum
sanguinis patiente fecit: Ego, inquit, noui virtutem ex Supra 8.
me egressam: vt & miraculum, & fides illius pateret: Marc. 5. & Luc. 8.
quod denique in Samaritana, vt nec redarguta qui- Ioan. 4.
dem destitisse nosceretur, hoc in loco facit: noluit enim
talem tantámque mulieris virtutem ignorationis te-
nebris obfuscari. Non ergo quia negligebat, verum vt
repositum atque absconditum in animo eius virtutis
thesaurum in lucem protraheret, eam repellebat. Tu
verò non fidem solùm illius, verumetiam humilitatem
mecum admirare: nam cùm ipse Iudæos filios appel-
lasset, adeò procul aberat, ne liuore alienæ laudis con-
taminaretur, vt maius adiecerit, atque dominos nun-
cupauerit. *Etenim catelli*, inquit, *edunt de micis quæ cadunt
de mensis dominorum suorum.* Vides prudentiam mulie-
ris? vides quo modo nec contradixit, nec aliorum lau-
dibus doluit, nec, quia contemni videbatur, molestè
tulit? vides magnitudinem animi, atque constantiam?
non est bonum, ipse dicebat: atque illa, vtique Domi-
ne, respondebat. Filios ipse Iudæos vocauit, illa domi-
nos: in conditionem canem illam locauit, & confe-
stim ipsam conditionem canum atque statum vltrò il-
la subiunxit. Mirabilis tibi hæc videtur humilitas: au-
dias & Iudæorum iactantiam: Semen, inquiunt, Abra- Ioan. 8.
ham sumus, & nulli vnquam seruiuimus, & ex Deo na-
ti sumus. Non sic certè mulier, sed quemadmodum se
canem, ita illos dominos appellauit, & hac humilitate
ex abiecta conditione canum vendicata, filia facta est.
Quid igitur Christus? *Magna est fides tua, ô mulier.* Ideo
certè eam repellebat, vt ad hanc vocem consequentia
rerum conueniret, vt fulgente corona mulierem orna-
ret. *Fiat*, inquit, *tibi sicut vis.* Ac si diceret, fides quidem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tua maiora quàm petis posset impetrare, verumtamen A fiat vt vis. Hæc vox illi affinis est, qua dictum est: Fiat Genes.1. cœlum, & factum est cœlum. *Saluata est enim,* ait, *filia eius ab illa hora.* Perspicis iam non parum ab ipsa ad curationem filiæ collatum fuisse, propterea nec dixit Christus, sanetur filia tua: sed magna est fides tua, fiat tibi vt vis: vt nos discamus non otiosè, nec assentationis gratia ita ipsum dixisse, sed eximiam † illius virtutem, ac fidem] prædicare voluisse: rerum enim euentus facilè fidem illius docuit. Sanata est enim, inquit, statim filia eius. Tu verò diligenter considera, cùm nihil ab Apostolis in re mulieris factum fuerit, totum ab ipsa fuisse perfectum: tantum quippe potest iugis & feruens oratio: Mauult enim nostram Deus, qui rei sumus, quàm aliorum pro nobis orationem. Nam quamuis maiore illi ad Christum potiebantur libertate, magnam tamen mulier patientiam ostendit, & exitu ipso rerum facillimè intellexerunt Apostoli, quàm ob rem non statim ipsis quod pro ea petebant, concessit. *Et cùm transisset inde Iesus, venit secus mare Galilææ, & ascendens in montem, sedebat ibi: & accesserunt ad eum turbæ multæ habentes secum claudos, cæcos, mutos, debiles, & multos alios: & proiecerunt eos ad pedes Iesu, & curauit eos: ita vt turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, & claudos ambulantes, & cæcos videntes: & magnificabant Deum Israël.* Nonnumquam quidem ipse ciuitates ac vicos circuit, nonnumquam sedet, expectátque laborantes, & claudos ad cacumina montium ascendere facit. Nec fimbria vestimenti modò tangitur, sed sublimiores iam animo, qui adeunt, ad pedes se ipsius proiiciunt, & dupliciter fidem suam ostendunt: quia claudi ascenderunt, & quia nihil aliud quæsierunt, sed solum coram eo proiecti, posse sanari crediderunt. Et erat ingens omnium admiratio, cùm multos qui prius ab aliis portabantur, iam ambulare viderent, ac cæcos vernere, nec ductore opus habere. Etenim multitudo eorum qui curati fuerant, & summa curationis facilitas obstupescere vniuersos co- C gebat. Perpendis quia Chananæam quidem tardius, & quasi virtute illius inductus, tandem curauit, hos verò confestim vt ad eum peruenerunt: non certè quia meliores illa fuerunt, sed quoniam fide illa multò istis feruentior. Quocirca tardior tunc fuit, vt perseuerantia mulieris ostenderetur: at verò istis statim quod petebant concessit, vt Iudæorum non credentium ora magis obstrueret, & nullus eis defensionis locus relinqueretur. Nam quo maiora quis beneficia consecutus est, eo maiori subiacet culpæ, si nullo beneficiorum aceruo victus, in ingratitudine pertinaciter perseuerat. Qua de re locupletes quoque, quia nulla copia rerum facti sunt meliores, multò magis quàm pauperes punientur. Nec volo mihi respondeas, quia misericorditer aliquid ediderunt: nam nisi liberaliter secundum rerum tuarum affluentiam dederis, non omnino pœnas euitabis. Non enim mensura rerum quæ offeruntur misericordia iudicatur, sed largitate ac liberalitate mentis & animi. D Quod si huiusmodi homines puniantur, multò magis vexabuntur, qui superflua dirimunt, sibi tristega & quadristega fabricantes, nulla cura esurientium commouentur: qui vnde argentum colligant, perspiciunt: quo modo rectè collocent, nec cogitant quidem. Verum quoniam & de misericordia & benignitate mentionem feci, age iam sermonem illum suscipiamus, quem nudiustertius de humanitate ac liberalitate facientes, infectum reliquimus. Meministis profectò quando iampridem de inani calceamentorum cura, de vano circa huiusmodi res labore, de adolescentium molli ornatu disputabam, quo modo à liberalitate & misericordia ad illa crimina lapsa nobis oratio fuit. Quod igitur fuit exhortationis illius initium? Quòd ars quædam liberalis misericordia sit, in cœlis habens officinam, & non hominem, sed Deum magistrum possideat: deinde quærentes quidnam ars sit, & quid non sit ars, in vanos labores, & inutiles artes excidimus: & sic etiam huius artis, qua faciunt calceos, superfluitatem reprehendimus. Habetisne memoriæ? Age igitur, hodie illum sermonem resumamus, ostendamúsque quomodo ipsa misericordia ars sit cæteris omnibus multò præstantior. Et certè si illud maximè proprium artis esse ab omnibus prædicatur, vt ad vtilissimum finem rectissimè tendat, nec vtilius quicquam liberali misericordia facilè inuenies: nemo ipsam & artem esse, & cæteris excellentiorem dubitabit. Non sanè hæc nobis calceamenta, nec vestimenta contexit, nec luteas domos construit: sed vitam æternam facilè præbet, ac à manibus mortis eripit, & tam in hac vita, quàm in futura præclaros reddit. Hæc mansionem nobis in cœlo æ- B dificat, & æterna tabernacula præparat. Hæc lampades nostras extingui non sinit, hæc vestes nostras ita lauat, vt non sordidi, sed niue candidiores ad nuptias peruenire possimus. Si enim fuerint, ait, peccata vestra sicut Esa.1. puniceum, super niuem dealbabo. Hæc non patitur eò Luc.16. nos detrudi, vbi dies ille cruciatur, sed in sinum Abrahæ certo itinere ducit. Et cæterarum quidem artium quælibet vnum aliquem finem respicit, vt agricul- Agricultura. tura hominis pabulum, ars textoria nostrum amictum, imò verò nulla sola finem suum consequitur. Et primò, si placet, in agricultura id curiosius perscrutemur. Hæc igitur nisi ferrarius faber vomerem, ligonem, falcem, securim, aliáque complura ipsi mutuetur, nisi lignarius aratrum ipsi fabricet, & iugum præparet, & vehiculum ad terendas construat spicas, nisi à coriariorum artificibus corrigiam sumat, nisi ædificator aliquis arantibus tauris stabulum, & colentibus agrum tugurium struat, nisi denique pistoris artificium tandem accedat, vniuersa penitus agricultura euanuit. Non aliter etiam textoria multas ad auxilium sui artes conuocat, quæ si opitulatæ non fuerint, remanet inutilis: ita singulæ artium altera alterius auxilio eget. Cùm verò liberaliter misericordia moti, quippiam facimus, nulla re alia præter voluntatem nobis opus est. Si autem putas magno pecuniarum cumulo, & vestibus, & calceis sibi opus esse, illa Christi verba quæ de vidua dixit, tecum Marc.12. & Luc. retracta. Et si adeò pauper es, vt mendicare cogaris, 21. nulla tamen animi sollicitudine laborabis. Nam si duo minuta miseris, dummodo id ex facultate feceris tua, præclarum facinus edidisti. Si panis frustum, quia nihil aliud habeas dederis, ad huius artis fastigium ascendisti. Hanc igitur artem, oro, professi, diligenter officia eius persequamur. Hæc vberiores nobis offert fructus, quàm imperia huius vitæ ac regna. Non enim hac re solùm cæteris præstat, quia aliis artibus non indiget, verumetiam quia multa nobis & varia sola construit. Nam & domos perpetuas in cœlis condit, & facit vt professores eius immortali morte non moriantur, & thesauro locupletat inexhausto, qui nec à latronibus, nec à vermibus, nec à tineis, nec à longis temporum spatiis violatur. Si quis te docere pollicetur, quo artificio ad longiora tempora fruges terræ posses reseruare: quid non dares, vt tibi frumenta magnis temporibus illæsa permanerent? Ecce autem hæc non vt frumenta solum, sed vt cuncta quæ habes in æternum conserues, docet, & pollicetur, & potest: nec solum quemadmodum externæ res tuæ, verumetiam quomodo tam corpus, quàm anima perpetua integritate fruantur, diligenter instituit. Cur tempus conterimus in exponendis sigillatim artis huius officiis? Misericordiam vocat artem.

Hæc eru-

Hæc erudire solet quo pacto possis Deo similis esse, A quod omnium bonorum caput & summa est. Sed breuiter fines quoque ipsius perstringamus, vt videas quomodo ad plurima conducit, nulla arte alia adiuta. Vestimenta igitur texit, domos construit, thesauros immarcescibiles reddit, mortem superari facit, diabolum nobis domat, Deo denique similes efficit. Quid igitur hac arte vtilius atque præstantius? Nam aliæ ad ea quæ dicta sunt, simul cum hac vita prætereunt: & cùm artifices ægrotant, labascunt, opera quoque ipsarum non permanent, & ad hæc labore ac longo egent tempore, aliisque quàm plurimis. Hæc verò post hanc vitam maximè fulget, post mortem maximè radios suos & opera sua ostendit: nec spaciis temporum longioribus, nec labore improbo, nec alia re huiusmodi eget: quódque maius est etiam, quando ægrotatione laboras, quando senio cófectus iaces, operatur, & tecum similiter ab hac vita egreditur, nec te vnquam solum deserere patitur. Hæc eloquentissimis te oratoribus superiorem facilè B reddit: & cùm illis dicendi arte præstantibus plures inuideãt, & prosperitate illorum tabescant, qui hac in arte excellunt, ab vniuersis benedicuntur. Accedit, quòd illi ad mortalium tribunalia venientes, ab iniuria nonnullos defendunt, & nonnumquam etiam iniuriãtibus Misericordia nobis patrocinatur. patrocinãtur: hæc verò ad tribunal Christi accedit, nec ipsa solùm patrocinatur, verùm etiam ipsi iudici persuadet, vt reo patrocinetur, & pro eo sententiam ferat: sed & si millies homo peccauerit, coronat tamen eum, & Luc.11. laudibus effert. Date enim eleemosynam, & omnia erunt munda. Sed quid de futuris bonis loquor? Multos in hac vita ego arbitror homines, si optio ipsis detur, eloquentes ne se oratores, an misericordes humanos & benignos vellẽt prædicari: hoc vltimum potius electuros. Et meritò quidem. Nam si volubilitatem linguæ de medio tollas, nihil mali humana vita patietur, quippe quę multò antequam ars oratoria & perpolita orationis compositio inuenta sit, tunc consistebat. Sin verò C misericòrdiam sustuleris, omnia funditus euertes. Nam quemadmodum nauigare tutè per maria nunquam poteris, si portus & stationes omnino destruas, sic nulla erit hæc vita, si misericordiam, indulgentiam, humanitatem radicitus extirpaueris. Quas ob res non voluntati solùm hanc tantam rem Deus commisit, verumetiam multas nõ paruas eius partes naturæ ipsi inseuit. Natura enim duce patres & matres liberorum miserentur, & filij parentum: neque id in hominibus tantum, sed in rationis etiam expertibus fieri videmus. Natura duce fratres alter in alterum humaniores sunt: propinqui etiam ac affines, & simpliciter homines inter se vniuersi. Natura vtique proni ad misericordiã facti sumus. Quamobrem quum aliquos iniuria affici videmus, molestè ferimus, commouemur, irascimur: & cædi homines aspiciẽtes, aut interimi, flectimur: & cùm flentes cernimus, collachrymamus. Quandoquidem enim vt istud efficiatur & consummetur, Deo summopere placet: iussu e- D ius natura nobis ad ista plurima contulit, vt saltem ex hoc intelligamus, quàm magnæ Deo curæ misericordia sit. Hæc igitur nobiscum versantes, nosipsos, liberos, propinquos, atque affines ad misericordiæ scholam perducamus: istud in primis homo discat. Istud enim est hominem esse. Magna quippe res homo est, & preciosum quid est vir misericors. Qui hoc non habet, à natura hominis decidit, hoc sapientes facit. Et tu mira- Luc.6. ris si hoc homo est: hoc Deus est? Sitis enim misericordes, inquit, sicut & pater vester cœlestis misericors est. Discamus igitur hanc misericordiæ artem, non solum multorum, sed omnium gratia, præcipuè autem quia etiam nos magna opus habemus misericordia: ac ne tum quidem nos viuere existimemus, quum misericordiam non exercemus. Misericordiam porro quando dico, de illa dico, quæ auaritia vacat. Nam si quis suis contentus est, & nihil alteri largitur, immisericors est: quo modo misericors erit, qui aliena rapit, etiam si contrà inopibus subuenerit? Quòd si suis solùm frui, putatur esse inhumanum: inhumanius certè multò erit, si abstuleris aliena. Si igitur qui nihil iniuriati sunt, quoniam de suo non dederunt, punientur: quanto magis vexabuntur, qui alios suis priuant? Nolite ergo mihi dicere, quoniam si abstuli ab alio, huic tantumdem contuli. Hoc enim certè pessimum est. Par enim erat, eum ipsum qui passus iniuriam est, misericordiæ opera iuuari: nunc verò alios cædis, & quos non cæcidisti, curas, cùm æquum sit illos curare quos sauciasti: imò verò nullo modo cædere hominem, aut iniuriari oportet. Misericors enim non est qui curat quem vulnerauit, sed qui aliunde vulneratis medetur. Tuos ergo morbos diligenter cura, resarcias quæ laceraſti, imò verò noli alium lacerare, noli alij detrahere: ludentis enim est quotidie deiicere ac erigere, sed eriget deiectos vndecunque. Nec credas esse possibile eadem dando mensura, qua rapuisti, vulnus illud curare, quod per auaritiam abs te illatum est. Nam qui mnam rapuit, non erit sibi satis ad remedium huius vlceris, si pœnitentia pulsus, mnam misericorditer dederit, sed talento indigebit, propterea furti condemnatus quadruplum reddit. Cùm igitur fure multò peior rapax sit, cúmque ille quadruplum reddat: decuplum, imò verò multò plus restituere isto debet, atque vtinam etiam sic rapinæ sordes omnino detergamus. Non enim puto hanc illam esse misericordiam, cui magnus meritorum cumulus reseruetur. Quocirca Zachæus dicebat: Si quid Luc.19. calumniatus sum, quadruplum dabo, & mediam mearum rerum partem inopibus offeram. Quòd si quadruplum tempore legis redditur, quantò magis sub gratia? & si furem tantum restituere oportet, quantum rapacem? Nam præter damnum contumelioſa res rapacitas est. Quare si centuplum etiam dabis, vix totum reddidisti. Non temerè igitur diximus talentum esse offerendum, si mna tibi rapta sit. Quæ cùm ita se habeant, si hunc ordinem peruerteris, & integras aliorum hæreditates rapueris, pauca verò ex multis, & ea non illis, quibus iniuriam intulisti reddideris: quæ tibi satisfactio, quæ indulgentia, quæ salutis spes remaneret? Vis videre quàm magnum ex huiuscemodi misericordia facinus committas, audi scripturam: Sicut, inquit, qui fili- Ecclesiastici 34. um coram patre suo interficit, ita qui offert sacrificium ex pecuniis pauperum. Has intentatas nobis minas in corde primò scribamus, deinde hinc abeamus: has in parietibus, has in cubilibus, has vbique conscribamus, vt saltem harum minarum iugi memoria ingens semper, ac recens formido manus nostras à quotidiana cæde coërceat. Peior sanè multò quàm cædes rapina est, paulatim tabo pauperem consumens. Vt igitur hoc scelus euitare possimus, & nobiscum meditemur, & adinuicem hæc crebrò loquamur: hoc enim pacto etiam ad misericordiam erimus proniores, & fructus vberiores eius capiemus, & æterna bona consequemur, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi. Amen.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HOMILIA LIIII. EX CAP. XV.

IESVS autem conuocatis discipulis suis, dixit: *Misereor turbæ, quia triduo iam perseuerant mecum, & non habent quod manducent: & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via.* Quemadmodum superius cùm tale signũ facturus esset, primò corporis ægrotationes curauit: sic etiam in hoc loco à cæcorum atque claudorum curatione ad id tãdem deductus est. Cur autem tunc quidem discipuli eius, Dimitte turbas, dicebant: nunc verò nihil huiusmodi dicunt, præsertim tribus iam diebus exactis? Aut quia iam meliores facti erant, aut quia etiam multitudinem non nimia inedia vexari, sed glorificare Deum in his quæ facta erant, videbant. Tu etiam considera, quoniam etiam nunc non simpliciter, neque prius quam discipulos ad hoc prouocasset, ad agendum miraculos è peruenit. Nam turbæ quidem quæ ob morborum curam suorum ipsum petierant, non audebant panes petere: ipse verò qui misericors est, quique omnium curam gerit, etiam non petentibus præbet, & ait ad discipulos: *Misereor turbæ, quia triduo iam perseuerauerunt mecum, & non habent quod manducent: & ieiunos dimittere ipsos nolo.* Nam ne respondere possent, quia secum viatica portarunt, triduo iam mecum sunt, inquit. Ita etiam si quicquam secum habuerunt, consumptum esse debet: quocirca non in prima, neque in secunda die id fecit, sed expectauit vt omnibus consumptis, indigentia coacti maiori admiratione factum prosequerentur. Propterea dicit, ne deficiant in via, vt ostenderet non prope sibi esse domicilia, & simul aperiret nihil eis esse derelictum. Sed si non vis, quispiam obiiciet, ieiunos dimittere, cur miraculum non facis? Vt, inquit, verbis de hac re vltrò citróque datis, attentiores fiant discipuli, & fidem suam ostendentes, peterent panes produci. Sed illi non intellexerunt quamobrem ita locutus esset: vnde postea dixit ad eos, vt Marcus ait: Sícne sunt obturata corda vestra, vt oculos habentes non videatis, & aures habentes non audiatis? Qua enim de causa, nisi hoc esset, discipulis ostendere voluisset dignam esse turbam huiusmodi beneficio, ac misericordia se moueri super turbam addidit. Matthæus verò dicit quòd postea increpauit eos, dicens: Paruæ fidei, nondum intelligitis nec meministis quinque panum & quinque millium hominum, & quot cophinos sumpsistis? nec septem panum, & quatuor hominum millium, & quot sportas sumpsistis? Ita Euangelistæ concordes inter se sunt, discipuli autem adhuc serpunt. Et quamuis multa fecerit atque dixerit, vt prioris miraculi memoriam haberent, interrogando, respondendo, & quomodo ministerio ipsorum vsus fuerit, & quo modo eis corbes distribuerit: tamen quasi nulla re admoniti, imperfectiores adhuc respondent: *Vnde nobis in solitudine tot panes?* Sic & prius & nunc solitudinis meminerunt, quod quamuis ipsi ex imbecillitate dicebant, hinc tamen miraculum ab omni sinistra suspicione liberabant. Nam ne, quemadmodum diximus, cogitare quispiam posset à propinqua quadam villa aut vico panes assumptos fuisse, solitudo loci vndique idcirco declaratur, vt miraculi fides excrescat. Propterea & prius & nunc multò procul à vicis, atque habitatione hominum in deserto tale signum operatur. Sed discipuli horum nihil intelligentes: vnde nobis, dicebant, tot panes in solitudine? Putarunt enim ita Christum dixisse, quasi eis præciperet, vt ipsos cibarent. Ideo etiam superius dixit, Date vos eis manducare: vt commoti rogare ipsum compellerentur. Nunc verò non dicit, date vos ipsis manducare: sed quid? Misereor, inquit, & dimittere ieiunos nolo: mouens ac incitans ipsos eò intendere, vt ista ab illo petant. Verbis enim illis certè significatur, quòd poterat non ieiunos eos dimittere. id enim ostendebat cùm nolle se dicebat: sed postquam & multitudinis, & loci, & solitudinis ipsi mentionem fecerunt: (vnde namque nobis in solitudine, inquiunt, tot panes, vt tantam turbam saturemus?) & ne sic quidem quod Christus dixerat intellexerunt, tunc suum ipse opus peragit, *Et ait eos, Quot panes habetis? At illi dixerunt: Septem, & paucos pisciculos.* Et non iam dicunt, Sed hæc quid sunt inter tam multos? quemadmodum prius dixerunt. Sic etsi rem totam non comprehenderent, sublimiores tamen paulatim fiebant: quamobrem ipse quoque, vt mentem eorum erigeret, simili quodam modo vt prius interrogauit, vt ipso interrogationis modo, & (vt ita dicam) vultu interrogantis prioris miraculi recordarentur. Vidisti discipulorum imperfectionem, vide nunc quàm sublimi postea fuerint philosophia, quantam curam veritatis habuerunt. Hæc enim ipsi scripserunt, & tamen culpam suam, quamuis non paruam, occultare noluerunt. Magnum enim erat profectò crimen, miraculi & inauditi & recentis nullam tenere memoriam. Qua de re increpati, nec increpationem quoque siluerunt. Ad hæc illud etiam philosophiæ tu genus admirare, quòd veraciter ventris superiores nulla præparandæ mensæ sollicitudine tenebantur. Triduo enim iam in vasta solitudine commorantes, septem solummodo panes habebant. Sed Christus cætera quidem omnia similiter vt prius. Recumbere namque illos fecit in terra, & in manibus discipulorum panes multiplicauit. *Iussit enim*, ait, *turbis recumbere super terram, & accipiens septem panes & pisces, & gratias agens fregit & dedit discipulis suis: discipuli autem populo.* Finis verò miraculi huius prioris non fuit similis. *Manducauerunt enim omnes*, inquit, *& saturati sunt, & quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas. Qui comederunt autem, erant quatuor millia, sine mulieribus & paruulis.* Sed curnam tunc quidem cùm quinque millia virorum comederent, duodecim orbes superfuerunt, nunc autem septem sportæ postquam quatuor virorum millia comederũt? Quamobrem igitur, quamuis pauciores essent comedentes, pauciora relicta sunt? Istud vtique dicere possumus, quòd aut multò maiores cordibus sportæ fuerunt, aut ne reliquiarum æqualitas miracula cõfunderet, & obliuionem obduceret, hoc discrimine ac differentia vtriusque signi memoriam voluit confirmare: propterea tunc quidem discipulorum numero corbium numerum, nunc verò panibus sportas exæquauit. Accedit quòd ineffabilem quoque virtutem suã, & quòd omnia potestati suæ subiecta sunt, vt quoquo modo velit, nutu tantummodo peragat, omnibus monstrauit. Non enim erat paruæ virtutis ita in vtroque numerum posse conseruare, vt cùm multitudo comedentium alia atque alia fuerit, nec plura nec pauciora reliquiarum fragmenta, quàm tunc duodecim corbes, aut nunc septem sportæ superfuerint. Signo autem facto relicta turba vt prius, nauigio recessit, sicut ait Ioannes. Nam quoniam nullo miraculo ad sequendum ipsum magis turbæ inducebantur, quàm hoc signo, quippe qui non solùm sequerentur, verumetiam ad regni fastigium promouere vellent: vt omnem tyrannidis suspicionem euitaret, post huiusmodi miracula confestim recedit, nec pedibus ne ipsum sequerentur, sed nauigio. *Et dimissa turba*, inquit, *ascendit in nauiculam, & venit in fines Magdala: & accesserunt ad eum Pharisæi & Sadducæi tentantes, & rogauerunt eum vt signum de cælo eis ostenderet. Ipse autem ait eis: Vespere facto dicitis, serenum erit, rubicundum enim cœlum est: & mane, hodie*

mane, hodie tempestas erit, rutilat enim triste cœlum. Hypocritæ, faciem quidem cœli nostis diiudicare, signa verò temporum non potestis? Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Et derelinquens eos abiit. Marcus autem dicit, quòd cùm accessissent, & quærerent, ingemuit spiritu: ac dixit, Quid generatio ista signum quærit? ita quòd cuiusuis animam hæc interrogatio ad iram posset concitare: non commouetur tamen ille misericors & protector hominum: sed tanquam miseros ac incurabili morbo laborantes miseratur eos, qui post tot tantáque suæ virtutis signa, vt tentarent accesserunt. Non enim vt crederent quærebant, sed facultatem reprehendendi inuestigabant. Nam si quasi crediturí ipsum adiissent, dedisset vtique. Nam qui Cananææ dixit: Non est bonum panem filiorum canibus mittere, & tamen præbuit ei quod quærebat: multò magis istis petentibus præstitisset. Idcirco etiam hypocritas appellauit, quia aliud ore proferebant, aliud mente tegebant. Quamuis inde quoque pateat, nulla illos fide adiisse, quòd increpati & redarguti non permanserint, neque dixerunt: quia ignoramus, idcirco discere quærimus. Quæ porrò signa de cœlo petebant? Certè vt Solem sisteret, aut Lunam frænaret & inhiberet, aut fulmina proiiceret, aut aëra commutaret, aut huiusmodi aliquid faceret. Quid autem ipse ad hæc ait? Faciem cœli diiudicare scitis, & signa temporum non potestis? Vide mitissimum ac humillimum animum. Non enim solum negauit vt prius, verumetiam quamuis non discendi gratia quærerent, causam subiecit, quare negauit. Sicut enim in cœlo, inquit, aliud tempestatis, aliud sereni temporis signum est, & nullus signo tempestatis consPecto tranquillitatem expectat: neque in tranquillo tempore tempestatem seruatur: eodem quoque modo in me cogitare oportet. Aliud enim tempus huius aduentus est, aliud futuri. His miraculis quæ in terra facimus, vobis nunc opus est: quæ verò in cœlo fiunt, illi tempori reseruantur. Nunc enim quasi medicus veni, tunc quasi iudex adero: nunc quasi errabundas oues reducam, tunc verò factorum rationes repetam. Et nunc quidem occultius, tunc verò apertissimè cœlo implicato, Sole abdito, Luna obscurata veniam, tunc virtutibus cœlorum commotis, quasi fulgur subitò meus aduentus omnibus apparebit: sed horum opportunum nunc tempus non est: non enim ad hæc, sed ad passionem veni, atque ad mortem. Non audistis Prophetam, dicentem: Non contendet, neque clamabit, neque audietur foris vox eius? Et alium Prophetam rursus: Descendet sicut pluuia in vellus. Quòd si quis ea signa commemorat, quæ Pharaonis tempore facta fuerunt, sciat non iniuria tunc ad incutiendum hosti terrorem illa facta fuisse, quibus non eget, qui ad amicos ac domesticos venit. Quo modo autem & magna illa quæ petitis faciam, cùm parua hæc non credatis? Parua quantum ad ostentationem dico. Nam virtute quidem multò hæc illis maiora fuerunt. Quid enim peccatorum remissioni exæquabitur? aut quid maius excogitari potest, quàm mortuos excitare, dæmonia depellere, dissolutam corporis compaginem verbo consolidare? Tu autem cordis eorum tarditatem, & mentis cæcitatem considera, quo modo cùm audierint, quia non dabitur eis signum, nisi Ionæ Prophetæ, non interrogarunt. Oportebat enim certè, cùm non ignorarent, quæ illi Prophetæ accidissent, cúmque iam iterum idipsum audirent, diligentius rogare, vt discerent quídnam erat quod dicebatur. Verùm, vt diximus, non discendi, sed tentandi gratia ista dicebant, ac ideo ipsis relictis abiit. *Et cùm venissent*, ait, *discipuli eius transfretum, obliti sunt panes accipere. Iesus au-*

tem dixit eis: Intuemini & cauete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum. Quare non apertè dixit, Cauete diligenter à doctrina eorum? Quia cùm sciret præteritarũ rerum iam esse oblitos, in memoriam ipsis eas reducere voluit, ac ita occasione ab ipsis habita opportunè reprehendit, adeò vt nullam criminatio hæc molestiam afferre videatur. Et quamobrem, inquies, tunc non increpauit, quando dixerunt: Vnde nobis in solitudine tot panes, præsertim cùm non parua opportunitas reprehendendi sibi daretur? Ne videretur cum ostentatione ad signa procurrere, quamuis coram multitudine reprehendendi opportunitas non est ei, qui ambitionem & inanem gloriam contemnit. Nunc verò hæc idcirco etiam iustior est increpatio, quia bis iam eodem miraculo facto tales adhuc permanerent. Idcirco altero miraculo facto tunc ipsos increpat: cogitationes enim ipsorum in medium producit. Quid porrò cogitabant? Ipsi autem, inquit, cogitabant in seipsis dicentes, quia panes non accepimus. Adhuc enim purgationibus & obseruationibus ciborum Iudaicis nimium sollicitabantur, quorum omnium gratia acrius inuehitur, dicens: *Quid cogitatis inter vos modicæ fidei, quia panes non sumpseritis? Nondum intelligitis, neque recordamini?* Obcæcatũ est cor vestrum? oculos habẽtes non videtis, aures habentes non auditis? *Non recordamini quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos sumpsistis? neque septem panum in quatuor millia hominũ, & quot sportas sustulistis?* Vides tanta eum ferri in illos acrimonia, vt nunquam alibi sic vehementer increpasse ipsos videatur. Cur igitur ita facit? Vt rursum ciborum obseruationem qua præoccupati erant, eiiceret: quapropter tunc qtidem solummodo dixit, Sine intellectu estis? non intelligitis? nunc verò magna cum vehementia, modicæ fidei ait. Non enim semper verborum remissio laudabilis est. Quare sicut magna vti libertate apud eum ipsis concedebat, sic etiam si opus erat reprehẽdebat, vt hac varietate rebus accommodata mirabili sua dispensatione salutem eis conferret. Tu autem animaduerte quo modo mansuetudo increpationi permixta est. Quasi enim excusando increpata responderit, dixit: Nondum intelligitis, nec recordamini quinque panum, & quinque millium, & quot corbes accepistis? & septem panum, & quatuor millium, & quot sportas accepistis? Nam idcirco tam eorum qui manducarunt, quàm reliquiarum numerum posuit, vt & præterita memoria colligerent, & ad futura se attentiores præberent: atque vt videas quantum hæc increpatio valuit, & quo modo mentes eorum quasi somno grauatas excitauit, ipsius Euangelistæ verba diligenter considera. Nam cùm Iesus nihil amplius dixisset, sed solummodo increpasset, atque subiunxisset, quo modo nõ intelligitis, quia non de panibus dixi vobis, attendite à fermento Pharisæorum & Sadducæorum, tunc tandem Euangelista illud addit: *Et tunc intellexerunt, quia non dixerit, cauendum à fermento panis, sed à doctrina Pharisæorum & Sadducæorum*, quanquam ipse non fuisset istud interpretatus. Vides quàm multa præclara vehemens efficit increpatio. Nam à Iudaicis obseruationibus eos abduxit, & desidia remota multò attentiores reddidit, & ad maiorem fidem inuitauit, vt iam non formident, neque contremiscant, si quando pauciores habere panes videantur, ne inediæ malo pereant, sed omnia hæc ceu caduca omnino negligant. Sic igitur etiam nos non vbique, neque semper assentari subiectis velimus, nec optemus vt principes nobis adulentur. Nam vtrisque remediis istis mens hominum atque animus indiget. Vnde & Deus vniuersum quoque orbem terrarũ ita gubernat, vt modò hoc, modò illud adhibeat, nec secũda semper

Universidad de Deusto
Biblioteca

concedat, nec aduersa per se sola esse permittat. Et A quemadmodum nox est post diem, & dies post noctem, & æstas atque hyems vicissim: eodem nos quoque modò aliàs dolor vexat, aliàs voluptas permulcet: & nunc quidem ægrotatione laboramus, modò autem fruimur sanitate. Non ergo admiremur quando morbis exagitamur, quoniam etiam quando nobis sanitas adest, admirari oporteret: nec conturbemur cum nos dolor exagitat, quoniam etiam quando gaudemus, conturbari par esset. Naturali enim successione ac consequentia hæc omnia fiunt. Cur igitur admiraris, si hæc tibi accidat rerum vicissitudo, cùm & priscis illis, atque sanctissimis viris non aliter accidisse perspicias? Verùm vt inducas animum ita id esse, illius vitam hominis in medium producamus, quam procul maximè ab omni cura constitutam, ac voluptatis plenam fuisse arbitrare. Vis igitur Abrahæ vitam ab ineunte adolescentia examinemus? Quid ergo ille adolescentiam ingressus statim audiuit? Exeas de terra, inquit, atque cognatione B
Genes.12. tua. Perspicis rem doloris plenam illi mandari: vide nūc
Ibidem. prospera succedere: Veni in terram, quā ego tibi monstrauero, ac faciam te in gentem magnam. Quid deinde? postea quam in terram illam peruenit, ac ceu in portum quēdam deductus fuit, nihilne aduersi accidit? Minimè: sed alia rursum grauiora irrumpunt, fames, transGen. 12. migratio, vxoris rapina: & post ista alia bona succesIbidem. serunt, Pharaonis videlicet vulnus, dimissio, honor, & magnifica munera illa, & in domum suam regressio. Cætera quoque omnia hanc inter se habuerunt catenam, quæ ex prosperis & aduersis connectebatur. Apostolis quo2.Cor.1. que similia euenerunt. Vnde Paulus dicebat: qui nos consolatur in omni tribulatione, vt possimus nos quoque illos consolari, qui in omni tribulatione sunt. Sed quid hæc ad me, dices, qui semper in doloribus sum? Non sis ingratus, neque animo ita duro, vt meliora non cognoscas: nō enim in doloribus quisquam semper esse potest, quippe cum ipsa natura id sufferre nequeat. Verū C quoniam in gaudio semper esse vellemus, idcirco in doloribus semper esse putamus. Nec hac de causa solum, verumetiam quia secundarum rerum obliuio citò irrepit, aduersarum verò memoria iugis atque stabilis est: idcirco in doloribus nos semper esse contēdimus, cum impossibile sit hominem semper in doloribus esse. Sed si vultis conditionem quoque illorum inuestigemus, qui aut deliciis, & abundantia rerum omnium affluunt: aut viuendi angustia, omni onere ac ærumna opprimuntur. Facilè namque vobis ostēdemus neutram vitæ conditionem dolore aut voluptate carere. Afferantur autem in medium rex, & plebeius: ac etiam deliciis defluens iuuenis, qui magnam diuitiarum copiam à parentibus susceperit: & huic oppositus mercenarius aliquis, qui quotidiano labore panem inquirat. Vis igitur illius angores primo perstringamus, cui magna facultas affluit rerum? Cogita quibus illius mentem fluctibus par est agitari, cùm maiorem appetat gloriam D quàm assequi possit: cùm nonnunquam à seruis suis etiam despiciatur, cùm à minoribus negligatur, cùm mille luxum ipsius accusent, atque in aliis detrahant, quę in huiusmodi diuitiis euenire solēt. Nec posset quisquam oratione assequi, quæ incommoda diuitias consequuntur. Quis enim recēsebit angustias, offensiones, damna, inuidentium insidias, qui si non potuerint falsis criminibus opes eius in seipsos traducere, mille calumniis hucatque illuc hominem trahentes, quiescere non sinunt? Videas nunc mercenarij voluptates. cunctis enim huiusmodi molestiis vacat: si quispiam vituperat, qui nullo se maiorem ducit, non dolet, non angitur, neque timet ne magnum aliquod pecuniarum damnum patiatur. vescitur voluptuosè, dormit tutus: non ita Falerno vino gaudent qui luxu pereunt, vt hic fontibus & liquido fluuio. Verum quia forsan quæ dicta sunt, tibi nō sufficiunt, vt præclara sit nostra victoria, age iam plebeium & regem inter se comparemus. Videre igitur licebit illum quidem magna voluptate commotum ridere, ludere, gestire: hunc verò diademate ornatum, & purpura resplendētem, mille curis & sollicitudine continua vexari & timore, ita etiā metu nonnunquam palescere, vt morti propinquus esse videatur. Non est igitur, non est sine dolore vitam hominis inuenire: sed nec voluptatis quidem omnino expertem. Non enim posset natura humana, vt iam diximus, perferre. Quòd si alius alio plus gaudet aut dolet, non naturæ rerum istud, sed hominis animo tribuendum est. Si enim continuò gaudere volumus, multas certè adhuc causas habemus. Nam si virtuti nos tradamus, nihil poterit nobis dolorem inferre. Hæc enim spem bonam suggerit, semper hæc & Deo nos reconciliat, & hominibus gratos facit, hæc denique ingenti animum replet voluptate. Nam & si laboriosa virtutis operatio esse videtur, facilè tamen efficit, vt cùm nullis stimulis conscientiæ animus pungatur, magno semper fruatur gaudio, adeò vt nemo id oratione possit exponere. Quid enim tibi videtur in præsenti vita iucundum atque suaue? Mensáne delicioſa, bona valetudo corporis, ingens gloria, diuitiarum copia? Sed hæc illi voluptati, quæ virtutem consequitur, collata: amata, & mœstitiæ plena videbuntur. Nihil enim iucundius est, quàm conscientia proba, & spes futurorum certior. Quòd si vultis istud dicere, iam morituram hominem, aut senio confectum, cùm ei in memoriam primùm reduxerimus, magnificæ mensæ, insignis gloriæ, præcipuæ laudis, & gestarum rerum quas ex officio virtutis operatus est: tunc demum interrogemus, quibus maximè gaudet, & videbimus non mediocri pudore ipsum propter ipsa commoueri: propter hæc autem quæ rectè fecit, tanta lætitia gestientem, vt salire & volare videatur. Sic & Ezechias cum ægrotaret, non mensæ deliciarum plenæ recordabatur, non eximiæ gloriæ, non regni, aut imperij, sed iustitiæ ac rectæ conscientiæ. Memento enim, inquit, Domine 4. Reg. 20. qualiter ambulauerim in conspectu tuo in via recta. Paulum quoque vide propter hæc exultantem, atque dicentem: Certamen bonum certaui, cursum consum- 2.Tim. 4. maui, fidem seruaui. Sed quid aliud, inquies, Paulus poterat dicere? honores certè, gloriam, cæteráque huiusmodi nec parua, nec pauca. An non audis ipsum Galat. 4. dicentem: Sicut angelum Domini suscepistis me, sicut Iesum Christum: & si possibile fuisset, oculos vestros effodientes dedissetis mihi? & quoniam pro anima eius collum suppossuerunt. Nihil autem horum omnium, sed labores, sed pericula, & repositas pro his sibi coronas in medium attulit. Neque id iniuria. Illa enim cum hac vita finiuntur, hæc verò nobiscum egrediuntur: & illorum quidem rationes exiguntur, pro his autem præmia nobis retribuentur. An ignoratis quemadmodum in die nouissimo acerba ipsi animæ recordatio est delictorum? quo modo funditus cor cuertit, quo modo summis doloribus cruciat? Tunc igitur, tunc iucunda bene actæ vitæ memoria, quasi tranquillitas post tempestatem veniens, conturbatam facilè animam consolatur. Verùm si ab omni temulentia liberi vigilaremus, per totam vitam huiusmodi nobis formido adesset: sed quoniam sicut insensati vitam agimus: in decedendo ex hac vita proculdubio aderit. Nam & qui vinctus propter sua scelera fuerit, cùm soluitur vt ad iudicium produci queat, tunc maximè tremit, tunc formidat, quando ad tribunal iudicis iam appropinquat,

quat, quando ad relationem rationum iam deuenit. Idcirco terribiles visiones narare solent morituri, quarum speciem nullo modo ferentes, & lectulos plerumque ipsos magno iacentes impetu concutiunt, & toruis eos qui adsunt aspiciunt oculis: vel quia vi à corpore resciditur reluctans anima, vel quia spirituum speciem ferre non possunt. Si enim terribiles intuiti homines metu concutimur, quid faciemus cum minaces angeli, & rescindentes animā à corpore virtutes nos inuadunt, Luc. 16. cum à corpore anima tracta multa incassum deflet? Sic & diues ille post mortem multùm plorauit, & nihil sibi prodesse potuit. Hæc igitur nobiscum versantes & reuoluentes, ne quid tale ipsi quoque patiamur, iugem horum omnium timorem retineamus, si volumus re ipsa timorem & punitionem effugere, & ad æterna bona peruenire, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

HOMIL. LV. EX CAP. XVI.

CVM *venisset autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi, interrogabat discipulos suos dicens: Quem me dicunt homines esse filium hominis?* Cuius rei gratia nomen illius scripsit, qui vrbem cōdidit? Quoniam alia etiam est, quæ Stratonis dicitur, nec in illa, sed in hac discipulos interrogauit. Procul enim à Iudæis abduxit, vt ab omni solicitudine liberi non dubitarent apertè dicere quæ sentirent. Cur autem nō statim de sua, sed de multorum prius sentētia ipsos interrogauit? Vt opinione aliorum expositā, rursus interrogati, Vos autem quem me esse dicitis? ab ipso interrogandi modo, non abiecta atque humilia, vt multi: sed sublimiora, ac diuiniora responderent. Qua etiā de causa non illico ab ipso prædicationis initio hæc quæsiuit, sed quando multa coram ipsis operatus miracula iam fuit, cùm sublimiora dogmata perceperint, cōcordia siue consensu.) cùm de sua deitate ac † æqualitate] cum Patre multa significauit, tunc demum ad hæc interroganda descēdit. C Nec dixit, quémnam me asserūt esse scribæ & Pharisæi, quamuis crebrò etiam ipsi collocuti cum eo fuerint, & miracula nonnulla viderint: sed quem me, inquit, homines esse dicunt? Populi certè opinionem de se quærebat: quoniam & si deiectior esset, procul tamen ab omni erat malicia, qua Pharisæi & scribæ maximè pervertebantur. Vt autem ostenderet, quam valde vellet humanitatis suæ dogma confirmari, filium hominis in-
Ioan. 3. & Ephes. 4. Ioan. 6. quit: deitatem enim suam sic solet appellare. Nullus enim, ait, ascendit in cœlum nisi qui de cœlo descendit, filius hominis qui est in cœlo. Et rursus: Cùm autem videritis ascendentem filium hominis vbi erat prius. Cùm itaque discipuli respondissent, Alij Ioannem baptistam, alij Heliam, alij Hieremiam, aut vnum prophetarum: hac falsa eorum opinione in medium prolata, *Vos verò*, inquit, *quem me esse dicitis?* Ita eos hac secunda interrogatione, vt maiora de ipso cogitarent admonuit. Ipso enim interrogandi ostendit modo, mul- D tùm à dignitate sua vulgares illas abesse opiniones: idcirco enim iterum interrogando, aliam ab eis sentētiam quærit: vt quoniam plura maioráque signa quàm cæteri viderunt, maiora etiam de ipso dicerent, quàm homini conueniant. Nam vulgus quidem hominem nudum putabant ex mortuis resurrexisse, veluti etiam Herodes dicebat: à qua suspicione procul abducens, vos
Luc. 9. verò, ait, quem me esse dicitis? Vos inquam qui mecum semper versantes, plura me feciſſe vidistis, qui meo nomine cōplures virtutes ipsi quoque feciſtis. Quid igitur Petrus omnium apostolorum os, vertex consortij totius? cùm omnes interrogati essent, ipse solus respōdet. Et quandoquidem de sententia vulgi petebat, omnes A respondere: cùm verò de sua eos rogaret, Petrus cōfestim præsiliuit, ac præueniens ait: *Tu es Christus filius Dei viui.* Quid igitur Christus? *Beatus es Simon Bar Ionæ, quia caro & sanguis nō reuelauit tibi.* Atqui nisi propriè sic Petrus intellexisset, & ab ipso patre natum crederet, nō fuisset reuelationis opus illa confessio, nec aliqua beatificatione digna, si vnum ex multis Dei filiis illum putasset. Etenim iam pridem post tempestatem, qui erant in nauigio, Verè filius Dei es tu, dixerunt: & quamuis verè Sup. 14. dixerint, beatificati tamē ab eo non sunt. Non enim ita vt Petrus, sed vnum ex multis verè filium æstimabant, præcipuum quidem magisque dilectum, non tamen ex Patris substantia natum. Nathanaël quoque dicebat: Ioan. 1. Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Israël: nec solùm beatificatus non est, verumetiam quasi multò inferiora quàm oporteat, cogitaret, sic à Christo erat redargutus. Subiunxit enim, quoniam tibi dixi, quia vidi te sub ficu, credidisti: maiora his videbis. Ea igitur de re Petrus beaB tificatur, quia Christum Patris propriè filium confessus est, qua etiam de causa nihil tale de illis dictum est, quale de hoc dicitur, quia Pater reuelauit tibi. Nam ne quoniam vehementer amoris vinculo Petrus Christo coniungebatur, assentatiumcula gratificans, hæc verba dixisse multis videretur, in medium Patrem produxit, qui ad confessionem veritatis animum Petri commouit: ita Petrus quidem locutus est, Pater autem illi quod loqueretur, subiecit: vt non humanam opinionem, sed diuinam sententiam diuinitùs dictam Petrum credas enunciasse. Quare autem non ipse apertè dicit, ego sum Christus, sed de aliorum sententia rogando discipulos istud confiteri inducit? Quia videlicet & ipsum magis ita decebat, & illi ad fidem hoc modo inuitabantur. Vides Sup. 11. & quo modo filium Pater, Patrē Filius reuelat. Nec enim Luc. 10. Patrem quisquam nouit, ait, nisi Filius, & cuicūque voluerit Filius reuelare. Non ergo possumus aliunde cognoscere filiū, quàm à Patre: nec Patrem aliunde, quàm à Filio: ita etiam hinc honoris æqualitas, & substantiæ prędicatur identitas. Quid igitur Christus? Tu es Simon filius Ionæ, tu vocaberis Cephas. Nam quia patrem meum prædicasti, ego etiam illum nomino qui te genuit: ac si diceret, quemadmodum tu Ionæ filius es, sic ego patris mei filius sum. Nam aliter superuacaneum omnino, atque superfluum esset dicere, tu es filius Ionæ. Verum quia ille dixit, tu es filius Dei: vt sic se esse filium Dei ostendat, sicut ille Ionę filius, eiusdem videlicet substantiæ cum Patre, idcirco illud adiecit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* id est, * fidem atque confessionem. Hic apertè prædixit magnam eorum qui credituri & erant & sunt multitu- * τῇ πίdinem fore, & sublimiora sapere ipsum facit, & Ecclesiæ στει τῆς ὁμολογίας, pastorem constituit. *Et portæ inferi non præualebunt aduer-* id est, super fidem confessionis. *sus eam.* Si verò aduersus Ecclesiam non præualebunt, multo minus aduersus me præualebunt. Non enim turbari te conuenit cùm audieris quia tradar & crucifigar: alium deinde honorem ei præbet. *Ego autem dabo tibi claues regni cælorum.* Quid verò est, Et ego autem tibi dabo? Quemadmodum Pater tibi dedit vt me cognosceres, sic & ego tibi dabo. Et non dixit. rogabo Patrem vt tibi det, sed quāuis magna erat potestas, & doni magnitudo ineffabilis: & ego tamē dabo tibi, inquit. Quid das quæso? Claues, inquit, regni cœlorum: *Et quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata in cælis: & quæcunque solueris super terram, erunt soluta in cælis.* Quo modo igitur non Infrà 20. est eius qui dicit ego tibi dabo, vt etiam in dextris & sinistris sedere concedat? Animaduertis quo pacto ipse etiam ad altiorem de se opinionem Petrum adducit, & seipsum his duabus pollicitationibus filium esse Dei reuelat & ostendit. Nam quæ Deus concedere solus po-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Petrus pastor, & caput ecclesiæ. Hier. 1. atque vt homo piscator quauis petra firmior redditur, vniuerso terrarum orbe reluctante.)

tost, peccatorum scilicet remissionem, & vt Ecclesia tot tantisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, † cuius pastor & caput piscator homo atque ignobilis terrarum orbe reluctante adamantis naturam firmitate superet]hæc inquã omnia quæ solius Dei sunt, se pollicetur daturum. Ita & pater ad Hieremiam dicebat: Sicut columnam ferream, & sicut murum æneum posui te. Sed ipsum quidem genti vni Pater, hunc autem vniuerso terrarum orbi Christus præposuit. Quare libenter ab his quærerem, qui dignitatem filij minorem, quàm Patris dicunt, quænam sibi maiora dona videantur, quæ Pater, aut quæ Filius Petro largitus est? Pater quidem reuelationem ei filij sui dedit: Filius autem partim vt tam Patris quàm filij sui reuelationẽ vbique terrarum posset seminare, partim vt quamuis homo esset mortalis, cœlesti tamen potestate polleret, & claues haberet regni cœlorum: ita Petrus Ecclesiam per vniuersum orbem amplificatam, cœlo etiam ipso validiorem
Infr. 24. monstrauit. Transibũt enim, inquit, cœlum & terra, verba autem mea non transibunt. Quo modo ergo minor est, qui hęc dedit, qui hęc Petro effecit? Hæc autem non ideo dico, quia alia Patris, alia Filij opera esse putem.
Ioan. 1. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: Sed vt linguam eorũ abscindamus, qui talia proferunt. Tu vero mecum ex eis omnibus quanta sit potestas eius intellige. Ego tibi dico, inquit, tu es Petrus, & ego [super te] ædificabo Ecclesiam meam, ego tibi dabo claues regni cœlorum. Hæc cùm dixisset, *Præcepit eis, vt nulli dicerent, quia ipse est Christus.* Cuius rei gratia mandauit? Vt scilicet scãdalis de medio sublatis, & mysterio Crucis, ac omnino passione consummata, cùm nihil restaret quod retũdere aut perturbare multitudinis fidem posset, syncera & immobilis opinio de ipso in audientium animis cõfirmaretur. Nondum enim clarè sua virtus effulserat, qua de causa post resurrectionem, quando rerum veritas erat coruscata, & virtus eorum quæ fiebãt præcipuè apostolis auxiliatura, volebat ista prædicari. Non enim æquale erat in Palæstina videre modo quidem miraculis clarum, modo verò cõtumeliis affectum & agitatum, ac maximè quando Crux miraculis erat successura, & vbique terrarum fide, ac adoratione certa perspicere, nihil amplius tale quale passus fuerat patientem: propter hæc igitur omnia mandauit, ne vlli dicerent. Quòd enim iam radices egit, si euulsum fuerit, non facilè potest iterum plãtatum pullulare: quod verò posteaquam semel locatum est, immobile atque innexum remansit, facilè propagatur ac crescit. Nam si discipuli qui plura viderunt, multáque audierunt arcana, solo auditu scandalizati fuerunt, nec ipsi solùm, verumetiam & vertex omnium Petrus: cogita nunc tecum quid vulgus, qui nihil altius secretè inspexerunt, nulla Spiritus gratia stabili fuere, perpessi fuissent, si quem filium Dei esse didicissent, eum crucifigi, & omni contumelia exagitari viderent? Si enim discipulis dicebat, Multa habeo
Ioan. 16. vobis dicere, sed non potestis ferre modo: quantò magis reliqua multitudo decidisset, si ante opportunum tempus huiusmodi summum mysterium fuisset reuelatum? Propter hoc itaque dicere prohibet. Et vt credas quantum intererat, planam postea doctrinam accipere, cùm ea quæ scandalizare possent præterierint, huius ipsius antesignani facta diligenter considera. Ille nanque ipse Petrus qui post tot tantáque signa adeo imbecillus apparuit, vt ter negauerit, vt vilem puellam timuerit: posteaquam Crucis mysterio cõsummato claras habuit resurrectionis demonstrationes, ne quicquam relinque-
Luc. 22. retur, quod animum eius conturbaret atque cõcuteret: sic immobilem & fixam doctrinam Spiritus tenuit, vt veluti leo in populum Iudæorum irrueret, & pericula mille, ac denique ipsam mortem contemneret. Iure igitur iussit, ne ad multos sermonem ederent, cùm neque ipsis qui orbis magistri futuri erant, cuncta committere apertè ante Crucem voluerit. Multa enim habeo vobis dicere, inquit, sed non potestis portare modo. Quin & multa ab ipso dicta non intelligebant, quę ante Crucem ipsis manifesta non reddidit. Posteaquam igitur resurrexerat, tunc quædam ex iis quæ prius dixerat intellexerunt. *Ex eo tempore cœpit Iesus ostẽdere discipulis suis, quòd oporteret eum pati.* Ex eo tempore, quo? quando in animis eorum præcipuum hoc dogma fixit, atque locauit, tunc de passione incepit dicere: neque tamen etiam sic intellexerunt quod dicebatur. Erat enim, inquit, quasi velamine obductus hic sermo, & ceu obscuritate ita tectus, vt capere non possent, quia & resurrecturus erat: idcirco in difficilioribus immoratur, & sermonem latiùs extendit, vt mente ipsorum adaperta, percipere possent quidnam esset quod diceretur. Sed non intellexerũt, inquit, sed erat hoc occultum ab eis, & timebant eum interrogare, non vtique vtrum morietur, sed qualiter & quo modo, & quidnam hoc mysterium sit. Nam cùm nescirent quid ipsum resurrectionis verbum significaret, non mori non modico præstantius esse putabant: quam ob rem cùm alij dubitantes turbarentur, Petrus iterum ex feruore solus audet ea de re quicquam dicere, neque illud palàm, sed singulatim atque seorsum quum ab aliis se subtraxisset discipulis, *Propicius,* inquit, *tibi ipse domine,* Supr. *non erit tibi hoc.* Quid nam ô Petre hoc est, tu qui reuelationem desuper habuisti, qui beatificationem consecutus es, cui claues cœlorum traditæ, tam citò adeò grauiter lapsus cecidisti, vt passionẽ pertimueris? Cur mirum tibi videtur, inquit, si in ea re id passus sum, de qua nihil reuelatum est? Hinc certe clarè videmus, non à seipso, sed ex reuelatione illa dixisse: quia in his quæ reuelata non sunt, turbatur, & percellitur, & centies audiendo non sentit quod dicitur. Didicit certè, quòd filius Dei est: quid autem mysterium Crucis, & Resurrectionis sibi velit, nondum didicit. Erat enim, ait, occultus ab eis hic sermo. Perspicis quia iure mãdauit, ne in publicum hæc efferrentur. Vbi enim isti turbantur, quibus hæc necessariò committuntur, quid non paterentur cæteri? Ipse verò vt ostenderet spontè se ad passionem venire, increpauit Petrum, & satanam appellauit. Audiant quicũque passionis Christi Crucem verecũdantur. Nam si apostolorum vertex, etiam antequam Crucis mysterium apertè cognouisset, satanas vocatus est: quam veniam impetrabunt, qui vbique iam prędicatam Christi crucem negare audẽt? Nam si qui à Deo beatificatus fuerat Petrus, qui ex reuelatione fuit veritatem confessus, si acriter increpatur: quo supplicio cruciabũtur, qui Crucis mysterium post ista non suscipiunt? Nec dixit, quia satanas per te locutus est: sed, vade post me satana. Hæc enim illius oppositi cupiditas erat, ne Christus pateretur: idcirco sic vehementer increpauit, quia sciebat tam ipsum, quàm
D cęteros valde id formidare, nec facilè posse audire: quocirca & mentis eius arcana reuelat, dicens: *Quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* Nam ille cùm humanis caducísque cogitationibus rem pensaret, turpe ac indecorum id omnino futurum æstimabat. Carpens igitur ipsum, ait: nequaquam me quidem passio dedecet, sed tu carnali consilio id ita iudicas. Nam si diuinis ductus præceptis, atque carnalis sensus immunis, hæc audires: non te fugeret profectò, quia præcipuum mihi decus est passio, tu indignámne ipsam arbitraris? Ego verò dico, quòd passionem meam impedire, ex consilio diaboli est. Sic ex contrariis solicitudinem mentis eius comprimebat. Et quemadmodum Ioanni indignum putanti, Sup. 3. quòd à se Christus baptizaretur, baptizare persuasit, cùm di-

cùm dixerat, sic decet nos. Et huic ipsi Petro pedes suos
Ioan. 13. prohibẽti lauari, cùm dixerit, Non habebis partem mecum, si pedes tuos non lauauero: sic etiam hîc à contrariis eum repressit: & increpationis acrimonia timorem passionis extinxit. Neminem igitur pudeat horum salutis nostræ symbolorũ atque signorum. Passio certè Domini nostræ beatitudinis caput est atque origo, qua viuimus, & per quam sumus. Sed veluti coronam, sic læto animo crucem Christi circũferamus. Omnia enim quæ ad salutem nostram conducunt, per ipsam consummantur. Nam cùm regeneramur, crux Domini adest, cùm saeratissimo alimur cibo, cùm in ordine consecrandi statuimur, vbique ac semper id victoriæ insigne nobis assistit: Quapropter & in penetralibus, & in parietibus, & in
Crux vbique inerenda. fenestris, & in fronte quoque, ac mente, magno studio Crucem inseramus. Id enim salutis nostrę, id communis
Esa. 53. & Act. 8. libertatis, id mãsuetudinis atque humilitatis Domini signum est. Ductus est enim vt ouis ad occisionem. Quãdo igitur Cruce te signas, vniuersam tecum Crucis cau- B sam verte, & iræ ac reliquarũ passionum incendia extingue: quãdo te Cruce signas, magna tuam frontem arma fiducia, libertate animum munias. Nec enim latet vos quænam sint, quibus libertate donati sumus. Paulus enim cùm ad capessendam veram hanc libertatem nos
1. Cor. 6. hortaretur, ad Crucis & Sãguinis dominici memoriam reduxit dicens: Precio empti estis, non fitis serui hominum. Considera, inquit, precium quod pro te persolutum est, & nullius hominis seruus eris. Precium autem hîc Crucem appellauit, quam non simpliciter digito in corpore, sed magna profectò fide in mente prius formare oportet. Nam si hoc modo eam faciei tuę impresseris, nullus sceleſtorum dæmonum cùm hastam videat, qua letale vulnus susceperit, congredi tecum audebit. Nam si cùm solummodo loca in quibus capite damnati pœnas persoluunt videmus, ingenti horrore concutimur: quid passurum putas diabolum, si mucronem tenere te viderit, quo vires eius Christus dissoluit, & quo caput draco- C nis magno ictu rotauit? Noli ergo tanto tu bono verecundari, ne quando in maiestate sua veniet Christus, de te verecundetur. Tunc enim signũ hoc super radios Solis coruscans, ante Christum videbis. Præcedet enim tunc profectò Crux magnam vocem aspectu emittens, & ad vniuersos homines pro Domino respondẽs, atque ostendens nihil ex parte Domini defuisse. Hoc signum & priscis, & nostris temporibus clausas ianuas reserauit, hoc venenorũ vires extinxit, hoc cicutæ vim dissoluit, hoc feroces bestias repressit, hoc letales serpẽtum morsus curauit. Etenim si portas inferni perfregit, si cœlorum ostia recluſit, si paradisi renouauit ingressum, si diaboli neruos recidit, quid mirum est: si pestifera venena, atroces bestias, aliáque huiusmodi superauit? Hoc igitur in mẽte tua insculpe, & animarum amplectere salutem. hæc enim Crux terrarum orbem conuertit atque sanauit, hæc errorem abegit, veritatẽ reduxit, terram in cœ- D lum restituit, ex hominibus angelos effecit. Hæc Crux non terribiles, sed despicabiles hominibus dęmones effecit. Hac Cruce mors in somnũ redacta est, hac omnia quæ nobis aduersabantur, humi deiecta conculcantur. Si ergo gẽtilium quispiam abs te petierit, crucifixúmne adores? noli dubitare clara voce, & læta facie dicere. Et adoro, & adorandi nunquam faciam finem. & si ridebit, largas tu effunde lachrymas de insania eius. Agas immortales Domino gratias, cuius beneficio hæc suscepi-
1. Cor. 2. mus, quę nullus absque diuina gratia dicere potest. Nam idcirco hic etiam ridet, quia homo animalis non suscipit ea quæ ipsius Spiritus sunt. Nam pueris etiam id accidit, quando magnum quid atque mirabile perspexerint: & si ad videnda mysteria infantes perduxeris, pro-

culdubio ridebunt. Infantibus sanè gentes mihi similes videtur, immò verò illis quoque imperfectiores, ac ideo multò miseriores: quia non in ætate iuuenili, sed in prouecta infantium leuitate adeò perturbantur, vt nulla venia digni & sint, & videantur. Sed nos clara & magna voce dicamus, & tunc maximè quando assunt gentiles, eximia fiducia exclamemus: Gloria nostra, caput & origo beatitudinis, libertas, & corona, Crux est. Vellẽ cum Paulo posse dicere: Per quem mihi mundus crucifixus Gal. 6. est, & ego mũdo. Sed cùm multis atque variis detineat passionibus, nequeo id sanè dicere. Quare vos moneo & multò antequam vos meipsum, crucifigamur mũdo, nihil commune habeamus cum terra: sed tota mens nostra amore superioris patriæ, gloria beatitudinis ardeat. Cœlestis enim milites regis sumus, ac arma spiritalia induti: cur igitur cauponum & abiectarũ personarum, immo vermium vitam eligimus, cùm ibi oporteat esse militem, vbi & imperator est? Militamus enim non sub illis qui longè absunt, sed sub illo qui propè adest. Mortales quippe imperatores, non omnes in prætorio, & ad latus suum esse patiuntur: at verò cœlestis omnes prope suam regiam sedem esse desiderat. Et quo modo fieri potest, inquies, cœlesti assistere sedi quempiam, cùm in terris conuersetur? quia & Paulus cùm in terris esset, vbi Seraphim sunt, ibi conuersabatur, propius Christo assistens, quàm hastati & stipatores isti regi suo assistant. Quippe cùm isti aspectum huc atque illuc circunferant, ille verò nulla rerum specie motus vniuersam mẽtis aciem ad regem Christum intentam habebat: quare si voluerimus, nos quoque proculdubio poterimus. Nam si locorũ interuallo disiuncti essemus, nõ iniuria illud obiectum esset: si verò vbique rex noster est, studenti semper atque attẽto proximus adest, ideo propheta quoque dicebat: Psal. 22. Nõ timebo mala, quoniam tu mecum es. Et ipse rursum Hier. 23. Deus: Deus appropinquãs ego sum, & non Deus à longè. quare quemadmodũ peccata nos ab illo disiungunt, sic virtus nos illi conglutinat. Adhuc enim te loquente, Esa. 58. ait, dicet: ecce ego adsum. Quis enim parens adeò fuit paratus, & erectis continuè auribus adstans, ne quando à filiis suis vocaretur? Nemo profectò, non pater, non mater: Deus autem paratus continuè ad suorum vocem seruorũ est, nec vnquam vt oportet vocatus, obaudiuit. Hac de causa dicit, adhuc te loquente non expecto, inquit, vt orationem finias, sed cõfestim cùm incipias, exaudio. Vocem ergo ita ipsum, vt vocari desiderat. Quo- Ibidem. modo autem vocari vult? Solue, ait, omne vinculum iniustitiæ, dissolue obligationes violentarum cautionum, omnem scripturam iniquam conscinde. Frange panem tuum esurienti, & pauperes qui sine tecto sunt, in domũ tuam inducas. Si videris nudum, indue ipsum, & domesticos seminis tui non despexeris. Tunc erumpet matutinale lumen tuum, & sanitates tuæ citò tibi orientur, & præibit ante te iustitia tua, & gloria Dei circumamiciet te. Tunc inuocabis me, & ego exaudiam te: & adhuc te loquente, dicam: Ecce adsum. Sed quis hæc omnia poterit facere, inquies? Immò verò, dic quæso, quis nõ potest? Quid enim ex illis difficile, aut quid arduum? quæ certè ita facilia factu sunt, vt multi mensuram eorum in agendo excesserint, non iniusta chirographa solùm lacerantes, verumetiam omnibus suis se denudantes: non tecto & mensa pauperes tantummodo recipientes, verumetiam magno se sudore conficientes, vt inopes nutriant: qui non cognatis tantummodo, verumetiam inimicis beneficia contulerunt. Tu verò nescio quid illorum difficile putas. Non enim dixit, mõtes pertranseas, maria nauiges, tot tantáque terræ iugera effodias, ieiunus permaneas, cilicio te induas: sed impertias domesticis, frãge panem esurienti, iniusta chirographa proiice.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quid istis facilius inuenire potes? Si verò tu difficilia putas, magnitudinem præmiorum cõsidera diligentius, & facillima tibi reddentur. Nam quemadmodum reges in equorum cursu atque certamine, in ipso agone coronas, vestes, cæteraque munera ante certãtium oculos ponunt: sic & Dominus in medio stadio præmia locauit, & quasi multorum manibus per verba prophetæ ostendit. Et reges quidẽ isti etsi millies reges sint, tamen quia & ipsi mortales sunt, & ipsorum facultas caduca, & liberalitas facilè potest exhauriri: Idcirco vt multa esse videantur quæ donãt, singulis singula munera ministris tradentes, sic in medium producunt: rex autem noster econtrà. Nam quoniam immortalis & ditissimus, & nihil omnino facit ad ostentationem, omnia simul collecta ante oculos posuit: quę si quis per singula diuidat, innumera erunt, & infinitis opus manibus erit, vt teneri & Esa. 58. ostentari possint. Quod ita esse credes, si vnumquodque in se diligenter perspicias. Tunc erumpet, ait, matutinale lumen tuum. Putásne vnum quoddam hoc munus videri? sed nõ est certè vnum: multas enim coronas, multa prędmia in seipso includit. Quare si placet, reuoluamus hoc inuolucrum, quantum in nobis situm est, & ingentes in hoc contineri diuitias inspicietis, dummodo non deficiatis: sed attentè, oro, mentem adhibeatis. Et primùm illud videamus, cur non apparebit, dixit: sed, erumpet? Vt velocitatem scilicet, & copiam dãtis exprimeret: vtque hoc verbo intelligamus valde illum nostrę salutis cupidũ esse, quódque muneribus plenus ex largiendi festinatione quasi prorumpit, cùm nihil sit quod ineffabilem eius impetum prohibere possit, quibus omnibus infinitam profectò bonorum copiam paratam nobis esse ostendit. Deinde videamus quid sibi matutinale velit. Nihil aliud certè hoc te nomine docet, nisi vt scias, quòd non posteaquam periculum tentando fecerit, neque postquam afflictiones inuaserint solùm, verumetiam antea præuenire solet. Nam quemadmodum in frugibus * matutinalia quæ citius quàm speraũmus in maturitatem peruenerunt, appellare soliti sumus: eodem hîc sanè pacto quod vel ante tẽpus nobis illuceat, matutinale nuncupauit. Quale illud etiam est, adhuc te loquente dicam: Ecce adsum. Quod porrò lumen dicit? Non istud certè quod sensibus nostris subiectum est, sed aliud multò præstantius, quo cœlum, angelos, archãgelos, cherubin, seraphin, sedes, dominationes, principatus, potestates, vniuersum cœlestem exercitũ, regia denique illa tabernacula videmus. Quod lumen qui receperunt, ista videbunt, & non ad gehennam, non ad vermem, à quo pestifera funduntur venena, non ad stridores dentium, non ad vincula quæ dissolui non possunt, non ad angustias, tribulationes, profundas tenebras, fluuium ignis, maledictionem, loca doloris: sed eò perueniunt vnde dolor & mæstitia semper fugit, vbi gaudium ingens, pax, charitas, deliciæ spiritales, vbi vita æterna, ineffabilis gloria, inenarrabilis pulchritudo, maiestas regis inæstimabilis, vbi bona illa sunt, quæ oculus non vidit, auris non audiuit, & quæ in cor hominis nunquam ascenderunt: vbi thalamus est spiritalis, vbi ornamenta cœlorum conspiciuntur, vbi virgines quæ fulgidas habent vestes, & omnes qui nuptialem habent amictum conuersantur, vbi opes sunt domini, ac thesauri, & ærariа eius regia. Vidisti quàm multa & magna sunt hæc præmia, quæ omnia vno verbulo comprehẽdit: sic aliorum etiam vocabulorum potestatẽ reuoluentibus, magna nobis copia & profundissimum pelagus occurret. Tardabimus igitur, respondę (quæso) adhuc, nec prõpterimus ad misericordiam? Minimè, oro: Sed etiam si omnia nobis eiicienda essent, si in ignem saliendum, si in enses atque mucrones incumbendum, aut quiduis aliud patiendum, magno animo cuncta perferamus, vt regni cœlorum amictum, & ineffabilem illam gloriam consequamur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

* πρώϊμον. i. matutinum, siue matutinale, aut præcox siue præmaturũ. Ibidem.

Homil. LVI. ex cap. XVI.

TVNC *Iesus dixit discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Tunc istud ad quódnam est tempus referẽdum? ad illud videlicet, quãdo Petrus dixit, propitius tibi sis, non erit tibi hoc: & audiuit, Vade post me satana. Nam cùm magis atque magis horum verborum Petri absurditatem, & passionis vtilitatem voluerit ostendere, non fuit contẽtus increpasse solummodo. Sed tu, inquit, mihi dicis, propitius tibi esto, nec erit tibi hoc: ego verò tibi respondeo: quod non solum me impedire, & meam passionẽ ægre ferre, tibi damnosum erit & pernicioſum, verumetiam quòd nulla tibi prorsus spes salutis restabit, nisi & ipse ad passionem semper paratissimus sis. Nam ne ipso indignam passionem putarent, non contentus his quæ dicta sunt, alia etiam attulit consequenter, quibus vtilitas enodatur: ac apud Ioannem quidem dicit, Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: sin verò mortuum fuerit, multũ fructum affert. apud istum verò, Matthæum dico, hoc ipsum magis probare studens, non se solummodo pati oportere ostendit, verumetiam & discipulos in id tãdem deuenturos prænunciat. Tanta enim istius rei vtilitas est, vt non bene vobiscum agatur, si hanc mortem effugere cupiatis: contrà verò beati sitis, si parati semper ad patiẽdum fueritis: sed hæc quidem postea, interim vero ex vna tantummodo parte hoc probat. Tu autem perpende, quo modo nullo pacto cogit oratio. Non enim dixit oportere ipsos pati, vellent nollẽntque: sed quid? Si quis, ait, post me venire vult: non impello, non vrgeo, sed liberam singulorum voluntatem efficiens, dico, si quis vult. Non enim ad afflictiones & onera, nec ad supplicia, & pœnas, vt cogere mihi opus sit, sed ad ineffabilia bona conuoco, quorum ea natura est, vt facilè per seipsam vos inuitare possit. His dictis vehementer eos attraxit. Nam sicut qui vim affert, plerunque auertit: sic qui liberos audientes constituit, multò magis attrahit: potentior enim omnino est oratio mitis, quàm violẽta: ideo dicebat. Si quis vult. Magna enim sunt, ait, quæ retribuo, ac talia, vt vltrò ac sponte homines ad ea cõcursuros dubitare non debeas. Non enim si quis aurum atque argentum proponeret, vim inferret: quantò igitur magis in cœlestibus bonis inferenda non est? & certè si rerum ipsa natura non persuadet, & nisi spontè curres, nec accipere quidem dignus es: nec si acceperis, quale quantúmque sit quod acceperis, cognosces: ideo non cogit Christus, sed hortatur, indulgẽs nobis. Nam quia turbati & commoti propter dictum illud murmurare videbantur, Non est opus, inquit, turbari, si non putatis id quod dixi, mille vobis adferre cõmoda, ac vobis cõuenire, nullam vim infero, nec cogo, sed eos duntaxat voco, qui me sequi volunt. Nec istud sequi quod modo facitis, post me venientes, intelligere me arbitremini: multis laboribus vobis opus erit, multa pericula subeunda, si me illo modo sequi constitueritis. Non enim ô Petre, quoniam me filium Dei confessus es, hac re solùm coronæ tibi expectãdæ sunt, & quasi hoc tibi ad salutem sufficerit, totáque res consummata sit, in otio & voluptate viuendum. Nam etsi facilè ipse queam, quia filius sum Dei, omnium te periculorum expertem facere: tui tamen gratia nolo, vt & ipse nonnihil afferas, & illustrior euadas. Quemadmodum enim qui iudicum instituit

stituit agonem: si cui athletarum amicitiæ vinculo iungitur, nunquam eum ob beneuolentiam suam tantùm, nisi etiam descenderit in certamen coronabit: qui proprium illius videlicet laborem desiderat: & quò magis eum diligit, eò magis victorem videre cupit: sic etiam Christus quos maximè diligit, eos nõ solùm auxilio suo duntaxat, verumetiam & à seipsis vult comprobari. Minimè autem onerosam orationem reddit, quia non sibi solis hęc imminere, sed communiter vniuerso terrarum orbi proponit, dicens: Si quis vult, siue vir, siue mulier, siue princeps, siue subditus, hanc viam ingrediatur. Et sermo quidem vnum quid significare videtur, tria verò cõtinet, abnegationem tuiipsius, & vt Crucem accipias, & tertiò vt Christum sequaris: quorum duo coniuncta sunt, vnum per seipsum separatim ponitur. Consideremus igitur prius quidnam sit abnegare seipsum. Si ergo intelligis quid sit alium abnegare, tunc rectè percipies quid sit abnegare teipsum. Quid est igitur abnegare alium? Qui alium iam abnegauit, fratrem puta, aut seruũ, aut quẽuis alium, si cædi eum virgis videat, si arceri vinculis, quicquid aliud mali pati eum conspexerit, non accurrit, non auxiliatur, non flectitur, nec prorsus vllo modo mouetur, ceu ille qui penitus ab illo alienatus est. Sic igitur nullo nos pacto corpori nostro parcere vult, vt neque si cædatur, neque si pellitur, neque si vritur, nec si quid aliud huiusmodi patitur, ei parcamus. Quid dixi, non parcamus: cùm id profectò sit verè parcere? Nam etiam tunc patres maximè filiis parcunt, cùm magistris atque doctoribus tradentes, maximè rogant ne parcãt. Sic igitur Christus, non dixit tamen non parcas, sed significãtius ac expressius, denega teipsum, pericula subi, certaminibus te offert, & quasi alius hæc patiatur sic afficiare. Nec dixit, neget: sed, abneget: ac vt hac adiunctiuncula plurimum addat, cùm abnegare multò plus quàm negare profectò sit. *Et tollat crucem suam.* Istud ex illo sequitur. Nam ne quis putet ad verba vsque tãtummodo, ac contumelias & opprobria abnegationem hãc sui fieri oportere, id subiunxit, vt videas abnegãdos nos esse vsque ad mortem, & mortem turpissimam: quam designãs non dixit, abneget seipsum vsque ad mortem, sed, tollat crucem suam, mortem ignominiosam significans: & non semel, nec bis, sed cõtinuè per totam vitam hanc tecum mortem circũferas, & continuè ad necem paratissimus sis. Multi quidem pecunias contempsere, multi delicias vitæ ac gloriam cõculcauerunt, mortem autem despicere non potuerunt, sed pericula & dolores formidarunt: ego verò ad effusionem vsque sanguinis volo certatores meos luctari, & ad necem vsque pugnam continuare. Quare si mortem obire oporteat, & eam turpissimam & æstimatione hominum pessimam, ferenda omnia sunt æquo, immo potius læto animo. *Et sequatur me*, inquit. Posset enim aliquis talia pati, Christum tamen non sequi, si nihil videlicet propter ipsum pateretur. Quippe latrones, sepulchrorum violatores, dæmonũ inuocatores, multa plerunque talia patiuntur. Ne igitur credas ipsius passionis naturam per se sufficere, causam eius subiecit. Quam ipsam? Vt quæ dicta sunt, vniuersa faciens atque patiens, ipsum sequaris: vt scilicet propter ipsum omnia sustineas, vtque omnem virtutis numerum habeas: Is enim Christum sequitur, qui non in periculis modò fortitudinem adhibet, sed modestiam, sed humilitatem, & omne sublimioris philosophiæ genus complectitur. Id enim est rectè Dominum sequi, & vt oportet si propter ipsum cuncta sufferas, & alias virtutes non negligas. Multi diabolum sequentes, multa patiuntur, & vitam propter ipsum perdunt: quam nos propter Christũ, immò verò propter nosipsos perdamus. Illi hoc faciunt, & tam hîc quàm in futura vita sibi obsunt: nos autem vt vtraque vita potiamur, faciamus obsecro. Summa enim ignauia est, non tantam saltem solertiæ magnitudinem animæ nos adhibere, qui fulgẽtibus coronis fruemur, quantam perditi homines ostentãt, præsertim cùm nobis Christus adsit atque opituletur, illis verò nemo patrocinium præbeat. Verùm hoc præceptum etiam tunc dixit, quando mittebat eos, dicens: In viam gẽtium ne abieritis. Mitto enim vos, inquit, sicuti oues in medio luporum, & ad principes & reges ducemini. Nunc autem idipsum multo intensius atque acrius expressit. Mortis enim tunc solummodo, nũc autem Crucis etiam mentionem fecit, & Crucis ingentis atque perpetuæ. Tollat nanque, ait, crucem suam: id est, portet semper, ferátque secum. Illud porrò solitus est vbique cõseruare, vt non à primis exordiis, sed paulatim progrediendo, ne audientes conturbentur, sublimiora præcepta inducat. Verùm quoniam nimium videbatur quod dixit, vide quo modo ex cõsequentibus illud mitigat. Non enim solũmodo præstantissima præmia, quæ labores excedant: sed vitiorum etiam supplicia ponit, in quibus multò magis immoratur. Quoniam non ita præmiorum retributione, quemadmodum pœnis & cruciatu multi resipiscere solent. Quare considera quo modo & initium hinc sumpsit, & exitum huc tandem conducit. *Quicũque enim voluerit animam suam, ait, saluam facere, perdet eam: quicũque autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Quid enim prodest homini, si vniuersum Mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo permutationẽ pro anima sua?* Tale quid igitur est quod dicit, Non quia nolim vobis parcere, sed quia valde parcere volo, hæc impero. Nam & qui liberis parcit, is eos perdit: qui autem castigat, & non parcit, is salutem eis præbet: quod & sapiens quidam dixit, Si percusseris, inquit, filium tuum virga, non morietur, sed animam eius eripies de morte. & rursus: Qui refrigerat filium suum, colligabit vulnera eius. hoc & in castris fieri solet. Nam si quãdo militibus dux parcat, & idcirco intus semper eos detineat, tam milites quàm alios simul corrumpit, ac perdit. Quod ne vobis accidat, inquit, necesse est vt ad mortem semper expediti sitis. bellum enim graue indicitur, quare noli domi sedere, sed expeditus ad pugnam egrediaris, & si ceciderис in acie, tunc † vicisti.] Nam si qui in his secularibus pugnis morte contempta magno aggrediatur hostes animo, is probatissimus inter alios, & inuictus plerunque permanet, & terrorem hostibus facilius incutit: quibus de causis, quanuis post mortem imperator, cuius edicto arma capta sunt, fusc itare neminem potest, multi tamen viri fortes inueniuntur: quantò magis in spiritali & nostra pugna vbi certa resurrectionis spes nobis proponitur, is inueniet animam suam, qui morti eam exposuerit? Primò quidem, quia citò nõ capietur: deinde etiam si ceciderit, ad meliorem vitam perducit eam. Verùm quoniam dixit, Qui vult animam suam saluare, perdet eam: & quicunque perdet, saluabit, & salutem & perditionem in vtroque collocauit, ne quis & hanc perditionem illi æqualem putet, & salutem saluti similem: sed certior sit tanto salutem à salutis discrimine differre, quantò perditio à salute simpliciter distat, à contrariis hoc comprobat. Quid enim prodest homini, ait, si vniuersum lucrabitur Mundum, & animæ suæ detrimẽtum patietur? Vides salutem hanc indecenter comparatam perditionem esse, immo perditione omni peiorẽ, quia nullo remedio sanari, nullo præmio amplius redimi potest: non ergo dicas, ait, animam suam eum seruasse, qui hæc pericula euasit. Nam si orbem quoque terrarum lucratus fuerit, quid hinc illa perdita lucrabitur? Dic oro quid lucraberis, si dum seruos tuos magnificis dapibus

Sup. 10. Ibid. & Luc. 10.

Prou. 23.

Ibid. 29.

† νενίκηκας. i. vixisti siue vitam & animã tuam inuenisti.)

Universidad de Deusto Biblioteca

delicioſè viuere videas, tu extremo inediæ malo debilitatus iaceas? An fortè quia dominus es, lucrari te quicquam dices? Nequaquam. Id ergo ipſum ad animam tuam trāſferas, cùm deliciaris corpore, & magna rerum affluentia ditaris eſuriente anima, & extremam expectāte perditionem. Quid autem dabit homo in permutationem pro anima ſua? Immoratur iterū atque iterum in eodem. Num, ait, aliam habes animam, quam poſſis pro anima tua dare? Nam pecuniam qui amiſit, aliam pro amiſſa poteſt afferre. ſimiliter qui ædes, qui ſeruos, qui cætera huiuſmodi amiſit: animam verò ſi perdas, aliam pro ea dare nūquam poteris: ſed ſi rex orbis atque dominus eſſes, ſi omnia quæ in orbe ſunt, & ipſum orbem offerres, nō poteris animam vnam redimere. Non eſt autem mirum, ſi hoc in anima ita fit, cùm & in corpore ſimilia perſpicere liceat. Nam ſi tu diademate inſignitus, natura morbidum & incurabile corpus habes, non poteris ſi mille alia corpora, mille vrbes, mille règna, infinitam pecuniam impēderes, à morbo illud vindicare. Pariter itaque de anima, immò multò magis quā de corpore cogita, & cæteris omnibus neglectis, omnē curam, omne ſtudium, omnem operam tuam ad ipſam conferas. Noli igitur de alienis curare, & te ac tua negligere: quod plerique omnes nunc faciunt. His ſimilis es, qui metallorū operi traditi ſunt. nullum enim illi emolumentum, nullas opes inde conſequuntur, ſed magno periculo atque detrimēto ſuo aliis laborant, nihil prorſus de ſudore, ac labore, & morte, quā plerunque obeūt, ad fructum ſuum inde conuertentes. Hos igitur plurimi nunc imitantur, qui non ſibi, ſed aliis diuitias quærunt. Immo verò & his multo miſeriores ſumus: quoniam mors doloris finem illis, nobis autem quos gehēna expectat, veræ afflictionis initium affert. At ſi dices, fruar laboribus atque diuitiis meis: Animam fruētem oſtende, quæ princeps omnium noſtrarum eſt rerum, & mihi perſuaſiſti: ſin verò corpus pingueſcit, atque floreſcit illa tabeſcente, quid ad te pertinet hęc rerum copia? Nihil certè, ſicut nec ancillæ voluptas mœrenti dominæ aliquid confert, nec veſtis magnificentia imbecillitati corporis. Quare tibi Chriſtus iterum atque iterum dicit, quid dabis ô homo in permutationem pro anima tua? Ita ſurſum atque deorſum, & vbique ad conſeruandam animam te impellit, & de ipſa ſolùm curādum admonet. Verùm poſt hos terrores à retributione bonorum dolores mitigat. *Venturus eſt enim filius hominis*, ait, *in gloria patris ſui, cum ſanctis angelis ſuis, & tunc reddet vnicuique ſecundum opera eius.* Vides vnam eſſe gloriam Patris & Filij. quòd ſi gloria vna eſt, neceſſariò & ſubſtantia vna. Nam ſi in vna ſubſtantia, gloriæ differentia in-

1.Cor.15. uenitur: Alia enim, inquit, gloria Solis, alia Lunæ, alia ſtellarum: ſtella enim à ſtella differt in gloria, quamuis vna ſubſtātia ſit: quónam modo quorum gloria vna eſt, eorum aliam atque aliam ſubſtantiam eſſe putabimus? Non enim dixit, in tali gloria, qualis Patris gloria eſt, ne diſcrimen aliquod eſſe ſuſpiceris: ſed exactiſſimè ac exquiſitiſſimè in ea ipſa gloria, inquit, adeò vt vna & eadē ſit. Cur igitur reformidas Petre, cùm moriturum me audias? videbis enim tunc me in gloria Patris. Si verò ipſe in gloria ero, & vos ſimiliter. Non enim præſens hæc vita terminum vobis apponet, ſed vera beatitudo vos ſuſcipiet. His dictis, non fecit hìc finem, ſed terribile illud iudicium, relationem rationum, ineuitabilem ſententiam quæ flecti, & iudicium quod decipi non poteſt, in medium adduxit. Quam orationem rurſus bona ſpe permiſcuit, quia non dixit, tunc ſe peccatores puniturum, ſed vnicuique ſecundum operationem ſuam redditurum. Hoc ita facit, vt & peccatores ſupplicij, & rectè viuentes coronæ ac præmiorum recordētur. Et ipſe

A quidem vt & bonos refocillaret ac recrearet, hæc dicebat. Ego vero cùm cognoſco quia non ſum de numero eorum qui coronantur, perhorreſco hæc audiens: puto autem in hoc timore atque anguſtia nonnullos me ſocios habere. Quem enim non poſſent hæc verba in ſeipſum ita conuertere, vt cùm ſibi conſcius ſit, non perhorreſcat & perſuaſum habeat, quòd cilicio nobis opus ſit, & lōgiore ieiunio, quàm Niniuitarum populus olim Ionæ 3.

adhibuit? Nō enim vrbis euerſio, & cōmunis mors nobis imminet, ſed ęterna ſupplicia, & ignis inextinguibilis intētatur. Quare illos monachos qui eremū habitāt, & aliorum multorū cauſa, & maximè propter hæc verba & laudo, & admiror. Nam illi poſt prandium, immò verò poſt cœnam, prandiū enim penitus ignorant, quia videlicet certiores ſunt, luctus & ieiunij pręſens tempus hoc eſſe: poſt cœnam igitur quoſdam gratiarum actionis hymnos ad Deum dicentes, huius etiam vocis meminerunt. Sed ſi placet, vniuerſum ſacratiſſimum illum

B cantum vobis exponam, vt aſſiduè illum vos quoque canatis. His itaque verbis continetur. Benedictus deus, qui me paſcis à iuuentute mea, qui omni carni cibum præbes, reple lætitia & gaudio corda noſtra, vt ſemper ſatis habentes, ad omne bonum opus abundemus, in Chriſto Ieſu domino noſtro, cum quo tibi gloria, honor & imperium cum ſancto Spiritu in ſæcula, Amen. Gloria tibi Domine, gloria tibi ſancte, gloria tibi rex: quoniā dediſti nobis eſcas, † gaudio & læticia reple nos in Spiritu ſancto,] vt inueniamur in cōſpectu tuo acceptabiles: nec pudefiamus quando vnicuique reddes ſecundum opera ſua. (in gaudiū & læticiā: imple nos ſpiritu ſancto.) Omnia igitur huius hymni admiratione digna ſunt, ſed exitus multò magis. Nam quoniā menſa & cibus diffundere ſolet atque grauare, quaſi frenum aliquod hæc euangelica verba tempore lætitiæ animo imponunt, vt diligenter illius iudicij recordētur: non enim fugit eos quāta mala paſſus à menſa luxurioſa Iſraël fuit. Comedit enim, inquit, & incraſſatus eſt, &

C recalcitrauit dilectus. Ideo & Moſes ſcripſit: Cùm man- Deut.32.

ducaueris, atque biberis, & ſaturatus fueris, memento Ibid.6.

Domini Dei tui: poſt menſam enim iniquiſſimè agere auſi fuerant. Caue igitur etiam tu, ne tale quid patiaris: nam ſi nec lapidi, nec auro oues ac vitulos ſacrificaueris, caue tamen ne iracundiæ animam tuam, ne ſalutem tuam fornicationi, aut huiuſcemodi cæteris paſſionibus ſacrifices: hac enim de cauſa etiam monachi hæc præcipitia & prærupta metuentes, cùm menſa, immò verò ieiunio vſi fuerint, ieiunium quippe menſa eorum eſt, in illius ſe diei & terribilis iudicij memoriam reducunt. Si autem illi qui ieiunando, humi dormiendo, vigilando, cilicium induendo, milléque aliis ſeipſos caſtigant, hac etiam admonitione indigent: quando nos moderatè ac probè viuemus, quibus menſæ mille naufragiis refertæ proponuntur: qui nec in principio manducandi, nec in fine ad orationem nos conuertimus? Quod ne faciamus, & vt naufragia menſarum diſſolua-

D mus: totus ille hymnus in medio poſitus explanetur, & quantam vtilitatē afferat non ignorantes, aſſiduè ipſum in menſa canamus, & ventris inſultationes comprimamus, moribus atque legibus illorum domi noſtrę ſuſceptis. Nam quoniam ad illos (quod quidem conueniens erat) vos ire non vultis, ſaltem noſtris verbis huius ſpiritalis cantus fructum colligite, & poſt menſam ſinguli hęc verba cantetis, ſic incipientes: Benedictus deus. Secundum apoſtolicam legem, qua iubemur, vt omne quodcunque facimus in verbo aut in opere, omnia in Coloſ.3.

nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, gratias agētes Deo & Patri per ipſum, agamus, ſtatim incipiunt: & gratiarum hæc actio non pro illa & vna die ſolum, ſed pro vniuerſa vita effunditur. Qui enim me paſcis, ait, à iuuen-

tutę

tute mea. Ecce ſublimioris philoſophiæ doctrina: cùm enim Deus te paſcat, nulla tibi ſolicitudine opus eſt. Nam ſi rege aliquo tibi pollicente quotidianū ex menſa ſua cibum, cōſideres vtique, nec de cibo deinceps ſolicitus eſſes, multò magis cùm omnia tibi diuina voluntate quaſi è fontibus emanāt, omni cura expers eſſe debes. Idcirco enim hæc dicunt, vt tam ſibiipſis quàm diſcipulis ſuis perſuadeāt, vt ab omni ſeculari cura immunes ſe cōſeruent, ac ne quis ſuſpicetur pro ſeipſis ſolummodo gratias Deo reddere, ſubiungunt: Qui omni carni cibum præbes. ita quaſi vniuerſi orbis parentes pro omnibus gratias agunt, & ad fraternam omnium dilectionem ſeipſos inſtruunt. non enim poſſunt eos odiſſe pro quibus, quia diuinitus nutriantur, Deo gratias agāt. Perpendis in actione gratiarū & præcipuam charitatem adeſſe, & ſecularē calcari ſolicitudinem. Nam ſi carnem omnem nutriat, multò magis alet eos, qui ſemper ei adhærēt: & ſi eos qui ſecularibus curis inuoluti ſunt, quātò magis illos qui omnia hæc mundana contemnunt? Quā

Luc.12. rem Chriſtus etiam confirmans, dicebat: Quot paſſeribus meliores vos eſtis? His enim verbis inducit nos, vt non opibus, & terræ ſeminibus confidamus, quoniam non his, ſed verbo Dei alamur. Cæterùm hoc exordio hymni, Manichæos quoque ac Valentinianos, & vniuerſum illorum morbum retrudūt. Non enim nequam & prauus poteſt eſſe ille, qui omnibus ipſis etiam nō adorantibus, immo blaſphemantibus eum, affatim ſua proponit. Deinde ſequitur: Reple lætitia & gaudio corda noſtra. De quánam lætitia dicunt? de ſecularíne? Minimè. non enim profectò, ſi hāc expeterēt, deſerta loca & montiū cacumina peterēt, nec cilicio ſibi opus eſſet: ſed illam optant lætitiam, cui nihil cum vita præſente commune eſt. Illam dico, quæ angelorum eſt, quæ ſuperna eſt. Nec ſimpliciter eam petunt, ſed cum exuberantia. Non enim dicūt præſta, ſed reple: nec dicūt nos, ſed corda noſtra. Hæc enim maxima lætitia & pręcipua

Galat.5. eſt, quæ cordis eſt. Fructus enim ſpiritus, inquit, charitas, lætitia, & pax. Et quoniam mœſticia peccato inducta eſt, orant vt per gaudium iuſtitia in cordibus eorum plantetur: nec ſanè aliter lætitia vnquam vera poteſt generari. Vt ſemper ſatis habentes, ad omne opus bonum abundemus. Vide euangelicum illud dictum ab ipſis

Supr.6. & Luc.11. impleri, quo dicitur: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Quem panem etiam propter ſpiritualia quærunt, Vt ad omne opus bonum abūdemus, ſubiungentes. Nec dixerunt, vt faciamus ſolum quod debemus, ſed vt vlterius etiam quàm nobis iniunctum eſt, progrediamur, hoc enim ſignificat, vt ad omne opus bonum abundemus; ſic à Deo quidem, quod ſibi ſatis ſit in rebus neceſſariis petunt: ipſi verò maiora & plura quàm ſufficiant, immo autem omnia offerre parati ſunt. Hoc ſeruorum non ingratorum eſt, hoc virorum qui verè philoſophantur, vt ſemper & in omnibus bonis abundare velint. Deinde vt imbecillitatis ſuæ memores ſint, nec obliuiſcantur, nihil abſque Dei nutu generoſum fieri poſſe, cùm dixerint, vt ad omne bonum

Epheſ.5. opus abundemus, adiiciunt, In Chriſto Ieſu domino noſtro, cum quo tibi gloria, honor & imperium cum ſancto Spiritu in ſæcula, amen. Æqualem principio finem per gratiarum actionem texuerunt. Deinde videntur iterum exordiri, cùm eandem orationem continuant. ſic & Paulus in quodam exorſu epiſtolæ, cùm in

Galat.1. glorificationem deueniſſet dicens: Secundum voluntatem Dei & Patris, cui gloria in ſæcula, amen. ingreditur materiam rurſus de qua ſcripſerat. Et alibi rur-

Rom.1. ſus: Et coluerunt & ſeruierunt creaturæ potius quàm creatori, qui eſt benedictus in ſæcula, amen: non abſoluebat orationem, ſed continuabat. Nemo igitur hos

A angelos incuſet, tanquam ſermonis ſeriem confundentes, qui leges apoſtolicas ſequentes, quanuis in glorificationem exiſſe videantur, ſacrum tamen hymnum continuant. Sed à glorificatione cœperunt, & in glorificationē diuerterunt, & poſt huiuſmodi clauſulam ceu iterum exorſi dicunt, Gloria tibi Domine, gloria tibi ſancte, gloria tibi rex, quoniam dediſti nobis eſcas in lætitiam. non enim pro magnis ſolùm, verumetiam pro minimis gratiæ agendæ ſunt: quanuis etiam hinc Manichæorum hæreſim, & omnes qui præſentem vitam malam arbitrantur, repellant. nam ne quis propter arduam eorum philoſophiam & ventris contemptum ſuſpicetur, quòd eſcas ſicuti illi qui ſe ſuffocant, abominentur: his verbis docent omnes, quòd non abominatione creaturarum Dei, ſed quia ſublimiori philoſophia viuere ſtatuerunt, à pluribus ſe abſtinēt. Tu autem conſidera quo modo ab actione gratiarum propter illa quæ iam data ſunt, ad petitionem maiorum accedunt,

B nec in rebus ad hanc vitam pertinentibus inſiſtunt, ſed ſuper cœlos aſcendunt, & dicunt, Reple nos Spiritu ſancto. Non enim probè, ac vt oportet, agerę poſſumus, niſi gratia illa repleti fuerimus. Quis enim poteſt generoſè quicquam facere, niſi Chriſti nutus accedat? Sicut igitur poſtquam dixerunt, vt ad omne bonum opus abundemus, in Chriſto Ieſu adiunxerunt: ita hìc dicunt, reple nos Spiritu ſancto, vt inueniamur in conſpectu tuo acceptabiles, nec pudefiamus. ac ſi dicerent, Nulla cura eſt nobis, ne verecundemur in conſpectu hominum, ſed quæcunque de nobis homines aut ridentes aut exprobrantes dixerint, ad ea nec vertimur quidem: totum autem hoc certamen nobis eſt, ne tunc verecundemur. His dictis ignei tandem fluuij recordantur, & præmiorum mentionem faciunt: nec dicunt ne puniamur, ſed ne pudefiamus: id enim nobis etiam gehenna ipſa terribilius eſt, ſi videbimur Dominum offendiſſe. Quod quia multos & rudiores non terret,

C addunt. Quando vnicuique reddes ſecundum opera ſua. Vides quantum nobis aduenæ ac peregrini profuerunt, hi dico eremi habitatores, immò verò cœlorum ciues: nos certè qui harum vrbium ciues ſumus, peregrinamur à cœlo, illi autem econtrà. Qui poſt huiuſcemodi orationem ac hymnum magna compunctione commoti, ac feruentioribus & largioribus lachrymis perfuſi, ad ſomnum gradiuntur, tantum dormientes, quantum neceſſe ad requiem eſt: ac rurſus ex noctibus dies facientes, in actionibus gratiarum, glorificatione & pſalmis viuunt: nec viri ſolum, ſed mulieres etiam hoc genere philoſophandi exercentur, & naturæ infirmitatem magnitudine animi ſuperant. Vereamur igitur inuictum illarum robur, nos qui viri ſumus, & ceſſemus aliquando præſentium rerum, immo verò vmbræ, ſomniorum, ac euaneſcentis fumi cupiditate tabeſcere. Magna enim pars vitæ noſtræ ſenſu quaſi carere videtur. Iniens enim ætas multa ſtul-

D titia plena eſt, prouectior verò, & quæ iam ſenectuti admouetur, ſenſus aciem hebetiorem reddere ſolet. Ita parua illa media vitæ particula eſt, quæ deliciarum voluptate poteſt potiri: immo verò nec illa ſyncerè hoc facere poteſt, cùm mille curæ, mille labores impedimento ſint. Quare (obſecro) ſtabilia, immortaliáque illa quæramus bona, & eam vitam, in qua nunquam ſeneſcimus. Potes enim & vrbes habitare, & monachorum philoſophiam imitari. Potes & vxorem habere, & in magna familia verſari, & orare, ſimul ieiunare atque compungi. Nam & qui ab apoſtolis in principio initiati fuerunt, vrbes quidem habitabant, & eorum qui in eremo conuerſantur vitam viuebant, quorum nonnulli, vt Priſcilla & Aquila officinæ præerant: Act.18.

Universidad de Deusto Biblioteca

prophetæ quidẽ omnes & vxores & domos habebant,
Exod. 2. & 18. ſicuti Eſaias & Ezechiel, & eximius ille Moſes, & nihil
hinc virtuti eorum fuit impedimento. Horum igitur
zelo commoti ſemper gratias Deo agentes, ſemper hy-
mnis eum laudemus, & temperantiam atque reliquum
omne virtutis genus amplectamur, & eremi philoſo-
phiam in vrbes adducamus, vt apud Deum acceptabi-
les, & apud homines probati appareamus, & cœleſti-
um bonorum participes in æternum gaudeamus, gratia
& miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen.

HOMIL. LVII. EX CAP. XVI. ET XVII.

AMEN *dico vobis, ſunt quidam de hic adſtanti-*
bus, qui nunquam guſtabunt mortem, donec vi-
derint filium hominis venientem in regno ſuo.
Quoniam multa de periculis, multa de
morte, multa de paſſione ſua, & de cæde
diſcipulorum locutus eſt, & aſpera complura atque at-
que ardua eis iniunxit: quæ omnia cùm ad præſentem
vitam ſpectarent, imminere iam atque incumbere vi-
debantur: bona verò quæ pollicebatur, longiore ſpe
erant expectanda, vtputa quia ſeruarent animam ſuam
ſi perderent eam: quia in gloria patris ſui venturus ſit, &
præmia redditurus: vt viſu etiam certiores faceret
quantum capere poſſint, gloriam ſuam qua cum ven-
turus eſt, in præſenti vita ipſis vult oſtendere, & iam vi-
ſuros pollicetur, ne aut ſua, aut domini morte poſthac
doleant, & maximè Petrus. Et vide quid agit, cùm de
Ioan. 12. regno & gehenna diſſeruerit: quando enim dixit, Qui
inuenit animam ſuam, perdet eam, & quicũque perdet
eam gratia mei, inueniet ipſam: &, quia vnicuique ſe-
cundùm opera ſua reddet: regnum & gehennam deſi-
Rom. 2. gnauit. Cùm igitur de vtriſque diſſeruerit, regnum qui-
dem vt oculis cernatur concedit, gehennam autem mi-
nimè. Quare ſic? quoniam rudioribus ac ineptioribus
id neceſſarium erat, probis verò & iam perſpicacibus
ſatis fuit à melioribus confirmari: præterea hoc multò
magis ipſum decebat: non tamen omnino illam par-
tem prætermiſit, ſed eſt quando atrocitatem gehennæ
quaſi ante oculos oratione proponit: veluti quando
Luc. 16. Lazari effigiem deſcripſit, & eius meminit qui dena-
Infrà 18. rios centum repetiit, & illius qui ſordida veſte veſtitus
Infrà 22. erat. *Et poſt dies ſex aſſumpſit Ieſus Petrum, Ioannem & Ia-*
CAP. XVII. Luc. 9. *cobum.* Alius autem euangeliſta, poſt octo, ait: nec vlla
certè diſſonantia eſt. Nam alter tam illam diem qua
Chriſtus locutus eſt, quàm qua in montem adduxit: al-
ter intermedias ſolùm connumerauit. Tu verò Matthęi
philoſophiam conſidera, qui non celauit nomina eo-
rum qui præpoſiti fuerant: quod & Ioannes ſæpius fa-
cit, cùm eximias Petri laudes veriſſimè ac diligẽtiſſimè
deſcribat. Nullum enim in hoc Apoſtolorum cõſortio
liuor aut inanis gloria locum habebat. Primos igitur a-
poſtolorum ſeorſum aſſumpſit. *Et ſubducit illos in montẽ*
excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos, & reſplenduit
facies eius ſicut Sol: veſtimenta verò eius facta ſunt alba ſicut
† *nix.*] *Et ecce apparuerunt eis Moſes & Helias loquentes cum*
lumen.) *ipſo.* Quam ob rem hos ſolos accipit? quia excellentio-
res cæteris videlicet erant. Et Petrus quidem, quia val-
de Chriſtum diligeret, idcirco præſtabat. Ioannes verò,
qui nimiũ diligebatur, ac Iacobus à reſponſo quod de-
Infrà 20. dit, cum fratre interrogatus dicens, Poſſumus hunc ca-
licem bibere: & nõ ſolum à reſpõſo, ſed etiam ab operi-
bus tũ aliis, tum ab his per quæ impleuit quod dixerat:
ſic enim acer atque grauis Iudæis erat, vt magnum mu-
nus illis obtuliſſe, cùm eum interfecerit Herodes, viſus
ſit. Cur autẽ nõ illico, ſed poſt ſex dies hoc fecit? ne cæ-
teri ſcilicet diſcipuli ſeu homines mouerentur. Quade

A re nec eos nominauit quos accepturus erat? Ne audiẽ-
tes alij ardore ſequendi vexarentur: deſideraſſent enim
exemplum futuræ gloriæ videre, doluiſſent etiam for-
ſan tanquam neglecti. Nam & ſi corporale magis illud
oſtendebatur, ſumma tamen erat cupiditate deſideran-
dum. Cur autem id prædixit? Vt ipſa prædictione do-
ciliores ac paratiores ad ſpectaculum faceret, & dierum
numero, atque mora maiori deſiderio concitati, vigi-
lanti animo, & attenta mente accederent. Cuius autem
rei gratia Moſem & Heliam produxit? Multas quidem
dicere quis cauſas poſſet, & primum quoniam turbæ,
alij Heliam, alij Hieremiam, alij priſcorum propheta-
rum vnum opinabantur: idcirco Moſem & Heliam
cæterorum prophetarum vertices producit, vt quàm
magnum ſit inter ſeruos & dominum diſcrimen o-
culis cernerent, vtque rectè laudatum crederent Pe-
trum, qui filium Dei eum confeſſus eſt. Deinde quo-
niam aſſiduè quaſi tranſgreſſorem legis Iudæi accuſa-
B bant, & blaſphemare putabant, quaſi gloriam Patris
nihil ad eum pertinentem vendicaret. Dicebant enim,
hic non eſt à Deo, quia ſabbatum non ſeruat. & rurſus: Ioan. 9.
De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, Ibid. 10.
& quia tu, homo cùm ſis, Deum te facis, vt ipſa re mõ-
ſtretur, quòd ex inuidia hæc criminabantur, quódque
neutri horum criminum ſubiiceretur, nec Legis præ-
uaricator eſſet, nec alienam gloriam ſibi acquireret, æ-
qualem ſe Patri faciendo: eos produxit in medium,
quorum alteruter in alterutra iſtarum rerum perfulſit.
† Moſi] enim Legem dedit, quare non fuiſſet paſſus Mo- Moſes)
ſes conculcari Legem vt Iudæi credebant, nec præua- Deut. 5.
ricatorem eius, & legũlatori hoſtem lator ipſe vnquam
coluiſſet. Helias autem pro gloria Dei zelo vtique
commotus fuiſſet, quare non aſtitiſſet ei qui æqualem
ſe Patri dicebat ſi non eſſet, nec paruiſſet illi qui ſibi
quod non habebat vendicaret. Ad hæc omnia illud e-
tiam poſſumus dicere, vt tam mortis, quàm vitæ habe-
C re poteſtatem liquido ac verè crederetur, vtque ſuper-
norum & infernorum dominus oſtenderetur, idcirco
Moſem iam mortuum, & Heliam, qui nondum id paſ-
ſus eſt, in medium produxit. Quartam verò cauſam
(quarta enim eſt prioribus connumerata) euangeliſta
quoque ipſe tetigit. Quænam igitur illa eſt? Vt Crucis
gloriam oſtendat, & tam Petrum quàm reliquos, qui
paſſionem formidabant, conſolaretur, & ad ſublimius
erigeret. Non enim tacebant, inquit, ſed loquebantur
de * gloria, quam completurus erat in Hieruſalem, de Luc. 9.
Cruce videlicet, ac paſſione: ſic enim ipſam ſemper ap- * Chryſ. pro ἔξοδον legiſſe videtur, δόξαν.
pellabant. Accedit ad hæc omnia virtus quoque viro-
rum illorum ſingularis atque præcipua, quam maximè
à diſcipulis flagitabat. Nam quoniam dixit: Si quis vult Luc. 9.
poſt me venire, tollat crucem ſuam, & ſequatur me: Sap. 16.
hac de cauſa eos qui centies pro Dei præceptorum cu-
ſtodia, & populi qui ſibi creditus fuerat, mortem ſuſce-
piſſent, in medium producit: quorum vterque cùm a-
D nimam perdiderit, inuenit eam: vterque ſanè magna li-
bertate aduerſus tyrannos locuti ſunt: alter aduerſus
Ægyptium, alter aduerſus Achab, & quod magnum
eſt, pro ingratis hominibus & inobedientibus, à quibus Exod. 5.
in atrocia pericula cõpulſi ſunt: qui etſi priuati ac abſq; 3. Reg. 17.
poteſtate fuerant, propoſitum tamen habuerũt ab ido-
lorum cultu populum eripere: quorum alter tardus lin-
gua, & voce tenuis, alter etiam aliquo modo ruſticior,
& vterque ſecularium diuitiarum apprimè cõtemptor.
Nam neque Moſes quicquã poſſidebat, nec Helias prę- Exod. 4.
ter melotem aliquid habebat, præſertim cùm veteris eſ-
ſent teſtamenti, neque tanta gratia ſignorum pollerẽt.
Nam etſi mare Moſes ſcidit, ſed Petrus ſuper maria deã-
bulauit, mõtes transferre poterat, varios morbos cura- Exod. 14.
bat, im-

bat, immaniſſimos dæmones pellebat, & ſola vmbra
corporis miraculoſa agebat, & vniuerſum orbem ad
3. Reg. 17. Chriſtum reduxit. Si verò etiam Helias mortuũ ſuſci-
tauit: ſed ab iſtis mille, vel antequam Spiritu eſſent do-
nati, fuerant excitati. Produxit igitur illos etiã propter
hoc in medium, vt eos qui maximè populares fuerunt
imitarẽtur, & animi robur atq; conſtantiam ſequeren-
tur, fierentq; mites vt Moſes, zelotę vt Helias, & de aliis
ſimiliter ſoliciti. Alter enim triennem annonę inopiam
ad emendandum Iudaicum populum intulit. alter di-
3. Reg. 17. cebat, Si quidem dimiſeris eis peccatum, dimitte: ſi au-
Exo. 32. tem non, dele me libro tuo quem ſcripſiſti. Ad hæc o-
mnia ſuæ quoq; gloriæ apoſtolos admonebat, cùm aſ-
ſiſtere feciſſet, non vt ad ſimilem ſolùm, ſed vt ad maio-
Luc. 9. rem certando ſtatum conſcenderent. Quare quando
4. Reg. 1. dixerunt, dicamus ignem de cœlo deſcendere, & He-
liæ qui hoc fecit, meminerunt, Neſcitis, reſpondit, cu-
ius ſpiritus eſtis: ad patientiam eos ac malorum tolerã-
tiam per doni præſtãtiam exercebat. Non putet autem
aliquis Heliam nos tanquam imperfectum vilipende-
re: perfectum enim illum omnino, temporum tamen
ſuorum conſideratione arbitramur fuiſſe. Nam cùm
puerilior tunc, vt ita dicam, mens hominum fuerit,
non tam exquiſita egebat doctrina. Hac quoque ratio-
ne Moſem perfectum æſtimamus fuiſſe, & tamen plus
Sup. 5. ab apoſtolis petitur, quàm ab illo fuit deſideratum. Niſi
enim abũdauerit iuſtitia veſtra, inquit, plus quàm ſcri-
barum & Phariſæorum non intrabitis in regnum cœ-
lorum. Non enim in Ægyptum ſolum, ſed in vniuer-
ſum terrarum orbem non minore idololatriæ inſania
furentem mittebantur: neque vt cum Pharaone lo-
querentur, ſed vt aduerſus ipſum diabolum vitioſitatis
Mar. 3. principem arma ſumerent. Illud certè ipſis luctamen
fuit propoſitum, vt diabolum vincerent, & vaſa eius
omnia raperent: quæ quidem fecerunt, non mare diui-
dentes, ſed impietatis profundum maioribus inſurgens
fluctibus virga Ieſſe dirumpentes. Et expende diligen-
ter, quot quantáque erant quæ illis terrorem incutie-
bant, mors, paupertas, infamia, & mille paſſiones, qui-
bus omnibus magis terrebantur, quàm tunc mari ru-
bro Iudæi. Perſuaſit tamen eis, vt omnia deſpicerent, &
quaſi ſicco itinere ſecuri pertranſirent. Ad hæc igitur
omnia ipſos confirmans, viros adduxit, quorum virtus
apud veteres rutilauit. Quid igitur ait feruentiſſimus il-
le Petrus? *Bonum eſt nos hîc eſſe.* Nam quoniam audiuit
Sup. 16. & Mar. 8. iturum ad Hieroſolymam vt pateretur, metuens adhuc
illi ac tremens, & poſt increpationem accedere qui-
dem non audet: nec rurſum iſtud idem dicere, Propi-
tius tibi ſis: præ metu tamen illo eadem aliis verbis oc-
cultius ſuggerit. Nam cùm montem & ſolitudinem
viderit, exiſtimauit quòd multam haberet à loco ſecu-
ritatem. Nec ſolum propter locum, verumetiam pro-
pterea quòd ipſe amplius Hieroſolymam non accede-
ret. Volebat enim ipſum ibi perpetuò manere: quocir-
ca & tabernaculorum mentionẽ fecit. Cogitabat enim
ſi non aſcenderet in Hieroſolymam, non moriturum
Chriſtum, quia ibi audiuit ſcribas eum aggreſſuros: hęc
cùm dicere non auderet apertè, occultius adſtruit, di-
4. Reg. 1. cens. Bonum eſt nos hîc eſſe, vbi Moſes & Helias quo-
Exo. 33. que adſunt. Helias qui de cœlo fecit ignem deſcende-
re: Moſes qui ingreſſus in caliginem cum Deo collocu-
tus eſt: præterea nullus ſciet hîc nos eſſe. Vides quanto
Chriſti ardore incendebatur. Non enim quęrere debes
quàm prudenter hortabatur, ſed quàm feruens charita-
te Chriſti, quámq; inflammatus eſſet. Nam quòd non
pro ſe tantum, quantum pro Chriſto timeret, quando
mortem & inſidias Chriſtus prædicabat, ipſum audias
Mar. 14. dicentem: Animam meam pro te ponam: etſi oportue-

A rit me tecum mori, non te negabo: vnde factum eſt, vt
in medio periculo conſtitutus, tam ingenti caterua cir-
cunfuſus, non modò non fugerit, verumetiam gladio
arrepto ſacerdotis ſerui aurem abſciderit. Nõ itaq; pro
ſe, ſed pro magiſtro expaueſcebat. Deinde quoniam
bonum eſt nos hîc eſſe, abſolutè dixerat, timens ne ite-
rum increparetur, emendauit ſeipſum dicens: *Si vis, fa-*
ciamus hîc tria tabernacula, tibi vnum, Moſi vnum, & Heliæ
vnum. Quid facis Petre? nónne paulò antè à ſeruis eum
ſeparaſti, cur ſeruis modò connumeras? Perpendis quo
modo ante Crucem erãt imperfectiores. Nam etſi Pa-
ter ei reuelauit, ſed non continuè reuelationem ſecum
tenebat, ſed pauore, non quo diximus ſolùm, ſed etiam
eo qui tunc viſu ipſum inuaſit, turbatus fuit: quod alij
euangeliſtæ ſignificantes, & confuſionem mentis à vi-
ſione illa factam oſtendentes: Marcus quidem dicit,
Non enim ſciebat quid loqueretur, perterriti nanque Marc. 9. Luc. 9.
fuerunt: Lucas verò cùm illud poſuerit, faciamus hîc
B tria tabernacula, ſtatim ſubiunxit, neſciens quid dice-
ret. Deinde oſtendens magno fuiſſe omnes terrore de-
iectos, Grauati erant ſomno, ait, & cùm euigilaſſent, vi-
derunt gloriam eius. Somnum enim hîc vocauit, ma-
gnam reſolutionem virium quæ ab illa viſione facta
fuit. Nam veluti oculi ex nimio fulgore obtenebran-
tur, ſic tunc illis euenit. non enim id in nocte, ſed in me-
dia die accidit, & ſplẽdoris excellentia imbecillitatem
oculorum grauabat. Quid deinde? ipſe quidem nihil lo-
cutus eſt, ſed nec Moſes, nec Helias, Pater autem omni-
bus maior, & fide dignior, magnam ex nube vocem e-
mittit. Quamobrem ex nube? Sic ferè ſemper Deus vi-
detur. Nubes enim & caligo in circuitu eius. & ſedet in Pſal. 96.
nube leui. &, Qui poſuit nubem aſcenſum ſuum. Et, Pſal. 103.
Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Et, quaſi filius Acto. 1. Mar. 13.
hominis veniens in nubibus. Vt igitur credant ab ipſo Dan. 7.
Deo vocem venire, à nube vox emittitur quæ lucidiſ-
ſima erat. *Adhuc enim*, inquit, *eo loquente, ecce nubes luci-*
C *da obumbrauit illos, & ecce vox de nube, dicens: Hic eſt filius*
meus dilectus, in quo mihi benè cõplacui, ipſum audite. Quan-
do enim minatur, tenebroſam nubem oſtendit, quem-
admodum in Sina. intrauit enim, ait, in nubem & in
caliginem Moſes, & velut vapor ita ferebatur fumus. Exod. 24.
Et propheta de minis eius differens, Tenebroſa, inquit, Pſal. 17.
aqua in nubibus aëris. hîc verò, quia nõ terrere, ſed do-
cere volebat, lucida nebula videtur. & Petrus quidem
dicebat: Faciamus hîc tria tabernacula. ipſe autem ta-
bernaculum nullis factum manibus oſtendit: ideo ibi
fumus & vapor fornacis, hîc vox & lux ineffabilis. Vt
autem nulla dubitatio emergeret de quónam è tribus
vox emitteretur, vtq; de Chriſto ſolum dictum eſſe in-
telligerent, illis iam duobus, Moſe ſcilicet & Helia re-
motis, vox fertur: *Hic eſt filius meus dilectus.* Nullo me-
tu Petre mouearis, oportet enim iam te omnipoten-
tiam eius non ignorare, ac de reſurrectione certiorem
eſſe: verùm quoniam adhuc dubitare videris, ſaltem à
D voce Patris fidentior eſto. Si enim omnipotens pater
eſt, proculdubio etiam filius omnipotẽs eſt. quod ſi ad-
huc formidas & paueſcis, non ſolùm filium eſſe, ve-
rumetiam dilectum ſcito. Hic eſt enim, ait, filius meus
dilectus. Quòd ſi amatur, ne metuas: nemo perdit
quem amat. Noli ergo turbari, non potes tu magis i-
pſum diligere, quàm à parente ametur: *In quo mihi bene*
complacuit. Non enim quia genuit, idcirco tantummo-
do diligit, verumetiam quia cùm ſit ipſi æqualis in o-
mnibus, eiuſdem etiam penitus eſt voluntatis. Du-
plex igitur, immo verò triplex dilectio eſt, quia filius,
quia dilectus, quia benè in ipſo ſibi complacui. Quid
porrò ſignificat, in quo mihi bene complacuit? ac ſi di-
ceret, in quo requieſco, in quo acquieſco & oblector.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæ ideo ita se habent, quia per omnia Patri æqualis vnam cum Patre voluntatem habet: & cùm permaneat filius, vnus omnino est cum Patre. Ipsum, inquit, audite. quare si Crucis patibulum sustinere vult, non contradicas. *Et cùm audissent discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Et accessit Iesus & tetigit eos, & dixit: surgite, nolite timere. Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi Iesum solum.* Quo modo autem hæc audientes perculsi sunt, cùm iam antè similis vox in Iordane audita fuerit, nemo ex turba qui aderat expauit: & iterum quando tonitru factum fuisse dicebant, nullus commotus fuit: quo modo, inquam, nunc timore perculsi ceciderunt? Quoniam videlicet solitudo & altitudo montis ingens, & transformatio plena horroris, lux fulgentissima, profunda nubes & lata, hæc omnia magnum vndique illis pauorem inferebant, & ceciderunt trementes simul atque adorantes. Ne autem ex timore diuturniore obliuio fieret, citò eos liberauit, & solus ipse visus mandauit eis, ne cuiquam dicant, donec à mortuis resurrexerit. *Cùm enim descenderent de monte, præcepit illis dicens, Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.* Nam quantò maiora de ipso dicebantur, tantò difficiliora tunc creditu multis videbantur, & scandalum quod à Cruce oriebatur, multò magis inde crescebat: idcirco silentium iussit, neque id simpliciter, sed cum passionis mentione, quasi causam exponat, quare opus silentio sit. Non enim perpetuum indixit silentium, sed donec à mortuis resurrexerit. atque hic quod iucundum erat, solùm dixit: asperum verò atque amarum, silentio tradidit. Quid igitur postea? nónne id post resurrectionem scandalum passi sunt? Minimè: De tempore enim quod crucem præcedebat, agitur. Nam postea & spiritu recepto, & signis clara voce attestantibus, cæterisque rebus omnibus ad declarandam omnipotentiam ipsius vndique confluentibus, nullo scandalo poterant commoueri. Nihil ergo apostolis, & maximè his tribus qui sub nube vnà cum Domino fuerunt, beatius inuenitur. Verum si voluerimus nos quoque Christum, non vt illi tunc in monte videbimus, sed multò certè fulgentiorem. Nam tunc discipulis parcens, tantum splendorem adaperuit, quantum illi percipere poterant: in extremo autem die in ipsa gloria atque maiestate Patris, non cum Mose & Helia solis, sed cum innumero angelorum, archãgelorum, aliarúmque potestatum exercitu, cúmque innumeris tribubus & populis veniet, nulla nube caput eius contegente, verumetiam mirum in modum cœlo compresso: & quemadmodum cùm publicè sententiam iudices prolaturi sunt, velamina stratores contrahunt, vt ab omnibus videantur: sic in solio suo sedentem vniuersi conspicient, & vniuersum genus hominum iudicio aderit, quos ipse non per alium, sed per seipsum alloquetur: & aliis quidem dicet, Venite benedicti patris mei: esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Aliis quidem: Euge serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Contrà verò aliis: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Aliis verò, Male serue, ac deses. & hos quidem dissecabit, & tradet tortoribus: hos verò manibus & pedibus ligatis in tenebras iubebit immitti exteriores. Ita post securim fornax succedet, & qui à sagena proiiciuntur, illuc præcipitabuntur. Tunc quasi sol iusti, immo verò multò magis quàm sol resplendebunt. Non enim id dictum est, quoniam tantus splendor eorum futurus est: verùm quia nihil sole fulgentius videmus, ab eo quod nobis notissimum est, futurum designare sanctorum splendorem voluit. Hac enim de causa & in monte sicut sol effulsisse scribitur. Nam maiorem lucem illam fuisse, quàm sit hæc solaris: inde patet, quia discipuli cùm ferre non possent, ceciderunt. Si enim non fuisset lumen immodicum, sed Soli æquale, nequaquam cecidissent, sed facilè sustinuissent. Sic igitur iusti solem fulgore superabunt, peccatores autem extrema supplicia patientur. Non erit tunc opus chirographis, non argumentis, non testibus, omnia enim hæc in ipso iudice sunt, ipse testis, ipse accusator, ipse iudex. Omnia enim manifestè nouit. nam omnia nuda & aperta sunt oculis eius, non diues, non pauper, non robustus, non imbecillis, non sapiens, non insipiens, non seruus, non liber aliquis ibi videbitur: sed his laruis cõtritis, operum solummodo erit scrutatio. Nam si quando de tyrannide, aut de cæde quispiam causam dicit, quicunque fuerit, siue præfectus, siue cõsul, siue quauis alia dignitatis excellens præstantia, nihil penitus valet, sed condemnatur, ad pœnam arripitur: multò magis id tunc in omnibus pariter fieri videbitis. Quod ne fiat, deponamus obsecro sordidos peccatorum amictus, & arma lucis diligenter induamus, & gloria Dei amiciet nos. Quid enim ex præceptis graue, vel potius quid non facile: Audi quid dicat propheta, & tunc facilitatem intelliges. Neque si incuruaueris quasi circulum collum tuum, & cilicium & cinerem subtraueris, neque sic vocabis ieiunium acceptabile. Sed solue omnem colligaturam iniquitatis: dissolue obligationes violentarum cautionum. Vide quanta sapientia loquitur propheta: posuit prius & abstulit difficiliora, & à facilibus saluari iubet, vt cognoscas non labores, sed obedientiam à Deo exposci. Deinde ostẽdens virtutis facilitatem, & grauissimum vitiositatis onus, nudisque nominibus id comprobans, colligaturam & obligationes, vitium: virtutem verò horum omnium dissolutionem appellat: omnem conscriptionem iniustam perrumpe, fœnoris videlicet, ac vsurarum literas ita appellans: Dimitte confractos in remissione, miseros videlicet. Talis quippe debitor est, qui cùm viderit creditorem, mente infringitur, & magis cum quàm atrocem bestiam formidans, consternatur. Pauperes tecto carentes in domum tuam inducas: si videris nudum, operi eum, & proprios seminis tui non despicias. Et quoniam pridem hac de re disputantes, quàm magna præmia, quàm inæstimabiles diuitiæ iustis reseruentur, monstrabamus: videamus nunc si quid horum mandatorum difficile sit, & naturam humanam transgrediens. Nihil igitur tale profectò, sed econtrà, incredibilem in his facilitatem, in omni autem vitio maximum laborem & sudorem non paruum inueniemus. Quid enim difficilius, quàm fœnerari, & pro vsuris vel huiusmodi commutationibus vehementer solicitum vades quærere, & modò de pignoribus, modò de sorte, nunc de tabulis, nunc de vsuris, nunc de vadibus ipsis formidare? in his enim secularibus etiam subtilis fideiussionum securitas suscepta, fragilis est: ex misericordia verò de tuis offerre tam facilè, quàm ab omni curá liberum est. Non vtamur ergo illa mercatura, quæ calamitatem aliis infert: nec quæ liberaliter offerenda sunt, ceu caupones fœneremur. Non sum autem nescius molesta hæc verba multis videri: verùm quoniam nullum emolumentum silentij est, apertè mihi dicenda esse omnia video: quippe si tacuero, nec verbis vos exagitauero, non potero per taciturnitatem à supplicio vos liberare: immo verò econtrà non solùm vestræ afflictiones futuræ augentur, verumetiam meæ crescunt. Quid igitur valet blãda verborum palpatio, quę non modò non iuuat ad opus, verumetiam vehementer no-

Supr. 3. & Ioan. 1. Ioan. 12.

Esa. 58.

Esa. 58.

Esa. 58.

Ad Heb. 4.

Infr. 25. Ibidem

Ibidem

Ibidem

ter nocet? Quid lucrabror si lætitiam vobis afferã verbo, & re ipsa mœrorem præparabo? Si delicatissimum aurium sensum demulceam, & animam in pœnas detrudam? Quare necesse est mœrorem hic inferre, ne ibi atrociter puniamur. Grauis dilectissimi morbus, & magno studio indigens in Ecclesiam incidit. Nã cùm neque à iustis quidem laboribus recondere pecuniam iubeamur, sed apertas pauperibus domos tenere, ex aliorum inopia opes nobis colligimus, excusabile auariciæ ac rapinæ genus inuenisse putantes. Nec de illis quicquam mihi dicas, quæ exterioris sunt legis. Nam & publicanus exteriorem seruat legem, & tamen punitur: quod sanè nos quoque patiemur, nisi desinamus pauperes conterere, atque egestate necessarióque alimento & penuria in cauponationem impudentem abuti. ea enim de causa pecuniis abundas, vt paupertate homines liberes, non vt in paupertatem cauponando intrudas: tu verò simulatione solaminis maiores facis ærumnas, & liberalitatem vendis fœnore. Vendas licèt, si vendis regno cœlorum, nec centesimã partem, abiectum certè & minimum liberalitatis precium, sed vitam rapis immortalem. Quid ita pauper & egenus es, ita pusillanimus, vt paruo magna, & caduci pecuniis liberalitatem vendas, cum paucis æterno regno vendere? Cur omisso Deo, humano lucro solicitaris? Cur diuitem transcurristi: & pauperi adhæres? reliquisti eum qui reddere potest, & ingrato ac inopi loqueris? Ille restituere desiderat, hic non reddet nisi coactus: hic vix centesimam partem reddit, ille centuplum & vitam æternam: hic conuicio & contumeliis, ille singulari ac præcipua laude: hic inuidiam multorum in te suscitat, ille immarcescibiles tibi coronas connectit: hic deinde vix in hac vita, ille tam in hac quàm in futura. Putásne igitur extremæ non esse amentiæ nescire lucrari? Nescis quot homines sortem amiserunt fœnoris expectatione, quot in pericula deciderunt, quoniam ampla desiderarunt fœnora, quot tam seipsos, quàm alios in vltimam deuoluerunt paupertatem propter nimiam auariciam? Noli enim mihi dicere, quæso, quia gaudet & gratiam habet, quod sibi fœnore pecuniam colloces: id enim crudelitate tua coactus fecit. Nam & Abraham cùm vxorem barbaris traderet, ipse modum inuenit, quo facilius vxor susciperetur. Non libenter autem, sed timore Pharaonis impulsus: sic & pauper postquam eare tu dignum non putas, cogitur crudelitati gratias agere. Tu autem mihi videris si à periculis hominem vindicares, mercedem ab eo flagitare, quoniã liberasti. Minimè, inquies. Quid dicis? Si à maioribus liberasti, pecuniam non exiges, qui pro multo minore tantam inhumanitatem ostendis, nec vides quòd intentantur pœnæ? Non audis quia veteri etiam testamento prohibetur? Sed quænam est multorum excusatio? Fœneratus sum, aiunt, sed pauperi obtuli. Bona verba quæso, talia Deus sacrificia non accipit. Noli cauillari Legem. Multò melius est non dare pauperi, quàm hoc modo dare. Quod enim iustis laboribus collectum argentum est, propter hos iniquos fœtus plerunque contaminas, quasi quis fœcundum cogat vterum scorpiones parere. Cur autem dixi legem Dei te cauillari? an non & vos vsuras sordes appellatis? Quòd si qui lucrum percipiunt, ita censent: cogita iam qualis Dei de hac sententia sit. Quòd si exteriores legum conditores interrogare volueris, disces ab illis quia extremæ impudentiæ signum fœnus semper iudicatum est: quare nec amplissimos homines quos senatores appellant, huiusmodi emolumentis deturpari sinunt, sed lege prohibent, ne qui rempublicam gerunt, tali lucro maculentur. Quo modo igitur horrescere non oportet, si tantum regno cœlorum honorem non tribuis, quantum legislatores senatui? Sed minus tibi cœlum videtur, quàm terra: nec te pudet talem in hac re excusationem excogitare. Quid enim irrationabilius inueniri potest, quàm vt sine agro & pluuia & aratro seminare contendas? Has ob res omnes qui hanc pestiferam agriculturam adinuenerunt, zizania metunt, quæ igni æterno tradentur. An forsan viuendi iuste modi non inueniuntur? Num sunt ægrorum cultus, gregis pabula, armentorum custodia, manuum operatio, solers rerum tuarum cura? Quid insanis, quid cespitas, agricultura spinarum occupatus? sed aduersantur, inquies, frugibus terræ multa, grando, rubigo, imbres copiosi. Sit sanè, non tamen tot tantáque illis contraria sunt, quot fœnori. Quicquid enim accidit, fructui solummodo nocet: sors autem, id est ager, semper inuiolabilis remanet. In hac verò tua mercatura multi sortis etiam naufragium pertulerunt, & antequam detrimentum patiantur, continuis curis vexantur. Nunquam enim rebus suis iucundè vtitur fœnerator, nec lætatur quoniam habet, sed quando sibi fœnus allatum est, non tantùm gaudet quòd additio facta sit, quàm mœret quòd nondum vsuræ sortem adæquarunt: ac ideo antequam pernicios̃us iste fœtus perfectior edatur, cogitur alium fœtum producere: ita fœnora in sortem redire compelluntur, & immaturum ac abortiuum partum párere viperarum. Tales certè isti fœtus pecuniarum sunt, vt magis miserorum animas corrodant, quàm illæ feræ aluos parentum soleant lacerare. Hæc iniustitiæ vincula sunt, hic fasciculus violentarum † commutationum] Do enim, concedóque, inquit, tibi, non vt habeas, sed vt maiora restituas: & cùm Deus nolit quod dederis, accipere: date nanque illis, inquit, à quibus accipere non speratis. tu etiam plusquam dederis flagitas, & quod nunquam dedisti, illud quasi debitum exigis: & putas maiorem hinc tibi, atque affatim bonorum copiam præparari, vnde inextinguibilem ardorem ignis tibi incendis: quod ne fiat, huiusmodi pecuniarum partum excidamus, recludamus hos iniquos parturiendi dolores, exiccemus hunc pestiferum vterum, & sequamur illa quæ sola & magna lucra sunt. Quæ autem ista sint à Paulo audi, quoniam magnus quæstus est pietas cum sufficientia. His igitur ditemur diuitiis, vt & hîc iucundè viuamus, & futuris bonis fruamur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

Genes. 12.

Deu. 15. & Luc. 6.

Vide Pandectas in titulo de vsuris.

cautionũ sine contractuũ. Lucæ 6. & Deu. 15.

1. Tim. 6.

HOMILIA LVIII. EX CAP. XVII.

ET *interrogauerunt eum discipuli eius dicentes: Quid igitur dicunt scribæ, quòd Heliã oporteat primùm venire?* Nõ ergo à scripturis id sciebant, sed quoniam scribæ illis declarabãt, vulgo hæc opinio ferebatur: quẽadmodũ & de Christo, ideo & Samaritana dicebat: *Messias venit, & cùm ille venerit, nũciabit nobis hęc omnia.* ab ipsis quoq; interrogatus fuit Ioãnes, Heliásne es tu, aut prophetæ late nanq;, vt dixi, hęc de Christo & de Helia opinio animas hominum occupauerat, non tamẽ rectè ab illis hæc interpretabantur. Diuinæ nanque scripturę duos aduentus Christi testantur, quorũ alter iam factus est, alter verò futurus est: quos significauit Paulus, dicens: Apparuit gratia Dei, salutifera omnibus hominibus: erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & seculares cupiditates, modestè, iustè ac pie viuamus. Ecce de primo aduentu, audies nunc quomodo & alterum significans subiunxit: Expectantes beatam spem, & aduentum magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi.

Ioan. 4.

Ioan. 1.

Tim. 2.

Tit. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed prophetæ quoque vtriusque mentionem faciunt, & secundi cui præcursorem Heliam asserunt futurum: primi enim Ioannes fuit præcursor, quem etiam Heliam Christus appellabat, non quia Helias esset, sed quoniam ministerium Heliæ faciebat: nam sicut ille secundi aduentus præcursor erit, sic primi fuit Ioannes. Sed scribæ ista confundentes, & populum peruertentes, secundi aduentus solummodo recordabantur, & dicebant ad plebem: Si Christus hic esset, iam Helias venisset: quapropter discipuli quoque dicunt, quare igitur scribæ Heliam oportere prius venire asserunt? Hac de causa pharisæi miserunt ad Ioannem, ac interrogabant, Heliásne es tu? nullam prioris aduentus mentionem facientes: quam solutionem attulit Christus, quia scilicet Helias quidem tunc veniet, scilicet ante secũdum meum aduentum, & nunc iam Helias venit, ipsum Ioannẽ ita vocans. Si verò Thesbitem quæritis, veniet: ideo dicebat, Helias quidem veniet,
Mala. 4. & restituet omnia. Quænam omnia? Quæcunque Malachias propheta dicebat. Mittam enim vobis Heliam Thesbiten, ait, qui restituet cor patris ad filium, ne veniens percutiam terram penitus. Vides exactam diligentiam propheticæ prædicationis? Nam quoniam propter ministerij similitudinem Ioannes quoque poterat Helias nominari, ne confusio fiat, patriam adscripsit, Heliam Thesbiten appellans. Ioannes enim non erat Thesbites. Aliud etiam signũ addit, dicens: ne percutiam terram penitus: secundum atque terribilem illum aduentum significans. non enim ad feriendam terram primò venit. Non veni, ait, vt Mundum iudicem,
Ioan. 3. sed vt saluem. Quod dixit, vt expressè significaret ante illum aduentum, quo iudicium exercetur, Thesbiten esse venturum: causam quoque cur venturus sit docuit. Quænam verò causa est? Vt Iudęis credere in Christum persuadeat, ne omnes illo adueniente penitus perdantur: quam rem ipse in memoriam reducens, inquit: & restituet omnia, incredulitatem videlicet Iudæorum, qui tunc erunt residui, ad fidem conuertet. Exquisitissimè autem dictum est, qui restituet, non filij cor ad patrem, sed patris ad filium. Iudæorum enim filij apostoli erant, ad quorum dogmata pectora patrum, id est Iudæorum generis mentem conuertet. *Dico autem vobis, Helias iam venit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eo quæcunque voluerunt: sic filius hominis passurus est ab ipsis. Tunc intellexerunt discipuli quòd de Ioanne Baptista dixisset eis.* Nam & si nec scribæ, nec Scripturæ id dixerunt, tamen quoniam acutiores & attentiores facti sunt, citò illud intellexerunt, & maximè quia iam antè dixerat,
Sup. 11. Ipse est Helias qui venturus erat. Hoc loco autem quòd iam venerit, & rursus quòd Helias veniet, & restituet omnia. Sed ne turberis, neque in sermone vllum esse errorem putes, si modò quidem venturum esse, modò verò iam venisse dixerit. ambo enim hæc vera sunt. Quando enim dicit, Helias quidem veniet, & restituet omnia: ipsum Heliam dicit, & eam quæ tunc futura est Iudæorum conuersionem. Quum verò dicebat, ipse est qui venturus erat, ipsum Ioannem propter ministerij similitudinem Heliam vocabant. Nam & prophetæ vnumquemque ex probatis regibus Dauid appellabant: & Iudæos propter morum deprauationem Sodomorum principes & filios Æthiopum nũcupabant. Sicut enim ille secundi aduentus, ita iste primi præcursor fuit: quanuis & illa de causa Heliæ nomine Ioannem appellet, vt & valde se veteri scripturæ concordem, & hunc aduentum prædicatione prophetæ confirmari ostendat, ac ideo subiecit: *Iam venit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt ei quæcunque voluerunt.* Quid est, quæcunque voluerunt? In vincula cõiecerunt, contumeliis affecerunt, occiderunt, caput disco portarunt: sic & filius hominis passurus est ab ipsis. Opportunè iterum de passione sua facit mentionem, partim à Ioannis passione dolorem eorum mitigans, partim quia mirabilia signa confestim operatus est. Inuenies enim sæpius, si diligentius obseruaueris, quandocunque de passione sua locutus est, & antè & post illico miraculosè ipsum egisse. *Tunc denique incepit ostendere, quoniam oporteret eum abire in Hierosolymam, & multa pati.* Tunc istud quando significat? quando prædicatus fuit Christus, & filius esse Dei, quando in monte mirabilem eis visionem ostendit, & de gloria ipsius prophetas colloquentes apostoli viderunt, tunc apertius de passione prædixit. Posteaquam enim Ioannis historiã narrasset, subiunxit, Sic & filius hominis passurus est ab ipsis: deinde post paululum eiecto dæmone, quem discipuli expellere non potuerunt. Cùm enim in Galilæam reuer- Mar. 8.
terentur, dixit eis Iesus, inquit, tradẽdus est filius homi-
B nis in manus peccatorum hominũ, & interficient eum, & in tertia die resurget. Hoc autem faciebat, vt magnitudine miraculorum magnitudinem doloris minueret, & solamen omnimodo ipsis præberet, vt hic ex memoria Ioannis eos consolatus est. Si autem quispiam roget, si tot tantáq; aduẽtu Heliæ bona futura testatur, cur ipsum modo non misit? Quia certè quanuis Christum Heliam esse putarent, non crediderunt tamen ei. Alij enim, inquit, te Heliam esse dicũt, alij Hieremiam, Sup. 16.
& inter Ioannem & Heliam præter temporum spacia nihil interest. Quomodo igitur tunc crediturí sunt, inquies? siquidem Helias cuncta restituet, non modò sanè quia notus, verùm etiam quoniam vsque ad illum diem amplior magis, atque amplior gloria Christi solaribus iam radiis erit fulgentior: ad quæ omnia cùm prædicatio illius accedat, ad Christi fidem impellens, facillimè susципient. Cùm autẽ dicat: *Et non cognouerunt eum*: excusare illos videtur: & partim quia iniustè pas-
C surus ab ipsis est, discipulos consolatur: partim quia signis duobus dolorem obruit, altero iam in mõte facto, altero iam futuro. Cùm verò hæc audissent, aut mœrore passionis pressi, aut interrogare veriti, quando venturus sit Helias, non quæsierunt. Frequenter enim quando vident ipsum nolle quidpiam apertè dicere, tunc tacent. Quum itaque illis in Galilæa commorantibus dixisset tradendum esse filium hominis, & interficient eum: subiũxit, valde illos doluisse. Marcus autem Mar. 9.
dicit, quia ignorabant hoc verbum, & interrogare verebantur. Et Lucas, quia occultatum fuit ab ipsis hoc verbũ, ne sentirent illud, & interrogare de hoc time- Lucæ 9.
bant. *Cùm venisset autẽ ad turbam, accessit ad eum homo genua flectens ante eum, & dicẽs: Domine miserere filio meo, quoniam lunaticus est, & malè patitur. Sæpius enim cadit in ignẽ, & crebro in aquã, & attuli eum discipulis tuis, & non potuerunt eum curare.* Valde hunc hominem infirmum in fide, Scriptura ostendit, quod multis manifestũ est: vel quia
D Christus dixit, omnia esse credenti possibilia: vel quia Mar. 9. Ibidem.
ille dicebat, iuua incredulitatem meam: vel quia iussum à Christo dæmoni fuit, ne amplius in eum intraret: vel quia rursus ille Christo dicebat, si potes. Cæterùm si hominis illius infidelitate factũ est ne dæmoniũ exiret, quare discipulos criminatur? Vt ostendat quòd etiam absque fide adducentium curare poterãt. Nam quemadmodum petentis fides à minoribus miracula elicuit: sic virtus eorum qui faciunt, quanuis parum credant, adeũtes perficere potest: quæ ambo in Scripturis inueniuntur. Cornelius enim sua fide gratiam Spiritus inui- Act. 10.
tauit: & ab Helisæo minimè credente mortuus suscitatus est. Nam & qui proiecerunt, non propter fidem, sed propter metum ac simpliciter & temerè proiecerunt, & la- 4. Reg. 13.

& latronum periculum metuentes aufugerunt: ipse au-
A tem proiectus mortuus erat, & sola sancti corporis virtute surrexit. Quare non latet, quia & discipuli hac in re titubarunt, quanuis non omnes. Columnæ nanque apostolorum non aderant: sed imperfectam huius hominis illud quoque significat, quòd discipulos magna turba præsente ad magistrum accusat. Attuli enim, inquit, eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum. Christus verò ipsos coram turba excusans, maiorem culpam illi attribuit, dicens: *O generatio incredula & peruersa, vsquequo vobiscũ ero? vsquequo sustinebo vos?* Non ad hunc hominem solùm dirigit sermonem, ne conturbaret eum: sed ad vniuersum Iudæorum genus: multos enim commotos fuisse credibile est, maléq; de discipulis suspicatos. Cùm autem dicit, quousque vobiscũ ero? quàm mori sitiat, quantumq; ad Patrẽ redire desideret: & quia non sit sibi molesta passio, sed cum huiusce-
B modi hominibus conuersatio, ostendit: nec tamen increpatione Iudæorum sermonem terminauit, sed adie- cit: *Adferte huc ipsum ad me.* Interrogauitque quanto hæc tempore patiatur: tum vt discipulos hinc defenderet, tum vt meliore spe pater ductus crederet posse filium liberari: quem tamen discerpi à dæmone permisit, non ad ostentationem, quippe turbis coẽũtibus increpauit ipsum, sed propter patrem, vt si trepidare sola vocatione dæmonium videret, saltem hoc pacto ad futuri miraculi fidem duceretur. Sed postquam ille, ab
Mar. 9. ineunte respondit ætate, & adiuua me si potes: respon-
Supr. 8. & Luc. 5. dit Christus, omnia esse possibilia credenti, rursum in eum culpam reiiciens. Et quandoquidem leprosus dicebat: si vis potes me mundare, potentię ipsius testimonium ferens, ipsum laudans atque confirmans verba eius, respondebat: volo, mundare. Nunc verò cùm iste nihil dignum omnipotentiæ Christi attulerit, dicens,
C Si potes, adiuua me: perpẽde quomodo ab errato eum reuocat: omnia, inquit, credenti possibilia sunt: ac si diceret, tanta virtus mea est, vt alij meo nomine miracula possint conficere: quare si credis, vt decet, tam filium tuum, quàm alios facilè curabis. his dictis dæmoniacũ liberauit. Tu autem non hinc solùm prouidentiam ac benignitatem eius cõsidera, sed ex illo tempore, ex quo dæmoni fuit permissum in hominem intrare. iam enim diu mortuus homo esset, nisi diuina prouidentia fuisset protectus. Nam qui in ignem & aquam eum immittebat, interfecisset profectò, nisi diuinitus frænaretur: quod similiter illi passi fuissent, qui nudi deserta petentes, lapidibus seipsos cædebant. Non turberis autem si
Sup. 4. lunaticus est appellatus: patris enim dæmoniaci hæc vox fuit. Cæterùm & euangelista multos lunaticos curatos fuisse alibi ait, à communi omnium consuetudine ipsos nominans. vt enim elemento illi, ac luminari dæmones detrahant, secundum lunares cursus aggrediuntur, & remittunt homines. Vnde hæc falsa opinio apud multos conualuit, quod luna varietate sui cursus operetur: quod minimè verum est. *Tunc accesserunt discipuli ad Iesum secretò, & dixerũt: Quare nos non potuimus eicere illum?* Timuisse mihi videntur apostoli, ne cõcessam
D sibi gratiam amiserint: data enim sibi aduersus immundos spiritus potestas fuit, quare seorsum accedentes interrogare non verecundantur. Nam si reipsa potẽtia eorum fuisset redarguta, cur puduissent verbis confiteri quod opere apparebat? Seorsum autem & remotis arbitris faciunt, quoniam de arcana & magna re quęsituri erant. Quid igitur Christus? *Propter incredulitatem vestrã, ait. Si enim habueritis fidem sicut granũ sinapis, dicetis monti huic: transi hinc, & transibit: & nihil impossibile vobis erit.* Si verò quispiam dicet, & quando montes transtulerunt? Respondebimus, quia multò maiora fecerunt,

A multos enim mortuos excitauerunt: æquale quippe nõ
est, montes transponere, & animam hominis reuocare. Act. 20.
Dicunt autem nonnulli, postea quosdam sanctitate illis multo minores, id re postulante fecisse. Vnde patet, quia si opus fecisset, montes quoque trãstulissent: ideo non dixit, transponetis omnino montes, sed transponere poteritis. si autem non fecerunt, non est argumentum impotentiæ. Maiora enim ab ipsis facta non ignoramus, sed quoniam res non postulauerat, noluerunt: quanuis possit etiam aliquid tale factum esse, & non scriptum. Non enim omnia miracula sanctorum conscripta sunt. Nónne igitur, inquies, tantam fidem tunc habebant? Non certè. Ita enim imperfectiores erant, vt non semper idem essent: vnde Petrus quoq; modo beatificatur, modò increpatur: & reliqui de insciti castigantur, cùm sermonem de fermento non intellexerint. Sic ergo & nunc ex imperfectione ipsorũ accidit, vt maiore infirmitate languerẽt, quod sæpius ante Cru-
B cem patiebantur: fidem autem hic signorum dicit, & sinapis meminit, cuius maxima virtus est. Nam cùm minima sit, magnitudine virtutis cæteris omnibus vehementior est. Vt igitur ostenderet synceræ fidei minimum ingentia posse, sinapis mentionem fecit: neq; hic stetit, sed montes addidit, & vlterius progressus, nihil (inquit) vobis erit impossibile. Tu verò & discipulorum philosophiam, qui suam impotentiam non occultarunt, & Spiritus sancti virtutem admirare, qui paulatim homines, vt granum quidem sinapis fidem habentes, sic in summa erexit, vt largos fluuios, & copiosos fidei fontes egererent. *Genus autem hoc*, inquit, *nõ eiicitur nisi per orationem & ieiunium.* Vniuersum dæmonum genus, non lunaticorum solummodo intellexit. Et vide quomodo iam in ipsis ieiunij semina iecit: nec mihi ea quæ rara sunt dicas, quod scilicet absque ieiunio eiecti dæmones aliquãdo fuerint. si enim vnus aut alter sic expulit, impossibile tamen est, si quis id patitur, & in de-
C liciis viuit, ab hoc furore liberari. huiusmodi enim morbo laborãtibus ieiunio maximè opus est. Sed si fide opus est, inquies, cur ieiunare oportet? quia vnà cum fide non paruas vires affert ieiunium. Cúmque maioris philosophiæ singulare opus sit, angelum ex homine facilè reddit, & virtutibus incorporeis mixtum in modum reluctatur, quanuis non ieiunio solùm, sed oratione quoque ac multò magis oratione opus sit. Expende igitur, quæso, quot quantáque bona ex vtrisque iunctis emanent. Qui enim orat, & ieiunat vt oportet, is multis rebus non indiget: qui verò multis non indiget, nũquam fiet auarus: & qui nõ est auarus, pronior semper ad misericordiã erit. Qui ieiunat, leuior est, & vigilanter orat, & cupiditatis incendia extinguens, ac animam suam humilians, facilè Deum placat: idcirco & apostoli ferè semper ieiunabant. Qui orans ieiunat, binas possidet alas quibus ventos ipsos volando præteruehitur: non enim oscitat, nec extenditur, nec torpet orando, quæ
D multi patiuntur: sed igne ardentior, & terra superior est, quare terribilis hostis dæmonibus redditur. Nihil enim est homine probè orante potentius. Nam si mulier crudelem iudicem, qui nec Deum timebat, nec homi-
Luc 8. nem verebatur, flectere potuit: multò magis propitium Deum faciet, qui continuę orationi adhærẽs ventrem superat, & delicias spernit. Si verò imbecillis corpore ieiunare semper non potes, non eris tamen ad orandum infirmus, neque ad contemnendas ventris delicias inualidus. Ieiunare quidem non potes, sed non viuere in deliciis potes: quod sanè paruum non est, nec magno interuallo à ieiunio distat. Sed sufficit etiã hoc diaboli furorem deprimere, cui nemo magis amicus est, quàm qui deliciis & ebrietate maculatur. hic enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

fons,hęc mater,atque origo vitiorum omnium est:hac via olim Hebræos in cultum diabolus idolorum iecit, hac iniquos amores Sodomitarum inflāmauit:hæc enim,ait,iniquitas est Sodomę,in copia & plenitudine panis luxuriabantur. hac denique via mille alij gehennæ traditi periere. Quid enim deliciarum hæc fœditas mali non inducit? sues ex hominibus facit, immo verò etiam suibus multò deteriores. Sus enim in luto voluitur, & stercore nutritur: hic verò abominabilem magis sibi mensam constituit, iniquas commixtiones excogitans, & amores nefarios: hic nullo certè à dæmoniaco discrimine separatur: impudens enim & furiosus pariter est: & dæmoniacum quidem omnes miseramur, hunc verò auersamur, & odimus. Quid ita? quia sponte furorem sibi attrahit: & os,oculos,nares, cætera simpliciter sensuum instrumēta amarissimas voluptatis conficit cloacas. Quòd si etiam interiora inspicias, videbis animam eius ceu hyeme ac intētissimo frigorę congelatā adeò,atque torpentem, vt nulla præ hyemis magnitudine vtilitas corpori ab ea possit afferri. Verecundor apertius enarrare quæcunque à deliciis mala tam viri quàm mulieres patiuntur:quare conscientiæ singulorum,quæ certius hęc nouit,relinquēda esse statuo. Quid turpius ebriosa fœmina, quæ huc & illuc ex temulentia peruagatur? quantò enim infirmius vasculum est,tantò maius naufragium fit, siue libera siue ancilla mulier sit: nam libera in medio ancillarum spectaculo deformatur, & serua similiter inter ancillas turpior redditur:ita faciunt, vt Dei munera à stolidioribus vituperentur. Audiui enim multos,cùm insanæ istæ accidunt passiones, dicentes: Vtinam non esset vinum. O amentiam singularem, ô stoliditatem inauditam, alij delinquunt,& Dei tui dona criminaris. putásne à vino hoc factum malum? Non fecit vinum certè, sed incontinentia eorum qui vino abusi sunt. Dicas ergo,vtinam non esset ebrietas, non essent deliciæ,si verò dicis, vtinam non esset vinum, ordine paulatim progrediēs, optabis ne sit ferrum propter homicidium, ne sit nox propter fures, ne sit lux propter calumniatores, ne sit fœmina propter adulterium, & sic omnia Dei opera tibi destruentur. Non igitur ita dicas, mentis enim istud est diabolicæ: nec vinum, sed ebrietatem crimineris: & ebrio, cùm in se fuerit reuersus, omni dedecore suo prius descripto, dicas datum esse vinum ad lætitiam,non ad turpitudinem nostram: datum est vt rideamus, non vt derideamur: vt rectè valeamus,non vt ægrotemus: vt imbecilla corpora reficiamus, non vt robur animi deiiciamus: honorauit te hoc munere Deus, cur dehonestas propter intemperātiam bibendi teipsum? Audi quid ad Timotheum dicit Paulus:Modico vino vtere propter stomachum tuum, 1.Tim.5. & crebras infirmitates tuas. Quòd si sanctus vir ille morbo depressus, & alternis ægritudinibus laborans, quousque magister permisit vino non vtebatur: quam veniam nos cōsequemur, vino ad ebrietatem sani abutētes? Et illi quidem dicebat, pauco vtere vino propter stomachum tuum: ebrioso verò dicet, vtaris modico vino propter fornicationes, vt crebra turpiloquia fugias, propter pestiferas cupiditates quas ebrietas parit. Quòd si hæc non persuadent vobis, vt ab his abstineatis,saltem propter dolores & euersiones stomachi abstineatis. Non ad mœrorem, nec ad dolorem,sed ad lætitiam vinum datum est. Pſal.103. Vinum enim,inquit, lætificat cor hominis: quam eius virtutem vos deiicitis. Nam quæ lætitia est,si non es in teipso, si mille doloribus vexaris,si omnia tibi circunferri videantur,si tenebris detentus, quasi febricitans hominibus indigeas, qui oleo caput tuum perfundat? Hæc non omnibus dicta esse velim,immo verò dicta sunt omnibus:non quia omnes vino corrumpātur, sed quia nullam de ebriosis curam sobrij habent: idcirco ad sobrios magis orationem direxerimus, quoniam & medicus ægrotis omissis, sanos qui ipsis assident alloquitur. Vos ergo sobrios oro, ne hac turpissima insania vnquam capiamini, & vt eos qui capiuntur,diligenter sanare curetis. Nolite pati peiores bestiis homines fieri. nihil enim vltrà quàm opus est illæ desiderāt: isti autem mediocritatis terminos excedentes,irrationabiliores illis constituuntur. Quanto enim melior asinus ebrioso est, quanto canis præstantior? Omnes certè animantes, quæ rationis expertes sunt, cùm bibunt, aut comedunt, vltra quam satis est, etiam si mille homines cogerent, nunquam elabuntur. Peiores igitur irrationabilibus vos estis, qui inebriamini,non apud mentis cōpotes solùm,verumetiam apud vos iudices. Inde nāque manifestum est,canibus atque asinis vestro vos iudicio esse deteriores, & magis abiectos,quia nullum brutorum supra mensuram comedere aut bibere cogitis. Et si quis huius rei causam quæreret, nemo respondere dubitabit, ne comedēdi atque bibendi excessus detrimento ei sit. Cùm igitur minus tibi quàm bestiæ prouideas, nónne hoc facto tuo minoris te putare videris, qui te continuè in dolores impellas? Non enim solum in die quo inebriaris, verumetiam in crastinum ebrietatis reliquiæ conseruantur. Et quemadmodum cùm febris cessarit, debilitas tamen inde facta, diutius remanet: sic ebrietate transacta, fluctuatio tamen eius tam corpus quàm animam diutius exagitat. Iacet enim pleruque tanquam tempestate conquassata nauis, miserum hominis corpus, anima verò detestabili cupiditate compulsa, vehemēter incenditur: & cùm corpus dissolutum fuerit, ipsa tempestatem excitat, & cupiditatem incendit: & cùm respuisse videtur,tunc multò magis quàm prius insanit,vinum,dolia, calices,cyathos,& crateres plenos imaginās. Et quemadmodum quanuis tranquillitas ex tempestate facta sit, detrimentum tamen quod inde factum est, non restituitur, si semel iactura facta sit: sic omnium penè bonorum iacturam ebrij patiuntur. Modestiam enim,pudorem, prudentiam, patientiam, humilitatem, omnia hæc quasi naufragium passi,iniquitatis pelago submerserunt: verùm multo peiora sunt, quæ sequuntur ebrietatem, quàm quæ tempestatem. Nam ibi quidem post onera eiecta nauis leuior redditur: hîc verò magis grauatur. nam pro diuitiis virtutum eiectis, arenam atque aquam fœtidam ex ebrietate sibi coarcerauit, quibus nauicula cum vectoribus atque gubernatore simul demergitur. Quæ ne accidant, fugiamus oro hanc tempestatem: reuoluamus semper nobiscum ebriosum neminem in cœlorum regnum peruenturum. Nolite, inquit 1.Cor.6. apostolus, errare: nec ebrioſi, nec cōuiciatores regnum cœlorum hæreditabunt. Quid regnum cœlorum dixi, cùm nec prę sentibus quidem iucundè vtantur, noctem in die habentes, & in luce tenebris obuoluti, & apertis oculis nihil rectè videntes? Et ad hęc grauissimum illud supplicium luunt, cùm mœrore sine ratione conficiantur, insaniant, ægrotent, ac omnibus ridiculi sint. Quæ igitur venia ipsis dabitur, qui sponte tantis se malis obruunt? Nulla profectò. Fugiamus igitur hunc morbum, si tam præsenti vita, quàm futura frui volumus: quod nobis gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi concedat, cui gloria in sæcula. Amen.

HOMILIA

HOMILIA LIX. EX CAP. XVII.

CONVERSANTIBVS *autem ipsis in Galilæa dixit eis Iesus: Tradendus est filius hominis in manus hominum,& occident eum,& tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer.* Idcirco de passione sua verba facere voluit, ne qua de causa ibi assiduè morarentur, interrogandi occasionem haberent. Passurum enim in Hierosolyma ipsum audientes,nec videre quidem illam vrbem volebant. Considera igitur quomodo & si Petrus fuerit in- Luc.9. crepatus, & Moses & Helias cum ipso collocuti, gloriam hāc rem appellarint: & Pater è nube vocem emiserit, & signa non parua fuerint facta, ac denique Resurrectio in ianuis post Passionem adesset: non enim longo tempore pòst,sed tertio se dii resurrecturum affirmauit: nullo tamen pacto ferre potuerunt,sed tristati sunt,inquit,valde: quod eis accidebat, quando adhuc eorum verborum potestatem ignorabant. Quod Mar.9. Luc.9. Marcus & Lucas significarunt,quorū alter ignorasse illos verbum, & veritos interrogare ait:alter velatum ab eis fuisse ne sentirent,& timuisse de hoc verbo quærere. Atqui quomodo ignorantes contristati fuerunt? quia videlicet moriturum eum non ignorabāt, sed mortem hanc non duraturam, & mille allaturam bona nōdum apertè nouerant,cùm qualisnam futura esset illa resurrectio, non intelligerent:dolebāt ergo,quia valde magistrum suum diligebāt. *Cùm autē venissent in Capernaū, adierūt Petrum qui didrachma accipiebant,& dixerūt ei: Magister vester non soluit didrachma?* Quænam sunt ista didrachma? Quando Ægyptiorum primogenita Deus Num.3. interfecit,tūc Leuiticam tribum pro ipsis accepit,quoniam huius tribus minor numerus erat, quàm primogenita Iudæorum fuissent, pro deficientibus ad supplēdum numerum *, siclum iussit deferri. Consuetudo igitur ex illo tempore obtinuit,vt primogeniti hoc vectigal persoluerent: cúmque ita primogenitus esset Christus, Petrus quoq; discipulorum primus esse videretur, ipsum adeunt. Puto autem quoniam in Capernaum, quæ patria Christi putabatur,istud gesserunt,per singulas ciuitates id vectigal petere solitos fuisse. Non fuerunt autem ausi Christum aggredi, sed Petro nulla ferè acrimonia, nec vt criminantes, sed vt interrogantes dixerunt: Magister vester non soluit didrachma? Nam etsi de ipso conuenientem decentemq; non habebant opinionem, hominem eum nudum putantes, tamen propter signa quæ fecerat, nonnihil reuerentiæ ipsi attribuebant. Quid igitur Petrus? *Vtique ait.* Ita illis quidem soluturum esse respondit, Christo autem, vt erubescens forsan hac de re quicquam dicere,nihil retulit: sed mitis ille quem nihil fugere potest,prę ueniens,ait: *Quid tibi videtur Simon? reges terræ à quibus accipiūt tributum,vel censum? à filiis suis,an ab alienis? At ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filij.* Nam ne posset Petrus opinari hæc à Christo dici, quoniam ab illis quicquā perceperit, anteuertit Christus, vt hoc ipsum significaret,& fiduciam timenti quippiam de his dicere Petro præbet. Quod autem dicitur, tale quid est: Immunis ego à censu sum. Nam si reges terræ non à filiis, sed à subditis censum capiūt, multò magis me, qui non terrarum,sed cœlorum regis filius sum,liberum à tributis esse oportet. Perpendis quomodo distinxit filios à non filiis? Si enim filius non esset, hoc profectò regum exemplo vsus non fuisset. Sed filius quispiam, inquies, est:non autem proprius,non ergo filius:quod si non filius,nec proprius, nec omnino eius, sed alienus. Ita exemplum nullas vires habebit. Non enim de filiis simpliciter, sed de propriis, & regni hæredibus disputat.

forte quinque siclos, legēdum est, vt habetur Num.3. Hieron. verò de tributo Cæsari persoluēdo dici putat. Col.1.& Apo.1.

Chrysost.tom.2.

A Atque ideo distinguendo alienos opposuit, quo vocabulo eos appellauit, qui ab ipsis regibus nati non sunt: suos verò, quos ex se genuerunt. Tu verò etiam illud cōsidera,quomodo reuelatam Petro cognitionem hîc confirmauit,neque hîc terminauit sermonem:sed condescēdendo quod sapientiæ inæstimabilis est, idipsum approbauit. nam cùm hęc dixisset,ait: *Vt autem non scandalizemus eos,vade ad mare,& mitte hamū: & eum piscē qui primus ascenderit,tolle,& aperto ore eius inuenies staterem, illum assumēs,da ei pro me & te.* Vide quemadmodum nec omnino recusat, nec simpliciter iubet dare tributum: sed prius monstrauit non esse his vectigalium legibus se subiectum,tunc demum dari iussit:alterum ne illi,alterum ne isti scandalum patiantur. Non enim vt debitor reddidit, sed vt illorum infirmitati consuleret. Et Sup.15. certè alibi cùm de cibis dissereret, scādalum nullo modo considerasse, sed penitus spreuisse videtur: ita nos decet temporum & opportunitatum rationem habere, ac scire quando, quibúsque in rebus contemnenda vel curanda scandala sint. Sed dationis etiam modo seipsum demonstrat. Nam vt rerum omnium dominum se esse ostenderet, vtque maris ipsius ditionem habere videretur, non à reconditis, sed mirabili quodam modo inuentam pecuniā deferri iubet: & quanuis tum increpatione, tum quia virtute sua super fluctus Petrus ambulauit, maris dominus demonstraretur, tamen alio Sup.14. quodam modo, nec minus mirabili idipsum impręsentiarum ostendit. Non erat quippe paruum prædixisse à profundissimis fluctibus eum piscē hamum hausurum, qui vectigal erat soluturus. Ita imperio eius quasi verriculo in mari demerso ille captus est piscis, in quo stater reseruabatur. Diuina igitur ac ineffabili eius virtute munera pelagus offerebat, & vndique subiectionem suam ostēdebat, vel quia increpatum ex furore in tranquillitatem subitò se conuertit, & quandò ipsa ferociēs conseruum susceptum ac sustinuit, ac nunc rursum quādo exactoribus pro ipso censum persoluit. Da eis, inquit, pro me & te. Vidisti honoris excellentiam, vide tunc quanta philosophia vtitur Petrus. Hunc enim locum Marcus qui Petri discipulus fuit, ideo non scripsisse videtur, quoniam ingens hinc honor magistro deferebatur. Sed negationem quidem ille quoque diligentissimè scripsit:hæc verò quæ ad magistri laudē pertinēt, ipso forsan deprecante ne magnifica de eo diceretur, omnino siluit. Pro me verò, inquit, & te: quoniam & Petrus primogenitus erat. Miraris omnipotentiam Christi? mirare discipuli etiam fidem,qui ad rem ita natura incredibilem illico paruit, cuius quidē fidei retributionem cōfestim habuit,Christo in tributi solutione coniunctus. *In illa hora adierunt discipuli Iesum,dicentes:* CAPVT. *Quis putas maior est in regno cœlorum?* Humanū quid passi XVIII. discipuli sunt,quod euangelista quoque significauit,dicens:In illa hora, quando scilicet cæteris omnibus Petrum prætulit. Nam cùm ex Iacobo & Ioanne alter primogenitus esset, nihil tamen tale pro ipsis fecisse videtur: veriti autem turbationem profiteri suam,nō apertè quare Petrum ipsis præponeret, sed confusè, Quis ergo maior est, interrogarunt. Quando tres illos præferri conspexerunt, nihil tale passi sunt: cùm verò ad vnum delatus honor est,tūc nimirum doluerunt:quanuis non ex hac re solum, sed ex aliis quoque multis inflammati fuerunt: Tum quia dixit illi, Dabo tibi claues regni cœlorum: tum quia, Beatus es tu Simon Bar Sup.16. Ibidem. Iona. tum etiam hîc, Da eis pro me & te. tum denique quia liberius cum multò Christo colloqui consueuerant. Quòd si non interrogasse, sed secum id cogitasse Marcus scribit, non sunt opposita profectò hæc, sed Mar.9. valde inter se consonant: nec semel, sed bis, ac tertiò

Marcus Petri discipulus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæc eos cogitasse crediderim, & tunc demum interro-
gasse. Tu verò non solummodo crimen considera, sed
illud quoque tecum expende, primum quòd nulla eis
de rebus huius seculi quæstio est: deinde quòd postea
hac quoque turbatione superata, alteri alteris in prima-
tu cedebant. Nos verò neque ad hos quidem defectus
eorum deuenire possumus, nec quis futurus sit maior in
regno cœlorum, sed quis in terris maior sit, quis ditior,
quis potentior, quærimus. Quid autem Christus? Re-
uelat arcana eorum, nec simpliciter ad verba, sed ad
passionem & affectum respondet. *Et aduocãs Iesus paruu-
lum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis,
nisi conuersi fueritis: & efficiamini sicut paruulus iste, non in-
trabitis in regnum cœlorum.* Curiosè, inquit, scrutamini
vos quis vestrum maior sit, & de primatus honore con-
tenditis: ego autem si quis humiliorem se cæteris non
effecerit, ipso ingressu cœlesti omnino indignum asse-
ro. Rectè autem ante oculos monstratione paruuli to-
tam rem posuit, ipso aspectu eos conuertens, ac per- B
suadens, vt absque simulatione aliqua humilitatem
amplectãtur. Paruuli autem non inuidere, nec alienam
expectare gloriã, nec primatus desiderare dignitatem
nouerunt, sed maximam hanc virtutem possident, pu-
ram dico simplicitatem & humilitatem. Non ergo
fortitudine tantùm, ac prudentia, sed humilitatis
quoque virtute, & simplicitate nobis opus est: quæ si
non adest, salus nostra certè claudicat. Paruuli enim
nec si contumelientur aut verberentur, afficiuntur o-
dio: nec si laudantur & honorantur, vlla commouen-
tur arrogantia. Vides quomodo rursus ad præclara na-
turæ opera nos prouocat, vt ostendat posse nos volun-
tatem istam nancisci, & pernicioſam Manichæorum
rabiem acuto cõcidit gladio. Si enim natura per se ma-
la est, cuius gratia philosophandi exempla inde trahit?
Paruulum autem ætate, & quidem mea sententia; val-
de paruulum, qui ab omnibus esset passionibus liber, in
medio stauit. Illa enim ætas omni arrogãtia, omni glo- C
rię inanis furore, omni liuoris insania, omni contentio-
nis cupiditate, cæterisque huiusmodi affectibus immu-
nis est. Cúmque præcipuis muniatur virtutibus, simpli-
citatis scilicet ac humilitatis, de nulla istarum superbit,
ita duplici philosophia ornatur. Nam & hæc bona pos-
sidet, & nihil sibi propter hæc arrogat, his de causis in
medio paruulum statuit: nec sermonis finem hîc fecit,
sed vlterius admonitionem producit, dicens: *Et quicun-
que susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me sus-
cipit.* Non enim solùm, inquit, magna erit merces vestra
si tales efficiemini, verumetiam si alios tales propter me
honorabitis: propter vestrum erga illos honorem re-
gnum vobis retribuetur, quódque omnium extremum
est, me ipsum susciptetis. Ita vehementer humilitate &
moribus qui procul ab omni simulatione absint affi-
cior. Paruulos quidem hîc simplices homines atq; hu-
miles, quos multi spernunt, appellauit: hunc autem ser-
monem non prẽmiis solùm in animum penetrare facit: D
verumetiam terrore pœnarum corroborat, dicẽs: *Qui
autem scandalizauerit vnum de paruulis istis qui in me cre-
dunt, expedit ei vt mola asinaria suspendatur in collo eius, &
demergatur in profundum maris.* Nam quemadmodum
qui hos paruulos propter me honorant, cœlum possi-
debunt, inquit, immo verò cœlo quoque ipso maius
aliquid atque præstantius: sic & qui despiciunt atque
vituperant, (hoc enim scandalizare hîc significat)
maximo plectentur supplicio. Nec mireris si scandali
vocabulo, contumeliam & vituperationem intellexit,
cùm multi propter pusillanimitatem non parum si con-
tempti vituperatique sint, scandalizentur. Detrimen-
tum autem quod huius criminis causa homines inua-

Scandalizare quid.

det, & acerba supplicia ab his quæ nobis notissima sũt, A
præ oculis posuit. Nam cùm rudiores cõmouere sum-
moperè velit, sensibilioribus vtitur exemplis. Quare in
hoc etiam loco atrocitatem punitionis exprimens, qua
contemptores paruulorum possit commouere, sensibi-
lem pœnam molæ, ac submersionis in medium attulit.
Et quanuis secundum rerum consequentiam, qui non
susceperit vnum horum paruulorum, non suscipiet me,
dici conueniebat, quæ res omne punitionis genus ex-
cedit: tamen quia rudes atque insensatos, etiam si mul-
tum istud metuendum sit, non admodum commoue-
re solet, molam potius & submersionem posuit: nec di-
xit molam collo eius suspensum iri, sed expediet ipsi si
hoc patietur: vt ostendat grauius quoddam atque a-
cerbius malum istum expectare. Quòd si hoc intolera-
bile iure videtur, quanto magis illud? Ita vtrinque ter-
ribilem comminationem effecit, comparationem qui-
dem exempli notissimi ante oculos adducens, excess-
sum verò multò maiorem hac illos cogitare compel-
lens. Vides quo modo radicitus arrogantiæ tumorem
euulsit? quo modo vanæ gloriæ vlcus curauit? quo mo-
do edocuit nulla in re primatus dignitatem expetẽ-
dam? quo modo animos primatus honorem deside-
rantium induxit, vt vbique ac semper in vltimo se ve-
lint ordine collocare? Nihil certè arrogantia atque
superbia peius, quæ mentis quoque vires natura ho-
minibus concessas ita deiicit, vt amentes ac valde sto-
lidos efficere videatur. Nam quemadmodum si quis
cùm statura tricubitali sit, instar mõtium, immo etiam
altiorem se putet, ac ideo seipsum quasi montes excel-
surus erigat, nullum aliud argumentum insaniæ suæ
quæremus: Sic cùm inflatum videris hominem, qui
meliorem se cæteris arbitretur, contemniq; opinetur, si
cæteris hominibus conferatur, nullum iam aliud signũ
vecordiæ hominis exquiras. Tantò quippe ridiculosi-
or his est qui natura stulti sunt, quantò ipse spõte hunc
sibi morbũ iniecit: nec hac re solum miser, verumetiam
quia in miseriæ fundum absq; suæ miseriæ sensu se præ-
cipitauit. Quando enim is peccata sua vt oportet co-
gnoscet? Quando nimium se delinquere sentiet? Certè
quasi vile mancipium & miserum, captiuum diabolus
eum abduxit, agitatq; verberibus & mille contumeliis
quocunque velit. Nam in tãtam amentiam plerunque
eos impellit, vt persuadeat aduersus liberos & vxores
præ tumore insolescere, atque etiam aduersus suos ma-
iores. Contrà vero nonnullos maiorum excellentia
inflari facit. Qua quidem re quid esse possit stultius,
quum à rebus contrariis similiter intumescant? Nam
alij quoniam parentes, auos, proauos humiles ipsi ha-
buerunt, alij quoniam claros & nobiles, efferũtur: quo-
modo igitur quispiam vtriusque poterit tumorem de-
primere? Si ad alteros scilicet dixerit, tu qui magna de
nobilitate maiorum iactas, vltra proauos atque atauos
tuos si progrediaris, inuenies multos è genere tuo aga-
sones forsan, aut caupones fuisse. ad alteros è contra-
rio, progrediaris tu aliquantulum vltra parẽtes, & inue-
nies multos te clariores fuisse: hunc enim cursum habe-
re genus humanum etiam à Scripturis comprobari po-
test. Salomon regis erat filius, & regis quidem illustris- 2. Reg. 12.
simi: huius tamen pater abiectus atque ignobilis fuit:
maternus etiam auus adeò vilis, vt nec gregario militi
filiam collocare posset: hæc ipsa si altius repetes, inue-
nies rursus horum vilium genus illustre ac regium. Hoc
de Saül, hoc de multis aliis dici potest. Non igitur mul- 1. Reg. 9.
tum hinc extollamur. Dic enim, quæso, quid genus est?
Nihil aliud certè quàm verbi sonitus ab omni re desti-
tutus, quod in extremo illo die probè scietis. Verùm
quoniam nondum dies illa adest, rationibus quantum
in nobis

in nobis situm est, nullam in genere fieri præstantiam A
vobis persuadebimus. Considera igitur, quando bel-
lum irrumpit, quando fames premit, quando cætera
huiusmodi mala incumbunt, quo modo vniuersus no-
bilitatis huius flatus euanescit: nescit inter diuitem &
pauperem vllo modo morbus discernere, glorioſum &
inglorioſum, nobilem & ignobilem pestis non distin-
guit. Mors quoque aliæque humanarum rerum muta-
tiones pariter omnes aggrediuntur, immò verò, quod
mirabile fortassis videbitur, multò magis diuites inua-
dere solent. Quò enim minus ad ferendas mutationes
exercitati sunt, eò magis cùm inciderint, pereunt. Ti-
mor etiam ditiores maximè terret. Nam & principes
summoperè formidant, & liberos populos non minus
quàm principes metuũt. Multas quippe diuitum ædes
modò impetuosa ira populi, modò principis furor euer-
tit, quorum pauper fluctuũ immunis omnino est. Hac
igitur nobilitate omissa, si nobilitatem tuam ostentare
placet, libertatem mihi animi ostende, libertatem dico B
eam, quam ille vir beatus habebat, cùm esset pauperri-
Sup. 14. mus, qui Herodi liberè dicebat: Non licet tibi fratris
tui Philippi vxorem habere. quam is quoque habuit
qui ante istum huic similis fuit, qui dicebat Achab:
Non ego, sed tu & domus patris tui Israëlem peruertis.
quam prophetæ, quam Apostoli omnes possidebant.
3. Reg. 18. Quales eorum animi qui diuitiis seruiunt, esse non pos-
sunt: sed quemadmodum qui sub mille pedagogis de-
gunt, quique à lictoribus detinentur: sic non audent
extollere oculos, nec liberè quicquam dicere de virtu-
te. Acris enim cupiditas gloriæ, ac aliarum rerum aui-
ditas, tantum terrorem eis inferunt, vt seruiles, abiec-
tos, adulatoréſque constituant. Nihil prorsus liberta-
tem animi sic tollit, quemadmodum secularium rerum
cupiditas, & eorum quæ videntur esse præclara. Non
enim sibi viuunt, sed alteri, & mille crudelibus domi-
nis huiusmodi homines premuntur: quos si recensere
placet, aliquem ex his qui apud reges plurimùm pos- C
sunt, nobis proponamus, cui magna rerum affluat co-
pia, ingens potentia, patriæ splendor, maiorum no-
bilitas, ad quem vniuersa penè respiciat ciuitas. Con-
sideremus igitur, an iste seruus omnium abiectissimus
sit: quod vt facilius demonstremus, non simpliciter
seruum, sed seruum serui ei conferamus. Is igitur ser-
ui seruus, & si non liberum, vnicum tamen habet do-
minum, ad cuius nutum omnia refert: quem si bene
agendo propitium sibi faciat, sine aliqua cura quietè
viuit. Ille verò quem admiraris, non vnum aut alte-
rum, sed multos & importunos sibi dominos conqui-
siuit. Dominatur enim ei primò rex ipse. Non est au-
tem æquale abiectum habere dominum, & regi seruire, cuius aures multorum verbis expositæ sunt, & ipsi
modò hi, modò illi persuadent. Quare quanuis nul-
lius sibi mali conscius sit qui regi seruit, omnes tamen
suspectos habet, tam pares quàm sibi subiectos, & D
tam amicos quàm inimicos: sed hic etiam, inquies,
domini terrore agitatur. at non est æquale vnum &
multos timere, immo verò si quis voluerit diligentius
inuestigare, multos ille, neminem hic formidat. Cur,
& quo pacto? Quoniam isti nemo est qui inuideat,
quique velit isto expulso ad eandem se intrudere ser-
uitutem. Quare fit, vt nullus inueniatur, qui ipsi ve-
lit insidias tendere: multi verò sunt qui nulli aliæ rei
studeant, quàm illum qui proximus regi est, à statu eii-
cere: quare omnibus adulari cogitur, maiori, æqua-
li, amicis. Nam vbi gloriæ cupiditas est, ibi quia li-
uor vires suas exercet, nulla syncera potest amicitia
inueniri: sed quemadmodum qui eodem artificio quæ-
stum habent, sic similium honorum consortes, qui ea-

dem in sæculo appetunt, syncero ac puro nequeunt a-
more coniungi, vnde fit vt bellum intus sine induciis
semper geratur. Vidisti acerborum multitudinem do-
minorum? vis grauiores alios afferamus? omnes qui
eo minores sunt, maiores fieri diligentissimè student.
Qui verò excellunt, quoniam timent ne iste anteue-
niat, apertè ipsi aduersantur. Proh fidem hominum.
Quid dicam? video me pollicitum fuisse dominorum
horum multitudinem recensere: oratio verò consequẽ-
ter progressa magis quàm polliciti sumus attulit, cùm
hostium ingentem aceruum, non dominorum recen-
suerit: immo verò & dominos, & hostes eosdem esse
probauerit, quippe qui ceu domini diligenter colun-
tur, & ceu hostes nimium terrent, ceſsque inimici oc-
cultè insidiantur. Nescio enim quid peius excogita-
ri possit, quàm vt eosdem quispiam & dominos & ini-
micos habeat. Nam serui & si iussa capessere cogun-
tur, diligenti tamen cura dominorum proteguntur.
Illi verò & iussa vt serui faceſsunt, & vt hostes impu-
gnantur: & tantò peius, quàm qui aperto prælio cer-
tant, alter in alterum insurgit, quantò occultius pun-
gunt, quantóque personas amicorum induti quasi ho-
stes aggrediuntur, & aliorum calamitatibus fœlicita-
tem sibi componunt. Nostra verò non sunt huiusmo-
di: sed si quis aduersa opprimitur fortuna, multi ipsi
compatiuntur & condolent, in secundis rursus multi
congratulantur, sicut apostolus ait: Siue vnum mem- 1. Cor. 12.
brorum patiatur, omnia membra compatiuntur: siue 1. Thess. 2.
vnum membrum glorificatur, omnia membra con-
gaudent. Et modò quidem qui ista suadet, dicebat:
Quæ autem mea spes vel lætitia est, an non vel vos?
Modò autem, Nunc viuimus, si vos statis in Domino.
Modo verò, Ex multa tribulatione & compressione
cordis scripsi vobis. &, Quis infirmatur, & ego non in-
firmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Cuius 2. Cor. 2.
igitur rei gratia exteriores fluctus sustinemus, nec vo- 2. Cor. 11.
lumus ad tranquillissimum hunc nauigare portum?
Quare bonorum nominibus omissis, res ipsas oro, am-
plectamur. Gloria enim & potentia, diuitiæ ac nobili-
tas, cæteráque huiusmodi nomina sunt apud exteros
nuda, apud nos res firmæ atque perpetuæ. E contra ve-
rò, mors, ignominia cæteráque quibus dolor ac mœ-
ror efficitur, nuda sunt apud nos nomina, res autem
apud illos veriſsimæ. Quod vt oculis ipsis cernas, glo-
riam in medium primò adducamus, quæ magna expe-
tendáque illis videtur. Non dico igitur? quia breuiſſi-
mi est temporis: non dico quia citò extinguitur: sed
quando maximè floret, tunc mihi (rogo) ipsam osten-
de. Non auferas à scorto picturam & fucos, sed or-
natum inducas, & tunc magis deformitatem ipsius re-
prehendam. Vestitum igitur expone, lictorum multi-
tudinem, præconis vocem, populi subiectionem, si-
lentium omnium, & quod admirantes aspiciũt, quód-
que occurrentes percutiantur. An igitur, inquies, hæc
præclara non sunt? Age, perserutemur sintne ista su- D
perflua, & potius inutili quadam ac falsa opinione
quàm veritate rerum comprobentur. Quid enim me-
lius aut corpori aut animæ inde accidit? ex his enim
homo constat. aut maior statura huic erit, aut sanior,
aut velocior, aut acutiores perspicaciorésque sensus
acquiret? Minimè. Considerem⁹ ergo ne fortè ani-
ma quicquam lucrata sit. Num igitur modestior, aut
prudentior, aut manſuetior eo cultu hominum erit?
Nequaquam, immò verò è contrà: non enim quem-
admodum corpori nihil commodi eueniebat, sic &
animæ accidit. Sed quod grauiſsimum est, non solùm
nihil tum proficit anima, sed magnum insuper vitio-
rum cumulum attrahit, hinc enim ad arrogantiam,

hinc ad inanem glorię dementiam,iram,milléque alias A passiones impellitur. Sed gaudet, inquies,iactat atque gloriatur. Incurabilem morbum, & malorum apicem cis attribuis. Nam qui lætatur his rebus,non volet, nec poterit facilè liberari, cùm hac voluptate viam remedij omnino abſciderit. Id igitur peſtiferum penitus eſt, quòd non dolet,ſed lętatur magnitudine ac incremento malorum. Non enim ſemper lætari bonum eſt. Nam & fures furto lętantur,& adulter matrimonij ſordibus, cæde homicida,auarus rapina. Non ergo ſi lætatur ſolùm conſidera, verumetiam ſi rectè lætatur. Animaduertendum enim eſt,ne talis lætitia eius ſit,qualis adulteri & furis. Cur enim,dic obſecro, lætatur? Quoniam à multis honoratur, circunſpicitur, & extolli atque inflari poteſt. Et quid hac elatione leuius excogitari poteſt? quid hac cupiditate peius? Nam ſi id malum non eſt, cur inanis gloriæ cupidos vituperantes, mille opprobriis laceramus? Deſinite arrogantes, & aliorum hominum cõtemptores execrari. Sed nequaquam poteritis abſtinere: plurimis itaque accuſationibus digni & ipſi, quanuis mille habeant lictores. Hæc de modeſtioribus mihi principibus dicta ſunt. Multi enim eorum maiora quàm latrones, quàm homicidæ, quàm adulteri & ſepulchrorum violatores plerunque committunt,cùm principatu non rectè vtantur. Nam & furãtur aliena impudẽtius, occidunt crudelius, multò laſciuiunt petulantius: nec parietem vnum, ſed innumeras domos effodiunt, facilius omnia principatus licentia peragentes. Ita duriſſima eſt eorum ſeruitus, cùm paſſionibus dediti neminem vereantur. Verè igitur liber, & ſolus princeps, ac regio potiſſimum nomine dignus ille eſt, qui paſſionum immunis eſt. Quæ omnia intelligentes, veram libertatem amplectamur, & pernicioſam ſeruitutem fugiamus, nec principatus magnitudinem, nec diuitiarum pondus, nec aliud huiuſmodi præter virtutem beatificandum putemus: ſic enim & hîc iucundè viuemus, & futura bona conſequemur, gratia & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen.

HOMILIA LX. EX CAP. XVIII.

VÆ *Mundo ab ſcandalis. Neceſſe enim eſt venire ſcandala,verumtamen væ homini illi per quem ſcandalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus,* & cætera. Sed ſi neceſſe eſt,vt ſcandala veniant,quiſpiam opponet,cur Mũdum quaſi miſerum deflet, cùm manum ei porrigere atq; opitulari potius oporteret? Hæc quippe prudentis medici, dominique prouidentiſſimi, illud cuiuſuis opus eſſe non iniuria poteſt: quid igitur ad tam impudentem linguam reſpõdebimus? quod ſcilicet nihil diligentiſſimæ illius curæ par excogitari queat. Cùm enim Deus ſit, homo quoque propter te factus eſt, & ſerui aſſumpta forma extrema omnia paſſus, nihil quod ad ſe pertineret,prætermiſit: cæterum quoniam nihil hinc vtilitatis D ignauiſſimi homines conſecuti ſunt, ideirco eos deflet. Quia etiam poſt tot tantáque ipſis allata remedia in morbis ſuis perſeuerarunt: veluti ſi quis febricitantem, cui licet peritus medicus affuerit,tamen quia prę-cepta eius contempſit,complorans diceret: Væ illi homini à graui ægrotatione, quam per ignauiam plurimum atque plurimum auxit. Verùm ibi nihil ploratus conducere poteſt. Hic genus quoddam curationis eſt, futura mala prædicere, & deflere non pœnitentes,præſertim cùm multi nullam quidem ex conſilio, multam verò ex fletu vtilitatem habuerunt. Ideo, væ, dolentis vocem adhibuit, vt dolore ſuo ipſos incitaret, ac diligentiores vigilantioréſque faceret. Ad hæc benevolentiam quoque ſuam erga illos, & clementiæ magnitudinem oſtendit, quia vel contradicentes deflet. Ita non modò moleſtiam quandam ex duricia aduerſariorum capiebat,verumetiam & flendo & prædicendo, ad ſanam eos mentem reuocare conabatur. Sed quomodo,inquies,id fieri poteſt? Nam ſi neceſſe eſt vt ſcandala veniãt,quo pacto ea euitare poterimus? Quia videlicet neceſſe quidem eſt vt ſcandala veniant,perire autem non omnino neceſſe eſt: ceu ſi medicus quidem dixerit, ſi nulla medicina vteris, neceſſe eſt vt in hunc rurſus incidas morbum: non omnino perire neceſſe eum erit,qui vigilanter attendit. Accedit quod diſcipulos etiam hac ratione nonnihil exuſcitat. Nam ne dormirent, tanquam ad profundam pacem & tranquillam vitam mittantur, ac negligentiores ſint, multa vndique aduerſus eos tam deforis quàm intus inſurrectura bella oſtendit: quod Paulus quoque ſignificauit dicens: Foris pugnæ, intus timores: & pericula in 2. Cor. 7. Act. 20. falſis fratribus: & ad Mileſios differens dixit: Exurgent Mich. 7. B quidem ex vobis loquentes peruerſa. Ipſe quoque dicebat: Inimici hominis domeſtici eius. Cùm autem neceſſitatem dicat, non quia poteſtatis libertatem, poteſtatémque liberi arbitrij tollat, nec quia neceſſitati rerum humanam ſubiiciat vitam,hoc dicit, ſed quod omnino venturum eſt prænunciat. Quod Lucas aliis Luc. 17. verbis expreſſit, Impoſſibile eſt vt non veniant ſcandala. Quæ porro ſunt ſcandala? Rectæ ac probæ vitæ confuſio atque peruerſio. Sic etiam qui verſantur in ſcena, eos qui corpora peruertunt, ſcandala vocant. Non ergo prædictio ipſius ſcãdala inducere putanda eſt. Non enim quia futura ſcandala prædixit, idcirco veniunt: ſed quoniam omnino ventura erant, idcirco prædixit. Non enim fierent, ſi nollent ea excogitare nequam homines atque peſtiferi. quod ſi ventura non fuiſſent, nec ipſe futura prædixiſſet. Ventura verò erant, quia multi erant grauiter ac incurabili morbo laborantes, qui C noluerunt non agere malignè, & ipſe quod futurum erat, prædixit. Sed ſi illi curati fuiſſent, quiſpiam dicet, ac nemo eſſet qui ſcandala faceret, nónne hic ſermo falſitatis crimine teneretur? Certè ſi curari ſanarique omnes voluiſſent, non dixiſſet, neceſſe eſt ſcandala venire. Sed quia ſua ſponte incurabiles futuros perſpiciebat,ideo ventura omnino prędixit. Sed quam ob rem ipſe non eiecit ſcandala, inquies? Et cuius rei gratia tollenda erant, an propter eos qui detrimento afficiuntur? Sed non inde qui detrimentum patiuntur, pereunt, ſed deſidia & ignauia ſua: quod virtutis cultores verum eſſe oſtendunt, qui non modò nullam à ſcandalis iniuriam patiuntur, ſed plurimùm etiam lucrantur: Qualis certè Iob ille erat, qualis Ioſeph, quales iuſti denique omnes. Quòd ſi multi pereunt, propter negligentiam ſuam id accidit. Niſi enim ita res ſe haberet, ſi propter ſcandala ipſa homines perirent, vniuerſi ſanè homines id paterentur: quoniam verò multi euadunt, qui non effugit, ſibiipſi culpam attribuat. Nam ſcandala quidem, vt iam tetigimus, excitant etiam atque acuunt, & perſpicaciorem faciunt non ſolùm eum qui ſibi diligenter cauit, verumetiam eum qui fortè incidit: nam poſteaquam inde ſe eripuerit,cautior atque tutior redditur. Quare ſi diligentiores ſumus, non paruum fructum ea ex re capiemus, quare vigilare ſemper compellimur. Quòd ſi in ipſo congreſſu hoſtium cùm tot tantæque incumbant tentationes, quaſi ſomno diſſoluti iacemus: quid de nobis ſperandum eſſet, ſi magna in tranquillitate rerum viueremus? Quod ſi vis, à primo ſtatim homine id conſidera. Nam ſi cùm breui tempore, nec die fortaſſe integra in paradiſo deliciarum vixerit, ad tantum prauitatis deuenit,

vt æ-

vt æqualitatẽ Dei falſa cogitatione ſperauerit, & ſeduA audiendúmque opera, ſic nullo tibilabore ad colendam virtutem opus eſſet, ſi natura nobis inſita eſſet. Cuius autem rei gratia malos natura nos ab initio creaſſet, præſertim cùm poſſet bonos creare? Nullius profectò. Vnde igitur mala, inquies, ortum habuerunt? tutibiipſi reſponde. Meum enim opus eſt, non à natura hoc,neque à Deo inditum nobis fuiſſe. Caſu ergo, inquies? Minimè, minimè inquam. An igitur nullum eorum principium eſt, ſed ingenita ſunt? Meliora dic verba homo, & immaniſſimum hunc furorem execrare, quo vnum Deo & peccato cultum attribuis,& cultum præcipuum, immo verò ſupremum, meo iudicio. Præterea ſi mala ingenita ſunt, tantas vires poſſidebunt, vt nec euelli, nec omnino non eſſe poſſint. Nam quod ingenitum & abſque principio eſt, nulli corruptione ſubiicitur. Ad hæc ſi nequicia ſic inuicta eſſet, quomodo tam multi homines virtutem colere potuerunt, aut quomodo mortales & caduci æternam & immortalem vitioſitatem ſuperauerunt? Sed B Deus, inquies, vires eorum eneruat: quomodo eneruabit, aut omnino quomodo deſtruet cœterna vitia, nec minus pollentia, ſed æqualium virium, & eiuſdem (vt ita dixerim) ætatis? O acutam diaboli maliciam, quantum quamque pernicioſum malum excogitauit, qua impietate ac blaſphemia inuoluit homines? Simulatione nanque pietatis, ne à Deo peccatum eſſe videatur, peſtiferum dogma introductum eſt, quo ingenitum eſſe peccatum aſſerunt. Vnde igitur orta ſunt, inquies? Ex eo profectò quod eſt velle & nolle. Ipſum autem velle & nolle vndénam eſt? Sanè à nobisipſis. Verum hæc crebra interrogatio tua ita profertur, quẽadmodum ſi à me quæreres, vnde homines videant. cumque ipſe reſponderem,ex eo quod eſt oculos claudere ac non claudere: rurſum tu interrogationibus me fatigando diceres, hoc ipſum autem claudere oculos, & non claudere, vnde eſt? at ſi ego à nobisipſis dicerem, & à voluntate noſtra, huius rei rurſum alias cauſas quæreres. Nihil enim aliud malum eſt, quàm Deo C non obedire. Sed hoc ipſum, inquies, vnde homines inuenerunt? Dic quæſo putas ne difficile adinuentum fuiſſe? Non dico, inquies, quia difficile hoc ſit: ſed vnde inductus eſt vt obtemperare nollet? Ex deſidia ſanè atque ignauia Nam cùm dominus ad vtrumlibet ſit, pronior ad hoc propter deſidiam fuit. Quòd ſi adhuc ancipiti mente vagaris, & obſtupeſcis cùm hæc audias, ego abs te non arduum quiddam ac multiplex, ſed ſimplex & perſpicuum quæram. Fuiſti ne vnquam malus, cùm antea probus eſſes? vt puta fuiſti aliqua paſſione ſuperior antè, deinde ab eadem ipſa ſuperatus? Sopitúsne vnquam vino fuiſti, & rurſus bibendi voluptatem depuliſti? Aut nonnunquam ira commotus, nonnunquam in te conuerſus, nihil aut parum paſſus ab ira es? Deſpexiſti pauperem aliquando, & aliquando fouiſti. Fuiſti fornicatus aliquando, cùm D impræſentiarum modeſtiſſimè viuas. Reſponde igitur quæſo, vndénam hæc omnia ſunt? quod ſi non facis, ego pro te libenter faciam, quia videlicet ſtudio ac diligentia voluiſti à malo nonnunquam abſtinere, nonnunquam verò deſidia diſſolutus cecidiſti. Hæc ad te: nam his qui bene agendi deſperatione quaſi furore quodam adacti, ita ſemper in peccatorum ſordibus inuoluuntur, vt nec audire quicquam de virtute velint, nulla de rectè viuendi philoſophia verba faciam: cum his verò qui modò rationem ſecuti rectè agunt, modò cupiditate ſuperati delinquunt,iucundè differã. Rapuiſti aliquando alienum, deinde pœnitentia flexus, non modò reſtituiſti, verumetiam de tuis egeno contuliſti. Vnde igitur hæc tanta mutatio? nónne à voluntate at-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quo consilio tuo? Nemo profectò dubitabit. Quare ob- A lecro studete inquam virtuti, & friuolas quæstiones has relinquatis. Mala enim cùm nullam rem habeant, nomina solum sunt. Non ergo quæras vnde sint, nec ancipiti mente pendeas, sed cùm audieris ex negligentia nostra proficisci, quasi venenum ea fugito: & si quis dixerit non esse à nobis ipsa, cùm eum videris seruo iratum, infestum vxori, criminantem liberos, improbantem iniustos, dic ad eum: Quomodo igitur dicebas hæc non esse à nobis? Nam si à nobis non sunt, cur illos criminaris? ac rursum ad ipsum dicas, abs té ne ipso ad obiurgandum & contumeliandum procedis, an non? Nam si nullo pacto abs teipso, nec tibi alius, nec tu aliis irascaris: sin verò abs te ipso, iam vides abs te, ac negligentia tua originem vitia traxisse. Quid porrò? num opinaris nonnullos esse probos? Si nemo enim probus est, vnde tibi hoc nomen inuentum est? vnde hortatio ad virtutem? vnde bonorum laudes? Sin verò probi aliqui sunt, proculdubio iure improbos increpabunt. B Quòd si nullus sit sua sponte malus, neque à seipso probi iniustè improbos reprehendere conuincentur. Nam & increpantes ipsi hac ratione, quoniam iniuria increpant, boni non erunt. Quid enim peius excogitari possit, quàm innocentem criminibus falso accusare? Quòd si prauos idcirco boni reprehendunt, quia possent esse non praui, hoc certè non paruum probitatis suæ argumentum dixerim. Vnde vel mente captis patet arbitror, neminem vnquam necessariò malum fuisse. Si vero post hæc omnia, vnde sunt mala quæreres, non dubitabo sæpius dicere, à desidia ac ignauia tua: quia cum prauis conuerseris, quia virtutem spernas, hinc certè & mala sunt, & hoc ipsum vt vnde sint mala quæras, hinc omnino est. Nemo enim rectè viuentium, nemo eorum qui modestiam atque humilitatem colunt, friuola ista quærit: sed audaces atque proterui, qui desidiam suam defendere conantur, has aranearum consimiles telis rationes frustra confingunt, quas non C verbis solum, sed multò magis opere nos destruamus: non enim ex necessitate ista fiunt. Nam si ex necessitate mala fierent, non dixisset profectò Christus: Væ homini illi per quem scandalum venit. Illos enim solos quasi miseros defleret, qui sponte sua malis adhærent.

Per quem quid in scriptura.

Noli autem admirari si, Per quem, scriptum est. Non enim tanquam alio per ipsum agente hoc dicit, sed tanquam ipse totum efficiat: Consueuit quippe scriptura, Per quem, nonnunquam pro, à quo, dicere:

Gen. 4.

sicut quando dicitur, Possedi hominem per Deum: non enim secundum quandam causam, sed primam

1. Cor. 1.

omnino posuit. Et rursus, Nónne per Deum manifestatio eorum est: & fidelis est Deus, per quem vocati estis in communicationem filij sui. Cæterum vt discas, non necessariò nos malos esse, quæ sequuntur considera: nam posteaquam malos quasi miseros defleuit, *Si manus, vel pes*, ait, *tuus, te scandalizauerit, abscinde ea & proiice abs te. Bonum est tibi claudum vel debi-* D *lem intrare in vitam, quàm duas manus vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus dexter scandalizauerit te, erue eum, & proiice abs te. Bonum tibi est monoculum in vitam intrare, quàm duos oculos habentem,*

gehennã.) *mitti in* † *caminum*] *ignis.* Non enim hæc de membris dicta sunt, sed de amicis, ac necessariis, quos quasi mẽbra nobis coniunctos ducimus: quod & si superius ab eo tactum sit, tamen etiam nunc dicitur. Nihil enim ita pernicioſum ac pestiferum est, vt consuetudo prauorum hominum & conuersatio: quippe cùm amicitia atque necessitudo & ad nocendum & ad iuuandum plus nonnunquam efficit, quàm necessitas potuisset: ac ideo magna quadam cum vehementia iussit nocentes à nobis propinquos depellere: eos verò amputandos atque proiiciendos esse, consequentia ipsa rerum significat, qui scandali authores sunt. Vides quemadmodum futurum è scandalis detrimentum exterminat, tum quia prædixit omnino ventura, vt nullus otio possit marcescere: sed expectatione scandali commotus, iugiter vigilet: tum quia ostenderit extrema & maxima esse mala. Non enim solummodo simpliciter, væ dixit Mundo à scandalis, verumetiam vt maximam ab illis sequi perniciem monstret, authorem scandali multò magis quasi miserum deplorauit dicens: *Verumtamen væ homini illi.* Quibus verbis magnum ostendit supplicium illi futurum: nec id sibi satis fuit: sed similium adiectione terrorem in maius extulit, & viam monstrauit, per quam hæc scandala fugere possimus. Quæ autem hæc via est? Praui homines, inquit, etiam si valde tecum amore aut necessitudine coniuncti sint, abscindendi sunt ab amicitia tua, & ratione affert manifestam. Nam si maneantamici, nec illos lucraberis, & tu ipse simul peribis: sin verò procul abs te illos abieceris, tu saltem salutem consequeris: quare si alicuius coniunctio saluti tuæ obest, reiice ipsum abs te. Nam si nostra plerunque membra rescindimus, cùm incurabili morbo & ipsa tabescunt, & reliquis officiunt, multo magis in amicis atque cognatis id faciendum. Sin autem natura nobis mala insita essent, hæc sanè admonitio, atque consilium frustra omnino daretur, cum omni cura & diligentia nihil posset prodesse: sin verò vanum hoc consilium non est, sicut certè non est, patet à voluntate hominum improbitatis opera proficisci. *Videte ne contemnatis vnum de paruulis istis: dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei, qui est in cœlis.* Paruulos hic non verè paruulos, sed multorum æstimatione appellauit: pauperes dico, ignoros, cæteróſque huiusmodi, quos multi contemnere solent, qui nec reuera paruuli sunt, C cùm toti mũdo sint æquiparabiles, & creatori omnium amici, sed multorum æstimatione tales esse putantur. Nec id tantum de multis dicit, sed etiam de vno: atque hinc iterum detrimentum scandali semouet, atque disterminat. Nam quemadmodum si quis proteruos homines fugiat, sic si probis adhæret, vberes fructus inueniet, ac duplici quadã tutela, & firmiore securitate vtetur: altera, quia scandalizantium coniunctionem aspernatur: altera, quia probos ac sanctos viros colit, atq; honorat. Deinde alia etiam ratione illos venerabiles facit, dicens, quia angeli eorum semper vident faciem patris mei qui est in cœlis. Hic manifestum est, quia omnes sancti angelos habeãt. Apostolus etiam ait de muliere, quoniam velamen debeat habere in capite propter angelos. Et Moses, statuit fines gentium secundum numerum angelorũ Dei: hic verò non de angelis simpliciter dicitur, sed de angelis excellẽtibus, atque supremis. Nihil enim aliud designatur, cùm faciem dicat patris mei aspiciunt, quàm summa fiducia eorum & honor præcipuus. *Venit autẽ filius hominis saluare quod perierat.* Aliam rursus infert rationem, & multò quàm prior fuerat firmiorem, cui similitudinem subiungit, qua Patrẽ eadem velle inducit. *Quid enim vobis videtur,* inquit, *si fuerint alicui homini centum oues, & erraverit vna ex ipsis, nonne relinquens nonagintanouem, ad montem profectus, quærit eam quæ erravit: & si contigerit vt inueniat eam, amen dico vobis, gaudet super eam magis, quàm super nonagintanouem, quæ non erravuerunt? Ita non est voluntas coram patre meo, qui est in cœlis, vt pereat vnus de paruulis istis.* Perpendis quot, quibúſq; rationibus ad curam tenuiorum fratrum nos inducit. Noli ergo dicere ferrarium esse aliquem fabrum, aut sutorem, aut agricolam, ac ideo quasi rudem

1. Cor. 11.

atque

atque indoctum esse contemnendum. Vide quanta sibi A cura sit, ne hoc patiaris, vide quot te argumẽtis ad modestiam, & ad curam minorum fratrum reuocat: Infantem in medio statuit, & dixit: Efficiamini vt paruuli: &, quicũque talem susceperit paruulum, me suscipiet: quicunque hunc scandalizabit, extrema luet supplicia: & ad terrorem molæ ac submersionis, væ, nimium miserantis verbum adiecit: & scãdalizantes homines, etiam si loco manuum atque oculorum nobis essent, abscindere iussit: angelorum quoq; qui hos tenues fratres tutantur authoritate, vt eos veneremur impellit, ac demum à sua voluntate ac passione hortatur. Nam cùm dicit, Venit filius hominis saluare quod perierat: passionem & crucem suam significat, sicut & Paulus de fratre scribẽs, dixit: Propter quem Christus mortuus est. Nec

Rom. 14.

suffecerũt sibi hæc omnia, verumetiam à dignitate Patris ad hoc ipsum inducit, quia nec Patri quidem videtur, vt vnus istorum paruulorum pereat: & à communi consuetudine hominum, quia pastor saluis ouibus de- B relictis, eam quæ errauit diligẽtius quærit: & cùm inuenerit, summopere de illius salute lætatur. Si ergo Deus mirum in modum inuento paruulo gaudet, qua tu audes ratione eos contemnere, atque cõculcare, qui Deo charissimi sunt, cùm oporteat animam quoque ipsam pro vno istorum tradere pusillorum? Ita inquies, sed abiectus & tenuis est. Hac quidem ratione multò diligentius tibi omnia facienda sunt, vt eum conserues. Nam & ipse nonagintanouem relictis ouibus ad errantem abiit, nec potuit illarum multarum salus perditionem vnius obducere, atq; obfuscare. Lucas autem in humeris quoq; attulisse ait, & maiorem factam esse lætitiam in vno peccatore pœnitentiam agente asserit, quàm in

Luc. 15.

nonaginta & nouem iustis. Ita & quia propter errãtem vniuersum dereliquit gregem, quia magis in hac inuenta lętatus est, magnum studium multámque curam eius se habuisse ostendit. Ne igitur talium animos negligamus. Omnia enim ista propterea dicta sunt. Minis enim C illis quibus intendit nullum peruẽturum ad cœlos qui non fuerit sicut paruulus, & mola & submersione, tumorem proteruorum hominum depressit. Nihil sanè ita charitati repugnat, sicut superbia & mentis elatio. Quia verò dixit scandala necessaria fore vigilantiores eos reddidit. Cúmque adiecerit, Væ illi per quem scandala veniunt: vnumquemque cauere hortatur, ne culpa sua scandalum accidat. Quòd autem præcepit scandalizantes esse propellendos, salutis iter nobis expeditius faciendum admonet. Quòd denique iniũxerit ne ipsos contemnamus, neque id simpliciter, sed vehementer, atque acriter, cùm dicat: Videte ne aliquẽ istorum contempseritis paruulorum, quia eorum angeli patris mei faciem semper aspiciunt: & quia ego propter eos veni, & hæc patris mei voluntas est, ad tuendos conseruandósque pusillos diligẽtiores nos reddit. Perspicis quàm ingentia in tutelam tenuium mœnia erexerit, & quantum studium, curámque habeat ne perdãtur, tum quia D supremas decipientibus eos pœnas statuit, tum quia summam pollicetur mercedem his qui curam eorum susceipiunt, idque tam suo, quàm patris exemplo corroborat. Dominum igitur etiam nos imitemur, & nihil pro fratribus omittamus, etiam eorum quæ humilia, viliáque nimium videantur: sed si administratione nostra etiam opus fuerit, quanuis tenuis atque abiectus quidem cui administrandum sit fuerit, quanuis ardua nobis res, atque laboris plena esse videatur, quanuis montes, præruptáque præcipitia transeunda, omnia hæc pro fratris salute tolerabiliora, facilioráque oro videantur: tanto enim studio, tantáq; cura Deus dignam esse animam ostendit, vt neque filio suo pepercerit. Quare ob-

Rom. 8.

secro, summo mane cùm à domo exieritis, hãc vnicam intentionem habeatis, & hoc ante omnia studium, vt è periculis aliquẽ liberare possitis. Nec dico ab hoc corporis periculo solum: nam hoc neq; periculum quidem verè dici potest, sed multo magis à peticulo animæ, quod tentatione diabolica hominibus inferri solet. Si enim mercator, vt rem familiarem amplificet, terroris plena maria nauigat: si opifices, vt rebus suis quicquam adiiciant, duros tolerant labores: & nos pariter saluti nostræ salutem proximorũ adiiciamus, præsertim cùm qui sua contentus negligit alienam, nec suam quidem consequi potest. In prælio enim, ac expedita acie, qui sibi solum consulit miles, nec aliud respicit, quàm quomodo possit fugiendo animam suam seruare, is cæteros quoq; milites secum ad perniciem trahit: quemadmodum è cõtra, generosus miles cùm alios tutari conatur, se quoq; ipsum defendit. Quoniam igitur bellum quoque nobis indictũ est, & prælium agitur amarissimum, & acie instructa iam pugnamus: sic magno animo, vt noster iussit imperator, ad sanguinem & ad necem simus præparati, vt ad salutem omnium pugnemus, alios cohortatione, alios auxilio iuuantes. Multi enim in hac acie fratres perfossi atque sanguinolenti iacent, nec vllus inuenitur qui medicetur, non è vulgo aliquis, non presbyter, non pontifex, non amicus, non frater, non alius quispiã: sed singuli quæ nostra ipsorum sunt, quærimus: ac propterea nostra diminuimus. Atqui non ignoramus magnam inde ad Deum fiduciam, magnam approbationem comparari, si quis quæ sua sunt non quærat. Cuius rei oppositum facientes, tam prauis hominibus, quàm diabolo captu faciliores, imbecillioresque nosipsos constituimus. non enim alter pro altero arma capimus, nec Dei charitate nos communimus, sed alios quosdam amicitiæ prætextus quærimus: sic alius affinitate, alius consuetudine, alius consortio, alius vicinia, alius alia quadam ratione, nemo fidei ac religionis pietate nobis amicus est. Cúmque C deberemus hinc solummodo amicitiæ fœdera contrahere, oppositum omnino, & quidem studiosè facimus, cum Iudæis nonnunquam & gentilibus magis, quàm cum Ecclesiæ filiis amicitias coniungentes. proteruus enim iste, ille verò humanus (aiunt) est atque modestus. Quid ais? proteruum tu fratrem vocas cui nec racha quidem dicere permittitur, nec aliquo pudoris signo erubescis: ita de fratre sentiens atque prædicans, qui membrum est tuum, qui eosdem vnà tecum parturienti labores attulit, qui eadem tecum alitur mensa? At si fratrem secundum carnem habeas, etiamsi mille vitiis polluatur, non parum tamen ad illius defensionem studes, cùm putes si facinora illius in lucem prodeant, socium te dedecoris futurum: spiritalem autem fratrem, non solùm à contumelia & maledicto non vis defendere, verumetiam turpiter vltrò calumniaris. Proteruus enim est, ais, atque importunus: idcirco igitur amicitia illi coniungaris, & vt ab hoc vitio semoueas, & ad virtutem reducas. sed non exaudiet me, inquies, nec consilium meum approbabit. Vnde id scis? an admonuisti vnquam emendaréque conatus es? Sæpius id, ais, atque sæpius feci. Dicas, oro, certiore quodã ac definito numero: Et semel, & bis feciſſe me arbitror, inquies. O rem miram, ita semel, aut ad summum iterum illud sæpius atque sæpius tibi significauit, & si per totam tuam id vitam feciſſes, non oportuisset te labore victum defecisse. Nónne vides, quomodo continuè per prophetas, per apostolos, per euangelistas nos Deus admonet? putásne igitur per omnia nos persuasos emendare, rectéque viuere? Minimè: vtrum ab admonitione destitit, vtrum siluit, an

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sup.6. Luc æ 7. potius quotidie clamat, Non poteſtis ſimul mammonæ atque Deo ſeruire? Creſcit tamen diuitiarum cupiditas atque ſitis. Ille intonare non ceſſat: Dimittite, & dimittetur vobis, at nos magis efferamur. Ille ſemper ad continentiam nos hortatur: nos verò quaſi porci in luto libidinum inuoluimur, attamen ille prædicare non ceſſat. Cuius ergo rei gratia hæc non cogitamus, neque id nobiſcum dicimus quod Deus ſemper nos alloquitur, neque quanuis ex negligentia obaudiamus, defatigatur ſemper id faciens. hac de cauſa nempe diecebat, pauciſſimos eos fore qui ſaluabuntur. Nam ſi non eſt nobis ſatis ad ſalutem, quod virtuoſè ipſi viuamus, ſed oportet aliorum ſalutem re ipſa deſiderare: cùm neque nos rectè viuamus, neque alios hortemur, quid reſpondebimus? quæ nobis ſpes ſalutis reliqua erit? Sed cur hæc criminor, cùm neque eorum cum quibus habitamus, vxoris, liberorum, famulorum vllam curam habeamus, ſed alia pro aliis quaſi temulenti ſoliciti cogitamus? quomodo ſcilicet plures famulos comparabimus, qui diligentiori nobis ſtudio miniſtrabunt, quomodo liberis amplas hæreditates relinquemus, quomodo vxor precioſis veſtibus, & ornatu aureo potiatur. Nullam enim noſtri, ſed rerum noſtrarum curam habemus: vxoris obliuiſcimur, & quæ vxoris ſunt recordamur: de liberis non prouidemus, & quæ liberorum ſunt, amplificare atque augere ſtudemus. Itaque his ſimiles ſumus, qui cùm malè maceriatam ac ruinoſam videant domum, ipſam quidem reſtituere negligunt, porticus ei & ſepta in circuitu præparant: aut illis, qui quanuis morbo conficiantur, cura tamen valetudinis neglecta, aureas ſibi veſtes contexunt: aut mulieri quæ cum aduerſa valetudine nimium laboret, nullum ægrotationis remedium, ſed ancillas & ornamenta: cæteráque huiuſmodi ipſi ſtudeat comparare. Non aliter ſanè nos cum anima noſtra, modò iræ furore, modò cupiditatis ardore, nunc maledicendi ſtudio, nunc inanis gloriæ iactatione mirabiliter vexetur, ac humi iacens, & ſecum ipſa diſſidens, ab innumeris laceretur feris: non vt ipſam curemus, ſed vt magnificas ædes conſtruamus, & gregem ſeruorum, cæteráque huiuſmodi acquiramus, omni ſtudio atque cura vigilamus. Et ſi vrſa fugam è cauea ceperit, domos præcludimus, vicos obſidemus, vt intercepta nemini noceat: nunc verò cùm non vna beſtia, ſed multæ atque obſcœnę cogitationes omni beſtia ferociores animam noſtram lacerent, nec ſentire quidem videmur: & vrbium ſanè habitationi adeò prouidemus, vt vel in deſertis locis, vel in vallatis atque munitis atrocem ſeram coërceamus: cauemúſque diligenter ne ad curiam aut tribunal, néve ad regiam accedere poſſint huiuſmodi immanes feræ, ſed procul alicubi vinctas tenemus. In anima verò noſtra vbi locus conſilij eſt, vbi regia ſedes, vbi iudicium, eò immanes beſtiæ ad mentem ipſam, ad regale ſolium omnia perturbantes magna licentia conſcendunt: propterea ad inferiora depelluntur, quæ ſuperius ſtare debebant, omniáque ſimul turba conquaſſantur, quæ intus quæ foris ſunt. Ciuitatique ſimiles ſumus, quæ barbarorum iucurſu conturbatur: aut auiculis quæ draconc ad nidum ſerpente, trepidæ ac conturbatę circumuolant. Quare vehementer vos oro, atque obſecro, interficiamus hunc draconem, arceamus atroces beſtias, & prauas cogitationes mucrone Spiritus confodiamus, ne nobis quoque propheta Iudæorum mala intentet dicens: Onocentauri, ericij, & dracones illic tripudiabunt. Sunt enim, ſunt certè homines onocentauris multo peiores, qui ceu in deſerto viuentes calcitrent, & ætatem iuuentæ miſerabiliter agant. Nam cùm atroci cupiditate vexentur, non aliter quàm effrænes onocentauri circuneuntes ſaliunt, & calcitrant, nulli rei probæ ſtudentes: cuius mali patres eorum cauſa ſunt, qui equorum quidem domitores cogunt, vt ſtudioſiſſimè ſibi equos domitent, nec incuria committant ad firmiorem indomitos ætatem peruenire, ſed frænum ac cætera quibus opus eſt, incipientes adhibent: liberos autem ſuos longè prouehi abſque caſtigationis negligunt fræno, & dimittunt circuire, ſcortis, aleis & obſcœnis ſpectaculis inhiantes, cùm deberent antequam fornicationibus ſe traderent, prudenti & modeſtæ vxori coniungere, quæ ab omni mala conſuetudine maritum eripiat, & frænum pullo facta ſalutari domatione contineat. Non enim fornicationes & adulteria aliunde proueniunt, quàm ex nimia iuuentutis licentia. Nam ſi cum prudenti vxore nuberet, laudis ac æſtimationis hominum, ac denique domus curam haberet. Sed vix ab ephebis exiuit, inquies: nec ego ignoro, & certè ſi annos Iſaac attigit quadraginta, & ætatem illam in virginitate traducens, poſtea ſponſam duxit: multò magis iuuentutem in tempore gratiæ degentem, hæc philoſophia deceret. Sed quid faciam? non vultis modeſtiæ ipſorum curam habere, ſed ſordibus, atque cœno, omnique turpitudine inquinari negligitis, neſcientes hoc præcipuum eſſe matrimonij lucrum, vt caſtimonia conſeruetur: quod ſi non fit, quænam vtilitas ex matrimonio erit? Vos autem quid facitis? cùm omni turpitudine liberi veſtri ſe maculauerint, tunc fruſtra vxori copulatis. Decet nanque, ais, vt in republica comprobatus, conſpicuus antea fiat quàm vxorem ducat. Animæ verò nulla vobis cura eſt, ſed deiectam deſpicitis: idcirco omnia confuſa turbatáque iacent, quia quaſi ſuperflua quædam res anima ſpernitur: quia quæ neceſſaria ſunt, contemnuntur: quæ vilia ſunt & caduca, magno ſtudio confouentur. Neſcis nihil, te ita magnum poſſe filio tuo largiri, quàm vt à fornicationis immundicia integrum conſerues? nihil ſanè ita magnum nobis eſt ſicut anima. Quid enim proderit homini, ſi vniuerſum orbem terrarum lucrabitur, & animæ ſuæ detrimentum patietur? Sed certè cuncta peruertit atque deiicit immenſa diuitiarum cupiditas, & ceu crudeliſſimus quidam tyrannus arce occupata, libertate ciuitatem priuat: ſic animis omnium deiectis verum Dei timorem turpiter expellit. Ideoque tam noſtram, quàm liberorum noſtrorum ſalutem negligimus, ac vnum ſolummodo reſpicimus, vt magis locupletati magnum pecuniarum numerum aliis relinquamus, qui pariter aliis, atque iſti poſtea aliis relinquant: ſic pecuniarum tranſmiſſores (vt ita dicam) ad poſteros, non domini ſumus, nec ſentimus hac vecordia ſeruis noſtris viliores nos reddere. Nam ſeruos quidem, etſi non ipſorum cauſa, attamen noſtra caſtigamus: liberis verò tantum prouidentiæ nequaquam tribuimus, ſed quaſi viliores mancipiis prætermittimus. Cur, mancipiis, dixi: cùm vel pecudibus ipſis minoris fieri videantur? Maiorem enim aſinorum ac equorum, quàm filiorũ curam habemus. Nam ſi burdonibus atq; aſinis agaſo nobis præficiendus eſt, non parum vigilamus, ne dementem, aut temulentum, aut furem, aut rei eius imperitum præficiamus: ſin verò ad colendum filiorum ingenium pædagogus ſit nobis inueniẽdus, qui caſu oblatus fuerit, eum recipimus, nec conſideramus vllam artem hoc artificio ſublimiorem non inueniri. Quid enim maius quàm animis moderari, quàm adoleſcentulorum fingere mores? Omni certè pictore, omni certè ſtatuario, cæteríſque huiuſmodi omnibus excellentiorem hũc duco, qui iuuenum animos fingere non ignoret. Attamen nos omnia ſpernimus, ac illud tantummodo

Infrà 10. & 22.

Gen.25.

Gen.25.

Eſa. 13.

Sup. 16.

Ars puerorũ moderatoris cæteris ſublimior.

tummodo conſideramus, quomodo volubilitate linguæ adoleſcentes præſtabunt, quod etiam quæſtus gratia facimus. Non enim vt eloqui ſciant, ſed vt pecuniam eloquentia colligant, eloqui ſtudent. Nam ſi cum facilius poſſe ditari abſque vlla eloquentia videremus, tunc omnis apud nos ſqualeret eloquentia. Vides quàm tyrannica vis pecuniarum ſit, vides quo pacto cuncta occupauit, & quaſi mancipia, vel potius pecudes alligatas quouis homines detrudit? verùm neſcio quid lucrabimur hac noſtra in eam oratione: verbis eam nos ferimus, illa rebus nos ſuperat. Non ceſſabimus tamen: ſed verbis ſcelera ſua patefaciemus: & ſi quid oratione conſequemur, tam nos quàm vos mirificè lucrabimur. ſin verò in propoſito perſeuerabitis, nos tamen officio noſtro fungemur. Creator autem omnium & vos morbi huius immunes, & nos in vobis gloriari faciat, cui gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA LXI. EX CAP. XVIII.

Si autem peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Quoniam acri oratione aduerſus ſcandalizantes vſus, multis eos argumentis terruit, ne ſupini atque deſides hac ratione hi fiant quibus ſcandala inferuntur, & ne putantes totam in alios culpam eſſe reiectam, ad mollitiei vitium delabantur, & quaſi omni fauore digni in arrogantiam incidant: perſpice quomodo ipſos etiam comprimit atque coërcet, & inter duos ſolummodo redargutionem fieri iubet, ne ſcilicet teſtimonio multitudinis grauiore accuſatione viſa, dedignatus ille duriorem ſe ad corrigẽdum præbeat: ideo dicit, Inter te & ipſum ſolum, & ſiquidem te audierit, lucratus es fratrem tuum. Quid eſt, ſi te audierit? ſi perſuaſus videlicet abs te, peccati ſe condemnabit, lucratus es fratrem tuum: non dixit ſatisfactum tibi eſt, cùm hoc modo animaduerſum eſſe in ipſum videatur: ſed lucratus es fratrem tuum, vt deſignaret communiter vtrique inimicitias eſſe detrimentum. Nec dixit, effeciſti vt frater tuus ſeipſum lucraretur, ſed tu fratrem lucratus es. Ita ſignificauit vtrunque prius iacturam feciſſe, alterum fratris, alterum propriæ ſalutis. Idipſum etiam cùm in monte ſedebat, admonebat: tum ipſum qui offendit ad eum qui offenſus fuerat mittens. Si munus tuum ad altare attuleris, ait, ac ibi recordatus fueris, quia frater tuus aduerſus te aliquid habeat, vade prius reconciliare fratri tuo: tum ipſum qui paſſus iniuriam eſt, remittere proximo peccata iubens. Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, dicere docuit. Nũc verò alium quendam modum induxit, nec eum qui fecit, ſed eum qui paſſus iniuriam eſt, ad illum adducit. Nam quoniam non facilis ille qui iniuriam fecit, ad ſatisfaciendum eſt, rubore ac dedecore quodam impeditus, eum qui paſſus eſt, ad illum non temerè, ſed emendationis cauſa mittit: non enim dicit, accuſa, increpa, pœnas petito: ſed argue, inquit. Nam cùm ille partim ira, partim rubore quaſi vino ſopitus non videat, opus eſt vt tu qui rectè valeas, ad ægrotum proficiſcaris, & priuato quodam iudicio conſtituto, remedium facilius inferas. Nihil enim aliud eſt arguere, quàm in memoriam eius peccata reducere, ac ad eum quæ paſſus ſis exponere. Quod ſi rectè fit, quaſi pars quædam defenſionis eſt, quæ vehementer ad reconciliationem impellit. Quid igitur, inquies, faciam ſi durus ac pertinax fuerit? *Aſſume tecum*, inquit, *vnum, aut duos: vt in ore duorum aut trium teſtium ſtet omne verbum.* Nam quantò ille impudentior atque pertinacior fuerit, tantò magis ad emendationem eius abſque ira & moleſtia nobis ſtudendum eſt. Nam & medicus cum grauiorem viderit morbum, non deſiſtit, nec moleſtia oppreſſus deficit, ſed ad ferenda remedia diligentius ſe accingit, quod nos quoque facere iubet. quoniam enim ſolus imbecillior viſus es, adiectione duorum fortior factus, argue delinquentem. Perpende quia non ſolùm eius qui laceſſitus iniuria eſt, verumetiam laceſſentis vtilitatem quærit. Nam verè paſſus iniuriam is certe eſt, qui paſſione victus ſuccubuit: is, inquam, eſt, qui morbo captus laborat: propterea ſæpius ſanum ad illum, modò ſolum, modò cum aliis mittit: & ſi pertinacia obduratus eſt, etiam Eccleſiam ad hunc ægrotum adducat. *Dic enim*, inquit, *Eccleſiæ*, quoniam ſi eius qui patitur commodum tantummodo quæreret, certè non iuſſiſſet ſeptuagies ſepties pœnitenti eſſe remittendum, nec toties, támque multos paſſionis emendatores ei ſtatuiſſet: nunc verò non ſemel, ſed bis atque ter, modò ſolum, modò cum duobus, modò cum pluribus ad curam illius te remittit. Ac de exterioribus quidem nihil tale præcepit: ſed ſi quis, inquit, dexteram verberibus tibi cædit maxillam, ei alterã quoque verte: hîc autem non ita. Quod & Paulus ait dicens. Quid enim mihi & eos qui exterius ſunt iudicare? fratres autem & arguere & auerti iubet, & inobedientes abſcindi, vt rubore impulſi meliores fiant: id ipſe quoque hîc facit. Nam cùm de fratribus legem promulget, tres peccanti magiſtros atque iudices conſtituit, qui doceant & enarrent quæcunque in temulentia ſibi perpetrata ſunt. Nam etſi ipſe eſt qui illa abſurda omnia & fecerit & dixerit, doctoribus tamen ſicut vinolentus indiget, omni ſanè ebrietate peccatum magis mẽtem perturbat, & animum inſania furoreq; replet. Quis enim ſapientior, quàm Dauid fuit? ſed tamen cum rationis vires à cupiditate tenerentur, quæ quaſi fumus animum eius occupauerat, in peccatum delapſus non ſentit: ac ideo lucerna ſibi prophetica opus fuit, & verbis quæ perperam geſta in memoriam reducerent: propterea etiam hîc ad delinquentem multos ac varios conducit, vt de iniuriis ſecum conquerantur. Cur autem hunc qui paſſus eſt, & non alium arguere & expoſtulare præcepit? quoniam patientius hunc, in quem iniurias iaculatus eſt, cui dolorem intulit, quem oppreſſit, laturus eſt. Non enim pariter æquo animo ab alio quàm iniuriam perpeſſo, & contumeliis laceſſito expoſtulatus ſuſtinebit, præſertim cùm ſolus ſit, cùm eum arguat. Nam ſi qui pœnas ab eo petere poſſet, is de ſalute ipſius laborat, maximè omnium poterit eum placare. Vides non ſupplicij, ſed emendationis gratia id fieri, propterea nullos ſibi teſtes initio prębet, ſed cùm ipſe per ſe nihil effecerit, neque tunc multitudini committendam rem præcipit, ſed vnum aut ad ſummum alterum addidit: quos ſi propter ſuam proteruiam deſpexerit, tunc tandem ad Eccleſiam offerendam rem cenſuit. Ita magnum ſibi eſt ſtudium, ne proximorum delicta, niſi poſt primam & alteram admonitionem efferantur. Quid autem ſibi vult, in ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum? Habes iam teſtes, inquit, opus abs te tuum ita eſſe confectum, vt nihil quod ad te pertineat, reliquum eſſe videatur. *Si autem eos non audierit, dic Eccleſiæ*: præſulibus ſcilicet, ac præſidentibus. *Quod ſi etiam Eccleſiæ non obedierit, tibi ſit ſicut ethnicus & publicanus.* Iam enim talis immedicabili morbo laborat. Tu verò conſidera quomodo publicanum ad exemplum ſummæ nequiciæ ſemper poſuit. Etenim ſuperius dixit, Nonne publicani quoque hoc faciunt? ac deinde, publicani præcedent vos, ait, in regnum cœlorum: id eſt qui valde improbitate conde-

Iniuriam verè pati quis dicatur.

Sup. 5.

Supr. 6.

Arguere quid.

Deu. 19.

1. Cor. 5.

2. Reg. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mnantur. Audiant hæc attentè, qui sibi quæstus iniu- A
Infr. 21. stos excogitant, qui fœnus fœnori adiiciunt. Cur autem istum cum publicanis collocauit? Vt certè & illum qui pertulit iniuriam consolaretur, & hunc meritò perterreret. Num igitur hoc modo solummodo iste punitur? Non certè, sed audi quæ sequuntur. *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt & ligata in cælis.* Nec dixit Ecclesiæ præsuli: vinculis istum constringe: sed, si ligaueris, ei qui dolorem pertulit totum permittens: tunc hæc vincula indissolubilia manent. Patet ergo extremis istum suppliciis esse vexandum, sed nulla culpa eius est qui detulit, sed totum crimen iure in eum qui pertinax in malignitate fuit, reiicitur. Animaduertis quo pacto duplici hunc necessitate vinxit, præsenti dico punitione, & futuro supplicio? hæc minatus est, ne hæc accidant, sed tum ne ab Ecclesia eiiciatur metuës, tum vt vincula tam terrestria quàm cœlestia reformidans mitior fiat. Nam cùm hæc sciat, quanuis primo ingressu minus fecerit, multitudine tamen iudiciorum con- B
uictus, iram fortasse deponet: hac enim de causa non cõfestim abscindit, sed ad tertium vsque iudicium progressus est: vt si primo non paruerit, obtemperet alteri. quod si secundum etiam spreuerit, tertio saltem moueatur: at si hoc etiam neglexerit, æterna supplicia tandem, & iudicium Dei expauescat. *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quancunque petierint, fiet eis à patre meo qui in cælis est. Vbi enim duo sunt vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum.* Animaduerte quemadmodum etiam hîc dissidia & inimicitias dissoluat, & pusillanimitatem omnem exterminet, & homines ad vnam congreget voluntatem, non prædictarum pœnarum tãtummodo terrore, verumetiam his donis quæ à charitate profluunt. Nam posteaquam contentionis extrema supplicia posuit, magna concordiæ præmia exponit, cùm & à Patre qui consensu & charitate coniuncti sunt, facilè impetrent, quod petunt, & ipsum Christum in medio sui possi- C
deant. Putásne igitur, vllibi duos reperiri consentientes? puto sanè multis in locis, ac forsan etiam vbique. Quomodo igitur à Patre cuncta non consequuntur? quia videlicet multæ sunt causæ non impetrandi. Nam aut inconducibilia postulant, nec mirum est si non ex-
2.Cor.12. audiuntur, cùm & Paulus non exauditus audierit: Sufficit tibi gratia mea, virtus enim mea in infirmitate perficitur. † Aut indigni exauditi sunt,]nec quicquam boni à seipsis offerunt, cùm Dominus Apostolorum similes denotare videatur. Ex vobis enim, inquit, qui virtute polletis, qui euangelicam doctrinam rectè viuendo complectimini. Aut aduersus eos qui ipsis dolorem intulerunt, vltionem orantes petunt, quod omnino prohibetur. Orate, nanque ait, pro inimicis vestris. Aut misericordiam postulant, cùm nullam egerint pœnitentiam. Quare potiri penitus est impossibile, etiam si qui multam fiduciam ad Deum habent, pro eis deprecen-
Hier. 7. 11. & 14. tur: veluti Hieremias cum pro Iudæis oraret, audiuit: D
Noli orare pro populo hoc, quoniam te nõ exaudiam. Si verò cuncta hæc affuerint, & conducentia petas, & quantum in te, euangelicam vitam re ipsa probes, & concorditer atque cum charitate cum proximo viuas, impetrabis orando misericordiam Domini. Verumetiam quoniam à Patre meo dixit, vt vnà cum Patre seipsum quoque postulata largiri ostendat, subiunxit: Vbi enim duo vel tres congregati sunt in nomine meo, illic sum in medio eorum. Nonne igitur sunt duo aut tres in nomine ipsius vsquequaque congregati? Sunt quidem: rarò tamen inueniuntur. Non enim de conuentu simpliciter dixit, nec congressum tantummodo quærit: sed cum hoc reliquum etiam virtutis genus, vt prius dixi, potissimum requirit: deinde vt hoc ipsum exactissimè ac diligentissimè fiat. Tale quippe est quod dicitur: Si quis propter me principaliter charitate proximo coniungitur, secum ipse sum, si ad hoc virtutis etiam opus adiecerit. Nunc autem complures videmus alias quasdam causas amicitiæ quærere. Nam alius amat quia redamatur, alius quia honore afficitur, alius quia vtilitati sibi esse aut fore hominem putat: Christi verò causa difficillimè quemquam inuenies qui amicum vt oportet diligat, sed omnes ferè secularium vinculo rerum inter se vinciuntur. Non ita quippe Paulus, sed propter Christum diligebat: quare quanuis non tãtùm amabatur, quantùm amabat: tamen quoniam robustas amoris radices iecit, non dissoluit charitatem. Nunc verò si omnia diligentiori cura scrutabimur, amicitiarum efficiẽtia commoda magis secularia, quàm hoc inueniemus. Quòd si quis mihi potestatem inuestigandi concederet, in hac multitudine facilè ostenderem: sed perspicuum id erit, si quis vigilanter inimicitiæ causas inuestigabit. Nam qui caducis, citoque instabilibus causis copulantur, eorum coniunctio perpetua esse non potest, sed si vel contemptus, vel pecuniarum iactura, vel liuor, vel gloriæ cupiditas, vel aliud huiusmodi superuenerit, amicitiam dissoluit. Radicem enim nõ inuenit spiritualem. nam si talis esset, nulla res secularis eam euelleret. Ea certè charitas, quæ Christi causa fundatur, firma, stabilis atque inuicta est, nec vlla re conquassatur, non obtrectatione, non periculis, non morte, non alia re temporali. Nam qui hac de causa diligit, nullo dissidio disiũgetur: qui enim amat quoniam redamatur, si quid minus iucundum ab amico ad eum profectum fuerit, finem amandi illico facit: qui verò Christi charitate amicis conglutinatur, nunquam ab amando desistit: idcirco Paulus quoque dicebat, Charitas nunquam excidit. Quid enim dicere poteris, an
1.Cor.13. quia honoratus abs te contumelię vicem honoris loco C
retulit, an quia pro beneficiorum gratia interficere conatus est? Sed si propter Christum diligis hæc ipsa ad maiorem te impellunt charitatem. Omnia enim quę seculares amicitias tollunt, spiritalẽ confirmant amorem magis, atque stabiliunt. Quo pacto inquies? Primum, quia hic præmia tibi præparat amicus, deinde quia magis ope indiget tua, qui sic miserè affectus est. Quapropter qui hoc amore spiritali diligit, non generis nobilitatem, non præstãtiam patrię, non excellentes diuitias, non denique quantum redametur, inuestigat: verumetiam si odio habeatur, si contemnatur, si interficiatur, quoniam sufficiens sibi ad amandum Christus causa est, perseuerat in amore. Firmus ergo ac stabilis stat, fixus & immobilis ad Christum respiciens, à quo inimici, contemptores, obtrectatores, persecutores, qui nec videre ipsum ęquo animo poterant, supremo amore, quo maiorem excogitare non possumus, amati sunt. Maiorem enim hoc amorẽ nemo, inquit, habet quàm
Ioan.15. vt aliquis animam suam ponat pro amicis suis. Et considera quoniam etiam eos qui crucifixerunt ipsum, qui summo furore aduersus ipsum insaniebant, magno studio curare conabatur. Sic enim ad Patrem de illis di-
Luc.23. cit, Dimitte eis: nesciunt enim quid faciunt. Et discipulos quoque postea ad saluandos eos misit. Hanc igitur charitatem imitemur, & ad hanc quasi ad exemplar respiciamus, vt imitatores Christi facti, tam præsentia quàm futura bona consequamur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA

HOMIL. LXII. EX CAP. XVIII.

TVNC *accedens Petrus ad eum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies?* Quoniam magnum quid se allaturum Petrus putauit, idcirco quasi gloriabundus, vsque septies, intulit. Nam si semper frater meus peccat, sempérque cùm arguatur, ad pœnitentiam reducatur: quoties, inquit, remittere debemus? an vsque septies? Video enim vltrò te illi terminum affixisse, qui pertinaciter in peccato perseuerat,
Infr.18. cùm dixeris: Sit tibi ceu gentilis ac publicanus. huic verò quem pœnitet, nullum terminum attulisti, cùm simpliciter iusseris ipsum esse recipiendum. Quoties igitur ipsum feram pœnitentem? an septies? Quid igitur facilis ac misericors dominus? *Non dico tibi vsque septies*, ait, *sed vsque septuagies septies.* Qua quidem oratione nullum omnino numerum posuit, sed indefinitè, continuè, ac semper significauit. Nam sicut millies infinitè designat, B
sic quando hic numerus dicitur, plerumque multa indefinitè atque indistinctè denotantur: veluti cùm dici-
4.Reg.1. tur. Quia sterilis peperit septem, per id Scriptura multos significat: non ergo certo numero indulgentiam concluſit, sed continuò atque semper indulgendum esse denotauit: quod & sequenti parabola confirmat. Nam ne videatur difficilia & onerosa imperare, cùm septuagies septies dixerit, confestim parabolam adiunxit, vt & dictum communiret præceptum, & iactantem in hoc deprimeret, & facilitatem rei ostenderet. Quocirca misericordiam quoque suam in medium adduxit, vt hac collatione facilius discas, quòd etiam si septuagies septies indulseris, etiam si cuncta simpliciter proximo peccata dimiseris, quantùm aquæ stilla ingenti mari comparata, tantùm, immo verò multo etiam magis misericordia tua ab infinita Dei bonitate distabit: qua tu vehementer indigebis, cùm viæ tuæ rationes in iudicio relaturus sis: ideo parabolam attulit, di- C
cens: *Simile est regnum cælorum homini regi, qui voluit ponere rationem cum seruis suis. Et cùm cœpisset ponere rationẽ, oblatus est ei vnus, qui debebat decem millia talenta: non habente autem eo reddere, iussit eum dominus venũdari, & vxorem & filios eius, & omnia quæ habebat.* Sed misericordia deinde domini impetrata, *Cùm vidisset conseruum centum sibi denarios debentem, angebat eum, & suffocabat: qua ex re adèo commotus dominus fuit, vt rursus in carcerem eum conicerit, quousque vniuersum debitum redderet.* Perspicis quantum inter peccata & peccata discrimen est? Quantùm enim centum denarij à decem millibus talentis distant: tantùm, immò verò multò plus ea quæ in hominem peccata, distant ab his quæ in Deum cõmittuntur: quod tum differentia personarum, tum crebritate, immo verò continentia peccandi perspicitur. Nam cùm peccantes nos homo quispiam videat, veriti à peccando desistimus: cùm autem Deus quotidie delinquentes perspiciat, nequaquam veremur, sed omnia intrepidè D
facimus atque dicimus: neque hac ratione solum, verumetiam & propter collata beneficia, & honoris gratiam, quo diuinitus præditi sumus, aduersus Deum delicta grauiora redduntur. At si vultis discere quomodo decem millia talenta, immo verò multò plura sunt quæ aduersus Deum delinquimus, paucis explanare conabor. Attamen non parum metuo, ne aut his qui ad nequitiam proniores sunt, quíque continuò in luto peccatorum inuolui desiderant, maiorem licẽtiam præbeam, aut temperantiores & modestos in desperationem inducam, vt velut discipuli dicant, quis potest saluari? faciam tamen, vt qui attentè audiunt, humiliores ac tutiores constituantur. Nam qui morbo laborantes incu-

A rabili non dolent, etiam sine hac oratione à desidia & ignauia sua non recedent. Quòd si etiam hinc maiores causas contemnendi arripient, non meis profectò verbis, sed amentiæ suæ culpa erit attribuenda. Nam oratio quidem hæc & reprimere, & compungere attentiores facilè poterit, & qui moderatè viuunt, cùm magnitudinem peccatorum intellexerint, & pœnitentiæ vires didicerint, magis proficient. Dicendum mihi ergo est, & ita dicendum, vt quæcunque aduersus Deum cõmittimus, & quæcunque communiter in homines, exponam: quæ autem propria sunt, vnusquisque prout sibi conscius est afferat, atque coniungat: sed prius beneficia erga nos Dei breuiter percurram. Quæ igitur sunt beneficia? Creauit nos atque produxit cùm non essemus, & omnia quæ videntur, cœlum, terram, maria, aërem, quæque in ipsis sunt, omnia animalia, plantas, semina, causa nostri effecit. Necesse enim est propter infinitam rerum multitudinem capita solùm tangere: ani-
B mam nobis viuentem inspirauit, ac solis super terram talem animam condidit, paradisum plantauit, auxiliatricem dedit, cunctis irrationabilibus præposuit, gloria & honore coronauit. Cùm verò ingratus in benefactorem homo inueniretur, maioribus eum donauit muneribus. Non enim solum considerandum est, quia ex paradiso eiecerit, sed quid inde quoque lucri secutum est. Nam posteaquam è paradiso eiectus est, & post innumera illa beneficia, & varias atque mirabiles dispensationes, filium quoque suum ad præuaricatores misit, cœlum eis recluſit, paradisum reserauit, & filios ex ingratis atque inimicis effecit. Quare opportunum est etiam nunc dicere: O profunditatem diuitiarum & sapi- Rom.11.
entiæ & cognitionis Dei. Præbuit nobis in remissionem peccatorum baptismum, eripuit à suppliciis, hæredes regni constituit, infinita sincerè credentibus bona pollicitus est: manum porrexit, Spiritum in corda nostra infudit. Quomodo igitur post tot tantáque sponte
C sua nobis collata, affici nos erga ipsum oportet? Putásne si quotidie pro eo, qui nos tam mirificè amat moriemur, condignas posse referre gratias, immo verò minimum quid debiti reddere? Nequaquam. Nam si hoc etiam faceremus, ad vtilitatem nostram id redundaret. Cùm verò sic affici deberemus, quónam pacto erga ipsum affecti sumus? quotidie, immo verò in horas atque in momenta temporis, leges atque præcepta ipsius contemnimus. Sed nolite oro, si liberiorem in peccantes linguam dimisero, iniquiore animo ferre: non enim vos solum, sed me quoque ipsum accusabo. Vnde igitur vultis incipiam? à seruis, an à liberis, an à militibus, an à priuatis, an à viris, an à fœminis, an à senibus, an ab adolescentulis? à qua ætate, à quo genere, à qua dignitate, à quo artificio? Vultis à militantibus exordiar? An igitur parum isti delinquant, cùm in dies atque horas contumelientur, maledicant, conuicientur, ex alienis ditentur calamitatibus? rapaces lupos imitentur: nun-
D quam à delinquendo desistant, nisi quis absque vndis maria esse contẽdat. Quæ enim passio ipsos non turbat? aut quænam ægritudo animam eorum non obsidet? Æqualibus inuident, & inuidentes mirificè se apud eos ostentant: subiectis auarissimè vtuntur: his qui alicuius causa coacti, ad eos quasi ad portum refugiunt, tanquam hostes inferuntur. Quot apud eos rapinæ, quot obtrectationes, atque cauponationes sunt? quot seruiles adulationes, quot mendacia, quot maledicta? Sed ad singula singulas leges Christi opponamus. Qui dixerit fratri suo, stulte, reus erit gehennæ ignis. Qui mulierem ad concupiscentiam inspexerit, iam eam Sup.5. Ibidem. Infr.28.
in corde suo mœchatus est. Nisi quis se humiliauerit sicut paruulus, non intrabit in regnum cœlorum:

Universidad de Deusto
Biblioteca

isti verò tumorem atque arrogantiam aduersus mino- A
res, vt eos vehementius timeant magno studio exer-
cent, ac omni atroci fera crudeliores in eos inueniun-
tur. Nihil pro Christo, omnia pro ventre, pro quæ-
stu, pro vana gloria faciunt. Putásne posse nos oratio-
ne delicta eorum recensere? Quis posset subsannatio-
nes ipsorum verbis consequi? quis profusissimum ri-
sum? quis importunas contentiones, quis turpiloquia?
Nam de auaritia nihil dicendum est. Etenim quemad-
modum in eremo educati monachi, nec quid sit auari-
cia sciunt: ita & isti auariciam ignorant, quanuis alio
quodam quàm illi modo. Nam illi quia longè à mor-
bo absunt, hunc affectum ignorant: isti quia valde hu-
ius passionis ebrietate occupantur, nec sentire quidem
morbum hunc possunt. Sic enim hoc vitium expulsa
virtute animum ipsorum detinet, vt nec crimen apud
insanientes illos esse videatur. Sed his omissis, iam ad
alios moderatiores veniamus. Age igitur opificum ge-
nus, qui maximo labore atque sudore suo iustè dege- B
re videntur, diligenter inuestigemus. Verùm & isti,
quia parum sibi ipsis attendunt, multa de laboribus suis
colligunt mala: vendendo enim ac emendo compluri-
bus iustis operibus iniurias coniungunt: iurant, deie-
rant, mentiuntur, ac vt multa possideant, totos se negoci-
is secularibus tradunt: & terræ affixi, omnia vt pe-
cunia crescat faciunt, nullam curam de pauperibus ha-
bentes. Quid dicam de maledictis, & contumeliis eo-
rum, de fœnore, de commerciis, quæ more cauponum
peragunt? Quid multa? non alia re magis, quàm impu-
dentia ducuntur. Verùm istos quoque si vultis omitta-
mus, & ad locupletes qui agrorum fœtu diuitias acqui-
runt, quique cæteris iustiores videntur deueniamus,
quorum iniustitia tanta est, vt si quis penitus inquirat,
nihil penè iniurioſius inueniat. Quomodo enim mise-
ris vtuntur agricolis? nonne humanius multò Barbari
eos tractarent? fame nanque tabescentibus, & per to-
tam insudantibus vitam intolerabilia non erubescunt C
vectigalia imponere, ac onera & labores quotidie ma-
iores afferre: & sicuti asinis, imò verò quasi lapidibus
corporibus illorum abuti, nec respirare quidem con-
cedentes, sed siue ager quicquam produxerit, siue non:
eodem semper exigunt modo, nihil eis concedentes.
Quare quid miserabilius excogitari potest? tota hye-
me laborant, frigore, imbre, vigiliis contriti, nec va-
cuis solùm manibus, verumetiam multa debentes re-
cedunt. Cæterùm omnium famem ac naufragia, pro-
curatorum tormenta, exactiones, & seruitutem intole-
rabilem formidant. Quis negociationes, cauponatio-
nésque ipsorum enarrabit? ingentia ipsi sudore homi-
num dolia replent, nec vrceum domum afferre illis per-
mittunt: sed quicquid vinea protulit, in cella condunt
vinaria, & argenti paululum hac de re illis proiiciunt.
Fœnoris inaudita excogitant genera, quæ nec gentili-
um quidem legibus comprobantur, mutui literas male-
dictionis plenas conscribunt. Non enim centesimam D
totius partem, sed medietatem flagitant, cùm ille qui
soluit, & vxorem habeat, & paruulos nutriat, & homo
sit: quódque maximum est, tam aream quàm torcular
suis laboribus impleat: quorum illi omnium nihil o-
mnino cogitare volunt. Quare opportunè prophetam
vt exclamet induxerimus: Obstupeas cœlum & horre-
sce terra, quia in ferarum mores humanum genus de-
trusum est. Hæc cùm dico, non artes, non agricultu-
ram, non militiam, non agros, sed nosipsos vitupero.
Act. 10. Ibid. 18. 3. Reg. 1. Nam & Cornelius centurio erat, & Paulus scenofacto-
riæ artis peritus, quo artificio etiam prædicando vsus
est. Dauid quoque rex fuit, & Iob locupletissimus, &
Iob 1. multorum agrorum dominus, nec horum aliquid im-

pedimento illis fuit ad virtutem: quæ omnia probè te-
nentes, & decem millia talentorum animo versantes,
saltem hinc vrgeamur, vt pauca illa & vilia proximis re-
mittamus. Referenda enim nobis ratio est de manda-
tis nobis commissis, quæ ita negleximus, vt non possi-
mus integram de omnibus reddere rationem: ac ideo
bonam atque facilem ad satisfaciendum nobis viam
præbuit Deus, qua omnia nostra debita possumus per-
soluere. Quænam hæc via? Obliuio eorum omnium
quæ aduersus te à fratre tuo commissa sunt. Quod vt re-
ctè perdiscas, ordine progrediens totam hanc paraboli-
am audi. Oblatus est enim ei vnus, inquit, debitor de-
cem millium talentorum, quo non habente reddere,
iussit eum dominus eius vendi, & vxorem, & filios eius.
Cuius rei gratia, dic quæso? Non ex crudelitate certè,
nec quia inhumanus esset, cùm ad seipsum detrimen-
tum rursus redundaret, è seruis enim suis † debitor] fu- etiam illa)
erat: sed quia incredibili cura illius deuictus hac com-
minatione ad supplicandum ne venderetur, adduce-
bat. Nam si propter debitum feciſſet, non annuisset sa-
nè petitioni debitoris, nec vniuerso ipsum debito con-
donasset. Quamobrem igitur, antequam ratio sibi ob-
lata esset, debitum non dimisit? Vt non ignoraret ser-
uus quot quantáque sibi remitterentur, quorum noti-
cia erga conseruum mitior fieret. Nam si debiti magni-
tudinem, & mirabilem indulgentiæ modum re ipsa ex-
pertus conseruum angebat, si tantopere non fuisset ca-
stigatus, quò crudelitatis non irruisset? Quid autem ca-
lamitate oppressus ait? *Patientiam habe in me, & omnia
tibi reddam. Misertus autem dominus serui illius, dimisit
eum, & debitum ei dimisit.* Perspexisti rursus mirabilem
exaggerationem misericordiæ. dilationem solummo-
do temporis, ac propagationem quandam seruus po-
stulauit, ille autem multò magis quàm petiit, videlicet
totius æris alieni donationem vltrò præbuit. Ita patet
ab initio etiam voluisse ipsum, tamen non prius id face- C
re, nisi debitor supplicaret, vt donum non modo suum,
verumetiam petitionis illius esse videretur: quod fecit,
vt coronam quoque seruus cõsequeretur: totum tamen
ad dominum meritò refertur. Nam etsi procidit debi-
tor, atque rogauit, ex causa tamen indulgentiæ vniuer-
sam rem domino attribui videmus. Cõmotus enim mi-
sericordia dimisit eum, nec antequam supplicaret, vt
cùm videretur aliquid ipsum quoque feciſſe, non maio-
re cõfunderetur rubore, vtque calamitate sua perductus
facilis ad ignoscendum cõseruo fieret: sed ad hoc vsque
probus ac placens fuit. Nam nec debitũ negauit, & red-
diturum se vniuersum promittens procidit, atque ora-
uit, & quasi vt delinquentem se condemnauit, cùm ma-
gnitudinem peccati nõ ignorauerit. Quæ verò sequun-
tur, indigna omnino prioribus sunt. Nam cùm exiisset,
inquit, non multo tempore pòst, sed confestim benefi-
cij magnitudinem ante oculos adhuc habẽs, tanto mu-
nere, tantáque liberalitate domini abusus est. *Cùm enim
inuenisset vnũ cõseruorum suorũ, qui sibi centũ denarios debe-
bat, suffocabat eum dicens: Redde quod debes.* Vidisti humani-
tatem & misericordiã domini, vide nunc inauditã serui
crudelitatem. Audiatis hæc, quicunque pecuniarũ gra-
tia similia in dies committitis. Nam si in peccatis id fieri
non licet, quantò minus in pecuniis licebit? quid autem
ille conseruus? *Patiẽtiam habe in me, & omnia reddam tibi,*
Ne verba quidẽ ipsa veritus est, quibus salutem acquisi-
uit: his enim ipse dictis decies mille talentorũ debitum
euitauit. Ita nec portum quidem cognouit, quo tutatus
à naufragio euasit, nec modus ipse supplicationis ad
misericordis domini memoriam eum reduxit: sed o-
mnia illa, crudelitate ac auaricia oblitus, omni fera sæ-
uius in conseruum insiliebat. Quid facis homo? non sen-

tis ad-

tis aduersus teipsum mucronem adigere, ac sententiam A
& munus domini reuocare? Sed ille nihil horum cogi-
tauit, nec rei suæ meminit, nec vllo modo remisit. Et
certè non æquali de re iste supplicabat, cùm pro talen-
tis hic decem millibus, alter autem pro centum dena-
riis supplicauerit: & ille conseruo se prostrauit, iste do-
mino: & cui omnino indultum fuit, is nec prorogatio-
nem quidem concessit: vinculis enim atque carcere ip-
sum oppressit. quod alij serui non ferentes, totam rem
ad dominum retulerunt. Ne hominibus quidem istud
placuit, nedum Deo. Condoluerunt itaque illi, qui ni-
hil debebant. Quid igitur Deus faciet? *Dominus autem,
nequam,* inquit, *serue, omne debitum illud dimisi tibi, quoni-
am rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui,
sicut & ego tui misertus sum?* Animaduerte quàm mitis sit
dominus, quasi constitutus in iudicio satisfactionem
reddit, quare donationem illam vniuersam reuocauit,
immo verò nõ ipse reuocauit, sed ille qui accepit, euer-
tit. Quid enim ait? Serue nequam, omne debitum illud B
dimisi tibi, quia rogasti me, nonne oportuit etiam te
misereri conserui tui? Nam & si dura hæc res tibi vide-
tur, oportebat tamen & lucrum iam acquisitum, & futu-
rum perspicere. graue & onerosum præceptum hoc est,
sed oportet magnitudinem quoque præmij considera-
re, nec illud tecum solummodo vertas, quia ille te con-
tristauit, sed tu cùm magis Deum offendisses, sola depre-
catione reconciliatus es. Quòd si tibi onerosum ac du-
rum nimis, eum qui te contristauit diligere videtur: sed
multò magis onerosum est gehennæ suppliciis in æter-
num torqueri: quod si illi opposuisses, cognouisses sanè
multò leuius hoc, quàm illud, atque facilius esse. Et
quandoquidem decem milia talenta debebantur, non
conuiciatus debitori, sed misertus fuit: quando verò
aduersum consocium crudelitatem exercuit, tunc ne-
quam atque improbum seruum appellauit. Audiamus
qui aliena rapimus: nobis enim hæc quoque dicuntur.
Audiamus omnes qui crudelitate occupati neminẽ mi- C
seramur: audiamus inquam, quia nõ in alios, sed aduer-
sus nosipsos sæuiciam exercemus. Quare cùm peccati
alieni recorderis, cogita te tibiipsi, non alij detrimen-
tum inferre. Tua enim non proximi peccata in fascem
colligis: & tu quidem quicquid aduersus delinquen-
tem operatus fueris in præsenti vita, hæc vt homo facis:
Deus verò non ita, sed maioribus ac æternis te suppli-
ciis puniet. *Tradidit enim eum*, ait, *tortoribus, donec vniu-
ersum debitum persolueret.* Id est, ad perpetuitatem eum
supplicij tradidit: nunquam enim persoluturus est. Nam
quoniam beneficiis melior fieri non potuisti, reliquum
est vt pœna torqueatis. Et quanuis charismata hæc, &
dona irreuocabilia sint, tantum tamen malignitas va-
luit, vt hanc quoque legem superauerit. Quid igitur
deterius memoria peccatorum, ac vltione, quæ tot tan-
táque diuina dona euertere posse videatur? Nec quie-
tus, sed ira commotus eum tradidit. Quando enim ven-
di eum iussit, nulla ira fuit in verbis, ideo nec vendidit: D
sed humanitatis maxima fuit occasio, nunc autem hæc
sententia non parua cum molestia ad compunctionem
atque supplicium terminatur. Quid autem hæc para-
bola sibi voluit? *Sic*, ait. *faciet vobis pater meus, si non dimise-
ritis vnusquisque fratri suo de corde vestro peccata ipsorũ.* Non
dixit, pater vester, sed pater meus. Non enim digni sunt
isti quorum pater Deus vocetur, cùm ita nequam sint,
vt homines odio persequantur. Duo enim hinc cum
quærere diligenter animaduerte: vt & nosipsos pec-
cantes culpemus, & aliorum peccata dimittamus, ita
hoc postremum propter alterum facilius reddit. Nam
qui sua cogitat peccata, ad dandam conseruo veniam,
non ore solum, sed corde facilior est. Non impellamus

ergo aduersus pectora nostra mucronem: nunquam e-
nim tantum tibi doloris afferre alius poterit, quantum
ipse tibi, si recordatus iræ vindictam quæras, & aduer-
sus teipsum sententiam iudicis attrahas. Nam si vigiles,
atque philosopheris, in illius caput totum malum retor-
quetur, ac ipse mala patietur, non tu: sin verò molestè
ac grauiter feras, tunc non ab illo, sed à teipso detrimẽ-
to afficieris. Noli ergo dicere, obtrectauit & calumni-
atus est mihi, & mille intulit incommoda. Quantò enim
plura dices, tantò re ipsa benefactorem ipsum ostendes,
qui causam tibi præbuit, vt tuorum possis peccatorum
sordes detergere. Ita quo maiores ille iniurias in te ia-
culatus est, eò maioris indulgentiæ tibi causa constitu-
tus est. Nam si voluerimus, nemo nobis vnquam no-
cere poterit, sed cùm inimici sint, præcipua tamen no-
bis conferunt lucra. Cur de hominibus tãtum loquor,
cùm diabolus quoque ipse, quo nihil perniciosius, non
paruas nobis approbationis causas afferat: quam rem
Iob ille manifestam omnibus fecit. Si ergo diabolus Iob 1. & 2.
occasionem coronæ præbuit: cur homines inimicos
formidas? Perspice igitur quot quantáque lucreris, si æ-
quo animo oppressiones inimicorum tuleris. Primò,
quod maximum est, peccatorum remissionem. Deinde
patientiam, atque perseuerantiam laudabilem. Tertiò,
mãsuetudinem & humanitatem: nam qui nescit adver-
sus inimicos irasci, multò magis amicis erit commo-
dior. Quartò, quia procul ab ira tranquillo semper ani-
mo viues, cui rei quid vnquam conferri poterit? Qui e-
nim ira non capitur, is iucunditatem animi consecutus
est. Nec vitam vanis laboribus ac doloribus vnquam
consumet. Nam qui nescit odisse, nec tristari cognouit,
sed continuè gaudens, bonis suis perfruitur. Quare non
mediocri supplicio nos afficimus, si alios odio perse-
quamur: quemadmodum etiam è diuerso nobis prosu-
mus, ipsi syncerè alios diligentes. Ad hæc omnia ipsis
quoque inimicis ac æmulis, etiam si dæmones essent,
venerabilis eris: immo verò si animum, vt diximus, tuũ C
ira praueris, nemo te inimicitiis persequetur: primum
autem omnium atque præstantissimum, Dei miseri-
cordiam nanciscaris: & quemadmodum peccatorum
veniam, sic virtutum maiora præmia consequeris. Di-
ligenter igitur studeamus, ne quenquam odio habea-
mus, si volumus vt nos quoque à Deo diligamur: vtque
quanuis decẽ millium talentorum rationes essent refe-
rendæ, misericordia motus, cuncta nobis remittat. Sed
iniuria me non lacessitus vexauit, inquies. Miserere igi-
tur eius, non auertaris ab eo, sed lachrymis & fletu
ipsi auxiliator: non enim tu, sed ille Deum offendit.
Tu autem si pertuleris, valde Deo te approbasti. Præ-
terea tecum crebrò verte, quia Christus ad crucem itu-
rus ipse quidem gaudebat, de crucifigentibus autem la-
crymabat. Quem ita imitari debemus, vt quò magis
perseuerant persecutores nostri, eò largiores lachry-
mas pro ipsis effundamus: innumera enim nobis hinc
bona, illis autem non pauca incommoda comparan- D
tur. Sed coram, inquies, omnibus & verbis & verbe-
ribus me duriter vexauit. Coram igitur omnibus, de-
decore atque infamia se notauit, & multorum aduer-
sus seipsum aperuit ora, tibique maiores subtexuit
coronas, & multos præcones patientiæ ac magnani-
mitatis tuæ constituit. Sed clàm, inquies, apud alios
mihi detraxit. Et quid hoc est? huius enim rei ratio-
nem Deus, non illi qui detrahentem audierunt, petu-
turus est. Accedit, quòd pœnas sibi multiplicauit, non
de delictis suis solùm, verumetiam de his quæ de te
oblocutus est, rationem redditurus: præterea apud
homines tibi detraxit, & apud Deum sibi detractum
est. Quòd si hæc tibi satis nõ sunt, cogita quia Deo apud

homines, quos maximè diligebat, diabolus detraxit, & vnigenito filio similiter. Propterea dicebat, Si patremfamiliâs Beelzebub vocarunt: quanto magis domesticos eius? Nec obtrectauit solùm iniquissimus ille dæmon, verumetiam fides sibi adhibita est, nec minima, sed maxima ei crimina intulit, dæmoniacum, seductorem, & aduersarium Deo appellãs. Sed magnis oppressus sum ærumnis ab eo, ais, qui beneficio meo conspicuus est. Ideò maximè tibi dolendum ac flendum est eius causa qui istud commiserit: tua verò causa gaudendum est, quia Deo qui tam ad probos, quàm improbos Solem oriri facit, similis factus est. Quod si arduum, ac vltra vires tuas imitatio Dei tibi videtur, quãuis studioso difficile non sit, tamen quoniam te tuo iudicio excedit, age ad seruorũ eius venias imitationem. Imitare Ioseph, qui ad seruitutem vsque fratrum iniuria traditus, beneficio suo sponte ipsos subleuauit. Imitare Mosem, qui vel post mille iniurias pro populo deprecabatur. Imitare beatum Paulum, qui quanuis mille à Iudæis afflictionibus quotidie premeretur, anathema tamen esse pro salute ipsorum volebat. Imitare Stephanum, qui dum peteretur lapidibus, vt hoc peccatum lapidantibus remitteretur orabat. Hæc omnia cogitantes, omne iræ incendium extinguamus, vt & nostra Deus delicta penitus remittat, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Sup.10.
Sup.5.
Gen 42. Exod.32.
Rom. 9.
Act.7.

HOMIL. LXIII. EX CAP. XIX.

ET *factum est, cùm Iesus consummasset istos sermones, migrauit à Galilæa, & venit in fines Iudææ trans Iordanem.* Assiduè à Iudæa propter Pharisæorum inuidiam Christus excedebat, nunc quoniam passionis tempus appropinquabat, in ea immoratur: nec tamen ad Hierusalem interim ascendit, sed in finibus Iudææ conuersatur. *Et secutæ sunt eum*, inquit, *turbæ multæ, & curauit eos.* Nec continuè verbis atque doctrina, nec signorum miraculis, sed modo hoc, modo illud facit, ac variis modis adhærentibus & sequentibus prodest, ita signorum magnitudine ac multitudine, fide dignior doctrina videbatur, à prædicatione verò atque doctrina, miraculorum vtilitas vberior resultabat. Sic vtrinque ad cognitionem Dei adducebantur. Tu autem illud perpende, quo modo integras plebes vnico verbo euangelistæ transcurrunt, nomina singulorum qui curabantur prætermittentes. Non enim dixerunt illum atque illum, sed multos curatos fuisse, vt fugiendam esse iactantiam significarent. Christus autem ægrotos curabat: vt & illis & multis aliis per ipsos prodesset. Curatio namque illorum multis causam præbuit vt eum cognoscerent, non tamen etiam Pharisæis: immo econtrà idcirco ad atrocitatem ferarum educti, ad tentandum accedebãt. Nam quoniam quę fiebant, carpere nequibant, problema quoddam ei proponunt. Dicebant enim tentantes: *Si licet homini quacunque ex causa dimittere vxorem suam?* O singularem arrogantiam, putarunt se posse quæstionibus os illius obstruere. Atqui rerum experientia, quãta hoc in genere sua virtus esset ostenderat, vt quando de sabbato multa differuerunt, quando quasi blasphemantem redarguebant, quando dæmonium habere asserebant, quando transeuntes per sata discipulos reprehendebant, quando de illotis manibus disputabant: in his enim omnibus oribus eorum consutis, & impudenti lingua repressa, confusi abiere, non tamen omnino desistunt. Peruicax sanè malum atque impudens inuidia est, & millies retrusa aggredi non veretur. Tu autem quanta malicia interrogent, diligenter attende.

Sup.12.
Suprà 9. Luc. 7. Sup.12. Sup.15.

A Non enim dixerunt iussisti iam non esse repudiandam vxorem. Nam quanuis esset hac de re prius locutus, nullam tamen horum verborum illi mentionem faciunt, verùm putantes maioribus hinc eum insidiis posse capere, & studentes in repugnantiam cum deducere, non dicunt: cur sic & sic legem sanxisti? sed quasi nihil hac de re dictum esset, quærunt an liceat, oblitum eum iam existimantes: paratique, si licere dixisset, sua sibi opponere: sin verò propria confirmasset, legi Mosaicæ repugnantem ostendere. Quid igitur Christus? Non statim dixit, Cur me tentatis hypocritæ? Quod tamen postea dicit. Hic autem id non ait. Quare sic? vt cum omnipotentia sua humilitatem quoque monstraret. Ideo nec semper hæc silentio tradit, ne ignotam ipsi maliciam suam putarent: nec semper carpit, vt cuncta mansuete ferre discamus. Quónam igitur pacto respondet? *Non legistis, quia qui fecit à principio, masculum & fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc homo relinquet patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Itaque iam nõ sunt duo, sed caro vna. Quod igitur Deus coniunxit, homo non separet.* Vide magistri sapientiam, qui cùm interrogatus esset si liceret: ne conturbarentur, antequam sententiam proferret, confirmationem à scriptura posuit, ostendens Dei & patris omnium id esse mandatum. Et quod ea quæ ab ipso sunt dicta de non repudianda vxore, non modo non repugnant, verumetiam valde cum Mose conueniunt. Considerandum autem est, quòd non solum ab opificio, verùm etiam ab ipso præcepto sententiam suam corroborat. Non enim dixit, quia virum & mulierem vnam solummodo fecit, verumetiam quia iussit vt vnus vni coniungatur. Nam si voluisset alteram etiam cõduci vxorem, vni viro creato multas conformasset mulieres: nunc verò & creationis & sanctionis modo, vnam vni perpetuò coniungi, & nunquam rescindi oportere perdocuit. audi autem quo modo dicit: *Qui fecit à principio masculum & fœminam fecit eos.* Hoc est, Ex vna radice germinarunt, & in vnum corpus conuenerunt. *Erunt enim duo in carne vna.* Deinde terrorem his intulit, qui hanc sanctionem legis carpere auderent. Nam vt fixa stabiliórque lex permaneret, non dixit, nolite igitur vos diuortio separare: sed, quod Deus coniunxit, homo non separet. Quod si authoritate Mosi tutaris, ego tibi non Mosem, sed Deum produco, vt vetustate præterea temporum superior sim. Deus enim à principio masculũ & fœminam fecit eos. hæc ergo lex & si modo à me promulgari videatur, diligentissimè tamen à principio temporum sancita est. Hac etiam non simpliciter mulierem viro collocari videtis, sed patrem & matrem dimittẽdos iuberi: nec ad mulierem accedere virum simpliciter voluit, verumetiam προσκολλᾶσθαι. i. adhærere siue adglutinari, potestate dictionis ostendens minimè illos esse separandos. Nec illud sibi solum sufficit, sed maiorem coniunctionem ostendit, cùm dicat, Et erunt duo in carne vna. Deinde prisca iam perlecta lege, quæ tam verbis quàm rebus firma persistit, & authoritate latoris nititur, magna iam cum potestate ipse quoque & interpretatur, & legem sanxit, dicens: Quare non sunt duo, sed caro vna. Quemadmodum igitur scelus est in duo diuidere vnam carnem, sic & mulierem à viro suo diripere, iniquissimum est. Nec in hoc stetit, sed Deum quoque attulit, dicens: Quod igitur Deus coniunxit, homo non separet. Ita ostendit & præter naturam & contra legem esse repudium: præter naturam quidem, quia vna caro inciditur: contra legem autem, quia cùm Deus coniũxerit, ac iusserit non separare, ipsi contra præcepta Dei facere ausi estis. His auditis, nónne quiescere, ac laudare dicta eius oportebat? nónne

Suprà 5.
Gen. 1. Ibid. 2. & Ephes. 5. & 1. Cor. 6.
Gen. 2.

nónne admirari tantam sapientiam? nónne stupescere, A cùm tantam consonantiam cum patre viderent? sed nihil horum faciunt, sed ceu pugnaces & contentiosi aiunt: *Quo modo igitur Moses præcepit libellum repudij dare, & dimittere ipsam?* Quod quanuis non ab illis, sed contra illos ab ipso proferri poterat, non tamen insultat, nec dicit, nihil ad me hoc. sed hoc quoque soluit. Atqui si oppositus veteri testamento fuisset, non decertasset certè pro Mose, neque ea quæ semel à principio facta fuerunt, confirmasset, nec sua priscis conuenire studuisset ostendere. Cæterùm cùm etiam multa Moses alia iusserit, vel de cibis, vel de sabbato, cuius rei gratia nullibi præterquam in hoc loco autoritate illius seipsos tutãtur? Quippe quia studebant ingentem virorum multitudinem aduersus eum incitare: ita enim indifferens hoc apud Iudæos erat, vt omnes vulgò factitarent: quapropter cùm multa in monte disseruisset, huius tãtum mandati nunc mentionem fecerunt. Inæstimabilis tamen illa sapientia pro Mose quoque satisfacit, dicens: *Ad duritiem cordis eorum illam legem ita latam fuisse.* Nam quoniam ab ipso etiam illa emanauit, iure ab omni crimine illam defendit, ac totam accusationem in caput eorum conuertit: quod vbique ferè factitat. Nam & quando discipulos vellere spicas accusabant, eos in culpa esse ostendit: & quando quasi præuaricatores, quia non lauabant manus, criminabantur, eos transgressores comprobauit. Et quando de sabbato disputabat. Deinde quoniam acre nimium atque onerosum erat quod dixerat, valdéque ipsis detrahebat, ad priscam subitò legem orationem reduxit, replicans quod superius dixerat. *A principio autem non fuit sic:* id est, rebus ipsis contraria his Deus se nobis à principio sanxisse ostendit. Nam ne dicere possent, vnde clarũ facies, Mosem propter cordis nostri duritiem ita scripsisse? inde rursus ora eorum obstruit. Nam si hæc lex principalis atque commoda esset, nõ illa statim à principio sancita fuisset, nec creator Deus sic aut creasset, aut dixisset: *Ego autem dico* C *vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam, excepta causa fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur.* Cõfusis iam illis summa cum authoritate legem sanxit, quod etiam cùm de cibis, cúmque de sabbato disputaret, similiter fecit. De cibis enim differens, posteaquam illos conuicit, tũc turbas alloquebatur, dicens non ab eo quod intrat hominem coinquinari. Et de sabbato pariter illis confusis intulit, Licet ergo in sabbato benefacere: hîc quoque eodem modo. Verùm quemadmodũ ibi confusis Pharisæis discipuli turbati accedentes cum Petro dixerunt, Expone nobis parabolam hanc: sic nunc quoque tumultuantes, dicebant: Si ita est causa hominis, non expedit nubere. Ita quia melius nunc intellexerunt, turbantur: tunc autem non intelligentes, siluerunt. Nam ex interrogatis & respõsis clarior modò lex facta est. Non audentes autem apertius interrogare, quod ex eo graue ac molestum sequi videbatur, id in medium producũt, dicentes: *Si sic est causa hominis cum vxore, non expedit vxorem ducere.* Onerosum ac durum valde sibi videbatur, omni nequitia plenam mulierem retinere, & tam atrocem beluam in penetralibus domus sæuientem fouere. Hac ratione illos turbatos fuisse Marcus aperit, dicens, arbitris remotis illos dixisse. Quid porrò illud sibi vult? Si sic est causa hominis cum vxore: id est, si hac de causa coniuncti sunt, vt vnum sint, nec, si causam maritus habeat, possit eiicere: facilius enim hac cupiditate erat seipsum abdicare, quam vxori improbæ repugnare. Quid igitur Christus? Non respõdit, vtique facilius est, ne legis vim id putasset habere: sed intulit, *Non omnes capiunt, sed quibus datum est.* Ita rem extulit, præcipuámque ostendit, & hac ratione attraxit atque hortatus

Deut. 24.
Deut. 5. Ibid. 12.
Ibid. 15.
Ibid. 12.
Ibid. 13.
Sup. 12.
Ibid. 15.
Sup. 12.
Marc. 10.

est. Sed perpende repugnantiam magnam: ipse arduum id esse confirmat, illi verò paruum ac facile: vtrumque certè commodè factum. Nam cùm ab ipso magnum esse confirmetur: instructiores paratioréque fiunt qui hoc desiderant. Cúmque à verbis eorum facilius esse videatur, hac ratione ad eligendam continẽtiam atque virginitatem proniores reddũtur. Nam quibus ad perpetuam hortari virginitatem arduum atque durum videtur, necessitate legis in cupiditatem virginitatis impellit. Posse autem nos perpetuam seruare continentiam ostendit dicens: *Sunt eunuchi, qui ex ventre matris ita nati sunt: & sunt eunuchi qui facti sunt eunuchi ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnũ cælorum.* His omnibus occultè ad optandam eligendámque virginitatem inducit: possibile nanque id esse hominibus hoc ferè modo confirmat. Cogita tecum, si aut à natura eunuchus esses, aut iniuria hominum sic effectus: quid faceres cùm & huiusmodi voluptate careres, & nullam carendo mercedem consequereris? gratias igitur Deo agas, quia magna præmia, rutilantéque coronas habebis, si ita viues quemadmodum sine aliquo illi præmio: immo verò multò facilius, tutius atque iucundius, tum quia spe retributionis coroboraris, tum quia conscientia virtutis gaudes, & ad hæc non ita ingentibus cupiditatis fluctibus iactaris. Non enim sic amputatio membri, quemadmodum rationis frænum, immo verò sola ratio huiusmodi fluctus comprimit, & in trãquillitatis portum animum reducit: idcirco igitur illos recensuit, vt hos vehementius exhortaretur. nisi enim huc tenderet, ad quid aliorum feciſſet eunuchorum mentionem? Quando autem dicit, qui se ipsos castrauerunt, non de abscisione membrorum dicit, sed prauę cogitationis interemptionem intelligit. Nam qui membrorum incidit, maledictioni subiectus est, vt Paulus ait: Vtinam abscindantur qui vos conturbant. neque iniuria. Nam cùm homicidæ opus id esse videatur, & Dei creaturæ apertè detrahit, Manichæorum ora recludit, & eandem qui hoc agit, iniquitatem committit, quam qui apud gentes mutilantur. Membrorum enim incisio, diabolicæ fraudis ac inuentionis opus à principio fuit, vt operi diuino detraheretur, vt rationale animal læderetur, vt non voluntati, sed membrorum naturæ vniuersa re attributa, largas sibi ad peccãdum homines portas reserarẽt, tanquam rationem non essent reddituri: ac ita dupliciter læderentur, tum quia membris suis carerẽt, tum quia voluntatis ad bona inclinatio reprimeretur. Quę omnia ex lege diabolica sunt, qui ad ea quæ dicta sunt via quadam progrediẽs, pernicioſum illud fatalis rerum necessitatis dogma introduxit. Ita vndique datam nobis libertatem diuinitus, vitia naturalia esse suadens, euellere conatur, multáque alia hinc pestifera dogmata occultius seminat. Talia quippe sunt diaboli pernicioſa venena: quare oro atque obsecro, fugiatis talem iniquitatem. Ad ea enim quæ dicta sunt accedit, quod nec cupiditatis incendia mitigantur, sed graviora inflammatióraque redduntur. Alij nanque sunt fontes spermatis hominum, ac aliunde certè prorumpunt, quidam à cerebro, quidam à lumbis illum inquietissimum œstrum proficiſci contendunt: ego verò non aliunde dixerim, quàm à lasciuia mentis, & cogitationis neglectu. Quippe modestia mentis facit, vt naturales motus nullum afferant detrimentum. Cùm ergo de his eunuchis dixerit, qui nisi etiam ipsi mente se contineant, frustra & incassum tales sunt: ac de his qui vt cœlos nanciscantur, se continent, subiunxit rursus dicens: *Qui potest capere, capiat.* Ita magis animat atque incendit, vel quia magnitudinem virtutis ostendit, vel quia inæstimabili misericordia sua noluit rem

Galat. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in necessitatem legis concludere. Et ad hæc possibile id esse monstrat, vt eligendi cupiditas crescere possit. Sed si electionis opus est id, inquies, quomodo incipiens statim dixit, *Non omnes capiunt, sed quibus datum est?* Vt singulare id esse certamen perdiscas, non vt forte datam necessitatem suspiceris. His enim datum est, qui sponte id eligunt: quod ideo dixit, vt ostenderet superiore nobis auxilio esse opus: (quod quidem omnibus illud expetentibus paratum est) si volumus in hac luctatione superiores euadere. Solitus quippe est, quan- Sup.13. & docunque res ardua proponitur, hoc vti modo dicendi: vt etiam quando dicebat, Vobis est datum nosse mysteria regni cœlorum, quod maximè ita esse præsenti loco approbatur. Nam si supernæ solummodo donationis istud est, ac nihil penitus qui se in perpetua virginitate conseruant conferre videntur, superfluè ipsis regnum cœlorum pollicetur, nec meritò à cæteris ipsos eunuchis distinguit. Tu autem perpende quo modo ab aliorum malicios quæstionibus non parum alij lucrantur. Nam Pharisæi quidem qui vt caperent, non vt discerent interrogabant, nihil inde consecuti abierunt, discipuli verò attentè cuncta percipientes multa didicerunt. *Tunc oblati sunt ei paruuli, vt manus imponeret super eos, & oraret. Discipuli autem increpauerunt eos. Iesus verò dixit eis: Sinite paruulos, & nolite prohibere eos venire ad me, talium enim est regnum cœlorum. Et cùm imposuisset eis manus, abiit inde.* Cuius rei gratia discipuli paruulos repellebant? Dignitatis profectò causa. Quid porrò ipse? Humiliores esse, tumorémque mundanum calcare diligentius docens libenter suscipit, & manus imponit, regnúmque cœlorum talibus pollicetur: quod ab ipso in superioribus etiam factum est. Quare nos quoque si cœlorum hæredes constitui volumus, hanc paruulorum virtutem consequi studeamus. Hoc enim supremum philosophiæ culmen est, vt cùm prudens sis, nihil ficti, nihil simulati asciscas, id angelorum vita est. Ab omnibus enim passionibus anima paruulorum mũda est, his qui dolorem intulerunt, nullas vltionis vices reseruant, & quasi nihil actum esset, veluti ad amicos accedunt. Quantò magis à matre vapulant, tantò magis eam quæritant, atque cæteris omnibus eam anteponũt. Nam etiam si regina cùm diademate atque purpura sibi offerretur, non præponerent eam matri etiam si pannosa esset: quam cum sordido habitu aspicere malunt, quàm reginam ornatu aureo decoratam. Quod enim suum aut alienum est, non inopia & copia rerum, sed amicitia & familiaritate discernunt: nec vltra necessitatem aliquid quæritant, sed cùm lacte repleti fuerint, statim relinquunt mamillam: non dolent pecuniarum aliarúmque rerum huiusmodi iacturam, sicuti grandiores: non venustas formas admirantur, ideo dicebat, Talium est regnum cœlorum: vt ea nos volẽtes faciamus, quæ ingenita paruulus atque insita duce natura facit. Nam quoniam omnia Pharisæi malicia & arrogantia faciebant, idcirco vbique discipulos ad simplicitatem hortatur, illos occultè malignos esse significans, & hos apertius eruditis. Nihil enim ita in superbiam euehit, sicut principatus, & primi consessus. Quoniam igitur per vniuersum terrarum orbem magnum discipuli honorem consecuturi erant, ne humanum quid patiantur, & aut honores à multitudine petant, aut se coram aliis ostentent, prœueniens solidiori doctrina mentes eorum confirmauit. Nam & si parua hæc esse videantur, magna tamen hinc vitia originem trahunt. Sic enim Pharisæi ab adolescentia ducti, ad summam superbiæ arcem salutationes, primos consessus, & incessus medios requirentes, facilè ascenderunt. Ab istis enim ad furiosam gloriæ cupiditatem, & hinc ad impietatem delapsi sunt: propterea quoniam ad tentandum accedebant, maledictione peccati contracta recesserunt: paruuli verò quia ab his omnibus immunes fuerunt, benedictionem consecuti sunt. Imitemur igitur etiam nos paruulos, & eorum mores in omni fastu & malicia contemnenda complectamur. Non enim est, non est inquam aliter possibile cœlos attingere, sed necesse omnino est in gehennam detrudi malicios os omnes atque simulatores: immo verò vel antequam tempus gehennæ venerit, non paruis hîc suppliciis cruciantur. Si enim malus fueris, inquit, solus mala exhauries: sin verò bonus tibi ipsi eris & proximo: quòd ita solitum euenire facilius credes, si priscorum vitam considerabis. Nemo quippe quàm Saül versutior vnquam fuit: nemo simplicior atque integrior quàm Dauid. Vter igitur munitior atque tutior? Nónne bis illum in manibus habuit Dauid, & cùm interficere posset, pepercit? Nónne irretitum, & quasi carcere circumuallatum tenebat, & dimisit? Et quanuis in Dauid ille commiserit crimina, quanuis à multis in necem illius Dauid incitaretur, intactum tamen abire voluit. Ita etsi cum magno exercitu alter persequeretur, alter cum paucis omni spe destitutus esset, nihilominus fugitiuus ille qui de loco ad locum vagabatur, instructum legionibus regem superauit. quod ideo factum est, quia cum simplicitate alter, alter cum malicia cuncta gerebat. Quid enim illo perniciosius excogitari poterit, qui ducem militiæ suæ à quo bella gerebantur, summique labores ferebantur, victoriæ verò præmia & triumphi quieto ipsi referebantur, interimere quærebat? Huiusmodi certè inuidia malum est, propriis semper commodis insidiatur, ac cum tabefaciens qui eam habet, mille calamitatibus inuoluit. Nam & miser ille antequam ab eo Dauid discesserat, flebilem illam vocem non emiserat, qua deplorans dicebat: nimium tribulor, alienigenæ insurgunt aduersus me, & Dominus desistit à me. Nec in prælio fuerat anteà victus, quàm ab eo Dauid discesserat: immo verò victor ac triumphator idcirco euadebat, quia ducis gloria ad regem pertransibat. Non enim tyrannicus fuit Dauid, nec à sede ipsum eiicere vnquam cogitauit: sed vehementer illi affectus, cuncta ad honorem eius gerebat: quod ex his quæ postea fecit, apertissimum est. Nam quando sub illo militabat, legi forsan subiectionis, si quis non diligenter exquirat, hæc poterit attribuere. Verùm postquam à regno eiectus fuit, quid persuasit & detinuit eum, ne bellum aduersus Saul inferret? Immo verò quid non ipsum incendebat? cùm quotidie ad aduersarij necem incitaretur, qui non semel, nec bis, sed sæpius nequiter insidias tetenderat, qui beneficiis multis affectus nihil penitus poterat criminari? Dauid autẽ, quandiu Saul regnaret ac saluus esset, periclitabatur: quare necesse erat Saule viuo & regnãte Dauidem formidare semper, & in cacuminibus montium latitare. Sed nihil horum omniũ potuit eum impellere, vt mucronem suum cruentaret: sed dormiẽtem ipsum & ligatum vidẽs, desolatum etiam in medio suorũ, cùm multi hortarẽtur, ac Dei sentẽtia tantam opportunitatẽ concessam dicerent: acri omnes repulit increpatione, ac à cæde abstinuit, saluóque emisso aduersario, quasi corporis eius custos ac protector, non hostis fuerit, sic exercitum accusabat quòd regem prodidissent. Quid igitur animo illius æquale inuenietur? quid illa mansuetudine maius? Quod & si ab his quæ diximus, facilè intelligatur, multò magis tamen à præsentibus perspici potest. Ex nostra quippe malignitate virtutem sanctorum melius cognoscere possumus. Quare obtestor, atque obsecro, imitationem illorum amplectamur: gloriam fortasse cupis, ac ideo proximo insidiaris, maiorem

1. Reg. 24.

Ibid. 26.

1. Reg. 28.

maiorem profectò consequêris, si contempta huiusmodi gloria, ab insidiando abstinueris. Nam sicut auaricia acquisitioni pecuniarum cõtraria est, sic cupiditas gloriæ, & ad acquirendam gloriam parum conducit. Et si vultis, curiosius hoc inuestigemus. Nam quoniam nullus terror gehennæ nos mouet, & cœlorum præmia nõ impellunt, age saltem à rebus ipsis præsentibus nobis persuadeamus. Quínam igitur ridiculosi sunt, dic quæso? Nónne qui omnia faciunt vt multitudinis auram adipiscantur? Qui porro laudabiles? Nónne qui hanc vulgarem laudem contemnunt? Ergo si inanem quærere gloriam exprobrabile est, vanæ gloriæ autem cupidus eam expetere haud dubiè deprehenditur, quin itaque exprobrabilis sit, effugere omnino non poterit. Ita cupido inanis gloriæ dehonorationis causa esse inuenitur, neque hinc solùm glorioſi dedecore sordidantur, verumetiam quia multa illiberalia, multa seruilia facere coguntur: ac veluti ne magna emolumenta nonnulli consequantur, auaritia solet esse impedimento: sic fit in hac re. Multis quippe illi modis adeò decipiuntur, vt parua plerunque lucra magna afferant detrimenta: vnde id factum est iam trito sermone prouerbium. Nam sicut luxuriosus à perfruẽda voluptate per affectionem & perturbationem impeditur, cùm qui valde lasciui mulierebréſque sunt, eos veluti mancipia mulieres contemnant, nec ipsis tanquam viris vnquam vti dignantur, sed colaphis cædentes, atque despuentes, huc atque illuc circunducentes, ac omnia imperantes, solummodo irrident, atque illudunt: sic eo qui plurimum sibi arrogat, & inanis cupiditate gloriæ furit, ac magnum quendam atque sublimem seipsum arbitratur, nihil profectò deiectius. Cùm enim genus humanum contentioſum sit, nullum magis oppugnat, quàm elatos, arrogantes, ac inanis gloriæ seruos. Hic autem ipse qui sic affectus est, quò gloriam iam acquisitam, vt putat conseruet, quasi mancipium plurimis adulatur, nonnullos præter dignitatem suam nimium colit, & quouis empticio seruo seruitutem seruit difficiliorem. Quæ omnia rectè sentientes deponamus oro has passiones: nam aliter & hîc pœnas dabimus, & ibi perpetuò cruciabitur. Admiremur ergo virtutem obsecro, atque colamus, vt in hac vita multa nobis bona tribuantur, & cùm naturæ concesserimus, æternam beatitudinem adipiscamur, gratia & misericordia domini nostri Christi, Amen.

HOMIL. LXIIII. EX CAP. XIX.

ET *ecce vnus accedens dixit illi: Magister bone, quid boni faciam vt habeam vitam æternam?* Nonnulli huic homini quasi fraudulento & nequam detrahunt, tentationis gratia ad Iesum accessisse affirmantes: ego verò habendi quidem cupidum, atque auarum non negauerim, talem enim ipsum fuisse Christi verbis declaratur: subdolum autem & simulatorem nunquam dixerim. Partim quia non debemus quod incertum est, ac maximè in criminibus, quasi certum asserere: partim Marc.10. quia hãc de ipso suspicionem Marcus remouit: ait enim, Quoniam accurrens, & genu flectens rogabat eum, & quod Iesus intuitus illum dilexerit eum. Verùm tam atrox est pecuniarum cupiditas, vt licet alioquin virtutis simus alumni, nihil tamen diuitiarum appetitione impediti proficere possimus. Quare nõ iniuria Paulus eam 1.Tim.6. malorum omnium radicem appellauit. Radix enim omnium vitiorũ, inquit, auaritia est. Quare autem Christus neminem esse bonum respondet? Quoniam ceu ad hominem nudum, & vnum è multis Iudæorum magistris adiit, idcirco etiam ipse quasi homo ei respondet. Sæpius enim ad mẽtem rogantium orationem accommodat: vt quãdo dicit, Nos adoramus quod nouimus. Ioan. 5. &, Si ego testor de meipso, testimonium meum non est verum. Cùm igitur nullum esse bonum dicit, non se eiicit à bonitate, absit. Non enim dixit, Quid me dicis bonum? non sum bonus: sed, nullus bonus, hoc est nullus hominum. Neque tamẽ cùm hoc dicit, omnino humanum genus bonitate priuatum esse affirmat, sed comparatione diuinæ bonitatis neminem bonum esse asserit, ac ideo subiunxit: *Nisi vnus Deus.* Nec intulit, nisi pater meus, vt discas quia non reuelauit se illi. sic & in antecedentibus: Si vos cùm sitis nequam, dicebat, nostis bona Sup. 7. filiis vestris dona cõcedere. Nam & ibi nequam homines appellauit, non quia genus humanum nequitiæ cõdemnaret, (dixit enim, vos, non homines) sed hominis bonitatem Dei bonitati comparauit: quod à sequentibus illico patet. quantò enim magis, inquit, pater vester bona dabit petẽtibus se? Sed quid vrgebat, inquies, aut quódnam commodum ex huiusmodi responso sequebatur? Ad altiora sensim cum adducebat, ac ab adulationis vitio liberare volebat, vt simul & à terrenis abduceret, & Deo affigeret, suaderétque futura solummodo bona esse quærenda: vtque solum Deum verè bonum, & radicem ac fontem bonorum omnium esse cognosceret, & ei gloriam referret. Nam & quando ait: Noli- Infr.23. te magistrum vocare in terra: tum ad distinctionem sui hoc dixit, tum vt discant quænam sit prima rerum omnium ac vera origo. Tantum enim ille studium demonstrauit, quòd cùm alij tentarent, alij pro ęgrotis venirent, ipse meliore cupiditate incensus, de vita æterna Iesum adiens interrogabat. Fertilis quippe atque vber ager erat, sed multitudo veprium semen suffocabat. Et considera quomodo paratus ad obediendum mandatis erat. *Quid enim faciendo*, inquit, *vitam æternam possidebo?* Sic promptus ad parendum esse videbatur. Quòd si tentandi animo accessisset, istud vtique nobis declarasset euangelista, quemadmodum in aliis facit, vt in legis- Matt.22. doctore. si verò ipse siluisset, dominus certè patefecisset, aut apertè redarguendo, aut occultius significando, ne videretur decepisse ac latuisse, & non paruum hinc detrimentum contraxisse. Præterea si tentationis gratia interrogasset, nullo propter illa quæ audiuit affectus mœrore fuisset. Nemo certè pharisæorum contristatus vnquam abiit, sed confusi domini doctrina, confutatique magis furiebant, hic autem tristis abiit: quod non paruum signum est, non peruersa illum mente, sed imbecilliore tamen, ad Christum vitæ desiderio peruenisse. Opprimebatur autem alia quadam grauissima passione, vnde cùm dominus dixisset: *Si vis in vitam introire, serua mandata.* quænam mandata seruanda essent interrogauit, non tentando quidem, absit hoc enim: verùm quia existimabat, alia quædam præter legalia, vitæ sibi causam futura: quod certè magnam hominis cupiditatem designat. Deinde cùm Iesus mandata legis recitasset, *Hæc*, inquit, *omnia ab adulescentia mea custodiui*. Nec finem hîc fecit, sed rursus quærit, quid adhuc mihi deest? quæ res etiam nimiam eius cupiditatem significabat. Nec paruum illud quoque fuit, quòd deesse sibi aliquid putans, non arbitrabatur satis dictum esse ad consequendum quod optabat. Quid igitur Christus? Quoniam magnum quiddam iniuncturus erat, magnitudinem prius præmij posuit, dicens: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, & veni sequere me.* Perspicis quot brauia, quot coronas huic stadio proponit? si autem ille tentasset, hæc ei non dicerentur: nunc verò & hæc illi manifestantur, & vt alliciatur, ingentem ei mercedem futuram ostendit, & voluntati eius vniuersa relinquit. Ita his omnibus ne

onerosa videretur admonitio facere studebat, ac ideo antequam certaminis laborem ostenderet, brauium præ oculis posuit, dicens? Si vis perfectus esse: ac tunc infert, Vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & mox iterum præmia inculcat, Et habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me. Non enim parua retributio est diligenter Dominum sequi. Et habebis, inquit, thesaurum in cœlis. Nam quoniam magna illi cura de pecuniis erat, & quandoquidem ipsum cunctis denudari rebus consulebat, vt ostendat non amissurum bona sua, sed tantò plura maioráque inuenturum, quantùm terra cœlum præstabilius est, retributionis præstantiam thesaurum appellauit, & simul stabilitatem atque incorruptibilitatem præmij, vt fieri poterat, humano verbo signanter expressit. Non ergo satis est pecuniam spernere, verumetiam oportet pauperibus opem ferre, & ante omnia ipsum Christum sequi diligenter: id est, omnia re ipsa præstare quæ ab ipso iubentur, paratúmque semper esse tam labores subire, quàm omne genus mortis sufferre. Si quis enim, inquit, venire post me velit, abneget semetipsum, tollatque crucem suam, & sequatur me. Maius quippe est quàm pecuniâ contemnere, proprij sanguinis effusio. Quam quidem ad rem non parum confert non fictus, non simulatus pecuniæ cõtemptus. *Cùm audisset autem adolescens cum sermonem, abiit tristis.* Quod non absque causa illi accidisse significauit euangelista dicens: *Habebat enim possessiones multas.* Non pariter certè hac passione opprimuntur, qui pauca possident, & qui magna rerum copia obruuntur: tunc enim violentior fit ipsa cupiditas. Nec vnquam magna voce prædicare cessabo, accessione pecuniarum cupiditatem habendi magis atque magis adeò inflammari, vt rerum copia crescente, paupertas quoque augeatur. Nam qui maiori desiderio ardent, egere se magis sentiunt. Perspice igitur quanta huius passionis vis sit, cùm magna diues ille Christum lætitia adiisset, ita suffossus atque obrutus fuit, quia ciiciendam pecuniam esse audiuit, vt nec respondere quidem potuerit, sed tristis, ac mœsticia pressus decesserit. Quid igitur Christus? *Difficile*, inquit, *in regnum cœlorum diuites intrabunt.* Quibus verbis non pecuniam, sed pecunia detentos carpit: quòd si diuites simpliciter difficile saluantur, quid facient rapientes? Nam si sua non dare, impedimento ad regnum est: quantum sibi accumulat ignem, qui aliena occupat? Cur autem discipulis adeò pauperibus, vt nihil prorsus haberent, hæc dicit? Sanè vt eos erudiret, ne pudori paupertatem sibi putarent, & quasi respondeat, quam ob rem nihil habere eos permiserit. Quòd autem primò difficile dixit: idipsum progrediens, cameli atque acus comparatione valde impossibile ostendit. *Facilius enim est*, ait, *camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* Vnde patet non paruam mercedem philosophanti locupleti esse repositam. Ideo Dei quoque opus id esse asseruit, vt ingentis gratiæ dono ad hanc rem opus esse ostendat. Nam discipulis perturbatis, *Hoc apud homines*, inquit, *impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Et cuius rei gratia discipuli, qui nimium inopes erant, turbabantur? Quia propter perditionem aliorum dolebant, quorum omnium iam charitate afficiebantur, & quasi magistrorum ac patrum viscera susceperant. sic enim pro vniuerso terrarũ orbe huius sententiæ acrimonia expauerũt, vt non parua eis consolatione opus fuerit: hac de causa inspiciens eos prius dixit, Quæ apud homines impossibilia sunt, apud Deum possibilia sunt. Iucundo nanque aspectu ac mansueto, mentis horrore eorum opportune sedato, & angustia dissoluta, quod inspiciendi verbo euangelista significauit, demum verbis quoque exuscitat, Dei

Luc. 9.

A virtutem in medium adducendo, ac vt cõsiderent exhortando. Si verò modum quoque ipsum perdiscere desideras, & quónam pacto quod impossibile est, possibile fiat, diligenter attende. Non enim ea de causa, quæ apud homines impossibilia sunt, apud Deum possibilia esse dixit, vt tu desperatione confusus quasi ab impossibilibus deterrearis: verùm vt cùm magnitudinem virtutis perceperis, facilius rem aggrediaris, Deúmque ores propitium tibi fore, vt eius ope æternæ vitæ præmia consequaris. Quomodo igitur id possibile fiet? Certè si opes proiecceris, si pecuniam contempseris, si hac sordida cupiditate non superaris. Quod enim non Deo soli, sed voluntati quoque tuę rem attribuit, quódque dicta hæc ab ipso sunt, vt virtutis præ oculis magnitudo ponatur, ex his quæ sequuntur perpendes: *Nam cùm Petrus rogauit, Ecce nos relictis omnibus te secuti sumus, quid ergo erit nobis?* Mercede illis prius definita, subiunxit: *Et quicunque reliquerit domos, vel agros, vel fratres, vel patrem, vel matrem propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Ita quod impossibile erat, possibile factum esse videmus. Sed quo pacto, inquies, opes relinquere potero? Quomodo qui semel tali passione, ac magno habendi desiderio submergitur, recipere seipsum, ac è fluctibus emergere poterit? Certè si incipiat superfluam rerum copiam circuncidere, atque abiicere. sic enim vlterius progredietur, & facilius ac expeditius huius certaminis cursum subibit. Non ergo tantam rem simul aggrediaris, sed si arduum tibi videtur eodem vniuersa tempore aggredi, sensim atque gradatim per hanc scalam ascendas, quæ te tandem in cœlos adducet. Nam quemadmodum qui acutæ bilis feruore febricitant, non solùm extinguunt ardorem potu, verumetiam incendunt atque inflammant: sic qui auaritia laborant, cùm huic cupiditati omni bile acerbiori pecuniam afferunt, maiori seipsos flamma incendunt. Nihil quippe hanc sitim ita extinguit, quemadmodum si ab huiusmodi desiderio teipsum liberum constituas: sicut etiam acuta bilis non potu, sed è contrario potius abstinentia & vacuatione extinguitur. Sed hoc ipsum, inquies, quo modo facere potero? Si perspexeris nunquam rerum copia huius te ardorem sitis extincturum, sed solo diuitiarum despectu ab hoc te tabifico morbo eripere posse. Noli ergo multa conquirere, ne incomprehensibilia sequaris & incurabili peste labores, ac omnibus miserior intolerabili hoc dolore & sis, & videaris. Respondeas enim mihi, oro, quémnam putas magno dolore cruciari? vtrum eum qui edendi atque bibendi cupiditate vexatur, cùm non possit desiderio satisfacere suo: an eum qui nec tali quidem cupiditate vexatur? Non dubito quin eum respondebis, qui cùm vehementer cupiat, animum tamen suum explere non potest. Tanti certè doloris plenum est, non posse voluptate frui, cùm nimium desideres, nec bibere posse, cùm ingenti siti exagiteris: vt cùm præ oculis nobis ponere gehennam Christus voluerit, hoc modo descripsit, & diuitem sic tabefieri & cruciari dixit, vt cùm stillam aquæ desideraret, nec habere posset, atrociter vexaretur. Quas ob res qui pecunias despicit, is cupiditati terminum constituit: qui verò ditari desiderat, & plurima in dies conquirit, maiore siti compulsus, nunquam ad finem deueniet: sed si mille adipiscereturtalenta, mille aliâ continuò quærit: quæ si possidebit, duplicare vniuersam substantiam multò magis exardescit: ac ita progrediens, montes, terram, maria, cuncta sibi aurum fieri precatur, eo furoris genere insaniens, quod nunquam hac ratione deprimi potest. Verùm vt tibi persuadeas, ablatione non accessione id nos malum posse compescere,

B

C

D

Luc. 16.

considera si tibi vnquam in mentem veniret, vt per aëra ceu volucres ferri optares, quomodo hãc absurdam cupiditatem reprimere posses. Vtrum fingendo pennas, aliáque ad volandum instrumenta faciẽdo, an suadendo tibiipsi vesana impossibilium cupiditate detineri: non ambiges, bene scio, quoniam si animum induxeris non debere nos impossibilia prosequi, tranquillo penitus animo eris. Sed hoc, inquies, penitus impossibile. Sanè non minus impossibilia petit, qui habẽdi cupiditatis terminum inuenire conatur. Facilius namque est hominem volare, quàm acquisitione ac accessione pecuniæ, cupiditatem habendi terminare. Quare quando ea quæ desiderantur possibilia sunt, non est præter naturam eorũ acquisitione desiderium mitigari: quando autem penitus impossibilia, nihil aliud relinquitur, quàm vt animum tuum procul à cupiditate abducas: alia enim ratione animi tranquillitatem consequi non poteris. Ne igitur incassum laboremus cupiditate pecuniarum, quæ semper nobis mœroris causa est, neque vnquam pectus nostrum quiescere patitur, omnino abiecta, ad alium portum plenis velis nauigemus, qui & fœlicior est, & supremam nobis facilè præbebit beatitudinem. Cœlestes ergo thesauros expetamus, qui non laboris multum afferent nobis, & quæstum inæstimabilem præparabunt: in quibus consequendis, nullam facere vnquam possumus iacturam, dummodo vigilemus, & præsentia contemnamus. Nam qui secularibus rebus seruit, ac semel illis deditus, in proposito perseuerat, is necesse est vt superiorem amittat thesaurum. Hæc omnia tecum cogita, & te à flamma eripe huius cupiditatis. Nemo enim profectò dicere poterit, præsentia quidem bona hanc cupiditatem præstare, etiam si futuris nos spoliet. Atqui etiam si ita res haberet, extrema hæc esset pœna, & supplicium maximum: nunc verò ad futura supplicia præsens quoque accedit cruciatus. Multas quippe domos hæc cupiditas euertit, multa bella concitauit, & laqueo plerosque abrumpere vitam coëgit, & ad hæc omnia nobilitatem humani animi exterminat, timidum, ignauum, mendacem, audacissimum, rapacem obtrectatorémque constituens. Sed argenti atque auri splendor, multitudo seruorum, ædium magnificentia, salutatio atque concursus in foro vulgi te decipit. Cui rei optimum illud remedium est, si quo modo hinc animus afficitur intellexeris (ater enim rationéque desolatus, & deformis efficitur) si cogitabis quantis malis hæc acquisita sunt, quanto labore, quibúsque periculis conseruantur, nec tamen diu conseruari possunt, sed si euaserint vndique, cùm mors surrepserit, ad inimicorum manus fortè peruenient. Tu autem nihil ex his nisi vulnera tecum retines, profundáque vlcera, quæ dum hæc colligeres, anima tua peccata contraxit, & miser recedis. Cùm igitur videris magnifico vestitu, & multis satellitibus aliquem præfulgere, eius conscientiam cogitatione confestim euolue, & inuenies omnia intus turpissimis plena sordibus. Veniat tibi in mentem, qualis erat Paulus, qualis Petrus, qualis Ioannes: qualis Helias, vel potius ipsius vnigeniti Dei filij recordare, qui non habebat vbi caput inclinaret: eum ac veros eius seruos imitandos ducas, & inæstimabilibus eius diuitiis firmo cogitationis phantasmate inhæreas: quod si paululum respexeris, deinde rursus tibi tanquam in naufragio procella incubuerit tenebras afferens, hanc Christi sententiam tecum illico versa, repetéque sæpius, quod impossibile sit ad cœlos diuitem peruenire. Ad hanc tu sententiam montes, terram, maria conferas: ac omnia, si ita vis, cogitatione aurum facito. Nihil enim exæquari damno poterit, quod inde patieris. Et tu quidem multa iugera terræ desideras, domos habere velles quamplures, totidem balnea, mille mancipia, ornatas argento ædes, auro decoratos thalamos. Ego verò illud dicere non dubitabo, si diuitum quilibet hac paupertate omissa, (paupertas enim hæc est cum eo collata quod dicturus sum) vniuersum mundum possideret, tótque seruos haberet, quot nunc in orbe terrarum sunt homines, ac vbique terrarum ædes, ciuitates, gentes sua ditione teneret, & fontes ac fluuij auro sibi pro aqua fluerent, tribus certè obolis huiusce modi hominem vnà cum diuitiis suis, si regno cœlorum excluderetur, dignum nõ duceremus. Nam si modò cùm caducas has opes expectãt, magno mœrore torquentur, nisi acquirant: quid harum rerum eos consolari poterit, si sensum aliquem ineffabilium illorum bonorum accipiant? nihil profectò. Noli ergo tuarum pecuniarum affluentiam recensere, sed diligenti studio quantum hinc detrimẽtum qui eam affectant patiuntur, considera, cùm cœlorum gloria hæc permutent, ac idem faciant, vt si quis regno exactus amplissimo, stercoris cumulo glorietur: nihil nempe pecuniarum aceruus à stercoris cumulo distare videtur, immo verò multo præstantior hic quàm ille. Nam tum ad ædificanda balnea perutilis, tum ad colendos agros necessaria est stercoris exaggeratio: aurum verò suffossum nihil penitus prodest: neque nõ prodest solùm, verùm etiam quasi fornax ardentissima, nisi quis opportunè vtatur, habentem exurit. Adeò enim multa hinc mala, adeò magnæ afflictiones scaturiunt, vt malorum omnium arx ab authoribus auaritia vocitata sit, quam beatissimus ille Paulus multò significantius omnium malorũ radicem appellauit. Hæc igitur cogitantes, æmulemur ea quæ nostra digna sunt æmulatione. Non magnificas ædes, non vberrima prædia, non cætera huiusmodi: sed eos viros qui magnam apud Deum fiduciam consecuti sunt, qui diuitias in cœlo ingentes possident, quorum thesauri ibi reseruantur, qui paupertatem longo diuitiis interuallo præponentes, verè diuites sunt. Id enim si faciamus, æternam proculdubio beatitudinem consequemur, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi. Amen.

1. Tim. 6.

B

C

D

HOMILIA LXV. EX CAP. XIX.

Tunc *respondens Petrus, dixit ei, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Quænam sunt hæc omnia quæ te dicis beatissime Petre reliquisse? Arundinem, retia, nauiculam, vniuersúmque piscatorum artificium: hæc tu omnia vocas? Ita, inquit, sed non ambitione quadam, aut inani gloria, verùm vt pauperum plebem hac interrogatione introducam. Nam quoniam à Domino dictum est: Si vis perfectus esse, vende quæ habes, & distribue pauperibus, & habebis in cœlo thesaurum: ne quis pauperum opinetur, non posse ad perfectionem se peruenire, cùm non habeat quæ pauperibus offerat: quærit Petrus, vt tu discas nihil te minus propter inopiam habiturum: quærit, inquam, Petrus, ne si id à Petro perciperes, præsertim cùm adhuc Spiritus gratia non abundaret, ambiguitate perplexus iaceres, sed vt ab ipso eius magistro prolata sententia, firma spe roboreris. Nam quemadmodum etiam nos pro aliis disputamus, sic Apostolus quoque ad vniuersi orbis commodum non dubitauit interrogare. A superioribus enim patet, nihil de seipso ambiguisse. qui enim ipsorum cœlorum claues susceperit, quantò magis de cæteris quæ in cœlo sunt consideret? Tu autem illud diligenter expende, quàm exquisitè duo illa quæ Christus à diuite petiit, vt scilicet pauperibus substantiam distribueret suam, & Christum seque-

Hic sup.

Sup. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

retur, breuiter complexus est, dicens: Reliquimus omnia, & secuti sumus te. ambo enim hæc facta iam erãt. nam sua reliquerunt, vt ipsum sequerentur, & eo quod omnia reliquerunt, sequi facilius potuerunt: & quoniam reliquerunt, confidere, atque gaudere ipsos admonebat. Quid igitur Christus respondet? *Amen dico vobis, quia vos qui secuti estis me in regeneratione, cùm sederit filius hominis in throno maiestatis suæ, sedebitis vos super duodecim sedes iudicantes duodecim tribus Israël.* An igitur & Iudas sedebit? Minimè. Quomodo igitur in duodecim sedibus sedebunt, quomodo pollicitatio hæc adimplebitur? Attende quomodo, & qua ratione lex est à Deo
Hier.18. per Hieremiam promulgata, in qua hæc continentur: Ad summam loquar super gentem, & super regnum, vt auferam & perdam: & si conuertetur gens illa à malis suis, me quoque pœnitebit à malis quæ cogitaui eis facere. Et ad summam loquar super gentem & regnum, vt restaurem & plantem: & si nequitiam fecerint in conspectu meo, & non audient vocem meam: me quo- B que pœnitebit eorum bonorum quæ facturum esse ipsis locutus sum. Pariter enim, inquit, tam in bonis, quàm in malis id facere soleo. Si enim restauraturum me dixero, non faciam, scilicet si quis indignum se hac pollicitatione præbuerit: quod primo confestim ho-
Genes.9. mini accidit. Tremor enim vester & timor, ait, erit super feras: quod econtrario fieri videmus, quia videlicet indignum se homo tali præbuit principatu: fic etiam Iudas. Nam ne punitionum terrore in desperationem nonnulli compulsi duriores ad virtutem fiant, aut bonorum pollicitationibus in desidiam delabantur, vtraque ista per Hieremiam corrigit, dicens: Et si minatus fuero, non diffidas: potes enim pœnitentiam age-
Ionæ 3. re, & sententiam meam sicut Niniuitæ conuertere: & si aliquod bonum promittam, propter promissionem nõ supinus sis & piger. Non enim proderit tibi pollicitatio mea, si te indignum feceris, immo verò maioris causa erit supplicij: nam ego dignis, & in eo quod digni sunt C perseuerantibus polliceor: propterea discipulos alloquens non simpliciter pollicetur. Non enim sedebitis & vos solummodo dixit: sed adiecit, Qui me secuti estis: vt & Iudam eiiciat, & posteriores attrahat. Non enim ad illos dictum est solos, neque ad Iudam qui se indignum effecit. Ita discipulis quidem futura pollicetur, dicens: Super duodecim sedes sedebitis: Sublimiores enim iam facti nihil è præsentibus rebus petebant. Cæteris autem hæc etiam præsentia pollicetur, dicens: *Quicunque dimiserit fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, aut domum gratia nominis mei, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Certè ne quis illud, vos, audiens, discipulis, vt maxima in futuro prędmia consequantur, datum solummodo credat: ea propter latius orationem produxit, & ad vniuersum orbem pollicitationem extendit, ita vt à præsentibus futura confirmet. Sic & discipulis, cùm imperfectiores à primis cunabulis adhuc essent, quæ ad D hanc vitam pertinent, offerebat. Nam quando à mari, & à piscandi artificio remouit, nullam cœlestium fecit sedium mentionem, sed quæ in hac vita euenicbant
Suprà 4. commemorabat, dicens: Hominum vos faciam piscatores: postquam verò sublimiores fecit, de cœlestibus disserit. Quid autem est quod dicit, Iudicantes duodecim tribus Israël? Nihil aliud profectò quàm condemnantes: non enim in solio iudicaturi sedebunt, sed quemadmodum reginam Austri, & Niniuitas condemnaturos generationem illam asserit, simili quodam modo discipuli non gentes, non vniuersum orbem, sed tribus Israël condemnabunt. Nam quoniam eisdem & legibus & institutis viuendi tam Iudæi, quàm Apostoli

A educati fuerunt, cùm Iudæi dicturi sint, idcirco se credere Christo non potuisse, quia † mandata legis seruare iubebãtur] discipulis in medium productis, à quibus & lex susciebatur, & fides Christo adhibita est, omnes Iudęos condemnabit: propterea enim dicebat, Iudices vestri futuri sunt. Sed quid præcipui pollicetur ipsis, inquies? Si quod Niniuitæ & regina habebunt, id etiã discipuli possidebunt. Multa quoque alia in superioribus istis obtulit, & in sequentibus pollicetur, quamuis aliquid occultius in hoc etiam significatur, maiora istos illis habituros. de illis enim simpliciter dicitur, quia viri Niniuitæ resurgent, & condemnabunt hanc generationem: de regina quoque Austri similiter. de istis verò non ita simpliciter: sed, quando filius hominis in sede maiestatis suæ sedebit, tunc & vos sedebitis super duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Israël. Vnde significatur, quia tam regni, quàm gloriæ participes futuri sunt. Si enim sustinemus, inquit, simul quoque conregnabimus. Et ecce non concessas quidem esse se- 2.Tim.2. des significauit, cùm ipse solus in solio iudicaturus sedebit, sed honorem atque gloriam ineffabilem vocabulo sedium signanter expressit. Verum ista discipulis dicta sunt, cæteris autem vniuersis æternam ibi vitam & centuplum hic pollicetur: & si reliquis multo magis Apostolis, quibus promissa contigisse in hoc seculo non ignoramus: qui cùm arundinem, & vilissima retia reliquerint, omnia fidelium qui prædicatione sua credidерunt, bona habebant, precia domorum & agrorum: immo verò eos quoque ipsos credentes in potestate habuerunt. Nam vel mori pro ipsis centies voluissent, vt Paulus testatur, dicens: Si posses tis, etiam oculos vestros mihi dedissetis. Cùm autem dicit, Quicunque reliquerit vxorem: non simpliciter præcipit dirimẽda esse matrimonia, sed sicut in superioribus dicebat: Qui perdit animam suam propter me, inueniet ipsam: non vt nosmetipsos interimamus: neque vt animam nostram violẽter à corpore disiungamus, sed vt religionis pietatem cæteris omnibus anteferamus: ita de vxore quoque ac fratribus intelligendum est. Mihi autem persecutiones hic occultius significare videtur: multi enim à parentibus filij, multi mariti ab vxoribus ad impietatem trahebantur: quæ cùm facere conabuntur, ait, nec vxoris loco, nec parentis habeantur: quod & Paulus consulebat, dicens: Si verò infidelis discedit, discedat. Cùm igitur 1.Cor.7. alacriores mentes eorum fecerit, nec pro se solùm, sed pro vniuerso confidere orbe præparauit, continuò subiecit, quia: *Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.* Quod ita indefinitè atque indistinctè de multis aliis dictum, dicitur etiam de his ac de incredulis Pharisæis. quod & in superioribus dicebat, multos ab Oriente atque Occasu venturos ad Abraham, Isaac & Iacob fulgentissimos sinus, filios autem regni proiiciendos foras. Deinde parabolam adiecit, qua eorum qui tardauerunt studia incendit. *Simile est*, ait, *regnum cœlo- CAP. D rum homini patrifamilias, qui exiuit primò manè conducere operarios in vineam suam: conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus tertia hora, vidit alios stantes ociosos, & illis dixit: Ite & vos in vineam meam: & quodcunque fuerit iustum, dabo vobis. Et circa sextam & nonam fecit similiter. Circa vndecimam autem horam exiuit, & inuenit alios stantes ociosos, & dixit eis: Quid hic statis tota die ociosi? Ipsi autem dicunt ei. Nullus nos conduxit. dicit eis: Ite & vos in vineam meam, & quodcunque fuerit iustum accipietis. Sero autem facto, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde eis mercedem, incipiens ab vltimis vsque ad primos. Cùm ergo venissent qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Et primi existimauerunt quòd*

lex mandata ipsius recipere prohibebat.)
Suprà 12. & Luc.11.
Suprà 12. & Luc.11.
Act.4. Galat.4.
Sup.16.
Suprà 8.
XX.

runt quòd plus essent accepturi, & acceperunt & ipsi singu- A los denarios: & cùm acceperunt, murmurabant aduersus patremfamilias, dicentes: Hi vltimi vna hora fecerunt, & æquales eos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstum. Ipse autem respondens vni eorum dixit: Amice, non iniuriam facio tibi: nónne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade. Volo autem dare & vltimo huic sicut & tibi. Vel non licet mihi quod volo facere in his quæ mea sunt? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Ita erunt vltimi primi, & primi vltimi. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Quid hæc sibi parabola vult? Non enim consona sunt, quæ iuxta finem istius dicuntur, sed contraria omnino his quæ paulò ante disputata sunt. Nam hîc non alios quidem eiici, alios verò introire, sed omnes ad eundem statum peruenire videmus, cùm tam ante quàm post parabolam econtrario vltimos primos, & primos vltimos affirmauerit: id est, his qui primi sunt, priores erunt, non permanentibus tamen primis, sed in extremum penitus locum deductis: quod inde B magis declarat, Multi enim, inquit, vocati, pauci verò electi sunt. Ita dupliciter & illi qui primatum amiserũt, mordentur: & isti qui lucrati sunt, certiore hortatu inflammantur: parabola verò non id dicit, sed his qui magno sudore comprobati sunt, æquales futuros ostendit. Æquales enim, inquiunt, ipsos nobis fecisti, qui pondus & æstum dici portauimus. Quid igitur parabola hęc sibi vult? Hoc enim declarato facilius illud soluemus. Vineam igitur, mandata Dei: operandi autem opportunitatem ac tempus commodum præsentem vitam appellauit: operarios verò qui differenter, aut manè, aut tertia, aut sexta, aut nona, aut vndecima hora vocati sunt, eos appellauit qui diuersis ętatibus vocati accesserunt, & comprobati sunt. Sed hinc iam ambiguitas prorumpit, cur cùm rectè primi laborassent, ideóque placuissent, & diurno sudore coruscassent, pessima ad extremum liuoris atque inuidiæ passione vexentur? videntes enim eadem illos præmia consecutos, qui per v- C nam horam laborauerunt, murmurabant, & æquales (dicunt) nobis, qui diei põdus & æstum tulimus, ipsos fecisti: Ita cùm nullum ipsi detrimentum paterentur, nec de mercede sua quicquam diminueretur, mœrore ac molestia propter aliorum bona premebantur: quódque peius est, ipse etiã dominus domus de iure aduersus eum qui hæc dixit, respondens, liuoris ipsum atque nequitiæ condemnat, dicens: Nónne ex denario conuenisti mecum? tolle quod tuum est, & vade: volo autem vltimo dare sicut & tibi. An oculus tuus nequam est, quoniam ego bonus sum? Quid igitur est, quod istis verbis adstruitur? hoc ipsum enim & † aliis æmulationibus] accidisse videmus. Ille namque filius qui probus ac patri obtemperans fuisse perhibetur, qui prodigum fratrem magis honoratum esse à parente quàm seipsum perspexit, pariter dicitur conturbatus fuisse. Nam quemadmodum isti qui primi mercedem recipiunt, magis honorantur: sic ille profectò exaggeratione D donorum magis honorabatur. Et hæc ille ipse probus filius ita se habuisse testatur. Quid igitur dicere possumus? Nemo talia in regno cœlorum de iure disputat, aut alios criminatur: procul enim hoc absit. Nempe ille locus omnis liuoris atque turbationis expers est. si enim animas suas in hac vita pro peccatoribus sancti tradere solent, quantò magis cùm ibi æternis eos bonis fruentes videant, gaudebunt, ac propria esse bona putabunt? Cuius igitur rei gratia hac figurata oratione vsus est? Parabolam dixit, & in parabolis non oportet nimia in singulis verbis cura perangi. Sed cùm quid per parabolam intendat didicerimus, inde vtilitate collecta, nihil vlterius anxio est conatu inuestigandum. Cur

in aliis parabolis.) Luc.15.

igitur hæc sibi parabola composita est, & quid intendẽs his verbis vsus est? Auidiores voluit eos facere, qui decrepita ætate delecti sunt, ac ideo non patitur eos putare minus se habituros. Alios ergo introduxit molestè fœlicitatem eorum ferentes, non vt inuidiæ tabo morderi ostenderet, sed vt tanto illos honore frui demonstraret quantus ad inuidiam alios compellere posset: quod nonnulli, nec à quoquam interpellati, nec alij detrahere volentes, sed muneris atque honoris magnitudinem, quo ille affectus est, ostendere cupientes, sæpe faciunt, dicẽtes: Ille me accusauit, ac expostulauit, quia te tantopere honorarui. Sed curnam, inquies, non statim omnes cõduxit? Omnes quidem ille ab initio conduxisse voluisset, si verò non omnes eodem tempore paruerunt, à voluntate vocatorum hæc differentia resultauit: idcirco alij manè, alij tertia, alij sexta, alij nona, alij vndecima hora vocantur, quia tunc obtemperaturi erant: quod & Paulus apertè significauit, dicẽs: Quando autem visum est Deo, me segregauit ex vtero matris meæ. Quando autem ei visum est? quando certè Galat.1. obtemperaturus erat. Nam ipse à primis etiam incunabulis voluisset: sed quia illum renixurum sciebat, tunc voluit, cùm animum ipsius penetraturam vocationem nõ ignorabat. Sic & latronem cùm postea vocauit, paruisset antea ipsum vocasse, sed vocatus ille non paruisset. Nam si Paulus ab initio non paruisset, multò minus ipse latro. Quòd si dicunt isti, nemo nos conduxit: Primò quidem non oportet cuncta, vt diximus, curiosè in parabolis scrutari. Deinde non dominus domus id, sed illi dixerunt. Dominus verò domus, ne turbet eos, sed vt magis alliciat, redarguere noluit. Nam quòd omnes, quãtùm ad se pertinet à prima statim hora vocati sunt: ipsa parabola etiam denotauit, dicens, manè ipsum ad conducẽdum exiuisse. Ita vndique aperitur ætates nobis hominum hac parabola designari, quorum alij iuniores, alij seniores virtutẽ amplectuntur: vt & illi discant non superbire, neque opprobrio dare, quia vndecima hora rectè viuere aliqui cœperunt: & isti etiam, quia breuissimo tempore vniuersa possunt recuperare. Nam quoniam ad ardua nimium hortatur, vt scilicet & pecuniam proiicias, & terrena omnia sub pedibus conculces: quæ res magno labore atque studio indiget: idcirco vt charitatis flammam accendat, & ardentioris faciat volũtatis, ostendit quia possibile sit, etiam si nouissimus veneris, pro tota tamen die mercedem accipere: quod apertius non dixit, ne rursus in desidiam audientes illabantur. Ita subaperit, à sua vniuersam hanc rem misericordia emanare, propter quam nec qui vndecima hora venerunt, à regno decident, sed ineffabilia bona consequentur etiam ipsi: & hoc quidem est, quod hac parabola potissimum constituere voluit. Si autem adiecit vltimos primos, & primos vltimos futuros: ac multos esse vocatos, paucos autem electos, non mireris: Non enim à parabola id sibi concluſum est, sed D quemadmodum istud contigit, vt præter spem, & contra opinionem omnium æqualem omnes mercedem acciperent: sic maius illud, atque mirabilius vt primi vltimi fiant, & vltimi primi, euenturum ostendit. Aliud igitur illud, aliud hoc est. Videtur autem mihi Iudæos hic sermo tangere, ac eos ex fidelibus qui primò virtute coruscarunt, deinde neglecta virtute, ad post tergum omissa relapsi sunt, & illos rursus qui à nequitia seipsos recipientes ad anteriora cucurrerunt. Non enim nescij sumus tam fide, quàm viuendi institutis magnas mutationes plerunque fieri solere. Quare obsecro, magno studio, diligentique cura & fidem rectam & vitam integram conseruemus. Nisi enim fidei viuendi congruat disciplina, vltima pendemus supplicia: quod beatus

Universidad de Deusto
Biblioteca

1.Cor.10. Paulus à superioribus temporibus ostendit, dicens, spiritalem potum omnes bibisse, & spiritalem cibum omnes comedisse, nec tamen omnes saluos fuisse, sed
Suprà 7. multos eorũ in eremo prostratos fuisse. Christus quoque idipsum declarat, cùm aliquos qui ciecerũt dæmonia, ac etiam prophetarunt, in gehennam intrudat. Ad
Infrà 25. Suprà 13. Marc.4. Luc 9. hæc parabolæ quoque illæ, virginum dico, illæ sagenæ, spinarum, ac denique arboris nullum producentis fructum, omne virtutis opus requirunt. Rarius etenim de dogmatibus Christus disseruit, sæpius, immo verò vbique & semper de viuendi synceritate: nullo enim ad illud labore opus est, hoc quoniam impugnatur quotidie, idcirco continuis laboribus indiget: nec solùm vniuersa viuẽdi disciplina, verumetiam parua eius omissa particula maxima damna intulit. Nam eleemosyna neglecta, quamuis virtutis quædam pars, non ipsa vniuersa virtus sit, in gehennam tamen intrudit. Nam & virgines, quia ipsam non habuerunt, punitæ sunt. Et di-
Luc.16. B uos hac de causa in inferno torquebatur, & qui esurientem non cibarunt, vnà cum diabolo condemnantur. Præterea, non maledicere, particula quædam virtutis est, quam tamen nisi quis rectè peragat, foras eiicietur. Qui autem fratrem fatuum vocat, ait, gehennæ ignis
Suprà 5. reus est. Ad hęc modestia virtutis pars est, nullus tamen absque hac Dominum videbit. Persequimini enim, inquit, pacem ac sanctimoniam, absque qua nemo vide-
Heb.12. bit Dominum. Humilitas similiter virtutis pars est, sine qua etiam si alia multa peragas, immundus eris apud Deum: quod Pharisæus omnibus patefecit, qui mille virtutibus affluens, propter arrogantiam supernam fœlicitatem amisit. Ego verò maius quiddam habeo dicere: non enim solùm vna quædam particula virtutis omissa cœlum nobis claudit, verumetiam si non congruenti cura & studio peragitur, illud ipsum solet inferre: Nisi enim superabundauerit, inquit, iustitia vestra plus
Suprà 5. quàm scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Itaque etiam si eleemosynam dederis: C non tamen maiorem quàm illi, non intrabis in regnum cœlorum. Et quantum illi præbebant, inquies? Id iam etiam ipse dicere volebam, vt & qui non dant, incitentur ad dandum: & qui libenter afferunt, non superbiant, sed plura dare conentur. Quantum igitur illi præbebant? Decimam primò rerum suarum omnium, deinde alteram, & demum tertiam decimam offerebant. Itaque propemodum tertiam partem præbebant. Tres enim hæ decimæ coaceruatæ istud conficiunt. Sed ad hæc primitias quoque, ac primogenita, & alia plura, partim pro peccatis, partim pro purgationibus offerebant. Præterea in diebus festis, in iubilæo, in debiti abscisione, & famulorum dimissionibus, in mutuis absque fœnore: si autem qui tertiam partem, immo verò mediam rerum suarum offerebant: ascendent nempe ad medietatem omnia vnà congregata. Si qui mediam, inquam, dabant, nihil magni operabantur: quid tu facies, qui nec decimam quidem partem pauperibus vnquam D dare cogitasti? Quare non iniuria paucos fore saluos quidam dicebat. Non negligamus igitur exactam, atque exquisitam viuendi disciplinam. Nam si pars quædam omissa tantum periculum affert, si cuncta spreuerimus, quo modo æterna tormenta fugiemus, aut quod genus supplicij non persoluemus? Sed quænam, inquies, spes salutis nobis reliqua est, si singula omissa in gehennam depellere possint? Hoc ipsum est, quod etiam ego magna voce conclamo: verumtamen si attendere voluerimus, non est impossibile saluari, præsertim si eleemosynæ remedia mutuemur, quibus vulnera nostra diligenter curemus. Non enim sic oleum corpus hominis roborat, vt animam misericordia stabilit, adeóque confirmat, vt superari à diabolo nequeat: lubricum enim eleemosynæ oleum corpus hominis constituit, ita vt manus diaboli facilè propter lubricitatem effugiat. Hoc igitur oleo crebrò nos perungamus, hoc spiritalis causa est sanitatis, hoc lucem, hoc splendorem animo afferre solet. Sed ille, inquit, ac ille auri talẽta non pauca possidet, nec aliquid pauperibus præbet. Et quid hoc tua interest? imò verò mirabilior atque venerabilior videberis, si cùm pauper sis, benignior ac liberalior eris. Nam & Apostolus Macedones admiratus est, non 2.Cor.9. & 10.
quia præbebant, sed quia quamuis pauperes essent, tamen largiter offerebant. Verùm tu non ad illos, sed ad communem omnium dominum & magistrum respicias, qui non habebat vbi caput inclinaret. Cur igitur talis, inquies, id non facit? Nòli alium iudicare, sed te ipsum ita reddere laudabilem, vt omnem meritò accusationem possis effugere. Maiora enim tormenta imminent, si cùm alios accuses, ipse non facias, sed eiusdem criminis obnoxius inueniaris. Nam si qui rectè viuunt, iudicare alios non permittuntur, quanto magis à iudicando peccantibus abstinendum est? Non iudicemus igitur alios, neque desidiam aliorum, sed Dominum nostrum respiciamus, & ab eo bonorum omnia exempla sumamus. Nunquid diuina ego tibi contuli beneficia? Nunquid ipse te redemi, vt ad me respicias? Alius hæc tibi præbuit. Cur omisso Domino conserui operationem aspicis? Non audisti clamantem: Discite à me Sup. 11.
quia mitis sum, & humilis corde? & rursus: Qui vult Ibidem.
primus esse in vobis, sit omnium minister. & rursus: Nõ Infrà 20.
venit filius hominis vt ei administretur, sed vt ipse administret. Præterea ne aliorum pigritia offensus negligenter viuas, dictum tibi ab eo est: Exemplum enim de- Ioan. 13.
di vobis, vt sicut ego feci, & vos faciatis. Non est tibi magister virtutis viuentium aliquis hominum, nec potest vllus te ad eam conducere. Maior igitur tua laus, præstantior erit tua gloria, si nulla humana doctrina mirabilis euaseris. Potes enim, & quidem facilè si volueris: non enim primus eris, sed multi iam id perfecerunt: vt Noë, Abraham, Melchisedec, Iob, & omnes qui similiter illis vixerunt. Si ad homines ergo respiciendum est, illos, non istos imitare, quos adeò æmulamini, vt in concionibus etiam vestris nihil aliud in ore quàm hæc verba habeatis: Agri iugera ille tot, atque tot possidet, ille diuitiis præpotens palatia cõdit, (maria construit,) aliáque huiusmodi facit. Quid ita alienis inhias homo? si ad alios respicis, cur probè viuentes, cur laudabiles viros, cur eos qui exquisitissimè præcepta seruarunt: non vides? sed inglorios & offendentes Deum admiraris, à quibus multa exẽpla nequitiæ colliges, vnde in negligentiam & in superbiam incides, ac ad iudicandum alios conuerteris. Si verò virtutis cultores sæpius tecum recenseas, in humilitatem & compunctionem, in studia virtutum facilè teipsum perduces. Recordare Pharisæi, qui cùm ad probos non respexerit, sed peccatis opprobria viderit, labores suos amisit: illud igitur recordatus expauescas. Econtrario considera, quomodo mirabilis Dauid factus est: maiorum enim suorum virtutes præ oculis ponebat. Aduena, inquit, ego sum & peregrinus, Psal. 18.
sicuti omnes patres mei. neque is solum, sed omnes ei similes, non peccatores, sed virtutibus coruscantes, tenaci mente vertebant. Ita igitur tu quoque facito. Non enim quasi iudex alieni peccati sedisti, nec ad examinanda hominum peccata præfectus à Domino es, tuus non aliorum iudex constitutus es. Nam si nos iudicaremus, non vtique, inquit Apostolus, iudicaremur. Iudi- 1.Cor.11.
cati autem à Domino erudimur: quæ omnia tu peruertisti. Nullam enim à te exigis delictorum rationem, sed aliena nimium anxia curiositate scrutaris. Oro igitur, obsecro

obsecro atque obtestor, desinamus iam, desinamus hoc A facere, & hac confusione ordinis eiecta, nostrorum nos peccatorum iudices constituamus. Ipsi accusantes, testimonium perhibentes, iudicantes, & supplicia exhibentes laudabimur. Quòd si aliena inquirere desideras, clarorum opera virorũ curiosius inuestiga, vt tum ex memoria delictorum nostrorum, tum ex æmulatione alienæ virtutis, tum denique ex iudicij nostri in nosipsos sententia, quasi stimulo quotidie compunctis, ac humiliores & diligentiores facti, æterna fruamur beatitudine, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi. Amen.

HOMILIA LXVI. EX CAP. XX.

ET ascendens Iesus in Hierosolymam assumpsit duodecim discipulos secreto in via, & dixit eis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent B *eum gentibus ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum: & tertia die resurget.* Non illico cùm à Galilæa redierit, in Hierosolymam ascendit, sed signa prius non pauca fecit, & pharisæorum obstruxit ora, & discipulis
Sup. 19. paupertate locutus est. Vende namque, inquit, substantiam tuam, si vis esse perfectus. Et de virginitatis si-
Ibidem. militer castimonia: Qui enim, inquit, capere potest, ca-
Suprà 18. piat. De humilitate etiam: Nisi enim conuersi fueritis ad conditionem horum paruulorum, non intrabitis in
Ibid. 19. regnum cœlorum. De retributione quoque in hac vi-
Ibidem. ta: Nam qui domos, fratres, sorores reliquerit, ait, centuplum in hoc sæculo accipiet. Et de remuneratione futura. Et vitam, inquit, æternam possidebit. His igitur omnibus prius factis atque dispositis, ad vrbem accessit. Cúmque ascẽderet, de passione rursus disserit sua. Nam quoniam facilè quod euenire nolebant, obliuisci poterant, assiduè ipsis in memoriam reuocat: vt crebra illius commemoratione ipsorum mentem exerceat, & mœ- C rorem succidat. Priuatim autem eos necessariò alloquitur: non enim hæc efferenda erant, ex quibus nihil vtilitatis sequeretur. Nam si discipuli audientes turbabantur, quid non feciſſet multitudo? An igitur nunquam id vulgo dictum est, inquies? Immò publicè quoque, sed
Ioan. 2. non ita apertè prædicatum. Soluite enim, inquit, tem-
Suprà 12. & Luc. 11. Ioan. 7. plum hoc, & in tribus diebus excitabo ipsum. Et, signũ quærit hæc generatio, nec dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Et alibi, Adhuc paruo tempore vobiscum sum, & quæretis me, & non inuenietis. Discipulis verò non sic: sed quemadmodum alia, ita etiam hoc modo clarius dictum. Sed cuius rei gratia, quispiam opponet, si non intelligatur, multitudini dicebat? hæc enim eis dicebantur, vt postea recordati credant illum volẽtem non ignorantem, neque coactum passionem subiisse. Discipulis autem prædicebat non hac de causa solum, verumetiam, vt diximus, vt expectatione exercitati facilius passionis dolorem perferant. Nam si præmeditati D non fuissent, vehementi turbatione quassati iacuissent: hac de causa de morte solùm primò faciebat mentionem. Cùm autem corroborati fuerint, cætera quoque adiecit, quòd scilicet tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum. Hæc autem prædicit, vt cùm tristia venisse viderint, certiore spe resurrectionem expectent. nam si mœsta non tacuit, & quæ opprobrij plena esse videbantur non occultauit eis, non iniuria prospera quoque erant credenda. Tu verò considera, quo modo etiam opportunitate commoda, vniuersa patefecit. Nec enim statim prædicationem incipiens, nec in ipso passionis hæc dixit tempore, ne audientes turbarentur: sed posteaquam virtutes eius miraculis cognouerunt, & æternæ vitæ pollicitationibus fuerunt confirmati: tunc passionis meminit, non semel aut bis, sed sæpius hunc sermonem signis & doctrinæ intexens. Alius autem Euangelista Prophetas quoque in testimonium citatos asserit. Alius non intellexisse ipsos affirmat, sed Luc 18.
occultatum id verbum ab eis fuisse, & quòd tumultuabantur sequentes. Sed si non intellexerunt, inquies, nulla præmeditatione poterant exerceri: quare prædictionis huius vtilitas omnino euanescit. Ego autem, vt hanc ambiguitatem in maius extollam: illud addere nõ dubitabo, quia si non intellexerunt, quo pacto mœrebant? Alius enim Euangelista dicit, quia tristabantur. Suprà 16.
Quo modo igitur si non percipiebant, tristabantur? aut quo modo Petrus, propitius tibi esto, dicebat? Quid igitur dicemus? Quia scilicet, quod de morte audierint, & si non clarè dispensationis huius mysterium sciebãt, intellexerunt tamen. Resurrectionem verò non intelligebant, nec quæcunque per eam mirificè acturus erat, & erat occultatum hoc ab eis, & propterea tristabãtur. Nam alios quidem ab aliis excitatos à morte viderunt. Quòd verò quisquam seipsum excitauerit, & sic excitauerit vt nunquam in posterum moreretur, minimè vnquam fuit auditum. Hoc igitur erat quod absconditum erat ab eis: sed nec qualis futura esset ipsa mors, & quomodo ipsum aggressura foret, apertè sciebant, ideo igitur sequentes turbabantur. Mihi autem etiam videtur magno stupore illos torpescere de passione sua dissẽrentem audientes: nec quia resurrecturum se illis inculcabat, ideo considebant: Nam præter mortem, istud etiam illos maximè turbabat, quum audirent ipsum illudendum & flagellãdum, & alia huiusmodi. Cùm enim in mente versarent miracula, dæmoniacos scilicet liberatos, mortuos excitatos, aliáque huiusmodi signa, non poterant his auditis non obstupescere, ac in magnam ambiguitatem incidere, haud comprehendentes quomodo qui ista faceret, talia passurus esset. Ita modò hæc credentes, modò discredentes, quæ dicebantur capere non poterant, adeóque procul à recta intelligẽtia erãt, vt Zebedæi filij ad eum accedentes de primo confessu Marc. 10.
eum alloquerentur. Volumus enim, aiunt, vt vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram sedeat. Quomodo igitur iste Euangelista matrem ad hoc accessisse ait? Vtrumque fuisse credendum, matrémque ab eis assumptam, vt authoritate supplicantis Christum facilius exorarent. Quod autem id verum sit, quódque ab ipsis hæc excogitata petitio fuerit, sed pudore victi matris patrocinium assumpserunt: animaduerte quomodo Christus ad ipsos verba sua direxerit: sed prius quid, & qua mente petant, & vnde ad hoc impulsi sint, consideremus. Cùm viderent se ante alios à Christo honorari, crediderunt hanc ab eo petitionem se impetrare. Quid porrò est quod petunt? Alius te docebit Euangelista. Ibidem.
Nam quoniam, inquit, prope Hierusalem erant, credebántque regnum Dei iamiam euenturum, quod huius vitæ ac seculare opinabantur: hæc postulabant, vt ob honorem facilius etiam omnia pericula possent euitare: propterea Christus ab his eos cogitationibus abducens, pericula, sanguinem, necémque ipsam expetendã esse iubet. *Potestis*, inquit, *bibere calicem quem ipse bibo?* Nec turbetur quisquam, si adeò imperfectos dicimus Apostolos fuisse. Nondum enim mysterium crucis erat consummatum, nondum gratia Spiritus in corda ipsorum infusa. Quare si studia virtutis ipsorum discere cupis, quales post datam gratiam Spiritus fuerint, considera: & videbis omnem ab illis turbationem animi fuisse superatam. Hac enim de causa eorum modò imperfectio reuelatur, vt apertè percipere possis, quales subitò per gratiam effecti fuerunt. Quòd igitur nihil spirita-

Universidad de Deusto Biblioteca

le quærebant, nec de cœlesti regno quicquam cogitabât, perspicuum est. Sed verba quoque petitionis ipsorum audiamus. Volumus, inquiunt, vt quodcunque petierimus, facias nobis. Ad quod Christus: Quid vultis? respondit, non ignorans certè, sed vt respondere compulsi, vlcus subaperiant, quod sanare Christus intendebat. Illi verò quoniam humano more id faciebant, coram omnibus erubescentes dicere, seorsum ab aliis discipulis Christum accipientes interrogauerunt.* Præcesserunt enim, inquit, vt remotis arbitris occultius loquerentur. Volebant autem, vt ego coniicio, quoniam super duodecim sedes sessuros discipulos audierunt, primatum huius consessus impetrare, & præponi quidẽ se cæteris prẹterquam Petro sciebant, quem formidantes dicere ausi sunt: *Dic vt vnus à dextris tuis, alter à sinistris sedeat.* Ita vrgebant dicentes, dic. Quid igitur ipse? vt significaret nihil eos petere spiritale, sed nec scire quidem quid postulent: non enim rem tantam petere auderent, si scirent: *Nescitis*, ait, *quid petatis.* Nescitis quàm magnum, quàm mirabile, ac ipsas superiores excedens virtutes, & adiecit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? & baptismo quo ego baptizor, baptizari?* Perpendis quomodo statim ab hac cupiditate ipsos remouit, contraria eis disserens. Nam vos, inquit, de honoribus & coronis cogitatis: ego verò de luctamine atque sudore dissero. Non præmiorum hoc tempus est, nec illa gloria mea modò apparebit, sed bella, pericula, & necem præsens continet vita. Perspice autem qualiter ipso interrogationis modo & hortatur, & allicit: nõ enim dixit, potestísne vestrum effundere sanguinem? Sed quónam pacto? potestis bibere calicem: deinde alliciens, inquit, quem ego bibiturus sum, vt communicatione laborum cum ipso promptiores redderentur. Baptismum deinde idipsum appellauit, vt magnam orbi futuram expiationem hinc significaret. Illi autem desiderio quodam animi confestim promittunt, dicentes: *Possumus.* Nec idipsum intelligentes quod se posse affirmabant, sed sperantes se habituros postulata. Ad quæ Christus: *Calicem*, inquit, *meum bibetis, & baptismo quo ego baptizor baptizabimini.* Magna vobis certè bona prædico: martyrij enim corona potiemini, & violenta morte, sicut & ego, à vita decedetis, & in his mihi communicabitis. *Sedere autem ad dextram meam, & ad sinistram non est meum dare, sed quibus à patre meo paratum est.* Cùm animos eorũ in sublimius extulisset, & omni mœrore superiores calicis & baptismi communicatione fecisset, tunc postulata eorum emendat. Sed quidnam sibi vult, quod modò dictum est? duo enim hîc à multis quæruntur. Primùm, si à dextris eius sedere quibusdam paratum sit: alterum, si dominus omnium non possit illis præbere, quibus paratum est. Ex quibus primo soluto, alterum etiam patebit. Quid igitur est quod dicit? Nullus profectò à dextris, nullus à sinistris eius sedebit, inaccessibilis quippe sedes est illa, non hominibus dico sanctis & Apostolis, sed Angelis, sed archangelis, cæterísque virtutibus, quod quasi præcipuum vnigeniti priuilegium Paulus posuit, dicens: Ad quem autem angelorum dixit vnquam, Sede à dextris meis? Et ad angelos quidem, inquit: Qui facit angelos suos spiritus. Ad filium autem: Thronus tuus Deus in sæculum sæculi. Quomodo igitur dicit, sedere à dextris atque sinistris meis non est meum dare? an quia consessuri alij sunt? Minimè, minimè, inquam, ad mentem enim interrogantium condescendens respondet. Non enim de sublimi sede illa quæ ad dexteram Patris est, aliquid sciebant, qui vel multò inferiora, quæ quotidie auribus eorum inculcabantur, non percipiebant: vnum solummodo quærebant, præfectura potiri, & omnium

προεπορεύθησαν, Marcus tamen habet, προσπορεύονται, id est, accedunt.

Heb. 1. Psal. 109. Psal. 103. Heb. 1.

A se primos apud eum constitui. Quódque iam diximus, cùm duodecim sedes audissent, ignorantes quod dicebatur, primatum consessus postularunt. Quid igitur, ait Christus? Propter me quidem, ac prædicationis meæ gratia moriemini, & meæ passionis participes eritis, sed non est id satis ad primum locum atque ordinem obtinẽdum. Nam si quis postea veniet martyrio, & aliorum omnium numero virtutum ita decoratus, vt nõ parum excedere vos videatur: nolite credere, quia vos amo, cæterísque antepono, idcirco eo qui maioribus nitet operibus expulso, vobis primum me locum daturum. nõ dixit autem apertè hoc, ne turbarentur, ænigmaticè verò idipsum significauit, dicens: *Calicem quidem meum bibetis, & baptismo quo ego baptizor, baptizabimini: sedere autem à dextris meis & à sinistris non est meum dare, sed quibus paratum est à Patre meo.* Quibus porrò præparatum est? illis videlicet, qui fulgentissimis operibus euasuri sunt: idcirco non dixit, Non est meum dare, sed patris B mei: ne quis infirmum atque impotentem ad hanc ipsum fore retributionem opinetur. Sed quónam modo? Non est meum, inquit, sed quibus paratum est. Verùm vt clarius fiat quod dicimus, exemplo id ante oculos ponamus. Ad editorem igitur munerum atque certaminis, quò multi atque præclari athletæ confluant, duos quosdam ipsi præcipua familiaritate coniunctos accessisse fingamus, qui amicitia principis freti postulare audeant, vt victores ipsi præconio declarati coronentur: quibus ille respondeat, Non est meum id dare, sed quibus labore atque sudore præparatum est. Num igitur quasi non potentem illum id facere condemnabimus? Nequaquam, sed iustitiam eius admirabimur, & quoniam non personam, sed rem respicit, laudabimus. Quemadmodum igitur editorem munerum, atque certaminis principem, haud dicemus coronam donare nõ posse, sed nolle luctationis transgredi leges, & iustitiæ ordinem conturbare: sic vtique Christum id dixisse af- C firmamus. Ita vndique illos cõpellebat,* in gratia Dei primùm, deinde in laboribus propriis omnem salutem & gloriæ spem reponere: ideo dixit, quibus paratum est. Nam etsi alij præstantiores videbuntur, si excellentiora quàm vos opera facturi sunt, quo modo illis expulsis locum eorum vos occupabitis? an quia mei discipuli estis? Idcirco etiam si nõ digni primatu eritis, præmia tamen quoque cõsecuturos vos arbitremini? Nam quòd totius rei huius ipse dominus est, inde patet, quia vniuersum ei iudicium tribuitur: ita enim Petro dixit, Ego tibi claues regni cœlorum dabo. Et Paulus significauit hoc ipsum, dicens: Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus iustus iudex in illa die: non solùm autem mihi, sed omnibus qui diligunt aduentum ipsius. Aduẽtus verò siue apparitio Christi iam facta est. Quòd verò nullus Paulum antecedat, nemo omnium dubitat. Si autem obscurius hæc à Domino dicta tibi videntur, noli mirari: singulari namque dispen- D satione vsus, ita eos dimittit, vt suasisse videatur, ne more ac passione hominum frustra de præfecturis sollicitentur. Præterea nulla eos afficere mœstitia voluit, quæ vtique sermonis obscuritate assecutus est. *Tunc indignati sunt decem de duobus fratribus.* Tunc, istud quando significat? quando scilicet illos duos corripuit. Ita donec Christi sententia præferri eos videbant, non indignabantur: sed reuerentia magistri etiam si secum mouerentur atque dolerent, amabant atque honorabant, nec indignationem suam palam facere audebant. Similiter autem ad Petrum commoti, quando ab eo data fuerant didrachma, non patefecerunt molestiam suam, sed solum quis maior esset interrogarunt. Postquam verò ipsos discipulos supplicando petere viderunt, indignantur, neque

hic locus est notandus contra eos qui dicũt Chrysost. neglecta gratia plus æquo operibus tribuere, vt & in aliis locis gratiam aut fidem nõ excludi putent. ex gratia enim largitur, sed dignos quærit, vt ait sequenti homilia.

Sup. 16. 2. Tim. 4. Suprà 17.

tur, neque tunc statim quando ad petendum illi accesserunt, sed quando increpatos à Christo, primúmque locum nisi seipsos dignos eo præbeant, negatum ipsis cognouerunt. Perspicis quomodo imperfectiores adhuc omnes erãt, & duo aduersus decem primum eripere consessum nitebantur, & decem duobus inuidentes indignabantur. Verùm vt dixi, post aduentum Spiritus eos considera, & videbis omnibus his passionibus superiores. Audias igitur quo modo ipse ille Ioannes, qui modo hæc à Christo petebat, primis honoribus Petro cedat, tum cõcionanti, tum mirabilia facienti: vt Actus Apostolorum testantur. nec latere patiatur Petri virtutes, sed & confessionem prædicat, quam silentibus cæteris magna edidit voce Ioannes, & ingressum eius in monumentum non tacet, cæterísque in omnibus sibi eum anteponit. Nam quãdoquidem patienti ambo affuerunt, suas laudes Ioannes succidens, ait: Quia notus erat discipulus ille sacerdoti. Iacobus verò non longo tempore postea vixit. Nam statim ab initio rerum tanto ardore concaluit: vt humanis omnino rebus neglectis ad tantam sublimitatem ascenderet, vt à persecutoribus confestim occisus sit. Et sic quidem postea summi omnes facti sunt. Tunc verò indignabãtur. Quid igitur Christus? *Cùm aduocasset eos*, ait: *Nostis, quia principes gentium dominantur eorum.* Conturbatos enim atque commotos, antequam verba cum ipsis hac de re faceret, tum ipsa vocatione, tum quoniam propius eos attraxit, summopere mitigauit. A communitate namque cæterorum duo illi se disiunxerãt, & propius Christum stantes, priuatim loquebantur. Aduocauit ergo etiam alios prope seipsum, vt ad ea quæ diximus, etiam ipsi occultius dicta ederent, & vtrorumque passionem sedaret: non vt prius paruulorum quadam productione, quorum simplicitatem imitandam præcepit, sed acrius à contrario arguens, *Principes*, inquit, *gentium dominantur eorum, & qui magni sunt, potestatem exercent in eos. Apud vos autem non ita erit: sed qui vult maior fieri inter vos, hic sit omnium minister: & qui vult esse primus, sit vltimus omnium.* Ita gentium moris esse ostendit prima quæque appetere. Tyrannica enim hæc passio est, & nonnumquam eximios etiam viros perturbat: quapropter cum vehementiore castigatione indigent, acrius etiam ipse insurgit, comparatione gentium tumentem ipsorum animum retinens. Ita horum quidem inuidiam, illorum verò arrogãtiam succidit, quasi magna voce, dicens: Nolite tanquam contempti cõmoueri. Nam qui primatum quærũt, sibiipsis dedecori sunt, ignorantes hoc se pacto in infima detrudere. Non enim externis similia nostra sunt: nam apud gentes, qui principes sunt, ipsi dominantur: apud me autem qui vltimus est, is summa tenet. Hæc ne sine causa dicta putetis, ex factis dictísque meis facilè comprobantur. Plus enim factum esse à me, quàm dictum videtis: qui cùm superiorum dominus sim virtutum, homo fieri volui, & sperni atque dehonestari dignatus sum. Et quod maximum est, ad mortem ipsam spontè festino. Propterea dicit, *Sicut filius hominis non venit vt ei ministretur, sed vt ipse ministret: & animam suam in redemptionem daret pro multis.* Ita ipse, inquit, animam meam in redemptionem inimicorum etiam meorum trado: tu verò humiliatus si fueris, pro te ipso id facies quod ego non mei, sed tui causa suscepi. Noli ergo timere quasi honorem tuum humilitate amittens: nunquam enim poteris tantum humilitatis ostendere, quantum pro te dominus suscepit: cuius descensus & alios erexit, & gloriam eius manifestauit. Nam antequam homo factus esset, ab angelis solum cognoscebatur: postquam autem hominem assumpsit, & crucis patibulo pependit, non solùm glo-

Act. 3. Ioan. 6. Ioan. 20.

Ioan. 18. Act. 12.

A riam illam non amisit, verumetiam hanc acquisiuit, quę à cognitione orbis resultat. Quare nullo pacto metuas, quasi tollatur honor tuus, si teipsum humiliaueris: hinc enim vel ad cœlos vsque gloria tua pertransit, hinc amplior atque præstantior redditur, hinc regni ianua tibi aperitur. Caueamus igitur ne contrariam facientes viam, aduersus nosipsos acerrima bella geramus. Si enim voluerimus magni ac mirabiles videri, non modò tales non erimus, verumetiam cæteris omnibus abiectiores futuri sumus. Perpendis quo modo vbique ita eos hortatur, vt quod petunt, ex contrariis quàm arbitrantur inuenturos ostendat: sic in superioribus de auaris, & inanis glorię cupidis factum declarauimus. Cuius enim rei gratia coram hominibus tua erogas pauperibus, inquit? Nónne vt magna gloria fruaris? Noli ergo ita id facere, & permanentem gloriam consequeris. Quam autem ob rem pecuniam accumulas? Nónne vt locuples euadas? Noli ergo pecunias conseruare, & veris B diuitiis potieris. Simili quoque modo in hoc loco, cuius rei gratia, inquit, primatus & præfecturas desideras? vt cæteris scilicet præstes. Vltimum igitur ordinem eligito, & tũc primum obtinebis locum. Quare si magnus vis fieri, hæc ipsa contemne, & eris profectò magnus. Illud enim quod tu maximum putas, minimũ omnium est. Vides quo modo hac ægritudine ipsos superiores effecit, hinc omnino assecuturos quod quærebant demonstrans: illinc verò perdituros, vt illud fugiant, & istud persequantur. Gentium autem idcirco mẽtionem fecit, vt ea ratione opprobrij plenam & detestabilem hanc rem esse ostendat. Qui enim sibi plurimum arrogat, is verè humilis & abiectus est: qui verò humilis est, is ad veræ sublimitatis cacumen volauit: quæ non appellatione solum ac nomine, sed re ipsa sublimitas est. Et externa quidem celsitudo, necessitatis atque timoris est: hæc verò interior atque nostra, celsitudini diuinæ similis esse cognoscitur. Quare qui apud nos magnus C est, etiam si nemo ipsum huiusmodi esse dicat, verè tamen magnus est: sicut econtra superbus, quem omnes admirantur, & colunt, omnium verò humillimus reperitur: & ille quidem honor cùm à coactis tribuatur, facilè disperit, hic verò quoniam ex honorantium animo proficiscitur, stabilis permanet. Hac ratione sanctos viros maximè admiramur, qui quò cæteris erant excellentiores, eo humiliores seipsos ducebant: qui ad hunc vsque diem in sublimitate sua perseuerant, cùm nec mors quidem ipsa magnitudinem eorũ deprimere poterit. Et si vultis ratiocinando etiam illud inuestigemus. Sublimis quidem esse dicitur, aut proceritate corporis huius, aut quia in editiore loco sit collocatus, humilis autem, qui huic contrarius est. Attende igitur, & videbis nihil humilitate altius, nihil arrogantia depressius. Nam arrogans quidem, atque superbus maiorem se cæteris arbitratur, & neminem se esse dignum affirmat. Nec ita magno quisquam poterit honore ipsum D afficere, quin cupiditate maiori agitatus, parum sibi collatum arbitretur. Cúmque laudem ab hominibus quærat, spernit eos, atque contemnit: quæ res adeò expers rationis est, vt ænigmati simillima sit: quos enim despicit, ab his hominibus gloriam quasi debitam flagitat. Perspicis quo modo qui se altius extollit, is decidit, atque humi affixus iacet. Nam quòd abiectos cęteros homines esse putet, ídque in seipso cogitet, à vocabulo ipso manifestum est: hoc enim arrogantiam, atque insolentiam dicimus. Si ergo ita cæteros spernis, cur adulationibus laudem ab illis aucuparis? cur tantam tecum turbam hominum circumducis? Vidisti re ipsa humilem homunculum, atque supinum caducis omnino rebus subnixum: age iam è contrario qualis verè sublimis

Sublimis.

Humilis.

Arrogantia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit, consideremus. Hic certè non ignorat quantum & A quid homo sit, hic rectè intellexit magnum eum esse hominem qui cùm omnium minimus sit, minimum quoque se putat. Quocirca quantumcunque sibi honoris tribueris, maximum arbitratur. Constans igitur est, atque sibiipsi conueniens, nec modò hoc, modò illud sequitur: sed quos excelsos putat, ab his etiam si parum honoris nanciscatur, summoperè propter celsitudinem illorum honorari se putat. Insolens autem pusillos eos arbitratur, qui eum honorant, sed laudari se ab illis, singularem omnino rem arbitratur. Humilis rursum à nulla ægritudine capitur, non perturbatur ira, nulla cupiditate gloriæ vexatur, non vincitur liuore. Quid igitur sublimius animo harum perturbationum experte? At verò arrogans atque insolens ceu vermis in stercore, sic in his passionibus semper inuoluitur. Nam & inuidia, & ira, & inanis gloria, vehementer animum illius exagitant. Vter igitur excelsus, atque sublimis est: qui his passionibus seruiliter pressus, quasi ei dominentur, expa- B uescit: an qui sic superior est, vt nullo modo ab his capi posse videatur? Quámnam auem altius tu volare opinaris? Vtrum eam quæ cùm per aëra feratur, arundines aucupis atque retia non formidat: an eam quæ vel sine arundine ac visco, quoniam humi serpat potius quàm volat, manibus facilè capitur? Huiusmodi certè insolés animus est, qui cùm humi serpat, in omnem laqueum incidit: quod etiam à nequissimo illo dæmone colligere possumus, qui propter arrogantiam in profundum depulsus est, homo autem, quamuis corporeus sit, tamen si humilitate polleat, ita illum excedit, vt sub calce hominis ille iaceat. Calcate namque, inquit, super ser- Esa.14. Luc 10.& Psal. 90. pentes, & scorpiones: ita homo cum angelis in cœlis consistere potest. Hoc ipsum etiam ab hominibus superbis intelligere possumus. Veniat enim illius Barbari tibi in mentem, qui tantum ductitauit exercitum, qui nec ea quidem quæ à sensu cognoscimus nouerat: ne- C sciebat enim, † vtrum lapides essent, simulacráque: & quòd lapis lapis esset, & quòd idola idola) codices tamen Græci hîc non conueniebãt: nam alter habebat, quòd lapis esset, & idola lapides.) Iacob.4. Pſal.50. idola vtrum essent simulachra ignorabat,] qua de causa inferiorem se istis omnibus faciebat. Fideles verò, piique homines vltra Solem feruntur: neque his sublimius quicquam inuenitur, cùm vel ipsa cœli conuexa transgrediantur, & angelis prætermissis apud regiam sedem assistant. Præterea quémnam deiectum, atque infimum putabimus: vtrum eum, cui Deus patrocinatur, an eum quem Deus impugnat? Hunc vltimum videlicet. Audias ergo quid de vtroque scriptura clamitat: Superbis, inquit, atque arrogantibus Deus resistit, humilibus autem gratiam præbet. Illud etiam abs te libenter quæram, quémnam arbitraris sublimiorem: sacrúmne virum à quo grata Deo quotidie sacrificia offeruntur, an eum qui nullam apud Deum fiduciam habeat? Et quas, inquies, hostias humilis offert? Dauid illum de hoc audias: Sacrificium, inquit, Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Vidisti quàm mundus humilis sit, videas & insolen- D tis impurissimas sordes. Impurus enim apud Deum est Esa.66. omnis qui elato est corde. Ad hæc in altero Deus ipse requiescit. Super quem enim respiciam, ait, quàm super mitem & quietum, & trementem sermones meos? Alter autem cum diabolo humi trahitur: inflatus enim 1.Tim.3. diaboli supplicia sustinebit. Propterea Paulus dicebat, ne fortè inflatus in iudicium incidat diaboli. Quódque mirabile est, contrarium semper quàm optat, ei euenit. Nam cùm cæteros contemnat, vt maiori dignus honore videatur, maximè omnium ipse despicitur. Ridiculi enim, & omnium inimici qui facilè inimicis succumbant, quique in iram facilè ruant, & qui apud ipsum impuri sint, isti omnium maximè esse deprehenduntur: quare nescio si quid peius excogitári possit: extremitas enim malorum certè hæc est. Humilibus verò quid iucundius? quid beatius? qui cùm Deo gratissimi sint, non paruam etiam ab hominibus, quam non quærunt, gloriam reperire solét. Nempe ab hominibus quasi parentes coluntur, quasi fratres amantur, quasi propria membra fouentur. Amplectamur igitur humilitatem, si sublimes fieri desideramus, præsertim cùm videamus Exod.5. ab insolentia deiici homines. Hæc enim ad humilitatis barathrum Pharaonem detrusit: nescire enim se Do- Ibid.14. Genes.18. minum dicebat, & soricibus, & ranis, ac muscis deteriorem factus est: postremò cum ipsis armis & equis submersus fuit. Abraham verò è contrario, Ego sum terra & cinis, prædicabat: propterea & multa Barbarorum millia vicit, & cùm in medium Ægyptiorum incidisset, maiori cum triumpho euasit, cui virtuti semper inhærens, sublimior in dies reddebatur: immo verò sublimior quotidie fit, cùm eius laudes vbique decantentur. B Pharao autem & terra, & cinis, & si quid humilius excogitari potest, factus cognoscitur. Nihil certè magis Deus, quàm arrogantiam auersatur. Quid enim non fecit, vt hanc passionem destruat? Hac enim de causa mortales facti, in dolore ac luctu viuimus. Ideo in continuo labore atque sudore & affligenti operatione constituti sumus. Arrogantia quippe primus homo, cùm æ- Genes.3. qualitatem Dei speraſſet, deliquit: & ita nõ solùm quò optauerat, non ascendit, verumetiam à sublimitate propria decidit. Hoc nempe superbiæ opus est, vt non modò nihil boni nobis afferat, sed etiam quæ habemus corrumpat: è contra verò humilitas facit. Nam & ea quæ nobis assunt bona conseruat, & quę non habemus facilè adiicit. Hanc igitur admiremur, hanc sequamur, vt & in hac vita honorificè conuersemur, & futura gloria potiamur, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi. Amen.

Homilia lxvii. ex cap. xx. et xxi.

Et egredientibus illis à Hiericho, secuta est eum turba multa. Et ecce duo cæci sedentes secus viam, cùm audissent quia Iesus transiret, clamauerunt, dicentes: Miserere nobis Domine fili Dauid. Respice quibus ex locis ad Hierusalem transit, vt vbi antea versabatur, ignorare non possis. Maximè autem mihi quęrẽdum videtur, cur non etiam antea inde in Galilæam, sed per Samariam transiit: sed hoc quidem studiosis relinquamus. Nam si quis curiosius hoc inuestigare voluerit, inueniet Ioannem huius causam conscripsisse. Quare nos propositum no- Ioan.4. strum sequentes, hos cæcos audiamus, qui multis excellentiores cernentibus erant. Nam quamuis nec ductorem habere, nec videre ipsi possent aduenientem, summo tamen studio ac contentione ad ipsum venire conabantur. Cúmque magna voce clamarent, iussi tacere magis clamabant. Constans quippe, ac fortis animus, quo magis vetatur, eo altius prouehitur. Christus verò carpi eos patiebatur, vt omnes animi eorum feruorem faciliùs cognoscerent, curationéque dignos crederent: quapropter nec, vt solebat, an crederent interrogauit. Satis enim supérque clamor, & aduenièdi conatus erat ad fidem eorum declarandam. Hinc iam apertè discere potes dilectissime, quia etiam si valde viles, atque etiam abiecti simus: tamen si ardenti animi studio ad Deum accedamus, per nosipsos sine mediatore impetrabimus quæ petamus. Considera enim quo modo nullus Apostolorum istis affuit, sed è diuerso, quamuis multi eos repellebant, omni tamen impedimento superato ad Iesum peruenire potuerunt. Ita etsi nullam ex vita fiduciam Euangelista eis tribuit, ardore tamen animati sibi-

ipsis suffecerunt. Hos igitur imitemur, etsi vel tardior A Deus ad tribuendum sit, vel multi ceu importunos retrudant, non cessemus tamen petere, scientes hoc pacto maximè Deum à nobis posse placari. Sic enim etiam ardentem eorum voluntatem non pauperies, non cæcitas, non quia continuò non fuerant auditi, non quia turbæ repellebant, non denique vlla res alia potuit extinguere, talis quippe est laborans & inflammatus animus. Quid igitur Christus? Vocauit eos, & dixit: *Quid vultis vt faciam vobis? Dicunt ei, Domine vt aperiantur oculi nostri.* Cuius autem rei gratia eos interrogat? Ne quis scilicet putet aliud illos petiisse, & aliud ipsum præbuisse. Deinde vbique solitum scimus virtutem & fidem petentium obductam prius reuelare, & tunc demum eos curare, tum vt in imitationem alios concitet, tum vt curationis dono dignos fuisse demon- Suprà 15. Ibid.8. Ibid.9. stret. Hoc & in muliere illa Chananæa effecit, hoc in Centurione, hoc in ea quæ fluxum sanguinis patiebatur: immo verò mirabilis illa mulier interrogationem B Domini præuenit, nec tamen etiam sic ab eo prætermissa est, sed post curationem manifesta redditur. Ita vbique diligentissimè aduenientium fidem reuelabat, & extollebat, quod nunc quoque factum esse videmus. Cùm autem illi videndi facultatem petiissent, misericordia motus tetigit illos. Hæc quippe curationis sola causa est, propter quam in hunc mundum descendit. Et quamuis misericordia sua & gratia curet, dignos tamen quæritat: quales illos fuisse tam clamoribus, & constanti eorum conatu patuit, quàm quia curati non resilierunt, post beneficia ingratitudinem, vt multi, ostendentes: ita & ante curationem perseuerantis & fortis animi, & post donum gratissimi reperti, secuti CAP. XXI. sunt eum. *Et quando appropinquauit Hierusalem, & venit in Bethphage ad montem Oliueti, tunc misit Iesus duos discipulos, dicens: Ite in castellum quod contra vos est, & inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluentes, adducite mihi. Et si quis vobis dixerit aliquid, dicetis, quia Dominus* C *his opus habet: & confestim dimittet. Hoc autem factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, & sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.* Sæpe quidem etiam anteà, nunquam verò ita clarè in Hierusalem ascendit. Quænam igitur huius rei causa est? In dispen- Esa.62.& Zach.9. sationis exordio, cùm neque ipse ita clarus esset, nec passionis tempus appropinquaret, indifferenter cum illis versabatur, ac potius occultans seipsum. Nam nec ipse mirabiliter patefaciendo se admirationi fuisset, & illi maiore inuidiæ incendio flagrassent: nunc autem cùm virtutis suæ multis signis periculum fecerat, & crux in ianuis adesset, clarius seipsum reuelat, & cum maiore ac congruente omnia facere authoritate videtur, sed propter hæc maioribus inuidiæ stimulis tabescebant: quę quanquam sic ab initio agere poterat, commoditatem tamen ordinati progressus conseruauit. Tu verò diligenter expẽde quot mirabilia peragit, & quot D prophetias adimplet: asinam inuenturos prædixit, neminem prohibiturum, & omnes tacituros affirmauit, quæ Iudæorum culpa non parua esse videtur: si quidem qui nunquam eum viderunt, sua ipsi sine controuersia tradunt, cùm Iudæi etiam per discipulos signa facientem videntes non receperunt. Non fuit res ipsa parua. Quis enim illis persuasit, quum res ipsorum auferrentur, præsertim pauperibus, ac forsan agricolis, nullo modo aduersari? Cur dixi non aduersari, sed nec interrogare quidem aut interrogantes responso audito tacere, atque cedere? Nam vtraque ista pariter mihi mirabilia, & inaudita videtur. Non enim paruum est, cùm traherentur iumenta, nihil dixisse: & si dixerunt, cùm audissent quia Dominus illis indigeret, cessisse, maximè quum non ipsum, sed discipulos eius viderẽt. Hinc omnes docet, Iudæos in ipsum irruentes solo nutu reprimere potuisse. Hic etiam discipulos docet, quicquid ipse peteret, etiam si animam dare iuberet, absque vlla cõtrouersia esse parendum. Nam si cessarunt ignoti, quid discipuli facere debent? Duplicem autem ad hæc prophetiam: alteram opere, alteram verbis adimplebat. Opere quidem, quòd super asinam sederit: verbis verò, quia scriptum est à Zacharia, quod in asina sic- Zach.9. uti rex sedebit. Cùm igitur id veluti scriptum est expleſſet, alterius ipse prophetiæ dabat initium, quæ futura erant ipsis factis significando: Immundarum enim vocationem gentium, & quòd in ipsis requiescet, & venient atque adorabũt eum, res ista significabat: ita prophetiæ prophetia successit. Mihi verò non idcirco solùm in asina sedisse videtur, verumetiam vt viuendi philosophia nos erudiret. ita simul & prophetias adimplebat, & dogmata veritatis plantabat, & viuendi præcepta exemplis præbebat, & affirmabat. Regulas enim nobis præbet, ne maiora quàm necessarius vsus exigat, requiramus. Itaque quando etiam nascebatur, non ma- Luc.1. gnificas ædes, non locupletem matrem, sed pauperrimam, & fabro desponsatam elegit, & in tugurio nascitur, & in præsepio ponitur. Sic discipulos non oratores 1.Cor.1. aut sapientes voluit, nec genere aut fortuna claros, sed inopes valde, atque ignotos. Mensa sua ordeaceis non- Ioan.6. nunquam panibus, nonnunquam quos discipuli è foro emerent, referta erat. Recumbebat præterea in fœno: vestes viles, nec conditionem vulgo excedentes induebatur. Domum nullam habebat: cúmque de loco in locum transeundum erat, pedibus iter faciebat, & sic faciebat, vt labore plerunque conficeretur. Non in sede, nec in puluinari, sed in ipsa superficie terræ, modò quidem in monte, modò verò apud fontem solus sedebat, & mulierem Samaritanam alloquebatur: sic me- Ioan.4. diocritatem in mœrendo nos docens, quando res postulabat, lachrymas modicè effudit, terminos nobis in omni re constituens, vt quousque progrediendum esset non ignoremus. Quibus etiam nunc, quoniam iumentis opus esse imbecillioribus non ignorabat, modum exemplo dedit, ne aut equis, aut multis iunctis sublimes feramur, sed asino, quando res cogit, insidere: neque vlterius progredi, sed vbique necessitate vsum terminare. Sed videamus iam tam verborum, quàm rerum prophetiam: quæ igitur est illa? Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, ascendens super iugalem, & pullum nouum: non currus vt reges cæteri agens, non vectigalia exigens, non elatus tumore, nec satellitibus constipatus: sed magnam vndique monstrans humilitatem. Interrogetur ergo Iudæus, quisnam regum asina vectus Hierosolymam intrauit? Neminem profectò præter Christum dicere possunt. Hæc faciebat, vt quemadmodum diximus, figuris ventura significaret. Hic enim Ecclesia, & nouus populus olim immundus per pullum significatur, qui postquam in eo Iesus quieuit, ab omni sorde liberatus, mundus effectus est. Perpende autem examussim imaginem esse conseruatam. Discipuli quippe iumenta soluunt, quoniam & nos, & illi per Apostolos vocati & adducti ad Christum sumus, & nostra fides in zelum illos deduxit: idcirco asina pullum suum sequi perspicitur, quoniam postquam in gentibus Christus sedebit, tunc & Israëlitæ zelantes venient: quod Paulus significans, dicebat: Quia Rom.11. cæcitas ex parte Israëli accidit, quousque plenitudo gẽtium intraret, & sic vniuersus Israël saluabitur. Quòd enim † figura hæc factum prophetiæ figurabat] à dictis (prophetia esset.) manifestum est. Nisi enim ita esset, non tanta cura certè

Universidad de Deusto
Biblioteca

Propheta pulli etiam ætatem prædixisset. Illud etiam A
discimus, quemadmodum nemo tunc Apostolos, ne
abducerent iumenta, detinuit: sic nullus vetare potuit,
ne gentes ab idololatria remouerentur. Non autem in
pullo nudo, sed super Apostolorum iniectas vestes în-
sedit. Posteaquam enim pullum adepti essent, vniuersa
2.Cor.12. iam à se præbent, sicut & Paulus dicebat: Ego autem
libentissime impendam & expendar ipse pro animabus
vestris. Tu verò subitam pulli domationem admirare,
quomodo dum esset indomitus, & fræni omnino ex-
pers, nõ resilit, nec reluctatus est, sed quietè quasi assue-
tus ferebatur. Gentium enim obedientia hinc significatur, & repentina in meliorem vitam mutatio: quæ o-
mnia illis verbis facta sunt: Soluentes, adducite mihi:
ita inordinata in ordinem, & immunda ad mundiciem
redacta sunt. Quàm humili autem & abiecto animo es-
sent Iudæi considera, qui quamuis tam multa eius signa
viderint, nunquam tamen ipsum sic admirati sunt,
quemadmodum nunc: quia turbas concurrere aspexe- B
runt, vehementer obstupescunt. Concussa enim fuit,
inquit, vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? turbæ au-
tem dicebant: Hic est Iesus Propheta, qui est à Naza-
reth Galilææ. Ita quando tandem magnum quid de i-
pso dicere nisi sunt, tunc humilis & abiecta sententia
sua humi trahebatur. Hæc autem faciebat, non vt se hac
pompa ostentaret, sed partim vt & prophetiam (vt di-
ximus) impleret, & vitam nostram instrueret: partim
vt discipuli hęc maximè solamen mortis eius haberent,
cùm viderent, in nullo inuitum posse violari. Tu verò
id etiam admirare, quomodo tam à Zacharia, quàm à
Dauid ad vnguem ista prædicta fuerunt. Sic igitur et-
iam nos faciamus, & laudes cantemus, & vestimẽta eis
tradamus, qui ipsum afferunt. Qua enim re digni eri-
mus, cùm illorum alij asinam vestimentis suis Christi
sessuri gratia ornarent, alij indumenta sub pedibus asinę
sternerent. si nos nec nudum ipsum videntes, à recon-
ditis pro eo quicquam impendere volumus? Et cùm il- C
lorum alij præcedant, alij subsequantur, nos aduenien-
tem repellamus, atque contemnamus: quo putas hæc
supplicio digna esse? Accedit ad te Dominus indigens,
tu ne supplicantem quidem audire vis, sed accusas, &
increpas, præsertim cùm talia verba perceperis. Quod
si ad pauculum argenti offerendum, & frusta panis pre-
benda adeò tenax, auarus, & piger es, quid faceres si v-
niuersa tibi essent euacuanda? Non vides quot quantá-
que hi qui se munificos vulgò appellari volunt, scortis
in theatro largiuntur? illorum tu non dimidium, imò
ne centesimam quidem partem dare sustines. At quan-
do diabolus quibuscunque obuiis dare iubet, & si huic
rei gehenna immineat, iucundè tamen illi obtemperas:
cùm verò Christus regnum, si indigentibus obtuleris,
tibi retribuat, non modo nihil præstas, sed insuper et-
iam petentes contumelia afficis: sic apertè mauis obe-
dire diabolo vt puniaris, quàm Christe parere vt salue-
ris. Qua quidem vecordia nescio si quid vesanius vn- D
quam possit excogitari: gehennam ille, hic regnum
pollicetur: & vos hoc neglecto ad illum accurritis, &
hunc venientem repellitis, illum etiam cùm longè ab-
sit vocatis. Non aliter ergo fit, ac si cùm diadema &
purpuram rex offerret, sperneretur: latro autem qui a-
cutum quo te interficias mucronem largiatur, facilè
persuadeat. Quæ intelligentes, chariſſimi, aperiamus o-
culos aliquando, & vigilemus oro. Ego enim iam eru-
besco cùm toties me dixisse de eleemosyna sciam, &
nihil exhortationibus meis dignum confecisse vide-
am: & factum quidem esse aliquid non ignoro, non
tamen tantum quantum optabam. Sed cerno quidem
vos seminãtes, non tamen plena dextera: quare timeo,
ne parcè quoque metatis. Vt tamen parcè ptoiici se-
men videatis, considerate si videtur, vtrum plures in ci-
uitate inopes an diuites, & quinam sint nec pauperes
nec diuites, sed medium locum obtinentes. Ego qui-
dem puto decimam ferè partem ciuium diuitiis affluere, & decimam tanta paupertate opprimi, vt nihil peni-
tus habeant, cæteros inter conditionem istorum collo-
cari. Partiamur igitur multitudinem vrbis per egenorũ
numerum, & videbitis quàm magnum ex hac conside-
ratione dedecus erumpat. Nam qui magna copia rerũ
abundant, pauci certè sunt. quorũ verò mediocres for-
tunæ, multi: qui autem nihil habẽt, paucissimi. Cúmque
plurimi sint qui famescentes possint saturare, multi ta-
men esuriunt, non quia nõ possumus illis satisfacere, sed
quia durities & inhumanitas corda nostra occupauit.
Nam si locupletes, & illi qui mediocris fortunæ sunt,
cibo & vestitu indigentes inter se partiantur, vix centũ
aut quinquaginta viri vnum pauperem sortientur. Et in
tanta eorum multitudine qui subuenire possunt egẽtes
pauperiem suam quotidie famescentes deplorant. Sed
vt apertissimè inhumanitatem eorum videas, vnius di-
uitis, nec valde locupletis hęc Ecclesia fructus colligẽs:
cogita tecũ quot viduis, quot virginibus quotidie suc-
currat. Iam enim numerus eorum in catalogo ascriptus
ad tria millia peruenit: & præterea multis qui carceres
habitant, auxiliatur, multis in hospitali laborantibus,
multis aduenis, multis leprosis, omnibus qui altari assi-
stunt, cibaria & indumenta præbet, multis etiam qui
quotidie ad petendum accedunt, nec tamen Ecclesię o-
pes idcirco diminutę sunt. Quare si decem solummodo
viri hoc impendio in pauperes sic vterentur, nullus in
hac vrbe fame aut nuditate laboraret. Sed quid, inqui-
es, liberis nostris relinquimus? Sortem certè, quamuis
& fructus ita dispositi mirificè crescant, & in cœlis re-
conditi vobis conseruentur. Quòd si ita non vultis, me-
diam saltem fructuum partem, aut tertiam, aut quar-
tam, aut quod minimum est saltem decimam Chri-
sto præbeamus. Gratia enim & misericordia Dei de-
cem vrbium inopes hæc ciuitas nostra continuè pos-
set enutrire. Quod si vultis, ratiocinando tamen inquiramus, quamuis ita res pateat, vt nulla ratiocinatione
nobis opus esse videatur. Videtis igitur quot quantá-
que vna domus ad ciuilia onera quotannis conferens,
nunquam hac impensa laboret, quàm si diuitum sin-
guli pauperum gratia susciperent, momento cœlum
raperent. Quæ igitur venia, quæ satisfactio poterit es-
se, cùm ex istis rebus, quas omnino morituri relinqui-
mus, non ita indigentibus copiosè præbeamus, sicut
multi scenicis tribuunt, præsertim cùm æternæ sic dan-
ti retributiones debeantur? Oportebat quidem etiam
si hac in vita perpetui maneremus, huic honestæ be-
nignitati non parcere: cùm verò paulò posteà nudi
hinc rapiamur: quæ nobis satisfactio erit, si neque à
nostrorum fructibus prædiorum esurientibus opitula-
mur? Non enim cogo possessiones minuere: non quia
id nolim, sed quia te valde alienum ab hac re perspicio.
Non ergo audeo illud dicere, sed ad exponendos fru-
ctus hortor, & nihil esse hinc reponendum consulo: sa-
tis est tibi, quòd quasi à copioso fonte pecunia reditu-
um consuat in dies. Fac inopes rerum tuarum partici-
pes, dispensa probè quæ tibi diuinitus commendata
sunt. Sed onera publicè, inquies, tribuo. An ideo forsan
despicis, quia nemo te hic dare cogit? & publicè qui-
dem, quamuis nihil agri tui produxerint, necessariò
præbes, cùm non audeas aduersari: Christo verò ita
miti, & tunc solummodo petenti cùm fertilitate agro-
rum abundas, nec iucundè quidem respondere digna-
ris? Quis igitur te liberabit à tormentis futuris? Nullus
certè,

certè. Nam si propter has præsentes pœnas in tribuen- A
do ciuitati diligentissimus es, grauiores esse futuras
memento, vbi non in carceres, sed in ignem deiicieris
æternum. Quare horum omnium gratia hæc tributa
pauperibus primùm conferamus. Nam & facilius id
facere possumus, & merces maior debetur, & maiora
multò meremur, & acerbiora non facientibus supplu-
cia imminent, quæ nullum vnquam habitura termi-
num sunt. Quòd si milites tibi alendos obiicias, qui pro
te cum Barbaris pugnent: considera non paruum esse
pauperum exercitum, qui periculosum pro te bellum
susciperе parati sunt. Nam si quicquam abs te acceperе-
runt, Deum orando propitium tibi reddent, & loco
Barbarorum, insidias dæmonum procul repellent, vi-
res diaboli debilitantes, vt non possit omnino animam
tuam expugnare. Quare cùm videas hos quotidie mi-
lites ad regem precibus pro te intercedere, alimenta i-
psis quasi debitum conferas tributum. Mitissimus enim
est rex hic noster, nulla vi exigit: sed spontè oblatum B
etiam si minimum sit, suscipit: & si longo temporis spa-
cio necessitate quapiam detentus non feceris, non co-
git. Non abutamur ergo longanimitate ac misericordia
eius, verùm reponamus nobis, non iram, sed salutem:
non mortem, sed vitam: non tormenta & pœnas, sed
honores, atque coronas. Nihil hìc impendes, cùm trã-
ferentur oblata, nullus labor, suscipiendus est, vt in ar-
gentum redigas: alimenta offeras solùm, & ipse Domi-
nus in cœlum transponet, ipse mercaturam hanc quæ-
stuosam faciet. non indiges hìc ministris deferendi,
nec testibus: solum id cura vt tribuas, tutum semper est
quod dedisti, & mirabili mercaturæ genere crescit, at-
que multiplicatur. Præterea quæ reipublicæ tribuis,
nunquam tibi redduntur, cùm hæc eximio quodam
fœnore, & lucro spiritali restituentur. Istis enim respu-
blica, illis tu ipse vteris. quasi enim Deo credantur, chi-
Prou.19. rographum tibi diuinitus fit. Qui enim, inquit, pauperis
misereturˌ Deo fœneratur. Etenim quamuis Dominus C
omnium sit, non est tamen dedignatus & arra & vadi-
bus rem firmare. Quænam igitur arra est? Hæc certè
præsentia sensibilia, & spiritalia exordia futurorum.
Quid igitur procrastinaris, & inertia corrumperis, cùm
multa iam receperis, & maiora expectes? An ignoras
fortassis quot, quantáque recepisti? ipse corpus tibi for-
mauit, animam creauit, ratione te solum ex omnibus a-
nimãtibus honorauit, omnium visibilium rerum vsum
præstitit, cognitionem sui tibi largitus est, filium suum
pro te tradidit, baptismum multis plenum donis con-
cessit, sacra mensa donauit, regnum & ineffabilia bona
pollicitus est. Qui ergo tot iam accepisti, tantáque ac-
cepturus es (non enim vereor eadem rursus repetere)
pereuntibus pecuniis pro eo parcis, & qua venia dignus
eris? Sed cùm filios aspiciam, inquies, non possum non
retardari. Nimirum ad hæc lucra tibi filij quoque insti-
tuendi sunt. Nam si magno fœnore argentum tibi esset
collocatum in homine grato, nec impotenti: scio huius D
te malle debiti literas liberis relinquere, vt ingentes in-
de capiant fructus, quàm pecuniam, ne cogerentur ali-
os quærere vbi tutò queant collocare. Da igitur filiis
tuis has literas, Deum ipsis debitorem relinque. Agros
quidem non vendis, sed liberis relinquis, vt eorum fru-
ctibus ditiores euadãt. Hoc verò chirographum, quod
maiores omnibus prædiis fructus reddere solet, relin-
quere filio recusas? magna certè id est simplicitas, imò
verò dementia, præsertim cùm scias, quia quamuis hoc
filiis relictum chirographum sit, tamen & ipse abiens
tecum portas. Talia quippe spiritalia sunt, vt multis
multiplicata satisfaciant. Non simus igitur ita pauperes
animo, neque inhumani atque crudeles aduersus nos-
ipsos: sed quæstuosam hanc mercaturam suscipiamus,
quę simul & nos abeuntes comitabitur, & filios nostros
non derelinquet, & tam nos quàm illos ad futuram
beatitudinem perducet, in Christo Iesu Domino no-
stro, cui gloria & imperium cum Patre & Spiritu san-
cto. Amen.

HOMILIA LXVIII. EX CAP. XXI.

ET *intrauit Iesus in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas numulariorum euertit, & cathedras vendentium columbas, & dicit eis: Scriptum est, Domus mea domus orationis vocabitur:* Psa.56. & Hier. 7. *vos autem eam feciſtis ſpeluncam latronum.* Similiter Ioan- Ioan.2.
nes quoque scripsit: sed ille in principio Euangelij, hic
iuxta finem posuit: quare bis id, diuersísque tempori-
bus factum credendum est, quod tam à tempore quàm
à responso colligi potest. Apud Ioannem enim in ipso
pascha, apud istum verò multò ante in templum dici- B
tur Christus aduenisse: & tunc Iudæi dicebant, quod si-
gnum nobis ostẽdis? nunc verò quamuis acriter repre-
hẽsi, tamen quia iam mirabilis apud omnes videbatur,
conticuerunt: quod certè maiorem culpam Iudæorum
ostendit, qui semel & bis reprehensi, perseuerabant
cauponantes, & Deo aduersarium appellantes, cùm de-
buissent hinc & vires ipsius, & honorem quem Patri
tribuebat, agnoscere. Nam & signa iam multa, & ver-
ba signis conuenire videbant, dedignabantur tamen
inobedientes, neque Propheram clamantem audiebãt,
nec infantium præter ætatem præconia percipere po-
terant. Quare ipse quoque acrius eos accusans, Esaiam
induxit dicentem: Domus mea, domus orationis voca-
bitur. Neque hinc solùm potestatem demonstrat, ve-
rumetiam quia varias ægritudines curauit. *Adierunt e-*
nim ad eum claudi, & cæci, & curauit eos, inquit. Illi verò
neque sic virtute ipsius patefacta, quietiore animo esse
poterant, sed cùm ad signa infantium accederent præ-
conia, grauiter angebantur atque dicebant: *Audis*
quid isti dicunt? Atqui Christo potius hæc verba con-
ueniebant, qui cùm infantes sibi hymnum decanta-
rent, dicere potuisset: non auditis quid isti dicunt? illi
enim tanquam Deo canebant. Quid igitur Iesus his
qui tam manifestis signis & rebus aduersabantur? A-
crius, vt corrigeret, carpsit, dicens: *Nunquid legiſtis, quia* Psal.8.
ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem? Quàm
rectissimè, ex ore, dictum est: non enim ex mente illo-
rum illa verba procedebant, sed virtute ipsius, tenera il-
lorum lingua ad formanda hæc verba ducebatur. Quæ
res, balbutientes tunc gentes, quæ pòst ex fide maximè
sonuerunt, figuratè significauit. Apostolos quoque ni-
mirum confortauit. Nam ne ambigerent, quo modo
rudes homines tantam rem poterunt prædicare, hoc
infantium exemplo vniuersa huiusmodi mentis angu-
stia sedari potuit, cùm dubitare nequissent, quin & ipsis
facultatem dicendi daturus sit, qui paruulos fecerat e- D
loquentes. Ad hæc naturæ quoque dominum, atque
creatorem, miraculum demonstrabat. Infantes igitur,
quamuis maturam ætatem non haberent, fausta tamen,
& rebus supernis conuenientia decantabant: viri autem
quasi furiosi loquebantur. Tale quid certè nequitia est.
Verum quoniam multa erant quibus inflammabantur,
turbæ videlicet facta simul & dicta, eiectio vendenti-
um de templo, miracula, paruulorum laudes: ne tumor
eorum omnino exardesceret, non incœpit docere, sed
relinquens eos discessit. *Manè autem in vrbem reuertens*
esuriuit. Quando manè sic esuriuit? Quando carni con-
cessit, tunc ipsa affectionem suam ostendit. *Et videns,*
inquit, *ficum in via, iuit ad eam, nec inuenit niſi ſolum folia.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Marc.11. Alius verò Euangelista scribit nondum tempus fuisse. A Quo modo ergo, si nondum tempus erat, tanquam fructum inuenturus iuit ad eam? Patet igitur de cogitationibus discipulorum id dictum esse, qui hæc ceu imperfectiores suspicabantur, quorum cogitationes nonnunquam scribunt Euangelistæ. Neque hoc solum secundum mentem ipsorum scriptum est, verumetiam & quia ideo maledicta ficus fuit, quia non habebat fructum. Cuius igitur gratia maledicta est? Certè, vt discipuli confiderent. Nam quoniam semper beneficia conferens, nullum vnquam puniuit, conueniebat autem vt puniendi virtutem aliquo exemplo demonstraret, vt tam discipuli quàm Iudæi sibi persuadeant verbo solummodo posse ipsum crucifigentes exiccare, sed sponte omnia sustinere, puniendi virtutem non in hominem, sed in arborem opportunè nunc demonstrauit. Cùm autem loca, vel plantæ, vel animantes rationis expertes tale quid patiuntur, noli curiosius quare ita factum sit inuestigare. Non ergo quære vtrum meritò B exiccata ficus sit, si tempus non erat fructuum, delirationis nempe id mihi videtur extremæ: sed signum solummodo considerans admirare, & creatori gloriam
Suprà 8. redde. Sic & in submersis porcis rationem iustitiæ diligenter inquirentes multi fecerunt, quibus mens adhibenda non est. Sicut enim porci ratione, sic & planta anima caret. Quam igitur ob rem hoc modo descripta res est? & cur ista causa maledictionis esse videtur? Discipulorum, vt diximus, cogitationes sequentes Euangelistæ ita scripserunt. Quod si verò fructuum nondum tempus erat, frustra legem nonnulli per ficum significari contendunt: fructus enim legis fides erat, & tunc tempus fructus aderat huius, & lex quippe ipsum
Ioan 4. produxit. Iam enim, inquit, albæ regiones sunt, & ad
Ibidem. messem paratæ. Et, misi vos metere quæ vos non laborastis. Nihil igitur horum hîc significatur, sed puniendi virtus, vt diximus, manifestatur: quod inde perspicuum est, quia nondum tempus fuisse scribitur: non enim ad experiendum fructum, sed discipulorum causa fecisse hoc verbo aperitur, qui magna hoc miraculo admiratione commoti fuerunt. Nam etsi multa maioráque signa viderunt, nouum tamen atque inauditum hoc fuerat: nunc quippe primò puniendi virtutem adaperuit. Quapropter non in alia, sed in hac humidissima planta id fecit, vt mirabilior res videretur. Verùm ne iste scrupulus perturbet, vtque clarè videas confidentiæ causa discipulorum id factum fuisse, audi quæ sequuntur, quid igitur dicit? *Et vos maiora facietis, si credere, ac in oratione confidere volueritis.* Vides propter eos totam hanc rem factam esse, ne inimicorum insidias formident? Ideo iterum istud repetit, vt in credendo atque orando firmius figat. Non enim hæc facietis solum, inquit, verumetiam montes orandi & credendi virtute facilè transponetis. Insolentes autem Iudæi, & magno tumore inflati, vt docentem interpellarent, accedentes sciscitabantur: *Qua potestate tu hæc facis?* Nam D quoniam detrahere miraculis nequibant, cauponantium in templo correctionem obiiciunt, quo modo etiam apud Ioannem, quamuis non eisdem verbis, eadem tamen mente interrogare videntur. Quod enim signum ostendis nobis, quia hæc facis, Iudæos dixisse retulit: sed ibi quidem respondisse scribitur, Soluite
Ioan. 2. templum hoc, & in tribus diebus erigam ipsum. hîc verò insolubili ambiguitate ipsos tenuit irretitos: vnde perspicuum est in principio & exordio miraculorum illud, hoc verò iuxta passionem gestum fuisse. Tale autem est quod dicunt: Quando tu magisterij sedem ascendisti, aut quando sacerdos ordinatus, quia tanta potestate vteris? Atqui nihil ipse arroganter egit, sed ornatum & decus templi defendit: nihilominus quia nihil aliud habebant, hoc reprehendunt: nec in ipso eiiciendi tempore fecerunt, multitudine miraculorum confusi: postea verò quamprimùm viderunt eum docentem, tunc instant atque increpant. Quid autem ipse? non è directo & apertè ipsis respondet. Facilè namque illis patere poterat potestas eius, si discere voluissent: sed è contra ipsos interrogat, dicens: *Baptisma Ioannis vnde erat? è cælo, an ex hominibus?* Sed quænam, inquies, hæc rerum consequentia est? Optima certè. Nam si è cœlo respondissent, cur ergo, intulisset, non credidistis ei, cui si fidem adhibuissetis, hæc non esse interro-
Luc.3. ganda sciretis? Non enim sum sufficiens, dicebat ille de Christo calceamenti eius corrigiam soluere. Et iterum:
Ioan.1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et, hic est fi-
Ioan.5. lius Dei: &, qui desursum venit, super omnes est: &, quoniam ventilabrum in manu eius, & purgabit aream
Sup.3. suam: quare si Ioanni credidissent, non esset eis difficiLuc.3. le cognoscere, in qua hæc faceret potestate. Cùm autem illi ex malitia nescire se respondissent, non retulit, Nec ego scio: sed, nec ego dico vobis. Si enim ignorabant, docceri ipsos oportebat: verum quoniam versutè agebant, meritò nihil eis voluit respondere. Cur autem non dixerunt ex hominibus baptismum esse Ioannis? *Turbas*, inquit, *formidabant.* Perspicis cordis eorum peruersitatem? Deum vbique contemnunt, & cuncta propter homines peragunt. Nam & Ioannem non quia tantum virum vererentur, sed multitudinis opinione perterriti metuebant. Christo quoque ipsi propter homines, [ne minores viderentur] credere nolebant: omnia denique hinc eorum mala oriebantur. Deinde dixit eis: *Quid vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, & dixit primo: Vade, hodie operare in vinea mea. Ipse autem respondens dixit, Nolo: postea autem pœnitentia motus, abiit. Et cùm accessisset ad secundum, dixit similiter. Ipse autem respondit ac dixit: Eo Domine, &* C *non abiit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt, primus.* Rursus per parabolas loquitur, ac eos reprehendit, tum ingratitudinem eorum, tum reprobatarũ gentium obedientiam occultius significans: hoc enim hi duo filij designant, quod & in gentibus, & in Iudæis factum est. Gentes enim cùm non promiserint obedientiam, quippe qui nec legem audierint, re ipsa obtem-
Deut.5. perarunt: Iudæi verò quamuis promiserunt omnia se
Exod.24. quæ Deus dixerit facturos, opere tamen neglexerunt.
Rom.2. Ideo ergo ne credant legem sibi prodesse, per eam condemnandos esse magis ostendit. Sic & Paulus, non auditores, inquit, iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Propterea ab ipsis elicit sententiam, vt à seipsis condemnati conticescant: quod & sequenti parabola vineæ conficit, quod vt facilius peragat, in aliam personam crimen transtulit. Nam quoniam noluerunt è directo fateri per parabolam, quam non intelligentes, simpliciter ac rectè sententiam protule-
D runt, occultius ad quod volebat eos protraxit. Et tunc tandem quod parabola tenebris obduxerat, perspicuum facit, dicens: *Quia publicani, & meretrices præcedent vos in regnum cælorum. Venit enim Ioannes ad vos in via iustitiæ, & non credidistis ei, publicani verò & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis postea vt credereris ei.* Nam si confestim à scortis eos præueniri dixisset, onerosa certè hæc oratio visa fuisset: nũc autem post prolatam ab ipsis sententiam leuior videtur, quapropter causam addidit. Quænam porrò causa erat? Venit Ioannes, non ad illos, sed ad vos, inquit, & venit in via iustitiæ: nullo enim iure potestis eum criminari, nec dicere vnquam audebitis negligentem illum aut inutilem fuisse. Nam & vita eius irreprehensibilis fuit, &

fuit, & prouidentiæ singularis, & tamen non attendistis A ei. Illud etiam aliud crimen vestrum est, quia publicani ei attenderunt. Et rursus aliud, quia cùm debuissetis vel ante publicanos credidisse, vos nec post illos quidem voluistis. Quod sicut omni vos venia priuat, & accusationem vestram amplificat, sic eximia illorum laus est: venit enim Ioannes ad vos: & non recepistis: non venit ad illos, & receperunt. Nec tamen exemplo eorum inducti estis. Perspice oro, quot laus illorum, & quot accusatio istorum crescit argumentis: venit ad vos, non ad illos, & non credidistis vos, hac re ipsi scandalizati non sunt: crediderunt illi, vobis hæc res non profuit. Antecedere autem, atque præire publicanos dicit, non quia isti sequantur, sed quia si volunt, sequendi
Marc.10. potestas sibi relicta est. Nihil certè magis, quàm æmulatio rudiores concitat: propterea crebrò dicebat, primi vltimi, & vltimi primi: propterea scorta & publicanos in medium producebat, vt istos commoueret. Nam extrema hæc vtraque delicta, ex concupiscentia B ferueuti, alterum corporum, alterum pecuniarum, oriuntur: ita ostendit id esse maximè legi diuinæ obtemperare, Ioanni credere. Nec ergo gratię solum est, quòd meretrices introeant, verumetiam iustitiæ. Non enim permanent meretrices postquam intrarunt, sed obedientia & fide purgatæ, ac commutatæ intrauerunt. Perspicis quo modo partim parabola, partim meretricum commemoratione & vehementem, & minus onerosam orationem efficit? Non enim illico, cur non credidistis Ioanni, dixit, sed publicanos & meretrices credidisse primò asseruit. Deinde vt vehementior oratio fieret, illud subiunxit ab ipsa rerum subsequentia, non venialiter eos peccare arguens, simúlque ostendens propter metum hominum, & ad occupandam hominum gloriam, sic ab eis vniuersa fieri. Christum enim fateri nolebant, timentes ne à synagoga pellerentur: Ioanni rursus detrahere non audebant, non veneratione aliqua, sed timore. Quæ omnia ita, vt diximus, redargu- C it, vt grauiore postea vulnere sauciaret, dicens: Vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis postea, vt illi crederetis. Improbum enim est, non diligere bonum ab initio, sed multò maior culpa est, nolle per pœnitentiam regredi: hoc enim maximè plures corrumpere, & ad profundum nequitiæ depellere solet: quod multos etiam nunc vecordia, ac insania extrema, facere video. Sed nemo vestrum, oro, huiusmodi esse velit: verùm si etiam ad extremum esset prauitatis delapsus, non desperet posse ad meliora se transmutare: facile quippe est, vel ab ipso improbitatis barathro seipsum recipere. An non audistis quomodo illa meretrix quæ omnes impudicitia superauit, vniuersos rursus continentia & virtute à tergo reliquit? non dico illam, de qua in Euangelio scribitur, sed hanc quæ nostra memoria ex Phœnice omnium ciuitatum iniquissima fuit. Hæc enim pueris nobis apud nos erat, & cùm prima in thea-
D tro esset, nomen eius vbique ferebatur: non in vrbe nostra solummodo, sed ad Cilicas vsque, & ad Cappadocas. Hæc multorum patrimonia exhausit, hæc multos parentum orbos tenebat, hæc maleficis quoque vti artibus dicebatur, quasi non eleganti corporis forma solùm, verumetiam magicis cantibus, & herbis retia tenderet: hæc reginæ quoque fratrem attraxit. tanta cupidinis tyrannide pollebat: sed subitò nescio qua re, imo verò certissimè scio: voluntate namque commutata, & Dei gratia hoc modo impetrata, omnia illa spreuit, & calcauit: ita diaboli officina proiecta, facilè ad cœlum ascendit: & quamuis nihil erat ea petulantius dum in scena versaretur, postea tamen continentiæ magnitudine multas antecelluit. Cilicium enim induta per totam reliquam vitam hoc se pacto exercebat, huius gratia & præfectus à scenicis perturbatus armatos milites misit, qui non potuerunt eam rapere, nec à numero virginum quæ ipsam receperunt abducere. Hæc cùm ineffabili sacramento communicasset, & condignè suscepta gratia vixisset: vniuersis per gratiam maculis detersis, naturæ demum concessit. Mirabilem enim philosophiam post baptismum ostendit, nec vnquam amantibus anteà, cámque sequentibus, ac diligenter quærentibus visa est: sed posteaquam semel seipsam inclusit, multos annos quasi vincta
Suprà 20. in carceribus peregit: sic erunt primi vltimi, & vltimi primi. Sic accenso ac inflammato animo in omnibus nobis opus est, ac nihil impediet, vt eximij ac mirabiles efficiamur. Nemo ergo qui malè vixit, desperet: nemo qui virtutem colit, confidat ac dormitet, ne meretrix quæpiam eum anteuertat. Ille autem non desperet, vt dixi, cùm ante primos etiam possit volitare. Au-
Hier.3. dias quid Deus ait ad Hierusalem. Dixi postquam fornicata es in his omnibus, ad me cõuertere: & conuersa non est. Certè cùm iam ad amãdum Deum ferueter redierimus, non sicut homines solet improperare. Præterea nec quando pœnitẽtiam agimus, quia longo tẽpore ab eo abfuerimus, exprobrat: sed si solùm vt decet conuertamur, ac ei valde inhæreamus, & carnes nostras timore suo configamus, confestim nos amplectitur, fouet, & præcipua charitate prosequitur, quarum rerum multa non solùm in nouo, verumetiam in veteri testa-
4.Reg. mento videre licet exempla. Quis enim Manasse deter-
21.& 2. rior fuit? sed facilè conuersus propitium sibi Deum lar-
Paral.33. gis reddidit lachrymis. Quis Salomone fœlicior? sed
3.Reg.11. & 2.Esdr. cùm negligẽtia dormitasset, decidit in profundum. Verùm has ambas in vno, nempe in eius patre, mutationes possum ostendere, qui modò diligenti pœnitentia in sublime scandebat, modò negligentia in infima labebatur. Quis Iuda beatior? sed factus est proditor. Quis miserior Paulo? sed vas electionis constitutus est. Quis Matthæo peior? sed Apostolis est connumeratus. Quis Simone laudabilior? sed factus est omnium abiectissimus. Quàm multas huiusmodi mutationes & olim, & nuper factas, & nunc quotidie fieri non ignoramus. Quas ob res sæpius mihi illud dicendum esse video, nec illi qui vixit in scena, desperandum esse: nec huic qui versatur in Ecclesia, omnino confidẽdum. Ad
1.Cor.10. hunc enim ait: Qui se existimat stare, videat ne cadat.
Hier.8. Ad illum verò: Nunquid qui cadit, non resurget? Et
Esa.35. iterum: Dirigite dissolutas manus, & genua debilia
Infrà 24. confortate. Et rursus ad probos, Vigilate, ait: ad illos
Ephes.5. autem, Surge qui dormis, & exurge à mortuis. Nam aliis quidem conseruanda sunt, quæ acquisierunt: aliis autem necesse est, vt commutati id fiant, quod nõ sunt. Nam vt alteris conseruare sanitatem opus est, sic alteris ab ægrotatione seipsos liberari. Multi quippe à morbo diligentia cõualuerunt, & multi ex sanitate in morbum negligentia inciderunt. Ideo ad illos quidem di-
Ioan.5. cit: Ecce sanus factus es, noli amplius peccare, vt non
Ibidem. deterius tibi aliquid fiat. ad hos autem, Vis sanus fieri? Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Peccatum namque grauissima paralysis est: nec paralysis solummodo, sed paralysi etiam peius: huiusmodi enim homines non solùm in otio, vt ita dicam, virtutis viuunt, verumetiam in opere nequitiæ degunt. Et tamen si qui hoc pacto dissolutus iacet, paululum voluerit erigere, confestim ab vniuerso morbo liberatur. Et si triginta & octo annos iacueris, nihil tamen prohibebit, si volueris sanus fieri: adest enim nunc etiam Christus clamans, Tolle lectum tuum: modò velis tu surgere, modò nõ desperes. Non habes hominem, sed habes
Ioan.5.

Deum: non habes qui te valeat in piscinam immitte-
re, sed habes eum qui potest facere ne tibi opus pisci-
na sit. Non habes qui te in piscinam iniiciat, sed habes
eum qui præcipit tibi vt tollas lectum tuum. Ita non
potes dicere, dum ego venio, alius ante me descendit.
nullus vetat si volueris in fontem gratiarum descende-
re. Hæc quippe gratia nunquam consumitur, nunquam
exhauritur, continuè fons hic emanat, & à plenitudine
ipsius & corpus & animam omnes curabimus. Adea-
mus igitur alacri animo. Nam & Raab meretrix erat, Iacob 2.
sed saluata est: Latro truculentissimus fuit homicida, Luc 23.
sed paradisi ciuis effectus est. Nec Iudæ profuit quòd
magistrum discipulus sequebatur, sed periit: latro au-
tem in cruce discipulus est factus. Hæc Dei mirabilia
sunt: sic magi comprobati, sic publicanus Euangelista
factus est, sic Paulus è blasphemo in Apostolum euasit.
hæc considerans non despera, sed misericordia Domi-
ni fretus, excita teipsum, viam solummodo facere in-
cipias, & citò peruenies. Caue ianuam tibi præcludas,
ingressum obsepias, breuis præsens est vita, paruus est
hic labor: qui etiam si magnus esset, neque sic tamen
renuere deberemus. Nam si hunc laudabilem pœni-
tentiæ ac virtutis laborem non suscipies, nullo tamen
pacto labores, & afflictionem huius sæculi effugies.
quòd si vtrobique, siue virtuosè viuas, siue non, labor
inest: quamobrem non illum laborem eligamus, cui v-
beres fructus, & merces copiosa debetur? quamuis non
idem virtutis, ac secularium rerum labor, nec æqualis
omnino sit. Crebra enim pericula in sæculo sunt, alia
super alia detrimenta semper accedunt, spes tenuis, ma-
gna tam pecuniarum quàm corporis seruitus: sollicitu-
do animi continua. quorum omnium retributio mino-
rem semper fructum afferre solet quàm opinaberis: si-
quidem aliquis omnino fructus sequetur. Nec enim v-
bique hic secularium rerum sudor fructuosus est: ve-
rumtamen etiam quando non decipit, sed magnam v-
bertate sua lætitiam attulit, paruo tamen tempore du-
rat. Nam cùm iam senueris, nec harum rerum vsu plu-
rimum delectaris, tunc laboris mercedes accedunt. Ita
sudore ac miseria florens ætate ac validus continuè op-
primeris: senio autem confecto, dissoluto iam corpo-
re, deliciandi potestas vix conceditur, cùm & sensus i-
pse sit extinctus: qui etiam si vigeret, tamen propinquę
mortis memoria licentius vti non potest. In virtute ve-
rò non sic, sed labor quidem terminatur cadente cor-
pore, corona verò & merces in non senescente, sed im-
mortali atque perpetuo redditur: ita laboranti afflictio
in hoc sęculo breuissima est: retributio verò in futuro
est infinita, vt quieti æternæ nihil triste succedurum
sit. Nulla quippe mutatio, nullus casus in posterum ibi
timendus est. Quæ igitur huius sæculi bona sunt? quæ
multis parta sudoribus, cùm nec tuta, & breuia & fra-
gilia sint, antequam apparent euanescunt. Aut quo-
modo cum illis conferri possunt, quæ stabilia, firma, ac
immortalia, & nullius laboris sunt? cùm in ipso certa-
minis tempore coronas tibi afferant florescentes. Nam
qui pecunias aspernatur, non paruam hic etiam accipit
mercedem omnis curæ, inuidiæ, calumniæ, insidiarum
denique omnino expers. Qui modestè ac pudicè viuit,
etiam hic non paruo animi gaudio fruitur, ab omni
turpitudine, impudico risu, periculis, reprehensione,
cæterisque huiusmodi malis liberatus. Omnis certè
virtutis partes etiam hic mercedem afferunt secum. Vt
igitur & præsentibus & futuris bonis potiamur, fugia-
mus nequitiam, & pro viribus virtutem insequamur.
Sic enim & hæc & futura bona consequemur, quæ vti-
nam omnes consequamur, gratia & misericordia Do-
mini nostri Iesu Christi, cui gloria, imperium & ho-

nor, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXIX. EX CAP. XXI.

AUDITE *parabolam audite: Homo quidam erat paterfamiliàs, qui plantauit vineam & sepem circumposuit ei: & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est. Quando autem appropinquauit tempus fructuum, misit seruos suos, vt acciperent fructus eius. Et agricolæ apprehensis seruis eius, alios quidem cæciderunt, alios autem interfecerunt, alios autem lapidauerunt. Rursus misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter: nouissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Reuerebuntur * fortè filium meum. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt in seipsis: Hic est hæres, venite interficiamus eum & possideamus hæreditatem eius. Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt. Cùm ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis. Dicit eis Iesus: Nunquam legistis in scripturis, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Multa ex hac parabola ænigmaticè denotauit. Nam & prouidentiam Dei à priscis temporibus illis semper mirificè affuisse ostendit, & cædi semper eos vigilasse significat, & nihil ab eo quod ad salutem eorum pertineret derelictum demonstrat, & post Prophetarum atrocissimam necem, non alienatum fuisse Deum, sed filium quoque suum eis misisse designat: noui quoque & veteris testamenti vnum eundémque Deum esse confirmat, & grandes atque mirabiles mortem suam res gesturam prædicit. Et vltima supplicia crucis ac passionis daturos præmonet: gentium quoque vocationem, ac Iudæorum defectionem apertius denotat: quam in postremis ideo posuit, vt maiora commisisse cognoscant, quàm vt veniam consequi mereantur. Cur & quo pacto? Quia cùm tantam curam Deus eorum semper habuerit, à publicanis tamen & scortis magno interuallo relicti sunt. Expende autem & prouidentiam eius ineffabilem, & otiositatem inauditam istorum. Plura enim ipse agricolarum opera fecit, maceriem circumposuit, vineam plantauit, & reliqua omnia præstitit, & paruum quid ipsis reliquit, vt scilicet plantatæ iam vineæ curam habentes, quæ data fuerunt conseruarent. Nihil enim ille omiserat, sed omnia perfecta custodiæ ipsorum tradidit: nihil tamen isti ex prouidentia Dei, tot tantáque bona consecuti, lucrati sunt. Nam post exitum ab Ægypto legem dedit, ciuitatem condidit, templum erexit, altare construxit, & peregrè profectus est, hoc est longanimitate vsus est: Non enim semper simul atque peccarunt pœnas inflixit: quæ omnia mirabili eius longanimitate facta sunt, quam rem peregrinatione significauit. Misit autem seruos suos, vt fructum acciperent, Prophetas videlicet, vt obedientiam, & proba secundum mandata opera colligerent: illi verò inaudita nequitia vsi sunt. Nam quamuis tanta cura Dei honorarentur, tamen non solùm fructum non reddiderunt, (quod vitium negligentiæ erat) verumetiam modestissimè Prophetas missos, occiderunt. Cúmque debuissent ad preces refugere, quia reddere non habebant, non modò id nō fecerunt, sed etiam supplicia intulerunt: & quum pœnas ipsi dare deberent, de aliis pœnas sumpserunt, & Prophetarum sanguine manus contaminauerunt. Alios deinde super alios misit, vt istorum proteruia & mittentis clementia omnibus fieret manifesta. Sed cur, inquies, filium non continuò misit? Vt à multis iam malefactis possent seipsos cognoscere, & superbia

omissa

fortè, forsan legisse videtur hoc loco Chrysost. quod alij non habent, sed habetur. Luc. 20. Psal. 117.

omissa filium verèretur: plures rationes reddere possu-
mus, sed ad sequentia festinamus. Quid autem est, forte
reuerebuntur? Non ignorātis certè, absit hoc enim, sed
magnitudinem peccati volentis ostendere, cuius nun-
quam vllam satisfactionem ostendere potuerunt: misit
ergo sciens quòd interficerent. Dicit autem, fortassis
verecundabuntur, quæ debuissent fieri enarrans: vere-
Ezech. 2. cundari enim proculdubio debuissent: sic & alibi ait: Si
forte audierint: non enim quia ignorabat, sed ne qui-
dam ex amentia dicerent, prædictione Dei coactos ob-
temperare non potuisse, idcirco huiusmodi vtitur ora-
tionis figura, modò si forte audierint, modò forte reue-
rebuntur, dicens: Nam si vecordes in conseruos fue-
runt, Christi tamen dignitatem reuereri debuerunt: illi
verò cùm accurrisse, & veniam peccatorum petiisse de-
buissent, non modò illud non faciunt, sed solùm in sce-
lere certant, & priora vltimis superare contendunt:
Infrà 23. quod & ipse significans dicebat, Implete mēsuram pa-
trum vestrorum. Ita enim quidam Prophetæ crimina-
Esa. 1. bantur, dicentes: Manus vestræ sanguinis plenę sunt: &,
Osee 4. Sanguinem sanguini commiscent: &, qui ædificant Si-
Mich. 3. on in sanguinibus. Sed illi non emendabantur, etiam si
hoc primum mandatum habuissent, Ne occidas, mul-
táque alia ad conseruationem huius facere iussi essent:
prauam tamen hanc cōsuetudinem noluerunt vnquam
deponere, sed secum dicunt: Venite interficiamus eum.
Cur obsecro? quid criminari magnum aut paruum po-
testis? an quia nimium vos Deus honorauit? quia cùm
Deus sit, homo propter nos factus sit, & innumera ad
salutem nostram miracula fecit? an quia peccata dimit-
tebat? an quia in regnum vocabat? Tu autem ad impie-
tatem magnam quoque dementiam accedere, & necis
causam insaniæ plenam esse considera. Interficiamus
eum, inquiunt, & suam hæreditatem retinebimus. Vbi
porro volunt occidere? Extra vineam omnino statue-
runt. Perspicis quomodo etiam locum prædixit, vbi
crucifigendus erat. Ita eiecerunt eum, inquit, atque oc-
Luc. 20. ciderunt. Et Lucas quidem ipsum determinasse, ait, quo
supplicio huiusmodi serui puniendi essent: ac illos, absit
hoc, dixisse: ac ideo testimonium adduxisse, intuitus e-
Psal. 117. nim ipsos, dixit: Quid ergo est quod scribitur: Lapidem
quem reprobauerunt ędificantes, hic factus est in caput
anguli? Et quicunque ceciderit super eum, confringe-
tur? Matthæus autem ab illis prolatam sententiam esse
asserit. Non est autem vlla hic discrepantia, cùm vtra-
que facta esse intelligamus. Prolata enim ab illis senten-
tia postquam senserunt aduersus seipsos ita protulisse,
absit hoc exclamarunt: & tunc testimonio Prophetæ
rem approbauit, ita fore omnimodò affirmans. Voca-
tionem autem gentium, ne carpendi causam acciperēt,
non apertè, sed occultius significauit, dicens quòd aliis
vineam daturus esset. Propterea & parabola vsus est, vt
hanc ab ipsis sententiam eliceret, quod & in Dauid illo
1. Reg. 12. factum est, quando de parabola Nathan sententiam
tulit. Tu verò iustissimè dictam sententiam inde iudi-
ca, quòd ipsam qui perpessuri erant, se condemnauc-
runt. Verùm vt discerent non solùm iuridica hæc esse,
sed etiam à spiritu olim prænunciata, Dei quoque sen-
tentia comprobari, increpantis modo prophetiam in-
duxit, dicens: *Nunquam legistis, Lapidem quem reproba-
uerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? à Domino
factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Ita vndi-
que eiiciendos Iudæos quia non crederent, & gentes
introducendas monstrauit. Id enim etiam per Chana-
næam, id per asinam, id per multas alias parabolas, id
per Centurionem apertius significauit, id etiam nunc
designat, ac idem subiungit: A Domino factum est
istud, & est mirabile in oculis nostris, crediturus enim

gentes, & Iudæos fideles, quamuis magno prius inter-
uallo distarent, vnum tamen fore confirmauit. Et vt
videant nihil horum Deo esse aduersum, sed valde ac-
ceptum atque gratum, mirabile præterea, stuporísque
plenum, à Domino istud factum esse subiunxit. Lapi-
dem enim seipsum, & doctores Iudæorum ædificato- Ezech. 13.
res vocat: sic & Ezechiel ædificantes parietem & lini- Ioan. 7.
entes incompositè, ait. Quo modo autem reprobauc-
runt? dicentes videlicet, non esse ipsum à Deo, tur- Ioan. 8.
bas hic seducit. & rursus: Samaritanus tu es, & dæmo-
nium habes. Deinde vt intelligant non id solùm immi-
nere sibi detrimentum, quia eiicientur: punitiones
quoque adiecit, dicens: *Qui ceciderit super lapidem hunc,
confringetur: super quem autem ceciderit, conteret eum.* Du-
as hìc perditiones denotauit: Alteram, quia offende-
runt, & scandalizati sunt: hoc enim est quod dicit, qui
ceciderit super lapidem hunc. Alteram, quia capti, ca-
lamitosi, & ærumnosi semper vixerunt, & viuent: quam
apertissimè & expressit, dicens, conteret ipsum. per ista
etiam resurrectio ipsius occultius denotatur. Prophe-
ta quidem Esaias vineam ab ipso accusatam dicit: hic
verò principes populi accusat, & illic quidem ait: Quid
oportebat me facere vineæ meæ, & non feci? & alibi Esa. 5.
similiter: Quod inuenerunt patres vestri delictum in Hier. 2.
me? Et rursus: Populus meus quid feci tibi? in quo te Mich. 6.
contristaui? Ideo ingratam mentem eorum, & innu-
meris beneficiis contraria eos semper retribuisse osten-
dit. Hìc autem multò vehementius id positum est.
Non enim ipse dixit, quid oportebat me facere, & non
feci: sed eos ipsos ad ferendam sententiam coëgit, qui
nihil derelictum esse à Deo, & se peccati condemna-
uerunt, dicentes: quoniam malos malè perdet, & vi-
neam suam aliis agricolis locabit. Sic & Stephanus i- Act. 7.
psis exprobrabat, & summoperè mordebat, osten-
dens magnæ ipsos curæ semper Deo fuisse, & benefa-
ctori Deo contraria semper retribuisse: quod quidem
ipsum maximum erat signum, quòd non qui punit, sed
qui puniuntur, supplicij causa extiterunt. Hoc ipsum
igitur demonstrat tam per parabolam, quàm per du-
plicem prophetiam, alteram à Dauid sumptam, alte-
ram à seipso. Quid igitur facere oportuit eos cùm hæc
audissent? nónne adorasse? nónne obstupuisse? quia
tantam curam & olim, & tunc sui habebat: & si nullo
istorum mouebantur, nónne saltem pœnarum terrore
moderatiores fieri debuissent? verùm nihilo meliores
facti sunt. *Sed cùm audissent*, inquit, *cognouerunt, quia de
ipsis dicebat. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quo-
niam sicut Prophetam eum habebant.* Sentiebant enim
iam quòd ipsos occultius notaret. Nonnunquam au- Luc. 4.
tem quando detinere ipsum volebant, per medium i-
psorum transiens non videtur: nonnunquam subitò ap-
parēs tumida desideria eorum comprimit, quod & ad-
mirantes dicebant: Nónne hic est Iesus, quem quærunt Ioan. 7.
interficere? Ecce palam loquitur, nec quicquam ipsi di-
cunt. hic verò quoniam timore multitudinis reprime-
bantur, noluit miraculosè per medios inuisibilis trans-
ire. Non enim omnia super hominem faciebat, vt in-
carnationis dispensatio crederetur. Illi autem nec ti-
more multitudinis omnino castigabantur, nec à dictis
ipsius iuuabantur, nec Prophetarum testimonia, aut
sententiam suam, aut multorum existimationem ve-
rebantur, ita penitus eos dominandi cupiditas, & in-
anis gloriæ & præsentium rerum cupido inuaserat. Ni-
hil certè ita præcipitem agit hominem, nihil sic à fu-
turis deiicit bonis, quemadmodum si quis caducis his
rebus animum affigit: nec quicquam aliud adeò & præ-
sentibus iucundè vti, & futuris perfrui facit, quàm si il-
la istis prorsus anteposueris. Quærite namque, inquit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Suprà 6. primùm regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. Atqui etiam si hæc adiectio posita non esset, non tamen valde corruptibilia essent desideranda: nunc verò dum illa consequi studeas, istis etiam potieris. Hæc cùm ita se habeant, nonnulli tamen credere nolunt, sed insensatis lapidibus similes, vmbrarum voluptates insectantur. Quid enim præsentium rerum iucundum est? quid potrò voluptuosum? liberius enim vos hodierno alloqui die constitui. ferte igitur obsecro, vt facilè videatis monachorum & crucifixorum vitam, quæ onerosior vobis ac molestior solet videri, multò hac tenera, molli, & flexibili iucundiorem esse, ac magis expetendam: cuius rei vosipsos audeo testes citare, qui in periculis nonnunquam vestris, ne in calamitates & ærumnas incidatis, mortem optatis: & illos qui in montibus & speluncis degunt, qui cœlibem vitam, & minimè negociosam viuunt, beatos verè ac ex animo appellatis: quod eos qui in otio vitam agentes, in scena & orchestra diem & noctem peragunt, feciſſe non- B numquam non ignoro. Nam & si mille voluptatibus abundare videantur, quamuis delectationum flumina adesse illis credantur, multis tamen illinc amarissimis telis perfossi plerunque iacent. Nam si saltatricis alicuius amoribus captus quispiam fuerit, omni militia durius, omni peregrinatione molestius tormentum certè sustinebit, omnique obsessa ciuitate miseriores peraget dies. Sed illis interea omissis, & conscientiæ eorum, qui perpessi sunt derelictis, age de plurimis disseramus: & tanto interuallo à iucundissima monachorum vita distare inueniemus, quantum inter tranquillissimum interest portum, & mare tempestuosum, atque incommodum. Perpende autem fœlicitatis illorum stabilimenta ab ipsis continuò diuersoriis. Forum enim & vrbes, & tumultus platearum fugientes, in montibus viuere maluerunt, vbi nihil sibi cum his secularibus rebus commune est, vbi nihil humanarum rerum perturbat, non mœstitia, non dolor, non acerbior cura, non peri- C cula, non insidiæ, non liuor, non turpis amor, non aliud huiusmodi, sed quæ sunt futuri regni iam meditantur. Valles & montes apud fontes, in solitudine ac trãquillitate habitantes, & cum Deo ipsi colloquentes: omni tumultu domus sua omnis vacat, & anima omni passione & ægritudine libera, leuis, subtilis, & ipso tenuissimo aëre purior: quorum opus id scilicet est, quo Adam etiam ille ante peccatum exercitus, cùm gloriam indutus, & Deum liberè alloquebatur, & paradisi regionem magna beatitudine plenam habitabat. In quo enim isti peius se habeant quàm ille, quãdo ante inobedientiam vt in paradiso operaretur, fuit constitutus? nulla illi se-
Genes.2. cularis erat cura, nulla certè isti etiam vexantur. Integra ille conscientia cum Deo colloquebatur, non aliter isti, immo verò tantò liberius quàm ille id faciunt, quantò maiore fruuntur gratia dono spiritus clargita. At vellem oculis domicilium eorum, & disciplinam viuendi cernere velletis: verùm quoniam foro & vendendi ac D emendi opere occupati, non vultis, saltem particulam à nobis aliquam disciplinæ illorum libenter audiatis. omnem enim illorum vitam perstringere, nec operis nec temporis præsentis est. Ista igitur orbis terrarum lumina in exortu Solis, immo verò multò etiam ante diem à lectulo surgentes, integri, sobrij, vigilantes: nam nec grauedo capitis, nec rerum cura, nec tristitia, nec turba, nec aliud huiusmodi eos perturbat, sed tanquam Angeli in cælo versantur. Illico igitur postquam è lectulo splendentes & læti surrexerint, choro constituto, integra conscientia omnes quasi ab vno consonantes ore diligenter hymnis Deum laudant, gratias pro vniuersis tam propriis quàm communibus beneficiis ei agentes. A Quare illo Adam omisso, quid inter Angelos, & hunc monachorum interfit chorum, libẽter interrogauerim, qui sic in terra cantãt, & dicunt: Gloria in excelsis Deo, Luc.2. & in terra pax, in hominibus bona voluntas? Amictus autem ipsis fortitudini suæ conueniẽns circumiacet. Non enim effœminatæ ac eneruæ per terram sibi vestes trahuntur, sed ita eis præparatæ sunt, vt beatissimis Angelis illis, Heliæ dico, Heliſæo, Ioanni, ac vniuersis Apostolis: etenim aliis caprarum, aliis camelorum pilis confectæ sunt, multis coria solum, & ea vetustate consumpta satisfaciunt. Hymnis verò iam decantatis, genibus flexis Deum vnanimes pro his orant, quæ nec in mentem quidem multorum facilè veniunt. Nihil enim præsentium petunt rerum, quippe quarum nulla omnino sibi cura est: sed vt intrepidi cùm filius Dei vnigenitus ad iudicãdum viuos & mortuos venerit, ante tribunal illud terribile assistant, vt nullus tremẽdam illam vocem audiat, Nescio vos: & laboriosam hanc vitam Infrà 25. recta peragant conscientia, vt difficillimum hoc mare secundo nauigẽt vento: huius orationis dux est eorum pater, atque præfectus. his crebris sanctisque absolutis orationibus, exorto iam Sole ad opus vertuntur, quo multos pauperibus fructus colligunt. Vbi nunc sunt, qui diaboli choreis, & perditis cantibus dediti in scena quotidie sedent? pudet me certè verba de illis facere, verumtamen necesse mihi est propter infirmitatem vestram. Nam & Paulus ait: Sicut exhibuistis membra Rom.6. vestra seruire immunditiæ, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Quare nos quoque, (age) vitam meretricum, & corruptorum iuuenum in scena consistentium perscrutemur, & ad horum beatorum vitam, quantum ad iucundè viuendum attinet comparemus. Iucundè namque viuendi gratia negligẽtiores iuuenes scenæ laqueis capiuntur. tantam enim si perpendimus, differentiam inueniemus, quantam si quis canentes Angelos modulationem diuinam audiret, & porcos in stercore defossos ac grunnientes. Ore namque illorum Christus, istorum verò diabolus loquitur. Tibiæ inflatis genis, deformi facie incertam & inarticulatam istis emittunt vocem: per illorum ora gratia spiritus loco tibiæ, citharæ atque syringis adeò suauiter sonat, vt non sit possibile luto & lateribus affixis, tantam ante oculos ponere voluptatem. Quare vellem aliquem eorum qui circa hæc insaniunt, illuc adducere posse, & hunc sanctorum chorum ostendere, non iam pluribus opus mihi esset verbis: verùm & si hæc terrenis disserimus, conabimur tamen ab illuuie & sordibus aliquantulum eos auellere. A meretricum igitur cantibus statim cupidinis flamma incendit auditores, & quasi non sufficiat ad inflammandam mentem aspectus ac facies mulieris, pestem quoque vocis adinuenerunt. Nostrorum autem modulatione, si quid huius morbi animum vexat, illico extinguitur. Non autem vox ac facies solùm muliebris, verumetiam multò magis vestitus spectatores conturbat, adeò vt si pauper quidam rudior atque abiectior aspiciat, molestè nimium ferat, & secum sæpenumero dicat: Scortum quidem & scortator, coquorum filij & sutorum, frequẽter autem & seruorum, in tantis deliciis viuunt: ego verò ingenuus, & ab ingenuis ortus, qui iustis laboribus meis vitam duco, nec somnians quidem ita deliciari possum. sic mœrore perturbatus recedit. Quod ex aspectu monachorum non accidit, immo verò contrarium omnino cõtingere solet. Si enim diuitum filios, & maiorum insigniũ nepotes illa amicula ferre respexerit, quæ nec extrema paupertate oppressi ferre dignarentur, & hac re gaudere illos agnouerit: cogitate quanto solamine, si sit pauper, sic confirmatus recedit: si dies, moderatior

deratior atque melior inde facilè fit. Et in theatro quidem cum aureis ornamentis callidissima meretrix incedit, pauperes dolore conficiuntur, cùm nihil tale vxoribus esse suis recordentur: diuites autem hoc aspectu conturbati, cùm habitum, aspectum, vocem, incessum, cæteráque cupidinis plena viderint, & improbo ardentes incendio domos suas redierint, quasi deformiores vxores despiciunt: hinc iurgia & rixę, hinc dissidia & bella oriuntur, hinc mors etiam nonnunquam consequitur. Nam qui huiusmodi cupidine capti sunt, vita ipsis cũ vxore & liberis acerba videtur, ita vniuersa in domo ipsius conturbantur. Nihil tale à choro vnquam efficitur: mitem inde redeuntem vxor virum suum susçipiet, ac omnis absurdæ voluptatis expertem, adeò vt facilior atque quietior sibi esse videatur. Ita theatralis hic chorus malorum omnium, ille verò monachorum, bonorũ fons est atque origo. Alter ex ouibus lupos facit, alter è lupis in agnos cõuertit. Sed forsan de voluptate nihil adhuc dixisse videmur. Quid igi- B tur iucundius quàm tranquillitate animi, nihil dolentem, nihil mœrentem, ac nihil gementem viuere? Verumtamen ad vlteriora prouehamur, & vtriusque modulationis huius, atque aspectus voluptatem inuestigemus: & inueniemus alteram ad vesperam, quousque in theatro spectator sedeat, solummodo permanentem, deinde autem omni stimulo acerbius ipsum pungentem: alteram verò perpetuò in spectatorum animis vigentem, cùm & horum virorum forma, loci amœnitas, conuersationis iucunditas, synceritas disciplinæ, ac denique optimi spiritualisque cantus illius gratia in animis eorum qui viderunt, continuè insideat. Quare qui huius portus continua tranquillitate lętantur, quasi grauissimam tempestatem tumultus fugiunt vniuersos, nec canentes atque orantes solùm, sed diuinis etiam libris affixi iucundissimè afficiuntur. choro enim solo dissoluto plerunque alius cum Esaia colloquitur, alius cum
Suprà 3. & Marc. 1 apostolis disserit, alius ab aliis elaborata lectitat, & phi- C losophatur de Deo, de creaturis, de visibilibus, de inuisibilibus, de vilitate huius vitæ, de beatitudine futura. Ita non brutorum animalium decoctas sibi carnes vt alantur, assumunt: sed Dei verba, melle atque fauo iucundiora, melioráque cibo etiam Ioannis, quo in deserto alebatur: hoc mel non syluestres è floribus apes collegerunt, nec rorem concoctum suis aluearibus immiserunt, sed Spiritus gratia constituens pro fauis & aluearibus, atque fistulis in animis sanctorum imposuit, vt quicunque vult, continuè possit comedere. Apes igitur imitantes sacrorum fauis librorum circunuolant, magnam inde voluptatem carpentes. Si ergo volueris qualis hæc mensa illorum sit perdiscere, propius ad eos accedas, & senties suauissimas, & spiritualis plenas odoris eructationes illorum. Nullum turpe verbum ab ore illorum vnquam profertur, non dicax, nõ asperum, sed cœlo vniuersa digna sunt. Quare non ab re quispiam facere poterit, si ora istorum qui versantur in foro, qui se- D cularium rerum rabie furiũt, cloacis sordidissimis comparet: illorum verò fontibus, vnde riuis liquidissimis fluenta mellis emanent. Siquis autẽ molestè ferat quòd multitudinis ora sordium cloacas appellauerim, is parcè nimium me dixisse non ignoret. Non enim hac mẽ-
Psal.13.& 139. & Rom.3. sura, sed acerbiore similitudine Scriptura vtitur. Venenum enim, inquit, aspidum sub labiis eorum, sepulchrũ apertum est guttur eorum. Sanè talia illorum non sunt, sed odoris plena ingentis. Et hæc quidem præsentia huiusmodi sunt, futura verò quæ oratio assequetur? quæ mens intelliget elegãtem illam requiem, summam beatitudinem, ineffabilia atque inæstimabilia bona? Multi fortasse feruore accensi, huius optimæ viuendi cupidi- tate disciplinæ nunc capti estis. Sed quod vobis erit emolumentum, si tunc solummodo, quando hìc estis, ignis hic ardeat: cùm verò discesseritis, prorsus extinguatur? quomodo igitur huic medebimur? antequam extinguatur hæc flamma, ad illos angelos perge, augeas hunc feruorem. non enim ita nostra oratione ardebis, quemadmodum ipsarum rerum aspectu. Noli dicere, colloquar cum vxore antequam proficiscar, negocia mea componam. hæc tarditas negligentiæ initium est. memento voluisse quendam ordinare domum suam, & Sup.8.& non fuisse à propheta dimissum. Quid dixi domũ ordi- Luc.9. nare? sepelire patrem discipulus voluit, & non permisit Dominus. Atqui nulla res tam necessaria videbitur, quàm speliendi patris officium, Christus autẽ non permisit. Quámnam ob rem? Paratus semper diabolus est, vt ingressum vbique attentè quæritet, & si paruæ tarditatis causam apprehenderit, magnam inde cõflabit desidiam: propterea quidam admonet dicens: Noli de die Eccl.5. in diem procrastinare. Sic enim plura emendare potueris, sic domum quoque tuam probè dispones. Quæ- Sap.6. rite namque, inquit, primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Etenim si quis sua despicit, & nostrorum curam assumit, quieti eius solemus prouidere: quantò magis Deus, qui etiã si ad eum non conuertamur, non parua tamen cura & prouidentia erga nos vtitur. Noli ergo de rebus tuis curare, sed omnia tua Deo commenda. Cura enim tua, cura hominis est, Deo autem de omnibus tuis committe prouidentiam. Noli tu maioribus prætermissis, de illis curare, ne Deus minus de illis prouideat. Vt igitur magna cura tuas res complectatur, ipsi soli vniuersa committe: nam si tu spiritualibus omissis ea tractabis, minorem Deus de ipsis curam habebit. Vt ergo & res tuæ fœliciter gubernẽtur, & tu solicitudinis expers sis, sequare spiritualia, contemne hæc secularia: sic enim & terrã, & cœlum, & futuram beatitudinem obtinebis, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui gloria in sæcula. Amen.

Homil. lxx. ex cap. xxii.

Et respondens Iesus dixit iterum in parabolis: Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & noluerunt venire. Rursus misit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis, prandium meum paraui: tauri mei, & altilia mea occisa sunt, & omnia parata sunt: venite ad nuptias. Hi autem cùm neglexissent, abierunt: alius quidem in proprium agrum, alius verò ad negociationem suam: reliqui autem tenuerunt seruos eius, & contumelia affectos interfecerunt. Rex autem cùm audisset, iratus est: & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succẽdit. Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui vocati erant, non fuerunt digni: Ite ergo ad exitus viarum, & quotcunque inueneritis, vocate ad nuptias. Et egressi serui eius in vias, congregarunt omnes quotquot inuenerunt, bonos & malos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium. Intrauit autem rex, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, & dicit ei: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tũc dixit rex ministris, Ligatis eius pedibus & manibus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Perpendis tam ex hac, quàm ex superiore parabola, quantum interest inter seruos & filium. Animaduertis magnam vtriusque parabolæ similitudinem, differentiam quoque non paruam. Nam etiam hæc Dei longanimitatem & prouidentiam summam, & Iudæorum in Deũ ingratitudinem significat, electionem quoque ipsorum,

& vocationem gẽtium similiter. Verùm ad hæc omnia A quanta viuendi disciplina vti debeamus, quámque acerba pœna negligentes expectet, in hac denotatur. Quare post illam hæc rectissimè posita est: quoniam enim ibi dictum est: alij dabitur genti, quæ reddet fructus in tempore suo, hîc cui genti dabitur declarat: neque id solum, sed ineffabilem erga Iudæos curam ostẽdit. Nam cùm ibi ante crucem solùm vocare ipsos videatur, hîc etiam post mortem in vocando perseuerat. Ita quando grauissima eos supplicia luere oportebat, tunc ad nuptias trahit & summo paratus est honore afficere. Vide autem quomodo & illic non prius gentes, sed Iudæi vocantur: & hîc rursum: sed quemadmodum illic posteaquam non modò non susceperunt eum, sed etiam iugulauerunt, tunc aliis vinea præbetur: eodem nunc pacto postquam venire ad nuptias noluerunt, alij vocantur. Quid igitur dementius inuenitur, quàm cùm in nuptias voceris, resilire? Quis enim in nuptias venire non optaret, & eas regis quas amantissimo filio facit? Et B cuius rei gratia nuptiæ appellatæ sunt, inquies? Vt & Dei erga nos præcipuam curam charitatémque cognoscas, & rerum splendorem non ignores, vbi nihil triste, nihil luctuosum, sed omnia spiritalis gaudij plena sunt: hac ratione Ioannes sponsum appellat: hac ratione Paulus quoque dicit: Vni enim vos viro adaptaui. & rursus: Magnum hoc est mysterium: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Cur autem non ipsi adaptari sponsa dicitur, sed Filio? Quia filio adaptata, patri adaptatur. Nam propter idẽtitatem substantiæ nulla apud scripturam differentia est, siue hoc siue illo modo dixeris. Accedit quod resurrectio quoque in hac apertè significatur. Nam quoniam in superioribus de morte dictum est, post mortem modo nuptias, & sponsum videmus. Illi verò nec sic quidem mitiores fiunt, qua re nihil certè crudelius. tertia enim hæc culpa est, prima quidem prophetarũ, altera filij cædes fuerat: hæc tertia est, quia interfecto filio, cùm iam in nuptias eius ab eo ipso inuitarentur, non eundi causas, paria boum, agros, & vxores confingunt. Nam quanuis rationem habere quandam hæ occasiones videantur, hinc tamen discimus, nihil adeò necessarium esse posse, vt spiritualia illud non antecedant: inuitauit autem non nuper, sed ante multa sæcula. Dicite nanque, inquit, inuitatis: & iterum, Vocate inuitatos: quod profectò crimen eorum auget. A quibus igitur antea vocati fuerant? A prophetis certè olim, & à Ioanne, qui omnes ad Christum mittebat, dicens oportere Christum crescere, se verò minui. posteremò per ipsum etiam filium. Venite namque, ait, ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos requiescere faciam. & rursus: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Non verbis autem solùm, verumetiam rebus vocauit, & post assumptionem per Petrum, & Petri socios. Qui enim operatus est Petro, inquit apostolus, in apostolatum circumcisionis, is operatus est & mihi in gẽtes. Nam quoniam filium necauerunt, per seruos rursus eos D vocat. Ad quid porrò inuitat? an ad labores, afflictiones, sudores? Nequaquam, immo verò ad delicias. Tauri enim mei, ait, & altilia occisa sunt. Vide quàm magnificæ dapes proponuntur, neque id eos conuertit: sed quantò mitior est ipse, tantò magis illi durescunt. Non enim impediti negociis, sed negligentes non venerunt. Cùm autem alius se nuptiis, alius bobus excusat, nónne occupationes ac negocia ista sunt? Minimè. Cùm enim spiritalia vocant, nulla occupationis excusatio est, quãuis his occupationibus desideria obducere sua mihi videantur: nec grauiter solùm peccarunt, quòd inuitati non venerunt, sed quòd atrociter atque tyrannicè inuirantes seruos & vituperauerunt, & necauerunt: quod multò superioribus grauius est. Illi enim reditus & fructus repetentes, hi verò in nuptias vocantes trucidarũt: quo furore quid maius excogitari posset? hoc & Paulus criminatur, dicens: Qui & Dominum, & suos prophetas interfecerunt, & nos persecuti sunt. Sed ne Deo aduersarium dicere possint, ac ideo in nuptias eius non venisse, pater ipse est qui nuptias fecit, & inuitauit. Quid autem factum est posteaquam venire superfederunt, & inuitantes seruos interfecerunt? Exercitibus missis vrbes eorum incendit, & eos interemit. hæc autem dicens, Vespasiani & Titi facta multò antè significat: ita Christo non credentes, patrem etiam exacerbauerunt: ipse namque est qui eos puniuit. Nec interfecto Christo statim, sed post quadraginta annos eos perdidit, vt longanimitatem eius omnes viderent. Tunc enim demum perierunt, cùm Stephanum lapidauerunt, Iacobum obtruncauerunt, apostolos denique cæteros contempserunt. Vidisti veritatem, celeritatémque rerum? adhuc enim euangelista Ioanne viuente, aliisque compluribus, qui cum Christo vixerunt, ita ipsius euentus prædictorum testes facti sunt illi qui ista audierunt. Considera igitur ineffabilem eius erga Iudæos curam: vineam plãtauit, maceriem circumposuit, atque omnia perfecit, seruos ad exigendos miserat fructus, quibus interfectis rursus misit: his quoque peremptis filium ad ipsos misit, atque eo trucidato ipsos vocat ad nuptias, & venire noluerunt. Alios deinde misit seruos, quibus similiter necatis, tunc tandem quia incurabili morbo laborabant, eos dispersit. Res autem ipsæ incurabilem fuisse morbum ipsorum ostendunt. Nam ad ea quæ dicta sunt, scorta etiam ipsis renuentibus, & publicani crediderũt: quare non solum à scelestissimo suo, verùm etiam ab aliorum clarissimo facinore condemnantur. Si autem quispiam opponat, non fuisse tunc gentes vocatas, cùm apostoli verberibus cæsi, pulsi, ac nonnulli occisi fuerunt, sed illico post resurrectionem: Euntes enim, in- C quit, docete omnes gentes: illud profectò dicere possumus, quia & ante crucem, & post crucem ad Iudæos primùm misit. Ante crucem enim ad oues ire iussit, quæ perierunt domus Israel. post crucem autem non modò non vetuit, verumetiam iussit veritatem Iudæis attestari. Nam etsi omnes gentes docendas dixerit, in cœlum tamen ascensurus, primùm illis prædicandum esse significauit. Accipietis enim virtutem, ait, † Spiritu sancto super vos adueniente,] & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & vsque ad extremum terræ. & Paulus rursum: Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, is & mihi in gẽtes operatus est. Propterea & apostoli Iudæis primò prædicauerunt, longóque temporis spatio cæsi, & flagellati in Iudæa manentes, ac demum ab ipsis propulsi, in gentes profecti sunt. Tu verò munificentiam hic quoque considera. *Quotcunque enim,* ait, *inuenietis, inuitate ad nuptias.* Nam antea quidẽ, vt diximus, Iudæis & gentibus prædicabant, in Iudæa maximè permanentes: verùm quia perseuerare in insidiis Iudæi comperti sunt, audi quo modo Paulus hanc parabolam exponit. Vobis erat necesse, inquit, verbum Dei primùm prædicari: sed quia indignos vosipsos iudicastis, ecce conuertimur ad gentes. Propterea etiam ipse ait: *Paratæ quidem ipsæ nuptiæ sunt, vocati verò dignæ non erant.* Non ignorabat autem indignos illos etiam postea fore. Sed ne vlla respondendi occasio relinquatur, licet id sciret, ad ipsos tamen primò & venit, & misit. Ita & illorum ora obstruit, & nos docet cuncta à nobisipsis esse explenda, etiam si nemo quicquam emolumenti consequatur. *Quia ergo illi digni non erant, ite,* inquit, *ad [compita viarum ac] trivia, & quoscunque inuenietis, etiam abiectos, & viles obuiam factos, inuitate.* Itaque quoniam

Sup. 11.

Ioan. 3. & Apoc. 18.

2. Cor. 11.

Ephes. 5.

Ioan. 3. Sup. 11. Ioan. 7.

Galat. 2.

1. Thes. 2.

Act. 7. Ibid. 12.

Act. 15.

Infra 28.

Act. 1. superuenietis spiritus sancti in vos) vtroque modo dici potest, quòd Græca ambigua sint.

Galat. 2.

Sup. 22.

niam crebrò dicebat, quòd meretrices & publicani cœ- A tam? Vis vt tibi eos ostẽdam, qui condignas his nuptiis los hæreditabunt, fiéntque primi vltimi, & vltimi primi, id iustè fieri demonstrat. hoc quippe maximè omnium Iudæos vexabat, & multo magis quàm ipsius vrbis ruina, illos mordebat, quia gentes introduci iam audiebant. Deinde ne fideles sola se fide saluari posse confidant, de pœna malorum differit. Ita infideles ad fidem, fideles verò ad rectè viuendum cohortatur. Indumentum enim viuẽtis actio est. Verùm cùm per gratiam vocati simus, quamobrem hæc ita accuratè disputat? Quia videlicet vocatio & purgatio ipsa ex gratia sunt, vt verò vocatus iam, & candida indutus veste seipsum non maculet, ad diligentiam quoque pertinet vocatorum. Nam si non quia dignus, sed quia gratia tibi largita est, vocatus fuisti, oportebat te vicissim pro gratia nonnihil reddere, & non tantam nequitiam ac ingratitudinem post acceptum honorem ostendere. Sed non ita magna vt Iudæis, inquies, mihi concessa sunt: immo verò multò maiora. Nam quæ longo tempore illis para- B bantur, ea tibi, quanuis indignus esses, vno temporis momento vniuersa largita sunt: ideo Paulus scribit,

Rom. 15.

Gentes autem pro misericordia glorificare Deum. Tu enim quæ illi expectabant accepisti, propterea magna negligentibus imminet pœna: nam sicut illi, quia non venerunt, contempsisse rectè dicuntur, pariter tu si perperam viuendo recumbere audebis, nequicię accusaberis crimine. Ingredi nanque cum sordidis vestibus significat cum vita impura hinc abire: quocirca & obmutuisse scribitur. Vides quo modo, quanquam res ita pateat, nõ prius tamen supplicia infert, quam ille qui peccauit, sententiam protulerit? Cùm enim nihil ad satisfaciendum afferat, à seipso condemnatus, ad pœnam rapitur adeò atrocem, vt dici non possit. Noli enim tenebras audiens, hoc solo illum puniri æstimare, vt in loco tenebroso concludatur, præsertim cùm subiiciatur, *Vbi est fletus & stridor dentium.* Intolerabiles quippe do- C lores his verbis significantur. Audiatis qui mysterio- que id iniuria: ad prælium enim, non ad cauponis, inrum participes facti, & ad nuptias admissi, fordidũ animæ amictum gestatis. Audiatis vnde vocati estis, à triuiis videlicet atque compitis. Audiatis quales antea fuistis, claudi profectò, & cæci animo, qui morbus vitio corporis multò detestabilior est. Vereamini benignitatem vocantis, nemo in fordicie vestitus permaneat, sed vnusquisque fulgentia operetur animæ indumenta. Audiatis mulieres, audiatis viri, quia non est opus vobis his aureis, sed illis interioribus ornamentis: scitote quo modo quousque ista retineamus, difficillimum est illis vti. Non enim possumus & corpus & animam simul exornare: non possumus, inquam, & mammonæ seruire, & Christo vt oportet parêre. Repellamus igitur truculentissimam istam tyrannidem. Nam si quis aureis tapetis domum tuam velit depensis ornare, te verò nudum in ciliciis sedere cogeret, non æquo animo id ferre posses: nunc verò non alius, sed tuipse domicilium animæ D tuæ, corpus (dico) auro & gemmis exornas: animam verò in turpitudine cilicij sedentem negligis. An ignoras principem magnificè magis quàm ciuitatem ornari oportere? propterea ciuitati quidem tẽtoria è lino, principi autem purpura & diadema contexta sunt. Pariter ergo etiam tu viliora corpori tribue, mentem verò atque animam purpura atque corona magnificè polias, & in sublimi solio atque splendido sedere facito: tu autem è contrario penitus facis. Nam vrbe magnificè compta, regem animum ipsum, à passionibus victum trahi permittis: nec in mentem tibi venit non ad nuptias simpliciter, sed ad Dei nuptias te vocatum fuisse. Non cogitas quo modo in hos inuitatam animam thalamos ingredi oporteat, in deaurato vestitu varietate circunda-

Rom. 15.

Infra 28.

Sup. 22.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuguria considerabimus,non tentoria,non mucronem, A non indumenta aurea, quibus imperatori tegmen contexitur,spectabimus: verùm quemadmodum si quis super terram hac multò feliciorem, immensæque magnitudinis complures cœlos extenderet,is nouum,inauditum atque mirabile spectaculum monstraret,non aliter illic intueri licet. Non enim cœlo diuerticula eorum minora æstimanda sunt. angeli nempe,immo verò ipse quoque angelorum dominus, ad eos sæpenumero diuertuntur. Nam si angeli Abraham illum virum mulieri coniunctum, & filios nutrientem liberalitate hominis allecti petierunt, multò magis cùm maiorem virtutem inuenerint, & homines carnis contemptores, ac penè extra corpus, cum illis morabuntur, & consentaneam eis choream constituent. Mensa enim illorum omnis luxus immunis, suprema philosophia referta est: non sunt sanguinis riuuli apud eos, non incisiones carnium,non capitis grauedines,non condimenta,non nidores insuaues,non fumus pinguedinem redolens,non B cursus atque recursus,nec tumultus & clamor importunus:sed panis & aqua,altera ex fonte nitido, alter ex iustis laboribus. Qui si liberius epulari voluerint, † recedentibus herbis mensa repletur,] maiórque inde voluptas, quàm è dapibus regum consurgit. Nullus enim hîc metus animos quatit, nemo principum interpellat, non irritauit vxor,non tristiciam intulit infans,non nimius risus emolliuit, non multitudo adulatorum inflauit: sed omnium huiusmodi remota turba, angelorum quasi mensa fruuntur. Ex fœno sibi sedilia subiiciunt, sicut Christus in eremo fecit, cùm quinque millia hominum paucis pasceret panibus.Multi autem nec casam quidem vllam habent, sed cœlo pro tecto vtuntur, & luna loco lucernæ, nec oleo, nec ministro indigentes. Illis certe solis condigne luna desuper lucet,hanc mensam in cœlo angeli despicientes lætantur, & gaudent. Nam si cùm vnus peccator pœnitentiam agat,lætatur? quid non facient ob iustos tam multos qui vitam imi- C tantur angelicam?Non est ibi dominus & seruus,sed omnes serui, omnes liberi, ac omnes denique domini sunt. non est ænigma quod dico. Alter enim alteri & seruit,& dominatur. Nocte adueniente nemo mœstitia opprimitur,quòd multis vulgo euenire solet,diurna cogitatione negocia repetentibus. Post cœnam non sunt ad claudendam portam & vectem imponendum soliciti,quippe qui nulla timeant latrocinia. Nec magna in extinguendis lucernis, & comprimendo igni solicitudine fatigantur, ne scintilla exiliens domum perurat. Collocutio etiam eorum simili tranquillitate ornatur: non enim quemadmodum nos alium principem esse factum, alium principatu excidisse, mortuum esse aliũ, & hæreditatem illius in alterum deuenisse, cæteráque huiusmodi quæ nihil ad nos pertinẽt colloquuntur:sed de futuris semper philosophantur, & quasi alium quàm nos orbem habitantes, quasi in cœlum translati, ac ibi viuentes:sic de cœlestibus semper, de sinu Abrahæ,de D coronis sanctorum,de societate Christi disputant: præsentium autem nulla apud eos commemoratio, nullus sermo est. Sed quemadmodum nos nũquam quid formicæ in cauernis suis faciunt dicimus,eodem illi modo quid nos facimus nolunt cogitare: sed de summo rege, de bello aduersus diabolum, de fugiendis insidiis eius, de virtutibus & vita sanctorum diligenter meditantur. Quid igitur inter nos & formicas intereſt, si collati ad illos fuerimus? Nam quemadmodum formicæ corporis duntaxat curam habent, pariter & nos certe, immo verò multò peius. Non enim pro rebus necessariis,quẽadmodum illæ,solummodo laboramus, sed pro superfluis etiam,ac turpibus vigilamus: vitam illæ nullo crimine peragunt, nos verò auaritiæ seruientes, non illas, sed lupos atque leones imitamur. Vel potius multo etiam illis sumus peiores: non aliter enim quàm rapiendo viuere natura illis concessit:nos autem, quos ratione ac æqualitate Deus honorauit, non pudet immaniſſimas feras rapina superare. Sed Monachi angelis æquales lõge à rebus huius sæculi absunt: omnibus enim alio quodam modo,quàm nos vtuntur,omniáque sibi à nostris aliena sunt, cibus,indumenta,domus,calcei,locutio.Si quis verò colloquentes illos & nos audiret, cognosceret continuò dignos cœlorum illos, nos verò etiam indignos terrarum ciues esse. Præterea si quis aliqua dignitate insignis ad eos profectus fuerit, tunc maximè vniuersus hic tumor reprehenditur. Virtutis enim ille cultor,qui nullum humanarum rerum periculum fecit, prope magistrum militum ob principatum sese iactantem in fœno super puluinar sordidum sedet: non enim adsunt qui assentatiuncula in maius illum extollant.Eodem itaque modo fit, veluti si quis ad aurifabrum, aut rosetum venerit,recipit enim ab auro & rosis quendam splendorem: Sic qui accedunt illis, nonnihil à fulgore illorum vtilitatis consecuti à priore superbia plerunque liberantur. Ac veluti si quis editum locum petierit, etiam si minimus sit, magnus tamen atque sublimis videtur: Sic donec cum illis fuerint,excellentiores apparẽt: cùm verò inde abierint,quasi à sublimiore loco descenderint,humiliores videntur. Nihil est rex apud eos, nihil præfectus,sed quemadmodum nos de puerorum ludo ridemus,sic illi superbiæ flatum contemnunt: quod inde patet, quia si tutò eis regnum auferatur,nunquam regnare velint: vellent autem, nisi hæc regna despicerent,nisi caduca & inania ducerẽt. Cur igitur non quasi transfugæ ab hac miseria ad illam spontè beatitudinem conuolabimus? non gradiemur ad illos angelos, non candidas sumemus vestes, ac quasi pompam circunferentes has nuptias petemus?sed mendici remanebimus,nihil à pauperibus qui sunt in triuiis differentes, ne dicam peius nos atque miserius multò esse dispositos.Deteriores nempe mendicis sunt qui malè ditãtur. Mendicare nanque melius quàm rapere:alteri enim venia & misericordia parata est, alteri atrox pœna statuta: alter non offendit Deum, alter & Deum, & homines: quódque miserrimum est, solus labores & pericula rapinæ subit,fructus verò alij plerunque possederũt. Hæc igitur rectè scientes, vniuersam procul pellamus auaritiam, & magno studio cœleste regnum rapiamus. Nemo enim, nemo inquam desidia corruptus illuc introire poterit:vtinam autem omnes iugi studio, & vigilantia diligenti illius regni rapina locupletemur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

Gen. 18.

ex arborũ baccis illorũ cõstat magnificentia.)

Luc. 9.

Homil. lxxi. ex cap. xxii.

TVNC *abeuntes Pharisæi consilium ceperunt, vt eum in sermone caperent.* Tunc istud,quando significat? Quando maximè illos compũgi oportuit, quando clemẽtiam ipsius admirari debuerunt, quando futurorũ euentus erant expauescendi, quando denique à rebus præteritis, etiam de futuris credendum erat. Magna enim profectò voce ipsæ res exclamabant, cùm & publicani & scorta crederent, & multi iusti atque prophetæ essent interempti,à quibus inducti non debebant de sua ipsorum perditione ambigere,sed credere credẽdóque humiliores fieri:non desinit tamen nequicia ipsorum, sed inflatur,& ad vlteriora progreditur.Et quoniam timentes multitudinem,retinere ipsum non audebant, aliud iter aggressi,vt in periculum iniiciant, & crimini publico obnoxium facere studẽt:itaque discipulos suos cum Herodianis

Herodianis ad eum miserunt, dicentes: *Magister scimus* A *quia verax es:& viam Dei in veritate doces, nec de aliquo tibi cura est:non enim respicis ad personam hominum: Dic ergo nobis, quid tibi videtur? Licet censum dare Cæsari, an non?* Tributum enim iam soluebant, cùm res eorum ad Romanorum manus transisset: quoniam igitur viderunt Act. 5. Theudam & Iudam hac de causa quasi seditiosos interiisse, his verbis etiam ipsum in similem suspicionem inicere conabantur. Mittunt itaque discipulos suos cum militibus Herodis sic interrogaturos, vt vtrin que prærupta præcipitia laterent:vt quicquid responderit,præceps ruat.Herodianos autem simul acceperunt,vt si pro eis responsum ipsius faceret,ipsi criminarentur:sin verò pro ipsis, Herodiani continuò accusarent. Atqui didrachma iam persoluerat,sed hoc illos fugiebat:& quãuis alterutro ipsum laqueo capere satis eis erat, malebãt tamen aduersus Herodianos quicquam ab eo audire: propterea discipulos vnà cum illis miserunt, vt illorum præsentia commotus,in illud crimen laberetur,quo ceu Luc. 20. B factiosum principi traderent. hoc Lucas quoque subostendens dicit præsente multitudine interrogationem huiusmodi factam fuisse, vt scilicet plurimorum testimonio res pateret. sed aduersus seipsos cuncta fabricati sunt, cùm tanquam in theatro vecordiam & maliciam suam manifestarint. Perspice igitur qua assentatione, quóve dolo ipsum aggrediuntur. *Nouimus,* dicunt, *quia verax es.* Quomodo igitur dicebatis, Seductor est,& seducit turbam, & dæmonium habet, & non est à Deo? Quomodo eum paulò ante interficere volebatis? vniuersa nempe ista insidiantes faciunt. Nam quoniam paulò antè inflammati,acriter interrogauerunt, dicen- Sup. 21. tes: In qua potestate hæc facis? nec ad eam interrogationem optatum audierunt responsum, adulatione nunc putant ita eum inflare & audacem reddere,vt contra institutas leges, & præsentem rerum statum quippiam dicat: vnde veritatem quoque inesse ipsi non ex animo neque volentes attestantur.Deinde subiungunt. *Nec de* C *aliquo tibi cura est.* Perpendis quomodo se subaperiunt in eum velle sermonem Christum depellere,quo Herodem offendat affectatæ tyrannidis suspicione, quia statutas leges contemneret: ita in factionis crimen trahere ipsum nitebantur. Quòd enim dicunt, nulla cura est tibi de aliquo, nec ad personam hominum respicis,Herodem ac Cæsarem subostendere videntur. *Dic igitur nobis,quid tibi videtur?* Nunc honoratis, & magistrum appellatis: quando verò de salute vestra disputat, contumeliamini, & despicitis. Mira verò hæc malicia est: non enim dicunt,dicas nobis quid bonum sit,quid cõducibile, quid legitimum: sed quid tibi videtur? sic illud solummodo sibi propositum fuit, quomodo præsenti principatui hostem esse ostenderent, ac principi quasi seditiosum traderent.quod Marcus apertius significans,& arrogantiam cupiditatémque cædis ostendẽs, Marc. 12. dixisse illos ait: Demúsne Cæsari censum, an non? Ita furorem quidem spirabant:& fraudem sub cultus simu- D latione instruebant. quid igitur ipse? *Quid me tentatis hypocritæ?* Vides quemadmodum maiore nunc illis acrimonia respondet. Nam quia magna & aperta vtebantur malicia, maius ipse quoque vulnus intorquet, confundens eos,atque illorum ora obstruens,primum cùm in medium arcana ipsorum producat, omnibúsque patefaciat,qua mente ad eum accedant. hoc faciebat, vt eorum repressa nequitia nunquam aliàs similiter delinquerent.Nam quanuis magnum ei honorem verbis deferrent,magistrum appellantes, veritatem ei attribuentes,& procul abesse vt personas aspiceret affirmantes, cùm tamen Deus sit, verbis decipi non poterat. Conijcere igitur debuerunt, non à casu ipsos increpasse, sed data opera significare voluisse,omnia cordis eorum secreta sibi esse notissima. Licet autem ad cõfundendam nequitiam eorum increpatio illa sufficeret, non fuit tamen ea contentus, sed alio quoque pacto ora eorum consuit & claudit.*Census enim nummum,* inquit,*ostendite.* Cúmque fecissent,illico tum lingua,vt solet, sententiam profert,impellítque,quòd licebat confiteri? quod manifestam & claram ei victoriam afferebat. Quando ergo interrogat,non quia ignorat interrogat,sed quia per responsionem ipsorum obnoxios esse vult ostendere. Ita nunc interrogati, cuius illa effigies esset: cùm illi Cæsaris respondissent, illico subiunxit: *Reddite igitur Cæsari, quæ Cæsaris sunt.* Non enim dare, sed reddere istud est, quod tam ab insculpto simulachro, quàm à superscriptione ostenditur.Deinde ne contentiose dicerent,hominibúsne igitur nos subiicis? statim adiecit.*Et quæ sunt Dei, Deo.* Potestis enim & hominibus sua reddere, & quæ Dei Deo debetis præstare. propterea Paulus quo- Rom. 13. que dicit: Reddite omnibus debita: cui vectigal,vectigal: cui tributum,tributum:cui timorem,timorem: cui honorem,honorem. Tu verò cùm audias reddenda esse Cæsari,quæ sua sunt:illa solùm dici non dubita, quæ pietati ac religioni nihil officiunt. Nam quod fidei ac virtuti obest, non Cæsaris, sed diaboli tributum & vectigal est. *Hæc illi audientes obticuerunt inuiti,& sapientiam eius admirati sunt.* Stupere igitur ac credere statim oportuisset, cùm non paruum eis argumentum secreta eorũ aperiẽdo deitatis suæ dedisset, commodè ac leniter ora eorum obstruendo.Quid igitur?crediderúntne? Minimè. *Sed dimittentes eum,* inquit,*abierunt: & post eos accesserunt Sadducæi.* O amentiam hominum,aliis confusis alij aggrediũtur, qui aliorum exemplo commoniti tardiores esse debuissent. Sed audacia temeritatis plena, impudens simul & pertinax adeò est,vt impossibilia etiam inuadere non vereatur: propterea & euangelista impudentiam eorum admiratus,hoc ipsum denotauit,dicẽs: In illa die accesserunt. In illa videlicet, in qua illorum malicia patefacta confudit eos.Qui autem isti sunt?Erãt quidam apud Iudæos multò Pharisæis inferiores,qui a- Act. 23. lias quàm Pharisæi opiniones sequebantur, hi resurrectionem omnino negabant,nec angelum, nec spiritum confitebantur. Rudiores enim erant, & corporalia solummodo sectabantur. complures enim apud Iudæos hæreses erant:vnde Paulus etiam dicit, Pharisæus sum: Ibidem. quæ apud vos exquisitissima hæresis est. Hi ergo Sadducæi directè quidem de resurrectione nihil dicunt, ad Christum verò verba componunt, & rem non factam, vt ego puto, confingunt, putantes ambigentem ipsum capere, & resurrectionis mysterium postea deridere. Mansuetè verò etiam isti accessisse videntur, dicentes: *Magister, Moses dicit, si morietur aliquis non habens filium,* Deut. 25. *ducat frater eius vxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Erant autem apud nos septem fratres, & primus duxit vxorem, & defunctus est, & non habens semen, dimisit eam vxorem fratri suo:similiter & secundus & tertius, vsque ad septimum: nouissimè autem omnium mortua est & mulier:In resurrectione igitur cuius ex septem erit vxor?* Vide istis respondentem, doctoris more ipsos docendo. Nam etsi peruerso accessissent animo, attamen ex ignorantia potius hæc prodibat interrogatio. propterea hypocritas istos non vocat. Deinde ne obiiciat cúrnam septem vnam habuissent,assumunt Mosem. Atqui figmentum hoc erat, vt dixi, meo quidem iudicio. Nam duobus mortuis, tertius non duxisset, eo mortuo perterritus, quartus nõ fecisset,ita quintus etiam & sextus multò minus, septimus verò minimè omnium, sed abominati illam fuissent mulierem. Tales quippe Iudæi sunt, quos videmus quasi homines à fratrum ducendis vxoribus deterreri:

Universidad de Deusto
Biblioteca

quare quanuis lex ita cogat, sæpe tamen hoc neglexe-
Ruth.1. 2.Reg.3. runt. Vnde Ruth quoque illa Moabitis ad longinquio-
rem illius cognationis fuit deuoluta, & Thamar à so-
cero sperma furari coacta est. Cuius autem rei gratia,
non duos aut tres, sed septem fratres fuisse fingunt? Vt
ampla sicut putabant ratione aduersus resurrectionem
possent insurgere. Et quam ob rem omnium fuisse vxo-
rem affirmant? Vt ambiguitate ipsum implicarent. Quid
igitur Christus? Ad vtrunque accommodauit oratio-
nem, non ad verba, sed ad illorum mentem respondens:
atque vbique secreta eorum reuelans, nõnunquam qui-
dem apertè illa manifestans, nonnunquam verò inter-
rogantium conscientiæ redargutionem relinquens. Vi-
de igitur quomodo hic vtrunque ostendat: & resurre-
ctionem scilicet futuram, & non talem qualem ipsi opi-
nabantur. Quid enim ait? *Erratis, nescientes scripturas &*
potẽtiam Dei. Nam quoniam ceu periti authoritate Mosi
& lege nitebantur, idcirco ex ignorantia scripturarum
huiusmodi prouenire interrogationem affirmat. Nam
quia nullam habebant scripturæ peritiam, & immensam
Dei potentiam ignorabant, tentatum venire audebant.
Cur igitur mirum est, inquit, si me quem nescitis, tenta-
tionibus aggredimini? Cùm etiam omnipotentiæ Dei,
cui tot tantáque apud vos facta pericula sunt, nullam
noticiam habeatis, nec à scripturis, nec à communi sen-
su ad eam cognoscendam inducti estis. Communiter
quidem homines concipiunt omnia Deo possibilia es-
se: verùm quoniam ea causa erat ne resurrectionem es-
se putarent, quia eundem rerum statum postea futurum
arbitrabantur, ad interrogata respondens, hanc causam
remouet, & illius vitæ conditionem ostendit, dicens:
Luc.20. *Quoniam in resurrectione neque vxores ducunt, neque ducun-*
tur, sed sunt sicut angeli Dei in cælo. Lucas verò, sicut filij
Dei scripsit. si ergo nuptiæ ibi non sunt, superuacanea
hæc quæstio est: non tamen quia vxores non ducunt,
idcirco angeli sunt, sed quoniam quasi angeli, idcirco
1.Cor.7. vxores non ducunt. Hinc multa destruuntur, quæ Pau-
lus vnico verbo significauit, dicens: Transit enim figu-
ra huius mundi. & ita quidem quales in resurrectione
futuri sint homines, designauit. Quanuis autem ex dic-
tis futuram esse resurrectionem comprobet, tamen à
scriptura quoque ratiocinando idipsum confirmat. Ita
non interrogationi solum satisfecit, sed opinioni quo-
que ipsorum mederi voluit. Nam quando non malicia
tantùm, sed ignorantia impulsi tentant, vniuersa docẽ-
do solet aperire: quando autem peruersitate tantùm cõ-
moti aggrediuntur, tunc nec ad interrogata quidem re-
spondet. A Mose igitur, quem ipsi in fauorẽ suum pro-
ducunt, eos confundit dicens: *De resurrectione verò mor-*
Exod.3. *tuorum nõ legistis, quoniam ego sum Deus Abraham, & Deus*
Isaac, & Deus Iacob? non est Deus mortuorum, sed viuentium.
Non est, inquit, non existentium, & eorum qui prorsus
è medio sublati sunt, nec vnquam resurrecturi: Non e-
Genes.3. nim dixit eram, sed sum, eorum scilicet qui sunt & vi-
uunt. Quemadmodum enim Adam quanuis viueret,
posteaquam de vetito ligno comedit, sententia tamen
prolata mortuus erat: sic profectò isti & si mortui erant,
pollicitatione tamen resurrectionis viuebant. Quomo-
Rom.14. do igitur alibi dicit, vt & mortuis & viuis dominetur?
Non est hoc illi contrarium: mortui namque hîc illi
qui victuri sunt, appellantur. Nouit autem scriptura a-
liam etiam mortem, de qua ait, Sinite mortuos sepelire
mortuos suos. *Et audientes turbæ mirabantur in doctrina*
eius. Neque hîc Sadducæi, confusi enim recesserunt, sed
multitudo simplex fructum consecuta est. Verùm quo-
niam talis resurrectio futura est, agè omnia faciamus, vt
primatum ibi adipiscamur. Et si placet, etiam ante re-
surrectionem videre aliquos cœlibem atque cœlestem
A viuentes vitam, facilè poteritis: quod vt fiat, in etemum
(oro) proficiscamur: non enim vereor eadem de re ver-
ba sæpius facere. Videamus igitur etiam hodie spirita-
les illos exercitus: videamus voluptatem ab omni trepi-
datione liberam. Non enim cum lanceis, vt seculi mili-
tes castrametantur: in his enim castris pridie orationem
absoluimus: nec cum scutis & galeis, sed nudos omniũ
harum rerum conspicies. Opera verò eorum sic ardua
intueberis, vt ea nec cum armis quidem alij facere que-
ant: quæ si aspicere vis, manum mihi porrige. Eamus
ambo ad hæc prælia, & cernemus instructas eorũ acies.
In prælio enim quotidie sunt, cùm quotidie aduersarios
suos insidiantes nobis cupiditates mirabili victoria fun-
dant, fugent, humíque prosternant. Ita illud apostoli o-
pere demonstrant: Quoniam qui Christi sunt, carnem Galat.5.
suam cum passionibus atque concupiscentiis crucifixe-
runt. Considerasti quanta multitudo hostium mucrone
spiritus confossorum iaceat. Non est ibi enim ebrietas,
B non est ibi superfluitas: quod mensa illa facilè ostendit.
Iacet enim ibi aquæ potu perempta temulentia, multi-
formis hæc ac multiceps bestia. Nam quemadmodum
Scylla & Hydra apud poëtas, sic & ebrietas multis capi-
tibus armatur: hinc enim fornicatio, hinc ira, hinc mol-
lities, hinc turpes amores oriuntur. hæc igitur omnia
superata ibi, prostratáque sunt, quibus seculares hi mili-
tes, etiamsi multa bella confecerint, facilè superantur.
Nulli enim enses, nullæ hastæ, nihil aliud huiusmodi ad-
uersus ea capita temulentiæ poterit obsistere, sed gigan-
tes ipsi, ac fortes viri qui mille præclara gesserunt faci-
nora, absque vinculis, vino & somno ligati, sine vulnere
quasi confossi iacent: immo verò peius etiam quàm cõ-
fossi. Nam illi quidem etsi progredi non possunt, vident
tamen atque intelligunt: isti verò etiam mente capti, o-
mni sensu carent. Vides excelsiorem atque præstantio-
rem hunc exercitum esse, qui voluntate solùm eos ho-
stes fugant, à quibus isti superantur. Nam cùm matrem
C vitiorum omnium debilitent, ac eneruent, adeò vt tur-
bare non possit: reliqua quoque vitia, matre ac capite
obtruncato, in eis sepulta sunt, qua quidem victoria sin-
guli eorum potiuntur. Non enim quemadmodum in
aliis pugnis qui saucius est, qui semel ceciderit, aliis gra-
uis esse non potest: ita etiam hîc fieri solet, sed necesse
est, vt ab omnibus hęc belua feriatur. Nam nisi quis per-
cusserit atque deiecerit ipsam, impetum illius euitare nõ
potest. Vides præclaram victoriam? Nam singuli eorum
illud trophæum erigunt, quod totius orbis armati mili-
tes statuere nequirent. Omnia igitur iacent, quæ temu-
lentia gignere solet, verba stolida, mens furiosa, super-
biæ flatus, cæteráque huiusmodi. Suum enim probè hi
milites imperatorem imitantur, quem admirando scri-
ptura dixit: De torrente in via bibit, propterea exalta- Psal.109.
bit caput. Vultis è regione ingentem aliam mortuorum
multitudinem aspicere? perstringamus cupiditates quæ
ex deliciis, quæ ex pulmentariis, quæ ex coquis, quæ ex
mensarum structoribus, ex farcinatoribus succẽduntur:
vereor certè ista omnia enarrare. Veruntamen dicam,
nec sileo phasianos aues, iura fusim artificio mixta, hu-
midas & siccas carnes, leges de istorum ordine varias.
Nam quasi rempublicam gubernantes, aut acies expe-
dientes, sic quid primùm, quid deinde afferendum sit
sanciunt: & alij quidem aues piscibus farcinatas, subtili
arte contextas primò offerendas esse asserunt, alij ab a-
liis rebus originem istarum immoderatarum cœnarum
faciendam contendunt: ita magnum certamen de istis
committitur. Nam & de qualitate, & de ordine, & de
multitudine disputant: quódque peius est, ob quæ ob-
rui merentur, ob illa gloriantur. Nam alij ad meridiem
vsque, alij diem integrum, alij per totam etiam sequen-
tem noctem

tem noctem produxisse prandia iactant. Considera mi-
A serrime hominum quam venter mensuram flagitat, &
pudebit te immoderatissimæ atque ineptissimæ huius
edendi diligentiæ. Nihil tale est apud angelos illos, sed
huiusmodi etiam voluptates mortuæ ibi atque sepultæ
sunt. Non enim vt repleantur, nec voluptatis, sed vi-
uendi causa sumunt alimenta, non sunt apud eos aucu-
pes, neque piscatores, sed panis & aqua. Solicitudo au-
tem hæc, & tumultus & cura procul inde abest: & tam
tuguria sua, quàm corpora ita magnam illis præstant
tranquillitatem, quemadmodum magnos tempestatis
fluctus in istos concitant. Rescinde igitur cogitatione
ventres istorum, & videbis magnam intus congeriem,
fœtidissimam cloacam, sepulchrum fœtidum: erube-
sco dicere quæ sequuntur, eructationes videlicet fœtu-
lentas, fastidiosos vomitus, euacuationes ventris sur-
sum simul atque deorsum. Si autem illuc proficiscaris,
non modo has cupiditates, verumetiam illas quæ ex his
oriuntur, venereas dico, quæ ardentiores inflammatio-
B résque sunt, vnà cum equis & armis deiectas videbis.
equi nempe, arma & sella, verba turpia sunt: neque in
his solum præclaram illi victoriam obtinent, verumet-
iam in acquirenda pecunia, in concupiscenda gloria, in
admittenda inuidia, in cæteris omnibus morbis. Pu-
tásne præstantiorem illo hunc exercitum esse, & men-
sam istam vestra iucundiorem? Nemo certè nec eorum
quidem qui comedendi voluptate dirumpuntur, nisi
mente captus sit, negare audebit. Hæc enim viam ad
cœlum præparat, illa ad gehennam trahit. Diabolus il-
lius, Christus istius princeps est: luxus & lasciuia illam,
philosophia & moderatio istam præparat: hîc Deus ad-
est, ibi diabolus. Vbi enim temulentia, vbi verba tur-
Luc.16. pia, vbi venter satur, ibi dæmones & diabolus exultant.
Talis erat mensa diuitis illius, qui nec aquæ gutta post
mortem potiebatur. Monachi autem non talem certè
habent, sed angelorum vitam iam meditantur. Non ce-
lebrantur nuptiæ apud eos, nec somno nec deliciis de-
C diti sunt, sed præterquam in paucis quibusdam redduntur incorporei. Quis igitur facilius hostes fundere po-
Psal.22. test, quàm qui comedendo trophæum erigit? ideo pro-
pheta quoque dicebat: Parasti in conspectu meo men-
sam aduersus eos qui tribulant me. Non enim errabit
quispiam, si hoc eloquium ad mensam conferat mona-
chorum. Nulla enim alia re magis anima tribulatur,
quàm concupiscentia, petulantia, ebrietate, cæterisque
vitiis quæ hinc oriuntur: quod omnes sciunt, qui ha-
rum rerum periculum fecerunt. Quod si considerare di-
ligenter volueris, vnde illa, vnde hæc mensa instruatur:
tunc quid inter vtranque intersit, probè cognosces. Vn-
de igitur hæc repleri solet? Ex multis viduarum lachry-
mis, ex multis orbis parentum, qui facilè propter impo-
tentiam violantur: illa verò à iustis laboribus. Vnde for-
mosæ mulieri, quam nihil externum decorat, cùm in-
nata quadam pulchritudine splendeat, persimilis ille
D est. Hæc autem meretrici deformi, quæ quanuis multo
circundetur fuco, non potest tamen deformitatem oc-
culere, sed quo magis appropinquat, eò deformior vi-
detur. Noli enim accedentes conuiuas examinare, sed
discedentes considera: ac tunc ipsius videbis turpitudi-
nem. Illa siquidem tanquam libera suos conuiuas nihil
turpe permittit dicere: hæc autem quasi meretrix atque
infamis nihil honestum admittit. Illa conuiuarum so-
lummodo quærit vtilitatem: hæc detrimentum atque
perniciem. Illa offendere Deum non patitur: hæc te
non dimittit, nisi offendas. Abeamus igitur ad illos, vn-
de scimus quot, quantísque vinculis simus innodati.
Vnde facilè dicere poterimus, quomodo mille referta
bonis mensa præparatur, iucundissima, minimi aut nul-
lius impendij, omnis solicitudinis expers, inuidiæ, con-
uicij, & omnis morbi omnino immunis, optima spe re-
pleta, multis trophæis ornata: vbi tumultus non est,
quò morbus non accedit, vnde abest ira, vbi tranquilli-
tas, vbi pax habitat: nec mihi ministrorum apud diui-
tum mensam silentium enarra, sed clamorem conuiua-
rum non prætermitte. Non cum dico, qui alterius ad
alterum est, quanuis & hic ridiculosissimus sit: sed intẽ-
riorem qui animum ipsum occupat, qui captiuum du-
cit: cogitationem dico tumultum, fluctus, tenebras,
tempestates, quibus omnia ita confunduntur ac permi-
scentur, vt nocturna in animo pugna committi videa-
tur: Non ita in tabernaculis monachorum fieri vide-
mus, sed magna tranquillitas, ingens ibi quies versatur.
Et hanc quidem mensam similis morti somnus conse-
quitur, illam verò castitas, vigilantia, & animi attentio:
& hanc quidem atroces pœnæ, illam regnum cœlo-
rum, & æterna comitantur præmia. Illam igitur inse-
B quamur, vt fructibus eius perfrui mereamur, ad quos o-
mnibus nobis peruenire contingat, gratia & miseri-
cordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

HOMIL. LXXII. EX CAP. XXII.

PHARISÆI *autem cùm audissent, quia ora*
Sadducæorum obstruxerit, congregati sunt in
vnum, & interrogauit vnus ex ipsis iurisperi-
tus tentans eum, & dicens: Magister, quod est
mandatum magnum in lege? Rursus causam
euangelista posuit, quam ob rem silere debuissent: atque
illinc temeritatem eorum ostentat: quo pacto? Quia il-
lis confusis isti rursus aggrediuntur: cúmque quiescere
oporteret, decertare voluerunt, & legis peritiam profi-
tentem præmittunt, non discere, sed tentare cupientes:
ac ita interrogant: quódnam primum mandatum in
lege sit. Nam cùm primum illud sit: Diliges dominum
Deum tuum, putantes causas sibi allaturum ad manda-
C tum hoc corrigendum aliquid addendo, quoniam
Deum se faciebat, hoc modo interrogant. Quid igitur
Christus? Vt ostendat idcirco ad hęc eos deuenisse, quia
nulla in eis esset charitas, sed inuidiæ liuore tabescerent:
Diliges, inquit, *dominum Deum tuum: hoc primũ & magnũ* Deut.6.
mandatum est. Secundum autem simile huic: Diliges proximũ
tuum sicut teipsum. Quam autem ob rem simile est huic?
Quoniam hoc illud inducit, & ab illo rursus munitur:
Quicunque enim malè agit, odio habet lucem, & non Ioan.3.
venit ad lucem. & rursus, Dixit insipiens in corde suo, Psal.52.
non est Deus: deinde sequitur, Corrupti sunt, & abomi- Psal.13.
nabiles facti sunt in studiis suis. & iterum, Radix omniũ 1.Tim.6.
malorum auaritia est: quam quidam appetentes, errauе-
runt à fide. &, Qui diligit me, mandata mea seruabit, Ioan.14.
quorum caput & radix est, Diliges dominum Deum
tuum, & proximum tuum sicut teipsum. Si ergo dili- Galat.5.
gere Deum, diligere proximum est: Nam si diligis me Ioan.21.
ò Petre, inquit, pasce oues meas: Si etiam dilectio pro-
ximi facit vt mandata custodias, meritò ait in his to-
tam legem & prophetas pendere. Et quemadmodum
in superioribus cùm de resurrectione interrogaretur,
plus docuit quàm tentantes petebant: sic in hoc loco
de primo interrogatus mandato, secundum etiam non
valde quàm primum inferius spontè attulit. Secundum
enim est primo simile. Ita occultius insinuauit, odio
illos ad quærendum incitari. Charitas enim, inquit, non 1.Cor.13.
zelatur. Sed cuius rei gratia, Matthæus quidem apertè
ait, tentando illum quæsiisse, Marcus autem è contrà,
Sciens, inquit, Iesus quia sapienter respondit, dixit ei: Marc.12.
Non longè es à regno Dei. Nulla certè inter euangeli-
stas discrepantia est, sed magna etiam consonantia: ten-
tando enim incepit, sed cùm à respõsione Christi non-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nihil vtilitatis perceperit, iure laudatur. Non enim incipiens ſtatim laudes audiuit: ſed quando dixit maius eſſe diligere proximum, quam holocauſta offerre, tunc ei dicitur: Non es procul à regno Dei. Humilia enim & abiecta deſpiciens, initium virtutis percipit, cuius cauſa & ſabbata, & reliqua huiuſmodi omnia inuenta ſunt, nec tamen conſummata ipſum laude honorauit, ſed nonnihil ei deeſſe oſtendit. Nam etſi non procul abeſt, abeſt tamen, quare defectus ille ſibi erat ſupplendus. Noli autem mirari, ſi cùm vnum eſſe Deum dixit, & præter eum non alium eſſe, laudatus eſt: ſed hinc etiam perdiſce, ad mentem accedentium ſolere ipſum plerunque reſpondere: nam & ſi mille indigna gloriæ Chriſti afferant, illud tamen dicere non audent, quia omnino Deus non ſit. Quam ob rem autem illum laudauit, qui præter Patrem non eſſe alium Deum dixerit? Non certè, quia non eſſe ſe Deum voluit ſignificare, abſit hoc enim: ſed quia nondum tempus aderat ſuæ deitatis reuelandæ, idcirco in priore dogmate illum permanere dimittit, ceſúque probè vetera tenentem laudauit, vt idoneum ad noui teſtamenti doctrinam faceret, quam opportuno tempore manifeſtius erat introducturus: quanuis etiam quando in ſcriptura ſiue veteri ſiue noua dicitur vnum eſſe Deum, & præter eum alium non eſſe, non ad diſtinctionem filij, ſed excluſionem dictum ſit idolorum. Quare hac ſententia iſtum fuiſſe laudatum exiſtimato. Cùm igitur reſponſum dederit, ipſe quoque interrogat: *Quid vobis videtur de Chriſto? cuius filius eſt? dicunt ei, Dauid.* Conſidera diligenter, atque perpende, quia poſt multa miracula & ſigna, poſt multa reſponſa vltrò citróque data, poſt argumenta æqualitatis cum patre complura, poſt doctrinam verbo & opere rutilantem, poſt laudem iſtius qui vnum eſſe Deum aſſeruit, tandem interrogat. Nam ne dicere poſſent, miracula quidem ab eo facta fuiſſe, legi autem contrarium & Deo aduerſarium extitiſſe, idcirco poſt tot tantáque interrogat: occultius eos iducens, vt ſe Deum profiterentur. Et diſcipulos quidem primùm quid alij de ſe, deinde quid ipſi dicerent, interrogauit: iſtos verò non eo pacto, ſeductorem enim profectò & perditum virum dicere non dubitaſſent. Quare ſententiam eorum de Chriſto inquirit. Nam quoniam ad paſſionem iam iturus erat, eam prophetiam in medium adducere voluit, quæ apertiſſimè Dominum eſſe ipſum prædicat: non tamen principaliter, neque temerè, ſed ex cauſa rationabili ad iſtud peruenit. Nam quoniam interrogati primò non vera de ipſo dicebant, hominem eſſe nudum aſſerentes: ad refutationem erroris ipſorum, Dauid illum deitatis ſuæ prædicatorem citauit. Nam quoniam nudum hominé opinabantur, ideo Dauid eſſe filium reſpondebant: quod emendans ipſe prophetam hunc inducit, & quia Dominus ſit, & quia proprie patris filius, & quia patri æqualis confirmantem: nec id ſibi ſufficit, verùm vt etiam terrerentur, quæ ſequuntur ſubiunxit: Donec ponam inimicos tuos ſcabellũ pedum tuorum. Ita omnibus modis ad fidem eos inuitabat. ne autem dicere poſſent, adulationis cauſa, & humano conſilio ſic à prophe-
Pſal.109. ta ſcriptum fuiſſe, vide quid dicat, *Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum dominum dicens: Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum?* Reſpice quemadmodum ſubmiſſè opinionem prophetæ, atque ſententiam de ſe recitauit. Primùm interrogauit cuius eſſe filium arbitrarentur. Deinde poſtquam illi Dauid reſponderunt, non dixit. Atqui Dauid ſic de Chriſto prophetauit: ſed rurſus interrogandi ordine. Quomodo igitur Dauid in ſpiritu eum dominum vocat? quod facit ne his verbis conturbẽtur.

A Ideo nec quid vobis de me videtur, ſed quid de Chriſto videtur interrogauit. Sic & apoſtoli remiſſè diſſerebãt, Act.1.
dicentes: Licet liberè dicere de patriarcha Dauid, quia mortuus & ſepultus eſt. Similiter igitur & ipſe interrogando, atque ratiocinando dogma hoc de ſe introduxit, dicens: Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum dominum, dicens, Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid dominum ipſum vocat, quomodo filius eius eſt? hoc ratiocinatur, non quia velit oſtendere Dauid filium Chriſtum non eſſe, abſit: (nõ enim Petrum hac de cauſa increpaſſet) ſed vt falſam opinionem eorum in melius reducat. Quare quando infert, quomodo igitur filius eius eſt? non ſic eſſe filium, vt
B illi putabant affirmat: illi enim filium ſolummodo, non autem etiam dominum arbitrabantur. Ita poſt recitatum teſtimonium, quietè atque remiſſè infert: Si ergo Dauid dominum ipſum vocat, quomodo filius eius eſt? Hæc illi audientes nihil reſpondebant: non enim diſcẽdi, ſed tentandi cauſa interrogabant. Ideo ipſe intulit, dicens quòd dominus eius eſt: vel potius quoniam paruam ei fidem habebant, prophetam quoque ſecum accepit: quod maximè conſiderantes, quando remiſſum quid atque humile de ipſo dicitur, non ſcandalizabimur: ad multas enim alias cauſas præcipua hæc accedit, quòd illos condeſcendens alloquitur. Qua de cauſa interrogando dogmata modò ſanxit, ac dignitatem ſuam occultius oſtendit. Non enim æquale videbatur, Dauid & Iudæorum dominum dicere. Tu autem opportunitatem etiam expende. Cùm enim vnum eſſe dominum dictum ſit, tunc de ſe quoque dixit, quia dominus
C eſt: quod nno operibus ſolùm, ſed prophetæ authoritate confirmauit, qua demonſtrauit, quia pater ipſe ſibi propugnat: Donec enim ponam inimicos tuos, inquit, ſcabellum pedum tuorum. ita & magnum honorem ſibi à patre, & ſe patri concordem eſſe oſtendit. Hic fuit finis diſputationum atque interrogationum omnium, præclarus quidem atque ſublimis adeò, vt ora eorum facilè conſuerit. Conticuerunt enim ex illo tempore non ſpontè, ſed quia ita letali fuerant perfoſſi vulnere, vt non auſi fuerint eum amplius aggredi. *Nullus enim,* ait, *auſus fuit ab illo die interrogare eum.* Hæc res nõ parum vulgo cõducebat: ac ideo repulſis iam lupis, inſidiiſque illorum detectis, ad multitudinem orationem conuertit. Nihil enim amplius illi inanis gloriæ cupidi, & graui hac paſſione ſuperati acquirere poterant. Grauis enim atque multiceps certè iſta paſſio eſt: alij enim principatu, alij diuitiis, alij robore corporis gloriantur, & progredientes quaſi ordine quodam, ad eleemoſynam, ieiunium, orationes, doctrinámque veniũt: ita multa ſunt huius beluæ capita. Verùm non eſt mirabile inani gloria propter alias res cõmoueri, propter ieiunium autem & orationem ſeſe iactare, mirabile ſimul & lachrymis dignum eſt. Sed ne ſolùm criminemur, agè modum etiam
D quendam exponamus, quo tam truculentam poterimus effugere beſtiã. Quos igitur primò aggrediemur? eóſne qui diuitiis, an eos qui veſtibus gloriantur? eos qui principatu, an eos qui doctrina, aut arte quadam, aut robore corporis, aut forma, aut ornatu ſe iactãt? cóſne qui atrocitate, an eos qui humanitate & eleemoſyna, aut verſutia, aut morte, aut his quæ poſt mortem conſequuntur tumeſcunt? Multos enim hæc paſſio riuos poſſidet, & vltra vitam noſtram progreditur. Mortuus enim eſt ille ac ille, inquit: & vt mirabilis quidem fuiſſe videatur, talia & talia teſtamento iuſſit fieri: hac ratione ille inops eſt, ait, ille autem dives. Nam quod acerbum eſt, à contrariis etiam hæc fera conſtat: quos igitur primos acie petemus? non enim aduerſus omnes vna ratio congruit,

gruit. vultísne illos inuadamus qui eleemoſyna gloriãtur? Mihi certè ita videtur: doleo enim, cùm inanem conſidero gloriam rei quam vehementer amo, quaſi peſtem inducere, & quaſi nutricem lenam regiæ puellæ inſidiari: alit enim eam, ſed ad impudicitiam & infamiam. Nam Patrem contemnere iubet, & vt ſceleſtis ac perditis iuuenibus placeat, impudico expolit ornatu, ac tali quodam corrupto, laſciuia ſcilicet ac petulantia pleno, non qualem Pater deſiderat. Age igitur aduerſus hos enſem ſtringamus. fiat ergo à quodam eleemoſyna cumulatè ad oſtentationem: ſic igitur à thalamo paterno primùm eam educit, cúmque Pater iubeat ne ſiniſtræ quidem eam apparere, ipſa ſeruis notis atq; ignotis, & quibuſcunque obuiis ipſam oſtentat. Vides à qua lena hoc ſcortum ad amores turpes hominum impellitur? & quemadmodum ipſi iubeant, ita ornetur? Vis videre quomodo non meretrix ſimpliciter, ſed furioſa meretrix huiuſmodi anima efficitur? quali mente prædita ſit diſcere ſtudeas. Quid enim furioſius eſt, B quàm omiſſo cœlo poſt ſeruos fugitiuos, & perditos homines per vicos & angiportus currere ad inquirẽdũ & amplectendum eos qui fœdi ſunt & deformes, quiq; ipſam oderunt, ac ne intueri quidem volũt: & qui quoniam ſui amore captam vident, eam auerſentur? Nemo quippe maiore odio multitudini eſt, quam qui falſam gloriã ab ea quouis modo occupatur: mille nanque criminationes in huiuſmodi hominem cõfingunt, nec aliter ſit, quàm ſi quis puellam regiã à ſolio regali depulſam adulteris viris & deſpuentibus eam tradat. Iſti ergo quantò magis eos amplecteris, tantò te magis auerſantur: Deus autem ſi ab eo gloriã quæras, amplectitur te atq; laudat, & magna retribuere paratus eſt. Ad hæc ſi detrimentum huius iactãtiæ melius perdiſcere velis, ſi quando ad oſtẽtationem & laudem dederis, conſidera
Ibidem. quomodo mœror confeſtim ſurrepat, & continuus permaneat, inſonante ac dicente tibi Chriſto omnem te mercedem perdidiſſe. Vbiq; quidem ac ſemper inanis gloria vituperatur: illa verò turpiſſima eſt, quæ ob præſtitam humanitatem inflatur. Quippe cum extremę crudelitatis eſſe videatur, alienas clades quaſi prœconio
Terentius in Andria. fce. 1. Act. 1. efferre quaſiq; paupertatẽ exprobrare. Nam ſi beneficij ſingularis commemoratio, quaſi exprobratio eſt: quid dicemus eum facere, qui beneficia libenter multis oſtẽtat? quomodo igitur hoc venenum effugiemus? Certè ſi rite diſcamus aliorum miſereri, ſi diligenter conſiderabimus, à quibus quærimus gloriam: Dic enim quæſo quemnam eleemoſynæ opificem eſſe putas? eum videlicet, qui rem ipſam adinuenit, Deus videlicet, qui optimè omnium id facere nouit, & ſine termino factitat. Age igitur reſponde, ſi luctas exercitatorias diſceres, ad quóſnã ſpectares, aut quibus te in palæſtra oſtenderes? oleráne ac piſces vendẽtibus, an huius luctationis principi atq; magiſtro? Et certè illi quidẽ multi ſunt, hic verò vnicus. Nónne igitur ſi hic te admiratur, illis deridẽtibus, tu quoqu; vnà cum magiſtro illos irridebis? Quid D
porrò ſi cæſtibus certare diſceres: nónne ſimiliter profeſſorem eius certaminis atque magiſtrum ſpectares? ſin autem eloquentiæ artibus præſtare velles: nónne ſi à præcipuis oratoribus laudareris, multitudinis verba contemneres? Quomodo igitur turpe non eſt, in cæteris quidem artificiis ac certaminibus ad magiſtrum te duntaxat reſpicere, hac verò in re contrarium penitus facere, preſertim cùm æquale detrimentũ non ſit? Nam ſi ad voluntatem multorum, non ad iudicium magiſtri lucteris, in lucta ſolummodo damnum eſt: hic verò ſi te oſtentatione iactas, vitam æternam perdidiſti. Si ergo miſericorditer dando ſimilis Deo factus es, diligenter ſtude, vt in contemnenda etiam oſtentatione ſimi-
Sup.9. lis ei efficiaris, qui morbos hominum curans præcipiebat ne alicui dicerent: Sed miſericors forſan, ac liberalis ab hominibus vocari deſideras, quam ob rem? Nónne nullum eſt huius rei lucrum, damnum autem inæſtimabile? Ipſi enim quos ad teſtimonium tuæ benignitatis citas, latrones abs te conſtituuntur, qui te regno cœlorum ſpolient: immò verò non ab ipſis hoc patimur, ſed à nobis, non ab aliis ſuperiore gloria pellimur. O noue calamitatis genus, ô furioſam hanc turbationem, quæ tinea corrodere non poteſt, nec fur violare, ea ina- Mat 6.
nis gloria omnino diſpergit. Hæc eſt tinea cœleſtis theſauri, hic eſt fur, qui æterna regna furatur, qui immarceſcibiles à nobis diuitias aufert, qui tanquam contagioſus morbus omnia corrumpit. Ita quoniam proſpexit diabolus tam latronibus & vermibus quàm aliis machinis inexpugnabile illud eſſe præſidiũ, per inanem illud gloriã expugnat. Sed glorię, inquies, cupidus ſum. Nónne ſatis habes, à conſcientia eius, cui beneficium collatum eſt, & ab ipſo Deo laudari? Sed apud reliquos etiam homines te oſtentare cupis. Caue ne contrarium eueniat, & aliquis non liberalitate ac beneficio animo, ſed ambitioſe te id facere credat, intolerabilíque ſuperbia, quod alienas libenter efferas clades. Non eleemoſyna myſterium eſt: concludendę igitur ianuæ ſunt, ne quis aſpiciat quæ † videre] nefas eſt. Et certè myſte- oſtẽtare.)
ria noſtra, eleemoſyna maximè, ac charitas ſunt. Ineffabili enim ſua miſericordia noſtri miſertus eſt. Et prima quæ in Euchariſtia dicitur oratio, qua pro dæmoniacis deprecamur, miſericordię ſuæ commemoratione plena eſt. Secunda, qua pro his oramus qui pœnitentiã agunt, miſericordiam humiliter quæritat. Tertia etiam quam pro nobiſipſis fundimus, vel infantes adducit Deum ad miſericordiam lachrymis inflectentes. Nam quoniam noſtra ipſi peccata cognouimus, pro aliis qui peccarunt, quiq; peccare poſſunt, ipſi clamamus: pro nobis autem ipſis infantes, quorum imitatores cœlorum re-
C gnum expectant. Hac enim oratione ſignificatur, quod qui ſimplicitatem paruulorum ſequuntur, hi maximè pro eis Deum deprecari poſſunt. Ipſum autem Euchariſtiæ myſterium quanta miſericordia plenum ſit, initiati ſolummodo nouerunt. Quare tu quoq; cùm eleemoſyna vteris, ianuas claude: ipſe qui recipit, ſolus conſcius ſit: immo ſi poſſibile eſt, nec ipſe quidem percipiat vnde erogatum ſibi beneficium eſt. Quas quidẽ ianuas ſi aperueris, & hoc myſterium tuum ediderit, in mentem tibi veniat, quia etiam ille ipſe à quo gloriam aucuparis, tanquam vanum te omnino condemnabit: & ſi amicus eſt, ſecum te reprehendet: ſin verò inimicus, etiam apud alios hanc ambitionem condemnabit. Ita contraria tibi eueniunt, quàm deſideras. Tu quidem maximè cupis, vt de te admirans ille miſericors, ille humanus, ille benignus, dicat: ipſe autem iſtud non dicet, ſed, ille inanis gloriæ cupidus prædicabit, ille qui omnibus quouis modo placere hominibus ſtudet, cæ-
D teráque his deteriora. Sin verò tu celabis, tunc exclamabit ô miſericordem illum atq; humanum. Nõ enim grande aliquid atque præcipuũ occultari diutius Deus patitur: ſed ſi tu celabis, ille manifeſtabit: ita & miſerabilior eris, & maiora lucraberis. Quare ad acquirẽdam gloriam cõtraria eſt omnino oſtentatio. Nam ad quod feſtinanter pergimus, ad illud impedimento ſolet maximè eſſe. Non enim benificentiæ gloriam ſolùm amittimus, ſed contrarium quoque acquirimus, & ad hæc non paruis nos incommodis ſubiicimus. Horum igitur omnium gratia inanem gloriam contemnamus, & Dei gloriã ſolummodo lucrari cupiamus. Hoc enim modo & præſenti & futura gloria potiemur, gratia & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HOMILIA LXXIII. EX CAP. XXIII.

VNC *Iesus locutus est turbis & discipulis suis dicens: Super cathedram Mosi sederũt scribæ & pharisæi: Quæcunq; igitur dixerint vobis † facite secũdum vero opera eorũ non facite.* Tunc istud, quando significat? quando illorum ora obstruxit, quando ita iam confusi fuerunt, vt tentare ipsum amplius non auderent, quando ostendit illos incurabili morbo labore. Verùm quoniam Domini & Domini mẽtionem fecit, iterum ad legem refugit. Sed dices fortasse, in Lege nihil tale dictum esse, sed, Dominus Deus tuus vnus est. Attamẽ Scriptura totum vetus testamentum legem vocat. His autem omnibus ostendit eadem se Patri velle. Nam si contraria illi cuperet, contraria quoq; in Legem dixisset: tunc verò adeò Legem vereri videtur, vt etsi legalis doctrinæ professores corrupti sint, auscultare tamen hortatur, & de recta disciplina viuendi disserit, quæ res maximè causa incredulitatis erat. Corruptis enim viuendi moribus, & inanis gloriæ cupiditate à credendo repellebantur. Cùm igitur præcepta emendationis gratia tradere voluerit, quod præcipue ad salutem cõducit, ne quis scilicet dogmata negligat, néve in sacerdotes insurgat, id summoperè iubet, nec iubet solùm, verumetiam facit: nõ enim à docendi gradu corruptos deiecit, illis quidem iudicium grauius efficiens, auditoribus verò nullam inobedientiæ occasionem relinquens. Ne quis enim dicat propter doctoris improbitatem se negligentiorem fuisse, hunc quoque prætextum aufert. Sic igitur quanuis nequam essent, principatum eis cõfirmauit, vt vel post increpationem edixerit, Facite quæcunque illi vobis esse facienda cõfirmant: non enim sua, sed quæ per Mosem Deus imperauit, prædicant. Tu autem considera quantum Mosi deferat honorem, & se veteribus cõuenire ostendat, & illos propter legem Mosi venerandos autumet. In Mosi enim, inquit, cathedra sederũt: ita qui à moribus eorum fide non potuit ipsos dignos esse testari, à sede ac eius doctrina id facit. Omnia autem cùm audis, non debes omnia quæ sunt in lege intelligere: vt de cibis & sacrificiis, cæterisque huiusmodi. Quomodo enim hæc cõfirmasset, quæ iam refutauit? Sed omnia inquit, quibus mores hominum corriguntur, quibus meliores efficimur, & quæ ita nobis congruunt, vt non patiantur iugo amplius legis deprimi. Cur igitur non gratiæ præceptis ista, sed authoritate Mosi confirmauit? Quoniam nulla temporis opportunitas erat ante Crucis mysterium ad hæc manifestanda, quamuis ad hęc illud etiam mihi videatur dispensare. Nam quoniam grauius eos accusaturus est, ne imperiti cupiditate principatus eorum laborare, aut odio ipsum moueri existiment: hoc primò remouet, vt omni suspicione ablata liberius reprehendat. Sed cuius rei gratia ipsos tandem accusat, & longa in eos vtitur oratione? Præmonere multitudinem voluit, ne opera eorum sequentes miserius cadant. Non enim simile est interdicere ne faciant, & eos qui peccarunt ostendere: sicut nec simile est consulere quæ oportet, & eos qui rectè ipsa fecerunt, in medium producere: propterea & præueniens ait, Secundùm autem opera eorum nolite facere. nam, ne inducere animum possent, quoniam auscultandi sunt, imitandos etiam esse, hac vtitur correctione. Ita, qui ipsis honor deferri videbatur, in reprehensionem conuertitur, quia mores eorum condemnat: quare in vituperationem conuertitur, cùm talis eorum vita esse videatur, vt imitatores ipsorum corrumpantur. Hac ergo de causa ad accusationem ipsorum deuenit, & adhuc vt ostendat incredulitatem eorum, & Crucis patibulum, quod sceleratè facturi sunt, non ipsius crucifixi culpa, cui fides non est adhibita, sed illorum scelere accidisse. Tu verò considera, vnde initium sumat, & vnde crimina eorum amplificet. Dicunt enim, inquit, & non faciunt. Criminandi nãque omnes sunt, inquit, qui Legem transgrediuntur: sed maximè omnis qui doctoris fungitur authoritate. dupliciter enim atq; tripliciter iure condemnatur. Primùm quia transgreditur. Deinde cùm in corrigendis aliis ipse claudicat, propter dignitatem quam gerit, maiore dignus supplicio est. Tertiò, quia cùm ceu doctor præsideat, nequitia sua facilè cæteros corrumpit: his autem aliam etiam reprehensioem adiungit, quoniam austeros se nimium gerant aduersus subditos: *Ligãt enim onera grauia & importabilia, & imponũt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.* Duplicem hìc nequitiam eorum ostendit, tum quia sine venia exquisitissimè multitudinem viuere volũt, tum quia nimium sibipsis indulgentes magnam assumunt licentiam. quorum opposita in optimo principe requiruntur: vt scilicet aduersus seipsum nulla vtatur venia, sed seuerum se iudicem exhibeat, erga subiectos autem mitior, & ad dãdam pronior veniam sit: quorum oppositа isti faciebant. Tales quippe omnes sunt, qui verbis philosophiam terminãt, austeri nimium, & non ignoscentes ceu inexperti eius doctrinæ, quæ opere ac exemplo discipulis traditur. quæ nequitia cùm parua non sit, superiora crimina in maius extollit. Tu autem expẽde quomodo id etiam auget: non enim dixit, Non possunt, sed nolunt: nec portare aut ferre, sed digito mouere: hoc est, nec propè accedere, nec tangere volunt, sed diligentes atque robusti in prohibitis sunt. *Omnia enim opera sua faciunt*, ait, *vt ab hominibus videantur.* His verbis inanis gloriæ cupiditatem eis obiicit, qua perierunt. Ita superiora erudelitatis erant, atque desidiæ: hæc verò furoris, qui gloriæ inanis cupidine illos exagitabat: quæ res à Dei eos expulit charitate, & corrupit, ac effecit facilè, vt in alieno certarent spectaculo. Nam quales spectatores quispiam sibi eligit, cùm his placere studeat, consona illis certamina suscipiat necesse est. Ita qui fortibus viris spectantibus luctatur, fortiter agere conatur: qui verò apud ignauos & timidos, ipse quoque huiusmodi efficitur. vt verbi causa: Risu quis gaudentes habet spectatores, ridendi author illico efficitur, vt spectatoribus placeat. Alius à diligenti atque philosopho spectari voluit, talis & ipse videri certat, vt laudem à spectatore suo consequatur. Sed perspice in hoc loco rursus quomodo crimen amplificet. Non enim alia sic, alia verò non sic faciunt, sed vniuersa simpliciter sic. Cùm igitur inanem gloriã eis obiecisset, non magnarum neq; præclararum rerum fama eos laborare demonstrat. nihil enim huiusmodi habebant: sed è paruis & vilibus gloria mendicabatur, quibus ingens eorũ nequitia significabatur. *Phylacteria sua*, inquit, *dilatant, & magnificãt fimbrias vestiũ suarũ.* Quenã sunt hęc phylacteria & fimbriæ? Quoniam facilè beneficiorum Dei obliuiscebantur, idcirco Deus signa sua in libellis breuissimè conscribi, & manibus eorum appendi iussit: vnde dictum est, Nec remouebuntur ab oculis tuis. Hęc phylacteria, id est conseruatoria, vocabant, sicuti multæ mulierum modò faciunt euangelia ex collo dependentes: & vt aliunde in memoriã reducantur, quod obliuioſi crebro facere solent, filo digitum strictius ligantes, id Deus ceu infantulis iussit facere. Hyacinthinam enim virtam in extremitate vestis, quæ ad talos est, assui præcepit, vt attentiore cura mandatorum recordarentur, hanc fimbriam appellant. In his igitur rebus diligentiores, ligacula quibus libelli dependebant, latiora, & fimbrias maiores faciebant.

Græci codices hìc non consentiunt: plerique autem habent: vt cernetis, feritate & facite. Deu. 6.

Deu. 6. Phylacteria.

Num. 15.

ciebãt, quod ex inani gloria proficiscí videbatur. Quã enim ob rem hæc ita facis? An quia virtutẽ id eximiam putes, vel quia aliquid vtilitatis inde habeas? non enim vt illa dilates & magnifica facias, Deus præcepit, sed vt signa & miracula eius memoria teneas. Quòd si eleemosyna atque ieiunio, quæ opera nostra efficiuntur, nullo pacto gloriari oportet: quam ob rem his te plurimum iactas, ô pharisæe, quibus maxime tua desidia declaratur? Illi verò non hinc solùm, verumetiam ex aliis multò minoribus morbum contrahebant. *Diligũt enim*, ait, *primos in cœnis accubitus, & primos in synagogis consessus, salutationes in foro, & vocari ab hominibus rabbi.* Hæc enim & si minima esse videantur, magnorũ tamen causa sunt malorum. Nam & ciuitates & Ecclesias sæpenumero euerterunt: propterea nec à lachrymis abstinere possum, cùm primos istos concessus, & salutationes audiam, ac in mentem veniat, quot quantáque hinc mala in Ecclesia Dei orta sunt, quæ modo percenseri tempus non est, immmo verò nec opus, cùm seniores ea quæ viderunt, minoribus etiam enarrare queant. Tu autem considera ibi maxime illos inanis fomenta gloriæ quæsiuisse, vbi iubebantur humiliores esse, in synagogis videlicet, quò ad docendos alios veniebant: in conuiuiis enim huiusmodi aliquid committere non ita graue videtur, quanuis non in Ecclesia solùm, sed vbiq; doctorem cæteris præstaret oporteat. Nam quemadmodum homo vbicunque fuerit, cæteris animantibus præstat: ita doctorem decet, siue loquatur, siue sileat, siue in conuiuiis siue alibi sit, cæteris hominibus excellere, adeò vt in incessu & aspectu, & habitu, omnibúsq; simpliciter aliis in rebus præstantior esse videatur. Illi verò in omni re derideri digni, vndique sibi dedecus cõtrahebant, quæ fugienda erant insequentes. Diligũt enim, ait. quòd si diligere crimen est: quid erit re ipsa efficere? Sed cætera quidem tãquam parua, & vilia, & in quibus non erat opus discipulos suos corrigi, in accusatione ac reprehensione illorum terminat: principatus autem appetitio, quæ omnium malorum causa erat, & sedis docendi raptus, in medium diligenter ad doctrinam discipulorum producitur. quid enim ait? *Vos verò nolite vocari rabbi.* Cuius causa statim subiungitur. *Vnus enim vester est magister, omnes verò vos fratres estis.* Nec alter altero præstantior, quoniam nihil est quod à seipso sciuerit: ideo Paulus quoque dicit, Quid enim est Paulus? quid autem Apollo? quid porro Cephas? nisi ministri? nõ dixit magistri. & rursus: *Non vocetis patrẽ*, non vt neminem patrem vocent, sed ne ignorent, quem principaliter patrem vocare oporteat. Nam quemadmodũ nemo principaliter magister est, sic nec pater præter illum qui tam magistrorum, quàm patrum omnium causa est. & rursus subiungit: *Neque vocemini * magistri, quia magister vester vnus est Christus.* Nec dixit, ego: sed quemadmodum in superioribus, quid vobis videtur de Christo, dixit, non de me: sic in hoc loco. Quare libenter nunc aduersarios interrogarem, quid dicerẽt, cùm sæpius patri soli ad cõtemptum vnigeniti, vnus Deus & vnus Dominus accommodent: an non pater sit καθηγητὴς, i. magister siue gubernator? Nullus negare audebit: atqui vnus, inquit, magister vester est Christus. Quemadmodum igitur cùm magister vnus esse Christus dicatur, non expellitur Pater, ne magister sit: sic cùm vnus Dominus, & vnus Deus Pater asseratur, non expellitur Filius, quominus vnà cum Patre Dominus & Deus sit. Vnus enim, atq; vnus ad distinctionem hominum aliarumq; creaturarum dicitur. Cùm ergo fugiendũ esse hunc grauem morbum edixerit, docet per humilitatem esse fugiendum, ac ideo adiecit: *Qui est maior vestrum, erit vester minister: qui enim exaltauerit seipsum, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur.* Nihil enim humilitate præstantius, propterea crebrò de hac virtute cõmemorat. Nam & quando paruulos in mediũ adduxit, & cùm in monte doceret, hinc beatificationes illas incœpit, & impręsentiarum radicitus superbiæ vitium euellit, dicẽs: Qui seipsum humiliauerit, exaltabitur. Vide quomodo rectè ad contrarium auditorem impellit. Non enim à cupiditate primatus prohibet solùm, sed ad alterum extremum hortatur: sic enim desiderio potieris, inquit, tuo: propterea qui primas partes obtinere contendit, necesse est vt postremas persequatur. Qui enim seipsum humiliauerit, is exaltabitur. Sed vbi hanc inueniemus humilitatem, inquies? Vultis ad spectaculum huius virtutis rursus ascendamus? ad sanctorum dico tabernacula, montes atque conualles: ibi enim sublimitatem, ac humilitatem videbimus: ibi sunt homines, quorum alij dignitatibus præfulserunt, alij diuitiis excelluerunt: qui omnes mirabiliter se vndique vestitu, domo, ministeriis, cæteris omnibus ad præcipuam humilitatem reduxerunt. Omnia igitur quę ad superbiam incẽdunt, amictus magnificentia, ædium splendor, ministrorum multitudo, quibus vel inuiti ad insolẽtiam plerique detruduntur, iacent humi prostrata. Ipsi ergo ligna scindũt, ipsi accendunt ignem, ipsi coquunt, ipsi aduenis ministrant: nec cædentem ibi, nec læsum aliquem videbis, nec præcipientem, nec cui præcipiatur: sed omnes ministri sunt, & ab vnoquoque conuenarum pedes lauantur. Et magna de hoc apud eos honesta contẽtio, quòd faciunt non inquirentes siue seruus sit, siue liber qui aduenit, sed erga omnes simpliciter hoc ministerio vtuntur. Nullus enim ibi est magnus aut paruus: ingens igitur confusio, inquies, immo verò præcipuus ordo. Nemo enim paruúsne, an magnus sit respicit, sed omnes inferiores se cæteris ducunt, & hac ratione maiores efficiuntur. Vna mensa omnibus & administrantibus & his quibus administratur, eædem epulæ, eadem indumenta, eædem domus, idem viuendi ordo: magnus est apud eos, qui vilia opera rapit. Abest inde meum ac tuum, eiectum inde omnino id verbum est, quòd multorum causa est bellorum. Cur autẽ miraris, si vnus viuendi modus, vna mensa, vnus vestitus omnibus sit, cùm anima quoq; vna sit vniuersis, non dico secundum substantiam: (id enim similiter in omnibus est) sed secundum charitatem: quomodo igitur ipsa contra seipsam superbiet? Non est ibi pauperies, non sunt diuitiæ, non gloria, ignominia: magni & parui virtute solummodo sunt, sed nemo id respicit. Non enim dolet paruus quasi contemptus, quippè cùm qui contemnat nemo sit: quod si esset, per istud erudiũtur maximè, cõtemni scilicet, despui, ac vilipẽdi, non verbis solùm, verumetiam rebus: cum mancis, cum pauperibus libenter conuersantur, & his mẽsę cõuiuiis plenę quotidie sunt, propterea regno cœlorum digni sunt: alius ibi vulnera permulcet læsi, alius cæcum ducit, alius portat eum qui crus fregit. Non sunt ibi parasiti, nec adulantium multitudo, immo verò nec quid sit adulari cognouerunt. vnde igitur insolentes fieri possunt, cùm tanta sit apud eos æqualitas? propterea etiam magna ipsis ad virtutem facilitas atque mirabilis præbetur: his enim multò magis rudiores proficiunt, quàm si cogerentur primos aliis honores deferre. Sicut enim audacem ac temerarium nõ qui resistit, sed qui cedit, solet erudire: sic ambitiosum, non qui de gloria contendit, sed qui gloriam aspernatur, corrigere videtur: quod illis diligenter factitatum est. Nam quanta contentio de primatu apud nos est, tantũ apud eos certamen de contemnendo & cuitando primatu est. studeant enim non vt honorentur, sed vt honorent. ipsa etiam opera ad humilita-

Sup. 16. * καθηγητὰς. i. magistri siue gubernatores ac viæ moderatores. Sic & mox, quia magister καθηγητὴς ne bis idẽ dicere videatur.

Universidad de Deusto Biblioteca

tem exhortantur, & superbire non sinunt. Quis enim vnquam fodiens, plantas rigans, sportas & sacculos texens, cæteraq; similia faciens, multùm sibi poterit arrogare? Quis præterea pauper inedia seipsum domãs hac ægritudine laborabit? Nemo profectò, propterea perfacilis ibi humilitas est. Nam quemadmodũ apud nos propter plaudentium atque admirantiũ multitudinem difficile est humilitatem seruare: ita ibi facillimum. solitudini enim solummodo ille attendit. Volucres volantes videt, arbores concussas aspicit, spirãtem zephyrum sentit, fluuios per valles deferri spectat. Vnde igitur extolletur, qui in tanta solitudine viuit? Non tamen idcirco excusabiles nos erimus, qui in media multitudine cõuersantes nobis arrogamus. Nam & Abraham inter Chananæos erat, & tamen dicebat. Ego verò sum

Gen. 18. terra & cinis. Et Dauid in mediis aciebus: Ego, clama-

Psal. 21. bat, vermis sum, & non homo. Et Paulus in medio ter-

1. Cor. 15. rarum orbe non verebatur dicere: Non sum dignus vocari apostolus. Quam igitur satisfactionẽ habebimus, cum post tot tantáque exempla non resipiscimus? Nam quemadmodum illi mille coronis rutilabunt, quoniam primi virtutis iter egerũt: sic nos qui nec post illos, quorum res gestas lectitamus, neq; post istos viuentes, quorum opera admirantes videmus: ad imitandam humilitatem eorum impellimur, mille meremur supplicia. Qua enim ratione satisfacies, cùm non emenderis? Literas fortè nescis, & scripturam perlegere non potes, vt inde priscorum virtutes virorum perdiscas: culpa quidem etiã hæc est, cùm Ecclesia semper tibi pateat, non venire ad degustanda hæc fluenta. Verùm si priscorum virtutes ignoras, hos viuentes aspicere potes. Sed nullus est, inquies, qui me ducat. Me igitur adeas, ego tibi horum diuerticula ostẽdam: veni, & aliquid vtile ab istis disce: lucernæ isti sunt vbique terrarum fulgentes: mœnia vrbium isti sunt, propterea solitudinem petierunt, vt te quoque doceãt tumultus ciuitatis despicere. Alij te fortiores in mediis fluctibus tranquillitate potiuntur: tibi verò qui vndique exagitaris, quiete opus est, vt paululum à frequentibus procellis respirare possis. Crebrò igitur ad illos proficiscaris, vt orationibus & admonitionibus eorum sordes peccatorũ detergas, & tum hîc optime viuas, tum futuram beatitudinem consequaris, in Christo Iesu domino nostro, cui gloria

Mar. 12. & imperium in secula. Amen.

HOMILIA LXXIIII. EX CAP. XXIII.

VÆ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quoniam deuoratis domos viduarum, † & oratione longa orantes] propterea iudicium amplius accipietis. Hinc iam propter vẽtris voraginem in eos inuehitur, quódque grauius est, qui non à diuitibus sed à viduis ventres suos implebant, & cùm illarum paupertati auxilio esse debuissent, è contra etiam opprimebant: neque simpliciter edebant, sed deuorabant, cuius cauponationis modum grauiorem fuisse videmus. Oratione nanque, ait, longa orantes. Omnes enim qui perperam agunt, supplicio digni sunt: qui verò simulatione bonitatis ad improbitatem tendit, multò grauiori pœna omnino afficiendus. Et cuius rei gratia non priuauit ipsos dignitate? Quia nondum tempus postulabat: quare illis interea omissis, cautiorem his verbis multitudinem fecit, ne propter dignitatem eorum decepti, imitandos esse crederent. Cùm enim dicat, quæcunque vobis dicunt facere, facite: ostendit quæ illi nequiter faciunt, ne rudiores putent omnia eis esse permissa. *Væ vobis quoniã clauditis regnum cælorum ante homines, vos enim non intratis, nec intrãtes dimittitis intrare.* Quòd si accusandi videntur, qui nemini

(† ídque prætextu prolixa precationis) sic & paulo pòst vbi istud repetes.)

A prosunt: qui dãmno atque impedimẽto sunt, quam veniam consequẽtur? Quid autem est, intrantes? Idoneos scilicet, atque paratos. Nam cum aliis præcepta dare oportebat, intolerabilia eis onera iniũgebant: è contrario autem cùm ipsos aliquid boni facere oportebat, nõ modò nihil agebant, sed quod multò peius est, alios etiam corrumpebant. Hi sunt quos pestes transferendo appellamus, qui ad corrumpendos alios studiosè vigilantes, veris doctoribus ex diametro sunt oppositi. Si enim doctoris est errãtes reuocare: qui ad salutem tendentes in errorem reducit, is perditus omnino atq; pestifer est. Aliud deinde crimen exaggerat. *Circuitis*, inquit, *mare ac aridam, vt faciatis vnũ proselytũ, cũmque factus fuerit, facitis eum filiũ gehennæ duplo quàm vos.* Non inquit saltem quia multis & magnis laboribus aliquem ad doctrinam vestram attraxistis, ad parcendum ei estis parati: præsertim cùm natura duce maiore parsimonia conseruamus, quæ maiore labore cõparauimus: vos autem

B neque id quidẽ mitiores reddit. Ita in duobus magnis eos criminatur: quorum vnum est, quia inutiles ad salutem multorum existentes, vix magno sudore quenquam possunt attrahere: alterum, quia desides ad custodiendos attractos sunt, immo verò etiam proditores, cùm eos malo exemplo viuendi deteriores faciant. Magistris enim etiam ipsis peiores discipuli fiunt, probos enim doctores vix imitari quimus: improbos autem, quoniam faciliores ad mala sumus, etiam superamus. Filium verò gehennæ † ipsum per se gehennã] appellat: & duplo quàm vos ait, vt & multitudinem terreat, & illos grauius feriat: qui improbitatis magistri sunt, & maiore discipulos nequitia corrumpere conantur, ad maiorem eos improbitatem adducẽtes: quæ res perditissimi animi omnino est. Deinde amentiam quoque ipsorum reprehendit, quia maiora iubebant mandata contemnere. Atqui oppositũ superius dictum est, quòd onera grauia & intolerabilia colligarent, sed ista

(† αὐτὸ γέενναν. idest, gehénam ipsam) alij gehenna dignum interpretã tur.)

C etiam rursus faciebãt. Cúmq; omnem operam ad corrumpẽdam multitudinẽ susciperẽt, acerbi exquisitores erant in paruis, maiora verò negligebãt. *Decimatis enim,* Luc. 11. *ait, mẽtham, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudiciũ & misericordiã, & fidẽ: hæc oportebat facere, & illa non dimittere.* Meritò hoc loco oportebat facere, dicit, vbi decima est, ibi etiam eleemosyna: quid enim eleemosynam dare nocet? Non autẽ sicut Legem seruantes facere oportet, neque ipse sic dicit: sed, hæc facere oportebat, & illa non dimittere. Vbi autẽ de mũdis & immundis disputat, non adiicit illud, sed distinguit, ac necessariò exteriores mundicias ad interiorem consequi ostendit, non autem contrà. Nam quę misericordi ratione fiebant, ea indifferenter transcurrit, tum propter idipsum, quia misericorditer fiebant, tum quia non erat adhuc tempus legis clarè atq; apertè deserendæ: quæ verò ad obseruationem mundationum corporum pertinebant, ea manifestius euertit. Propterea dę

D eleemosyna dicit, hæc facere oportebat, & illa non omittere: de purgationibus verò non sic. *Mundatis enim quod deforis est calicis, & paropsidis, intrà autẽ estis pleni rapina & † immũdicia.] Munda calicẽ interius, vt exterius mũdus* († iniustitia.) *fiat.* A te cõmuni atq; manifesta, calice dico, ac paropside istud accepit. Deinde vt ostenderet nullũ damnũ ex contemptu corporalium mundationum sequi, acerba verò supplicia his imminere qui animæ mundationem despiciunt, quæ mundatio virtute conficitur: altera culicem, quoniã parua, altera camelum, quia magna & intolerabilia sunt, appellauit. *Ait enim, culicem, trãscolantes, & camelum glutiẽtes.* Parua enim illa propter magna, misericordiam dico atque iudicium, legẽ firmata sunt. Quare à magnis dirupta nihil prodesse possunt: parua

parua enim ad magna sequuntur, hęc autem ad illa non consequuntur. Hæc dicit, vt ostendat etiam ante gratię tẽpus non præcipuè illa quæsita fuisse, cùm alia maiora quærerẽtur. Quare cùm sublimia iam, & diuiniora mãdata accesserint, inutilia omnino remãserunt, ac ea cõseruare amplius non oportet. Semper igitur atque vbique perniciosa quædã res improbitas est, magis autem quando perrectione indigere non putat: tum verò maximè perniciosa est, cùm se ad emendandos alios sufficere opinatur: quæ significãs Christus, cæcorum duces illos appellauit. Nam si maxima videtur calamitas atq;

Sup. 15. miseria, quando cæcus duce sibi nihil opus esse existimat: quid dicemus si aliorum etiam dux esse cõtendit? His omnibus furorem inanis gloriæ atque rabiem ænigmaticè designat: qui morbus, quoniam ad ostentationem cuncta faciebant. omniũ malorũ causa extitit, qui à fide ipsos abduxit, & veram virtutẽ negligere persuasit, effecítque vt purgationibus animæ neglectis, mũdationibus corporis summopere vacarent. Propterea ad veram virtutem & animæ purgationem ipsos reducẽs, misericordiæ iudicij atque fidei meminit. his enim vita continetur, his anima nostra mundatur, iustitia scilicet, misericordia & veritate. Ex quibus misericordia ad ignoscẽdum nos inducens, non permittit supra modum seueros in peccatores atq; difficiles esse: sic enim misericordes effecti dupliciter lucramur, partim quia etiam ipsi à creatore omnium misericordiam cõsequemur, partim quia mitiores facti, oppressis condolemus, & opitulamur. Iustitia verò seductores & simulatores esse non sinit. Quando autem dixit, hæc oportebat facere, & illa non dimittere: non subiecit hoc quasi legalem aliquam obseruationem inducens, absit hoc enim: nam id in superioribus iam demõstrauimus. Cumq; de calice & paropside dixerit interiora curanda esse, vt etiam exteriora mundentur: non idcirco hæc dixit, vt ad veterem paruorum curiositatem hortaretur, immò verò è contrario superfluam omnino esse ostẽdit. Non enim dixit etiã exteriora purgate, sed interiora solùm: & hinc etiam illud sequetur. Præterea nec de calice, & paropside disputat, sed de anima & corpore differit, & corpus quidem quod extrà, animam verò quòd intus est appellat. Quòd si in calice interiori mundatione opus est, quanto magis in homine? vos autem è contrario facitis, inquit. Parua enim & exteriora diligenter seruatis, magna verò & interiora negligitis, vnde magnum sequitur detrimentum: nam cùm vniuersa effecisse putetis, quæ facienda sunt despicitis, despicientes autem, nec cogitatis quidem ea capessere. Post hæc inanem risus gloriam eorum reprehendit, sepulchra eos dicens putrida, & hypocritas appellans: quæ res omnino eos perdidit. Non simpliciter autem sepulchra dealbata, sed luxuria & hypocrisi plena esse affirmauit: ita causam exposuit quare non crediderunt, quia hypocrisi & iniquitate referti erant: quæ non Christus tantum, sed prophetæ quoque sæpius prædicauerunt, quòd videlicet rapaces essent, quòd principes eorum nullã iustitiæ rationem in iudicando sequerentur. Ita vbiq; inuenies, hæc quidem flagitari atque exigi, sacrificia verò eiici: quare nec præcepta ista, neque criminatio hęc aut imago sepulchri, noua inauditáque sunt. Quippe huius imaginis propheta quoque meminit, neq; id simpliciter, sed sepulchrum apertum guttur eorum appellauit.

Psal. 5. Multi etiam nunc huiusmodi homines inueniũtur, qui se magnopere deforis exornãt, intus autem omnis sunt iniquitatis plenissimi. Multæ nanque viæ impræsentiarum etiam exterioris ornatus exhibentur, magna cura, & magna vigilia eius rei multos exagitat: animæ verò decus & purgatio penitus negligitur. Nam si conscien-

A tiam singulorum cernere possemus, multos ibi vermes, multam saniem, atq; intolerabilem comperiremus fœtorem: cupiditates dico à ratione alienas, atque improbas, quæ vermes spurcitia mirum in modum excedunt. Sed pharisæos quidem atq; scribas tales fuisse, quamuis graue sit, non tamen ita malum videtur: sicut & penitus intolerabile est, vt vos qui templa Dei per gratiã effecti estis, sepulchra rursus fœtulentissima facti esse videamini. Extremæ certè id ego duco miseriæ. Nam vbi Christus habitat, vbi Spiritus sãctus operatus est, in quo tot mysteria peracta sunt, id sepulchrum facies? quo fletu, quibus lachrymis, quo planctu id persequendum est, cùm membra Christi ad immundissimum sepulchrum transformaueris? Cogita quomodo natus sis, quibus dignus factus, quem accepisti amictũ, quo pacto templum cõstitutus es, quod dirui aliunde non potest: quo pacto ornatus es, non auro, neque gemmis, sed spiritu, qui omnium rerum preciosissimus est. Cogita quia nul-

B lum in ciuitate sepulchrum struitur, quare nec tu in supernam poteris ciuitatem introire. Nam si in terrestri ciuitate hoc interdictum est, multò magis in cœlesti: immo verò etiam in terris, cùm mortuã animam circũferas, omnibus qui mentis compotes sunt, deridendus videris, nec deridendus solùm, verumetiam fugiendus. Respõde, quæso, si quis cadauer putridum circũferens, per ciuitatem vagaretur, nónne omnes eum fugerent? Hoc de te cogita, qui animam peccatis obrutam, atque mortuam circunducis, quod quidẽ illo multo grauius est. Quis ergo tui miserebitur, cùm adeo crudelis in te ipsum sis aduersarius? Si quis vbi dormis, vbi cœnas, cadauer obruisset, quid tunt faceres? Tu verò mortuam obruis animam, non vbi prandes, neque vbi dormites, sed in ipsis Christi membris, nec formidas ne mille in caput tuum fulmina iaciantur. Quomodo autem cùm tantis sordibus refertur malè intus oleas, in ecclesiam & templa sancta venire audes? Nam si qui mortuum in

C regiã obruerit, is vltima supplicia luet, cogita tu quam acerba pœna vexaberis, qui atria hæc adire sancta, & obscœno fœtore implere non erubescis. Imitare meretricem illam, quæ precioso Christi pedes vnxit vnguẽ- Luc. 7. & Ioan. 11. to, & bono totam repleuit domum odore: cuius tu cõtrariũ in hac domo facis. Quid enim refert, si tu fœtorem nõ sentis? hoc enim incurabilis maximè morbi signum esse videtur, & eò difficilioris, quo humana corpora corroduntur, & fœtent: illa enim ægritudo saltem aliquo sensu à laborãtibus percipitur, nec culpatur, sed & misericordia digna videtur: hæc verò sensum tuum fugit, & odio atq; punitione digna est. Quũ ergo adeò grauiter laboras, vt nec sensu quidem magnitudinem morbi satis percipias, agè attentissimum te hodie præbeas, vt quanta peste vexeris perdiscas. Sed primùm Psal. 140. audi quid te psallere oporteat. Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Quòd si non incẽsum sed mordacissimus abs te, ac grauiter olẽs fumus ascẽ-

D dat, quibus suppliciis dignus eris? Quis autẽ iste fumus est tam grauis, quã molestus? Multi ad formas mulierũ aspiciendas, ad adulescentulorũ pulchritudinẽ curiosius intuendã, in ecclesiam veniũt: deinde non miraris, quomodo vndique fulmina non deferuntur, quomodo cuncta funditus non euertuntur. Hæc enim non fulminibus solùm, sed etiam gehennæ supplicio dignissima. Verùm Deus cùm longanimis & misericors sit, vt in pœnitentiam te adducat, iram suam interea retinet. Quid facis homo, mulierum speciem curiosius in Ecclesia perscrutaris, nec horrescis tanta tẽplum Dei afficiens contumelia? prostibulúmne tibi videtur Ecclesia, & foro ignobilior? Nam in foro erubescis, etiam times ne quis te videat mulierem sectari: in Ecclesia ve-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rò Dei, cùm ipse Deus te alloquatur, & ab istis deterreat: eo ipso tempore maximè fornicatione, ac adulterio vteris, quo tibi magna voce intonatur, vt ab his fugias, nec horrescis, nec stupes. Verùm hæc ab impudicissimo theatro didicistis, hæc vos illa contagiosissima pestis docuit: Virus illud pestiferum, incuitabilis negligentium laqueus, incontinẽtium voluptuosa perditio.
Hier. 22. Quocirca propheta quoq; id accusans dicebat, Neque oculi tui, neq; cor bonum est. Sanè multò melius esset cæcos, aut aliter ægrotos esse, quàm ita oculis turpiter abuti. Oportebat quidẽ interiore pariete à mulieribus disseparari: verùm quoniam non vultis, necessariũ esse patres nostri putauerunt, saltem his ligneis parietibus vos disseparare. Audiui autem ego à senioribus nõ fuisse hos parietes ab initio. In Christo enim Iesu non est
Galat. 3. Act. 1. mas, neque fœmina. Apostolorum etiam tempore vnà viri & mulieres orabant: & mulieres veræ mulieres, & viri similiter veri erant. Nunc verò è contrario, mulieres quidem meretricum sibi mores assumpserunt, viri B autem furorem equorum imitantur. Num audistis viros ac mulieres in cœnaculo congregatos fuisse, & cœlo conuentum illum dignum fuisse? & meritò quidem. magna enim philosophia tunc mulieres viuebãt, & vi-
Act. 16. ri castimoniam conseruabant. Audiatis purpurę venditricem illam quid dicat: Si dignam me Domino iudicastis, introite, & manete apud me. Audiatis fœminas,
Act. 18. & Rom. 16. quæ virili assumpto animo, cum apostolis orbem circumibant. Priscillam dico, Persidem, & cæteras, à quibus adeò procul absunt præsentes fœminę, quantum hi viri ab illis viris. Tunc enim, quamuis orbem illę mulieres circuirẽt, nulla tamen ignominia notabantur: nunc verò etiam in thalamo suo moram contrahentes, vix turpem suspicionem effugiunt, quòd à nimia expolitione atque deliciis sibi accedere solet. Illis erat curæ, vt prædicatio crescęret, hi formositas solùm, atque corporum pulchritudo: hæc est istarum gloria, hæc salus: magna verò atque sublimia virtutis opera, ne per somnium quidem curare vellent. Quæ mulier operam dedit, vt maritum faceret meliorem? Quis vir studet ad amorem virtutis impellere vxorẽ? nemo profectò, sed omne studium atque opera de vestibus, de aureo corporis ornamento, cæterisque huiusmodi: Et vt exteriora bona augeantur, mulieri cordi est: viro autem & hęc, & alia multa curæ sunt, vniuersa tamen huius sæculi. Quis vxorem ducturus, quibúsnam sit moribus, & quomodo puella educata sit, inuestigat? Nullus omnino: sed pecunia statim, possessionum magnitudo & supellectilium quæritur. Hæc quasi quicquã empturus esset, vel permutationẽ quandã facturus, diligentius perscrutatur, ac ideo synallagma. i. commutationem siue contractum nuptias appellant. Audiui enim multos dicentes, ille contraxit cum illa, id est, cõiugio copulati sunt. Ita donum Dei vituperãt, cùm quasi vendẽtes ac emẽtes vxores viri ducant & viris nubant mulieres. Stipulationes quoque nuptiarum maiore astutia componũt, D quàm eas quæ in vendendo & emendo confici solent. Discite quomodo priores vxores ducebant, & imitamini. quo pacto ergo ducebant? ingenium, mores, animi virtutem quærebant, ac ideo stipulationibus, & longa instrumentorum serie non indigebant: sufficiebat enim loco istorum omnium sponsæ indoles. Quare vos hortor, ne facultates & copiam rerum, sed modestiam & mores quæratis: quære pudicam & religiosam puellam, & hæc tibi magno thesauro erunt præstantiora. Si enim quæ Dei sunt quæritas, hæc quoque tibi addẽtur: si verò illis omissis ad hæc rapiẽda festinas, & illa amittes, & hæc non consequẽris. Sed ille atque ille, inquies, vxoris opibus locupletatus est. non erubescis talia in A medium exempla proferre? Centies prudentes dicere viros audiui, malle extrema se pauperie laborare, quam vxoris facultate ditari. Quid enim amarius his diuitiis? quid molestius hac rerum facultate? quid turpius quàm inde ita insignẽ fieri, vt ab omnibus dicatur, ab vxore ille locuples factus est? Intrinsecas enim modò solicitudines ac molestias omitto, arrogantiam mulieris atq; iactãtiam, seruitutem viri, famulorũ opprobria, pauper iste, dicentiũ, ac pannosus, ignobilis & ex ignobilibus. Quid enim habuit quando huc venit? nónne vniuersa hæc dominæ nostræ sunt? sed parum de his verbis curas: non miror, quia liber non es: similia enim parasiti etiam & gnathones audiunt, nec dolẽt aut erubescũt, sed etiam gloriãtur huiusmodi dedecore: quemadmodum & isti qui cùm hęc à nobis audiant: adsit, inquiunt, suaue quiddam mihi atque iucundũ, & suffocet me. O versutiam diaboli, quæ prouerbia vitæ hominum tradidit, quibus integra possit hominis vita euerti. Expende igitur oro, quam certa his verbis pestis insideat. Nihil enim aliud hoc prouerbio dicitur, quàm quòd nulla tibi honestè viuendi, nulla iustitiæ cæterarumq; virtutum cura sit. omnia hæc apud te iaceãt, voluptatem solam vbiq; sequaris, & si res ipsa te obruerit, ac suffocarit, si omnes obuij in faciem tuam despuerẽt, si sordes in vultum proiicerẽt, si quasi rabiosum canem depellerent, dum tamẽ voluptas insit, expetibilem rem esse iudicato, & omnia propter illam ferenda putato: quid aliud porci, aut canes, si verba humana ipsis concederentur, dicerent? fortasse autem non ita impudentes loquerentur, veluti nũc homines à diabolo persuasi grunniunt? Valde igitur vos precor, vt magnam in his verbis esse amentiam considerantes, & hæc & similia prouerbia fugiatis, & illa Scripturarum istis cõtraria in ore semper habeatis. Quæ autem sunt illa? Ne ambu- Eccl. 18. & Rom. 13. Prou. 5.
les post cõcupiscentiam animæ tuæ, & appetitum tuum non sequaris. Et de meretrice rursus contra quam con- Prou. 5.
C sulit prouerbium, ait: Improbæ mulieri non attẽde. mel enim stillat à labiis fœminæ meretricis, quæ ad tempus guttur tuum impinguat, postea verò amarius felle inuenies, & acutum magis gladio bicipiti. Hæc igitur, nõ illa audiamus. Nam inde illiberales, inde seruiles cogitationes oriuntur, inde homines in naturam conuertunt ferarum: quia vbique iuxta prouerbium illud voluptatem sequendam arbitrantur, quæ etiam absq; verbis nostris à seipsa derideri meretur. Quid enim suauitas illa tibi proderit? Quid voluptas afferet, si obrutus suffocatúsque fueris? Nolite igitur tantos audientibus cachinnos commouere: nolite gehennam incendere, nolite ignem inextinguibilem vobis præparare. Respiciamus aliquando, vt oportet ad futura, oculorum lippitudine diligẽter detersa, vt & hanc vitam honestè ac piè peragamus, & futuris bonis potiamur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

HOMILIA LXXV. EX CAP. XXIII.

V Æ *vobis qui ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta* * *iustorum, & dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non fuissemus socij eorum in sanguine prophetarum.* Non quia ædificant, nec quia patres suos accusant, væ illis dixit: sed quoniam ita facientes, & ita dicentes, patres suos se condemnare simulabant, cùm ipsi peiora committerent. Nam quod simulatione patres reprehenderẽt, Lucas subaperit dicens: Quòd Luc. 11.
consentitis, quia ędificatis: vę nanq; vobis, inquit, quia ædificatis monumenta prophetarum, patres autem vestri occiderunt eos: ergo testamini, quòd consentitis operibus patrum vestrorũ, quia illi quidem eos interfecerunt, vterquè codex Græcus hic habet ἀυτῶν. i. ipsorum, alij tamen legunt δικαίων, i. iustorum.

cerunt, vos autem ædificatis monumenta eorum. Men-
A tur: propterea subiungit, Quomodo iudicium gehennæ vitabitis, si illos sequimini, qui tanta scelera comiserunt? Hinc representationem quoque Ioãnis in memoriam reduxit: sic enim Ioannes illos appellabat, & futuri iudicij memoria terruit. Deinde quoniã nec Iudicij, Sup. 5.
nec gehennæ minis terrebantur: partim quia non credebant, partim quia futuris non mouebantur, à præsentibus eos reprimit, dicens: *Ecce mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scribas, & ex ipsis interficietis & crucifigetis, & flagellabitis, vt veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terrã, à sanguine Abel iusti, vsq; ad sanguinẽ Za-* Gen. 4. 1. Par. 24.
chariæ filij Barachiæ, quẽ occidistis inter templũ & altare. Amẽ dico vobis, venient hæc omnia super generationem hanc. Vide quot modis ac argumentis reuocare stabilireque ipsos studebat. Dixit, iam patres suos ab eis condemnatos, quia isti non cõmunicassent cum illis: quod ad conuertendum parum non est. Dixit, quoniam condemnãtes alios ipsi peiora faciunt, quod ad cõfusionem ipsorum
B sufficiebat. Dixit, quia non ferent ista impunè: & vt terroris magnitudinem renouaret, gehennam eis intentauit. Verùm quia gehẽna futura est, ac alterius vitæ, præsentia posuit: Venient enim omnia hæc, inquit, in generationem hanc: quæ supplicia cum acrimonia protulit, dicens: quoniam grauiora cæteris patiẽtur: nulla tamen harum omnium rationum facti sunt meliores. Quare si quis diceret, cúrnam grauiora omnibus patientur? Respondendũ est, quia iniquiora fœdioráq; quàm cæteri omnes perpetrarunt, & nihil eos à sceleribus potuit reuocare. An non audistis Lamech dicentem? Vindicatum est quidẽ ex Cain septies, ex Lamech verò septua- Gen. 4.
gies septies, hoc est, pluribus ego quàm Cain suppliciis dignus sum? Atqui ipse fratrem nõ interfecit. Sed quia nec exemplo quidẽ commonitus, prudẽtior factus est, punitur: idipsum est quod alibi Deus ait, Reddens pec- Exo. 20.
cata parentum in filios, in tertiam & quartam generationem, his qui me odio habent non quoniam alieni
C peccati quisquam supplicia luat, sed quoniam qui multos propter peccata sua vexatos esse non ignorat, neque idcirco factus est melior, sed eadem committens non curat, illorum quoq; pœnas iustè sustinebit. Abel autem illum opportunè in medium produxit, vt ostendat inuidia etiam istos in cædem incitari. Quid igitur, inquit, dicere potestis? an forsan quòd post commissa Deus cõtuit? an quod exclamauit quidẽ, sed grauiora supplicia non poposcit? an quòd ignorastis quibus patres vestri exagitati sunt modis, quoniã prophetas occiderunt? nónne mille cladibus traditi perierunt? quomodo igitur meliores facti nõ estis? Cur autem patrum vestrorum supplicia, & quæ passi sunt ego enarrem? ipsi vos patres vestros sanguinis crimine cõdemnastis. Cur ergo peiora facitis? vosipsi iam sententiam protulistis, quia malos malè perdet. quam igitur post hanc senten- Sup. 21.
tiam atrocius furẽtes veniam impetrabitis? Sed Zacharias iste quisnam est? Alij Ioannis patrem opinantur, alij
D prophetã, alij binominem quẽdam sacerdotem, quem & † Iodam scriptura dicit. Tu verò perpende duplex il- Iodæ haud scio an Ioiadæ filium dicere velit, vt habet Euthymius, & de quo scribitur. 2. Paral. 24.
lud scelus fuisse: non enim viros solummodo sanctos, verumetiam in loco sacro necabant. Hæc dicens & illos terrebat, & discipulos cõsolabatur, ostendens, quia iusti viri iam anteà talia perpessi sunt. Illos verò terrebat, quia quẽadmodum & patres sui pœnas dederunt, sic etiam illi grauioribus vexabũtur. Prophetas autem, & sapientes, & scribas missurum se ait, omnẽ eorum excusationem abscindẽs, ne scilicet dicant, gentiles quosdam missos fuisse, ac ideò non fuisse susceptos. Ita sola cædis cupiditas, & sanguinis nimia sitis ad scelera illos impellebat, quod prophetę quoq; omnes criminabantur, sanguinem sanguini misceri ab eis dicentes, & san-

Sup. 21. atque illos qui ad nuptias vocabãt. Sup. 22.

Universidad de Deusto
Biblioteca

guinis esse viros. Propterea & sanguinem sibi offerri A
Deus voluit, vt ostenderet, quia si brutorum sanguis
ita pretiosius est, quantò magis hominis? quod ad Noë
multò expressius dixit: Vindicabo omnem sanguinem
effusum, milléque alia inuenire facilè possumus diuinitus à Deo Iudæis iniuncta, vt ab effundendo sanguine
remouerentur, quocirca ne suffocatum aliquid comederent vetauit. O inæstimabilem misericordiam Dei,
qui quanuis sciret nihil Iudæis hæc profutura, nihilominus prædicere, ac admonere nunquam cessauit. Mitto enim, inquit, quanuis occisum eos iri nequaquam
ignorem. Ita hinc etiam falsò illud deprehendebantur
dicere, quòd participes prophetarum sanguinis non
fuissent. Prophetas enim etiã isti & in synagogis interfecerunt, nec locum nec personas reueriti. Non enim
abiectos, quosdam, sed prophetas & sapientes, ne ab
eis increparentur interfecerunt: significat autem apostolos, & eos qui cum apostolis, & post apostolos fuerunt, ex quibus multi etiam prophetabant. Vt autem B
deinde hunc terrorem augeat, Amen dico vobis, intulit, venient hæc omnia in generationem hanc: in caput
vestrum hæc omnia conuertam, & acerbam faciam vltionem. Nam qui multos peccantes videt, nec illorum
opprobriis modestior factus est, sed eadem atque peiora machinatur, par est, vt maiora quàm illi luat supplicia. Quemadmodum enim præcipuam laudem consecutus esset, si aliorum exemplis factus esset melior, sic
quoniam emendare se noluit, maiori pœnæ obnoxius
est: efficaciorem nanque admonitionem per mulctam
præcedentium habuit, nec fructus quicquã capere voluit: ad vrbem deinde conuertit orationem, vt illos saltem hac via commoneat. *Hierusalem, Hierusalem*, dicens.
Quid sibi vult hæc comduplicatio? Miserantis, valdeq;
diligentis huiusmodi orationis figura est: quasi enim ad
continuè, ac valde dilectam, quæ quoniam diligentem
semper contempserit pœnas datura sit, supplicia autem
illaturus, quare ita faciat, satisfactionem adducit: hoc C
Hiere. 3. apud prophetas etiam facit. Dixi, conuertere ad me, &
non es conuersa: verùm cum nomine ipsam conduplicato vocauerit, scelera eius postea subiicit, dicens: *Quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt. Quoties volui cõgregare filios tuos, & noluisti?* Ita de his quæ aduersus ipsum fecerunt, dicit, quia neque his omnibus à diligendo vos, atque amando me remouistis: sed quanuis attrociter læsus nõ semel tantùm, aut bis, sed sæpius
atque sæpius ad me contrahere volui. *Quotics enim*, inquit, *volui cõgregare filios vestros sicut gallina pullos suos sub alas, & noluistis?* Hinc patet, quia semper seipsos peccando dispergebant: amorem autem suum ab imagine
significauit: ferueuti nanque amore aues pullos diligũt
suos. Crebrò autem hæc imago auis & alarũ apud prophetas inuenitur, & in cantico Mosi, & in psalmis mirabilem prouidentiam, & eximiam protectionem denotans: sed noluistis ait. *Ecce relinquetur domus vestra deserta.* A patrocinio scilicet meo derelicta. Ipse igitur erat D
qui etiam superiori tempore cõtinebat eos, atque protegebat: quare ipse quoque est, qui continuè illos punit, & supplicium ponit, quod valde semper timuerunt.
hoc enim omnium rerum suarum euersionem designabat. *Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.* Valde diligentis
etiam hoc verbum, valdeque illos non à præteritis solùm ad pudorem impellentis, verumetiam à futuris
studiosè attrahentis. Futurum enim secundi Aduentus
diem hoc in loco significat. Nónne igitur viderũt eum
postea, dices? Sed illud amodo non illam horam, sed
vniuersum vsque ad passionem tempus significat. Nam
quoniam ipsum Dei aduersarium & hostem appella-

bant, vt ipsos ad amorem sui hortetur, concordem se
Patri ostẽdit: iisdem etiam verbis, quibus & propheta,
vtitur, vt illum se esse demonstret, qui in prophetis est.
Cæterùm resurrectionem quoque suam occultius, secundum verò aduentum apertius denotauit, significãs
eos etiam qui vehementer increduli sunt tunc adoraturos. Quomodo autem id aperuit, futurúmque comprobauit? Multa ventura prædixit, quia scilicet mittet prophetas, quia eos interimẽt, idque in synagogis, quia extremas clades interfectores eorum patientur, quia domus ipsorum desolabitur in grauioréq; quàm vnquam
ærumnas incident: quæ omnia vel mente captis, nimiumque contentiosis secundum aduentum eius, & futuram omnium adorationem confirmãt. Interrogabimus nanque ipsos, nónne misit prophetas ac sapientes?
nónne occiderunt illos in synagogis suis? an domus ipsorum in desolationẽ dimissa non est, vel clades fortè
prædictæ in generationem illam non venerunt? Nullus
audebit profectò ista facta esse negare. Sicut igitur vniuersa hæc re ipsa euenerunt, sic illa certè futura sunt, &
videbunt, atque ipsum esse Christum necessitate rerum
facti certiores negare non poterunt, ac planè tunc se
submittent. Sed nihil inde vtilitatis accipient: quemadmodum neque illi qui euersa ciuitate resipiscunt. Quare
obsecro, quousque nobis tempus conceditur, rectè viuamus. Nam quemadmodum nihil ex illa cognitione
tunc illi lucrabantur, sic nihil ex illa pœnitẽtia nos consequemur. Nam neq; gubernator postquam nauis submersa est, neq; medicus postquam ægrotus obiit, quicquam prodesse potest: sed omnes antequam res in exitum veniat, studere ac vigilare oportet, ne in mortem
ac naufragiũ deueniant: nam postea nihil amplius prodesse possunt. Similiter igitur etiam nos quoniam in ægritudine vitam trahimus, & medicos cõgregemus, &
pecunias erogemus, & omni studio incumbamus, vt ab
ægritudine iniquitatis liberati, sani ex hac vita recedamus: & quantum erga seruos & vernas nostros cum illorum corpora ægrotant, studium adhibemus, tantam
diligentiam cùm anima nostra laboret, pro nobisipsis
assumamus. Certè quanquam propinquiores nosipsi
nobis simus, quàm serui nostri, & corporibus animæ
multò præstantiores sint: optabile tamen mihi est, si saltem æqualem vtrique rei diligẽtiam cõferamus. Quod
si modò non faciemus, cùm illuc abierimus, nihil nobis ad satisfaciendum relinquitur. Sed quis inquies,
adeò miser atque ignauus est, vt nec tãtam quidem erga se diligentiam habeat, quantam erga seruos suos ostendit? Sanè idipsum est, quod ego etiam vehementer
admiror: ita enim parui nosipsos facimus, vt magis nos,
quàm seruos nostros vilipendamus. Illis enim febricitantibus medicos conuocamus, cubiculum ipsis certum tribuimus, & medicinę legibus parere impellimus:
quas si negligunt, & irascimur, & custodes apponimus,
qui eos medicorum præceptis viuere cogant. quod si
magni precij opus medicina fuerit, libenter impensam
subimus, & medicis ipsis non paruam mercedem deponimus: quando verò nosipsi ægrotamus (semper autem ægrotamus) ne medicum quidem accurrere volumus, nullas pecunias impendere, nihil penitus prouidere, sed quasi publico quodam inimico & hoste nostro
iacente, sic anima laborante negligentes sumus. Hæc
dico, non quia velim à cultu seruorum vos reuocare,
sed quia valde desiderem, tantam curam, tantamque
diligentiam saltem habere de anima nostra. Et quo pacto, inquies, id faciemus? Monstra ipsam ægrotantem
Paulo, accede Matthæum, Ioanni assideas, ab ipsis diligenter audias quid eum oportet facere qui laborat, dicent tibi libenter, nec te remedium celabũt. Non enim

mortui

mortui sunt, sed viuunt, & prædicant. Sed non sentit, A
inquies, quia febricitat anima: coge tu ipsam, & partem ipsius rationis capacem excita, & prophetas introduc. Non exigunt pecuniam isti medici, nec quicquam
mercedis aut pro arte sua, aut pro præparandis medicinis flagitant, nec vllæ erunt tibi impẽsæ, nisi quod eleemosynam facere iubebunt. Nam alioqui ditiorem te
faciunt. Cùm enim modestiorem reddant, à multis te
inutilibus impendiis liberant: cùm abstinere à vino,
cùm non vti deliciis persuadeant: tunc certè ditiorem
te faciunt. Vides mirabilem medicorum artem? & sanitatem & pecunias simul præbebunt. Assideas ergo eis,
disce ab eis ęgritudinis tuæ naturam: vt verbi causa, pecuniarum feruore accẽderis, nec minus cupis, quam frigidam aquam febricitantes, audias quid remedij afferunt. Nam sicut medicus, si cupiditati obsequaris, illud
atque illud tibi euenturum prænunciat: sic Paulus quo-
1. Tim. 6. que, Qui ditari volunt, inquit, incidunt in tentationem,
& concupiscẽtias stultas & noxias, quæ in profundum B
interitus & perditionis homines præcipitant. Sed impatientiæ vitio laboras, audi rursus eum adhuc parum,
Heb. 10. Phili. 4. 1. Cor. 7. & qui venturus est veniet, & non tardabit: Dominus
propè est, nihil soliciti sitis: & rursum, Transit Mũdi huius figura. Non enim solummodo præcipit, sed etiam
consolatur sicut medicus: & quemadmodum illi alia
quædam ad sedandum sitim, præter aquam frigidam
excogitant: sic & iste à caducis ad æternorum concupiscentiam traducit. Ditari desideras, inquit, non prohibeo bonorum operum acquisitionem. Ingentes vis
thesauros condere? in cœlis eos repone. Et quemadmodum medicus offibus, neruis, dentibus obesse frigidum
asseuerat: sic & iste breuius quidem, quoniam breuitatis magister est, clarius autem multò, atque vehementius omnium malorũ radicem, auaritiam esse affirmat.
1. Tim. 6. Ibidem. Qua igitur re, inquies, vti oportet? Neque id prætermittit, sufficientia, inquit, pro auaritia: magnus enim quæstus est sufficientia cum pietate. Quòd si repugnas, quia
plura desideras, & nondum potes superflua cuncta proiicere, etiam si ægrotanti quid faciendum sit, dicit: Vt
qui lætantur in possessionibus, sicut non lætantes sint:
& qui habent, tanquam non retinentes: qui vtũtur hoc
2. Cor. 7. Mundo, tanquã non vtentes. Perspicis qualia sunt quæ
iubet? Vis vt alium etiam medicum conuocemus? mihi
ita videtur. Non enim isti sicut medici corporis inter se
ambitionis causa ita certant, vt plerunque diem suum
ægrotus propter contentionem eorum obeat, sed ad
laborantium sanitatem solummodo respiciunt. Noli
ergo multitudinẽ eorum formidare, vnus in omnibus
loquitur Christus: age igitur, audi quàm grauiter hunc
Sup. 6. morbum alius, imò magister omnium castiget. Nõ potestis, inquiens, Deo simul & mammonæ seruire. Quomodo autem hæc erunt, & quomodo cõcupiscentiam
deponemus, inquies? Audi eum, nec enim id prætermisit, sed quomodo id poterimus facere perdocuit. Noli-
Ibidem. te, dicens, in terris thesaurizare, vbi tinea & ærugo de- D
molitur, vbi fures effodiunt, & furãtur. Perpendis quomodo tum à loco, tum à corruptoribus & deprædantibus ab hac abducẽs auaritia, Deo affigit vnde nihil potest asportari. Nam si diuitias vestras eò trãsponetis, vbi
Sup. 19. nec tinea, nec ærugo demolitur, nec fures effodiunt, atque furantur, & hanc facillimè ægritudinem depellet-
tis, & animam in magna rerum copia constituetis. Ad
hæc quemadmodum medicus exemplo terret, quia ille
atque ille, inquit, aqua frigida vsus, periit: sic etiam ipse
vt moderatiorem te faciat, diuitẽ vitæ ac sanitatis cupidum inducit, quem auaritia impeditum, non fuisse
Luc. 19. Sup. 6. optata consecutum ostendit. Alius deinde euangelista
in flammis laborantem diuitem in medium adduxit,

qui nec stillam aquæ potuit inuenire. Facilia verò hæc
esse ostendit, dicens: Respice ad volatilia cœli: adeoque Sup. 19. & infirmitati tuæ condescendit, vt nec diuitem desperare Mar. 10.
permittat. Nam quæ hominibus impossibilia sunt, inquit, ea Deo possibilia sunt. Ita & si diues es, mederi
tamen tibi facilè potes: non enim ditari prohibuit, sed
diuitiis seruire, & huic cupidati affigi vetuit. Quomodo
igitur possibile est diuitem saluari? Si quæ habet, communia sibi cum indigentibus sint, qualem Iob illum
fuisse non ignoramus. Si cupiditatem superfluj ab ani-
mo euellat, si vltra necessariũ vsum minimè procedat. Luc. 5.
Præterea Publicanum etiam hunc ipsum tibi propo-
nit, qui etsi magno æstu auaritiæ febricitaret (quid
enim publicano rapacius?) velociter tamen liberatus,
quoniã præceptis medici paruit, eximiũ habendi con-
temptum complexus est. Quid plura? omnes discipuli
Christi his ægritudinibus, quibus & nos laborantes,
facellimè curati fuerunt, quorum singulos ne desperemus, nobis proponit. Hunc igitur ipsum publicanum
considera ac cursum alterum publicanorũ principem,
quomodo quadruplum raptarum ab eo rerum, & me-
diam omnium rerum suarum partem daturum se pol- Luc. 19.
licetur, vt Iesum recipiat. Sed ardes tu, atque inflãmaris cupiditate pecuniarum. Habes igitur quæ omnium
sunt quasi tua, plura tibi dat quàm postules, diuitum o-
mnium Orbis domos tibi aperit. Qui enim patrem, aut
matrem, aut agros, aut domum dimiserit, centuplum Sup. 19.
accipiet. Ita non pluribus solùm potieris, verumetiam
difficilem hanc sitim restingues, omnia facilius ferens,
non modò plura non desiderans, sed ipsa etiam plerunque necessaria contẽnens. Nã & Paulus cùm esuriret, Philip. 4.
tunc magis gloriabatur, quàm quando comedebat: sic
& athleta coronas ex certaminibus meriturus certãdi
laborem non fugit, vt in otio viuat: & mercator qui
transmarinarum mercium lucra gustauit, desidiosè vi-
uere non sustinet. Et nos igitur, si fructus spiritales vt
C decet gustauerimus, præsentia certè vniuersa vilipen- C
demus, futurorum cupiditate, quasi optima quadam
ebrietate capti. Gustemus igitur de fonte spiritali, vt
& præsentium tumultu atque turbatione liberemur, &
futuram beatitudinem consequamur, gratia & miseri-
cordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

HOMILIA LXXVI. EX CAP. XXIIII.

ET egressus Iesus de templo ambulabat, & acces-
serunt discipuli eius vt ostenderent ei ædifica-
tiones templi. Ipse autem respondens dixit eis,
*Nónne videtis hæc omnia? Amen dico vobis,
non relinquetur hîc lapis super lapidem, qui nõ
destruatur.* Quoniam superius dixit Iudæis quod relin-
queretur domus eorum deserta, milléque alia mala
prænunciauit, quæ cùm audissent discipuli; tanquam
admirantes, magnificentiam templi ostendebant, quasi
ambigentes tantam rem támque inauditam, tum ex-
D cellentia materiæ, tum artis varietate mirabili posse de- D
struj: idcirco non iam desolationem futuram solùm, sed
omnium destructionem apertissimè prædicit. Nónne
videtis igitur, inquit hæc omnia, & admirantes stupescitis? non manebit lapis super lapidem. Quo modo
igitur permansit, inquies? quidnam hoc est? † Nec Neque e-
enim ipse nullum omnino lapidem super lapidem re- nim pro-
mansurum dicebat, verùm aut omnimodam, vt ita di- ptérea i-
xerim,] destructionem ac desolationem significabat, psius sen-
aut in eo loco quem sibi discipuli ostendebant, ad fun- tentia irri-
damenta vsque vniuersa dirupta fuerunt. Sunt enim ta fuit. nã
aliquæ partes templi solo penitus exæquatæ. Præterea aut maxi-
illud maximè dicendum est, quoniam à rerum euentu mam de-
valde quoque contentiosos credere oportet, omni ex struet.)

Universidad de Deusto
Biblioteca

parte reliqua quoque peritura esse. *Sedente autem ipso in monte oliuarum, accesserunt discipuli secretò, dicentes: Dic nobis quando hæc erunt? & quod est signum aduentus tui, & consummationis seculi?* Idcirco seorsum accesserunt, quia de magnis & occultioribus rebus interrogaturi erãt. Quia enim futuram illam gloriam videre cupiebant, quam innumerabilia sibi allaturã bona credebant, ideo diem aduentus dicere festinabant. Duo igitur interrogant: vnum quando hæc erunt, templi huius scilicet euersio: Luc.21. alterum, quod aduentus tui signum est. Lucas verò vnum de Hierosolymis videlicet interrogasse ipsos exponit: putabant enim tunc etiam statim aduentũ ipsius Mar.13. futurum. Marcus autem non omnes de Hierosolymorum euersione, sed Petrum & Ioannem, qui maiorem apud eum habebant fiduciam, interrogasse ait. Quid igitur ipse? *Videte ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus: & multos seducent. Audituri autem estis prælia & opiniones præliorum, videte ne turbemini. oportet enim omnia fieri: sed nõdum est finis.* Nam quoniam de Hierosolymæ suppliciis tanquam à se alienis audientes, quasi omnes periculi inexpertes futuri, de secũdis solummodo cogitabant, quæ se cito consecuturos arbitrabãtur: idcirco rursus difficiliora eis prædicit, suspensos faciens, & dupliciter ad vigilãdum exhortans, ne adulatione seducentium circunueniantur, néve periculorum vi opprimantur. Duplex enim bellum futurum asserit, alterum à seductoribus, alterum ab hostibus: sed illud multò grauius atque periculosius, quod in cõfusione atque turbatione rerum hominibus timore perterritis incumbet. Magna enim tunc profectò tempestas Iudæam turbabat, Romana vi superante, multis vrbibus expugnatis, & armis vniuersa regione referta, qua de causa multa facillimè credebãtur. Nam bella nunc non ea quæ in aliis partibus orbis gesta fuerunt, nulla enim illorum cura erat: sed ea quæ aduersus Hierusalem Romani susceperunt, prænunciat. Præterea nihil noui diceret, si quæ orbi subinde eueniunt enarraret: fuerunt enim etiam anteà & bella, & tumultus, sed aduersus Iudæos procul ventura bella prædicit. Iam enim Romanorum potentia solicitos eos faciebat: ac quoniam turbatura ipsos erat, hæc omnia prædicũtur, vt ostendat deinde se quoque ipsum in Iudæos insurrecturum, non pugnas solùm, verumetiam illata diuinitus vulnera, pestem, annonæ inopiam, ac deniq; terræmotus prædicit, quæ non vt alia, naturali quadam rerum connexione, sed superiore ira futura cõfirmat. Præterea nec simpliciter, nec repentè, sed cum signis hæc asserit ventura, causam quoque harum cladium posuit, ne propter credentes hoc euenisse Iudæi contendant. In superioribus enim dicebat, posteaquam effusi effundendiq; à manibus eorum sanguinis mentionem fecit: Amen dico vobis, quia venient hæc omnia in generationem hanc. Deinde ne tanta malorum vi prædicationem impediri crederent, subiunxit: *Videte ne terreamini, oportet enim hæc omnia fieri.* Fient, inquit, omnia quæ prædixi, & tẽtationum impetus non dirumpet rem meam, ita turbatio atq; tumultus omnis oracula mea turbare non poterit. Quia verò Iudæis dixit, Non videbitis me, donec dicatis, benedictus qui venit in nomine Domini: vnde discipuli putabant vnà cum Hierosolymorum euersione consummationem omnium futurã, hanc eorum opinionem emendans adiecit: *Sed nondum est finis.* Quia autem sic existimabant, ab ipsa illorum interrogatione manifestum est. Quid enim quæsierunt? Quando hæc erunt: hoc est, quando Hierusalem euertetur: & quod est signum tui aduẽtus & consummationis sæculi? Ipse autem non ad interrogationem hanc statim respondit, sed illa prius posuit, quæ prius dicenda erant.

Sup.13.

Nam nec de Hierosolymis, neque de secundò suo aduentu illico, sed de his malis quæ iam in ianuis erant, verba fecit: ideo solicitos eos facit, dicens. *Cauete ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus.* Sic posteaquam ipsos ad istarũ rerum auditum susciuit: Cauete nanque, inquit, ne decipiamini. posteaquam solicitos curiososque reddidit, & ad vigilãdum paratiores, seductorum & pseudochristorum facta mentione, tunc demum Hierosolymorum exponit afflictiones, à præteritis semper futura ita confirmans, vt vel rudiores ad credenda hæc facilè induci queãt. Bella verò, & bellorum opiniones siue rumores, primos impetus appellat: & ne post illa bella consumptionẽ omnium futurã putarent, præmuniens, vt diximus, intulit: *Sed nondũ est finis. surget enim*, ait, *gens aduersus gẽtem, & regnum aduersus regnum.* Afflictionum originem intelligit: hæc autem omnia dolorũ principium sunt, eorum videlicet, quæ illis accident. *Tunc tradent vos in tribulationes, & interficient vos.* Oportunè pericula discipulorum inseruit, vt à communibus eos consolaretur: nec tamen id sibi suffecit, sed adiecit: Propter nomen meum. *Eritis enim, ait, odio omnibus propter nomen meum. Tunc scandalizabuntur multi, & inuicem se tradẽt, & multi pseudochristi & pseudoprophetæ surgent, & seducent multos: & quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui autem perseuerauerit in finem, hic saluus erit.* Maius id Malum est, siquidem intestina quoque bella imminent. Multi enim falsi fratres facti, eos turbabant. Vides bellum triplex futurum? Vnum ab hostibus, alterum à seductoribus, tertium, à falsis fratribus. Audi nũc Paulum de his plangentem atque dicentem: Deforis pugnæ, intus timores, & pericula in falsis fratribus. Et rursus, Tales enim falsi apostoli sunt, dolosi operarij, in apostolos Christi se transformantes. Affert inde quod multò cæteris grauius erat, nec ab ipsa quidem charitate vllum eos solamen habituros. Deinde ostendens, generoso excelsoque animo nihil hæc officere posse, nolite timere, aut turbari, ait. Nam si tolerantiam, vt decet, habebitis, non superabunt vos hæc mala. Quod inde comprobatur, quia omnino prædicatio vbique terrarum amplificanda est, adeò pericula hæc omnia cumulosè superabitis. Sed ne, quomodo victuri essent ambigerent, plus intulit, quia non viuetis solùm, verumetiam vbique terrarum prædicabitis. *In vniuerso enim orbe prædicabitur*, inquit, *euangelium hoc in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* Consummatio scilicet Hierosolymorũ. Quòd enim istud diceret, quòdque ante vrbis euersionem per Mundum euangelium effusum esset, Paulum audi: In omnem terram exiuit sonus eorum. Et rursus, A spe euangelij quod audistis, quod prædicatum est in vniuersa creatura, quæ sub cœlo est. Et videas eum à Hierosolymis ad Hispaniam vsque currentem. Quòd si vnus in tanta parte orbis prædicauit, cogita quid à reliquis factum fuerit. Sed & alibi Paulus de euangelio scripsit, quod fructum ferat, & crescat in omni creatura quæ sub cœlo est. Quid autem est, in testimonium omnibus gentibus? Vbique, inquit, prædicabitur, sed non omnes vbique credent. In testimonium autem non credentibus vbique prædicabitur, hoc est, in redargutionem, reprehensionem, & testimonium. Nam qui crediderunt, aduersus incredulos testabuntur, & condemnabunt eos: idcirco posteaquam euangelium in vniuerso orbe prædicatum fuerit, Hierosolyma euertetur, vt nec vmbra excusationis ingratis relinqueretur. Nam qui potentiam eius in breuissimo temporis spatio per totum Orbem quasi fulgur rutilasse viderunt: quam veniam habebunt in duritie permanentes? Quod autem vbique tunc prædicatum

Pſal.18. & Rom. 10. Coloſ.1.

Ibidem

dicatum fuerit, Paulus, vt diximus, ostendit dicens: A spe euangelij quod audistis, quod prædicatum est in vniuersa creatura, quæ sub cœlo est. Quæ res maximum argumentum omnipotentiæ Christi est. Viginti enim annis, aut ad summum triginta, ad omnes oras Orbis euangelium transcurrit: post hæc igitur, vt dixi, Hierosolymorum finis aderit, hoc enim ipsum significasse ex prophetia patet, quam adiecit ad confirmandam euersionem Iudeorũ, dicens: *Cùm autem videritis abominationem desolationis, quæ dicta est per Danielem prophetam, stantem in loco sancto, qui legit intelligat.* Ad Danielem eos remisit, abominationem autem statuam appellat eius, qui vrbem expugnauit, quam desolata vrbe, atque subuerso templo, intus statuit: quocirca & desolationis ipsam appellauit. Verùm vt discerent hæc futura, nonnullis eorum adhuc viuentibus idcirco dicebat: Cùm videritis abominationẽ desolationis: vnde maximè & Christi virtus, & apostolorum fortitudo mirabilis, videlicet qui temporibus illis prædicabant, quando maximè Iudæi omnes pellebantur, quando quasi seditiosi, ac improbi obseruabantur, quando vndique illos exterminandos esse Cæsar iam iusserat: neq; aliter fiebat, quàm si is qui cùm maria vndique insurgãt, cùm tenebris aër obductus sit, cùm crebrò atque alia super aliam naufragio nauis submergatur, cùm inter se nautæ qui supersunt omnes diffideant, cùm beluæ de profundo emergant, vnáque cum fluctibus nauigantes arripiant, cùm fulmina iaciantur, piratæ insidiẽtur, nulla fides sit inter eos qui in nauigio sunt, tunc, inquam, iubeat aliquis vt maris & nauigandi imperiti gubernacula teneãt, & nauali bello contẽdant: cúmque classis maxima, simul & instructissima ex diuerso aggredietur vnam habentibus nauiculam, & eam ita, vt diximus, miserè apparatam, in aduersam & maximam classem insurgere iuberet, ac eis victoriam pollicitaretur. Nam & à gẽtibus quasi Iudæi odio habebantur, & à Iudæis acriter impugnabantur, quasi legem ipsorum soluentes: ita nullibi quiescere poterant, cùm vbique præcipitia essent, acuti scopuli starent, cautes ac saxa subesssent latentia, in ciuitatibus, in regionibus, in domibus, omnes vnà & singuli eos aggrediebantur, imperatores, principes, qui priuati, & qui cum potestate erant, vniuersæ gentes ac omnes populi. Sic tãta turbatio erat, vt nullus oratione assequi posset. Valde namque Romanorum principatus Iudæos persequebatur, quoniam mille aduersus eos excogitabant insidias, nec tamen hinc vel minimam iacturã prædicatio habuit: sed capta vrbe atque cremata, & habitantibus miserrimè afflictis, qui inde erant apostoli nouas leges, & noua præcepta viuendi Romanis vel inuitis imponebant. O rem nouam, atque inauditam in natura! Iudæorum innumera millia Romani tunc vicerũt, atque ceperũt, & à duodecim viris nudis atque inermibus superati sunt. Quæ oratio exponere poterit tãti miraculi magnitudinem? Duo enim hæc docentibus inesse oportet, vt authoritate polleãt, & ab audientibus diligantur, & ad hæc tertium, vt ea dicantur quę audienti placeant, & in tempore quietis prædicẽtur: quæ omnia tunc omnino contraria erant. Nec enim per authoritatem fide digni putabantur, & qui fide digni esse videbantur, seducentes decipientésque multos, faciebant, vt apostoli non solùm non diligerentur, verum etiam vt odio haberentur, & cum dilectis cõuersari non possent. Ita vndique à gente, à patria, à legibúsque suis depellebantur. Ac rursus magna in ipsis apostolorum præceptis videbatur esse durities: è regione verò magna in priore vita, vnde homines abducebant, voluptas: præterea tam ipsi, quàm sequentes eos multis subiecti periculis, variisque mortis generibus crudeliter trucidabantur: & ad hæc omnia tumultus, & turbationes bellorum adeò difficilem rem faciebant, vt etsi nihil aliud resisteret, omnia tamen hinc dissolui facilè possent. Quare opportunum est exclamare, Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Pſal.105. Nam si Ægyptij Mosi faciẽti signa, vt lutum solummodo, ac lateres haberent non auscultarunt: quis persuasit apostolorum discipulis pro quieta voluptuosaque vita pericula, effusionẽ sanguinis, quotidianámq; mortẽ eligere, præsertim cùm alienigenæ, capitalesq; hostes qui prædicabant crederentur? Quod vt videas quãtum sit, quantúmq; vires excedat humanas, finge non in gẽtes, nõ in ciuitates ac populos, sed in domum vnam quampiam qui odio habeatur introire, vt cohabitantes ibi diuidat atque dirimat, abducátq; patrem à liberis, liberos à matre, ab amantissima vxore maritum, & videbis ante quàm aperire os, mutiréq; possit, discerptum atq; dilaniatũ. Quod si etiam de cõtemptis hominibus esse videatur, & onerosa imperans philosophari deliciis deditos iubeat, & vnus ad multos certare audeat: nónne antequam ad ianuam accedat, lapidibus obrutus iacebit? Id igitur quod in vna domo facere impossibile est, in vniuerso terrarũ orbe Christus per præcipitia, ignes, prærupta, scopulos, per bella terra marique fremẽtia discipulis missis perfecit. Quæ omnia si certius perdiscere velis, annonæ dico inopiam, terremotus, cæterásq; tragicas ærumnas, Iosephũ historiographum diligẽtius legas. Præterea etiã ipse dicebat, ne terreamini, fieri enim oportet hęc omnia: &, qui ad finẽ vsque perseuerauerit, hic saluus erit: &, prædicabitur omnino in toto mundo id euangeliũ. Exordia deinde, harum rerũ hæc esse ait: deiectos enim, & territos pauore propter illa quę dixit, conuertit etiam si multò plura futura essent incõmoda, asserens necesse esse vbiq; terrarum euangeliũ hoc prædicari: & tunc veniet finis. Vides quo modo se res tunc habebant? quo modo varia & grauissima bella gerebãtur in initio: præsertim quando maxima tranquillitate indiget, quicquid magnũ & cõsummatũ geritur. Quomodo igitur res se habebant? Nihil enim refert eadem rursus repetere. Primũ igitur bellum erat, quod seductores inferebãt. Veniẽt enim, inquit, pseudochristi, & falsi prophetæ. Alterũ Romanorũ. Audituri enim estis, inquit, bella. Tertiũ, quod inopiam rerum omniũ attulit. Quartũ quod pestes & terræmotus. Quid tum? quia tradent vos in tribulationes. Sextum, quia omnes vos odio habebũt. Septimum, quia alteri alteros tradent, & odio persequẽtur: Intestina enim bella his verbis significãtur, & demum pseudochristi & falsi fratres, & quòd omnium malorũ semper causa fuerit, charitatis extinctio. Vides mille bellorum genera, omniáq; noua & inaudita, sed tamẽ cuncta hæc, aliáq; complura quia prædicatum iri euangelium in vniuerso ipse voluit orbe, vicit superauitq; prædicatio. Vbi vbi sunt igitur, qui à natiuitatis momẽto fata nobis incutiunt, & Ecclesiæ dogmatibus temporũ reuolutionem audẽt obiicere? Quis commemorauit alium Christum, aliámq; rem similem fuisse, præsertim cùm centum annorum millia iam exacta esse mentiantur, illud verò nec fingere quidem audent: sed quámnam cœli, aut temporum circulationem dicetis? Vbi Sodomæ aut Gomorrhæ fulmina, aut diluuium aliud inuenietis? quousque ludetis, circuitiones has & eductiones rerum, & natiuitatem asserentes? Quo modo igitur, inquies, multa vt prædicuntur, eueniunt? quia cùm tu Dei auxilio te ipsum priuaueris, atq; aduersario te tradideris, omnes res tuas transponit vt vult, faciléq; huc atq; illuc vertit diabolus. Quod nõ ita in sanctis viris fieri potest, imò verò neque in nobis peccatoribus, dum tamen constanter animo ea despi-

Dan.9.

Contra Genethliacos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cianus. Nam etsi vita nostra improba sit, veruntamen A quia per diuinā gratiam veritatis dogmata magna constantia retinemus, facilè dęmonum insidias superamus. Quid autem aliud est ista natiuitas, præterquam iniustitia & cōfusio, quæ temerè ac absq; ratione omnia fieri persuadeat? Sed si nulla est, inquit, ista natiuitas, vnde alius dies, alius pauper est? Nescio: sic enim interea tibi respondebo, vt te doceam ne vniuersa velis temeraria curiositate scrutari, néve credere temerè omnia ferri: non enim quia tu causam ignoras, quæcunque in mentem venerint, fingenda sunt. Præstat enim proba ignoratione detineri, quàm falsa opinione mancipari. Nam qui causam nescit, facilè ratione ducitur: qui verò se scire credit cùm nesciat, non potest facilè veritatem suscipere, sed maiori sudore opus est, vt antequam vera inculcentur, falsa ex animo eius eiiciantur. Nam & in charta vbi nihil scriptum est, facillimè scribitur: literis verò plena, non similiter certè: necesse enim est priora malè scripta delere: & medicus qui nihil offert, eo qui B nocentia obtulit melior est: & qui ædificat illico ruitura, peior eo est qui nihil ædificauit. Et terra facilius aratro proscinditur quæ nihil habet, quàm quæ vepribus refertissima. Nequaquam igitur cuncta scire velimus, sed patiamur etiā nonnulla ignorare, vt quum doctorē inuenerimus, duplicem ei laborē non præbeamus: imò verò ne vt multi semper ægrotemus, qui falsis opinionibus occupati, emendari ac corrigi nunquam potuerunt. Non autē æqualis labor est seminare, posteaquam radicitus priora euulseris, & in agro nudo serere. Illic enim euertere multa prius necesse est, & tūc alia inserere: hīc verò præparatū aruū præbet auditus. Vnde igitur locupletatus est ille, iam dicā. Alius Deo tribuēte, alius permittente diuitias possidet: hæc enim ratio & breuis, & syncera est. Quid igitur fornicatores, adulteros, molles, & eos qui malè rebus vtuntur, ipse locupletes facit? Ipse quidem diuites non facit, sed locupletari permittit. Permultū autem interest inter facere, & permittere. C Cuius autē rei gratia ita permittit? Quia nondū tempus adest iudicij, vt vnicuique secūdum opera sua tribuat.

Luc.16. Quid enim illo diuite nequius, qui Lazaro neq; de micis quidē dari sustinebat? Qui quoniam cùm esset locuples, crudelitatem exercuit, miserabilior cæteris factus, nec stillam aquæ cōsequi poterat. Nam si duo quipiam improbi fuerint, quorum alter dies sit, alter pauperie prematur, quoniam non æquali fortuna hi vtūtur, non eodem modo ibi punientur, sed qui melioris conditionis hīc fuerat, maiori supplicio affligetur. Videmus ergo istum grauius vexatū, qui secūdis dum viueret rebus abusus est. Quare cùm videris iniquè ditatum fœlicitate vti non parua, ingemisce atque lachryma. Nam hæc

Rom.2. prosperitas maiores ipsi præparat pœnas. Quemadmodum enim multa peccantes quotidie si ad pœnitētiam redire contemnunt, thesaurum iræ sibi thesaurizant: sic qui non modò vexationes huius sæculi effugiunt, verūetiam bonis fruuntur, ibi acerbius cruciabuntur. Cuius D rei non à futuris solūmodo rebus, verumetiā à præsen-

2.Reg.11. ti vita exemplum tibi pręstabo. Beatus enim ille Dauid, quando cum Barsabee delictum illud commisit, & per prophetam arguebatur: idcirco vehemētius accusabatur, quoniā nimium honoratus à Deo, ita spurcè labe-

Ibi.12. batur: exprobrationem ipsius à Deo audias. Nónne, inquit, in regem te vnxi, & de manu Saulis erui te, & quæ fuerunt domini tui tibi concessi, & vniuersam Iudæ ac Israēlis domum? Et si hæc pauca tibi essent, alia quoque tibi adiecissem: cùm flagitium hoc fecisti coram me? Non sunt quippe eadem in omnibus peccatis, sed multa variaq; supplicia. Nam & ætate, & educatione, & dignitate, & ingenio & vsu rerum, atq; prudentia, aliisque compluribus variantur: verùm vt clarius id fiat, in fornicationis delicto examinetur. Perpende igitur quantā diuersitatem punitionis, non à me, sed à diuinis scripturis comperio. Fornicatus quispiam ante Legem fuit, a-

Rom. 2. Ibid. lio quodam modo illum puniri Paulus ostendit, dicēs: Quicunq; sine Lege peccarunt, sine Lege quoque peribunt. Idem, alius post Legem deliquit, grauiora sustinebit. Quicunque enim in Lege peccarunt, inquit, per Legem iudicabuntur. lapsus similiter antistes est: non parua pœna propter dignitatem afficietur: propterea aliæ quidem fornicatrices necabantur, sacerdotū verò filiæ igne cremabantur. Qua ex re quàm magnus pœnarum cumulus pontificem expectet peccātem, Legis conditor voluit significare. Nam si filiam eius atrocius puniri iussit, quid erit de ipso? Passa mulier vim est, nullā punitionem meretur: lapsa est similiter dies & pauperrima, quantum interfit ab his patet, quę modo de Dauid exposuimus. Post aduētum Christi quidam peccauit, si non initiatus, nec catechumenus, moriatur, grauiores omnibus illis pœnas daturus est. Post Lauacrū delictū admisit, hīc iam nullum erit peccatori solamen: quod

Heb.10. Paulus significat, dicēs: Legem Mosi aliquis cōtempsit, absque misericordia duobus vel tribus testibus moritur: quanto existimatis grauiore dignum supplicio, qui filium Dei cōculcauit, & sanguinem testamenti cōmunem putauit, in quo sanctificatus est, & gratiam Spiritus contumelia affecit? Fornicatus verò quidam vir sacer est, verticem quippe fornicationis hæc improbitas tenet. Vides quàm multa, variáque discrimina in vno peccato considerantur. Aliud ante Legē, aliud post Legem: aliud sacerdotis, aliud ditissimæ, aliud pauperrimæ, aliud catechumenæ, aliud fidelis filiæque pōtificis. Cæterum magna etiam à cognitione differentia nascitur. Qui nouit voluntatem domini sui, & non facit, va-

Luc.12. pulabit plagis multis: & post exempla peccare grauioris pœnæ causa est, ideo dicit: Vos verò neque videntes

Sup.4. pœnitentiam postea egistis. quamuis magno cultu sitis honorati. Ideo & Hierusalem improperans dicit, Quoties volui congregare filios vestros, & noluistis? Gra-

4. Esdr.1. Luc.16. uius etiam est deliciis abundantem peccare, vt in diuite illo, & Lazaro videmus. Locus etiam differentiam facit, quod ipse dominus significauit, dicens: Inter templum & altare. Ipsa quoque delicta modos quosdam habent quibus diuersificantur. Non est mirum, inquit, si apprehenditur quidam furans. Et rursus: Occi-

Sup.13. Pro.6. disti filios tuos & filias tuas, hoc super omnem fornicationem & abominationes tuas grauius est. Et à personis rursus: Si peccauerit aliquis in hominem, orabunt pro

1.Reg.2. ipso: sin verò in Deum peccauerit, quis orabit pro ipso? Et quando eos qui multò cæteris peiores sunt, nequitia superamus, quod apud Ezechielem criminatur, dicens:

Exe.16. Ne secundum quidem iustitiam gentium fecisti. Et quando nec exemplo quidem aliorum corrigimur, Vidit sororem ipsius, ait, & iustificauit eam. Et quādo ma-

Ibidem Sup.11. &Luc.10. iore quis patrocinio diuino vsus est. Si enim in Tyro & Sidone hæ virtutes factę fuissent, olim pœnitentiam egissent: veruntamen tolerabilius erit Tyro & Sidoni, quàm ciuitati huic. Perspicis exactam diligentiam, perspicis eorundem peccatorum non idem esse supplicium? Nam quando ex indulgentia diuina nihil lucri retinere volumus, peiora merito patiemur: quod Paulus adaperuit dicens: Secundum duritiam tuam, & im-

Rom.2. pœnitens cor, iram tibi thesaurizas. Hæc intelligentes non offendamur, nec pertubemur propter varium humanarum rerum defluxum, nec ratiunculæ humanæ tempestatibus fluctuemur: sed incomprehēsibilitati diuinæ prouidentiæ cedentes, virtutes insequamur, & vitia fugiamus, vt futuris bonis potiamur, gratia & misericordia

sericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

HOMILIA LXXVII. EX CAP. XXIIII.

TVNC *qui in Iudæa sunt, fugiant in montes: & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertatur vt tollat vestes suas.* Cùm de futuris Hierosolymæ vrbis ęrumnis, & de apostolorum certationibus dixerit, ac inuictos fore, & per vniuersum orbem prædicaturos asseruit, ad Iudaicas rursus redit calamitates: vt ostēdat tunc Iudæos cladibus maximis implicandos, cùm discipulorum splendor & prædicatio vniuersum fuerit orbem complexa. Tu autem perpende, quo modo ab his quæ minima videntur, inauditam attrocitatē belli exponat. Tunc enim qui in Iudæa sunt, ad montes fugiant, inquit. Tunc istud, quando significat? quando hæc fcilicet fient, quando desolationis abominatio in loco sancto steterit: tunc ergo, inquit, cùm armati hostium exercitus omnia repleuerint, B quoniam nulla vobis spes salutis relinquitur, ad mōtes festini fugiatis. Nam quoniam sæpe aliās è grauioribus se bellis receperunt: vt tempore Sennacheris & Antio-

2.Mach.5. & 6. chi, quando irruente hoste & templo capto constantia & virtus Machabæorum cuncta reparauit, ne cogitare queant simile quid etiam tunc futurum, omnem mutationem in melius abstulit: satisque, inquit, est si quis omnino nudus saluabitur. Idcirco nec eos qui in tectis inuenientur, domum ad tollēdum inde aliquid descendere permittit: vt ineuitabilē & summam calamitatem ostendat, in quam qui inciderit, necessariò deperibit. Præterea si quis in agro erit, nec iste (inquit) ad accipiendas vestes suas redeat. Nam si fugiēdum est his qui intus erūt, multo minus qui extrà fuerit, intus refugere debebit. *Væ autem prægnantibus & lactantibus.* Alterum quia cùm tardiores sint, non possunt facilè fugere, onere ventris retentæ? alterum quando affectus infantium vinculo retinētur, cumq; nequeunt simul & se & lactē- C tes conseruare, vnà depereūt. Nam pecuniam quidem, & vestimēta contemnere facile est, sicut recuperare nō arduum: quæ verò natura duce comparantur, quomodo effugere poterit? quomodo ventre grauis, leuior fiet? quomodo lactans mulier lactantē infantem quem peperit negliget? Sed rursus magnitudinē ærumnarum significans ait: *Orate, ne fiat fuga vestra in hyeme, nec in sabbato: erit enim tūc tribulatio magna, qualis nūquā fuit à principio Mūdi vsque modo, neq; fiet.* Perspicis de Iudæis factū hunc sermonem fuisse, & de afflictionibus quæ illis incumbebant? Nec enim apostoli diem sabbati obseruaturi erant, sed nec in Iudæa erant, cùm hæc à Romanis fiebant, multi enim eorum iam decesserāt, & si quis viuebat, in aliis partibus conuersabatur. Cur autem nec hyeme, nec sabbato? Hyeme quidem propter ipsius tēporis importunitatem, sabbato autem propter authoritatem Legis. Nam quoniā velocissima quadā fuga in-D digebitis, nec sabbato audetis hoc facere propter Le- gem, nec hyeme potestis propter difficultatē tēporum, idcirco vobis orandum est. Talis enim futura tunc est tribulatio qualis nec fuit, nec erit vnquā. Nec putes exaggerationis cumulo id dictum esse. Quāta enim tunc

Ioseph libro 7. de bello Iudaico, c.7. Iudæos mala vexarunt, historia Iosephi demōstrat: nec potest certè dici fidelem illum fuisse, nec ideo rem oratione amplificasse. Nam & Iudęus erat, & feruētissimus fortè omnium Iudęorum, qui post Christi aduentū fuerunt. quid igitur scribit? Quòd omnem orationem tragicam clades illæ facilè superauerunt, nec tali vnquam bello gens Iudęorum laborauit. Quippe tanta fames in eo inualuit, vt ipsis matribus filiorum deuoratio studio fuerit, ac ea pro re bella inter se cierent, quodque multi

A etiam mortui per medios vētres discinderentur. Quare libenter interrogarem Iudæos quam ob rem tam intolerabilis ira diuinitus in eos fuit effusa, vt omnes ęrūnas præteritas non dico in Iudęa solùm, sed vbiq; terrarum factas excesserit? Nónne patet quod propter † temera- audax istud de crucifigendo Christo factum, præterque enūciationem istā: Istud vtique omnes dixerunt.) riam audaciam, & prolatā à se de crucifigendo Christo sententiam? Omnes certè ita exclamant] sed cum omnibus, & pro omnibus ipse rerum euentus. Tu verò ingentem malorum cumulum considera. Nam non ad transacta solummodo tempora, verumetiam ad futura collata grauiora omnibus videntur: nec enim in vniuerso orbe vnquam fuit tanta malorum exaggeratio: nec id iniuria. Neque enim aliquis vnquam hominum ausus fuit, nec quisquam tantum tamque horrendum potuit vnquam scelus audere. *Erit enim tribulatio talis,* inquit, *qualis nec fuit, nec erit: & nisi abbreuiati fuissent dies illi, nō fieret salua omnis caro: propter electos autē abbreuiabūtur dies illi.* Hīc ostendit grauioribus illos supplitiis dignos: dies autē nunc tempus belli, atq; obsidionis illius significat. Tale nāq; est quod dicitur: Si diutius Romanorum in Hierosolyma bellū durauerit, nemo Iudęorū omnino euadet: omnē enim carnē modò Iudaicā appellauit. Sic autē dixit, vt tam præsētes, quàm absentes his verbis includeret. Nō enim qui in Iudæa fuerūt, solùm impugnabantur: sed vbiq; dispersos Iudæos mirabili odio, & inaudita indignatione Romani pellebant, persequebātur, trucidabāt. Electos autē hīc fideles nominauit, qui in medio Iudæorū intercepti erāt. Nā ne dicāt Iudæi hæc mala propter prædicationem & adorationem Christi sibi accidisse, non solùm non fuisse causam malorum fideles ostēdit, verūetiam nisi fideles fuissent, interēptione vniuersos necandos fuisse asserit. Nā si dilatio belli permissione diuina facta fuisset, nullæ Iudæorum extarent reliquiæ: sed ne cum infidelibus Iudæis fideles interimerentur, citius ei bello finem imposuit. Ideo dicit, propter electos breuiabuntur. Ista autem dicebat, iis qui in medio illorū intercepti erant fidelibus consolationem relinquens, & respirandi potestatem eis concedens, ne tanquam simul perituri timeant. Quòd si in hac vita de fidelibus tanta est prouidentia, vt propter eos alij quoque saluentur, & Iudæorum reliquiæ propter Christianos supersint, quantus coronæ atque retributionis tempore honor erit? hinc etiam hortatur, ne periculis propriis contristentur, præsertim cùm videāt similibus nullo lucro, sed detrimento sui capitis alios vexari. Nec hortatur solùm atque consolatur, verumetiam occultius atque sensim à Iudaicis moribus abducit. Nam si nulla postea mutatio in melius futura est, nec rursus templum vnquam condetur: patet quia Lex etiam omnino cessabit. Id apertius dictum non est, nec pro tempore doleant. Propterea nec principaliter, & à seipso ad hunc sermonem deuenit, sed vrbem desiendo ad demonstrationem ædificiorum, & interrogandi necessitatem eos compulit, vt quasi ad interrogata respondens, futura prænunciet. Tu autem dispensationem spiritus diligenter considera. nihil enim horum Ioannes scridsit, ne quoniam post Iudæorum illas ærumnas longo tempore superuixit, ab euentu rerum, non à prædicatione Christi scribere videatur: qui autem ante illud bellum ad Dominum decesserunt quique nihil horū viderunt: ipsi vt vndique prædicationis veritas respłēderet, ista scripserūt. *Tūc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, vel illic, nō credatis. Surgēt enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, vt si possibile est, etiam electos seducant. Ecce prædixi vobis. Si igitur dixerint: Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente, & patet vsque in occidentem: ita erit &*

Universidad de Deusto
Biblioteca

aductus filij hominis. vbicunq; enim fuerit cadauer, ibi congregabuntur & aquilæ. Cùm ea quæ ad Hierosolymā pertinent, absoluisset, ad aduentum transitu facto, signa eius illis prædicit, non illis tātummodo verumetiam nobis, & posteris omnibus vtilissima. Tunc, inquit, quando? Hoc loco, quemadmodum sæpenumero in aliis dixi, non consequentiæ temporum neque præcedentiū connexionis istud tunc, est: vbi enim cōsequentiam voluit significare, statim post tribulationem illorum dierum subiunxit: hoc verò in loco tunc dicit, non statim post antecedētia significās, sed tēpus quo affutura sunt breuiter designans. Sic etiam quādo dicitur, In diebus illis venit Ioānes Baptista: non immediatè cōsequens tempus, sed quod multis pòst annis fuit, & in quo facta sunt ea quæ dicturus erat, denotare voluit. postquā enim de
Sup. 3. natiuitate Iesu, & de Magorum aduentu, & de Herodis interitu disseruit: statim subiunxit, In diebus illis venit Ioannes Baptista. atqui triginta ferè annorum spatia interfuerunt. Mos igitur est Scripturæ hoc pacto loqui, B quare hīc etiam vniuersō medio tempore prætermisso, quod à captiuitate Hierosolymæ vsque ad consummationem extenditur: Tunc intulit, si quis vobis dixerit, hīc est Christus, aut hīc, ne credatis. A loco prius ipsos cautiores facit, signa quædam secundi aduentus sui & seductorum indicia exponendo. Non enim quemadmodum primus apud Bethlehem fuit in angulo videlicet orbis minimo, nec vllo id hominum sciente, sic & secundus: sed manifestè adeò, vt nuncio res non indigeat. Non est paruum profectò signum ita venire, vt latere non possit. Considera autem quomodo nihil hīc de bello disputat, sed cùm de aduentu disserat suo, de seductoribus verba facit: multi quippe apostolorum etiam tempore seductores fuerūt. Venient enim, inquit, & decipient multos: qui verò ante secundum aduetum seducent, multò illis erunt deteriores. Ea enim signa atque prodigia dabunt, vt si possibile sit, electos quoque seducant. Antichristus autem significatur, cui nonnul- C
2. Th. 2. los etiam ministraturos ostendit: quem Paulus hominem peccati, filium perditionis appellauit. Deinde adiecit, Cuius aduentus est secundum operationem satanæ, in omni virtute & prodigiis mendacij, in omni deceptione iniustitiæ, in his qui perduntur. Perspice autem quomodo cautiores facit. Non exeatis, inquit, in eremum, non introëatis in penetralia: non dixit, Ite, & non credite: sed, non exeatis, neq; introcatis: magna enim fraus propter signa futura est. Cùm ergo dixerit, quomodo venturus est Antichristus, quia in loco aliquo futurus, tūc de seipso demum exposuit. Quomodo igitur ipse venturus est? *Sicut fulgur exit ab oriente, & apparet vsque in occidētem, ita erit aduentus filij hominis.* Quomodo igitur fulgur apparet? Non indiget certè præcone, aut nuncio, sed in momento temporum omnibus apparet: sic igitur aduentus ille statim propter gloriæ splendorem vbique videbitur. Aliud deinde signum adiecit, dicens: *Vbi cadauer, ibi congregabuntur &* D
aquilæ. Angelorum, martyrum. cæterorúmque multitudinem sanctorum ita significans. Signa posteà terroris plena percenset. Quæ autem hæc signa sunt? *Statim post*
Luc. 21. & Ezec. 32. & Ioel. 3. *tribulationem illorum dierum sol obtenebrabitur.* Quorum dierum? Antichristi videlicet, & falsorum prophetarum. Magna enim tunc tribulatio futura est, cùm ita multi futuri sint seductores, quanuis non longis temporum spatiis perdurabit. Nam si bellum illud aduersus Iudæos propter electos breuiori tempore fuit dissolutum, quanto magis propter eos ipsos contrahetur illa tentatio? Propterea non dixit, post tribulationem, sed addidit, statim post tribulationem: ita ferè simul omnia peraguntur, & pseudoprophetis, & pseudochristis perturbantibus confestim ipse aderit. Non enim parua tunc vexatio vniuersum orbem cōtinebit. Quomodo autem aduenier? Ita scilicet, vt creaturæ transformentur: sol enim obtenebrabitur, non quia destruetur, sed quia luce illius aduentus superabitur, & stellæ cadent. Quis enim vsus nulla existente nocte ipsarum erit? Et virtutes cœlorum commouebuntur: & merito quidem, cùm tantam mutationem rerum fieri perspicient. Nam si quando facta sunt, astra, ita miracula ex- Iob. 38.
horruerunt, vt ea de re dictum sit, quando facta sunt astra, Magna voce me omnes angeli mei laudarūt: multò magis tunc mirabuntur, videntes vniuersa commutari, conseruos rationē vitæ referre, orbem omnem terribili assistentem tribunali, ac omnes qui ab Adam aduētum vsq; illum facti sunt, omnium operum rationes reddentes. *Tunc apparebit signum filij hominis in cælo.* Hoc est Crux ipsa. Crux enim Sole fulgētior videbitur: obscuratur enim sol, Crux autem apparet: quod fieri non B posset, nisi solares radios splendore superaret. Cuius autem rei gratia istud signum apparet? Vt magno cumulo Iudæorum impudentia opprimatur, Crucem in suam iustificationem secum habēs, in Iudicium veniet. Non vulnera enim solùm, sed etiam acerbum ac ignominiosum mortis suæ genus ostendens: *tunc plangēt tribus,* non enim accusantibus opus erit cùm Crucē viderint. Plangent igitur, quia ex morte ipsius nihil profecerūt, quia crucifixum quem adorare oportebat, contempserunt. Vides quomodo terribiliter Aduentum suum descripsit? quomodo animos discipulorum suscitauit? idcirco prius tristia posuit, deinde iucūda commemorat, vt vel hoc modo eos consolaretur. Cæterùm passionis rursus, atque resurrectionis ex præstātiore habitu Crucis meminit, vt non iam pudeat eos nec dolor inuadat, cùm in signum tunc proponenda sit. Alius autē: Vide- Apo. 1.
bunt, inquit, in quem pupugerunt. propter quod vtique Ioan. 19.
plangent tribus videntes, quod ille ipse sit quem crucifixerunt: verùm quoniam Crucis mētionem fecit, ideo subiecit: quia videbunt filiū hominis, non in Cruce, sed venientem in nubibus cœli cum virtute, & gloria multa. Noli enim credere, quia Crucem audisti, tristem aut amarum futurum, sed cum virtute atque gloria magna venturum non dubita. Crucem autem secum habet, vt peccatum ipsorum sine accusatione condemnetur, veluti quis lapide percussus, ipsum lapidem vel cruentas vestes in testimonium ostendat. veniet autem in nube sicut assumptus est. hæc omnia tribus videntes flebunt, sed mala sua non in solo fletu terminabuntur. Et fletus quidem erit, vt à seipsis proferre sententiam, & seipsos condemnare aspiciātur. *Tunc autem,* inquit, *mittet angelos suos cum tuba magna, & congregabunt electos à quatuor ventis, à summis cælorum vsque ad terminos eorum.* Hæc tu audiens futuram punitionē quanta sit, per teipsum excogita: non enim his solùm, verumetiam illis pœnis vexabuntur: & sicut superius dicturos asserebat, Benedi- Sup. 12. &
ctus qui venit in nomine Domini: ita hīc dicit, quia Matt. 11.
plangent. Nam quoniā de bellis expositum grauissimis est, vt discant quòniam ad has afflictiones æterna quoque supplicia eos expectant, & ab electis separat, & lugentes, gehēnęq; traditos inducit, atq; etiā hinc rursum discipulos confirmat, ostendens à quātis liberabuntur malis, & quàm ingētibus bonis perfruentur. Cùm autē
1. Th. 4. sic liquidò atque apertè veniet per angelos vocat. Hoc Ibidem.
etiā vocationis modo illos honorauit. Paulus verò de resurrectione mortuorū verba faciēs: in nubibus rapiētur dixit. Ipse namque Dominus descēdet de cœlo, ait, in iussu, in voce archāgeli. Itaq; cùm resurrexerint, angeli omnes congregabunt: congregatos verò nubes rapiēt, & hęc omnia in momento tēporis fient: non enim

vocat

vocat eos sursùm manēs, sed ipse in tuba descēdit. Quid A curre, qui pro paruis magna liberaliter reponit. Sed nō
autem tubarum sonus sibi vult? Ad exsuscitationem, ad gaudium, ad exprimendum rerum stuporem, ad dolorem eorum qui relinquūtur. Væ mihi de die illo terribili, qui cùm oporteret nos expositione istarū rerum gaudere, dolemus, & mœrore conficimur: sed fortasse solus ego hæc patior, vos autē hæc audientes, lætamini. Nam me quidem, cùm hæc in mentem veniunt, horror inuadit terribilis, & amarissimè perstens ex profundo corde
Infr. 15. ingemisco. Nam quāuis nihil horum ad me spectet, illa
Ibidem. tamen quæ mox ad virgines, & ad seruum nequam, qui quod accipit talentum suffodit, quæ dicentur, vehemētius me perturbāt: propterea lachrymis cōfundor, quoniam à tanta gloria casuros non video, à tantorumque fruitione bonorum expellendos, & hoc non tēpore aliquo terminato, sed semper atq; perpetuè, solummodo quia parum laboris sufferre nolumus. Nam si magnus esset labor, & hæc lex onerosa, quamuis etiam sic cūcta essent toleranda. Attamen pleriq; desides excusationē B
aliquam habere viderentur, friuolā quidem, sed nihilominus propter præceptorum difficultatē, diuturnitatem temporis, laboris duritiē, intolerabile onus, nō potuisse sufferre videremur: nunc verò nihil huiusmodi dicere possumus, quod non minus tūc quàm gehenna nos exagitabit: quia quādo breuissimo spatio tēporis non insudauimus, cœlo & ineffabilibus bonis priuari nos intelligemus. Breue quidem tēpus hoc est, & labor minimus, & tamē oscitamus, & tota mēte torpemus. Terrestre certamē est tibi propositum, cuius corona in cœlo reddetur: ab hominibus exagitaris, & Deus tibi honores retribuet: paucis diebus curris, & ęterna præmia cō-
sequeris: corruptibili corpore luctaris, & incorruptibili laudaris. Sed præter illud apprimè tenendū est, quia etsi propter Christū nihil triste pati voluerimus, necesse tamen est alia de causa multa tristia sustinere. Non enim quia propter Christum mori non vis, idcirco immortalis futurus es: nec quoniam propter Christum diuitias C
tuas non distribuis, idcirco tecum eas auferes. Hæc à te Christus petit, quæ si ei non dabis, omnino tamen propter conditionē naturæ relicturus es. Hæc te tua sponte facere hortatur, quę omnino inuito te fient. Vnū solùm petit, vt propter eum vltro & non coactus facias. Vides quàm facillimū est hoc certamen? Nam quę necessario patieris, inquit, ea si propter me pati volueris, idq; vnicum tibi propositū fuerit, sufficienter mihi obtēperasti. Quod alij mutaturus aurum es, illud mihi & ad maiora fœnora, & cautione tutiori mutuato. Si alterius gratia militares labores susćipis, mihi etiam milita, quoniā cumulo retributionū ingenti labores tuos omnino excedam. Tu verò alios quidē qui vel in mutuo, vel in vēdēdo, vel militādo maiora tibi offerūt, anteponis: Christū verò solum præstantiora sine cōparatione prębētem aspernaris, atq; repellis. Cur tibi tam magnum cum eo bellū est? Cur tanto es inflāmatus odio? Vnde igitur ve-
niam ac satisfactionem impetrabis, cùm nec illis eum D
rationibus, quibus homines hominibus anteponere velis? Cur terrę thesaurū tuum tradis? In manu mea recōdas, inquit: Non videtut tibi dominus terræ tutior esse quàm terra? Illa quod reposuisti, solùm reddit, imò verò nonnunquā etiam amittit, & redonare non potest: ipse autem etiam mercedē, quia in manu sua reposuisti, redditurus est. Magna profectò nos charitate prosequitur, ideo si mutuo dare volueris, paratus semper vt accipiat est: si ferere tibi placuerit, libenter semina suscipit: si magnificas ædes condere cōstitueris, allicit te ad seipsum, & hortatur vt in regione sua ædifices. Quare ad inopes curris? ad homines dico inopes, qui aut tibi tuum non reddēt, aut certè malè & illiberaliter reddēt? Ad Deum

mouemur his verbis: ac ideo, vbi pugnæ, iudicia calumniæ, illò festinamus. An igitur iniuria punit nos atque euertit, cùm in rebus omnibus seipsum nobis præbeat, & nos ipsi studiosè resistamus? Nequaquam. Nam siue meo volueris expoliri ornatu, siue armis meis armari, siue mea indui vestimenta, siue dapibus meis deliciari, siue iter meum peragere, siue in ciuitatem peruenire cuius artifex & conditor ipse sum, siue in regione mea domum ædificare: ita hæc omnia facere potes, vt non modò nullam abs te harum rerum omnium mercedem exigam, sed ipse tibi magnæ velim esse mercedis debitor, dummodo vti rebus meis non abomineris. Quid huic liberalitati æquale vnquam inueniri potest? Ego ipse sum pater, ego frater, ego dominus, ego spōsus, ego nutritor, ego vestis, ego radix, ego fundamētum. Quic-
quid volueris ipse sum: nulla re indigebis, ego tuus ero
Sup. 20. minister. Veni enim non vt mihi ministretur, sed vt ego aliis ministrem. Ipse amicus sum, membrum, caput, frater, soror, mater, vniuersa ipse sum, dummodo mihi vt decet afficiaris. Ego pauper propter te, in cruce propter te, in sepulchro propter te: Patrem in excelsis pro te interpello, qui ad inferiora pro te à Patre missus descendi. Omnia tu mihi es, frater, cohæres, amicus, membrum. Quid vis amplius? quid auersaris amātem? Quid caduco huic Mundo laboras? Cur perforato aquam dolio ingeris? Nihil enim aliud est pro præsentibus istis laborare, quàm flammam discerpere, quàm pugnis aëra cædere. Cur frustra curris? Nónne vniuscuiusque artis finis quidam est? Ita profectò. Ostende igitur mihi huius secularis studij finem: sed non potes. Vanitas enim Eccles. 1. & 12.
vanitatum, & cuncta vanitas sunt. Proficiscamur ad sepulchra, ostende mihi patrem, ostende vxorem tuam. Vbi est qui purpuram induebatur, qui vehiculo ferebatur, qui exercitus ductitabat, qui corona militum cingebatur, qui lictoribus muniebatur, qui alios cædebat, alios in carcerem detrudebat, qui quos volebat interimebat, & liberabat similiter quos volebat? Nihil video nisi putrida ossa, & vermes, & araneam: omnia illa puluis, omnia fabula, omnia somnium, vmbra, narratio nuda, & imago: imò verò nec imago, imaginis quippe effigiem videmus: hīc autem nullam effigiem perspicere possumus. atque vtinam hīc omnia mala terminarētur. Nunc verò honores quidem, & voluptas, & maiestas omnis ad vmbram, & ad verba rebus nuda exitum habent. Quæ verò ab illis sequuntur, non vt vmbra & somnium euanescunt, sed permanent, & eo nobiscum ita transeūt, vt omnibus fiant apertissima. Rapinæ nanque, violentiæ, fornicationes, adulteria, cæteráque huiusmodi non vertuntur in cinerem, sed tam res quàm verba ibi conscribuntur. quibus igitur oculis tunc demum cernemus? Nam si patrem, qui te genuit, peccati aduersus eum conscius, aspicere non posses: quomodo ad Deum omni certè patre mitiorem oculos tunc ele-
uabimus? quomodo sustinebimus, quando Christi ter-
ribili assistemus tribunali, cùm exquisitissima peccatorum omnium persecutatio fiet? Si verò quispiam futuro non credit iudicio, ea consideret quæ hic fiunt. Videat eos qui in carceribus sunt, qui in metallis, qui in stercore, qui dæmonio agitantur, qui insaniunt, qui incurabili morbo laborant, qui continua pauperie premuntur, qui vexantur inedia, qui luctu intolerabili affliguntur, qui captiui degunt. Nemo enim istorum omnium hæc pateretur, nisi cæteris omnibus qui similiter peccant, supplicia post mortem imminerent. Nam quia nihil reliqui malè viuentes hīc patiuntur, hoc ipsum argumentum est, quia post exitum è vita omnino punientur. Non est enim credibile cùm vnus sit omni-

Universidad de Deusto Biblioteca

A bus Deus, alios hîc puniri, alios euadere impune, eorum qui similiter deliquerunt, nisi pœna ibi certa reseruaretur. His igitur rationibus & exemplis persuasi, humilius viuamus, & qui iudicium non credunt futurum, credant iam, & meliores fieri studeant, vt cœlorum regno dignè vitam hîc peragẽtes, futura supplicia euitemus, & æterna bona nanciscamur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

HOMILIA LXXVIII. EX CAP. XXIIII.

AB *arbore autem fici discite parabolam, quando iam ramus eius tener fuerit, & folia germinauerint, cognoscitis quoniam propè est æstas. Ita & vos cùm videritis hæc omnia, cognoscite quoniam propè est in ianuis.* Quoniam dixit, statim post tribulationem illorũ dierum, ipsi verò certum, videre.) definitúmque tempus quærebant, & diem ipsum † discere] cupiebãt: idcirco similitudine vtitur ficus, ostendens non magna spatia temporum interfutura, sed cõ- B sequenter atque deinceps illum diem venturum: quod non similitudine solùm, verumetiam sequentibus verbis expressit, dicens: Scitote quoniam propè est in ianuis. Hinc etiam prædicit æstatem tunc spiritalem, trãquillitatémque à fluctibus huius vitæ iustis hominibus futuram: iniustis autem à cõtrario hyemem ac terribiles tempestates post æstiuam tranquillitatem venturas, quod paulò pòst significauit dicens: lasciuè illis viuentibus diem illum esse venturum. Non autem ea ratione tantummodo, vt spatium temporis designet, ficus similitudine vsus est, cùm & aliter istud significare potuisset: sed vt omnino futuram rem cõfirmaret. Nam sicut hoc esse necesse est, sic illud quoq; necessario erit. Nam vbi rem omnino futuram demõstrare vult, in medium aliquid profert, quod naturali quadam necessitate euenire solet. Nec ipse solum, sed & ipsius imitator Paulus. Propterea etiam de resurrectione disserẽs, ait: Ioan. 12. & 1. Cor. 15. Granum tritici cadens in terram, nisi mortuum fuerit, ipsum so- C lum manet: si autem mortuũ fuerit, multum fructũ affert. Ibidem. Similiter etiã beatus Paulus ad Corinthios, Insipiens, ait, tu quid seminas nõ viuificatur, nisi mortuũ fuerit. Verùm ne rursus interrogẽt, quãdo igitur hęc erunt? in memoriam prædicta reducens, ait: *Amen dico vobis, nõ præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.* Quæ omnia, dic quæso? Bella in Hierusalem, fames intolerabilis, pestis inaudita, terræmotus, pseudochristi, pseudoprophetæ, prædicatio euãgelij in vniuerso terrarum orbe, seditiones, turbationes, & cætera omnia quæ ad aduentum vsque futura sunt. Quomodo igitur hæc generatio dictum est? Non de viuentibus tunc, sed de fidelibus dixit. Nouit enim Scriptura non à temporibus solum sed etiam à piis moribus generationem describere: vt quã- Psal. 23. do dicitur, Hæc est generatio quærentium dominum. Quod igitur in superioribus dicebat, quia oportet hæc Hic sup. Ibidem. omnia fieri, & rursus: Vbique prædicabitur hoc euãgelium: id in hoc quoque loco, quia scilicet hæc omnia e- D uenient, & fidelium generatio nullo incommodo dissipata permanebit. Ita Hierusalem euersa Iudæísq; in nihilum penè redactis, à nulla re fides superabitur. Non enim fames, non furor, non pestis, non terræmotus, nõ bellorum impetus, non pseudochristi, non pseudoprophetæ, non seductores, non qui tandem perturbabunt omnia, non falsi fratres, non alia huiusmodi tẽtatio aduersus fideles præualebit. in maiorem deinde fidẽ ipsos adducens, ait: *Cœlum & terra trãsibunt, verba autẽ mea non præteribunt.* Facilius enim, inquit, hæc firma & immobilia destruentur, quàm verba mea possint decidere. Examinet, oro, si quis repugnet, & si vera inueniet iam trãsacta antè, omnino ab illis ad credenda futura animum

inducat: examinet, inquam, exquisitissimè, & videbit exitum rerum huius prophetiæ veritati attestantẽ. Elementa verò hæc in medium produxit, partim vt cœlo ac terra præstantior Ecclesia significetur, partim vt vniuersi creatorẽ se esse ostendat. Et quoniam de consummatione disseruit, de re scilicet quæ à multis non creditur, cœlum & terram in medio posuit, vt ineffabilem virtutem suam ostẽderet, & magna cùm potestate vniuersi se Dominum significaret, ex quibus omnibus vel nimium ambigẽtes ad fidem præparet. *De die autem illa, & hora nullus nouit, neque angeli cœlorum,* * *neque Filius, nisi solus pater.* Et quod dixit neque angeli, repressit eos ne discere vellent, quod angeli nesciunt. Et verò quod dixit, neque Filius, non solùm à discẽdo, sed etiam à quærendo prohibuit: hac ratione id dictum esse illud ostendit, quod post resurrectionem curiosius quærentibus respondit. Nunc enim multa signa dixit, tũc verò apertè repressit, dicens: Non est vestrum nosse tempora vel momenta. Deinde ne dicant neglectos se atq; contemptos esse, qui nec harum rerum digni videantur, subiunxit: Quæ Pater posuit in sua potestate. Magnę nanq; sibi curæ fuit honorare illos, & nihil quod eis conduceret, & possent ferre, celare. Propterea Patri istam noticiam attribuit, rem arduam esse ostendens, maioremq; quàm ipsi capere possent. Nisi autem ita sit, sed ipse quoq; Filius ignorat, quando sciet, an vnà nobiscum? quis hæc vnquam dicere poterit? Patrem Filius optimè nouit, & eo prorsus pacto quo Pater filium, diem autem illam ignorat? Præterea etiam Spiritus Dei profunda inuestigat, Filius verò nec tempus quidẽ Iudicij nouit? Sed quomodo quidem iudicare oporteat, nõ fugit eum, & arcana singulorum clam eo nõ sunt: quod autem multò vilius est, id ignorat? Adhuc quomodo is per quem Ioan. 1. omnia facta, & sine ipso factum est nihil, diem illam ignorabit? Qui enim sæcula fecit, is profectò creauit & tempora. si autem tempora, vtique & diem produxit. Quomodo igitur quem ipse produxit, ignorat? Deinde vos vel ipsius substantiam filij non ignorare affirmatis, Filio verò nec illius diei cognitionem conceditis, Filio dico qui semper in sinu Patris est? Et certè multò maius, immo verò absque comparatione maius quid substãtia Filij est quam dies illa. Quomodo igitur cùm maiora vobis attribuatis, hæc minora Filio cõcedere non vultis, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & cognitionis occultui? Colos. 2. Sed neque vos scitis quænam sit substantia Dei, quamuis furore incitati hoc affirmetis: neque Filius diem illum ignorat. Quapropter cùm omnia dixerit, & tempora & tempestates exposuerit, ac ad ipsas demum ianuas peruenerit, propè enim est, in ianuis, inquit diem ipsam reticuit. Ita si diem atq; horam curiosè scrutaris, non audies à me, ait: sin verò tempora & initia, nihil celabo, sed omnia tibi exacta dicam diligentia. Multis enim tibi ostendi non esse mihi diem illam ignotam: spatia temporum & res venturas tibi prędixi, & quantùm ex hoc tempore ad illum diem. Idem enim ficus parabola designauit, ad ianuas deniq; ipsas te duxi: ostium verò si nolo tibi aperire, ex commodo etiam tuo id facio. Sed vt aliunde quoque discas, non ex ignoratione ipsum dicere recusasse, ad ea quæ dicta sunt, aliud quoquę signum proponit dicens: *Sicut erant in diebus Noë ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradẽtes, vsque ad diem qua intrauit Noë in arcam, & nõ cognouerũt donec venit diluuiũ, & tulit omnes: sic erit & aduẽtus filij hominis.* Genes. 6. & 7. His verbis repẽtè ac nõ expectatum inter hominũ delicias se venturũ ostẽdit: quod Paulus quoq; denotauit, dicens: 1. Thes. 5. Cùm pacem & securitatem dicãt, tunc repẽtina eis imminet pernicies, quãm inexpectatam declarãs dicebat, sicut dolor in vtero habentis.

* ὁ δὲ υἱός, in vtroque Græco cod. habetur: & ita legisse videtur, quod tamen alij non legũt hîc, sed id habetur Marc. 13. Act. 1. Ibidem.

bentis. Quomodo autem post tribulationem illorum A dierum ait, Ibidem. Si deliciarum lasciuia, si pax, si securitas, secundum Paulum, futura est, si deliciis lasciuiũt, quomodo tribulantur? Pax & lasciuia insensatis erit. propterea non dixit, quando erit pax, sed quando dicẽt pacem & securitatem, insaniam eorum hoc modo dicendi ostendens, Gen. 6. sicut & qui tempore Noë fuerant, quanuis multis in malis essent, deliciis tamen diffluebãt: Iusti autẽ non ita, sed cum tribulatione atque mœstitia vitã trahebant. Hinc etiam aperitur, quia cùm Antichristus venerit, licẽtius omni turpi voluptate iniqui, & qui salutem suam desperabunt, vtẽtur. Tunc ad explendũ furorem mentis multi studebunt. Crapula tunc, & tumulentia summoperè vigebit, quapropter & congruo vsus exemplo Ibidem. est. Nam quemadmodũ & cum arca fieret, apertè futurum prænunciauit diluuium: illi autem non credentes, tanquam nullo malo venturo lasciuiebant: sic Antichristus apparebit, post quem cõsummatio, & intolerabiles pœnæ sequentur. ipsi autem voluptatibus suis quasi te- B mulentia quadam detenti, futura non sentiẽt. ideo Pau- 1. Thes. 5. lus dicebat: Veluti dolores in vtero habentis, sic illis terribilia & intolerabilia aderunt. Quare autem Sodomorum mala non dixit? Vniuersalem, prædictámque cladem, & minimè creditam exempli loco proponere voluit: vt quoniam apud multos futura non creduntur, à similitudine præteritorum moueantur animo, atque credant. Ad hæc illud etiam ostendit, quia & priscorum ipse conditor est. Aliud deinde signum ponit quibus omnibus efficitur, nequaquam se illum diem ignorare. Quod autem est signum? *Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, & vnus relinquetur. Duæ molentes in mola, vna assumetur, & vna relinquetur.*] *Duo in lecto, vnus assumetur, & vnus relinquetur. Vigilate igitur, quia nescitis qua hora dominus vester venturus sit.* Hæc omnia, vt dixi, & ipsum non ignorare denotant, & discipulos ab interrogando auocant. Cuius rei gratia dierum quoque Noë mentionem fecit, & duos in * lecto dixit, significans quia inexpecta- C tus ab omnibus ferè & quietis tempore adueniet: duæ Exod. 11. quoque molentes, idipsum id est nullam solicitudinem significant: & ad hæc, quia serui & domini & assumuntur & relinquuntur, tam qui in otio, tam qui in labore, & alia atque alia dignitate præfulgent. Sicut in veteri quoque scriptura dicitur: A sedente in solio vsque ad captiuam quæ in mola est. Quoniam enim iam dictum est, difficile diuites saluari, idcirco neque istos omnes perituros, neque pauperes è cõtrario saluari omnes, sed vtrinque & saluari, & perire ostendit. Mihi autẽ videtur ex hoc etiam significari, nocturno illum aduẽtum tem- Luc. 17. pore futurum, quod etiam Lucas asserit. Vides quo modo vniuersa sibi apertissimè patẽt? Deinde ne rursus interrogent, continuò subiunxit: Vigilate igitur, quia nescitis qua hora dominus vester veniet: non dixit se nescire, sed quia ipsi nesciunt. Quum enim illos ad ipsam ferè horã deduxisset & statuisset, rursum ipsos abducit, & ab interrogando auocauit, volens illos semper atten- D tos esse, & ad certamen paratos, propterea dicit, Vigilate, ostendens hac se de causa dicere noluisse. *Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamiliâs qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domũ suam. Ideo & vos estote parati, quia qua hora non existimatis, filius hominis veniet.* Propterea igitur hæc dicit ipsis, vt vigilent, vt iugiter parati sint, quia qua non existimant hora venturus est. Solicitos igitur facit, & curiosos, ne vnquam virtutem negligant. Tale quid autem est quod dicitur: Si præscirent homines quando morituri sunt, diligentiam suam circa illam horam ostẽderent. Ne igitur in illo solummodo tempore, sed continuè diligẽtes sint, nec generalem nec singularem horam prædicit, vt semper ex-

* Codices Græci hîc nõ cõsentiebãt. nã alter habet in lecto, alter verò in agro. nam in textu neuter lecti mẽtionem faciebat.

A pectando semper vigilent. hac enim ratione terminum vitæ nos occuluit. Deinde liquidò, adeò vt nunquam liquidius, Dominum seipsum appellauit. Hæc autem etiã ad erubescentiam desidiæ mihi dicta videntur. maiorem enim diligentiam exhibent pecuniarum cõseruandarum, furem expectantes, quàm vos salutis animæ. vigilant enim tunc ne aliquid sibi surripiatur. Vos verò quanuis certò sciatis venturum Dominum, non perseueratis tamen, neque ita vigilatis, vt possitis non imparati ex hac vita discedere. quapropter cùm pernicie dormientium dies ille venturus est. Nam quemadmodum non læderetur ille furto, si furem sciret venturum: sic & vos quoniam scitis Dominum venturum, paratiores esse debetis. Cæterùm quoniam iudicij mentionem fecit, ad doctores etiam vertit orationem, de pœna & meritis differens: & primò bonis collocatis, ad peccatores exitum facit, commodissimè orationem concludens. *Quis ergo,* inquit, *fidelis seruus & prudens, quem con-* B *stituet dominus suus super familiam suam dare eis cibum in tẽpore suo? Beatus seruus ille, quem cùm venerit dominus eius, inuenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua cõstituet eum.* Dic quæso num & hoc ignorantis est? Nam si quoniam nec filium scire dictum est, ignorare ipsum affirmas: quid modò dices cùm dubitando dicere videatur, quis igitur fidelis seruus? An & hoc ipsum ignorare confinges? Nequaquam. nullus enim nisi mente captus id diceret: atqui causam de illo dicere possumus, de hoc verò nullam. Quid porro quãdo interrogando dicit, Petre diligis me: neque illud Ioan. 21. sciebat? aut quando quærit, vbi posuistis eum? Ioan. 11. Ego verò etiam Patrem ita loquentem inuenio. Ipse enim est qui dicit, Adam vbi es? Gen. 3. Et, clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est apud me. Ibid. 18. descendens igitur videbo si secundùm clamorem eorum qui venit ad me, perficiunt: si autem non, vt cognoscam. Et alibi: Si fortè audiant, si fortè intelligant. Ezech. 2. Et in euangelio: Verebuntur Sup. 21. & Luc. 20. C fortasse filium meum. quæ omnia verba quanuis ignorationem significent, non ignorans tamen, sed vt eum decet, dispensans ita dicebat. De Adam ergo illo modo quæsiuit, vt in excusationem peccati eum induceret. De Sodomis autem ita locutus est, vt nos erudiret nihil antea esse determinandum, quàm ad rem ipsam certius peruenerimus. Per prophetam autem ambiguè loqui videtur, ne prædictio apud imperitos inobedientiam necessariò facere videretur. In euangelio verò ostendere voluit, quia reuereri filium debuissent. Hoc autem in loco, ne rursus curiosius perscrutentur, & vt rem esse raram & admodum preciosam ostendat. Expende autem qualem hæc verba ignorantiam significare possunt, si quidem à se constitutum super familiam suam ignoraret. beatificat etenim eum: Beatus enim, inquit, seruus ille. quis verò sit, silentio tradidit: quis enim est, ait, quem constituet dominus super familiam suam, & beatus quem inueniet sic facientem. Hæc autem nõ de D pecuniis solummodo, verumetiã de verbis, de virtute, de omni dispensatione singulo homini concessa, dicta sunt. Hæc parabola vel ad gerentes, gubernãtésque rem publicã accõmodari potest. Docet enim vnũquemque ad cõmunem vtilitatem omnia conferre quæ sua sunt, siue sapiẽtiam, siue principatum, siue diuitias, siue quicquid aliud, non ad detrimentum conseruorum, nec ad perditionem suam. Quapropter vtrũque ab eo flagitat, prudẽtiam scilicet, atque fidem. Delicta enim ab amentia originem habent. Fidelem igitur appellat, quoniam nihil ex rebus domini sibi attribuit, nec incassum quicquam expẽdit. Prudentem autem, quia opportunè dispensare nouerit. Si quidẽ vtraque re nobis opus est, ne scilicet quæ domini sunt, ad proprios vsus rapiamus, &

Universidad de Deusto Biblioteca

vt opportunè omnia diſpenſemus. Nam ſi alterum horum abſit, eius abſentia alterum omnino claudicat. Si enim fidelis ita ſit, vt non furetur: diſperdat autem non neceſſario conſumens impendio, non paruum id crimen eſt. Sin verò è contrario rectè diſpenſare nouerit: ſibi verò accumulet, ingens rurſus hęc culpa. Audiamus etiam qui pecunioſi ſumus. Non enim doctoribus hæc ſolùm ſed diuitibus etiam dicit, cùm vtriſque Dominus diuitias ſuas crediderit, maximas quidem doctoribus, ſed locupletibus etiam non paruas. Si ergo docentes maiores diuitias ſeminent, atque diſpergant: vos autem nullam in minoribus liberalitatem oſtendatis: cur liberalitatem, & non gratitudinem dixi? non enim veſtra, ſed aliena tribuitis: quænam vobis futura eſt excuſatio? Sed interim antequam de punitione dicatur, approbati præmia ſerui qualia ſint, audiamus: *Amen dico vobis, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.* Quid hoc honore maius? quæ oratio hanc dignitatem, hanc beatitudinem aſſequi poterit, cùm cœlorum conditor, cui omnia ſeruiunt, hominem ſuper omnia bona ſua conſtituturus eſt? Propterea & prudentem eum appellauit, quia nouit magna pro paruis perdenda non eſſe: quia moderatè vitam hîc peragens, cœlos conſecutus eſt. Deinde quod ſemper factitat, non à bonorum præmiis tantum, ſed à prauorum etiam pœna audientes corrigit, ac ideo ſubiecit: *Si autem dixerit malus ſeruus in corde ſuo, tardat dominus meus venire, & incœperit conſeruos ſuos verberare, comedat autem & bibat cum ebriis: veniet dominus ſerui illius in die qua non exiſtimat, & in hora quam non nouit, & diuidet eum, & partem eius cum hypocritis ponet: ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Si verò quiſpiam opponat, perſpicis quæ cogitatio ſeruo venit, quia dies ille ignotus eſt: tardat enim, inquit, dominus meus. Illud reſpondebimus, non quia dies ille ignotus ſit, ſed quia ipſe nequam hæc cogitat. quam enim ob rem nihil huiuſmodi fidelis ille, prudénſque ſeruus cogitauit. Quid enim refert miſerrime omnium, ſi dominus tuus tardat, cùm eum omnino venturum non ignores? Cur ergo diligenti ſtudio non incumbis? Hinc igitur diſcimus non tardare dominum: iniqui enim ſerui hæc de tarditate ſententia eſt, propter quam etiam accuſatur. Quod verò
Phil. 4. non tardat, Paulus quoque confirmat, dicens: Dominus prope eſt, nihil ſoliciti ſitis: &, Qui venturus eſt, veniet
Abac. 2. & non tardabit. Sed quæ ſequuntur audi, vt diſcas quo modo crebrò in memoriam ignoratum illum diem reducat, ſignificans ſeruis iſtud eſſe perutile, ac ſufficiens à ſomno eos excitare. Nec refert, ſi multi nihil vtilitatis hinc conſecuti ſint. Nam nec etiam ab aliis iuuantibus lucrati aliquid ſunt: ſed tamen ipſe nunquam ceſſat facere quæ ſua ſunt. Quid deinde? Veniet, inquit, in die qua non expectat, & hora qua ignorat, & extremis eum cruciabit tormentis. Perpendis quomodo vbique ignorantiam hanc repetit, tum vt vtilitatem eius oſtendat, tum vt ſemper diligentiores eſſe faciat. hæc enim res, vt ſcilicet nos ſemper vigilemus præcipuo illi eſt ſtudio atque curę: ac quoniam calamitatibus oppreſſi magis corrigimur, deliciis verò atque otio corrumpimur, idcirco vbique in remiſſione atque quiete ventura mala prænunciat. Et vt in ſuperioribus per tempora Noë hoc i-
Suprà, & Luc.17. pſum ſignificauit: ita hîc quando ſeruus ille temulentiæ ſe dedit, quando conſeruos inflatus verberat, tunc intolerabilis eſt pœna. Sed non pœnam ſolummodo illius, verùm diligentius conſideremus ne ipſi quoque ſimilibus ſimus obnoxij. Huic enim ſimiles profectò ſunt, qui pecuniam habentes pauperibus non erogant. diſpēſator etiam tu es pecuniarum tuarum non minus, quam qui Eccleſias gubernant. quemadmodum igitur illi nō habent poteſtatem ea quæ à vobis collata ſunt pauperi-

A bus, temerè diſpergere, quandoquidem ad alimenta pauperum conſtituta ſunt, pari tu quoque modo non debes temerè tua conſumere. Nam etſi paternam hereditatem accepiſti, atque ea ratione quæcūque habes tua ſunt: Dei tamen ſunt vniuerſa. Deinde ſi tu diligenter quæ dediſti vis diſpenſari, Deum autem non arbitraris maiore acrimonia à nobis rationem diſpēſationis petiturum, ſed laturum, vt perperam cuncta diſperdantur: non eſt ita, nō eſt. Ideo etenim & apud te pecuniam eſſe paſſus eſt, vt alimenta pauperibus in opportunitate concedas. Quid eſt porrò in opportunitate? Cùm egeant, cùm fameſcant. Sicut igitur tu conſeruo ad diſpenſandum dediſti, ſic dominus tibi vt opportunè impendas. Cúmque poſſit auferre relinquit tamen, vt virtutis exercendæ habeas facultatem, vtque altero alterius egente, feruentiore omnes inter ſe charitate vinciret. Tu verò cùm acceperis, non modò haud præbes, verumetiam verberibus cædis. Quòd ſi culpa non dare eſt, quæ
B venia erit verberanti? his verbis contumeliatores & rapaces ſuboſtendere mihi videtur, vehementer eis intentans, cùm verberibus eos cædant, quos alere debeāt. Deliciantes autem etiā, atque laſciuientes hoc loco notare videtur. nam & deliciis magna propoſita eſt pœna. comedat enim, inquit, & bibat cum ebriis, ventris voraginem ſignificās hæc dicit. Non enim accepiſti, vt deuorare habeas, ſed vt ad eleemoſynam vtaris. An forſan tua te credis habere? res pauperum tibi credita eſt, etiam ſi laboribus iuſtis etiam ſi hereditate paterna in te peruenerit. Num putas non potuiſſe Deum abs te hanc pecuniam auferre? Sed ideo non fecit, quia te Dominum eſſe vult benignitatis erga pauperes. Tu autem diligenter perpende, quomodo in omnibus ferè parabolis ille punitur, qui ſua pecunia probe vſus nō eſt. Nam neque Infr. 15.
virgines aliena rapuerunt, ſed ſua non erogauerunt: ne- Hic & Luc. 12.
que qui talentum ſuffodit, aliena inuaſit, ſed quia nihil addidit: neque qui eſurientem præterierūt, propter alie-
C norū rapinam cruciātur, verum quia ſua, quemadmodū & hic ſeruus, non diſperſerunt. Audiamus igitur quicūque vētri ſeruimus, quicunque ad opiparè comparādas cœnas pecuniam cōſumimus, quæ non noſtra, ſed indigentiū eſt. Noli enim, quoniā magna Domini benignitate quaſi tua erogare iuſſus es, idcirco etiam tua eſſe arbitrari: mutuò tibi cōceſſit, vt probitatem inde quæras. Noli ergo putare tua eſſe quæ habes, ſed quæ Domini ſunt, Domino præbe. Nec enim etiam ſi tu cuipiam mutuò cōtuliſti, vt aliquid inde lucrari poſſit, illius pecuniā eſſe aſſereres: ſimiliter ergo Deus tibi pecuniam tradidit, vt cœlum merceris. Quare non eſt benignitatis ſuæ cumulus ingratitudine tua euertendus. Veniat in mentem tibi, quàm optabile erat homini poſt baptiſmum remiſſiones peccatorum inuenire, ſi eleemoſyna ad delenda peccata conceſſa non eſſet. O quot homines dicerent! vtinam poſſemus pecuniis à futuris nos malis redimere: nunc verò, cùm hoc per eleemoſynam fa-
D cere poſſint, torpent rurſus & decidunt. Sed præbeo, inquis: quid præbes? Nunquam certè tantum dediſti, Luc.21.
quantum mulier illa, quæ duos obolos erogauit, immo verò nec mediam quidem partem, nec ſubmultiplicem eius quod illa obtulit, pręſtitiſti: ſed multo plura in ſumptus inutiles eiicis. Magnifica conuiuia, & potationes inebriantes excogitas modò tu alios vocas, modò vocaris ab aliis. Ita nunc tu conſumis, nunc alios conſumere cogis: & duplicem tibi præparas cruciatum, alterum ab his quæ tu, alterum ab his quæ alij hortatu faciunt tuo. Vide igitur hunc quoque famulum, quoniam edat & bibat cum temulentis, accuſari: non enim temulentos ſolùm, verumetiam eos qui cum illis viuunt, torquebit. Nec iniuria quidem. Nam & ſeipſos corrumpunt,

punt, & proximorum ſalutem negligunt. Nulla verò re alia Deus magis irritatur, quàm ſi proximi commo-
Ioan.13. ditatem deſpicias: quapropter vt iram in iſtos oſtendat, in duas incidi ſeruum illum partes imperauit: hac de cauſa notam qua diſcipuli ſui cognoſcerentur, charitatem eſſe affirmauit, quoniam diligentem neceſſe eſt de dilecti vtilitate meditari. Hanc igitur viam teneamus, quæ nos maximè ad cœlos perducet, quæ Chriſti faciet imitatores, quæ Deo, quantum fieri poteſt, ſimillimos conſtituet. Perſpice autem eas quoque virtutes magis neceſſarias eſſe, quæ iuxta viam hanc tētoria poſuerunt. Et ſi placet, diligentius id inueſtigemus, ſententiámque ſecundum ſcripturam proferamus. Poſſunt ergo duæ ad vitam maximè viæ perducere: quarum altera viatori duntaxat, altera etiam proximo conducat. Conſideremus igitur vtra magis comprobetur, & ad apicem nos perducat virtutis. Illum igitur qui ſua duntaxat quærit, crebrò Paulus criminatur (quandò verò
I.Cor.10. Paulum dico, Chriſtum dico,) hunc verò laudibus proſequitur: quod vt pateat, ipſum audiamus. Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod eſt proximi vnuſquiſque. Vides quo modo alterum eiecit, alterum amplexus eſt? &
Rom.15. rurſus: Vnuſquiſque veſtrum proximo placeat in bonū ad ædificationem. Deinde mirabilem laudem admo-
Ibidem. nitione mixtam ſubiunxit: Nam & Chriſtus non ſibi ipſi placuit: ſed quanuis victoria iam ex ſententia Pauli appareat, tamen vt maiori cumulo melior pars excedat, videamus quæ virtutes in nobis duntaxat terminantur, quæ autem à nobis ad alios etiam tranſeunt. Ieiunare igitur, humi iacere, virginitate florere, moderatè viuere, hæc omnia ipſis qui faciunt vtilia ſunt: at à nobis in proximum tranſgrediuntur, eleemoſyna, do-
I.Cor.13. ctrina, charitas. Audi autem quid de his dicit Paulus: Si omnia quæ habeo, in panes pauperum diſpergam, & corpus meum tradam vt vratur, charitatem autem non habeam, nihil mihi proſunt. Ita perſpicuo charitas præconio & laudatur & coronatur. Sed ſi vultis tertiò etiam pedem conferam, & pugnabo: & ponatur quempiam ieiunare, martyrio comprobari, atque cremari: alium verò ad ædificationem proximi martyrum differre: nec differre modo, ſed etiam abſque martyrio decedere. Vter igitur poſt hanc peregrinationem maior erit? Non eſt nobis multis in hoc loco rationibus opus, nec longiore diſputatione, cum magna voce bea-
Philip.1. tus Paulus ſententiam iam protulerit, dicens: Cupio diſſolui, & cum Chriſto eſſe melius mihi: in carne autē adhuc permanere, propter vos magis neceſſarium eſt. Ita proximi ædificationem potiorem duxit, quàm reſolui, & eſſe cum Chriſto. Et certè ſi maximè vis eſſe cū Chriſto, voluntatem eius facias: voluntas autem eius illa præcipua eſt, vt proximo conducere ſtudeas. Vis
Ioan.21. vt & quartò aliunde tibi hanc ſententiam corroborem? Amas me Petre, inquit, paſce oues meas. Cùm tertiò ipſum interrogaſſet, hoc amoris argumentum eſſe confirmauit: quod non ad ſacerdotes ſolummodo dictum eſt, verumetiam ad ſingulos noſtrum, quibus vel minimus quidem grex commiſſus eſſe videtur: nec enim quia minimus eſt, negligi debet. Pater nanque meus complacuit in ipſis. Habet vnuſquiſque noſtrum ouem, ad pinguia eam paſcua ducat. Cúmq; à lectulo paterfamiliâs ſe receperit, nihil aliud quærat, quam vt ea faciat atque dicat, quibus incrementa religionis domui vniuerſæ adiiciat. Mater autem familiâs domum quidem cuſtodiat, ſed multò magis procuret quomodo quæ ad cœlos pertinent, vniuerſa familia operetur. Nam ſi in rebus ſecularibus antequam domeſtica diſponamus, quæ reipublicæ debentur perſolui curamus, ne horum vectigalium cauſa in forum pertracti ac cæſi vitupere-

A mur: quantò magis in ſpiritualibus oportet quæ creatoris Dei & regis omnium ſunt, prius diſponere, ne illo pertrahamur, vbi dentium ſtridor eſt? Has igitur amplectamur virtutes, quæ nobis ſalutares, & proximo perutiles ſunt. Tale quid eleemoſyna eſt, tale oratio, immo verò etiam hæc ab illa vires atque alas aſſumit. Orationes, inquit, & eleemoſynæ tuæ, in memoriam Act.10.
in conſpectu Dei aſcenderunt. Non autem ſola oratio, verumetiam ieiunium inde corroboratur. Quippe ſi abſque eleemoſyna ieiunes, nec ieiunium quidem hoc reputatur: cum ventris ſeruo ac temulento, qui ita ieiunat deterior ſit, tantóque peior, quanto crudelitas deliciis nequior eſt. Cur de ieiunio ita loquor, cum ipſa caſtimonia & virginitas eleemoſyna carens ex thalamo ſponſi eiiciatur? Et quanquam adeò magna quidem res virginitas ſit, vt propter excellentiam ſuam nec in Infr. 25.
nouo teſtamento neceſſitati legis ſuccubuerit, ſed tamen niſi eleemoſyna ipſam comitetur, eiicitur: quod ſi
B ita eſt, ſicuti certè eſt, quis eleemoſyna contempta veniam impetrabit? Nullus profectò, ſed perire neceſſe eſt eum qui eleemoſyna caret. Nam ſi in rebus ſecularibus nemo ſibi ſoli viuit, ſed tam opifex quàm miles, tam agricola quàm mercator, ad communem vtilitatem proximis etiam omnes conferunt, multò magis in ſpiritualibus id faciendum eſt: hoc enim maximè viuere eſt, aliis ſcilicet etiam prodeſſe. Nam qui ſibi viuit, cæteros omnes negligens, & vita eius ſuperuacanea eſt, & ipſe ſuperfluus, nec homo, nec generis noſtri. Quid igitur, inquies, meáne contemnam, vt ea quæ aliorum ſunt, curem? Non negligit ſua, qui aliena procurat. qui enim aliena quærit, neminem lædit omnes miſeratur, pro viribus vnicuique prodeſt, à nullo rapiet, nullius bona inuadet, non furabitur, non falſum teſtimonium dicet, ab omni malignitate abſtinebit, omnem virtutem amplectemur, libenter pro inimicis orabit, inſidiatoribus benefaciet, nemini conuiciabi-
C tur, nemini maledicet, etiam ſi centies ab aliis lædatur. Sed illa diligenter apoſtoli verba ſecum crebrò reuoluit. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis 2.Cor.11.
ſcandalizatur, & ego non vror? Si verò noſtra quæramus, non omnino hinc de alienis quoque curabimus. His omnibus perſuaſi non poſſe ſalutem nos conſequi, niſi commune commodum quæramus: & huius ſerui in duas partes partitione admoniti, & eius qui talentum ſuffodit cruciatu perterriti, meliorem vitam donec poſſumus, eligamus, vt æterna quoque regna poſſidere poſſimus, gratia & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen.

HOMIL. LXXIX. EX CAP. XXV.

TVNC *ſimile erit regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, obuiam ſponſo exierunt. Quinque autē ex ipſis erāt prudentes, & quinque fatuæ, quæ fatuæ accipientes*
D *lāpades ſuas, non acceperūt ſecum oleum: prudētes autem acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus. Tardante autem ſponſo*, &c. vſque ad illud: *Ab eo autem qui nō habet, & quod videtur habere, tolletur ab eo. Inutilē ſeruum eiicite in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & ſtridor dētium.* Parabolæ iſtæ priori de fideli & ingrato ſeruo, qui rem domini † diſperſit] ſimillimæ ſunt. Quatuor enim ſunt, deuorauit.)
omnes diuerſo itinere nos eodem conducētes. Omnes enim ad eleemoſynam capeſſendam nos incitant, & vt quibuſcunque modis poſſumus, cùm non ſit poſſibile aliter ſaluari, proximis vtilitati eſſe ſtudeamus. Sed in ſuperioribus de omni vtilitate quam proximo conferre poſſumus: in parabola verò de virginibus, de illa præcipuè quæ pecuniis fit eleemoſyna loquitur, mul-

Universidad de Deusto
Biblioteca

habebant quidem oleum ied non copiosum, idcoque,) sup.19.

toque vehementius, quam in superiori parabola. Nam ibi cædentem proximos, temulentum, & rem domini dissipantem atque perdentem atrociter punit: hîc verò etiam eum qui emolumento aliis non est, nec accumulatè indigentibus sua ministrat: † vsæ nanque fuerunt eleemosyna, sed quia copiosè non fecerant,] torquentur. Cuius autem rei gratia non simpliciter qualemcunque personam posuit, sed virginibus hanc parabolam accommodauit? De sublimitate virginitatis iam dixit, eunuchos esse nonnullos, qui se propter regnum cœlorum castrarũt: &, qui capere potest, capiat. Nec ignorat vulgo magnam de virginibus existimationem fieri. quippe res natura sublimis est, quòd inde patet, quia nec apud veteres à priscis illis sanctisque viris culta fuit, & post gratiam nulla legis necessitate iubetur. Non enim imperauit, sed voluntati fidelium commisit: vn-

1.Cor.7. de Paulus quoque ait: De virginibus autem præceptum Domini nõ habeo: & laudo quidem eum qui vult, nolentem autem non cogo, neque præceptum id facio. Quoniam igitur & magna res erat, & maioris apud multos existimationis, ne quis ea re peracta, quasi nullo indigens negligentior in aliis sit, hanc parabolam posuit: vt ostendat, quia si cætera vniuersa virginitas habuerit, & caruerit eleemosynæ fructibus, cum fornicatoribus ciicitur: & inhumanum ac immisericordem cum ipsis collocat. Idque haud immerito. Fornicator enim, corporum: iste verò pecuniarum cupiditate vincuntur. Non est autem corporis & pecuniæ par cupiditas, sed acrior multò atque vehementior corporum est. Quanto igitur imbecilliori reluctamur, tanto minus si vincimur, venia digni sumus. Idcirco & fatuas appellauit, quoniam difficilioribus superatis, faciliora perdiderunt. Lampades autem hîc ipsius virginitatis nominat donum, & mundiciam sanctitatis: oleum verò benignitatem, eleemosynam, patrocinium indigẽtium: *Sponso autem tardante, conniuerunt omnes & dormierũt.* Nõ paruum temporis rursus spacium interiectum ostendit, opinionem discipulorum reprimens, qui confestim regnum eius futurum sperabãt: quapropter crebrò ab huiusmodi eos spe remouet. Ad hoc somnum quendam esse mortẽ denotat. *Dormierunt enim,* inquit. *Ad mediam autem noctem clamor factus est.* Aut parabola, quoniam dormiebant dixit, commoratur: aut rursus in nocte futuram resurrectionem ostendere voluit. Clamorem

1.Thes.4. etiam Paulus commemorat, dicens, In iussione, in voce archangeli, in vltima tuba descendet de cœlo. Quid porrò tubæ volunt, & quid clamore illo dicere? *Sponsus venit, apparatis ergo lampadibus fatuæ dicunt ad prudentes: Date nobis de oleo vestro.* Rursus fatuas appellauit, vt nihil amentius esse ostendat, quàm pecuniam in hac vita colligere, & nudos nos proficisci, vbi maximè benignitate indigemus, vbi misericordia nobis opus est. Præterea sperantes ibi se, oleum inuenturas, intempestiuè quæsierunt. Quanquam autem nihil humanius illis virginibus fuerit, quæ hac re præcipuè fulserunt, non totum petebant. Date enim nobis ex oleo vestro, inquiunt: & necessitatem ostendebant. Extinguuntur enim lampades nostræ: sed tamen repulsæ sunt, nec humanitas † earum à quibus petebatur,] nec petitionis facilitas, nec earum necessitas, vt impetrarẽt effecit. Quid igitur hinc docemur? Quia videlicet nullus nos, qui per opera perditi fuerimus, suo patrocinio defendere & auxilio esse ibi poterit, non quia nollet, sed quia nõ potest. videmus enim prudentes ad impossibilitatem confugere: quid & Abraham ille denotauit, dicẽs: Magnus inter nos atque vos hiatus existit, adeò vt nec volentes pertransire, traiicere possint. *Ite autem ad vendentes, ac emite.* Qui porrò vendunt? Qui pauperie premuntur. Vbi verò isti reperiuntur? In hac solummodo vita. hîc ergo non ibi quærẽdi sunt. Vides quàm magnas ab inopibus merces negociemur? Si hos tollas, magnam nostræ saluti spem euertisti. Hîc igitur oleum colligendum est, vt ibi cùm tempus fuerit, paratum nobis adsit. Non enim illud tempus, sed hoc congregationis est, Noli ergo in deliciis, luxu, inaníque gloria frustra consumere quæ habes, cùm multo tibi oleo ibi opus futurũ est. His illæ auditis recesserunt, sed nihil vtilitatis consecutæ sunt. Istud autem dicit aut in parabola persistens eámque contexens, aut ostendens, quòd etiam si misericordes illic fuerimus, non euademus tamen: nihil enim profuisse istis misericordiæ illius voluntatem videmus, Luc.16. quia non hîc sed ibi venditores olei quærebant. Nec diuiti profuit adeò misericordem ibi fuisse, vt etiam de affinibus & propinquis suis solicitaretur: & qui dum viueret, iacentem in porta pauperem præteribat: quos inde videre non poterat, à gehenna eripere festinat, rogátque nonnullos ad illos mitti omnium earum nuncios rerum: verùm vt ille, sic etiam istæ nihil consecutæ sunt. *Postquam enim ad emendũ profectæ sunt, venit sponsus, & intrarunt simul quæ erant paratæ: fatuæ verò excluſæ sunt.* Ita post ingentes illos labores, post incredibiles sudores, & acerrimas pugnas, post trophæa quæ de naturæ rabie statuerunt, resurgunt cum dedecore, & lampadibus earum extinctis, terram aspicientes recedunt. Nihil sane tenebrosius est, quàm virginitas oleo carens: vnde sic vulgò multi immisericordes tenebrosos solẽt appellare. Quid igitur ex virginitate lucratæ sunt, quæ nec sponsum quidem viderunt, nec pulsantes aliquid profecerunt, sed terribile illud verbum audiuere, *Abite, nescio vos?* Quod cùm ipse dixerit, nihil aliud quàm gehenna, & intolerabilis cruciatus relinquitur: immo verò etiam gehenna istud verbum grauius est: hoc verbum operantibus etiam iniquitatem dixit. *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.* Crebrò id repetit, vt ignorantiam exitus ab hac vita vtilem esse ostendat. Vbi sunt ergo qui per totam vitam desidia torpescunt, & quando à nobis admonentur, respondere non dubitant, omnia se pauperibus moriendi tempore relicturos? Audiant hæc verba, & emendent se: multi enim abeundi tempus expectantes, ita repente rapti sunt, vt nec iniungere suis quicquam potuerint. Sed hæc quidem parabola eius eleemosynæ gratia, quæ cum pecunia conficitur, dicta est: quæ verò sequitur, generaliter omnes respicit, qui nec pecunia, nec verbo, nec authoritate, nec quouis alio modo proximis conferunt, sed omnia retinent. Cur autem hæc parabola regnum, illa sponsum adducit? Vt videas quantum virginibus Christus afficitur his, quæ sua pauperibus erogant: hæc enim & vera virginitas est. Nam & Paulus huic rei hanc descriptionem attribuit, dicens: Innupta solicita est de his quæ domini sunt, † vt sit sancta corpore & spiritu.] Hæc admonemus, ait. Si verò apud Lucam aliter talentorum narratur parabola, nos aliam hanc, aliam illam esse putamus. Videmus enim ab vno fonte diuersos in illa fructus confluxisse: ibi enim alius quinque, alius decem attulit: quapropter nec eadem præmia cõsecuti sunt: hîc verò è contrario: quapropter & par eis corona redditur. Nam qui duo accepit, alia duo lucratus est: & qui quinque, similiter. Ibi verò quia ex eadem sorte alter plura, alter pauciora conquisiuit, non iniuria varia retributione fruuntur. Perspice autem vbique non confestim, sed longo tempore interiecto exigentem. Sic enim etiam vinea agricolis data peregrinatus est, & nunc credito dato recessit, vt longanimitatem eius facilius cognoscamus. Quanuis mihi videatur resurrectio quoque huiusmodi verbis significari.

1.Cor.7. Luc.19.

& adid quod honestũ est, & vt domino indiuulsè adsideat.

petentiũ.

Luc.16.

Hoc

Hoc autem in loco nec agricola, nec vinea, sed omnes operarij sunt. Non enim ad principes, neque ad Iudæos solùm, sed ad omnes hæc disserit. Offerentes igitur & sua, & ea quæ domini erant, gratè fatentur. Nam alius quidem dicit: *Domine, quinque talenta mihi tradidisti.* Alius duo ostendens ab ipso operationis occasionem recepisse, & gratiam habere, & totum ipsi reputare: quid igitur Dominus? *Euge serue bone.* Hoc enim bonum est, quod proximum respicit. *& fidelis, quia in paucis fuisti fidelis, in multis te constituam, intra in gaudium domini tui.* Vniuersam hoc verbo monstrat beatitudinem. Non autem & ille sic, sed quo modo? *Noui quoniam durus es homo, metens vbi non seminasti, & congregans vbi non sparsisti, & timens, abscondi talentum tuum. Ecce habes quod tuum est.* Quid igitur dominus? *Oportebat te committere argẽtum meum nummulariis:* Id est, oportuit te dixisse, admonuisse, cõsuluisse: sed non obtemperant, ais: nihil hoc quippe ad te pertinet, quid hac re mitius atque humanius? Homines sanè non ita facere solent, sed ipsum qui pecuniam credidit, exactionis etiam officium facere volunt, ipse verò non ita. Sed te oportebat, inquit, creditum facere, exactionem autem mihi relinquere, qui cum vsuris creditum ipsum exegissem. Audiens sanè vsuram, splendorem operum intelligat. Te igitur oportuit quod facilius est facere, & difficiliora mihi relinquere: verùm quoniam non fecisti, *Accipite, vos,* ait, *ab ipso talentũ, & date ei qui habet decem talenta. Habenti enim, dabitur, & superabũdabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.* Quidnam hoc significat? Qui doctrinæ gratiam ad vtilitatem aliorum accipit, nec vtitur ea, gratiam quoque ipsam omnino perdit: qui autem studiosè ac sedulò vtitur his, maiorem gratiam ita impetrabit, quemadmodum ille vel quod accepit, amisserat. Verùm non ad hæc vsque damnum ociosi procedit, sed intolerabilis cruciatus, & sententia terribilis sequitur. *Proiicite nanque,* inquit, *inutilem seruum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.* Vides quo modo non solùm rapaces, & qui aliena inuadunt, nec soli malefactores, verumetiam & qui bona facere negligit, extremo cruciatur supplicio? Audiamus igitur hæc verba, & donec tẽpus patitur, nostram amplectamur salutem. Accipiamus in lampadibus oleum, amplificemus talentum. Si enim in pigritia & otio hîc viuimus, nullus nostri etiam flentium ibi commiserebitur. Nam & qui sordidas vestes habebat, quanuis seipsum condemnasset, nihil tamen profecit. Et qui talentum accepisset, etsi depositum reddidit, condemnatus est tamen: virgines quoque deprecatæ sunt, & accesserunt, & pulsarunt, sed nihil inde consecutæ sunt. Quæ omnia cogitantes, pecunia, studio, authoritate, quibuscunque possumus proximos adiuuemus. Talenta enim hîc pro eo quod vnusquisque facere potest accipimus, siue authoritate protegere, siue pecuniis iuuare, siue doctrina admonere, siue alia quapiam re proximis prodesse queas. Nemo secum dicat, cùm vnum talentum habeam, nihil possum efficere: potest profectò ex vna re sola comprobar. Non es pauperior illa vidua, non es Petro atque Ioanne rusticior: qui quanuis rudes simul atque illiterati fuerunt, quoniam magno studio communem vtilitatem complexi fuerant, cœlorum principes facti sunt. Quippe nulla res Deo gratior est, quàm vt vniuersam vitam ad commune commodum conferas. Idcirco ratione atque oratione nos Deus decorauit, mẽtem atque ingenium concessit, manus, pedes, vires corporis dedit, vt his omnibus & nosipsos & proximos tutemur. Non enim ad agendas gratias solummodo confert oratio, verumetiam ad docendum & admonendum perutilis est: qua in re si ea diligenter

Sup.22.

Hic sup.

Taléti nomine intelligitur, quicquid in proximũ charitate confertur. Luc.21.

vtemur Dominum: sin verò in contrarijs, diabolum imitabimur. Nam & Petrus quidem quando Christum confitebatur, quasi ea dicens, quæ patris sunt, beatificabatur: quando autem crucem horrebat, atque repellebat, quasi ea quæ diaboli sunt sapiens, acriter increpabatur. Si ergo ignoratione crucem recusando reprehẽsus est, quam nos sponte peccantes veniam impetrabimus? Ea ergo loquamur, quæ Christi verba esse confestim cognoscũtur. Nec enim, cùm dixero, surge & ambula: neque cùm dixero, Thabita surge: tunc solũ Christi verba loquor, verumetiam multò magis si contumeliis agitatus benedixerò, si oppressus iniuria pro oprimentibus orabo. Et in superioribus quidem dixisse memini, manum esse linguam nostram, quæ pedes Dei attingat: nunc verò maius quiddam adiicio, quia lingua nostra lingua est Christi. Christi linguam imitamur, si diligentiam adhibemus, vt illa loquamur, quæ ille præcipit. Quæ verò sunt illa? Humilitatis certè benignitatisque plenissima verba. Sic ille contumeliantibus respondebat, dicens: Ego dæmonium non habeo: & rursus, Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo. Si hoc pacto tu quoque respondes, si ad emendationem proximi loqueris, linguæ illi lingua tua simillima est. hæc non ego, sed ipse Deus cõfirmat. Qui educit honorabilem, inquit, ex indigno, is quasi os meum erit. Cùm igitur tua lingua sit Christi, & os tuum Patris fiat, & sancti Spiritus templum sis: quis honor, quod decus maius hoc excogitari poterit? Non si ex auro tibi os conficeretur, non si gemmis construeretur, ita præfulgeret, vt tunc hoc humilitatis ornatu resplenderet. Quid enim optabilius ore, quod maledicendi studium penitus ignorat, & benedicendi solùm cognouit? Quòd si benedicere maledicenti aspernaris, saltem taceas, hoc interim facito: posteà ratione ac via vlteriora petens, ad illud quoque peruenies, & huiusmodi os habebis, quale prædiximus: nec putes nimium dictũ esse. Misericors enim Dominus est, & suæ hoc donum bonitati tribuitur. Non ergo audaciæ attribuas, si te Christi os habere quispiam dixerit. Audaciæ quippe est diaboli os imitari, linguam habere nequissimo dæmoni simillimam: quod quàm maximum sit malum, tecum ipse cogita, præsertim cùm horum mysteriorum particeps factus sis, & ipsa carne Domini cõmunicaueris. Hæc tecum voluens, imitare Christum pro viribus, vt nullo tibi modo resistere, immo verò quo talis sis factus, nec aspicere possit diabolus. Non enim ignorat quæ nam sint Christi signa, bene cognouit arma, quibus victus fugatúsque est. Quæ autem ea sunt? Humilitas profectò animi, & mansuetudo. Nam quando in monte aggredientem superauit atque prostrauit, quando non cognoscebatur quòd Christus esset, mansuetudinis humilitatisque verbis eum confudit: pariter ergo tu quoque facies, & si hominem in diabolum versum aggredi te videris, illo pacto vincito. Data est tibi diuinitus potestas imitari Christum pro viribus, & similem illi fieri: noli expauescere hoc audiens: timendum enim tibi potius est, si similis illi fieri negligas. Loquaris igitur vt ille, & eris talis, quantum ad hoc, qualis ipse fuit, prout humanæ vires patiuntur: huius rei gratia maior est, qui ita loquitur, quàm qui futura prædicit: hoc enim totum ex dono est, illud etiam ex labore atque sudore tuo procedit. Fac vt ex animo tuo os tuum ita conformetur, vt os Christi esse videatur. Potest † Christus hoc facere, si tu volueris] nouit hanc artem, si desidia & torpore non corrumparis. Sed quomodo formatur atque depingitur huiusmodi os inquies? Quippe non est opus coloribus, nec vlla materia indigemus: sola enim virtute & humilitate, ac mansuetudine huiusmodi os ma-

Linguam Christi imitari quid sit. Ioan.8. Ibid.18.

Hier.15.

hoc facere, si voluerit Christus in Græcis nõ est, quæ de animo potius intelligi videntur.

ximè conformatur. Verum ne quando diaboli os nobis extruamus, non erit ab re considerare, quo modo etiam illud conditur. quo modo igitur conditur? Maledictione profectò, contumeliis, contradictione, periurio: diaboli enim linguam habet, qui vt diabolus loquitur. Quæ igitur venia nobis dabitur, immo verò quæ supplicia non pendemus, quãdo linguam nostram qua dominicam degustauimus carnem, diaboli sponte linguam efficimus? Non faciamus oro, sed omni studio atque cura conemur, vt dominum lingua nostra discat imitari: quod si faciemus, non dubito quin ante tribunal Christi magna cum fiducia stabimus. Vbi nisi quis in hac vita humiliter loqui didicerit, non intelliget. tunc à Christo. Quemadmodum enim si Romanus fortè fuerit iudex, non percipiet rationes tuas, nisi Latinè loquaris: sic etiam Christus non audit, neque attendit, nisi lingua sua vtaris. Discamus igitur ita loqui vt rex noster, & ea lingua verba proferre, qua ipse vtitur. Imitemur diligenter illam linguam in omnibus. In luctum incidisti, caue ne magnitudine doloris os tuum euertatur, habes Christum quem imiteris: nam & ipse Lazarum fleuit. Timor incubuit tibi non
Ioan. 11. paruus, loquaris, rursum sicut Christus. Nam & ipse propter te dispensationis ratione in formidinem incidit:
Infr. 26. dicas etiam tu, Veruntamen non vt ego volo, sed vt tu. Lachrymas effundis, moderatè id facito, vt Christus. Insidiis circunuentus es, & mœror te occupauit, Christum imitare qui & insidias passus est, & contristatus
Ibid. & Marc. 14. dixit: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Omnium tibi rerum exempla præbuit, vt terminos conserues, & constitutas regulas non transgrediaris: hoc modo poteris os possidere ori dominico simillimum: hoc modo in terris gradiens, cœlestem linguam habebis, datas tibi in mœrore normas, datas in ira, datas in luctu, datas in solitudine, diligenter conseruans. O quot nostrum Christi faciem videre desiderant? ecce non videre solùm eam, sed ipsi Christo similes fieri, si voluerimus licet. Non procrastinemus ergo, non libentius prophetarum ora quàm humillimum hominem osculatur.
Sup. 7. Multi enim dicent ei, nónne in nomine tuo prophetauimus? & respondebit eis. Nescio vos Mosi autem os, qui
Num. 12. humilis valde & mitis erat (omnes quippe homines mansuetudine ille animi excessit) sic diligebat, sic osculabatur, vt præsens præsenti, facie ad faciem quasi amicus ad amicum loqueretur. Non præcipis nunc dæmonibus, sed præcipies tunc igni gehennæ, si habebis ori
Exod. 33. dominico simile. Abyssi igni præcipies ac dices, tace ac obmutesce: ac ita cum magna fiducia in cœlos ascendes, & æterna beatitudine perfrueris: quod vtinam omnibus contingat, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

HOMIL. LXXX. EX CAP. XXV.

CVM *autem venerit filius hominis in maiestate patris sui & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & separabit oues ab hædis: & hos quidem acceptabit, quoniam esurientem eum cibauerunt, & sitientem potauerunt, & hospitem existentem collegerunt, & nudum existentẽ circumamicierũt & infirmantẽ visitauerũt, & in carcere existentẽ viderunt, & dabit regnũ eis. Alios autem pro cõtrariis delictis mittet in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Suauissimum hunc textum qui continuè animo retinendus est: diligenti (oro) studio, & compunctione conuenienti audiamus. Ad hunc enim postremò sermonem illum Christus terminauit: nec id iniuria. Magna enim sibi humanitatis, ac eleemosynæ cura est: idcirco multa etiam in superioribus de hac disputauit. Et hîc apertius quodammodo atque acrius, non duas aut tres, aut quinque personas similitudinis modo accipiens, sed ad vniuersum mundum verba liquido faciẽs: quanuis & in superioribus certo personarum numero expresso, non duas personas, sed partes duas, alteram obedientium, alteram inobedientium significabat. Verum hîc & dilucidius & horribilius illa ipsa pertractat. Quapropter nõ dixit iam, simile est regnum cœlorum, sed seipsum ostendens, atque reuelans, dicit: Cùm autem venerit filius hominis in gloria sua. Nunc enim venit, sed non in gloria, sed in contumeliis atque conuiciis: tunc verò sedebit in sede maiestatis & gloriæ suæ. Crebro gloriæ meminit, quoniam crucis tempus iam aderat, quæ res maximo probro habebatur: quocirca extollit auditorem, ac erigit, & ante oculos ipsum iudicium ponit, & vniuersum orbem coram se sistit: & adhuc terrorem maiorem illo adducit, quia euacuari (ut ita dixerim) cœlos ostendit: omnes enim angeli erunt cum ipso, testãtes quot quantáque ministerio suo, cùm à Domino mitterentur ad salutem hominum, peracta sunt. Ita horroris vndique plenus ille dies futurus est. *Congregabuntur*, inquit, *omnes gentes*: hoc est vniuersa hominum natura. *Et segregabit eos ab inuicem, sicut pastor separat oues.* Nũc enim non segregati, sed mixti sunt vniuersi, tunc verò exquisitissimè separatio fiet, & ab ipsa vtriusque partis statione ita distincti, vt pateant vniuersis: quãuis etiam hac appellatione mores vtriusque partis aperiantur, cùm alij hædorum, alij ouium nuncupatione nominentur, vt aliorum sterilitas, quia nihil ab hædis producitur, aliorum fertilitas ostendatur. Vberes enim, & multi ab ouibus fructus proficiscuntur, à lactis copia: ab elegantia lanæ, à fœtu, quibus omnium hædorum genus omnino caret. Sed expertes rationis animantes natura duce fructificant, aut steriles sunt: homines verò voluntate vtrunque istorum faciunt, quapropter meritò alteri puniuntur, alteri coronis decorantur. Sed non prius eos tormentis tradit, quàm de iure cum eis disceptet, ideo adstantibus ipsis crimina exponit. Illi verò satis modestè respondent, sed nihil emolumenti ex ea re consequuntur, & meritò quidem: rem enim neglexerunt, quæ ipsi semper magnæ fuit curæ. Nam & prophetæ hoc prædicabant: Quia misericordiã Osee. 6.
volo, & non sacrificium: & legislator tam verbis, quàm rebus ad hoc hortabatur, & ipsa natura non parua nobis ingenerauit documenta. Perpende autem non vnum, aut duo, sed omnia illos contempsisse. Non enim solùm esurientem non cibarunt, & nudo amiculum non præbuerunt, sed nec (quod facillimum erat) ægrotum uisitarunt. Et vide quo modo facilia mandat: non enim dixit, In carceribus eram, & liberastis me: aut ægrotus fui, & medicati estis: sed visitastis, & venistis ad me. Sed nec esurienti famẽ leuare difficile: non enim sumptuosam vnquam quæsiuit mensam, sed eam quæ necessitati duntaxat sufficeret: quódque maius est, nõ in sublimis cuiusdam, sed in humilis habitu serui quæsiuit. quorum singula ad condemnationem illorum sufficiunt: petitionis scilicet facilitas, & dandi potestas, panis enim petitur: petentis miseria, quia pauper atque mendicus: retributionis expetẽda magnitudo, regnum enim promittitur: terror pœnarum, gehenna enim incutitur: accipientis dignitas, Deus enim pauperum manibus accipit: honoris cumulus, quia tantùm descendere dignatus est: ius tribuendi, summa enim iustitia est, de suis ei concedere. Verùm ab his omnibus cupiditate habendi retracti sunt, nec pœnarum intentationes timuerunt, cùm & in superioribus, his qui pauperes non recipiunt, grauiora quàm Sodomis minatus sit: & hîc liquidò dicat, *Inquantum non feciſtis vni horũ minimorum*

Sup. 12. *rum fratrum meorum nec mihi feciſtis.* Quid ais? si fratres A non vobis, sed diabolo & angelis eius præparaui, in tui sunt, quo modo minimos appellas? immo verò ideo fratres, quia humiles, quia pauperes & abiecti. Hos enim maximè ad fraternitatem conuocat suam, qui ignoti & despicabiles sunt: non dico monachos duntaxat, qui montes habitant, sed fidelium singulos, etiam seculares esurientes, nudos ac peregrinos, eósque nobis curæ esse non paruæ desiderat. Fratres enim nostri baptismate constituti sunt, & ineffabilis mysterij participatione. Cæterum inde quoque iustissimè hanc prolatam sententiam ostendit, quia prius eos laudauit, qui hæc fecerunt, dicens: *Venite benedicti patris mei, hæreditate vobis regnum paratum à cõstitutione mundi. Esuriui enim, & dediſtis mihi manducare:* & quæ sequuntur. Nam ne dicere possent, non habuisse, sic à conseruorum factis ora eorum obstruxit, vt & virgines à virginibus, ac temulentum & ventri deditum seruum, à fideli seruo confudit: & eum qui talẽtum in terra suffodit, ab his qui multiplicauerunt. reprehendit: & singulos peccantium, ab B
his qui rectè vixerunt, reprimit: quæ comparatio nonnunquam æqua, vt in hoc loco, & in virginibus fit, nõnunquam à maiore cumulosius infertur: quale illud est,
Sup. 12. Viri Niniuitæ surgent, & condemnabunt generationem hanc, quia crediderunt prædicationi Ionæ, & ecce
Ibidem. plus quàm Iona hic. &, Regina Austri condemnabit generationem hanc, quia venit audire sapientiam Salo-
Luc. 11. 1. Cor. 6. monis: & ecce plus quàm Salomon hic. Et ab æquali rursus: Quia ipsi iudices vestri erunt. Et à maiori iterum, Nescitis quoniam angelos iudicabimus, non solum secularia: & hoc nimirum loco, quia diuites diuitibus, & pauperes pauperibus confert, ab æquali procedit. Non autem hinc solùm iustè prolatam sententiam demonstrat, quia eiusdem conditionis conserui mandatis paruerunt, verùm etiam, quia nec in illis obtemperauerunt, à quibus paupertas eos impedire non potuit: qualia sunt extinguere sitim sitienti, vinctum consolari, ægrotum visitare. Cæterùm laudando probos, ostendit C
quanta eos à principio charitate complectatur. Venite nanque, ait, benedicti patris mei, possidete præparatum vobis regnum à constitutione mundi. Quibus bonis hoc nomen compensari potest, vt benedictus sis, & à patre ipso benedictus? vnde autem tanto dignati sunt honore? quæ nam est causa huius? *Esuriui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & potaſtis me*, & quæ sequuntur. O quantæ gloriæ, quantæ beatitudinis hæc verba sunt? nec dicit, accipite: sed, hæreditate, quasi propria, quasi paterna, quasi vestra, quæ vobis à principio debebantur. Nam antequam nati sitis, quia sciebam vos huiusmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuere. Quibus verò pro rebus hæc ipsis retribuuntur? Pro tecto, pro veste, pro pane, pro aqua frigida, pro visitatione, quia in carcerem ingressi, vinctum cõsolati sunt. Vbique enim indigentiam, atque patrocinium indigentium inquirit, immo autem neque id semper. Non enim visitatione, ac consolatione solum- D
modo qui infirmus est, & qui vinctus indigent, sed alter eorum ex carceribus solui, alter ægrotationem euadere peroptat: verum ipse adeò mitis est, vt quæ possumus flagitet, immo verò his etiam minora. Voluntati enim nostræ commisit, vt possimus maiora facientes, maiorem acquirere laudem. Sed istis quidem, Venite benedicti: illis autem, ite dicet, maledicti, non quidem à patre: non enim ipse, sed opera eis propria maledixerunt. In ignem æternum, non vobis, sed diabolo & angelis eius præparatum. Ita quando de regno quidem dicebat, præparatum vobis ante constitutionem mundi, subiecit. De igne verò non sic, sed diabolo ait esse præparatum. Nam ego regnum vobis, ignem autem quem quoniam vos sponte iniecistis, vobisipsis id reputate. Ita cùm istis, tum his maximè quæ sequuntur, quasi excusando se respondet, *Esuriui enim*, inquit, *& comedere mihi non dediſtis.* Si enim inimicus fuissem, nónne ad immisericordes etiam flectendos, mitigandósque sufficissent passiones illæ, inedia scilicet, frigus, vincula, nuditas, ægrotatio? aut quia vbique sine tecto peruagatus sum, hæc enim etiam inimicos mouere possent: vos autem neque amico hæc contulistis, amico dico & domino, & benefactori. At canem plerunque famescere videntes frangimur, & beluarum inedia nonnunquam flectimur: tu verò domino famescente non moueris, qua ratione poterunt hæc excusari? Nam si istud solummodo esset, nónne ita sibi sufficeret, vt retributum esse videretur? non dico vt vocem illam à sedente in patris solio orbe terrarum præsente audias, & regnum consequaris: sed ipsum operari nónne sibi ad retributionem sufficit? Nunc autem ad hoc coram vniuersis quum apparuerit ineffabilis illa gloria, præconio te manifestat, & coronat, patronúmque ac hospitem profitetur: nec veretur hæc dicens, vt fulgentem acquiras coronam. His igitur rationibus & isti non iniuria puniuntur, & illi etiam si mille talia fecerint, per gratiam tamen coronantur. Gratiæ nanque omnino illa benignitas est, vt pro rebus minimis & vilissimis cœleste regnum, & tantus honor tribuatur. *Et factum est,* CAP. XXVI.
quando finiuit Iesus sermones hos, dixit discipulis suis: Scitis quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur, vt crucifigatur. Rursus quando de regno, de retributione futura, de æternis cruciatibus disseruit, opportunè passionis meminit: ac si diceret, Quid formidatis propter has temporales afflictiones, cùm æterna bona vobis præparata sint? Tu autem perpende, quo pacto, quod eos maximè contristabat, nouo quodam obduxit artificio, tam in superioribus vniuersis, quàm in hoc
loco: non enim dixit, quia post duos dies tradetur, sed quia post duos dies pascha fiet. & tunc adiecit, Et filius hominis tradetur: vt ostendat id quod gerebatur, mysterium esse maximum, ac diem festum atque solennitatem quæ ad salutem orbis celebraretur, & se omnia præscire quæ passurus erat: Idcirco tanquam id sufficeret ad consolationem ipsorum, modo nihil de resurrectione dixit. superfluum enim fuisset, cùm tot tantáque de ipsa disputauerit, in mentionem eius rursus incidere. Præterea vt diximus, quia per pascha, prisca illa quæ in Ægypto facta fuerant beneficia, in memoriam
Exod. 12. eorum reduxit, propterea ostendit passionem suam à mille afflictionibus homines liberaturam: *Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & scribæ & seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicitur † Caiphas, & consiliũ* Caiapha.
fecerunt, vt Iesum dolo tenerent, & interficerent. Dicebant autẽ, nõ in die festo, ne tumultus fiat in populo. Vidisti maximã Iudaicarum rerum perturbationem atque corruptionem. Iniquissima penitus aggressuri negocia, ad summum pontificem veniunt, vt inde licentiam ac potestatem accipiant, vnde à talibus prohiberi oportebat. Quot autem erant principes sacerdotum? Lex quidem vnicum esse voluit, sed multi tunc erant: vnde liquet, quia res Iudaica dissolui iam incipiebat. Moses enim, vt dixi, vnum iussit esse: quo mortuo, alterum creari voluit, vita cuius exilium eorum terminabat, qui homicidium nolentes commiserant. Quo modo igitur tunc multi erant? annui postea facti sunt. & hæc de Zacharia verba Lucas faciens, significauit, dicens ex vicissitu- Luc. 1.
dine ipsum Abiæ fuisse. Principes igitur sacerdotum hîc eos dicit, qui de principibus sacerdotum fuerunt. Quod autem consilium ceperunt? Vt occultius eum ca-

Universidad de Deusto
Biblioteca

perent atque interficerent: vtrunque occultius facere volebant: populum enim valde formidabant, ac ideo præterire diem festũ volebant, dicentes: *Non in die festo.* Nam diabolus ne manifestè passio extaret, ad aliud tẽpus reijcere ipsã studebat. *ne tumultus fiat in populo.* Cõsidera valde ipsos timere, non Deum, neque ne maius scelus esset in ipsa Paschæ celebratione tam tetrum facinus facere, sed homines & tumultum: ira tamen inflammati, posteaquam proditorem inuenerunt, commutati expectare non potuerunt, sed in ipsa solemnitate ipsum occiderunt. quasi enim cęci cupiditate furorẽque irritati, quamprimùm sibi facultas data est, peregerunt. Et quamuis ipse nequitia illorum dispensando in melius vtebatur, non tamen hac de causa impuniti euadent, cùm mille cruciatus ex voluntatis prauitate mereantur, qui eo tempore quo noxij etiam soluebantur, innocentem interficere voluerunt, à quo innumera & immensa beneficia susceperunt, qui propter illos, gentes interea negligere videbatur. Sed ô misericordiam atque benignitatem Christi, qui ad tam nequam homines támque proteruos, vt eos seruaret, apostolos etiam suos post resurrectionem suam miserit ad manifesta pericula mortémque certissimam, & per ipsos supplicationem proposuerit: pro Christo enim legatione fungimur. Talia ergo habentes exempla, non dico moriamur pro inimicis, licet hoc quoque haud recusandum esset: verùm quoniam infirmiores sumus, illud interea dico, non inuideamus amicis, non infectemur liuore benefactores: non dico interim, vt malè nobis facientibus beneficia conferamus, quamuis etiam hoc desidero: sed quoniam tardiores ad perfectiorem virtutem estis, saltem vleiscendi animum deponite. An fortè putatis scenam esse quandam hæc nostra, & histrionum simulationis plena? Cur contra veritatem pugnatis? nõ temerè scripta sunt tum alia, tum ea quæ passionis tempore fecit, quæ certè poterant eos reuocare: verùm vt tu Christi bonitatem imiteris, vt misericordiam eius sequaris. Nam illos vel supinos in terram proiecit, & auriculam seruo restituit, & humiliter eos allocutus est, & mirabilia pendens in cruce signa edidit, radios Solis auertens, lapides findens, mortuos ad vitam reuocans, vxorem iudicis somniis territans, & in ipso iudicio inauditam humilitatem ostendens, quæ non minus quàm signa potuisset eos attrahere, multa etiam prædicens, & in ipso patibulo crucis exclamans: Dimitte ipsis pater hoc peccatum. Sed sepultus quæ non fecit ad salutem ipsorum? sed post resurrectionem non statim Iudæos vocauit? non peccatorũ dedit remissionem, milléque alia bona contulit? Quid enim mirabilius, quàm eos à quibus crucifixus atque occisus est, in adoptionem filiorum Dei susc̃ipere? Quid hac pia cura simul ac prouidentia maius inueniri vnquam poterit? hæc nos audientes, velamine faciem operiamus, cùm tam procul nos distare ab eo videamus, quem imitari iubemur. Perpendamus quanto discrimine ab ipso differamus, vt nos condemnantes, rectius pœnitẽtiam agere possimus, nec eos offendamus, pro quibus animam Christus tradidit suam. Nos verò nec reconciliari volumus illis, quos vt reconciliet, nec acerrimum quidem, atque infame genus mortis recusauit. An forsan expensam etiam hoc quandam, & pecuniæ proiectionem putatis, quod de eleemosyna dicere soliti estis? Cogita quàm obnoxius sis, & non solùm non retardaberis, verumetiam cursu ad eos qui offenderunt venies, omnémque læsionem ipsis dimittes, vt indulgentiæ tibi causa id fiat, vtque tuorum malorum solamen inuenias. Gentiles sæpenumero nihil magni hac ex re expectantes, facilitate animi hostibus atque inimicis peperce-

runt: & tu qui ad tantam spem hinc profecturus es, retardaris, atque torpescis. Et quod tempus ipsum efficit, id tu propter legem non prius conficies, sed expectabis, vt sine præmio ac laude tua perturbatio hæc animi extinguatur, quam tu cum magno præmio deponere potes: præsertim cùm certiores simus, si temporis beneficio indignatio animi ecciderit, non paruos nobis imminere cruciatus, quia quod in nobis tempus effecit, id mandata Dei facere nequierunt. Si autem inflammari te dices, cùm in mentem tibi contumeliarum veniat, repete potius, si quid boni tibi ab eo qui læsit, collatum est, & quot tu afflictiones aliis intulisti. Detraxit tibi, & oblocutus de te est, expende si quid simile aliis tu vnquam fecisti. Quo modo igitur veniam impetrabis, quam aliis concedere non pateris? At nihil tale, inquies, vnquam dixi. Sed audisti libenter alios talia dicentes, quod absque culpa esse non potest. Vis discere quàm magnum bonum sit iniuriarum obliuio, & quo modo summoperè ea Deus placatur? eos qui lætantur ob afflictos, etiam si iustè ab eo puniti sunt, non patitur omnino impunè id facere. Nam etsi iustè illi vexati sunt sed gaudere te hac de causa non oportet. Vnde propheta multa criminatus, hoc tandem subiunxit, dicens: Non passi sunt aliquid in contritione Ioseph, & rursus: Non exiuit ex domicilio suo ad plangendam vnam domum coniunctam ei. Ita quanuis Ioseph, id est tribus ex eo deductæ, & vicini eius ex Dei sententia punirentur, sed tamen etiam istis condolere nos vult. Nam si nos qui nequam sumus, quando in seruum nostrum animaduertimus, si conseruorum aliquem ridentem conspeximus, adeo irritamur, vt ad ridentem iram deriuemus: quanto magis Deus suppliciis aliorum lætantes torquebit? Quòd si lætandum non est, sed condolẽdum his qui à Deo puniuntur: multò magis his condolendum qui nos offenderunt: eius nanque charitatis id signum est, quam Deus cæteris omnibus anteponit. Nam sicut illi flores colorum preciosissimi sunt, quibus trabea imperatoris tingitur: sic illæ virtutes magni precij sunt, quibus charitas continetur. Nihil porrò charitatem ita continet atque conseruat, vt commissorum aduersus te peccatorum obliuio. An forsan de altera parte nihil Deus curauit, an lædentem ad læsum non misit? Immo ab altari ad illum misit, & post reconciliationem ad mensam quoque vocauit. Sed noli tu hac de causa illum expectare: omnia enim sic perdidisti. Propterea enim ineffabilis tibi merces reposita est, vt illum præuenias. Nam si rogatus reconciliaberis, non mandato Dei, sed studio illius reconciliatus brabia illi reliquisti. Quid tu, ais, non vereris hominem inimicum habere? Nónne sufficit nobis diabolus, sed eiusdem etiam generis inimicos attrahimus? O vtinam nec ille bellum nobis indixisset, vtinam diabolum se non fecisset. Nescimus insani, nescimus quanta in reconciliatione voluptas sit, quam in ipsis inimicitiis intelligere non possumus. Verùm quantò suauius amare iniuriantem, quàm odisse, post depositas inimicitias optimè percipies. Cur igitur furore agitatos imitamur, alter alterum dentibus lacerantes, & in propriam carnem insanientes? Audi quanta cura etiam legis tempore de hoc habebatur: viæ, inquit, recordantium mala in mortem homo homini conseruat iram, & à Deo quærit sanari. Atqui oculum pro oculo, & dẽtem pro dente concessit: quo modo igitur increpat, atque criminatur? Quia illa non vt alter alteri faciamus permisit, sed vt formidine pœnæ à similibus abstineamus. Præterea repentinæ istæ iræ sunt, iniuriarum verò memoria animi est perniciem diutius cogitantis. Sed malè me vexauit, inquies. Nunquam ille tantum

tum tibi facere potuit, quantum tuipse tibi læsionis memoriam retinendo. Præterea non est possibile virum fortem mali aliquid pati. Fingamus enim quempiam liberos & vxorem habentem philosophari, qui etiam detrimenti occasiones habeat multas, magnos sibi pecuniarum aceruos, amicos quamplures, principatum non paruum, honores denique ingentes: verumtamen philosophiæ summoperè inhæreat: huic homini fortunæ vulnera cogitatione afferamus. Nequam igitur aliquis damno ei non minimo sit: quid igitur ad eum, qui nihili pecunias ducit? Liberos eius interimat alius: quid ad eum qui de resurrectione quotidie philosophatur? Vxorem occidit quispiam: quid hoc ad eum, qui doctus est non lugere dormientes? Vituperationem alius ei afferat: quid ad eum qui florem fœni præsentia cuncta existimat? Si vis & corpus eius cædatur, & in carcerem quoque trahatur: quid ad eum qui semel sibi omnino persuasit, quamuis exterior homo corrumpatur interiorem tamen renouari: &, quia tribulatio patientiam efficit? Sic ego hunc hominem nihil mali passurum ostendere pollicitus sum: oratio verò progrediens, probiorem atque perfectiorem fieri tentationibus demonstrauit. Nolite igitur in alios vestro detrimento incitari, acumen ánimi infirmius facientes. Non enim ex prauitate proximi magis, quàm vestra hæc concitatio malignitate prorumpit. Quapropter si quis contumelietur, lachrymamus confestim atque contrahimur. Si quis nostra rapiat, eodem pacto mouemur, infantium vicem supplentes, quos qui liberiores ex æqualibus sunt, parua, aut nulla plerunque de causa ad dolorem impellunt, quos tamen si moueri atque dolere viderint, non desinunt mordere: sin verò ridere atque parui pendere animaduerterint, confestim eos omittunt. Sed nos etiam istis sumus amentiores, his de rebus plangentes, de quibus magnoperè ridendum est. Quas ob res vehementer vos hortor, vt his puerilibus contemptis moribus, ad cœlos aspiremus. Viros enim, & viros perfectos Christus nos esse desiderat, sicuti Paulus quoque iubet, dicens: Non sitis pueri mente, sed malitia paruuli estote. Infantes igitur secundùm nequitiam simus, & malignitate omissa virtutem amplectamur: vt ad æterna bona perueniamus, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi. Amen.

Homilia LXXXI. ex cap. XXVI.

Cvm *autem esset in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier, alabastrum vnguenti habens pretiosi, & effudit super caput eius recumbentis.* Hæc mulier vna & eadem apud omnes Euangelistas esse videtur: meo autem iudicio eadem est apud tres, alia verò quædam & mirabilis Lazari soror apud Ioannem. Non autem absque causa lepræ Simonis mentionem facit Euangelista, sed vt aperiat, quare confidens accessit mulier. Nam quoniam immunda quædam res, & abominabilis ægritudo lepra esse videbatur: vidit autem curatum Simonem à Iesu (non enim aliter hospitatus apud leprosum fuisset) vehementer sperauit animæ quoque suæ sordes facilè posse ab eo detergi. Ciuitatis autem Bethaniæ nomen nõ otiosè addidit, sed vt discas sponte ad passionem accedere. Nam qui prius à Iudæis sibi caucbat, quando maximè inuidia exarserunt, tunc propius ad eos venit, vt circiter duo millia passuum à Hierosolymis abesset. Qua ex re manifestè patet, dispensationis quoque priores fuisse recessus. Cùm igitur (vt diximus) apud Simonem mulier ipsum vidisset, fiducia inde capta, ingressa est. Nam si illa quæ sanguinis fluxũ patiebatur, quamuis talis flagitij sibi conscia non esset, tamen quoniam naturæ quodam defectu immunda videbatur, timens ac tremens accessit: multò magis timendum isti erat, quæ conscientiæ pondere premebatur. Quocirca post multas mulieres, post Samaritanam, post Chananæam, post eam quæ fluxum sanguinis patiebatur, alias quoque complures, Iesum accedit, quia turpis vitæ conscia: ideóque factum est vt nec publicè, sed in domo, atque priuatim accesserit. Cúmque cæteræ omnes curationis corporeæ gratia adissent, sola hæc ad honorem ei conferẽdum, & animæ incolumitatem acquirendam accessit: nulla enim corporis ægrotatione laborabat, vnde meritò de animo, atque affectione ipsius erga Iesum quispiam admirabitur: præsertim tamen cùm non vt homini nudo afferret honorem, sed vt maiori cuidam, supráque hominem. Quippe cùm capillis abstergeret pedes eius, honorabilius in toto corpore membrum, caput dico suum pedibus Christi subiiciebat. *Videntes autem discipuli eius*, inquit, *molestè tulerunt, dicentes: Ad quid perditio hæc? potuit enim vnguentum hoc venundari multo, & dari pauperibus. Sciens autem Iesus, dixit: Cur molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me: pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis. Cùm enim hæc immiserit vnguentum hoc in corpore meo, ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit hoc euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* Vnde discipulis hæc cogitatio suborta est? Audierunt sanè dicentem magistrum, Misericordiam volo & non sacrificium: Iudæósque increpantem, quia grauiora, iudicium scilicet, misericordiam & fidem negligebant. Multa etiam alia de eleemosyna in mõte ab ipso disputata meminerunt: ex quibus omnibus inferebant, quoniam si holocausta & priscum cultum non suscipit, multò minus huius vnguenti effusionem gratam habebit. Sic igitur illi cogitabant, ipse verò mentem eius apertissimè videns, & quanta religione, quantóque studio erat succensa, admittit, & illius affectui valde condescendens, in caput suum effundi vnguentum permisit. Nam si hominem assumere, & vtero mulieris portari, & educari lacte non recusauit: cur miraris, si hoc quoque non depulit? Et certè quemadmodum Pater eius nidorem & fumum, sic & ipse meretricem susc̃epit, mentem & animum eius, vt dixi, considerans. Etenim Iacob titularem lapidem Deo inunxit: & in sacrificiis oleum offerebatur, & sacerdotes vnguento vngebantur. Discipuli autem qui mentem eius perspicere non poterant, importunè criminabantur, & accusantes munificentiam mulieris ostendunt. Nam cùm dixissent, vendi trecentis denariis vnguentum illud potuisse, quantum ipsa in vnguentum illud insumpsisset aperuerunt, & sic magnanimitatem eius manifestarunt. Iesus autem ipsos increpat, dicens: *Cur molesti estis huic mulieri?* Et rationem vnam affert, qua rursus in passionis sub memoriam eos inducit. *Ad sepulturam enim meam hoc fecit*, ait: & item alteram, *Pauperes enim vobiscum semper habetis, me autem non semper habetis. Et vbicunque prædicatum fuerit hoc euangelium, factum & istius dicetur.* Perpendis quo modo exitum ad gentes prædicit, hinc etiã mortis suæ solamen discipulis afferens. Siquidem tanta post crucem virtus eius futura est, vt vbique terrarum prædicationis splendor resultatur. Quis igitur poterit aduersus veritatem hanc tam latè longéque patentem quicquam opponere? factum enim iam videmus, quod prædixerat, & quocunque terrarum ibis, hãc mulierem prædicari audies. Et certè nec insignis quædam & nobilis fuit persona, nec multitudine testium res celebrata est, nec in theatro, sed in domo, & in domo leprosi confecta, vbi discipuli solummodo aderãt. Quis igitur tam

Universidad de Deusto
Biblioteca

abiectæ mulieris factum ita proclamauit,ac dispergi fecit, vt per totum sic orbem, & ab omnibus audiretur? Virtus profectò eius qui hæc prædixerat.Et quidem regum ac imperatorum res gestæ, quorum nonnulla remanent monumenta,omnino tacentur:& de plerisque eorum qui vrbes condiderunt, mœnia erexerunt,bella gesserunt,trophæa statuerunt, multáque gentes subiugarunt, quamuis & statuas sibi fecerint, & leges sanxerint,nulla tamen fit mentio,multique ipsorum nec nomine quidem extant. Quòd autem meretrix mulier in domo cuiusdam leprosi duodecim viris præsentibus oleum effudit, id per vniuersum orbem tanto tempore transacto decantatur:nec rei gestæ memoria emarcuit, sed & Persæ,Indi,Scythę,Thraces,Sauromatæ,quique Mauritaniam,quique Orchadas insulas habitant, quod in domicilio pauperis à flagitiosa fuerat factum muliere,magna prædicant voce. O ineffabilem misericordiam Domini,qui à meretrice muliere pedes suos osculari patitur, & oleo precioso perungi, & pilis capitis eius abstergi: nec patitur solum, verumetiam increpat criminantes. Non enim debebat pro tanto mulier studio reprehendi. Tu autem illud considera, quo modo iam sublimes animo, & ad eleemosynam proniores erant discipuli. Sed quámnam ob rem non illico dixit, quia opus bonum fecit: sed antepositi, Quid molesti estis huic mulieri? Vt erudiret eos,non statim ab incunabulis ab imbecillioribus sublimiora esse petenda.Quapropter non rem ipsam solummodo nudam, sed personæ mulieris coniunctam exposuit: quam certè si legem sanciret, non apposuisset. Ideo ergo personam cum re simul accepit,vt discas tu gratia mulieris hæc dicta esse, ne germinantem fidem eius decuterent, sed irrigarent magis, ac ad maiora protraherent: vnde nos docet, quando bonum quicquam fieri videmus, etiam si exactissimè non fiat, suscipiendum tamen nobis esse, & fauore nostro ad vlteriora prouehẽdum. Non est enim exquisitissima ratio statim in principio rerum quærenda.hoc Christum ita velle inde patet,quia cum non haberet vbi caput reclinaret, loculos tamen circumferre iussit. Præterea non erat tempus tunc factum mulieris corripiendi,sed commendandi duntaxat,atque approbandi.Et quemadmodum si quis ipsum antequam mulier hoc fecisset interrogasset, non admisisset: sic postquam fecit illud vnum solummodo respicit, ne increpatione discipulorum ancipiti animo turbetur,sed hortatu suo maiore animo susceptо promptior & melior euadat.Non erat enim amplius increpatio post effusionem olei opportuna.Itaque & tu si præparasse quosdam vasa videris sacra, aut ornatum quendam alium circa parietes Ecclesiarum, & pauimenta confecisse, noli reprehendere aut venundari iubere aut destrui quod factum est, ne animum eius qui fecit perturbes. Sin verò antequam fecerit,te consuluerit,pauperibus offerre iubeto.Nam ipse ne mulieris promptitudinem extingueret, istud fecit: & quæcunque dicit, ad ipsius consolationem dicit. Verùm quoniam ad sepulturam suam id ipsam feciſſe dixit, ne confundatur mulier sepulchrum & mortem audiens, vide quemadmodum rursus ipsam corroborat.In vniuerso,inquit,orbe quod ista fecit,dicetur: quod & discipulis solamen affert, & illi solamen simul & laudem. Vniuersi enim factum ab ea decantabunt, inquit, & modò passionem meam prædixit, quæ ad sepeliendos homines pertinent adducens. Nemo igitur ipsam increpet, cùm ego adeò procul absim vt ipsam quasi malè fecerit reprehẽdam, vt nec latere quidem id patiar,sed vbique terrarum,quoniam mẽte pia, & feruenti fide atque animo contrito factum est, prædicari faciam. Quam autem ob rem nihil spiritale, sed perpetuam mulieri memoriam pollicetur? Hac laude de spiritalibus etiam confidere ipsam effecit. Si enim bonum operata est opus,proculdubio digna opus mercede non fraudabitur. *Tunc profectus vnus ex duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes,ad principes sacerdotum, dixit: Quid vultis mihi dare,& ego vobis tradam eum?* Tũc istud, ad quódnam tempus referendum est? Quando ista locutus esset:quando ad sepulturam, dixit:Ac neque hinc compunctus est: neque cùm audisset quòd futurum erat vt euangelium vbique terrarum prædicaretur,timore correptus est. Istud enim ineffabilis cuiusdam erat potestatis: Immo quando mulieres eæque meretrices tanto Christum prosequerentur honore, tunc ipse diabolicum facinus meditabatur,& peragebat.Cognominant autem eum,quia erat etiam alius Iudas,nec verentur dicere ex numero ipsorum duodecim ipsum fuisse: sic etiam nihil eorum occultant quæ opprobriosa sibi esse videbantur. Et certè potuerunt simpliciter dicere ex discipulis illum fuisse. fuerunt enim & alij præter duodecim: nunc autem ex duodecim addunt, ac si dicerent,ex primo eorum choro quos quasi optimos elegit, qui cum Petro atque Ioanne vnius ordinis erant. Vnica quippe cura illis solummodo fuit, non tenebris obducẽdi quæ facta sunt, sed veritatis exponẽdæ:quocirca multa de signis prætereunt, & nihil eorum quæ ignominiosa videntur occultant, sed siue verbum sit siue opus, qualecunque tandem fuerit, liberè id prædicant:nec cæteri tantum, sed ipse quoque grandiloquus Ioannes diligenter obseruat.Exquisitissimè namque omnium contumelias & opprobria in Christum facta conscripsit.Vide autem Iudæ malignitatem, qui sponte ad prodendum abiit,qui argento id facit, & argento minimo. Lucas verò ait, cum magistratibus ipsum pepigisse. Nam propter Iudæorum seditiones,quosdam præfecerunt Romani, qui eos in ordinem redigerent. Iam enim principatus eorum secundum prophetiam translatus erat. Ad hos igitur profectus dixit:Quid vultis mihi dare,& ego vobis tradam ipsum? *Isti autem statuerunt ei triginta argenteos. & ex eo tempore quærebat opportunitatem, vt ipsum traderet.* Nam quoniam multitudinem timebat,tempus quærebat quo solum posset circumuenire. O singularem amentiam, quomodo penitus habendi cupiditate fuit excæcatus. Nam qui sæpius vidit ipsum per medios inimicos transiisse, nec detentum fuisse: qui diuinæ omnipotentiæ ipsius multa documenta re ipsa percepit, retineri ipsum posse putauit, præsertim cùm tot sibi tam terrentia quàm mulcentia verba ab eo dicerentur, vt sceleratam hanc cogitationem ab ipso abiicere omnino debuerit.Nam nec etiam in ipsa cœna curam eius prætermisit, sed vsque ad vltimam penè horam, qua fuit traditus, de hac re ille ænigmaticè loquebatur: nihil tamen ille vtilitatis accepit, nec propterea Dominus quæ sua sunt facere cessauit. Hoc igitur etiam nos probè tenentes, cuncta libenter ad reuocandos peccatores & desides faciamus,admonentes,docentes, exhortantes, rogantes, consolantèsque non cessemus, etiam si nihil prodesse videamur. Nam & Christus quanquam inemendabilem Iudę duritiem non ignorabat, non tamen cessauit quæ sunt sua facere admonendo, minitando, & quasi miserum lachrymando,nec apertè vnquam & liquidò,sed tectè & occultè.In ipso verò proditionis momento, & osculari se ab eo sustinuit: sed nihil hinc ille consecutus est.tantus certè,támque incredibilis auaritiæ furor est:hæc enim illum & proditorem nequissimum, & sacrilegum nefandissimum fecit. Audiatis hæc attentius omnes auari,qui grauissimo Iudæ morbo laboratis:audiatis, inquam, & teterrimam hanc ægritudinem fugiatis:namque si

Luc. 22.

que si qui vnà cum Christo viuebat, si qui doctrinam Christi audiuit, si qui signa fecit, in profundissimum malorum barathrum ex hac ægritudine præcipitatus est: multò facilius vos,qui nec scripturas audistis,& secularibus rebus affixi estis, hic morbus aggredietur nisi iugiter atque perpetuò vigiletis. Quotidie ille cum eo erat,qui non habebat vbi caput reclinaret: & quotidie & verbis & operibus instituebatur, vt non argentum, non aurum, non duas tunicas habere vellet, & tamen reprimere se non potuit.Quomodo igitur tu speras absque magna cura & diligenti studio contagionem huius morbi effugere? Terribilis certè, terribilis hæc belua est. si tamen volueris facillimè ipsam superabis:non habet enim à natura originem hæc cupiditas. Idque manifestum est ab his qui ea liberati sunt. Nam quæ à natura sunt, vniuersis hominibus communia sunt: hæc autem cùm omnibus non insit, ex desidia solùm originem trahit. inde nascitur,inde augetur, inde conseruatur: cùm aliquos in seruitutem suam attraxerit, consestim illis præter naturam viuere persuadet.Nam cùm amicos, fratres, cognatos vniuersos simpliciter qui eiusdem generis sunt, & ad hæc omnia se quoque ipsos ignorant,præter naturam certè viuunt: vnde patet præter naturam esse malignitatem, & pestiferum auaritiæ morbum: in quem & Iudas cùm incidisset, proditor factus est. Sed quæres quomodo talis factus sit, qui à Christo vocatus fuit? quia Dei vocatio nullum cogit, nec mentem eorum qui virtutem volunt contemnere, vllo modo violentat,sed hortatur quidem,ac consulit: & omnibus modis bonos esse persuadet: si verò aliqui reluctentur, nullo modo cogit. Quòd si vis discere vnde huiusmodi factus est,argenti cupiditate ipsum deperisse inuenies. Sed quomodo, inquies, hac passione victus est? Ex desidia certè atque incuria.Vnde mutationes huiuscemodi sic fieri solent, quemadmodum studio ac diligentia illorum contrariæ. Multi enim qui erant violenti, ad lenitatem omnino mutati sunt: multi petulantes modestiam amplexi sunt: multi auari prius, & odiosi alienorum inuasores, postea etiam sua proiecerunt.Contrarium rursus à desidia solet accidere. Et enim Gihezi vnà cum viro sancto viuebat, & nequam hoc morbo affectus est. Pessima nempe omnium hæc passio est, hinc sepulchrorum violatores, hinc homicidæ, hinc bella & pugnæ, hinc alia quamplurima mala oriuntur. Vbique certè auarus inutilis est,nec ad imperandum exercitui, nec vt præsit populo commodus. Cur dico in rebus publicis,cùm in priuatis etiam inutilis sit? Si vxor ducenda est: non probam,sed impudentissimam omnium pecunia eliget. Si domus emenda, non eam quæ homini libero conueniat emet, sed quæ pluris posset locari. Si serui & quicquid aliud comparandum est, vilissimum semper inquiret. Quid minora percurro? si regnum orbis inuaserit: cæteris omnibus miserior tamen est,atque pauperior:terrarum pestis,vrbium pernicies, singulorum calamitas. non enim quæ cæterorum sunt quasi sua tutatur, sed veluti vnus ex multis omnia rapit, pauciora putans cæteris omnibus habere.Nam cùm cupiditati eorum quæ nondum possedit,ea quæ habet confert, nihil ea quæ habet præ illis esse opinatur:propterea quidam ait,nihil esse auaro iniquius.Qui auarus est,etiam seipsum perdit:auarus communis omnium hominum hostis: auarus non parum dolet, quia terra pro spicis aurum non producit, quia fontes non manant auro, quia montes loco lapidum aurum non habeant. Auarus fertilitatem temporum molestè fert, & communi fœlicitate contrahitur, omnémque fastidit causam vnde argentum colligere non potest: è regione verò cuncta suffert vnde vel dum os solummodo capere obolos possit. omnes homines tam pauperes quàm diuites odio prosequitur: pauperes, ne quid ab eo petant: diuites, quia quæ illorum sunt, non possidet: vniuersos enim simpliciter quæ sua esse deberent, occupare putat, ac ideo quasi ab omnibus læsus, omnibus infensus est. Hic quid plenum sit nescit,saturitatem ignorat,omnium denique ita miserrimus est,quemadmodum expers auaritiæ, & oppositæ virtuti deditus omnium est beatissimus. Quippe cùm virtuoso,siue seruus sit, siue captiuus, nemo malefacere possit, nec si vniuersi homines cum armis & machinis aduersus eum insurgerent: nequam verò & rapax, & homo qualem descripsimus,etiam si rex sit, etiam si mille purpuris exornetur,vel à quouis pati extrema potest: adeò improbitas imbecilla res est, adeò è contra virtus validissima. Quid igitur mœres propter pauperiem? quid ploras, cùm festum diem habeas? Quid lamentaris, cùm solennia ducas? Solennis quippe dies & festus prudenti pauperies est.Quid plangis ô puer?pueri enim certè huiusmodi homines sunt. Vapulasti ab aliquo. quid hoc? fortiorem te reddit.Quispiam pecuniam surripuit tuam? in hoc bonam tui oneris partem sustulit. Famam tuam læsit? ad aliam virtutis speciem resilisti. Audias exteriores sic philosophantes atque dicentes: nihil te mali,nisi fingas, & tibi persuadeas, passum inde fuisse. Sed magna te illa domo priuauit, & hortos circumpositos eripuit. Ecce vniuersa terra in conspectu est tuo: ecce publica ædificia, siue ad voluptatem, siue ad vsum ea requiris. Quid amœnius, aut pulchrius firmamento cœli? Quousque pauperes atque inopes sumus? Non potest diues esse,qui animo pauper est: sicut nec pauper esse potest, qui animo diues est. Nam si excellentius atque præstantius corpore anima est, non possunt quæ deteriora sunt ipsam ad se nolentem attrahere: sed illa quæ princeps est, cuncta inferiora & minora vt vult trahit atque transmutat.Nam & cor quando laborat, totum corpus patitur, & intemperies ipsius totum corpus aggreditur: sicut è contra temperies toti corpori prodest: quòd si quid cæterorum languescat membrorum corde incolumi, & virtute vigenti,facilè languor etiam illius excutitur. Et vt apertiorem totam hanc rem faciam, dic quæso quod emolumentum ex arbore futurum est,si rami virescunt,& radix putrescat? aut quod detrimentum arbor habebit,si foliis exiccatis radix incolumis penitus sit? Pariter hîc igitur cogita nullam vtilitatem esse pecuniæ, si animus paupertate deprimitur:nec paupertatis vllum onus,si animus diues existit.Sed quomodo,inquies, diues animus esse poterit si pecunias non possidet? immo verò tunc maximè summis diuitiis pollet. Nam si,vt sæpius dictum est, id argumentum diuitis animi est quòd pecuniam despiciat,ac re nulla indigeat, patet paupertatis è contrario argumentum esse, indigere, ac studio & cura collectioni pecuniarum incumbere. Nec vllus vnquam dubitabit facilius in paupertate,quàm in rerum copia posse pecuniam despici, ac multò magis à diuitibus, quàm à pauperibus magnitudinem pecuniæ concupisci. Veluti etiam ebrius maiore siti vexatur, quàm qui modico vino vsus est. Non enim huiusmodi cupiditas est, vt maiori cumulo rerum possit extingui, sed è contra inflammari atque incendi soleat: & quemadmodum ignis addita materia magis effertur, sic pecuniarum cupiditas adiectione auri magis extollitur. Si ergo qui plura expetit inops est, ac talis qui multa possidet esse inuenitur, hic maxima paupertate deprimitur. Perpendis diuitis animum in paupertie, & pauperis è contra in diuitiis esse? Sed in personis quoque si placet, qualis sit hæc res videamus. Ponamus ergo duos esse quorum alter mille,

4. Reg. 5.

Auarus ad omnia inutilis.

Eccles. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

alter decem habeat talenta: & vtrunque pecunia sua A penitus à quoquam priuari: vter igitur maiore vexabitur dolore? nónne patet, eum qui mille amisit? Sed profectò non doleret magis, nisi magis pecuniam amaret. Qui verò magis amat, magis certè concupiscit: qui porrò magis concupiscit, hic pauperior est. Illud enim maximè cupimus, quo maximè indigemus. Ex indigentia enim cupiditas originem trahit: vnde vbi satietas est, cupiditas esse non potest. Quippe tunc maximè sitimus, cùm potu indigeamus. Hæc à me dicta sunt, vt ostendam, si vigilamus, neminem nobis nocere posse: vtque pateat, non ex paupertate, sed à nobisipsis detrimentum nobis fieri. Quare vehementer omnes rogo atque oro, vt omni studio auaritiæ morbum expellamus, vt & hìc in diuitiis nulla re indigentes viuamus, & æternis bonis perfruamur, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi. Amen.

HOMILIA LXXXII. EX CAP. XXVI.

PRIMA *autem azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? Ipse autem dixit: Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dicit, tempus meum propè est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Primam azymorum eam diem vocat, quę ante azyma erat. Consueuerunt enim à vespere semper dies numerare, & eius mentionem facit in vespere, cuius Pascha erat immolandum. Quinta enim sabbati accesserunt, quam hìc quidem primam azymorum, id est, ante azyma vocat, tempus designans quo accesserunt. Alius autem, Venit, inquit, dies azymorum, in qua oportebat immolari Pascha. Nam, Venit istud, propè, & in ianuis erat, significat: vesperam videlicet illam à qua incipiebant, commemorans: ideo quique Euangelistarum adiiciunt, quādo immolabatur Pascha. Accedunt igitur discipuli ad Iesum, & dicunt: Vbi vis præparemus tibi comedere Pascha? Hinc etiam patet nullam C sibi domum, nullum diuersorium fuisse, puto autem neque discipulis eius. Nam profectò ipsum ad eos diuertere rogassent: sed nihil erat etiam istis, omnibus iam anteà propter Christum neglectis, atque contemptis. Cuius autem rei gratia venit ad Pascha? Omnibus semper vsque ad vltimum passionis diem non esse aduersarium se legi ostēdit. Sed cur ad ignotum eos hominem ire iussit? Ostendere hinc quoque voluit potuisse se passionis tormenta euitare. Nam qui mentem illius verbis solùm induxit, vt ipsum cum discipulis vellet suscipere: quid fecisset crucifigendus, si pati noluisset? quod etiam de asina fecit. Si quis enim aliquid dixerit, inquit, dicite quia Dominus eius indiget. hìc autem, Magister dicit, apud te cum discipulis meis Pascha facio, dicendum præcipit. Ego verò non id solùm admiror, quòd ignotus erat, sed illum multò magis stupeo: quòd bellum acerrimum & inimicitias primatum hac ex re incumbere sibi videns, omnibus his neglectis libēter ob- D temperauit. Cæterùm quia ignotus erat, signum eis dedit, quale de Saule Propheta dicēs: Inuenies hominem ascendentem, & vtrem habentem: hìc verò aquæ amphoram portātem. Tu autem perpende rursus quomodo virtus eius apparet. Non enim solùm dixit, apud te facio Pascha, sed illud proposuit, Tempus meum propè est: quod fecit partim quia volebat crebrò passionis memoriam discipulis inculcare, vt hac præmeditatione corroborati, minus turbarentur: partim vt & illis ipsis, & suscipienti, atque Iudæis omnibus ostenderet (quod sæpe dixit) non inuitum se ad passionem accedere. Cum discipulis autem meis dicit, vt & sufficiens fieret præparatio, & vt nemo latebras ipsum quærere

Luc. 2. Marc. 14. Ioan. 11.

Supra 21.

1. Reg. 10.

suspicaretur. *Sero autem facto discumbebat cum duodecim discipulis.* O ingentem impudentiam Iudæ! aderat enim etiam ille, atque mysteriis ac mensa communicauit, & inter comedentes arguitur, quando etiam si fera esset immanis, ad lenitatem compelli potuisset. Propterea & Euangelista signanter dixit, quia comedētibus ipsis de proditione Christus loquebatur, vt tum à tempore mysterij, tum à mensæ communicatione nequitiam proditoris ostenderet. Postquam enim discipuli, sicut præcepit Iesus, fecerunt, sero facto eum duodecim discumbebat. *Comedentibus autem eis dixit:* inquit, *Amen dico vobis, vnus ex vobis me tradet.* Cæterum ante cœnam eius etiam pedes lauit. vide autem quo modo illi valde indulget: non enim dixit ille: sed, vnus ex vobis me tradet. vt rursus pœnitentiæ occasionem latēti meliorem præberet. Itaque maluit omnes illos terrere, quàm huic pœnitentiæ irritamenta non dare. Vnus, inquit, ex vobis duodecim, qui vbique mecum fuistis, quorum pe- B des laui, quibus tot tantáque pollicitus sum. Dolor intolerabilis illico sanctum illud inuasit consortium. Et Ioannes quidem ait, hæsitantes alios in alios aspexisse, Ioan. 13. deinde quamuis nullius rei sibi conscij essent, singuli tamen de se timentes ipsum interrogauerunt. Iste verò ait quòd contristati valde, cœperunt singuli de se dicere: *Nunquid ego sum Domine? Ipse autem respondens, dixit: Cui ego intinctum panem porrexero, ille est.* Vide quando ipsum tandem reuelauit, quando scilicet ab hoc dolore animi liberare cęteros voluit. semimortui enim iam erant, hoc pauore cōsternati, quo impulsi interrogabant. Nec ista de causa solummodo illum edidit, verumetiam vt territus ille resipisceret. Nam cùm confusè atque indistinctè audiens non mouetur, vt magis eum tangeret, velamina deiecit. Iesus autem cùm illi mœrentes interrogarent, *Nunquid ego sum Domine? respondens dixit: Qui tinxit mecum manum in paropside, hic me traditurus est. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo. Væ autem homini illi per quem filius hominis traditur: bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* Quidam asseuerant ita il- Luc. 22. & Zach. 13. lum impudentem fuisse, vt paruipendendo magistrum, cum ipso tingeret: Mihi autem videtur Christi hortatu id quoque factum fuisse, vel vt magis sibi Iudas afficeretur, vel vt maiore detineretur pudore: etenim etiam in hoc non paruus est affectus. Hæc autem omnia non festinè transcurrenda sunt, sed nostris mētibus infigenda: sic enim nullum vnquam in nobis ira locum habebit. Quis enim cœnam illam animo voluens, & proditorem vnà recumbentem cum Saluatore, ac eum qui tradebatur, sic leniter atque humiliter loqui, non eiiciet omne furoris atque iræ venenum? Perpende igitur quàm leniter ad ipsum sermonem conuertit. Filius quidem hominis, inquit, vadit, sicut scriptum est de ipso. Quibus verbis & discipulos confirmauit, ne imbecillitati hanc rem attribuant, & proditorem simul voluit emendare. Væ autem homini illi, per quem filius hominis traditur: bonum erat illi si natus non fuisset homo ille. Perpende etiam atque etiam in arguendo ineffabilem lenitatem: non enim acriter, sed commiserando profert orationem, aliqualiter rursus quasi tenebris obductam. Et certè non superior solùm vecordia, sed posterior impudentia omnem indignationem merebatur. postquam enim ita redargutus fuit, interrogauit dicēs: *Nunquid ego sum rabbi?* O singularem stultitiam! quærit de his, quorum sibi conscius erat. Nam & Euangelista ex admiratione impudentiæ illius hæc dixit. Quid porrò ad hæc leniss imus & mitissimus ille Iesus? *Tu dixisti.* Ita quanquam dicere potuisset, sceleste atque sordide tam longo tempore hoc malum parturiēs, & nunc diabolicis factis conciliis argentum ex pacto habiturus,

audes à me redargutus, quasi nullius tibi rei conscius A interrogare? Nihil tamen horum dicere voluit: sed quid? Tu dixisti. Ita terminos nobis ac regulas tolerantiæ & obliuionis fixit iniuriarum. Sed obiiciet quispiam, atqui si est scriptum, Christum hæc fuisse passurū, quam ob rem Iudam qui scripta perfecit, criminamur? Quia non illo certè animo, sed improbitate sola in turpissimum illud facinus fuit impulsus. Nam nisi mentem respicias, ipsum quoque diabolum ab omni crimine liberabis. Sed non est ita, non est. Mille enim vterque meretur supplicia, etiam si orbis salutem inde consecutus est. Quippe non Iudæ traditio, sed sapientia Christi atque potētia salutem peperit vniuersis. Christus enim improbitate aliorum ad vtilitatem nostram vsus est. Sed inquies, quid igitur, si Iudas non prodidisset, aliúsne ipsum prodidisset? quid hoc porrò ad quæstionem? quia, inquies, crucifigi omnino Christum oportebat, nec crucifigi poterat, nisi per homines. Quid si omnes erga ipsum boni fuissent, hæc pro salute nostra dispen- B satio non processisset? Absit hoc omnino. Nam inæstimabilis sapientia Christus, si ita contigisset, nouit quo pacto res dispensanda fuisset. Præterea ne quis putet, ministrum dispensationis Iudam fuisse, quasi miserum deflet. Sed rursum quispiam obiiciet, si bonum erat nō fuisse Iudam natum, quare illum produxit? Quare autem cæteros prauos produxit? ita cùm te oporteat improbos coarguere, qui poterant improbitatem negligere, hoc derelicto curiosè & temerariè dispensationes & opera Dei scrutaris, quamuis scias nullum necessitate cogi vt improbitatem sequatur. Ita, inquies. Sed bonos natos esse solùm oportebat, nec gehenna aut suppliciis opus erat, cùm nullum malignitatis extaret vestigium: improbos autem nunquam natos, aut natos confestim decedere. Non verò primùm illud apostolicum dicen- Rom. 9. dum arbitramur: Atqui ô homo tu quis es qui ex aduerso respondes Deo? Num dicet figmentum ei qui finxit, cur me ita formasti? Deinde si rationem humanam quæris, illud addere non dubitabimus, maiori admirationi bonos esse, cùm inter improbos viuant: tunc enim innocentia ipsorum, & mirabilis philosophia magis elucet. Tu verò omnem luctationis atque certaminis materiam ac causam funditus euertere vis. Quid ergo, inquies, vt alij meliores videantur, alij punientur? Minimè: sed propter improbitatem eorum. Non enim quia nati sunt, nequitiam contraxerunt: sed quia desidia se corruperunt, & idcirco puniuntur. Quomodo ergo supplicio digni non sunt, qui cùm tales habuerint virtutis magistros, nihil boni facere voluerunt? Et veluti probi viri duplici sunt honore digni: tum quòd probi euaserint, tum quòd nihil damni ab improbis acceperint: sic profectò & praui duabus de causis, tum quia cùm possent virtutem sequi, sicut & iusti, sequuti non sunt: tum quia nihil exemplo bonorum virorum lucrari studuerunt, suppliciis digni comperiuntur. Sed videamus quidnam miser iste à præceptore correptus di- D cat. Quid igitur ait? *Nunquid ego sum rabbi?* Quam autem ob rem non à principio sicut & cæteri Iudas istud interrogauit? Quoniam generaliter, vnus ex vobis, dictum erat, latere putauit. Cùm verò iam videret manifestè se reprehendi, de lenitate Domini confisus se posse redargutionem euadere, Dominum interrogauit: quapropter etiam rabbi solus in hoc loco appellauit. O cæcitatem mentis inauditam: quò exactus atque depulsus es? Talis nempe res auaritia est, amentes, stolidos, impudentes, canes pro hominibus, imò verò & canibus peiores, & dæmones à canibus facit: Qua fiebat, vt Iudas quidem diabolum etiam insidiantem amplecteretur, Iesum verò benefaciētem proderet, alter diabolus voluntate iam factus. Tales quippe insatiabilis pecuniarum cupiditas homines facit, vecordes, furiosos, ex pecunia penitus pēdentes: qualis & Iudas factus fuit. Quo modo autem Matthæus & alij duo, quamprimùm de proditione pepigit, captum à diabolo dicunt: Ioannes verò ait quòd post intinctum panem ingressus fuit in eum satanas? Non aliter quippe Ioannes, quàm cæteri, dicit, Cœna enim (ait) facta, cùm diabo- Ioan. 13. lus iam in cor Iudæ immiserat, vt eum tradat: quo modo igitur dicit quòd post buccellam introiuit in eum satanas? quia non subitò, neque sub vno momento, sed sensim diligenter facto periculo hominem ingreditur: quod & hìc factum esse intelligimus. Sensim enim ad eum accedens & pulsans, postquam apertum sibi habitaculum esse cognouerat, totus deinceps hìc spirauit, & plane ipsum superauit. Quo modo autē si Pascha comedebant, aduersus legem recumbentes comedebant? Sed dicere possumus, quia postquam comederunt Pa- B scha, ad cœnandum recubuerunt. Alius autem Euangelista dicit, quia vespere illo non comedebat solùm Dominus Pascha, verùm etiam comedendo dicebat: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobis- Luc. 22. cum. Quare hoc Pascha, id est, hoc anno comedere Pascha desideraui? Quia videlicet tunc salutem orbi allaturus esset, tunc mysteria traditurus, & dolores mortis oppressurus erat, ita sponte & ex animo ad crucem accessit. Sed nihil horum efferatam illam bestiam mitigauit, flexit, conuertit: quare iure quasi miserum illum defleuit dicēs: Væ homini illi. deinde terruit: Bonum fuisset ei, si natus non esset. Sed quoniam neque sic emendatus est, tandem eum manifestauit, dicens: Cui ego tinctum panem porrexero. non fuit tamen ille commotus, sed quasi furore quodam auaritia atque insania captus induruit: immo verò multò peiore morbo, quàm furor est, captus fuit. Quando enim tale aliquid furiosus ac insanus operatus est? Non proiiciebat sic spumam ex ore, sed dominicam cædem admittebat: non torquebat manus, sed extendebat ad vendendum ineffabilis precij sanguinem. Maior igitur hæc insania fuit, quia sanus furiebat. Sed non loquebatur insulsa, dices: Et quid hac voce magis insulsum, quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? diabolus enim certè per os illius insonuit. Sed non pepulit terram pedibus calcitrans. O quàm melius est furiosi pacto calcitrare, quàm hoc modo rectum pedibus ambulare. Sed nō cę- Collatio perelegās auari cum dæmoniaco. debat se lapidibus: & quantò melius erat hæc, quàm illa confiecre. Vultis igitur in medium dæmoniacis & auaris productis, alterum alteri comparemus? Sed nemo ad suum hæc dici contemptum arbitretur. Non enim naturam, sed rem istam improbamus. Nunquam dæmoniacus vestem induitur, sed lapidibus seipsum acerbissimè cædens, per asperrima & inuia loca à dæmone actus percurrit. An non ista horrenda videntur? Quid igitur, si auaros peiora his in suam ipsorum animam patrare, adeò vt ludus hæc ad illa videantur, probabimus? fugietisne hāc ægritudinem? Eia igitur videamus num ipsi nōnihil melius affecti sint. Nihil profectò: sed multo deterius. qualibuscunque enim nudis isti sunt sordidiores. Multò enim melius est nudum omnino esse, nulláque veste contegi, quàm rapta pecunia magnificas sibi vestes comparare, qui mihi vestiri videntur, veluti qui trieteriis Bacchi bacchantur. Nam quemadmodum illi laruas & vestes insanientium accipiunt, eodem hic quoque pacto. Sicut itaque dæmoniaci nuditatem à furore fieri videmus, sic hos amictus ab insania esse nō negauerim. Itaque nuditate illa hic amictus miserabilior, quod idem ostendere conabor. Quem enim ex ipsis insanis magis insanire dicemus, eúmne qui seipsum so-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lum modo cædit, an eum qui tam seipsum, quàm quos- A cunque obuiam habebit? hunc videlicet vltimum. Dæmoniaci ergo seipsos denudant, auari autem obuios omnes dum possunt. Sed lacerant illi vestes, inquies. O quantò magis vnusquisque læsorum vellet laceratum sibi potius indumentum fuisse, quàm ereptam esse vniuersam substantiam? Sed vulnera in hominis faciem nō incutiunt: immo verò hoc quoque rapaces faciunt, paupertatem eis & inediam inferentes, illorum ventres mirè cruciant. Sed non mordent dentibus sicut dæmoniaci: vtinam dentibus morderent, & non auaritiæ telis omni dente acutioribus. Dentes enim ipsorum, tela
Psal. 56. & sagittæ. Præterea vter magis dolet, qui semel dente percussus, remedio confestim vsus est, an qui semper paupertatis corroditur dentibus? Quippe inuoluntaria paupertas belua atrocior, & fornace ardentior est. Sed non sequuntur deserta loca, sicut dæmoniaci: vtinam eremum & non ciuitates popularentur, vt omnes qui vrbes habitant, in otio viuerent. Nunc verò hac quo- B que ratione intolerabiliores sunt, quoniam quæ in deserto illi, hæc in ciuitatibus isti facientes, eas desolant, præsertim cùm nullo resistente, quasi hæc in deserto agerent, sic asportant vniuersa. Sed non petunt lapidibus quoscunque obuios. & quid hoc est? Multò certè facilius est à proiectis lapidibus cauere, quàm literas & stipulationes charta & atramento in miseriam inopum confectas, & mille vulnerum plenas euitare. Si consideremus nunc qualia sunt, quæ sibiipsis faciunt, nudi per ciuitatem ambulāt, cùm nullum sibi virtutis amiculum sit. quòd si ea res turpis eis non videatur, teterrimæ hoc insaniæ argumentum est, quia turpitudinem suam non percipiunt: sed corpore quidem nudi erubescunt, animo autem non modò non verentur, verumetiam iactant. Sed vultis causam etiam impudētiæ exponamus? Quæ igitur causa est? Multos huiusmodi nuditatis habentes socios, quemadmodum in balneo nos, sic alter alternm non verentur. Nam si multi virtutis amictu es- C sent vestiti, tunc turpitudo eorum magis notaretur. Nunc verò illud maximè multis dignum est lachrymis, quòd improbitas, eo quòd multi sint improbi, probro non habeatur. Ad alia enim hoc quoque à diabolo factum accedit, quia nec sensum improbitatis capere permittit, sed multitudine peccantium turpitudo peccati tegitur. si enim cōtingeret in magna verè philosophantium multitudine auarum tunc versari, perspicacius nuditatem suam intelligeret. Sed satis iam ex his patet dæ-
Suprà 7. moniacis esse nudiores. Quia verò etiam deserta loca sequuntur, nemo contradicet. Lata enim illa spaciosáque via omni deserto desertior est. Nam & si multi per eam proficiscantur, nulli tamen sunt homines, sed serpentes, scorpij, lupi, viperæ, tales quippe sunt, qui rapacitatem amplectūntur. Hæc igitur via non solùm deserta, sed asperior est: quod inde patet, quia non lapides acuti, duræ rupes, & cacumina montium scandentes adeò lacerant, vt auaritia & rapina eorum animas qui ali- D ena inuadunt. Quòd autem sicut dæmoniaci apud sepulchra versentur, immò verò quòd ipsi sepulchra sint,
Sepulchrum. quis non viderit? Quid enim sepulchrum est? nihil aliud certè quàm lapis mortuorum corpora tegens. Quid igitur? an non illis lapidibus horum corpora miserabiliora sunt? Non enim lapides sunt cadauera tegentes, sed corpora lapidibus magis insensata, mortuas animas tegentia. Præterea nemo errabit sepulchra ipsos nominans, sicut & Dominus noster Iudæos appellauit, & propter istud potissimum subiunxit dicens: Intrinsecus autem rapina atque auaritia pleni sunt. Vultis iam tandem probemus, quomodo lapidibus capita sua feriunt? dic quæso, vnde incipiendum putas? à præsentibus, an à futuris? sed frustra isti minus curant: præsentia ergo dicantur. Quibus igitur lapidibus grauiores curæ non sunt, quæ non capita feriunt, sed animam corrodunt? Nam dum timent ne iure ex domo exeant sua quæ iniuria sunt intrusa, multis variisque turbationibus vexantur, tremunt, irascuntur, ingemiscunt, irritātur, modò in suos, modo in alienos: ita nunc mœstitia, nunc metus, modò ira ipsos inuadit, & ceu à præcipitio in præcipitium transeuntes semper vexātur: ac dum quotidie eorum quæ nondum possident, acquisitioni student, nullam aut minimam ex quæsitis capiunt voluptatem. Nam trepidant, ne quæ rapina collegerunt, diffluant: cúmque toto animo ad colligendum incumbant, quiescere nullo modo possunt: sed quemadmodum qui continua siti vexatur, etiam si mille fontes imbiberit, tamen quia satiari bibendo non potest, paruam inde percipit voluptatem: sic isti non modò non quiescunt adipiscendo, verumetiam quoniam nullus hu- B ius cupiditatis terminus est, vehementius cruciantur. Talia quidem præsentia sunt, in futuro vero die (dicendum enim à nobis est, etiam si minus attēditis) vbique in euangelio huiusmodi homines pœnas habituros videmus. Nam quando dicitur: Esuriui, & nihil mihi ad Suprà 25. comedendum dedistis: sitiui, & nihil mihi ad bibendum præbuistis, auari homines his verbis puniuntur: ad eos enim qui malè locupletati sunt, dicet: Ite in ignem Ibidem. Suprà 18. æternum præparatum diabolo. Et nequam ille seruus, Ibid 25. qui conseruis substantiam Domini non distribuebat, Ibidem. auaritia periit. Et qui talentum suffodit: & quinque virgines: & quocunque abieris, auaros puniri videbis. Et modò quidem audiunt, hiatum esse inter nos & vos: modò verò, Discedite à me maledicti in ignem qui paratus est. Modò in duas partes decisi eò abibunt, vbi fletus & stridor est dentium. Ita vndique agitati, ac nullo in loco quiescentes, in solam gehennam congregantur. Quid igitur fides tibi ad salutem prodest, si vbi est stri- C dor dentium, vbi exteriores tenebræ, vbi præparatus diabolo ignis, eò detruderis: & in hac vita periculosis insidiis, acerrimis maledictis calumniisque subiectus curis conficiaris, & ab ipsis qui tibi adulari videntur, odio non paruo habearis? Sicut enim probos non boni solùm, verumetiam mali admirantur: pariter certè malignos non solum probi, verumetiam improbi odio persequuntur. Quæ res adeò vera est, vt auaros ipsos interrogare non dubitem. Sic alter alteri tædio esse studet, & quasi maximè officeret inimicus putatur, atque seipsos accusant: & vituperari nimium putant, si quisquam auaros eos appellauerit, & hoc opprobrium eis obiecerit: opprobrium quippe id extremum, & summæ malignitatis argumentum. Nam si pecuniarum cupiditate vincaris, quando inanis furorem gloriæ, quando iram, quando concupiscentiam carnis superabis? Hæc enim multò esse difficiliora, inde tibi persuadebis, quòd multi complexionem corporis ad iram & cupidinem nonnihil conferre arbitrantur: & ipsos excessus carnis complexioni attribuere medici consueuerunt: & calidiorem quidem & humidiorem procliuiorem esse aiunt ad Venerem, eum verò qui sicciore sit intemperie, impetuosum atque iracundum: sed de auaritia nullus vnquam ab eis aliquid tale audiuit. Quare à desidia solummodo & animi stupore pestifera hæc oritur ægritudo. Quapropter rogo atque obsecro, studio iugi atque diligentia hoc corrigamus, cæteráque passiones, quæ pro diuersitate nascuntur ætatis, pro viribus in contrarium transponamus. Si verò in vnaquaque vitæ nostræ particula hoc salum nauigantes, vtilissimos virtutis labores præteruehimur, vbique naufragiis vexati, ac ad portum deuecti, si spiritalibus mercibus destituti simus,

simus, vltima profectò luemus supplicia. Pelagus enim A est latè longéque protensum hæc vita: & quemadmodum in mari vniuerso sinus diuersi, aliis atque aliis tempestatibus commouentur præcipuè: velut Ægeum ventis exasperatur, Tyrrhenum verò fretum propter angustias: Charybdis autem quæ est Libyem versus, propter stagna Syrtis & breuia: Pontus magnitudine fluctuum atque impetu: Hispanicus Oceanus quia inuius carentia portuum & locorum ignorantia intricatus, difficilis nauigantibus est: similiter alia pelagi pars aliis de causis: sic & in vita nostra fieri videmus. Nam primum in ea pelagus, statim videre licet puerum ætatis conditione, quæ multis ac magnis procellis exagitatur: tum quia mens imbecilla est, tum quia nulla firmitate adhuc roboratur, sed huc atque illuc flectitur. Quapropter pædagogos illi & magistros præficimus, vt defectus naturæ diligentia suppleat, veluti & in nauigando gubernatoris artificio maris asperitas superatur. Adolescentium fluctus pueritiæ succedunt, qui ve- B hementioribus sicut Ægeum pelagus exagitantur concupiscentiæ ventis: quæ quidem ætas potissimum correctione destituitur, non solum quia maioribus turbationum fluctibus cæditur, verumetiam quia peccata nō redarguuntur: cùm & magister & pædagogus subtrahantur. Cùm igitur maiore turbine venti spirent, & gubernator sit imbecillior, nemóque alius tutor assit, atque defensor, considera tempestatis magnitudinem. Virilis tertium locum ætas occupauit, quam rerum omnium dispensatio maximè vrget, quando vxor, nuptiæ, procreatio prolis, familiæ gubernatio, & in mentem plurimæ curę innumeræque veniunt, quando auaritia & inuidia maximè vigēt. Si igitur vnamquamque partem ætatis cum naufragiis peragamus, quomodo hanc vitam transibimus? Quo modo æterna fugiemus supplicia? Nam si nihil synceri atque integri in prima ætate didicerimus, si iuuenes modestè non vixerimus, nec auaritiam viri superauerimus, quasi in sentinam C quandam ætatis, in senectutem scilicet deuecti, victa iam tempestatibus animæ nauicula, cùm fluctibus fatiscant compagines, deferemur in illum portum, non spiritales merces, sed multum ac sordidum lutum deportantes: vnde diabolo quidem risum incitabimus, nobis verò ipsis perpetuam mœstitiam comparabimus, intolerabili ac æterno cruciatu vexati. Quod ne accidat, vndique colligamus nos, & aduersus omnes passiones pugnantes, cupiditatem pecuniæ penitus proiiciamus, vt & hîc tranquillè viuamus, & futuram beatitudinem adipiscamur, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui honor, &c.

Homilia LXXXIII. ex cap. XXVI.

Cœnantibvs *autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit atque fregit, & dedit discipulis*, &c. O cæcitatem proditoris, qui D cum ineffabilibus mysteriis communicasset, idem permansit, & diuina mensa
Luc. 22. susceptus, in melius commutari noluit: quod Lucas significauit, dicens, quia post hoc satanas introiuit in eū: non quia dominicum corpus despiceret, sed quia proditoris impudentiam irridebat: maius enim peccatum vtraque ratione fiebat, quia tali cum animo mysteria susceptit, & quia illis susceptis, nec timore, nec beneficio, nec honore melior factus est. Christus autē omnia quamuis sciret, vetare tamen eum noluit: vt tu discas nihil ab eo prætermitti, quod ad emendationem pertineat. Præterea tam in superioribus, quàm in sequentibus crebrò eum commonefacit ac reuocat, & verbis & operibus, timore, colendo, minando, honorando retinere studebat, sed nihil horum illi mederi potuit. Quare illo iam prætermisso his mysteriis in memoriam cædis suæ rursum discipulos reuocat, & inter cœnandum de cruce disputat, crebritate prædictionis dolorem mitigans discipulorum. Quid enim passi non fuissent, si nihil tale audiuissent, qui etiam his omnibus præmoniti conturbati sunt? Et comedentibus (inquit) eis, accepit panem, & fregit. Quam ob rem passionis tempore hoc mysterium tradidit? Vt vndique discamus ipsum veterem etiam legem sanxisse, & omnia quæ in illa sunt propter nouam hanc adumbrata fuisse: hac igitur de causa veritatem figuræ adiunxit. Vespera verò illa, adimpletionis tēporum signum erat, & quòd iam ad consummationem ipsam res peruenerunt: Gratias porrò egit, vt nos instrueret quomodo mysterium hoc facere debeamus, & simul vt ostenderet spōtè se ad passionem proficisci. Præterea vt nos doceret omnia, quæ patiamur cum actione gratiarum esse ferenda, ac vt bonam nobis spem inde immitteret, atque foueret. Nam si figura à tanta seruitute liberauit, multò magis veritas terrarum orbem vindicabit. Ad hæc, vt significaret, quòd ad beneficium naturæ nostræ traderetur, ideo nec antè hoc mysterium tradidit, sed quando cessare iam legem oportebat. Præcipuam autem solennitatem eorum dissoluit, ac ad aliam eos mensam horroris plenam conuocans dicit: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro multis* †*frangetur in remissionem peccatorum.* Quomodo turbati non fuerunt cùm hoc audissent? quia multa iam, & magna de hoc anteà disseruit. Quapropter nec illud quod iam crebrò perceperant, confirmauit: sed passionis causam peccatorum esse remissionem exposuit, & noui testamenti sanguinem vocauit, hoc est, pollicitationis & promissionis legis nouæ. Hoc enim * rursus pollicitus est, & testamentum nouum hoc ipso confirmatur: & quemadmodum vetus pecudes & vitulos habebat, eodem modo nouum, dominicum possidet sanguinem. Moriturum se hinc etiam ostendit: & propterea testamenti mentionem fecit: atque prioris quoque memoriam renouat: nam & illud per sanguinem fuerat dedicatum. Causam deinde rursus mortis suæ subiecit, dicens: Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Deinde ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* Vides quo modo ab Iudaicis abducit & auocat moribus? Nam sicut illud in rememorationem miraculorum quę in Ægypto patres vestri viderunt, faciebatis, sic & hoc in meam facite cōmemorationem. Sanguis ille ad primogenitorum salutem fuit effusus, hic in remissionem totius orbis peccatorum. *Hic enim est sanguis meus*, inquit, *qui effunditur in remißionem peccatorum.* Quod dicebat, vt ostēderet passionem & crucem mysteriū esse, & discipulos hinc consolaretur. Et quemadmodum Moses, hoc æternum vobis erit memoriale, dicebat: sic & ipse in meam, ait, commemorationem, donec veniam. Hac de causa desiderio desiderauit, in- Deut. 16. quit, hoc Pascha vobiscum comedere, hoc est tradere vobis res nouas, & Pascha dare, quos vos spiritales faciam. Ipse quoque bibit ex eo, ne auditis verbis illis dicerent: Quid igitur sanguinem bibimus, & carnem comedimus? ac ideo perturbarentur. Nam & quando prius de his verba fecit, multi solummodo propter verba scandalum passi sunt. Ne igitur tunc id quoque accideret, primus ipse hoc fecit, vt tranquillo animo ad cōmunicationem mysteriorum induceret. Quid porrò, vetus quoque illud, inquies, facere oportet? minimè: ideò enim hoc facite dixit, vt ab illo abduceret. Propterea si remissionem hoc peccatorum facit, sicuti certè facit, superuacaneum illud omnino est. sed sicut in veteri, eodem hîc modo in beneficio reliquit, & me-

frangitur) quod tamen habetur. 1. ad Cor. 11.
ἀλώσεσθον vbi vulgo habet, quod traditur.
* πάλιν, rursus habebat alter cod. alter verò πάλαι, olim.

Universidad de Deusto
Biblioteca

moriam mysteriorum colligauit, etiam hinc hæreticorum ora frænando. Nam quãdo dicunt, vnde patet immolatum Christum fuisse, præter alia multa hæc etiam mysteria afferentes, ora ipsorum consuimus. Si enim mortuus Iesus non est, cuius symbolum ac signum hoc sacrificium est? Vides quãtum ei studium fuerit, vt semper memoria teneamus pro nobis ipsum mortuum fuisse? Nam quoniam Marcio, Valentinus, Manichæus, eorúmque sequaces negaturi erant hanc dispensationem, in memoriam passionis per hoc semper ita reducit mysterium, vt nemo non insanus seduci possit. Ita per sacratissimam istam mensam & saluat, & docet: hoc enim caput bonorum omnium est. Quare hoc Paulus voluit ac repetit, sed tradito iam mysterio, *Non bibam*, ait, *posthac de hoc genimine vitis, vsque in diem illam, cùm illud bibam nouum vobiscum in regno Patris mei.* Nam quoniam de passione ac cruce locutus, & resurrectionis iam mentionem facit, regnum Patris eam appellans. Sed quamobrem post resurrectionem comedit, ac bibit? Ne phantasma quoddam resurrectio à rudioribus putaretur, qui certum resurrectionis argumentum id esse ducunt. Vnde Apostoli quoque ad manifestandam resurrectionem dicebant. (Act.10.) Qui comedimus cum eo, ac bibimus. Vt igitur signanter exprimeret, quòd visuri essent eum clarè posteaquam resurrexisset, & quòd cum eis rursus ita futurus esset, vt & rebus & visu resurrectioni possint testimonium præbere: quousque istud bibam vobiscum, inquit, nouum. Testes enim vos eritis, quia videbitis me postquam resurrexero. Nouum autem, hoc est, nouo modo quodam, immo inaudito atque mirabili: non enim passibile corpus habẽs, sed immortale atque incorruptibile, alimentóque non indigens surrexit. Quare, cum opus nõ erat, post resurrectionem comedit & bibit, cum eius corpus istis nullo modo amplius indigeat, sed vt certiori argumẽto resurrectionem firmaret. Sed cuius rei gratia nõ aquam, sed vinum post resurrectionem bibit? Perniciosam quandam hæresim radicitus euellere voluit eorum qui aqua in mysteriis vtuntur, ita vt ostenderet, quia & quando hoc mysterium tradidit, vinum tradidit, & iam post resurrectionem sine mysteriis in simplici mensa vino vsus est. Ex genimine, ait, vitis, quæ certè vinum non aquam producit. *Et hymno dicto exiuerunt in montem oliuarum.* Audiant omnes qui quasi porci cùm iam comederint, euersa calcibus mensa temulenti consurgunt, cum agere gratias debeant, & in hymnum à mensa deuenire. Audiatis etiam quicunque vltimam mysterij orationem non expectatis, quæ illius symbolum est. Gratias enim egit antequam discipulis dederat, vt etiam nos ab actione gratiarum incipiamus. Gratias egit posteaquam dedit, & hymnum cecinit, vt nos quoque similiter faciamus. Quare autem ad montem proficiscitur, ad locum etiam Iudæ notissimum? Ne celare se videretur, prodire voluit, quo cum peruenisset, omnes vos, inquit, scandalizabimini in me: & prophetiam subiecit. *Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.* (Zach.13.) His vtitur, tum vt re ipsis persuadeat attendendum semper scripturis esse, tum vt significaret Dei se voluntate crucifigi, ac vndique non esse alienum à veteribus se demonstraret, nec aduersarium Deo, quem vetus sequitur testamentum? & quod omnes Prophetæ à priscis temporibus dispensationem hãc futuram prædicarunt, quare meliorem spem expectandam esse hortatur. Illud etiã docet, vt cognoscamus quales videlicet ante crucem, quales post mortem discipuli fuerunt. Nam qui nec stare quidem cùm crucifigeretur potuerunt, robusti postea, & adamante validiores fuerunt. Hic autem metus, & fuga discipulorum, mortis eius argumentum

A est. Nam si tot tantísque factis ac dictis impudẽter nonnulli asserunt non fuisse ipsum crucifixum, quid dicere non auderent, si nihil horum accidisset? Hac de causa non ipsa passione solùm, verum etiam & mysteriis, & discipulorum dispersione verè se mortuum fuisse declarat, Marcionis morbum his omnibus euertens: ideo etiam ipsum Apostolorum verticem negare permisit. Si enim vinctus, crucifixúsque non est, vnde & Petrus, & cæteri tanto pauore pulsi fugerunt? non tamen dimisit eos in mœstitia. Sed quid? *Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam, &c.* Non enim à cœlo statim apparuit, neque in longam quandam abiit regionem, sed in eadem † regione,] (gente.]) & eisdem penè locis apparet vbi crucifixus est. Vt etiam hinc credi faciat, quia ille ipse resurrexit, qui crucifixus fuit: ita mœrorem eorum consolatus est. Idcirco autem in Galilæa dixit, vt à timore Iudæorum liberati, facilius verbis ipsius & attenderent, & crederent: hac enim de causa ibi apparuit.
B *Respondens autem Petrus dixit: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego tamen nunquam scandalizabor.* Quid ais Petre? Propheta dixit, quia oues dispergentur, & Christus (Suprà 12.) dictum confirmauit, & tu negas? Non satis tibi est, quia cùm pridem iam dixeris: Propitius tibi esto, increpatus fuisti? Idcirco igitur permisit vt caderet, vt in omnibus disceret Christo parêre verioráque dicta istius crederet, quàm quæ sua sibi conscientia testaretur. Sed & cæteri non parum à negatione Petri fructus acquisierunt, humana infirmitate, & Dei veritate percepta. Cùm enim ipse aliquid prædixerit, nullus iam vafrè & argutè quidquam excogitare, nec in alios insurgere debet. Gloriam enim, inquit, in te, & non in alio habebis, (Galat. 6.) cúmque dicendum esset, opem nobis feras, ne scandalizemur, è contrario nimium sibi arrogans, inquit: Et si omnes scandalizati fuerint in te, tamen ego non scandalizabor. quamuis omnes id patiantur: ego tamen solus non patiar. Ita hæc res sensim eum ad tetrum inso-
C lentię crimen deuehebat, quod reprimere Christus volens, quoniam nec Prophetæ, nec sibi obtemperauit, negationem fieri permisit: idcirco enim testãtem quoque Prophetam adduxit, ne quid repugnare auderet. Quare Petrus cùm verbis non crederet, à rebus ipsis eruditur. Vt autem credas hac de causa Christum permisisse vt istud in eo corrigeret, audi quidnam dicat. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. hoc enim vt vehementius eum tangeret, dicebat, significãs eius casum multo peiorem esse aliorum casu discipulorum, ac ideo maiori etiam patrocinio indigere. Duplex enim crimen erat, tum quia repugnauit ac restitit, tum quia cæteris seipsum præposuit: immo verò etiam tertium non paruum crimen eum cõmisisse dixerim, quia sibi totum imposuit. His igitur mederi omnibus volẽs, cadere illum permisit, ac ideo cæteris prætermissis ad eum orationem direxit, dicens, Simon, Simon, ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, id est (Luc.22.)
D tentaret, perturbaret, vexaret: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Curnam si omnes expetiit, non dixit, pro omnibus rogaui? Patet hinc quod paulò antè dicebam, quia vehementius eum tãgens, & ostendens multò peiorem eius quam aliorum lapsum esse, ad eum conuertit orationem. Cur autem non dixit, Ego non dimisi: sed, ego rogaui? Humilius iam loquitur ad passionem iturus, vt humanitatem suam demonstret. Nam qui super confessionem eius Ecclesiam ita fundauit atque muniuit, vt nullum periculum, neque mors ipsa posset eum superare, qui claues regni cœlorum ei concessit, & tantam potestatem ei commisit, nec vnquam pro illis omnibus oratione indiguerit: quãtò minus hac in re indiguisset? Maxima quippe authoritate illa dixit,

(Suprà 16.) illa dixit, ædificabo super te Ecclesiam meam: & dabo tibi claues regni cœlorum. Quomodo igitur orare ei opus fuit, vt vnius hominis commotum animum stabiliret? Quare igitur ita dixit? Propter causam profectò, quam iam exposuimus, & propter infirmitatem discipulorum, qui nondum decentem omnino de ipso existimationem habebãt. Quomodo igitur negauit? Non dixit quippe, vt non neges, sed vt non deficiat fides tua, vt non prorsus pereat. Cura enim ipsius atque fauore factum est, ne omnino Petri fides euanesceret: ingens enim pauor eum inuaserat, & ingens ideo quoniam diuina protectione valde fuit denudatus, quod porrò factum est propter arrogantiam, & contradicendi pertinacem duritiam. Ita quoniam & Christo, & Prophetæ apertissimè repugnauit, in eum terrorem deuenire permisit, vt radicitus ab eo illę passiones euellerentur: adeò enim pertinax fuit, vt cum Christus etiam postea ei dixerit: (Luc.22.) *Amen dico tibi, quoniam hac nocte, antequam cantet gallus, ter me negabis*: non dubitauerit respondere: Etiam
B si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Lucas verò ad hoc addit, quia quantò magis Christus casurum Petrum significabat, tantò magis affirmabat id se nunquam passurum. Quid hoc est ô Petre? quando vnus ex vobis me tradet, Christus dicebat: tunc ne esses ille timebas, & nullius rei conscius, cogebas vnum de discipulis interrogare ipsum: nunc verò liquidissimè ipso clamante, quia omnes vos in scandalum incidetis contradicere audes? neque id semel solum facis, sed bis & sepius, vt Lucas asserit, vnde id tibi accidit? Ex multo certè amore & multa voluptate. Nam quoniam sollicitudine illa & anxietate proditionis liberatus erat, & proditorem nouerat, nimium sibiipsi cõfisus hæc dicebat, & in alios insurgebat dicens: & si omnes in te scandalizati fuerint, ego tamen non scãdalizabor. Puto autem ambitione quoque aliqua, & iactantia in ea verba (Luc.22.) Petrum lapsum fuisse. Nam & in ipsa cœna quisnam in-
C ter eos maior esset disceptabãt, adeò inanis gloriæ passio animos adhuc eorum turbabat: Christus autem ab his passionibus eum liberare volens, non impellebat ad negationẽ, absit hoc enim, sed fauorem suum ab eo subtraxit, & humanam redarguit naturam. Perspice autem quomodò post resurrectionem hinc eruditus submis- (Ioan.21. Act.1.) sius loquitur. cum enim dixerat, Domine, hic autem quid? coargutus nihil opponere ausus est, vt hic, sed tacuit: cúmque audiuerit, non est vestrum nosse tempora, aut momenta, non repugnauit. Deinde in cœnaculo (Act.10.) & sindone cùm vocem audiuerit, quę Deus purificauit, tu communia ne dixeris, quamuis nec quid diceretur quidem, statim intellexerit, quieuit tamen in illo omnino vsus cõsensione: hæc omnia casus ille perfecit. Nam anteà totum sibi attribuebat, dicens: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego tamen nunquam scandalizabor etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo: cùm dicere debuisset, patrocinio tuo iuuabis: è contrà (Act.3.) verò postea dicit, Quid nobis attenditis, quasi propria
D virtute vel pietate ipsum ambulare fecerimus? Magnũ profectò dogma hinc discimus, quia videlicet nullo modo hominis voluntas sufficit, nisi auxilio superiori roboretur. Et quia nihil lucrari poterimus à superiori patrocinio, si voluntas nostra repugnat: quorum alterũ Petrus, alterum Iudas confirmat. hic enim etsi præsidium Christi largum habuerit, tamen quoniam noluit attendere, nec quæ ab ipso erant conferre, nullam inde vtilitatem consecutus est: ille verò, etsi bene animatus fuerat, diuino tamen subtracto auxilio, stare nõ potuit. Ex his enim duobus virtus contexitur. Quas ob res vehementer rogo atque obsecro, ne velitis cuncta ita Deo attribuere, vt oscitandum dormiendúmque vobis pu-

A tetis: nec rursus si vigilatis, laboribus vestris rem totam effici arbitremini. Nam nec desides atque resupinos iacere nos Deus vult, ac ideo nonnihil à nobis petit: nec arrogantia corrumpi, ac ideo totum nobis non commisit: ita ex vtraque parte incommodo remoto, quod vtile est nobis reliquit: quibus rationibus verticem quoque Apostolorum labi permisit, humiliorem ipsum faciendo, & ad maiorem profectò charitatem inducẽdo. (Luc.7.) Cui enim, inquit, plus condonauit, magis diliget. Credamus itaque vbique Deo, nec repugnemus ei, etiam si sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur quod dicit, superet & sensum, & rationem nostram sermo ipsius, quòd in omnibus & præcipuè in mysteriis faciamus, non illa quæ ante nos iacent solummodo aspicientes, sed verba quoque eius tenentes. Nam verbis eius defraudari non possumus, sensus verò noster deceptui facillimus est: illa falsa esse non possunt, hic sæpius atque sæpius fallitur. quoniam ergo ille dixit,
B Hoc est corpus meum: nulla teneamur ambiguitate, (Corpus Christi in eucharistia sine ambiguitate credendum.) sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus. Nihil enim sensibile traditum nobis à Christo, sed rebus quidem sensibilibus: omnia verò quæ tradidit, insensibilia sunt. Sic & in baptismo per aquam, quæ res sensibilis est, donum illud cõceditur: quod autem in ea conficitur, regeneratio scilicet, ac renouatio, intelligibile quiddam est. nam si tu incorporeus esses, nudè ipsa dona incorporea tradidisset tibi: quoniam verò corpori coniuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur. O quot modò dicunt, vellem formam & speciem eius, vellem vestimẽta ipsa, vellem calceamenta videre. Ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum comedis. Vestimenta eius desideras videre, ipse verò se ipsum tibi tradit, non vt videas solùm, verumetiam vt tangas, & in te habeas. (Quomodo Christi corpus est sumendum.) Nemo igitur nauseans accedat, nemo remissus, sed excitati ac incensi ac feruentes omnes accedant. Nam si Iudæi stantes, calceati, & bacu- (Exod.12.)
C los in manibus habentes, cum festinatione comedebant, quanto magis nobis vigilandum est? Nam illi ab Ægypto in Palæstinam erant profecturi, ac ideo viatoris habitum habebant: tu de terra in cœlum ascensurus es. Vigilandum igitur est, non enim paruum supplicium indignè communicantes expectat. Cogita quanta indignatione aduersus proditorem, aduersus eos qui crucifixerunt ipsum, mouearis: & caue ne tu quoque corporis & sanguinis Christi reus efficiaris. Illi acerbissimè sacrosanctum corpus trucidarunt, tu post tot tantáque beneficia sordida suscipis anima. Non enim suffecit ipsi hominem fieri, flagellis cædi, & crucifigi: sed † nos secum in vnam (vt ita dicam) massam reducit] (seipsum etiam nobis miscet) ἀναφύρει ἑαυτὸν ἡμῖν.) neque id fide solum, sed re ipsa nos corpus suum efficit. Qua igitur re mundiorem esse non oportet eum, qui hoc sacrificio participaturus est: quos radios solares non deberet excedere manus illa, quæ hanc carnem perrumpit, os quod igne impletur spiritali, lingua quæ
D cruentatur hoc admirabili sanguine? Veniat in mẽtem tibi quo sis honore honoratus, qua mensa fruaris. Ea namque re nos alimur, quam angeli videntes tremunt, nec absque pauore propter fulgorem, qui inde resilit aspicere possunt, & nos in * vnam cum illo massam reducimur, (τούτῳ ἀναφυρόμεθα. illi miscemur, vt supra.) Christi corpus vnum, & caro vna facti sumus. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes (Psal.135.) laudes eius? quis pastor vnquam membris suis oues suas nutriuit? Multæ matres post partum aliis nutricibus infantes dederunt, quod ipse facere noluit, sed proprio † corpore] (sanguine.) nos alit, & sibi coniungit atque conglutinat. Consideremus autem, ex nostra generatus est substantia. Sed nihil hoc, inquies, ad omnes pertinet. Immo ad omnes: Nam si ad naturam nostram descendit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

patet quoniam ad omnes, quòd si ad omnes, & ad vnumquenque profectò. Sed quomodo non omnes indelucrum consecuti sunt, inquies? Id certè non illius causa, qui maximè hoc optat, accidit: sed eorum culpa, qui eum suscipere nolunt. Singulis enim fidelibus per hoc mysterium se* coniungit: & quos peperit non alij nutriendos tradit, sed ipse studiosissimè alit, hac etiam re tibi persuadens carnem illam tuam assumpsisse: tanta igitur charitate, atque honore affecti non torpeamus. Non videtis quanta infantes animi alacritate mamillas arripiunt? qua pressione papillis infigunt labia? Non minorè cupiditate nos quoque ad hanc mensam, & ad huius calicis spiritalem accedamus papillam: immo verò maiore desiderio quasi lactentes pueri gratiam spiritus sugamus: vnus sit nobis dolor, vna mœstitia, si hoc alimento spiritali priuamur. Non sunt humanæ virtutis hæc opera, quæ tunc in illa cœna confecit: ipse nunc quoque operatur, ipse perficit, ministrorum nos ordinem tenemus: qui verò hæc sanctificat, & transmutat, ipse est. Nullus itaque Iudas nullus auarus adsit. Qui discipulus non est, secedat: qui tales non sunt, ab hac mensa excluduntur. Cum discipulis, inquit, meis facio Pascha. hæc enim illa, non alia mensa est, hæc nulla re minor quam illa est. Non enim illam Christus hãc homo quispiam facit: sed vtranque ipse. Hoc est illud cœnaculum vbi tunc Christus cum discipulis erat, hinc ad montem oliuarum exiuit. Hinc & nos ad manus pauperum eximus, ibi enim mons oliuarum est. Oliuæ quippe in domo Dei plantatæ, multitudo pauperum est: hinc stillat illud guttatim oleum, quo nobis tunc opus omnino erit: hoc est quod quinque illæ virgines habebant: hoc est quo alteræ carentes inde perierunt: hoc nobiscum habentes progrediamur, & cum fulgentissimis lampadibus sponso obuiam proficiscamur. Audeat nullus crudelis, nullus immisericors, nullus impurus quouis modo: hæc tam ad vos, qui cõmunicatis, quàm ad vos qui ministratis, dicta esse volo. Oportet enim etiam eadem ad vos dicere, vt magno studio, & diligenti cura dona hæc distribuatis. Non parua vobis imminet pœna, si quem aliqua improbitate teneri scientes, ei huius mensæ participationem permittatis. Sanguis enim eius ex manibus requiretur vestris. Si dux igitur quispiam, si consul ipse, si qui diademate ornatur, indignè adeat: cohibe ac coërce, maiorem tu illo habes potestatem. Ita si limpidissimus aquæ fons vt intactum gregi seruares tibi commissus esset, cùm petulcos sues ac sordidissimos venire aspiceres, non patereris in fluenta illos descendere, nec fontem ab his perturbari. Nunc verò cùm non aquæ, sed sanguinis & spiritus sacratissimus fons commissus tibi sit, si peccatis inquinatissimos videbis accedere homines, non indignaberis, neque prohibebis? Et quam veniam huius contemptus consequeris? Idcirco vos Deus tanto voluit honore decorare, vt hæc diligentissimè discernatis. Hæc est dignitas vestra, hæc stabilitas, hæc corona præcipua, non vt tunicam induti candidissimam per Ecclesiam ambuletis. Sed vnde, inquies, ego illum atque illum qualis sit cognoscere possum? Non de ignotis, sed de notis hæc disputo. Dico horribile quoddam, atque tremendum: non est ita malum dæmoniacos intus esse, sicut istos qui peccatorum sordibus polluuntur: quos ait Paulus Christum conculcare, & testamenti sanguinem ducere communem, & spiritus gratiam contumelia afficere. Multò igitur dæmoniaco peior est qui peccati sibi conscius accedit: illi enim quoniam dæmone vexantur, non puniuntur: qui verò indignè adeunt, æternis tradentur tormentis. Omnes igitur simpliciter pellamus, quos indignè accedere videmus. Nullus communicet, nisi ex discipulis sit, nullus impuro animo, sicut Iudas panem assumat, ne similia patiatur. Corpus Christi etiam hæc multitudo est: quare cauendum tibi est, qui hæc mysteria ministras, ne Dominum irrites, corpus hoc non purgando, ne acutum gladium pro cibo præbeas. Sed si quidem aliquis præ vecordia & amentia mensam adierit, nullo timore territus abiice: Deum, non hominem timeas: si hominem times, ab eo ipso quem times, deridebere: sin verò Deum, hominibus quoque venerabilis eris. Quòd si ipse pellere non audes, mihi dicas, non permittam ista fieri: animam prius tradam meam, quàm dominicum alicui † corpus] indignè, sanguinémque meum effundi potius patiar, quàm sacratissimum illum sanguinem præterquam digno concedam: quòd si quis venerit cum sordibus ignoranter, nulla vestra culpa est si multam prius adhibueritis diligentiam. Nam hæc mihi de notis, ac manifestis disputata sunt, quibus emendatis, citò nobis Deus etiam ignotos notificabit: sin verò notos admittemus, qua de causa ignotos nobis manifestabit? Hæc mihi dicta sunt, non vt coërceamus solùm, & excidamus, sed vt corrigamus, & reducamus, & curam omnium habeamus: sic enim & Deum nobis propitium faciemus: & eos multiplicabimus, qui dignè communicare possint, vt tam proprij studij ac diligentiæ, quàm piæ in alios curæ magna præmia consequamur, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi. Amen.

συμήγνυσι. coniungit, commiscet, siue permiscet: quod prius dixit ἀναφύρει.

sanguinem.)

HOMILIA LXXXIIII. EX CAP. XXVI.

TVNC *venit cum eis Iesus in villam quæ dicitur Gethsemani, & dicit discipulis: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem illic. Et assumpto Petro & duobus filiis Zebedæi cœpit contristari & mœstus esse:* † &] *dixit eis, Tristis est anima mea vsque ad mortem: manete hic, & vigilate mecum, &c.* Quoniam ipsi valde inhærebant, nec ab eo libenter separabantur, idcirco ait, manete hic donec abiero, & orauero. Consueuerat namque seorsum orare: quod faciebat, vt nos erudiret, quietem ac tranquillitatem in orationibus diligenter appetere. Tres autem secum accipit, & dicit eis: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Quam ob rem alios non secum accepit? Ne laberentur, & caderent: illos autem solos eligit, qui gloriam eius in monte viderant, quos tamen etiam dimisit, & paululum progressus orauit, dicens: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et venit ad eos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petro: Ita non potuistis vna hora vigilare mecum? Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Non frustra, neque ociosè ad Petrum maximè dirigit orationem: quanquam & alij similiter dormirent, sed tangere ipsum acrius etiam hinc voluit ea de causa, quam iam ante explicauimus. Verùm quoniam cæteri idem dixerunt: (cùm enim Petrus dixisset, Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo: similiter, inquit, & omnes discipuli dixerunt) idcirco infirmitatem eorum redarguens, omnes alloquitur: nam qui mori cum eo volebant, nec quando contristabatur quidem, simul contristari vigilantes potuerunt, sed victi à somno, ceciderunt. Ipse verò intentius orat, adeò vt vel sudores vberius defluxerint. Ea rursus de causa, ne hypocrisis resista videatur, néve possint hæretici dicere, quòd anxietatẽ & tristitiam istam simulauerit, idcirco & sudores quasi guttæ sanguinis defluxerunt, & Angelus confortans eum, & multa signa timoris apparuerunt, ne quis ficta hæc audeat

Marc. 14. & Luc. 22.

tunc.)

Marc. 14.

Luc. 22.

hæc audeat verba dicere. hac etiam de causa orat. Eo igitur quod dixit, transeat si possibile est, humanitatem suam ostendit, eo verò quod non vt ego volo, sed vt tu: sublimem admirabilis philosophiæ virtutem tradidit: cùm exemplo nos doceat, etiam natura abhorrente ac renitente Deum esse sequendum. Quandoquidem autem non satis est imperitis mœrentis faciem solummodo videre, verba quoque addidit: nec verba rursum amentibus sufficiunt, rem magis quærentibus: & rem ergo mœrentis adhibuit, vt vel qui valde contentiosi & pertinaces sunt, credere possint verè hominem factum, veréque mortuum fuisse. Si enim cùm & vultus, & verba, & res mœrorem significauerunt, non creditur tamen à nonnullis passio: quidnam dicerent si ista non essent? Vides quot, quibúsve modis dispensationis veritatem ostendit, cùm his quæ loquitur, tum his quæ patitur? Venit deinde, ac dicit Petro: Sic non potuisti mecum vna hora vigilare? Omnes dormiebant, & Petrum coarguit, occultius eum de his reprehendens quæ in superioribus fuerat locutus, ac ideo, Mecum, non ociosè adiecit: sed quasi diceret. Vigilare mecum non potuisti, & mecum mori poteris? Id etiam insinuat quod sequitur: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Vides quomodo ipsos rursus ab arrogantia remouet, ac tristis mentis & humiles esse hortatur, Deo totum attribuentes? & modò ad Petrum, modò communiter ad omnes verba dirigit. Et illi quidem dicit: Simon, Simon, Satanas petiit te cribrare, ego verò deprecatus sum pro te: communiter autem omnibus, orate, ne intretis in tentationem. Ita vbique arrogantiam atque pertinaciam amputat, magis sollicitos facit: & ne acrior videatur, vniuersa mitigando dicit: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: etsi enim mortem contemnere volueris, inquit, non poteris tamen, nisi Deus tibi manum porrexerit, cùm carnalis abhorreat sensus. *Rursus autem abiens orauit dicens: Pater, si non potest istud transire à me, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Hic ostendit voluntatem se Dei omnino continere, & vbique voluntatem Dei quærendam & eligendam esse. *Rediit autem, & inuenit eos dormientes.* Nam præterquam quòd nox erat, & intempesta, oculi etiam eorum mœrore grauabantur. *Ipse autem profectus tertiò idem orauit.* Confirmans hominem verè factum fuisse: quod enim secundò & tertiò fit in scripturis, maximoperè veritatem ostendit: veluti & Ioseph ad Pharaonem dicebat: Secundò id tibi apparuit somnium veritatis gratia. ita enim factum est, vt ita credas omnino futurum. Hac de causa etiam ipse non semel, sed bis & ter idem orando protulit, vt dispensatio firmiter crederetur. Cur autem iterum ad discipulos rediit? Vt eos redargueret, quoniam adeò sopiti mœstitia erant, vt neque præsentiam quidem eius sentirent: non tamen redarguit, sed paululum recessit, magnam eorum esse infirmitatem significans, qui nec increpati quidem vigilare potuerunt: non excitat autem, nec increpat amplius, ne perterritos magis terreat: sed recedens orauit, & rediens inquit: *Dormite iam & requiescite.* Quamuis enim vigilare opus erat, significans tamen, quia nec aspicere quidem mala valerent, sed fugerent præ timore, ac fugarentur: & quia minimè eorum egeret auxilio, & tradi omnino ipsum oporteret, dormite iam, inquit, & requiescite. *Ecce appropinquauit hora, & filius hominis traditur in manus peccatorum.* Ostendit rursus dispensatione hoc factum fuisse, & simul animos ipsorum erigit, eo quod dixit, traditur in manus peccatorum. significat enim proteruitatis illorum hoc opus esse, non quia ipse peccato sit obnoxius. *Surgite, eamus, ecce appropinquauit qui me tradit.* Ita vndique ipsos erudit, non

Gen. 41.

necessitatis, nec infirmitatis hanc rem fuisse, sed dispensationis cuiusdam inæstimabilis: præsciebat enim eos venturos, nec solùm non fugit, verumetiam obuiam iuit. *Adhuc enim ipso loquente, ecce Iudas vnus ex duodecim, & cum ipso turba cum gladiis & fustibus, missi à principibus sacerdotum, & senioribus populi.* Pulchra sanè sacerdotum instrumenta, Cum laternis & lampadibus aggrediuntur. Iudam autem iterum ex duodecim vnum dicere non veretur. *Qui autem tradebat eum, dedit eis signum dicens: Quemcunque osculatus fuero ipse est, tenete eum.* Proh dolor! quantam proditoris anima prauitatem suscepit? quibus oculis tunc magistrum aspexit? quo porrò osculatus ore est? O sceleratissimam mentem! quid cogitauit? quid ausa est? quod signum proditionis dedit? Quemcunque osculabor, inquit, confidebat enim in lenitate magistri: quæ res maximè omnium confundere illum, & omni ptiuare venia sufficit, quia ita mitem atque mansuetum prodebat magistrum. Sed curnam hoc signum datum est? Quia sæpius circumuentus ab ipsis pertransiuit per medium ipsorum nescientibus ipsis: quod & tunc factum fuisset, nisi ipse assensisset. Hoc igitur ipsum volens eum docere, etiam tunc tenebris oculos eorum inuoluit. Ac ipse interrogauit dicens: Quem quæritis? & quamuis laternas & lampades, & Iudam ipsum secum haberent, non meruerunt tamen, sed responderunt: Iesum. Quibus ipse: Ego sum, quem quæritis. Et ad Iudam: *Amice*, inquit, *ad quid venisti?* Postquam enim vires patefecerat suas, tunc iam permisit. Lucas autem ostendit quòd in eam vsque horam qua traditus est, Iudam emendabat, dicendo: Iuda, osculo filium hominis tradis? ac si diceret, non te pudet in habitu proditionis venire. sed tamen posteaquam istud eum non repressisset, vt etiam oscularetur, sustinuit, & vltro se dedit. *Tunc immiserunt in eum manus, & tenuerunt illum.* Ipsa nocte in qua comederunt Pascha, tanta insania, tantóque furore agitabantur. Nihil tamen omnino potuissent, nisi ipse permisisset. Illud tamen Iudam ab intolerabili non liberabit supplicio: quinimmo multò magis iure vexabitur, quia omnipotentiæ humilitatis, lenitatisque domini tot tantáque habens argumẽta, omnem feram beluam crudelitate superauit. Hæc igitur considerãtes, auaritiam fugiamus. Auaritia enim tunc illi furorem immisit: auaritia omnes qui ei seruiũt, crudeles efficit atque atroces. Nam si propriam auarus salutem negligit, quid faciet de aliena? Præterea sic tetra & tyrannica hæc passio est, vt vehementissimam etiam corporis libidinem nonnunquam superet. Erubescendum igitur est, quia pecuniæ parsimonia luxuriam multi refrænarunt: timore autem Christi modestè viuere atque honestè noluerunt. Fugiamus ergo ipsam, fugiamus inquam, nunquam enim cessabo id prædicans. Cur enim aurum homo accumulas? Cur seruiturẽ hanc maiorem duriorémque tibi cõstituis? Cur difficiliorem tibi carcerẽ paras? Cur maioribus te curis quotidie angis? Puta tuas omnes esse quæ in metallis sunt auri venas, quę in ærariis regum argenti pondera. Quippe si hæc omnia tua essent, sollicitè tantummodo seruares, neque vnquam vtereris. Nam si modò his quæ habes non vteris, sed tanquam ab alienis magnoperè abstines, multò diligentius si plura possideres, id certè faceres. Nempe quantò plura possidet auarus, tantò parcior solet fieri. Sed noui, inquies, quia hæc mea sunt. Existimatione igitur, non vsu rerum possessionem diuitiarum requiris. At inquies, venerabilior apud homines sum pecuniis abundans, & plerisque timendus: immo verò cunctis diuitibus, pauperibus, furibus, calumniatoribus, cæterísque huiusmodi hominibus facilè expugnãdus. Vis metui esse atque terrori? ansas præcide

Ioan. 18.

Ioan. 18.

Luc. 22.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quibus te illi capere possunt, & molestia afficere, qui A huic rei multam dant operam. Non audis quid trito prouerbio dicitur? Centum simul viros vnum pauperem atque nudum spoliare non posse. Maxima enim paupertatis propugnatione defenditur, quam nullus rex, nullus imperator vincere possit: auaro autem vniuersi facilè possunt obesse, neque homines solum, verumetiam tineæ, atque vermes eum aggrediuntur. Cur dico tineas & vermes, cum tempus solum nulla re addita suiipsius natura maxime talibus officere possit? Quæ igitur diuitiarum est voluptas tu explices oro. Ego enim dolores & mœrores ipsarum video. Sed qui sunt, inquies isti? Curæ, insidiæ, dissidia, odium, timor, perpetua sitis, & mœstitia sempiterna. Nam quemadmodum si quis adamatam mulierem complectatur, nec tamen cupiditatem explere valeat, extremo dolore cruciatur: sic diuites facultate quam habent, si auari sunt, nullo modo se satiare possunt: sed tale ipsis accidit quale quidam vir sapiens de Eunuchis dicit: Cupiditas au- B tem Eunuchi, virginitatis adulescentulæ florem nititur eripere. Sicut igitur Eunuchus virginem amplexus ingemiscit, sic omnes qui diuitiis inhiant. Quis autem posset omnia persequi aut exponere, quomodo vniuersis fastidio est auarus, seruis, vicinis, rempublicam gerentibus, agricolis, atque inopibus iniuria læsis, vxori præcipue, atque liberis, quos non vt liberos, sed quasi mancipia miserrimè solet educare? Sed mille doloris molestiæ, iræ, ac denique derisionis aduersus se argumenta præberet, si communiter omnibus exibilandus proponeretur. His igitur tædiis, his fastidiis, his doloribus auaritia subiacet: imò verò multò pluribus. Nemo enim hæc oratione assequetur, quæ cum periculo indies experimur. Tu verò voluptates modo mihi expone quæ inde oriantur. Videor, inquit, diues esse, & diuitem me omnes æstimant. Quænam est hæc voluptas, si pateris inuidiam solummodo vt puteris? Sed nomen, inquies, maximè habeo. Rectè id dicis, nempe huiusmo- C di diuitiæ nomen solummodo sunt omni re denudatum. Sed lætatur hac æstimatione diues, inquis. Ea de re lætatur, pro qua sibi valde dolendum esset. Quam ob rem dolendum? Quia istud inutilem ipsum & effœminatum ac timidum ad omnia reddit, in peregrinationem proficisci non audet, mortem multo magis quàm alij formidat: pecuniarum potius, quàm lucis cupidus: hic pulchritudine cœli non delectatur, quia sibi non affert aurum, nec magnitudine ac motu Solis, quoniam non immittit in domum suam aureos radios. Sed multi sunt, inquies, qui iucundè diuitiis fruuntur, viuentes in deliciis, ventrem colentes, vino se replentes, magnificè omnia præparantes. Peiores illis modò nominasti qui maximè omni ab vsu distabant pecuniarum. Nam auarus quidem cupiditate æris alligatus, saltem ab aliis abstinet vitiis: illi verò abiectiores multò sunt, cùm ad ea quæ diximus turpissimo aliorum quoque vitiorum dominatu fœdantur, truculentissimis quasi tyrannis, ven- D tri, voluptati corporis, ebrietati, cæterisque vitiis quotidie seruientes: scorta diligenter alentes: cœnas opiparè sumptuosas præparantes: parasitos, assentatores studiosè colligentes, & ad cupidines quas natura non sustinet delabentes, mille propter hæc ægritudinibus tam corpus quàm animam conficientes. Non enim ad necessitatem, sed ad corruptionem corporis, & animæ perditionem rebus vtuntur: & idem faciunt, quemadmodum si summa corpore ornato diligentia, putet ad sui ipsius vsum pecuniam consumere. Quas ob res ille solus vera fruitur voluptate, ac rerum suarum Dominus est, qui diuitiis rectè vtitur: alij autem omnes serui atque mancipia sunt. passiones enim animæ & corporis ægrotationes adaugent. Quæ igitur tranquillitas, aut voluptas ibi animi est, vbi continua obsessio, bellum ingens, & tempestas vniuersos maris fluctus exuperans viget? Pecunia quippe si amentem hominem inuenerit, insanum omnino facit: si lasciuum, in maiorem impellit luxuriam. Sed quid, inquies, pauperi confert sapientia & prudentia? Merito istud ignoras. Nemo quippe captus luminibus, lucis iucunditatem cognoscere potest. Salomonem dicentem audias: tantò sapientem insipienti præstare, quantùm inter lucem & tenebras interest. Qua igitur ratione docere poteri- Eccles.2. mus eum, qui degit in tenebris? Pecuniæ nempe cupiditas tenebra est, qua efficitur, vt aliter quàm se habeant res videantur: sed quemadmodum si quis in profundissimis tenebris, aut vas aureum, aut lapides pretiosos, aut vestes purpureas videat, eas res nihili æstimabit: earum enim pulchritudinem discernere non potest, pariter certè auarus optimarum rerum pulchritudinem nullo modo percipit. Depelle igitur huius passionis caliginem, & tunc naturam rerum cognosces, quæ nusquam sic apertè vt in paupertate discitur: nusquam ita probè cognoscuntur ea quæ cùm non sint, esse putantur, quemadmodum in philosophia. Sed ô stultos homines illos, qui pauperes execrantur, ac dicunt, paupertate victum & domos dedecore affici. omnia confundentes. quod est enim hoc domus dedecus dic quæso? Non est sibi constructus ebore lectulus, non argentea vasa: sed Samia cuncta sunt, & lignea, at magna istud gloria & nobilitas domus est. Secularium enim rerum contemptus, vniuersum sæpenumero studium, totámque operam ad curam animæ cõuertit. Quare cùm ab exterioribus nimium pendere hominem videas, tunc de dedecore illius erubescere debes. Nullus enim habitus, nulla honesta species in diuitum ædibus aspicitur. Nam quando vides ligna peripetasmatibus velata, lectos exornatos argento, quasi in theatro, & superba scenarum pompa: quid hac deformitate deformius fieri potest? Quæ igitur domus orchestræ ac tripudiorum locis similis est: diuitisne an pauperis? Diuitis certè. hæc ergo dedecoris plena est. E regione autem quæ domus Pauli, aut Abrahæ domui conferri potest, nónne domus inopis? Hæc igitur optima atque probatissima est: quod vt melius discas, Zachæi domum cogitatione ingrediaris, & considera, cùm audisset Christum in eam ingressurum, quomodo eam ornauit. Non enim curriculo ad vicinos contendit, mensas, sedes, subsellia petens eburnea, nec extraxit è penetralibus Laconica quædam mensarum velamina, sed ornatu Christo gratissimo decorauit. Quis porrò iste? Di- Luc.19. midium, inquit, rerum mearum do pauperibus, & quadruplicata reddo quæ rapui. Sic & nos, oro, domos nostras exornemus, vt Christum suscipere mereamur. hæc pulchertima sunt portarum velamina. Hæc in cœlis solummodo fiunt, ibi texuntur. vbi ista sunt, ibi cœlorum rex habitat. Si verò aliter ornabis, diabolum & illius conuocas chorum. Cæterum Christus ad Matthæum Suprà 9. quoque publicanum diuertit: quid igitur ille fecit? Voluntate prius seipsum ornauit optima, qua sibi persuasit neglectis omnibus Christum esse sequendum. Sic & Act.10. Cornelius orationibus & eleemosynis domum suam ornauit. Vnde factum est, vt vsque in hodiernam diem fulgentissimam habitet regiam. Vilitas enim & deformitas domus, non à vasis inordinatè proiectis: non à neglecto lectulo, non à muris fumo decoloratis, sed ab improbitate habitantium cernitur. Quod sanè Christus ostendit, qui ob virtutem inhabitantis vel vilissimas petere casas non indignatur. Ad improborum autem ædes, etiam si aureis contegantur laquearibus, nunquam

Auarus omnibus inutilis, & fastidio est.

Qui diuitias malè expendunt, auaris sunt peiores.

nunquam tamen ingredietur. Illa igitur quauis regia A festim enim illũ curauit, & hac magnitudine miraculi, splendidior est, in qua dominus omnium habitat. Hæc verò quanuis aureis tectis, ingentibúsque columnis cõstet, cloacis tamen, & omni sorditie confluentibus riuis similis est, cum diaboli vasa in ea contineantur. Hęc mihi non de diuitibus his qui, vt oportet, impendunt: sed de rapacibus & auaris dicta sunt: hic nullum studium, nulla cura de rebus necessariis est, sed omnis opera pro ventre, ac turpitudine consumitur, ibi ad rectè philosophandum omnia impenduntur. Quapropter nusquam videmus Christum in splendidas ædes diuertisse, sed regiis omissis, & molles indutis purpuras posthabitis, publicanorum & piscatorum casas eligebat. Quare tu etiam cùm ipsum in domũ tuam vocare volueris, eleemosyna, orationibus, supplicationibus, vigiliis ipsam diligenter ornato. Hæc Christi regis ornamenta sunt, illa verò mãmonæ, qui hostis Christi atque inimicus est: quas ob res nemo vilitate domus erubescat, si his ornamentis eam decorat. Nemo diues ma- B gnificentia ædium sublimis incedat: imò verò magis erubescat, & altis omnino contemptis palatiis, humiles eligat casas, vt in hac vita Christum suspiciat, & in futura æternis ædibus perfruatur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

HOMILIA LXXXV. EX CAP. XXVI.

ET ecce vnus eorum qui cum Iesu erant, extendens manum, euaginauit gladium suũ: & percutiens seruum pontificis, amputauit auriculam eius. Tunc dicit ei Iesus: Conuerte gladium in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt, &c. Quisnam est vnus iste qui auriculam serui amputauit? Petrum certè fuisse Ioannes testatur, cuius ardentissimo animo iure ista res attribuitur. Cæterum illud quærendum est, cuius rei gratia gladios ferebant? Non enim hinc solùm, verumetiam inde liquidò patet gladios eos habuisse, quia interrogati C respõderunt, duos ibi esse. Sed quam ob rem Christus istud permisit? Lucas sanè ait, quia dixit ad eos, Num quando vos absque sacculo & pera calceamentísque misi, re quapiam caruistis? Cúmque illi nulla respondissent: sed modò intulit, qui habet sacculũ, tollat & peram: & qui non habet, vendat vestimẽtum suũ, & emat gladium: & quum illi dixissent duos se gladios habere, Christus satis esse respõdit. Cur igitur habere permisit? Vt facilius crederent, quòd tradetur: propterea dixit eis, emat gladium. non vt percutiant animat, sed vt proditionem per hoc declararet. Quare autem peram etiam addidit? Vt eos erudiret deinceps studere ac vigilare multùm, quoniã proprio vsuri studio sint. Nam in principio quidem quasi rudes ac teneros virtute sua fouebat: nunc autem quasi è nido pullos educens, suis etiam pennis vti hortatur. Deinde ne putent imbecillitate se omissos esse, ac ad suam operam compulsos, ad priorum memoriam reducit, dicens. Num quando mi- D si vos sine sacculo, re quapiam caruistis? ita vtrinque ad agnoscendas vires eius inducit, tum quia eos protexit, tum quia sensim ac paulisper ad operam suam eos remisit. Sed vndénam ibi gladij sunt inuenti? A cœna & mensa tunc iam exierunt, vbi propter agnum gladios esse oportuit: Illi verò quoniam audissent venturos aduersus eum aliquos esse, quasi magistrum defensuri secum gladios acceperunt. Quæ res discipulorum animus solummodo erat. Propterea Petrus gladio vsus, comminatione & quidem vehementi reprehenditur. Vltus enim seruum magno ardore animi est, quod tamen non ad sui, sed ad magistri fecit defensionem: Christus verò nullum detrimentum fieri permisit. con-

Ioan.18.

Luc.22. Ibidem.

Luc.22.

alt, quid putatis, quòd non possum rogare patrem meum. 4. Reg. 19.

inquit, rogare patrem meum.)

Universidad de Deusto
Biblioteca

eorum omnia faciebat, sanando, prædicendo, terrendo (gladio enim peribunt) sponte se ad passionem venire ostendendo? Quotidie namque vobiscum eram docens, & non tenuistis me. concordem se Patri significando, vt prophetarum scripturæ adimpleantur. Cur autem in templo ipsum non tenuerunt? Non fuissent ausi propter turbas. Quamobrem etiam exiuit, & à loco & opportunitate temporis illis potestatem concedens, & excusationem eorum vndique succidens. Nam qui se ipsum tradidit, vt scripturas impleret: quomodo aduersus Deum patrem docebat? *Tunc discipuli omnes dimisso ipso fugam ceperunt.* Quando etenim comprehensus est, manebant: quando verò hæc ad turbam locutus est, tunc in pedes se omnes dedere, nullam iam videntes eius defensionem, qui vltrò se traderet, ac diceret secundum scripturas ista fieri. Sed discipuli quidem fugiunt, illi verò Iesum ad Caipham ducunt. *Petrus autem sequebatur, & introiuit videre finem.* Ingens huius discipuli ardor fuit, qui nec cæteris quidem fugien- B
fugit, sed substitit. & simul.) Ioan.18. tibus † territus est, sed secutus] etiam introiuit. Nam & si Ioānes quoque id fecerat, sed tamen notus erat ponetifici. Cur autem ipsum eò duxerunt, vbi omnes erant congregati? Vt ex pontificum sententia omnia faceret. Idcirco ad eum omnes conueniunt qui illo anno summum pontificatum obtinebat, vbi pernoctarunt vigilantes, adeò vt Pascha ea nocte comedere neglexerint.
Ibidem. Manè autem facto non intrarunt in prætorium, vt Ioannes inquit, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. Vnde liquidò patet, cupiditate interficiendi Christum præuaricatos fuisse, ac alia die Pascha comedisse. Non enim Christus tempus Paschæ transgressus est, sed illi audacissimi homines, & mille transgredientes legis præcepta: quoniam ita inflammati erant, & sæpe conati capere ipsum, nihil facere potuerunt, ex insperato nacti quod cupiebāt, tempus Paschæ transposuerunt, vt ardentes cæde animos suos explerent. Propterea congregantur omnes, & consilium iam C
pestilens erat. Et nonnulla more iudicis quærunt, vt habitum iudicij atque figuram insidiis prætexerent. Non enim conueniebāt testimonia, sed tumultus atque turbationis omnia plena erant, adeò vt apertè fictum pateret esse iudicium. *Venerunt autem duo falsi testes dicentes: iste dixit, Soluam templum hoc, & in tribus diebus erigam ipsum.* In tribus dixit certè diebus, sed non soluo: sed, soluite. Nec de illo templo, sed corpore suo dicebat. Quid igitur pontifex fecit, vt ad respondendum compelleret, vnde capi ipsum arbitrabatur? *Non audis,* inquit, *quid isti testantur aduersus te?* Iesus autem quia nullum videbat excusationi locum, tacebat: figura enim ibi duntaxat iudicij erat, re autem ipsa latronum impetus. pontifex igitur perseuerabat dicens: *Adiuro te per Deum viuum, vt nobis dicas, si tu es Christus filius Dei viui. Ipse verò respondit, Tu dixisti: verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis, & venientem in nubibus. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua* D
dicens, Blasphemauit. Quod fecit, vt atrocius dictum Christi videretur, & atrocior accusatio fieret. Nā quo-
Act.7. niam audientes perterriti fuerant: sicut in Stephano postea fecerunt, aures obstruentes: simile quid hic à pontifice factum est. Sed quænam erat ista blasphemia?
Psal. 109. Nam congregatis ipsis alibi istud proposuit: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis; quod latius ab eo exponi audientes, nihil dicere ausi sunt, sed tacuerunt, & nihil posteà ipsi contradixerunt. Quomodo igitur blasphemiam nunc istud appellabāt. Cuius etiam rei gratia Christus hoc eis responsum dedit? Vt omnem eorum tolleret excusationem. Idcirco ad extremam vsque diem apertè se ipsum Christum esse docebat, & quòd à dextris sedeat Patris, quódque rursus ad iudicandum orbem venturus sit: quę res magnam eius concordiam ad Patrem significat. Vestimentis ergo consciss, cæteros interrogat, dicens: *Quid vobis videtur?* Noluit à seipso sententiam proferre, sed quasi manifestissimo peccato, & blasphemia patente, ab illis eam elicere voluit. Non enim ignorabat si res in cognitionem & examinationem veniret exquisitam, ab omni eum crimine liberari, ac ideo apud seipsos condemnari studebat, & auditores præoccupabat, dicens: *Vos ipsi blasphemiam audistis.* hæc dixit vrgens quasi atque impellens aduersus eum sententiam proferre. Quid igitur illi? *Reus est mortis.* Condemnatum enim iam à se ad Pilatum ducere volebant, vt facilius ipsum quoque ad cōdemnandum impellerent, cuius rei omnes conscij vna voce respondent, Reus est mortis. sic ipsi accusabant, ipsi discebant, ipsi sententiam ferebant, omnium officia tunc ipsi occuparunt. Quomodo autem sabbata in medium non proposuerunt? Quia sæpius ora eorum frænauit, & ex his quæ tunc facta fuerant condemnare ipsum cupiebant, & ad ea peruenit pontifex, vt omnibus scissione vestis ad se attentius attractis, sententia iam ab ipsis prolata tanquam condemnatum ad Pilatum ducant. Ita callidè atque maliciosè cuncta gerebant: nihil certe tale apud Pilatum dicunt: sed quomodo? Nisi male- Ioan.18.
factor hic esset, non vtique tibi tradidissemus eum. ita publicis criminibus interimere ipsum studebant. Cur autem occultius non interfecerunt? Malam de Christo existimationem suscitare volebant. Quia igitur multi audiuerunt eum, & admirabantur vehementer, atque stupebant tam de signis, quàm de doctrina: idcireo dederunt operam, vt publice necaretur. Christus verò nō prohibuit, sed in veritatis affirmationem proteruitate illorum vsus est. Manifestata enim morte ipsius omnibus facta, contrarius est consecutus euentus, quàm illi optabant. Illi enim ad dedecus ipsius publicè cum necarunt, ipse autē summa hinc gloria perfulsit. Et quem-
admodum dicebant: Occidamus ipsum, ne Romani ve- Ioan.11.
niant, & ciuitatem nobis atque gentem eripiant: quo interfecto, illud maximè passi: eodem nunc pacto publicè crucifixerunt, vt magna infamia notarent: euenit autem omnino contrarium. Potestatem autem habuisse illos per seipsos interficere, Pilatus declarauit dicens. Accipite eum vos, & secundùm legem vestram iudica- Ioan.18.
te ipsum. Voluerunt autem, vt tanquam iniquus, tanquam tyrannus, tanquam factiosus turpissima videretur morte necatus: qua de re latrones quoque simul cum eo crucifixerunt, & ad Pilatum dicebant: Ne scri- Ibid.19.
be regem hunc esse Iudæorum, sed quia dixit regem se esse. quę omnia ita pro veritate faciunt, vt nec vmbram quidem excusationis vel impudentissimæ Iudæi habeant: immo custodia & signacula sepulturæ, magnum splendorem veritati addiderunt, idem etiam conuicia, & contumeliæ fecerunt. Huiusmodi certè res falsitas est, vt his rationibus dissoluatur, quibus tetendit insidias: quod illis accidisse videmus. Nam cùm vicisse iam putarent, tunc maximè ea re qua putabant vicisse, in summum dedecus impulsi perierunt: qui autem victus esse videbatur, is maximè refulsit, & mirabili est potitus victoria. Non quæramus igitur vbique victoriam, nec semper superāri vereamur. Est enim quando victoria detrimentum, offensio verò emolumentum adducit. Etenim in ira qui valde contumeliatus alium est, superasse videtur, cùm reuera ipse maximè à turpi hac perturbatione victus non parum sibiipsi nocuerit. Qui autem magno animo tulit iniuriam, hic profectò & quidem cum laude superauit. Ille namque nec suam quidem ægritudinem compressit,

hic etiam

hic etiam alienam extinxit: & ille suo morbo superatus A
est, hic etiam alienum curauit: nec solùm ipse inflammatus non est, verumetiam ingētem alterius flammam extinxit. Quòd si apparentem hanc, & non veram victoriam consequi noluisset, & ipse victus iacuisset, & aduersarium magis incendisset: sic turpiter ac miserabiliter, quemadmodum mulierculæ ab ira exagitatæ, ambo prostrati fuissent. Nunc verò & huius dedecoris expers est, qui Christiana vsus est philosophia, & præclarum tam sibi, quàm proximo de iracundia trophæum constituit. Non igitur vbi victoria quærenda est. Qui enim lædit, superare læsum videtur: sed pernicioſa sibi victoria superat. Læsus autem si magno animo perfert iniuriam, quanquam victus videatur: coronam tamen splendidam adeptus est. Sæpenumero ergo vinci quàm vincere præstantius est: optimus profectò iste victoriæ modus est. Nam siue quis rapiat, siue percutiat, siue inuideat: qui suffert, & non cominus aggreditur, ille pulcherrimus victor est. Cur rapinam & inuidiam di- B
co, cùm etiam qui ad martyrium traditur, cæsus, laceratus, iugulatúsque hoc pacto denique superet? Et quidem in bellis decertans qui ceciderit, is victus dicitur: apud nos verò is victor pronunciatur. nullibi certè malè agentes, & vbique mala sufferentes superamus. illa fulgentissima victoria est, qua inferentem patiendo superasti. Cúmque oppositam exteriori victorię naturam habeat, quod maximæ virtutis argumentum est, à Deo esse demonstratur. Sic scopuli fluctibus cęsi facilè ipsos dissoluunt, sic sancti omnes præconio præclaro coronati, præclara trophæa statuerunt, hanc victoriam laboris expertem consecuti. Non enim luctari te, aut laborare oportet, Deus eam tibi potestatem dedit, vt non consertione manuum, sed patientia vincas. Non exeas igitur in prælium, & vicisti. non collucteris, & coronatus es, multò tu præstātior & fortior aduersario es. Quid teipsum dedecoras? noli committere, vt ille possit dicere vix à te in prælio superatum se fuisse. sed fac vt inex- C
pugnabilem hanc virtutem admiretur, & stupeat, prædicétque abs te sine prælio se victum fuisse. Sic beatus ille Ioseph, qui magno animo iniurias tulit, vbique vt
Gen.37. & seq. victor prædicatur. Nam & fratres, & Ægyptiam illam mulierem insidiantes, æquo animo ferendo superauit. Noli mihi carceres, vbi vinctus fuit, nec regiam vbi mulier illa versabatur domum obiectare: sed vinctum mihi, atque victorem ostende, & qui in voluptate, qui in mœrore viuebat, patefacias. Illa enim nec iustum illum virum, nec cupiditatem propriam superauit: hic verò & mulierem repulit, & à difficillimo captus morbo non est. Et si vis, verba mulieris audiamus, vt à superato penitus atque prostrato animo proferri videas.
Gen.39. Adduxisti nobis huc, inquit, puerum Hebræum illudere nobis. Non ille, ô misera, atque iniquissima, sed diabolus tibi illusit, quia persuasit posse adamantinum abs te animum infringi. Nō adduxit tibi maritus Hebræum insidiantem puerum, sed callidissimus dæmon, qui in D
illicitam te impulit cupidinem. is tibi illusit. Quid autem Ioseph? tacet omnino, & sic condemnatur, velut & Christus. Figura enim illa Christi fuerant. Sed erat ille, inquies, in vinculis, hæc in regia spaciabatur. Et quid est hoc? nónne ille splendidè fuit coronatus quouis coronato splendidius, etiam cùm in carcere vinctus iacēre videretur? Hæc autem omni vincto miserior, quanquam in regali thalamo versabatur. Sed non hinc solùm, verumetiam ab exitu rerum victoriam aspicere licet. Quis enim quod voluit, nactus est? ille vinctus profectò, non hæc regia mulier. Nam ille castimoniam studuit conseruare, hæc castum illius animum corrumpere. Quis igitur voluntatem adimpleuit suam? Ille qui

passus æquo animo iniuriam est, an hæc quæ iniquissimè intulit? Ille proculdubio, ille igitur clarissima fuit potitus victoria: quæ omnia non ignorantes, hanc victoriam quæ à patientia originem trahit, totis viribus persequamur: illam diligentissimè fugiamus, quæ ab inferenda iniuria nascitur. Sic enim & præsentem vitam quietè atque tranquillè peragemus, & futuram consequemur, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi. Amen.

Homilia LXXXVI. ex cap. XXVI.

Tvnc spuerunt in faciem eius, & colaphis eum cæciderunt. Alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? &c. Quam ob rem hæc faciebant, cùm occisuri eum essent? Quid enim huiusmodi illusione opus erat? Crudeles eorum mores in omnibus ostenduntur, qui quasi venatores fera inuenta, sic vinolentia & furore ferebantur, solennitatem habere credentes, & ingenti cum voluptate insiliētes, & quàm ipsorum mores in cædem propensi essent, declarantes. Tu autem sublimem discipulorum philosophiam admirare, qui adeò exquisitè ista referunt, vt quanti facerent veritatem, facilè appareat: cùm ea quæ turpissima videntur, ad vnguem exposuerunt, nihil celantes, nec erubescentes, sed eximiam putantes gloriam: vt profectò eximia est, quod Dominus orbis talia pro nobis pati voluerit: quæ res & ineffabilem erga nos charitatem, proteruitatémque eorum nulla venia dignam ante oculos ponit, qui aduersus mitissimum illum, atque lenissimum, qui vel quando cædebatur, ea verba dicebat, quibus etiam leonem in agnum redigere posset, tantam crudelitatem ostendebant: sed vt ipse nihil lenitatis prætermisit, sic ipsi nihil contumeliæ, nihil impietatis, sed tam verbis quàm factis explere furorem suum conabatur: quæ omnia Esaias ille prædixit, qui paucissimis verbis omnem hanc contumeliam multò antè aperuit. Quemadmodum, in-
Esa. 52. quit, obstupescent super te multi, † sic inglorius erit in- ficinglo-ria erit ab hominibus spe-cies tua: & gloria tua à filiis hominū.)
ter viros aspectus tuus, & forma tua inter filios hominum.] Quid enim illi contumeliæ potest exæquari? In faciem illam, quam fluctus maris reueriti sunt, quam sol in cruce videndo radios occuluit, spuebant, cædebant, caput percutiebant, abunde animos suos explentes, & vulnera contumeliosissima inferentes, colaphis cædentes, & palmas in faciem eius dātes, quibus spuendi contemptum addere non verebantur. Verba rursus derisio- Luc.8.
nis plena proferebant, Prophetiza nobis Christe, di- Ibid. 23.
centes, qui est qui te percussit? Sic illudebant, quoniam Prophetam ipsum esse plerique dicerent. Alius autem Euangelista dicit, quia velamine sua facie adoperta hęc Luc.22.
faciebant, quasi quendam infamem & nullius rei hominem, non liberi solùm, verumetiam serui deludētes. Sæpius oro hæc attentè legamus, hæc vt decet audiamus, hæc in cordibus nostris conscribamus. hæc enim pulcherrima, & glorioſissima sunt: in his ego summopere glorior, nec minus me hi sui dolores sublimem efferunt, quàm mille mortui quos excitauit. Hæc & Paulus item & item voluit atque reuoluit, crucem, mortē, passiones, conuicia, iniurias, contumelias: & modò quidem ait, Excamus ad ipsum, opprobrium eius ferentes: Heb.13.
modò autem, Qui pro gaudio sibi proposito crucem Ibid.12.
sustinuit, ignominia contempta. *Petrus autem sedebat in atrio foris, & accessit ad eum vna ancilla, dicens: Et tu eras cum Iesu Galilæo. Ipse autem negauit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis. Quum autem exisset in vestibulum, vidit eum altera ancilla, & ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Iesu Nazareno. Et rursus negauit cum iuramento. Non noui*

Universidad de Deusto
Biblioteca

hominem. Post paululum autem cùm accessissent qui stabant, dixerunt Petro: Verè & tu ex eis es. etenim loquela tua te manifestum facit. Tunc cœpit anathematizare & iurare, quòd non nouisset hominem. & continuo gallus cantauit. Et recordatus est Petrus verbi Iesu, qui dixerat: Prius quàm gallus cantauerit, ter me negabis. Et egressus foras, fleuit amarè. O res nouas, & mirabiles: quando capi magistrum vidit, adeò efferbuit, vt stricto gladio seruum percusserit: quando autem magis indignari, inflammari, succendíque debebat, tot tantáque opprobria videndo atque audiendo, tunc abnegauit. Quis enim indignatione nō insaniret nefandissima illorum facta conspiciens? pauore tamen ille omnino superatus, non modò non indignatur, sed pernegat, ac miseræ vilísque puellæ verba ferre non potest: nec semel modò, nec secundò, sed etiam tertiò negat, & hoc in breuissimo tempore, nec coram iudicibus: foris enim erat. Sedebat enim, inquit, in atrio foris, & cùm in vestibulum exisset, eum interrogauerunt, nec lapsum suum ipse anteà sensit, vt Lucas dicit, quàm in eum Christus respexisset. Ita non solùm negauit, sed etiam quamuis gallus cantasset: casum suum tamen à seipso non sensit: sed magistri admonitione indiguit: cuius inspectio vox illi facta est: adeo erat timore concussus. Marcus autem ait, cùm semel Petrus negasset, tunc primò gallum cantasse: cùm verò tertiò, tunc gallum secundò. Ita exquisitè solus explicauit, & piam magistri ad discipulum curam, & imbecillitatem Petri, & quòd formidine multa exanimatus esset. hæc ab ipso magistro Marcus didicit. discipulus enim Petri fuit: vnde maximè ipsum admirari debemus, quia non solum magistri delictum nō occultauit, sed exquisitius etiam quàm cæteri hoc ipso, quia discipulus erat conscripsit. Quomodo igitur cum Matthæus dicat, antequam gallus cantet, ter me negabis: cum tertiò negasset, secundò gallus cantauit, vt Marcus scripsit? & quomodo hæc vera & consona esse possunt? Valde ista certè vera, & sibiipsis conuenientia sunt. Nam quoniam in vna vice ter & quater gallus cantare assueuit, significare voluit Marcus, quia nec voce quidem galli in memoriam adductus est, nec se à negatione retinuit: vtrunque igitur verum est. Nam antequam vnam cātandi vicem gallus absoluisset, ter negauit. A Christo autem in memoriam delicti redactus, ne lachrymis proderetur, non est palam flere ausus, sed exiuit foras, & fleuit amarè.

CAP. XXVII. *Facto autem die, ducunt Iesum à Caipha ad Pilatum.* Nam quoniam interficere ipsum statuerunt, & propter diem festum non poterant, ad Pilatum eum ducunt. Tu verò considera quomodo res ita compulsa est, vt in die festo ageretur. Quippe ita iam à prisci temporibus fuerat figuris significatum. *Tunc videns Iudas, qui tradidit eum, quòd condemnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos.* Hoc tam Iudæ, quàm pontificum culpam exauget: illius quidem, non quia eum pœnituit, sed quia tardè pœnituit, & seipsum condemnauit, confessus à se factam esse traditionem. Horum autem, quia cùm possent mutare propositum, perseuerarunt pertinaces, nulla pœnitendi cogitatione compuncti. Tu verò cogita, quando illum pœnituit, quando ad exitum scelus iam omnino peruenit. Talis nempe diabolus est, vt non dimittat hominem (nisi vigilet) ante vltimum effectum magnitudinem peccati præuidere, ne pœnitentia ductus, à peccato resiliat. Tam multis enim admonitionibus Christi nihil flexus, cùm verò in vltimum iam effectum res venit: tunc pœnitentia ducitur, neque tunc vtiliter, & vt oportebat. Nam quoniam quidem condemnauit seipsum, & argēteos proiecit, nec Iudæos veritus fuerit, omnia hæc laudabilia sunt: quòd verò seipsum suffocauit, id ab omni venia remotum, pernicio-

A sum fuit consilium dæmonis. præripuit enim eum antequam pœniteret, vt pœnitentiæ fructum amitteret, & † extrema] morte cunctísque manifesta, suspensus periit. Ita vndique considera magnum veritatis splendorem constari ex his rebus quas aduersarij agunt vel patiuntur. Ipsum enim mortis genus quo proditor periit, eorum ora qui Christum damnauerunt profectò confuit, nec sinit vt vmbram saltem excusationis inueniāt. Quid enim dicere possunt, quum talem aduersus se proditor sententiam protulisse inuenitur? Sed videamus etiam, cùm triginta argenteos principibus sacerdotum retulit, quibus vtitur verbis. *Peccaui tradens sanguinem iustum: at illi dixerunt, quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in templo, recessit. Et abiens laqueo se suspendit.* Nec enim potuit acerbos conscientiæ stimulos & flagella perferre. Similiter autem & Iudæi faciunt. Nam cùm debuissent istis commoueri, pertinacissimè tamen perstiterunt, quousque ad exitum & effectum peccati perueneruntNam peccatum quidem illius, quod erat proditio, ad extremum modò venerat, illorum verò nondum: Cùm autem etiam illi scelus perfecerūt, & crucifixerunt ipsum, tunc conturbantur, modò dicētes: Noli scribere hunc Iudæorum esse regem. Quid autem timetis? cur turbamini corpore iam exanimò in cruce suspenso? modò diligenter custodiunt, dicentes: *Ne fortè discipuli eius suffurentur ipsum, & dicant à mortuis eum resurrexisse, & erit error vltimus peior priore.* Ac certè si dicent, nisi res vera fuerit, facilè redarguitur. Sed quomodo furentur, qui nec stare quidem potuerunt, vbi ipse captus esset: quorum caput & vertex puellæ verba non ferens, tertiò ipsum negauit? Sed, vt diximus, cogitationum turbine ferebantur. grauiter enim se peccasse non ignorabant, quod inde patet, quia dicebant ad Iudam, Tu videris. Audite ista, audite inquam auari, verfate animo, quid ille passus fuit. Nam & pecuniam amisit, & scelus admisit, & animam perdidit. Hæc atrox auaritiæ tyrannis facere solet. Non est argento, nec hac vsus vita, non fructur futura, vniuersa simul amisit: prauáque vel apud eos quibus tradidit, æstimatione de se sustulit, laqueo demum gulam fregit. Sed vt dicebam, post rem peractam, tunc nonnulli inspiciunt. vide enim etiam illos nolle interea, quantam rem auderent aspicere, sed dicentes, Tu videris: quæ res culpam eorum maiorem reddit. Apertè namque audacissimæ iniquitatis testantes passione se ferri, & nolle à perperam cœptis desistere, ostendunt, ficto ignorantiæ velamine stultè se adoperientes. Nam si post crucem & mortem ipsius istud dixissent, quamuis neque tūc rectè dici poterat, non tamen adeò illos condemnaret: nunc autem cùm adhuc in potestate vestra sit, & possitis ab hac vos abducere cæde, quomodo hæc dicere potestis? Hæc excusatio vestra multò magis vos accusat. Quónam pacto? quia totum ad proditorem crimen refertis, cùm possitis ipsi huius sanguinis expertes esse, ipsum omittendo: vos autem pertinacissimè ad peiora progredientes, crucem proditioni addidistis. quid enim prohibuit, cùm illi dicerēt, Tu videris, ab audaci ipsos proposito desistere? sed contrarium omnino faciunt, interitum adiicientes, & vbique tam nequiter agentes, vt in pœnas inceitabiles se coniecerint. sic & paulò post à Pilato eis potestate commissa latronem maluerunt quàm Iesum eligere: & latronem quidem manifestis criminibus inquinatum tanquam innocētem complectuntur: Christum verò qui non modò nihil criminis vnquam fecit, sed plurimis etiam ac maximis beneficiis illos affecit, interfecerunt. Quid autem Iudas? Postquam vidit inutilem se laborem perferre, illósque nolle argenteos accipere, proiecta in templo pecunia abiit, & gu-

turpissima.)

Luc. 22.

Marc. 14.

Marcus Petri discipulus, didicit ab eo quod scripsit.

Ioan. 19.

lam laqueo

lam laqueo fregit. *Principes autem sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quoniam precium sanguinis est. & consilio inito, emerunt ex eis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Ideo vocatus est ager ille, ager sanguinis vsque ad hodiernum diem. Tunc impletum est* Zach. 11. *quod dictum est per Hieremiam prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos precium appreciati, & dederunt eos in agrum figuli sicut dominus mihi constituit.* Vides rursus propria eos conscientia condemnari. quoniam enim non ignorabāt iniquè se hominis cædem coëmisse, noluerunt in corbonam pecuniam deponere, sed agrum in peregrinorum sepulturam emerunt: quæ res proditionis aduersus illos testimonium est. Nomen enim loco illi inditum omni clarius tuba sceleratam eorum prædicat cædem: nec simpliciter, sed consilio congregato id factum. Et in omnibus sic procedunt, ne aliquis ab hoc crimine innocens sit, sed omnes simul hac magnitudine peccati premantur. Hæc autem multis seculis anteà prophetia prædixit. Perspicis, non ipsos apostolos solùm, verùm & prophetas turpissima opprobria exquisitè narrasse, & vndique magna voce passionem prædicare. Sed Iudæi amentia conuoluti, hoc modo fecerunt. Si enim in corbonam pecuniam immisissent, nō ita manifesta res facta esset: nunc verò prædio empto, etiam posterioribus rem vniuersam prodiderunt. Audiatis quicunque animæ hominis precium capientes, beneficium postea ex cæde confertis. Iudaica huiusmodi eleemosyna est, immo verò diabolica. Sūt enim, sunt inquam etiam nunc, qui alienis direptis excusatos se à toto crimine putant, si aliquam partem pauperibus dederint: de quibus ait propheta: Altare meum lachrymis operiebatis. Non vult certè Christus rapina nutriri, ingratissima hæc sibi sunt alimenta. Quid ita tu Dominum cōtemnis, vt res immundas offerre audeas? melius est committere vt inedia tabescat, quàm huiusmodi alimento sustentare. Alterum nempe crudelitatis est, alterum verò crudelitatis simul & contumeliæ: & melius est nihil omnino dare quàm rem aliorum aliis concedere. Dic quæso, si duos quosdam videres, alterum omnino nudum, alterum indutum: nullámne iniuriam faceres si vestitum spoliares, vt nudum indueres? immo verò maximam. Quòd si rem totam quàm rapuisti, alteri dederis, non eleemosyna vsus es, sed iniuriam cōmisisti, cùm nec tricesimam partē raptarum rerum dederis, & eleemosynam rem appelles, quo supplicio non vexaberis? Si enim accusabantur, qui claudicantes offerebant animantes, cùm tu peiora facias, quomodo veniam impetrabis? Nam si etiam ipsi à quo abstulit fur rem reddiderit, adhuc iniuriæ adeò reus est, vt vix additione quadruplici crimen persoluat, & hæc in veteri testamento: qui non solùm furatur, sed violenter rapit: & nec illi à quo abstulit reddit, sed alteri donat: & non quadruplum sed ne dimidium quidem: atque hoc non sub veteri, sed sub noua gratiæ lege viuens, considera quantum in caput suum ignem exaggeret? quod si nondum pœnas luat, idcirco magis lachrymandum est, quia iram sibi thesaurizat maiorem, nisi pœnitentiam egerit. Luc. 13. Quid enim existimatísne, ait, illos solos peccatores fuisse, super quos turris cecidit? Non, dico vobis, sed vos quoque nisi penitētiam egeritis, similia patiemini. Agamus igitur pœnitentiam, demus eleemosynam ab omni auaritiæ tabe puram: & demus non parcè, sed copiosè. Deut. 12. & 14. Veniat in mentem vobis, octo millia Leuitarum Iudæos alere solitos fuisse, & cum his viduas, & parentibus orbos: præterea muneribus aliis subiectos militiæ quoque operam dedisse: nunc autem agros, domus, locationes ædificiorum vehicula † equos] mulos, multaque alia huiusmodi propter vos & vestram crudelita-

A tem Ecclesia possidet. Oportebat enim hunc Ecclesiæ thesaurum vos retinere, ac Ecclesiam nō paruos ex vestra deuotione consequi fructus. Modò autē duo quædam mala committuntur. Nam & vos quasi nihil dare debeatis, nihil confertis, & Dei sacerdotes à sacerdotio aliena pertractant. An non poterant etiam tempore apostolorum domus & agri ab Ecclesia possideri? cuius igitur rei gratia vendentes pecuniam offerebant? Quia id multo melius erat profectò. Nunc verò secularium cura rerum vobis furentibus, timor nostros inuasit patres, ne dum colligere ac nihil seminare studeatis, viduarum, orphanorum, & virginum multitudo fame depereat, quare commoti hæc sibi comparare coacti sunt. Non libenter ad hanc se deformitatem immiserunt, qui desiderabant fructus ex vestra deuotione sic acquirere, vt orationibus solùm attendere possent: nunc verò coëgistis eos eorum qui secularia gerunt negocia, curam & gubernationem imitari, vnde vniuersa commiscentur atque turbantur. Cùm enim & nos eadem B qua vos solicitudine teneamur: quis propitium faciet Deum? Propterea os aperire non possumus, quia non melius Ecclesia, quàm secularia gubernantur. Non audistis, quia nec quidem has pecunias, quæ absque labore fuerunt collectæ, distribuendas putauerunt apostoli? Modò autem in procuratores, dispensatores, caupones redacti episcopi sunt ob istarum rerum curam & solicitudinem: Cúmque oporteat ipsos animarum habere curam vestrarum, hoc prætermisso illa solicitè curant, quæ publicanis quæstoribus atque villicis curāda sunt, de his quotidie cogitant, & peruigilant. Hoc nō frustra deploro, sed vt harum rerum correctio & mutatio quædam in melius fiat, vt & nos qui grauem hanc seruitutem patimur, misericordiam consequamur, & vos fructus & thesauros Ecclesię pręparetis: Si autem ita facere non vultis, ecce ante oculos vestros pauperes sunt, ex quibus quotquot potuerimus alere nō negligemus: C quos verò non possumus, vobis dimittemus: quos alite oro diligenter, ne in terribili die iudicij illa verba quæ aduersus immisericordes dicentur, audiatis. Famescentem me vidistis, & non aluistis. hæc certè inhumanitas nos quoque vobiscū derisibiles facit: orationibus enim, atque prædicatione, cæteróque cultu Ecclesiæ prætermisso, alij vini, alij frumentorum venditoribus, alij caponibus per totam vitam colluctantur: vnde iurgia, cōtentiones, conuicia, opprobria quotidie oriūtur, & vnicuique sacerdotum secularibus idonea negociis imposita nomina sunt. oportet igitur in talia hæc mutari, & inde presbyteros nominari, vnde apostoli leges sanciebant: à nutritione videlicet inopum, ab eorum qui lædebantur protectione, à diligenti erga peregrinos cura, à patrocinio eorum qui opprimuntur, in orbos parentibus cura, à protegendis viduis, à defendendis virginibus. Hæc officia loco villarum & domorum curæ presbyteris distribuere decet: hæc ornamenta ecclesiæ sunt, D isti conuenientes thesauri, qui & nobis facilioré vitam, & vobis fructuosiorem præbere possunt, immo verò cū facilitate vobis quoque non paruam afferēt vtilitatem. Gratia enim Dei centum millia hominum huc conuenire opinor, quorum singuli si vnum panem quotidie pauperi cuipiam offerrent, omnes certè pauperes abundarent: si vnum vnusquisque obolum solummodo, nemo penitus indigeret: nec tot probra & conuicia sustineremus, quòd nimium ad possessiones simus attenti. Illud enim euangelium, Vade ac vende vniuersa quæ Sup. 19. habes, & da pauperibus, & veni ac sequere me: opportunè nunc ad Ecclesiæ præsides propter latas Ecclesiarum possessiones, & meritò, dici potest. Non enim sequi Christum aliter possumus nisi omnis crassioris & se-

1. Cor. 16. & Heb. 10 Episcoporum peccatum deplorat, & eorum restauratione petit.

mulio-nes)

Universidad de Deusto
Biblioteca

culatis curæ simus expertes. Nunc verò proh dolor vindemiæ ac messi Dei sacerdotes, & vēditioni ac emptioni fructuum assistunt: & illi quidem qui figuræ atque vmbræ cultum habebant, quanuis corporalior eis administratio esset commissa, omnium tamen harum rerum erant immunes: nos verò qui ad penetralia cœlorum vocamur, quique ad vera sancta sanctorū ingredimur, mercatorum & propolarum curas suscipimus, vnde & magna scripturarum oritur negligentia, ingens in orandō segnities, & cæterorum omnium contemptus. Non enim possibile homini est sufficienter studio atque opera in vtraque distendi. Quare rogo atque obsecro multos vndique scaturire fontes, areámque atque torcular vestram deuotionem nobis fieri. Sic enim & pauperes facilius alentur, & Deus glorificabitur, & vos ad maiora misericordiæ opera progressi, æterna vobis bona impetrabitis, quibus vtinam omnes perfruamur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

Homil. lxxxvii. ex cap. xxvii.

IESVS *autem stetit ante præsidem, & interrogauit eum præses, dicens: Tu es rex Iudæorum? Iesus autem dixit: Tu dicis. Et cùm accusaretur à principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondebat.* Respicis illud primum inuestigari, quod Iudæi crebrò sursum ac deorsum voluebant? Nam quoniam videbant nullam à Pilato de legalibus curam fieri, ad publica crimina accusationem reduxerunt. Sic aduersus etiam apostolos faciebāt, eadem ipsa Act.17. semper clamantes, quia circunuagantur Iesum quendam regem prædicantes. Ita cùm quasi de homine nudo hæc dicerent, ad suspicionem tyrannidis impellere auditores conabantur: vnde patet scissionem quoque illam tunicæ, & indignationem pontificis simulatam fuisse. Cuncta enim vertebant atque turbabant, vt in mortem ipsum iniicerent. Quod igitur illi maximè opponebant, id nimirum Pilatus scrutatur. Quid igitur Christus? tu dixisti. Et fatetur se regem esse, sed cœlestem: quod alibi clarius ad eundē Pilatum respondens, dicebat: Quia regnum meum non est de hoc mundo. Ioan.18. Verùm ne aut huic aut illis excusatio harum rerum relinquatur, apertissimam affert rationem, dicens: *Si de hoc mūdo esset regnum meum, decertassent vtique ministri mei ne traderer.* Sup.7. Hinc patet hac de causa & ipsum tributa detulisse, & aliis deferre iussisse, vt nullum hæc suspicio locū haberet: quando etiam regem constituere ipsum voluerunt, confestim fugit. Sed cur, inquies, affectandæ tyrannidis accusatus, ista non protulit? Quia cùm à rebus ipsis mille haberent argumenta virtutis eximię ac mansuetudinis, sua sponte excæcati malignè agebant, & iudicium ipsum planè erat corruptum: propterea tacet, paucissima quædam & ratius respondens, ne perpetuò silentio superbus videretur. Pontifici enim quando adiurauit, & interroganti nonnunquam præsidi: ad obiecta verò crimina, quoniam minimè se persuasurum sciebat, omnino respondit: quod & propheta quidem significans, ante multa secula dicebat: In humilitate iudicium eius sublatum est. Mirabatur autem his de rebus Pilatus valde. Erat quippe admiratione dignissimum, tanta cum humilitate ac taciturnitate videre adstantem illum, qui innumera, & ea quidem manifestissima haberet argumenta, cùm sanè nec ipsi accusatores vllius ei criminis conscij fuerint, sed inuidia sola mouerentur. Vnde falsis adductis testibus, quoniam nihil inuenire potuerunt, authoritate sua vrgebant, nec compuncti fuerunt, cùm Iudam expirasse, aut iudicem lauasse manus vidissent: multa enim etiam Pilato traditus fecit, quibus respicere potuissent, sed in nullo voluerunt meliores fieri. quid igitur Pilatus? *Non audis quanta aduersus te isti testantur?* Volebat enim ipsum satisfacientem liberari: propterea his verbis vtebatur: verùm quoniam nihil Iesus respondet, aliud quiddam excogitauit. Quidnam illud est? Mos erat ex condemnatis vnum eis dimittere, qua ratione liberare Christum tentauit, vt si nollent tāquam innocentem absoluere, saltem vt tanquam condemnatum solennitati largirentur. Vides ipsum ordinem inuersum fuisse? Moris enim erat vt populus condemnatum aliquem a principe peteret, quem solennitatis gratia princeps populo condonaret: Nunc autem è contrario princeps à populo petit, neque sic illi mitigātur, sed inuidentes magis, quasi atroces feræ perturbatione liuoris insaniunt. Nihil enim habebant prorsus, quod etiam aduersus silentem obiicerent: sed cumulo iustitiæ illius etiam silentis redarguebantur, ita & tacendo, dicacitatem atque furorem illorum superabat. *Sedēte autem ipso pro tribunali, misit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi & iusto huic: multa enim passa sum hodie per visum propter ipsum.* Aduerte rursus quàm mirabile hoc est, quàm sufficiens omnes illos reuocare. Præter enim rerū experientiam, & argumentorum claritatem, non parua res somnium accessit. Cur autem ipse Pilatus somnium non vidit? Aut quia mulier dignior erat, aut quia si præses somnium hoc se vidisse dixisset, nō ita sibi creditum fuisset, aut quia non edixisset, sed secum ipse tenuisset. Idcirco igitur ex dispensatione mulier vidit, vt omnibus notum fieret: nec solùm videt, verumetiam multa patitur, vt maritus vxori condolendo tardior ad eędem redderetur. Temporis quoque opportunitas nō parum conferebat: eadem enim ipsa nocte illo somnio fuit exagitata. Verùm non erat Pilato tutum (dices) ipsum liberare, quoniam affectatæ tyrannidis erat accusatus. Oportebat igitur argumenta quærere, quibus ista probantur: vtputa si exercitum conscribebat, si pecuniam ingentem conflabat, si arma, vel aliud huiusmodi præparabat. Ille verò temerè ab eis seducitur, quapropter culpæ non est expers. Maius nanque, ait, qui me tibi tradidit, habet peccatum. Mollicie igitur factum est sua & vt Ioan.19. cæderet, & flagellis cæsum concederet. Itaque mollis hic eneruisque fuit, pōtifices autem proterui atque malicioſi. Nam postquam ille cogitando legem adinuenit quandam, quæ solennitati ex condemnatis aliquem cōdonare iubebat, turbis persuaserunt, vt Barabbam vna omnes peterent voce. Vides quàm diligenter ille prouidebat, vt eos ab hoc scelere liberaret, & quanto ipsi studio contrà agerent, vt ne vmbram quidem sibi excusationis relinquerent. Vter enim dimittendus erat, certis iam criminibus condemnatus, an cuius adhuc causa pendebat? Nam si quis lata sententia etiam dimitti poterat, multò magis ille cuius res in ambiguo vertebatur. Nequaquam enim manifestis homicidis peior eis Iesus videbatur: propterea non simpliciter dixit, latronem: sed insignem latronem eos habuisse, famosum videlicet in proteruitate, & multis homicidiis inquinatum. Præposuerunt tamen illum orbis Saluatori: nec rationem temporis aliquam habuerunt, quod sanctum erat atque solemne, nec humanitatis leges aut aliud huiusmodi veriti sunt: sed inuidia penitus superati, ad proteruitatem suam plebem etiam corrumpunt: ita deceptionis quoque plebeiæ extrema luent supplicia. Barabba igitur ab vniuersis postulato, *Quid igitur faciam*, inquit Pilatus, *de Iesu qui dicitur Christus?* Conuertere illos rursus aliquo voluit pudore: potestatem enim eis eligendi reliquit, vt saltem veriti Iesum petant, vt clementiæ ipsorum totum attribuatur. Contentioſos enim magis videbat fieri, cū eis nihil ipsum peccasse dicebat, ac ideo putabat, si humanitati eorum salutem ipsius attribueret, facilius posse persuadere:

persuadere: illi verò non dubitauerunt clamare, Crucifige: ad quod ipse, *Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant dicentes: Crucifigatur. Videns autem Pilatus nihil se proficere, lauit manus, dicens: Innocens ego sum à sanguine huius iusti, vos videritis.* Act.24. Cur igitur tradis? cur non eripuisti, sicut posteà militum tribunus Paulum? qui & sciebat gratum fore Iudęis, si Paulus traderetur, & seditio ac tumultus propter ipsum factus erat: restitit tamen generosè, atque repugnauit, sed non ita Pilatus: verum ignauissimè, atque mollissimè atque simul omnes corrupti labebantur. Nec enim Pilatus multitudini repugnauit, nec multitudo sacerdotibus, ita vndique peribat ipsorū excusatio. nam ὑπὲρ hoc est magis ac supra modum clamabant, crucifigatur. Nec enim interimere solum volebant, sed turpissimam crucifigendi eius causam æstimari studebant. Ideo iudice repugnante, pertinaciter ipsi clamabant. Vides quot à Christo ad reuocationem illorum facta sunt? Sicut enim Iudam sæpenumero retrahebat, pari modo hos quoque reprimebat, tum per totum euangelij tempus, tum in ipso iudicij tempore. Oportebat profectò, quando lauisse manus iudicem viderunt dicentem, Innocens ego sum à sanguine huius: quando Iudam laqueo se suspendisse, quando rogantem Pilatum, vt alium pro ipso acciperent, tam verbis quàm rebus commoueri atque compungi. Nam si proditor seipsum cōdemnauit, si sententiam laturus iudex proferendæ sententiæ crimina reiicit, si mirabilis eadem nocte nobili mulieri apparuit visio, si quasi condemnatus à Pilato petitur: quam poterunt excusationem inuenire? Nam si nolebant, vt innocentem absolueret: non tamen hominem insigni latrocinio proditum ipsi anteponere debebant. Verùm cùm viderent iudicem manus lauare, dicentémque audirēt, Innocens sum: magis clamabant dicentes: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Quando igitur aduersus seipsos sententiam protulerunt, tunc omnia concedit Pilatus. Tu autem animaduerte hoc etiam in loco vecordiam ipsorum, talis quippe appetitio temeraria & proterua cupiditas est, vt nihil boni videre hominem sinat: Esto enim, vobis ipsis maledicitis, quamobrem etiam ad filios maledictionē protrahitis. Clementissimus tamen Iesus, quanuis ipsi maximè & aduersus se, & aduersus filios insanirent, non tamen ex sententia ipsorū ipsos condemnauit, sed tam ex ipsis, quam ex filiis, eos suscepit, qui pœnitentiam egerunt, milléque bonis honorauit. Nam & Paulus ex ipsis erat, & multa illorum millia, qui in Hierusalem crediderunt. Vides enim (Iacobus ait) frater, quàm multa millia Iudæorum credentium sunt, qui omnes ex illis fuerunt: si autem aliqui renixi sunt, sibiipsis supplicium imputent. *Tunc dimisit eis Barabbam, Iesum autem flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur.* Act.21. Cur flagellis cædit? Aut quasi condemnatum, aut quasi formam iudicio quandam afferens: vel vt Iudæis gratam rem faceret. Et certè resistere, atque repugnare debuisset, præsertim cùm ipse dixerit: *Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate ipsum.* Multa nempe fuerunt, quæ tam Pilatum, quam Iudæos ab illo nefando iudicio prohibebant: inaudita signa, & miracula magna, incredibilis eius qui patiebatur clementia, taciturnitas inæstimabilis. Nam postquam & orando & respondendo hominem se esse demonstrauit, sublimem rursus, ac magnanimum tam silendo, quàm despiciendo quæ dicebantur, ostendit: quibus omnibus ad mirādum ipsum adduci poterant: sed nihil horum illis profuit. Cùm enim semel quasi vinolentia, vel insano furore oppressa sit ratio, difficillimum est respicere, nisi generosissima sit anima quæ opprimitur. Periculosum certè, periculosum inquam est, pernicioſissimis his passionibus locum concedere: quare oportet omni pacto reiicere ingressum ipsarum, atque repellere. Nam si comprehenderint animam atque superauerint, tunc sicut ignis ingentem ac siccam nactus materiam, maximam solent flammam accendere. Quare rogo atque oro, omnia faciamus, vt quasi maceria excludamus à nobis harum ingressum. Nullus igitur friuola se illa ratione consoletur, qua vniuersa proteruitas in animam inducitur: Illa, inquam, ratione nullus vtatur, dicens, quid hoc est, aut illud? mille certè hinc mala oriuntur. Veterator enim malorum diabolus cùm sit, magna malicia, multa opera, ingenti studio, condescensioneque nonnulla ad perditionem hominum vtitur. A minimis enim plerúque incipit, quod intueri hoc modo licet. Studebat in Pythonissæ nugas ac deliramenta Saül regem detrudere: sed id si ab initio suasisset, mentem ille non adhibu- 1.Reg.28. isset: quo modo enim id fecisset qui Pythonissas expellebat? propterea sensim & paulatim ipsum inducit. Nam 1.Reg.15. quoniam Samueli non obtemperauit, & holocausta illo absente offerri præparauit, accusatus ait, necessitas hostium facta est maior. Cúmque flere oportuisset, quasi nihil mali fecisset, lætabatur. Iussit rursum nonnulla de Amalecitis Deus, ea quoque transgressus fuit: hinc aduersus Dauid illum insaniuit, ac sic paulatim atque pau- 1.Reg.15. latim labens non stetit, quousque ad ipsum perditionis barathrum seipsum immisit. Similiter etiam de Cain factum esse videmus. Non enim confestim cædem fratris illi suggessit, ne magnitudine rei cōmotus tam scelestum facinus abominaretur: sed prius persuasit deteriora offerre, nullum esse id dicens peccatum: deinde inuidiæ veneno succendit, nihil etiam hinc mali secuturum persuadendo. Ita sensim in eum illapsus, ad cædem fratris, & ad negationem sceleris impulit, nec prius cessauit, quàm malorum omnium verticem imposuit. Repellenda igitur malorum initia sunt. Nam etiam si ad maiora prima non progrederētur peccata, non esset tamen negligendum: nunc verò per istam incuriam gradatim semper ascēdunt, quapropter omni studio atque opera funditus principia peccatorum sunt euertenda. Non enim † vim delicti solam consideres, nec quia parnaturam? uum sit, cogites: sed illud præcipuè tene, quia si radicem non cuulseris, magnum inde peccatum succrescet. Mirabile quiddam atque inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnunquam, non tāto studio magna videri peccata esse cuitanda, quantò parua & vilia. illa enim vt auersemur, ipsa peccati natura efficit: hæc autem hac ipsa re, quia parua sunt, desides reddunt: & dum contemnūtur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere. Vnde citò ex paruis maxima fiunt negligentia nostra. hoc ipsum corporibus quoque accidere videbis. Sic in Iuda maximum proditionis malum exortum est: nisi enim putasset paruum esse pecuniam inopum surripere, in tantam proteruitatem non deuenisset. Iudæi quoque nisi putassent inanis gloriæ delictum minimum esse, vsque ad cædem Christi lapsi non fuissent. Hac via omnia scelera fieri videbis. Nemo enim repentè ad extremam improbitatem insiliit. Habet quippe insitum quendam anima pudorem atque innatum, quem subito calcare atque proiicere nō potest: sed sensim atque paulatim ex negligentia perit. hoc pacto etiam idolorum cultus aditum inuenit, cùm vltra quam oportet, viui ac defuncti nonnulli honorarentur, hoc pacto simulachra & statuæ adoratæ sunt: hoc pacto denique fornicatio, & cætera vitia dominantur. Consideremus autem, si nimium quidam, ac importunè risit, reprehensus à quopiam est: respondet alius, nihil esse id mali. Quid enim est risus, aut quid vnquam ex risu mali sequetur? Orta tamen ex immoderato risu paulisper

Universidad de Deusto
Biblioteca

scurrilitas,à scurrilitate turpiloquium, à turpiloquio operatio turpis profecta est. Cùm alius proximo malediceret,ac conuicia diceret,reprehensusque esset, cõtempsit,dicẽs nihil esse mali huiusmodi verbis vti: sed hinc dissidia & odia nata sunt,inde inimicitiæ capitales,hinc contumeliæ, à contumeliis porrò pulsatio, ac inde cædes plerumque secuta est. Sic à minimis ad maxima gradatim diabolus ducit,& inde ad desperationem detrudit, & hanc viam ptiore non minorem adinuenit. Non enim adeò peccatum vt desperatio perdit. Nam qui deliquit, si seipsum per pœnitentiam excitabit, citò delicti remissionem impetrabit: qui autem desperauit, etiam pœnitentiam spernit, idcirco veniam impetrare non potest, quoniam medicinam pœnitentiæ non imponit. Tertias adhuc addit insidias, quibus religiosos deuotionis habitu ad peccandum impellit. Et quando, inquies,tale aliquid potuit diabolus efficere ? Attende igitur, & disce, vt à laqueis eius possis tibi cauere. Per
1.Cor.7. Ibidem. Paulum Christus præcepit,vxorem à viro non separari, & vt se inuicem non fraudent, nisi ex consensu:sed nõnullæ quasi castitatis ardore accensæ,à viris abierunt,ita
Nota. putãtes magnum quid se facere, ad adulteria viros suos impulerunt.Cogita igitur,quantum mali commiserint, quæ cùm magnos pro castitate labores subierunt, quasi adulterij accusentur, extremáque supplicia daturę sint, quia in profundum proditionis cõiuges præcipitarunt. Alij rursus à carnibus abstinentes, ex laudabili hac abstinentia ad abominationem carnium lapsi sunt,quæ res atrocem eis pœnam præparauit: hoc autem fit,quando aliqui iudicium suum scripturis anteponunt. Sic & ali-
1.Cor.8. & Colos. 2. qui apud Corinthios putarunt perfectionis esse de omnibus indifferenter gustare, de his etiam quæ prohibita sunt: quod non modò perfectionis non erat, verumetiam iniquitatis extremæ,propter hoc & vehemẽter à Paulo corripiuntur. Et nisi corrigãtur, vltimo supplicio dicebat obnoxios esse. Alij rursus religionem esse putant non paruam, capillos capitis nutrire,quod ex prohibitis est, & non paruum dedecus affert. Alij magnum dolorem, & immoderatã tristitiam,quasi vtilem post peccata laudant,atque admirantur. Quod diabolico artificio fieri, Iudas patefecit, qui ex dolore nimio se suspendit,propterea etiam Paulus pro eo qui fornicatus fuit formidauit ne quid tale pateretur : & admonuit
2.Cor.2. has intendi insidias) Ibidem. Corinthios citius eum liberare, ne nimio absorbeatur dolore:deinde ostendens à diabolo † nimiam hanc esse tristitiam] adiecit:Vt non circunueniamur à satana.Nõ enim ignoramus,inquit,excogitationes illius,quia dolos semper & fraudes nouas adinuenire solet. Si enim apertè pugnaret,facilis esset victoria: immo verò nunc, si iugiter vigilamus, non est difficilis. Ad omnes enim has vias armauit nos Deus non esse contemnenda parua consulens. Audi ergo quæ Christus admonet dicẽs:
Sup. 5. Ibidem. Qui dixerit fratri suo,fatue,reus erit gehennæ ignis:&, qui ad concupiscendam mulierem aspexerit, adulter est. Ridentes etiam quasi miseros deflet, & vbique initia & semina peccatorum radicitus tollit: & de ociosos verbo relaturos rationem asserit, & Iob cogitationes filiorum purgabat. Aduersus autem desperãtes,ait:
Sup.12. Iob.1. Hiere.8. An non surgit qui cecidit ? an qui auertit non conuertitur?& rursus : Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Et,hodie si vocem eius audieritis,&c.Et,
Exech.18. Psal. 94. Luc.15. quod lætitia sit in cœlis super vno peccatore pœnitentiam agente. Multáque huiusmodi & documenta & exempla in scriptura inueniũtur. Ne autem religionis nomine perdamur,illud Pauli dicendum iterum,atque tenendum est.Ne nimio dolore,inquit,absorbeatur.Hæc
2.Cor.2. igitur non ignorantes, omnibus diaboli viis,quibus desides peruertit, scripturarum prudentiam opponamus.

A Noli ergo dicere:quid est si formosam curiosè aspexero mulierem? Nam qui corde mœchatus est, is rem ipsam peragere non dubitabit. Noli dicere, quid est si pauperem hunc præteribo ? Hoc enim pacto etiam aliũ transcurres,deinde alium atque alium, ac tandẽ omnes contemnes. Noli dicere, quid est si rem proximi desiderabo ? Hoc enim Achab regem perdidit. Nam quanuis 3.Reg.21
precium dederit, veruntamen quia à nolente accepit, pœnas perluit. Emptor enim non cogere,sed persuadere debet.Quòd si verò æquum precium persoluens,tanto supplicio affectus est,qui nullo precio dato aliena rapit, præsertim cùm gratiæ documentis sit roboratus: quam punitionem non meretur?Quam vt fugiamus, ab
B omni vi & rapina diligenter abstineamus,nec à peccando solummodo, sed ab initiis etiam peccatorum mundos nos conseruantes, magno studio virtutem amplectamur, si ad cœlorum regna proficisci volumus, quò vtinam omnes perueniamus, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi. Amen.

Homil. LXXXVIII. ex cap. XXVII.

TVNC *milites præsidis accipientes Iesum in prætorio,congregauerunt ad eum vniuersam cohortem, & exuentes eum, chlamydem coccineam circundederunt ei.* Quasi omnes ex composito conuenissent,ita signo dato ad choream omnes diabolus concitabat. Nam etsi possumus inuidiæ tabo existimare ad insaniam Iudæos concitatos fuisse,tamen qua de causa moti milites fuerint, non patet. Diabolus igitur erat qui vniuersos tunc illos occupauit: voluptatem etenim ex contumeliis propter immanitatem suam capiebant. Cùm enim oportuisset cõprimi potius atque lachrymari, quod & plebi accidit, non solùm hoc non faciebant, verumetiam è contra & vituperabant,& insultabant, Iudæis forsan gratificãtes, aut prauis suis vtentes moribus.Multis autem,variisque
C modis contumeliabantur. Caput enim illud sanctissimum modò colaphis, modò calamo cædebant, modò corona ex vepribus contexta dedecorabant viri impuri & scelesti. Quam igitur nos excusationem vnquam habebimus,si vituperati ad iram concitamur, qui tot tantáque sustinuisse Christum non ignoramus? Extremas certè ille contumelias sustulit. Quippe cùm non membrum vnum,sed vniuersum corpus atroces has iniurias pateretur: caput corona, calamo pugnis, facies sputis, maxillæ alapis,corpus reliquum flagellis,nuditate,amictu chlamidis,adoratione simulata, manus calamo,quẽ pro sceptro tenere dederunt, os quoque ipsum, & lingua aceti potione ac fellis. Quid istis vnquam grauius? quid contumeliosius excogitari potest?omnem ista excedunt orationem, quæ illi quasi timentes, ne quid relinquerent,crudeliter excogitauerunt,& audacter fecerunt: qui suis manibus prophetas occiderunt, Christũ
D verò (quanuis sententia iudicis,ipsi tamen faciunt vniuersa) ipsi & apud se damnarunt, & apud Pilatum dicentes: *Sanguis eius super nos,& super filios nostros.* Ipsi cõtumeliantur & insultãt, ipsi vinciunt,& modò vinctum ad Pilatum deducunt:ipsi militibus causam præbent ita crudeliter in eum insurgere : ipsi verbis contumeliosis incessunt,ipsi conspuunt,ipsi sugillãt. Nihil horum certè à Pilato factum est, sed omnia illi effecerunt accusatores,iudices,lictores,ministri capitalium rerum:hæc à nobis tunc leguntur,cùm venire omnibus atque audire liceat. Nam ne gentiles dicant præclara nos atque insignia Christi facta apud populum prædicare, opprobria verò & passionem celare : sanctissimi spiritus gratia ita dispensatum est,vt in solennitate maxima, cùm omnes vnà viri atque mulieres adesse possint, iuxta diem Paschæ

chæ omnia hæc perlegantur. Vniuersis ergo præsenti- A hanc repulit opinionem : nihil tamen nec in ipso tempbus,qui volunt, magna hæc voce prædicantur : quibus cognitis, Christus tamen Deus esse omnino creditur. Et cùm propter alia beneficia, quæ nobis contulit,tum propter hæc ex animo adoratur,quia tantum pro nobis condescẽdere dignatus est, vt hæc passus omni nos virtutis genere instituerit. Hæc ergo semper lectitemus, mirificam enim afferunt vtilitatem. Nam perspiciens ipsum verbis & rebus & habitu contemni, atque per illusionem adorari,cædi denique ac omnia pati extrema, etiam si lapis esses, ad mollitudinem ceræ flexus, omnẽ animi tumorẽ deponeres. Sed reliqua quoque audias. Postquam enim deludentes saturati sunt, duxerunt ipsum vt crucifigerent,inquit, & denudato ipso vestes eius ceperunt, & sedentes obseruabant quando expiraret: & vestes eius inter se partiuntur, quod in condemnatis vilibus & abiectis fieri solet, ac omnino destitu-
Marc.5. & 6. tis. Partiuntur ea vestimenta, per quæ miracula facta sunt:sed tunc nihil efficiebant,Christo ineffabilem illo- B rum virtutem cohibente. Adeo autem magnus hic fuit contemptus,quia in abiectum quasi atque omnium vilissimum agebatur, vt in latrones nihil tale gestum fuerit. Medium verò ipsum crucifigunt, vt existimationis latronum particeps fieret. *Et dederunt ei acetum bibere.* Hoc etiam ex contumelia. Ipse autem nolebat bibere.
Psal.68. Alius verò euangelista dicit, quia cùm gustasset, dixit, Consummatum est. Quid est autem, Consummatum est? Adimpleta iam est vndique prophetia : Dederunt in escam meam fel,inquit, & in siti mea potauerunt me aceto. Nec tamen etiam ille eum bibisse ostendit, nihil
& bibere) enim interest inter gustare simpliciter, & non bibere] sed de vno ,ac eodem dicuntur : nec tamen terminatur adhuc illorum insania,sed cùm denudassent, crucifixissent, acetum attulissent, non poterant adhuc animum explere : sed in patibulo pendentem videntes, & ipsi & transeuntes omnes amaris impetunt verbis, quæ & rebus ipsis mihi grauiora videntur.Idcirco enim ita facie- C bant,vt tanquam seductor arrogãs & iactabundus, qui omnia quæ dicebat,ad corrumpendos homines frustra essent,& in conspectu omnium vituperatus decederet: ideo etiam militum manibus, & publico reus iudicio confecto certior videretur. Et tanquam sequens turba etiam lapides fletu suo flexisset, nullo tamen modo atrocissimas illas beluas commouit: propterea turbam quidem allocutione dignam putauit, illos verò minimè.Non enim solum quæ optabant, fecerunt: verumetiam resurrectionem illius formidantes, existimationi ipsius officere studebant:propterea publicè ista iactant, latrones cum eo crucifigunt: & vt seductor ac mendax videretur, Descẽde(clamabant) de cruce, qui templum destruis, & in tribus ipsum diebus reædificans. Nam quoniam scriptam à Pilato causam tollere non potuerunt: quia scriptum erat, Rex Iudæorum : repugnauit enim ille dicens, Quod scripsi scripsi:ideo vituperando nitebantur ostendere,quia rex non esset: ideo tumultu- D mur atrocius. Nec prodest quod ista quotidie lectitentes & illa & ista dicebant : Si rex Israël est, descendat nunc de cruce : & rursus, Alios saluos fecit,seipsum saluare non potest. Ideo etiam signis prioribus hinc detrahere conabantur : & rursus, *Si filius Dei est, & si vult eum saluet nunc eum.* O insani, scelestíque homines : an prophetæ non erant prophetæ, & iusti quos occidistis iusti non erant, quoniam eos Deus à periculis non eripuit ? imò verò erant, etiamsi à vobis iniuria vexabantur. Quid igitur huic amentiæ vestræ æquale excogitari potest ? Nam si existimatis,quòd illorum apud vos propter pericula nomen non periit, sed erant prophetæ, quanuis torquerentur : multò magis non debebatis in hoc scandalizari, qui & rebus semper, & verbis falsam

Nõ derelinquuntur à Deo, qui in periculis succumbunt.

piam vituperauit, sed non talia tu audisti. Verberibus cæsus es,sed non toto corpore, neque sic flagellatus, & denudatus. Alapis te quidam petiit,sed non illo modo. Tu verò etiam adde, à quibus,& cur,& quando,& quis ipse quoque : & quod grauius est,nemo illa facta criminabatur, nemo querebatur, sed è contra probabant omnes,& cædentibus ac deridentibus se coniungebant, & quasi arrogantem quendam seductorem ac deceptorem, qui re verba sua comprobare non posset, sic deridebant. Ille verò ad hæc vniuersa tacebat, maximum nobis longanimitatis præbens exemplum. Nos autem hæc audiẽtes,nec famulos quidem patimur nostros,sed magis quàm sylvestres asini calcitramus atque salimus, crudeles ac inhumani, si quid aduersus nos dictum vel factum sit, nullam verò aut paruam existimationem facientes si hæc in Deum commissa sint. Similiter quoque aduersus amicos afficimur: dolorem quis intulit, ferre non possumus : verbis carpsit, omni belua mouemur atrocius. Nec prodest quod ista quotidie lectitentur : discipulus prodidit,cæteri eum reliquerunt,quibus multa & magna collata beneficia fuerant, hi furore cõcitati in faciem spuebant,pontificis seruus colapho petiit, milites cædebant, qui aderant illudebant, & contumeliis afficiebant,latrones accusabant, nec vllum ad quenquam verbum emisit, sed omnes vicit silentio.Ita opera ista te docent,quanto mitius feres,tantò magis te malefacientem superaturũ, & admirationi apud omnes futurum. Quis enim non mirabitur eum,qui opprimẽtium contumelias æquo animo perfert ? quemadmodũ enim etiam cùm iustè quispiam torquetur, si magno animo patitur, iniustè cruciari multis videtur: sic qui cùm iniuria vexatur,si nõ perfert, iure puniri putabitur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ac deridebitur quasi mãcipium ab ira distractus, & animi nobilitatem furori subiiciens. Nec enim liberum eũ hominem dixerim, etiam si mille seruis dominetur. Sed valde me, inquies, ille irritauit: Quid hoc est? tunc enim maximè oportet philosophari. Nam quando non incitantur, feras quoque mansuetas esse videmus: non enim semper furore ipsas ferri cernimus, sed quando concitantur. Quare si tunc solummodo, quiescimus, quando nemo irritat: in quo beluis præstabimus? Illæ tamen iustè plerunque mouentur, & excusari possunt, quoniam prouocatæ ac punctæ concitantur: præterea rationis expertes, duce natura mouentur: tu verò in ferarum incidens morem, vnde tibi excusationem parabis? Quid enim mali passus es? Rapta sunt abs te tua, at hac ipsa de causa ferre magis oportet, vt maiora lucrari possis. Laude ac gloria priuatus es, & quanti hoc est? minor profectò factus non es, si philosopharis. Si verò nihil mali pateris, cur iraseeris, ei qui non modo tibi nõ nocuit, verumetiam profuit? Nam negligentes honorati, molliores redduntur: diligentes autem, ex derisione & contumelia fortiores efficiuntur. Ita profectò desides laude magis quàm vituperatione leduntur. Nam vituperantes quidem si attendimus, causam nobis præbent philosophandi: laudantes autem animi nostri elationem attollere solent, nósque arrogantia & inani gloria ac mollicie implere: cuius rei patres sunt testes, qui filios non ita laudibus efferunt, vt conuiciis reprimunt, timentes ne aliquam inde mollitiem contrahant: & pædagogi simile quoddam adolescentibus remedium afferunt. Quare si auersari nonnullos decet, adulatores magis, quàm contumeliantes odisse oportet. Maior enim non attendentibus ex adulatione pestis quàm ex vituperatione oriri solet: & facilius est hanc, quàm illam passionẽ superare. Quare qui superat illam, tum mirabilior videtur, tum etiam maiora consequetur præmia. Mirabilius enim profectò est videre hominem qui dum vituperatur non commouetur, quàm hominem qui dum pellitur, & percutitur, non decidat. Sed quo modo, dices, potero non moueri? Vituperando quis te persequitur, crucis signo statim pectus signato, recordare omnium quæ tunc gesta sunt, & confestim omnia extinguuntur: nec quia vituperat te modò aliquis cogita, verumetiam si quid boni vnquam ab illo in te profectum est, diligenter considera, & confestim ad clementiam redigetis. Immo verò ante omnia Deum timeas, idque semper tecum verte, quæ cogitatio citò te modestum ac mansuetum faciet. Præterea à tuis quoque famulis documentum suscipias, considerãque non-nunquam te vituperante illos silere, & hinc intellige nõ esse hanc philosophiam difficilem: hoc modo furorem tuum condemnabis, & in ipso contumeliandi tempore discs non esse contumeliandum, & sic nec ipse contumeliis affectus dolebis. Cogita, quia non est in se qui vituperat, sed insanit, & non molestè feres contumelias eius. Nam & dæmoniaci plerunque nos verberant, nec D solum non mouemur, verumetiam eos deflemus: Ita igitur etiam tu facito, misereat te contumeliantis. Magna enim belua ira scilicet, & furore pernicioso, scilicet dæmone detinetur, solue ipsum qui ab huiusmodi dæmone vexatur, & sic insaniendo breuissimo temporis spacio corrumpitur. Huiusmodi enim hæc ægrotatio est, vt non egeat longo ad perdendum hominem tempore: propterea quidam dicit, Momentum furoris eius casus est ipsi: hoc ipsum videlicet tetrum atque tyrannicum ostendens, quia breuissimo temporis spacio, & sine aliqua ferè mora maximo solet afficere malo. Nam si ad vires eius prolixitas etiam temporis accederet, insuperabilis hæc pœnæ passio esset. Vellem posse ostendere qualis quidem sit qui vituperat, & qualis qui philosophatur, & nudum vtriusque animum in medium ducere: videres enim alterum pelago fluctibus exagitato similem esse, alterum verò tranquillo portui & quiescenti. Non enim à prauis illis flatibus perturbatur, sed ipsos facilè dissoluit. Cùm enim qui vituperant, omnia faciũt vt mordere possint: si ex ista spe decideriint, facilè mitigantur & leniuntur. Non enim videbis hominem ira commotum, qui postea se non magnopere condemnabit, veluti etiam è contra, qui non commotus ira, nunquam hoc factum suum solet cõdemnare. Nam si etiam insurgere opus sit, facilius atque prudentius id absque ira, quàm cum ira facere potes, & ad hoc nullum inde postea capies tædium. Ita si volumus, apud nosipsos facilè bona retinebimus, nihilque nobis per Dei gratiam deerit, quod ad tutelam & laudem nostram pertineat. Sed quæris laudem ab alio: tu igitur teipsum honora, & nemo te dehonestare poterit, si verò tu teipsum dehonestabis, etiam si omnes homines te laudent, nihilominus non honoraberis. Quemadmodum enim nullus malo affectu nos imbuere potest, nisi à nobis ipsis imbuamur: sic nisi nosipsos contumelia afficiamus, nemo alius nos vnquam dedecorabit. Ponamus enim mirabilem quendam atque insignẽ esse virum, quem omnes adulterum, furem, sepulchrorũ euersorem, homicidam, latronémque prædicent: ille verò nec irritetur, nec molestè ferat, nec alicuius huiusmodi rei sibi conscius sit, qua igitur inde vituperatione læditur? nulla profectò. Quid, inquies, si multi malam de ipso habeant opinionem? nulla, inquam, omnino vituperatione ipse læsus est, sed illi se vituperarunt, qui alium quàm decet talem virum existimãt. Dic quæso, si quis Solem tenebrarum autorem existimet: Soline, an sibi detraxit? Sibi videlicet ipsi, cum furiosi & insanientis opinionem consequatur. Eodem profectò modo, qui prauos bonos esse putant, & è contrario, seipsos dedecore afficiunt. Quare C magnum studium, multámque operam adhibeamus, vt conscientia nostra mundata, nullas aduersus nos ansas, nullam malam excitemus suspicionem. si verò alij hoc pacto nobis affectis insaniunt, non admodum moueamur neque doleamus. Nam qui praua multorum opinione, cùm bonus ipse sit, lædi videtur, nunquam profectò inde fiet vt talis non sit qualis est: qui verò frustra & temerè suspicatus est, pestiferum in seipsum morbum attraxit. hoc etiam pacto prauus, si è contrario bonus esse videtur, non modò nihil inde lucratus est, verumetiam & in desidiam incidet non minorem, & maiori cruciatu vexabitur. Nam qui cùm malus sit, malus etiã existimatur, forsan humiliatus delicta sua facilius cognoscet: cùm verò prauitas eius latet, securus degit. Nã si accusantibus vniuersis, vix respiciunt multi atque cõpunguntur: quando excitari poterunt, si non solum reprehendi, verumetiam laudari se à multitudine sciant? Non audis Paulum id accusantem, quia cum qui fornicatus fuerat, nõ solùm cognoscere peccatum suum Corinthij non permiserunt, verumetiam in peiora detrudebant applaudentes, honorantésque ipsum? Quas ob res vehementer rogo atque obsecro, vt suspicionibus & laude ac vituperatione multorum neglectis, diligenter inuigilemus, ac faciamus ne alicuius nobis mali cõscij simus, néve nosipsos dedecore afficiamus: hoc enim modò tam in præsenti, quam in futura vita magnam gloriam consequemur, gloria & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui gloria, &c.

1. Cor. 5.

HOMIL.

HOMIL. LXXXIX. EX CAP. XXVII.

A SEXTA *autem hora tenebræ factæ sunt per vniuersam terram vsque ad nonam horam. Circa autem horam nonam clamauit Iesus voce magna dicens: Eli Eli lamma sabachthani, hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Hoc est illud profectò signum, quod antea pe-
Sup. 12. & Marc. 8. & Luc. 11. tentibus Iudæis daturum se promittebat, dicens: Generatio praua & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Crucem enim, mortem, sepulchrum, atque resurrectionem significabat. Et rursus alio quodam modo virtutem crucis significãdo dicebat. Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc
Ioan. 8. cognoscetis quia ego sum. Tale quippe aliquid dicitur, Cùm me crucifixeritis, ac iam victoriam cõsecutos vos putaueritis, tunc potissimum vires meas cognoscetis. Nam ciuitas eorum post passionem Christi periit, Iudaica cessarunt, disciplina ciuilis & sua libertas euanuit: B prædicatio verò floruit, & ad extremas vsque orbis oras euangelicus sermo peruenit, & terra simul ac maria, frequentata desertáque loca omnipotentiam eius prædicant. hoc igitur dicit, & ea quæ in ipso tempore crucis acciderunt. Quippe mirabilius erat in patibulo crucis pendente ipso, quàm humi gradiente illa fieri. Accidítque etiam, quod de cœlo illud factum est quòd Iudæi petebant, & in vniuerso terrarum orbe, quod nunquam prius acciderat, nisi in Ægypto duntaxat, quando Pascha erant celebraturi. Illa enim hæc figuratè significabant. Tu verò etiã animaduerte, quando tenebræ fiant, in media videlicet die fiunt, vt vniuersi qui terram habitant, videãt: quia dies vbique terrarum tunc erat. Hoc signum non magnitudine solùm miraculi, verumetiam quia opportunè accidit, ad conuertẽdos eos sufficiebat: post omnia enim quæ per insaniam & furorem fecerũt, factum est, quando iam ipse furor cessauit, quando deridendo saturati sunt, quando contumeliando animum C suum explerunt, quando denique omnia à se dicta sunt, quæ volebant: tunc tenebræ apparent, vt saltem tunc ira deposita, nonnihil ab hoc signo consequerentur. Mirabilius erat certè talia efficere, dum esset in cruce, quàm de cruce descendere. Nam siue ab eo hæc facta esse putabant, timere ac credere oportuisset: siue non ab eo, sed à patre, oportebat tamen propterea commoueri atque compungi. Iram enim Dei propter facta ipsorum commotam esse tenebræ illæ significabant. Nam quia eclipsis non erat, sed ira quædam atque molestia: non hinc solùm verumetiam à spacio temporis patuit. Per tres enim horas tenebræ permanserunt, cùm tamen breuissimo quodam tempore eclipsis accidere soleat, quod non ignorant qui viderunt, facta enim etiam fuit memoria nostra. Sed quomodo, inquies, omnes mirati homines adeo non sunt, vt Deum ipsum putarent? Quia videlicet humanum genus magna desidia, & proteruitate tunc tenebatur: præterea vnum hoc duntaxat fuit D miraculum, quod factum citò præteriit, adeò vt nemini cura fuerit causam eius inquirere. Ad hæc longa impietatis consuetudine homines deprauati fuerunt, & causam ignorantes, putabant fortasse naturali quadam id eclipsi accidisse. Cur autem miraris de aliis qui nec sciebant quicquam, & segnitie deiecti non quæsierũt? cùm etiam illi qui in Iudæa viuebant, post tot tantáque miracula aduersus eum insurgerent, quanuis planum fuerit ab ipso illud gestum fuisse. Propterea enim in fine clamat tenebrarum, vt intelligerent adhuc ipsum viuere, & ab eo tenebras factas fuisse, vt meliores hac ratione fierent. Dicit enim: *Eli Eli lamma sabachthani.* vt vsque ad extremum spiritum honorati ab eo patrem & A non esse illi aduersarium discerent. Quapropter & propheticam vocem emisit, veterem approbando scripturam, & Hebraicè dixit, vt probè eiusdem ipsum esse cũ patre voluntatis perciperent. Tu autem etiam hoc loco vecordiam illorum, & petulantiam perspice. *Putauerunt enim*, inquit, *Heliam ab eo vocari: & aceto illico ipsum potauerunt.* * *Alius autem accedens, lancea latus eius aperuit.* Quid his omnibus iniquius vnquam excogitari potest, qui eò impietatis deuenerunt, vt mortuum iam corpus vexarent? Tu verò considera, quomodo ad nostram salutem proteruitate illorum vtitur. Hoc enim vulnere facto, salutis nostræ fontes illinc emanarũt, *Iesus autẽ clamans magna voce emisit spiritum.* Hoc est istud quod dixerat: Potestatem habeo ponere animam meam, & po-
Ioan. 10. testatem habeo rursus sumere eam. Idcirco enim magna voce clamauit, vt ostendat sua hæc potestate fieri. Marcus autem dicit, miratum fuisse Pilatum si iam mor-
Marc. 15. tuus erat. Sed centurio quoque ideo maximè credidit, quia sua ipsum sponte & potestate mortuum perspexit. B Hæc vox velum templi scidit, monumenta aperuit, & templum ipsum in desolationem redegit: quod fecit, non quia templum contemneret: quomodo enim illud despiceret, qui dicebat. Nolite facere domũ patris mei
Ioan. 2. negociationis domum? sed sicut etiam qui Babyloniis illud tradidit, indignos ostendit illos esse, qui in eo cõuersarentur: propterea prophetia quædam hoc erat futuræ citò ac perpetuæ desolationis, & mutationis rerum ad maiora atque sublimiora, & ineffabilis suæ signum virtutis. Sed ad hæc omnia resurrectio quoque mortuorum secuta, omnipotentiam eius ostendit. Helisæi enim tempore, cum mortuus vnum mortuum tetigisset, 4. Reg. 13. surrexit: nunc autem corpore in patibulo pendente, vox sola mortuos excitauit. Huius enim illa figura fuit, quoniam ideo factũ est, vt hoc facilius crederetur. Nec mortui solùm excitantur, verumetiam lapides scinduntur, & terra concutitur, vt hinc percipi posset, illos quoC que facilè dirumpere potuisse. Nam qui lapides scidit, qui terrarum orbem tenebris obduxit, multò magis illos si voluisset, perdere potuisset: verum noluit, sed vires suas in elementis ostendens, illos ex clementia saluare volebat: sed non fuerunt illi remissiores. Talis quippe proteruitas inuidiæ est, vt non facilè terminetur: sed tũc quidem vel aduersus ea quæ mirificè fiebant, impudentissimè resistebant: posteà verò cum obsignato monumento, & caterua militum custodiente surrexit, ac ab ipsis custodibus cùm surrexisse ipsum audirent, non dubitarunt argento illos corrumpere, vt resurrectionem Christi obfuscarent. Noli ergo mirari si tunc etiam iniquè & ingratè agerent, cùm semel ad omnia ex impudentia perperam agenda præparati essent. Sed illud diligenter considera, qualia signa nunc fecit, alia è cœlo, alia in terra, alia in ipso templo, tum vt diuina eius indignatio cognosceretur, tum vt ostenderet quod accessibilia deinceps essent illa, quæ antè abdita fuerunt penetralia, & quod cœli hominibus aperientur, & res ad vera sancta sanctorum deriuabitur. Et illi quidem dicebant, Si rex Israël est, descendat de cruce: ipse verò totius se orbis regem ostendit. Illi dicebant, Vah qui
Marc. 15. dissoluis templum hoc, & in tribus restituis diebus, ipse autem quomodo penitus desolabitur significauit. Illi, alios saluauit, seipsum saluare non potest: ipse verò pendens de cruce, in seruorum corporibus abundantissimè illud ostendit. Nam si magnum est Lazarum excitasse,
Ioan. 11. multò maius profectò est multos iam olim mortuos in vitam reduxisse: quod resurrectionis futuræ signũ fuit. Multa enim corpora sanctorum qui dormierant erecta, in sanctam introierunt ciuitatem, & multis apparuerũt. Ne enim imaginatio solum & visio esse putaretur id

* Hæc suo loco posita esse nõ videntur, quæ habetur Ioan. 19.

Universidad de Deusto Biblioteca

quod fiebat, multis etiam apparuerunt in ciuitate. Sed centurio quoque tunc gloriam reddidit Deo, dicens:

Luc. 23.

Verè iste homo iustus erat. Turbæ denique quæ ad videndum exierant, pulsantes pectora sua reuertebantur. Tanta crucifixi virtus apparuit, vt post illas contumelias, post vituperationem & cædem, tam Cẽturio quàm populus compuncti fuerint. Quidam autem dicunt hũc Centurionem in fide postea roboratum adeò fuisse, vt etiam martyrio sit coronatus. *Erant autem illic mulieres multæ à longè videntes, quæ secutæ fuerant Iesum à Galilæa ministrantes ei. Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Iose mater, & mater filiorum Zebedæi.* Hæc mulieres illæ facta videntes, quia natura magis compatiuntur, summoperè flebant. Diligenter autem considera, quanta illarum constantia est. Sequebantur ipsum ministrãtes ei vsque ad pericula, præsentes omnia speculatæ fuerunt, quo modo clamauit, quo modo expirauit, quo modo lapides scissi sunt, cętera denique omnia. Quare primę quoque ipsum cùm surrexisset, viderunt: & sexus qui maximè fuit condemnatus, primus bonorum contemplatione perfruitur: quod maximè fortitudinem illarum significauit. Discipuli enim fugerunt, illæ permanent.

sic Euthymius quosdam sentire ait quos tamen reprehẽdit. Luc. 23.

Quænam autem erant? † mater eius (hanc enim Iacobi appellat) & cæteræ. Alius autem euangelista dicit, quia multi etiam se propter hæc facta cædebãt, & pectus percutiebant: quod summoperè Iudæorum ante oculos ponit crudelitatem, quibus enim cæteri flebant amarè, his illi gloriabantur. Nam & si magnæ iræ Dei, immo verò furoris ea signa forent tenebræ scilicet, dirupti lapides, rescissum velum, motus terræ, nec timore tamen vllo repressi, nec misericordia flexi sunt. *Accessit autem & Ioseph, & petiit Christi corpus.* Hic erat Ioseph, qui quãuis prius occultabatur, rem tamen post mortem Christi subiit arduam. Non enim ignobilis quidam erat neque ignotus, sed ex consilio vnus atque insignis: vnde fortitudo eius maxima admiranda est, cùm propter amorem Iesu periculum mortis susceperit, & vniuersorum se odio tradiderit: exanime quippe corpus petere ausus, non ante destitit quàm impetrauit. Nec solum animum eius quia petiit, & non paruo impendio sepulchro tradidit, sed quia in nouó atque suo sepeliuit monumento, cognoscimus: quæ res non temerè accidit, sed diuinitus fuit dispensata, ne alium, non Christum surrexisse suspicio fieret? *Erant autem Maria Magdalena, & altera Maria contra sepulchrum sedentes.* Cuius rei gratia istæ assident? Nihil magnum, aut sublime, vt oportebat de ipso cogitabant. Ideo & vnguenta tulerunt, & diutius morabantur, vt simul ac per furorem Iudæorum liceret, ad vngendum ipsum accurrerent. Vides mulierum fortitudinem? vides pium erga ipsum amorem? vides liberalitatem in pecuniis? vides animum vel mortis pericula contemnentem? Imitemur has mulieres nos viri, nec deseramus in tentationibus Dominum: illæ certè vel in mortuum tantam pecuniam ediderunt, vitæ pericula non formidantes. Nos autem, eadem enim mihi dicenda sæpius sunt, nec famescentem quidem alere, nec nudum induere volumus: sed cùm mendicare ipsum videamus, sponte præterimus. Et si certè ipsum Christum nunc videretis, nõ dubitaret vnusquisque vestrum vniuersam substantiam erogare: verum nunc teruncium nõ erogas. Attamen nunc idem ipse est. ipse enim se esse dixit. Quare igitur tua non erogas? Non audis dicentem,

Sup. 25.

Quod vni ex minimis meis facis, mihi facis? Nihil nempe interest, siue huic pauperi, siue ipsi Christo dederis. Nihil enim minus habes his mulieribus, quæ tunc Christum alebant, immo verò, sed nemo his verbis turbetur, multo etiam maius. Non enim est æquale ipsum dominum præsentem alere, cuius præsentia vel lapideũ

A ad se animum attraheret, & propter eius verba duntaxat pauperes, mendicos, ægrotos alere atque curare. Quippe tunc etiam ipsa facies & dignitas præsentis, eius quod geritur, vnà tecum est particeps, hîc verò integrum ac totum tuum est liberalitatis huius & humanitatis brabium. Accedit, quod maioris erga Christum reuerentiæ signum est, quando propter eius verba solùm, conseruum tuum in omnibus pascis atque curas.* Cura igitur pauperes ac refocilla, ei credens qui accipit & dicit, mihi das. nisi enim ipsi dares, nequaquam te regno cœlorum dignaretur: nec contrà, nisi ipsum auersareris, nequaquam te in gehennam mitteret, si videlicet plebeium aliquem & triuialem neglexisses. Sed quandoquidem ipse Christus est qui contemnitur, ingens propterea crimen est: sic & Paulus ipsum persequebatur, quum ipsius discipulos persequeretur: ac propterea dicebat, quid me persequeris? Quando itaque pauperi quidquam largimur, sic affecti simus perinde ac si ipsi

* Sequẽtia ex vetust. Græcis Regiæ bibliothecæ codicibus nunc primum latinitate donata sunt anno 1554.

B Christo largiremur. ipsius enim verbis potius quàm nostris oculis fides est adhibenda. Quum igitur pauperem videris, tunc verborum illorum recorderis, quibus se eum esse qui alatur declarat. Nam etsi id quod oculis nostris subiectum est, non sit Christus, sub huius tamen habitu & figura ipse accipit & mendicat. Sed erubescis quum audias Christum mendicare. Erubesce potius cũ mendicãti nihil largiaris. Istud pudorem, istud pœnam & supplicium meretur. Nam quod ipse mendicet, ab ipsius prouenit bonitate: atque propter hoc ipsum nos gloriari conuenit: si verò nihil dederis, tuæ fuerit crudelitatis. Quod si autem nunc non credis te Christum prætermittere cum pauperem fidelem prætermittis, tũc credes profectò quando te in medium producet ac dicet, quatenus non fecistis minimis istis, nec mihi fecistis. Absit autem vt nos istud ita discamus: sed nunc potius credentes ac fructificãtes tunc beatissimmam illam vocem audire contingat, quæ nos in regnum cœlorum

C introducat. Sed dicet fortasse quispiam, Quotidie nobis de eleemosyna & misericordia disseris: meritò equidem istud facio, nec vnquam de his verba facere desinam. Nam etiam si à vobis id quod requiro perfectum esset, certè ne tum quidem me desistere oporteret, ne vos negligentiores efficerem. Attamen si perfectum & absolutum esset, nonnihil remitterem: si verò nondum vel ad medium peruenistis, ne ista mihi, sed vobisipsis obiiciatis. Quum enim quereris, perinde facis atque si puerulus cum elementum alpha frequenter nominari audiret, nec tamen disceret, de præceptore quereretur quod illius subinde ac assiduè ipsum commonefaceret. Quis enim vestrum per hosce sermones ad eleemosynã factus est promptior? quis pecunias proiecit? quis facultatum suarum partem dimidiam, quis tertiã? nullus. Quomodo igitur non absurdum fuerit, quum vos non didiceritis, si postuletis vt nos à docendo desistamus? contrà potius factum oportuit: & si nos desistere velle-

D mus, vos deberetis nos retinere ac dicere, nondum ista didicimus, & quomodo suggerere desistitis? Quod si cui fortè doleret oculus, ego autem medicus essem: deinde cùm cataplasma imposuissem ac illiniuissem, atque curam aliam adhibuissem, nec admodum profuissem, túncque desisterem, an non ad officinæ fores accederet ac clamaret de multa expostulans negligẽtia, quòd manente morbo ego secessissem? & si accusatus ad ista responderem: cataplasma imposui, illiniui: an ipse his cõtentus acquiesceret? Nequaquam, sed protinus diceret: ecquænam inde vtilitas cùm adhuc male habeam? Hoc etiam in anima expende & agita. Quid verò si manum torpore correptam & cõtractam frequenter explorans & contrectans mollire nequiuissem, an non idem audiuissem?

uissem? Etiam nũc manum contractam & arefactã irrigamus, & propterea non desistemus donec ipsam perfectè extendamus. Vtinam & vos de nullo alio colloquamini, tum domi, tum in foro, tum in mensa, tum noctu etiam in somnis: si enim interdiu de his semper soliciti fuerimus, etiam per somnium in his versabimur. Quid ais, quererísne quod de eleemosyna semper disseram? Vellẽ & ipse huiusmodi consilio & exhortatione apud vos nihil opus esse, sed de suscipiendo potius certamine aduersus Iudęos & Gẽtiles atque hæreticos. Sed quis nondum sanatos ritè armare poterit? quomodo in aciem & conflictum educere valebit eos qui plagis & vulneribus impediuntur? nam si vos bene valentes cõspexissem, in illam vos aciem produxissem: & per Dei gratiã quàm plurimos videretis confici & prosterni, illorúmque capita in cumulũ colligi. In aliis itaq; libris multa de his verba fecimus: sed ne sic quidem planè ob partam victoriam possumus per multorũ negligentiam festos dies agere. Quum enim illos sæpissimè

B dogmatibus vicerimus, improbam multorum vitam nobis obiiciunt, eorum qui nobiscum viuunt vulnera, animi videlicet morbos proferunt. Quomodo igitur vos de vobisipsis præsumentes in acie repræsentabimus, quum nobis etiam officiatis protinus ab hostibus prostrati & suggillati? vni enim cuipiã manus dolet & ad distributionem contracta est. quomodo igitur talis clypeum tenere poterit, ac se tueri ne crudelitatis dicteriis vulneretur? Alij verò claudicant, quicunque ad theatralia spectacula ascendunt, aut ad meretricum hospicia. quomodo igitur isti in acie stare poterũt, ac non intemperantiæ criminibus deiici? Alius ex oculis laborat, nec syncerè sed deprauatis intuetur oculis, ac lasciuiæ plenis, mulierumq; pudicitiã inuadit, & nuptias perfodit. quomodo igitur poterit iste in hostes respicere, hastãque contorquere ac iaculum emittere, cùm vndique dicteriis pungatur? Licet etiam plerosque cernere à ventre grauiter laborantes, nec minus quam hydropici, cùm ab ingluuie atque ebrietate opprimuntur. Quomodo ergo ebrios istos ad bellum educere potero? Alteri os ipsum computruit, cuiusmodi sunt iracundi, maledici & blasphemi. Quomodo igitur iste vnquam in bello iubilabit, ac facinus ingens atque generosum patrabit, cùm & iste alia sit ebrietate ebrius, & hostibus planè ridiculus? Propterea hunc quotidie exercitum circumeo, vulnera ista curaturus, & vlcera emendaturus. Quod si tandem resipueritis atque idonei afficiamini, qui alios etiam deiicere valeatis, ista quoque vos docebo militaria, atque instruam quomodo hæc tractare arma conueniat. vel potius opera ipsa vobis erunt arma, & protinus omnes succumbent, si misericordes, si mites, si mansueti, si patientes ac malorum tolerantes fueritis, si aliam quanuis exercueritis virtutem. Si verò aliqui repugnauerint, tunc etiam nostra adiungemus, vos in medium proferentes. Nam nunc quidem quantum ad vos attinet, in hoc etiam

D cursu impedimur. Istud verò sic habeto, dicimus quod excellentia nobis præstiterit Christus, qui ex hominibus angelos effecerit. Deinde verò quum administrationis nostræ ratio à nobis exigitur, iubemurque ex hoc grege specimen aliquod exhibere, obmutescimus. vereor enim ne pro angelis, veluti ex hara porcos eduxero, aut equos insano fœminarum amore detentos.

Homines qui Dei beneficio ad angelorũ instar esse posset, suo vitio in porcos degeneratunt,

Noui equidem ista vobis esse molesta, sed non in vos omnes ista dicuntur, verum in eos tantum qui his sunt obnoxij: vel potius ne aduersus illos quidem, si attenti fuerint, sed pro ipsis. Nam vt nunc res habent, omnia pessum abierunt, & corrupta sunt: Ecclesia à boum stabulo nihil differt, aut camelorum atque asino-

A rum cubili: & cùm circumeo ouem requirens, nullam cernere queo. Adeò calcitrant omnes, non aliter quàm equi aut agrestes asini: & stercore hîc multo omnia cõplent. talia enim sunt illorum colloquia. Et si liceret quæ per singulas congregationes tum à viris tum à mulieribus dicuntur colligere, videretis vtique verba stercore illo sordidiora. Propterea vos obsecro vt prauam hanc consuetudinem mutetis, vt suaue fragrans vnguentum Ecclesia redoleat. Nunc verò sensilia quidem in ipsa reponimus thymiamata, spiritualem vero impuritatem vt abiiciamus & purgemus, non admodum sumus soliciti. Quænam igitur illinc vtilitas? non enim vsque adeò Ecclesiam dehonestamus stercus in eam inferentes, quàm illam dehonestamus talia inter nos alter ad alterum proferentes de lucris, de mercatura, de cauponatione, de his quæ nihil ad nos pertinent: cùm hîc angelorum esse choros deceret, ac cœlum nos ex Ecclesia facere, nec aliud cernere præter

B intentas orationes ac silentium cum diligenti auscultatione. Hoc itaque saltem post-hac faciamus, vt & vitam nostram expurgemus, & futura bona consequamur in Christo Iesu domino nostro, cui gloria in sæcula. Amen.

Quæ sequuntur prædictorum loco fuerant supposita, quæ licet in Græcis non habeantur, hîc tamen addidimus ne quis hîc quidpiam detractum queratur. post verba illa, Pascis atque curas, habebatur.

* Quid igitur nosipsos deserentes, in illa studium omne consumimus, quæ migrantes habere non possumus, & frequenter nec hîc manentes retinere, cum ita locupletari liceat, vt non tantum hîc, verùm & illic ditissimi videamur? Qui nanq; loca, domos, & aurum in anima circunfert, vbicunque visus fuerit, cum his videtur diuitiis. At inquies, Quomodo potest hoc fieri? Potest & cum maiori facilitate. Nam si in cœlum ea transtuleris per pauperum manus, in anima tua reposueris o-

Hæc in Græcis hîc nõ habetur, sed alia quædam ẽ homiliæ itẽ duæ hactenus desideratæ.

C mnia, & licet iam mors ingruat, illis te nemo priuabit, sed transibis & illic locuples. Talem habebat & Tabitha thesaurum.

Act. 9.

Propterea non domus eam prędicabat, neque parietes, neque lapides, neque columnæ, sed induta viduarum corpora, & manantes lachrymæ, & fugitiua mors, vitaq; reflorescẽs. Talia nobis quoq; comparemus horrea, tales domos ædificemus, & ita Deum habebimus cooperatorẽ, & ipsi eius cooperatores erimus. Ipse nanq; pauperes, cùm non essent produxit: tu verò productos & factos, fame, & reliquis ærumnis tabescere non sinis, subueniens, corrigens vndique Dei templum labens: cui quid vnquam æquale fuerit & ad vtilitatis & dignitatis rationem? Si verò nõdum apertè didicisti, quali te decorauit ornamento, paupertatem subleuare iubens: illud intra te computa, si tibi talẽ dedisset potestatem, vt labẽs cœlum sustinere posses, nónne per id opus honorãdo te multò maiorem existimasset? En igitur maiori te dignũ fecit honore. Quod enim

D cœlis est dignius, hoc tibi refouẽdum commisit. Apud Deum enim visibiliũ nihil homini par. Nam & cœlum & terram & mare propter eum fecit, & in eo magis quàm in cœlo delectatur inhabitans. Et tamen nos & hæc scientes, nullam Dei templorum curam gerimus, aut prouidentiam: sed eos neglectum iri sinentes, nobis magnas & splendidas domos paramus. Et ideo cunctis priuati sumus bonis, & valde pauperibus pauperiores: quoniam has ornamus ædes, quas hinc migrantes asportare non possumus, & illas omittimus, quas nobiscum possumus simul ducere: dissoluta nanque pauperum corpora omnino resurgent: & his productis, qui hæc imperauit Deus, eos qui curam ipsorum gesserint, laudabit, & admirabiles reddet: quod eos iam

Universidad de Deusto
Biblioteca

casuros nunc quidem præ fame, nunc verò præ nuditate & gelu, omnibus modis refocillarunt. Veruntamen & tot nobis laudibus propositis, adhuc cessamus, & ad hãc pulchram torpemus curam. Et Christus quidem non habet vbi caput suũ reclinet, sed circumit peregrinus, & nudus, & esuriens: tu verò suburbana, thermas, & porticus, innumerósque paras thalamos incassum & frustra: at Christo nec exiguum communicas tectum, coruis autem & miluis fastigia exornas. Quid hac peius stupiditate? Quid hac insania grauius? Insania siquidem hæc sunt extrema. Quin potius quicquid aliquis dixerit, dignum protulerit nihil. Veruntamen si volumus, ægritudinem, licet grauem, repellere possumus. Nec solùm fieri potest, sed & facilè. Nec facilè simpliciter, verùm & multò facilius ab hac peste liberari, quàm à corporalibus morbis, quantò maior est & medicus. Eum igitur alliciamus, & vt adiuuet rogemus, & à nobisipsis debita conferamus, voluntatem dico, & promptitudinem: nihil enim aliud exigit. sed si hæc accipiat solum, à seipso cuncta depromet. Impendamus itaque nostra, vt & hîc puram assequamur sanitatem, & ad futura perueniamus bona, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri simul & sancto Spiritui gloria, imperiũ, honor, & adoratio nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Luc. 9.

A

B

C

D

HOMILIA XC. EX CAP. XXVII. ET XXVIII.

POSTERA *autem die quæ est post parasceuen, conuenerunt principes sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine recordati sumus, quòd impostor ille dixerit adhuc viuẽs, post tres dies resurgo: Iube ergo muniri sepulchrum vsque in diem tertium, ne forte veniant discipuli eius * noctu, & furẽtur eum: & dicant plebi, surrexit à mortuis, & erit nouissimus error peior priore.* Vbique error & impostura seipsam confodit, & veritati nolens suffragatur. Expende itaque. Credi oportuit illum mortuum esse, & sepultum esse atque resurrexisse: quæ quidem omnia per inimicos explorata redduntur. Verba igitur ipsa quæ omnia hæc confirmant, expẽde. Recordati sumus, inquiunt, quod impostor ille dixerat adhuc viuens, mortuus est igitur: post tres dies resurgo. Iube ergo muniri sepulchrum, sepultus est igitur: ne forte veniãt discipuli eius & furentur eum: si itaque sepulchrum munitum est & obsignatum, interueniétne fraus aliqua aut dolus? Minimè verò: certa igitur resurrectionis demonstratio per ea quæ vos ipsi procurastis reddita est. Si enim obsignatum fuit sepulchrum, fraudi & dolo nullus locus relinquebatur: quod si nulla fraus admissa fuerit, sepulchrũ verò repertum est vacuum, perspicuum quòd proculdubio & citra cõtrouersiam resurrexerit. Vides qui vel inuiti veritatis adiuuent demonstrationem? Tu autem expende quàm sint veritatis amantes discipuli, quomodo nihil eorum quæ ab aduersariis dicebantur, occultant, etiam si illa probrosissima essent. ecce enim impostorem vocant, nec illud tacent isti. Ista verò illorum etiam declarãt crudelitatem, quòd per mortẽ illam non laxarint ac remiserint: atq; istorum mores simplices ac veritatis studiosos. Æquum autem fuerit illud etiam inquirere, vbínam Iudæis dixerit, post tres dies resurgo. Discipulis enim frequenter se tertio die resurrecturum dixit. Iudæis verò non facilè quis inueniat sic apertè dictum, præterquam in Ionæ exemplo. Intellexerant itaque ea quæ dicebantur, & sua sponte malignè agebant. Quid igitur Pilatus? *Habetis custodiam munite sicut scitis. & muniuerunt, obsignantes sepulchrum cum custodibus.* Non permittit vt milites * soli obsignent: tanquam enim de rebus ipsius edoctus, ipsis amplius cooperari non vult, sed pro illorum excusatione istud etiam admittit &, dicit, vos vt vultis obsignare, ne in alios culpam reiicere possitis. Si enim soli milites obsignassent, dicere potuissent (etiamsi illorum dicta falsa fuissent & incredibilia) attamen sicut in aliis impudenter agebant, ita hîc vtique dixissent, quòd milites facta discipulis potestate corpus ipsum clam auferendi, ansam ipsis præbuissent hunc de resurrectione sermonem effingendi: nunc verò cùm ipsi muniuerint, istud dicere non possunt. Viden' quomodo vel inuiti operam veritati nauarunt? Siquidem ipsi adierunt, ipsi petierunt, ipsi obsignauerunt adhibitis custodibus, ita vt se mutuo reprehendant & accusent. Cæterum quandónam corpus furati sunt? Sabbatóne? & qui hoc fieri potuit? non enim licebat accedere: quòd si Legem etiam contemnerent, quomodo illi vsqueadeo timidi ausi fuissent accedere? & quánam tandem ratione plebi potuissent persuadere? quid dicerent, quid facerent: quali verò fiducia pro mortuo stare auderent, quam expectarent retributionem, aut compensationem? viuentem adhuc & solummodo comprehensum videntes aufugerunt: & post mortem, si non resurrexisset, erántne audacter pro ipso locuturi? & quínam ista verisimilia essent? Quòd enim noluissent, neque potuissent eam quæ facta non esset resurrectionem fingere, illinc manifestum est. Multa enim de resurrectione verba fecerat, & assiduè inculcabat, adeò vt hi ipsi dixerint, post tres dies resurgo. Si igitur non resurrexisset, planum est quod isti decepti, & à tota gente propter ipsum oppugnati, atque è domibus & ciuitatibus deturbati eum auersati fuissent, ac nequaquam talem ipsi gloriam attribuere voluissent, tanquam decepti, & in extrema propter ipsum adducti pericula. Quod autem nisi vera fuisset resurrectio, neq; eam effingere potuissent, comprobatione nil opus est. Qua enim re freti istud ausi fuissent? sermonísne acrimonia & dicendi vehementia? atqui omnium erant imperitissimi: pecuniarúmne abundantia? atqui neque baculum neque calceamenta habebant: generísne claritate? atqui viles erant atque è vilibus orti parẽtibus: patriæne splẽdore? atqui è regionibus erant obscuris: suáne multitudine? atqui plures non erant quàm vndecim, & illi quidem dispersi: promissionibúsne magistri? quibus? si enim nõ resurrexerit, nihil illæ firmitatis aut ponderis apud ipsos habere poterant. Quomodo autem furentem populum sustinuissent? Si enim ipsorum vertex & princeps mulieris ostiariæ verbum non sustinuit, & reliqui omnes eum vinctum conspicati dispersi sunt, quomodo cogitassent se ad extremas orbis partes percursuros, & efficturn resurrectionis sermonem plantaturos? Si enim ille ad mulieris minas non substitit, alij verò neque ad plebis aspectum, quomodo tandem aduersus reges & principes ac populos subsistere potuissent vbi tormenta, gladij, ignes, & mille per singulos dies mortes, nisi eius qui resurrexisset auxilio confirmati fuissent? Tot tantaque miracula facta fuerant, sed Iudæi nihi horum reueriti, illum qui illa fecerat crucifixerũt, & istíne simpliciter de resurrectione verba facientibus erant crediturí? Haud ita res habet, haud, inquam, ita se res habet: sed eius qui resurrexit robur & potentia hæc effecit. Expende autẽ quæso ridiculam istorum malitiã. recordati enim sumus, inquiũt, quòd impostor ille adhuc viuens dixerit, post tres dies resurgo. At si impostor erat, & vana iactabat, quid metuitis & circumcurritis: cur adeò estis soliciti, tantúmque impenditis studij? metuimus, inquiunt, nequando discipuli furentur ipsum, & plebem decipiãt. Atqui demonstratum est istud rationi nullo modo consentaneum esse. Attamen malitia quæ contentiosa est ac impudens, stulta & incõsiderata aggreditur, & ad tres vsque dies iubent muniri sepulchrũ, tanquam pro dogmatibus decertantes: ac cupientes ostendere etiam antea impostorẽ fuisse, ad sepulchrum vsque maliciam etiam extendunt & producunt. Propterea vtique citius resurrexit; ne dicant quod mentitus sit, ac furto sublatus fuerit. citius enim resurrexisse criminationi non erat obnoxium, serius verò, plenum fuisset suspicionis. Nam nisi tunc resurrexisset, sedentibus ipsis ac manentibus illic & custodientibus, sed ipsis digressis post diem tertium, potuissent aliquid dicere & contradicere, quanuis insipienter. Propterea igitur prẽuenit. Oportebat enim resurrectionem fieri assidẽtibus ipsis & custodientibus. Itaque etiam intra tres dies fieri oportebat. Nam si facta fuisset posteaquã dies illi præteriissent & custodes secessissent, res futura erat suspecta. Ideo permisit, vt quemadmodum volebant obsignarent & milites assiderent. Nec ipsi ista facientes ac patrantes sabbati vllam rationem habuerunt: sed ad illud vnum spectabant, vt suam ipsorum explerent malitiam, tanquam hac ratione superiores futuri, quod extremæ erat stultitiæ ac timoris ipsos vehementer iam concutientis. Qui enim viuentem comprehenderant, mortuum verẽtur. Atqui si purus aliquis ac simplex homo erat, fidedenti esse animo oportuit. sed vt discant quod dum viueret sua spũte ac volens pateretur quęcũque patiebatur, an & sigillũ, & lapis, & custodes, nec tamen ipsum retinere potuerũt. sed id vnũ efficitur, quòd sepultura publicetur, & resurrectio inde credatur. Nam & milites assidebant, & Iudæi assistebant. *Vespera autem sabbatorum quæ lucescit in vnam sabbatorum, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum, & ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo: & accedens reuoluit lapidem ab ostio monumenti, & sedebat super eum. erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius candidum sicut nix.* Post resurrectionem venit Angelus. Qua igitur de causa venit Angelus, & abstulit lapidem: Propter mulieres: ipsæ enim eum viderant in sepulchro. Vt igitur eum resurrexisse credant, vident sepulchrum corpore vacuum. Ideo lapidem abstulit, ideo etiam terræmotus factus est, vt surgerent & à somno excitarentur: venerant enim vt corpus vngerent, ac noctu ista fiebant, & verisimile erat quasdam etiam obdormiuisse. Sed cur & quamobrem ait, *nolite timere vos?* Prius metu eas liberat: ac tunc de resurrectione disserit. quum autem ait, vos, multum id præ se fert honoris: & simul declarat eos qui summa audacia facinus illud ausi fuerant patrare, nisi respuerint, extrema passuros esse. Non enim vestrum est, inquit, metuere, sed illorum qui crucifixerunt. metu itaque sublato tum per ea quæ dixit, suo ipso etiam aspectu (hilarem enim vultum ostentabat, vtpote qui talia tanquam læta adferret nuncia) subiunxit dicens, *Scio quòd Iesum crucifixum quæritis.* Nec crucifixum vocare erubescit. Hoc enim caput est & summa bonorum. *surrexit*, vnde id patet? *sicut dixit*: Itaque etiamsi mihi diffidatis, verborum illius memineritis, & mihi non diffidetis. Deinde & alia demonstratio. *Venite & videte locum vbi positus erat Dominus.* Propterea lapidem amouerat, vt ipsæ etiam hinc argumentum sumerent: *& dicite discipulis. Ipsum in Galilæa videbitis.* Aliis etiam annunciare efficit, quod maximè ipsas credere facit. Et benè dixit in Galilæa, à molestiis & periculis liberans, ne metus fidem perturbet. *Et exierunt de monumento cum timore & gaudio.* Quamobrem tandem? Rem stupendam viderant & admirandam, sepulchrum vacuum in quo prius Dominum positum fuisse viderant. propterea ipsas angelus ad spectandum adduxit, vt vtriusque testes essent, & sepulchri, & resurrectionis, secum enim reputabant quod nemo ipsum sustulisset, tam multis assidentibus militibus, nisi seipsum suscitasset. Propterea & gaudent & admirantur: & tantæ perseuerantiæ retributionem accipiunt, vt primæ videant & annuncient, non dicta solùm, sed visa etiam. Cùm igitur exiuissent cum timore & gaudio, *Et ecce Iesus occurrit illis dicens, Auete. illæ autem tenuerunt pedes eius.* Et postquam immensa cum lætitia ad eũm accurrissent, per tactum, resurrectionis documentum & certitudinem acceperunt, *Atque adorauerunt ipsum.* Quid igitur ipse? *Nolite timere.* Rursus etiam ipse timorem amouet, ipsi fidei viam præparans: sed, *ite ac renunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, & ibi me videbunt.* Considera quomodo etiam ipse per eas discipulis annunciat, genus, quod maxima fuerat contumelia notatum, ad honorem, vt sæpe dixi, & spem meliorem reuocans, & labefactatum curans. Aliquis vestrum cuperet fortasse ad celebrium illarum mulierum instar esse, atque pedes Iesu amplecti posse: Potestis etiamnum quicunque vultis, non solum pedes & manus, sed sacrum etiam caput illud amplecti, si pura conscientia horrendorum & admirandorum mysteriorum fueritis participes. Neque verò hîc tantùm, sed & in illa die videbitis illum cum ineffabili gloria & angelorum multitudine venientem, si misericordes esse volueritis, & audietis non ista tantum verba, auete, sed etiam illa, Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione Mundi. Estote igitur humani & misericordes, vt ea ab ipso audiatis. Et vos quæ aurum gestatis mulieres, quæ mulierum istarum cursum contemplatæ estis, sero saltem aliquando morbum istum auersemini, quo auri cupiditate tenemini. Itaque si beatas has mulieres imitari velitis, vendite ornatum quo circundamini, eleemosynam induentes. Quænam est dic quæso, vtilitas preciosorum istorum lapidum, & vestimentorum auro intertextorum? gaudet his, inquies, animus & lætatur. ego abs te lucrum petij, tu mihi nocumentum narrasti. nihil enim peius est, quam in his occupari atque gaudere, illísque affigi: acerbior enim fit molesta hæc seruitus quum quis etiam seruiens oblectatur. cui enim vnquam spiritualium operum vt conuenit incumbet, quando item vt decet res huius sæculi deridebit, quæ auro vinciri iucundum esse arbitrabitur? Qui enim in carcere lubens manet, nunquam ab eo liberari volet: quemadmodum nec ista quę sponte sua lubens ligata est. Sed veluti captura quædam prauæ huius cupiditatis effecta, ne vocem quidem spiritualem eo quo decet desiderio & studio audire sustinebit, tantum abest vt opus ipsum aggrediatur. Quódnam igitur dic mihi, emolumentum capis ex istiusmodi ornatu & iactantia? oblector, inquies. Rursum mihi nocumentum protulisti & perniciem. Sed multum honoris, inquis, à spectatoribus consequor. Et quid hoc? Alterius enim istud est corruptionis argumẽtum, quando in elationem, quando in arrogantiam attolleris. Age igitur quandoquidem tu nullum profers emolumentum, sustine quæso vt ipsa tibi nocumenta exponam. Quænam igitur hinc exoriuntur incommoda? Cura & solicitudo voluptate maior. Ideo plerique spectantium, istorum dico crassiorum & rudiorum, magis oblectantur, quàm quæ ornamentis istis es circundata. Tu enim multa cum solicitudine iactabunda gloriaris: illi ea cura vacui, liberè pascunt oculos. Aliud deinde incommodum, animo deiici, & ad abiecta deprimi, omnium vndique & vbique inuidiæ obnoxiam esse. Tuę enim vicinæ his morsæ ac corrosæ contra suos mari-

PVRNE, noctu in altero co. habebatur vt & apud Theoph. & Rober. Steph.

CAP. XXVIII.

Contra mulieres aurum gestantes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tos armantur, & bella tibi difficilia excitant. Ad hæc quòd vacationem omnem & curam in istud consumas, quòd spiritualium & bonorum operum nō admodum sis solicita, quòd elatione, arrogantia & vana impediaris gloria, quòd terræ affigaris, & pennis denuderis, & pro aquila porcus fias & canis: omittens enim in cœlum respicere ac volare, non aliter quàm porci in terram prona deflecteris, metalla & antra curiosè perscrutans, animúmque mollem & illiberalem tibi comparans. Sed in foro conspecta omnium oculos in te conuertis? certè propter hoc ipsum aurum gestare minimè oportuit, ne publicum fias spectaculum, multorumque accusatorum ora adaperias. Nullus enim respicientium te admiratur, sed cauillantur ac irrident, tanquam ornatus auidam, tanquam arrogantem, tanquam carnalem mulierem. Quòd si in Ecclesiam ingrediaris, nihil illinc auferes præter scommata quamplurima & conuitia, variásque execrationes: neque id ab ipsis aspicientibus tantùm, sed ab ipso etiam Propheta. Nam protinus vocalissimus ille Esaias te intuitus clamabit, Hæc dicit dominus ad dominatrices filias Sion, pro eo quod ambulauerunt extento collo & nutibus oculorum, & itinere pedum trahentes tunicas, & pedibus simul ludentes, nudabit dominus ornatum ipsarum: & erit pro odore suaui, puluis: & pro zona, funiculo cingeris. Ista tibi erunt pro superbo illo ornatu. Non enim in illas tantum ista dicta sunt, sed in quamlibet mulierem illarum imitatricem. Quin & Paulus cum illo accusator extitit, dicens Timotheo, vt mulieribus denunciet, ne in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut vestitu sumptuoso sese exornent. Aurum itaque gestare vbique quidem perniciosum est, tum verò maximè cùm ecclesiam ingrederis, quando per pauperes transis. Nam si teipsam vehementer criminari studeres, non alium sumeres habitum quàm istam crudelitatis & inhumanitatis personam & laruam. Cogita quot esurientes ventres in tali habitu prætereas, quot itē nuda corpora in hoc curioso & satanico ornatu. Quantò præstantius esset esurientes animas enutrire, quam infimam auriculam perforare, atque ab ea infinitorum pauperum alimenta frustra & temerè suspendere. Num tibi ergo diteſcere glorioſum? num tibi aurum gestare laudabile? etiamsi ista ex iustis tibi parta essent laboribus, maximè tamen ex huiusmodi amictu culpanda venires: cùm verò iniustè parta fuerint, considera quæso quantus sit huiusmodi excessus. Appetísne laudem & gloriā? exue igitur ridiculum istum ornatum, ac tunc te admirabuntur omnes: tunc etiam gloriam & puram consequéris voluptatem. Nam nunc certè variis dicteriis lacesseris, & multam mœroris materiam ex huiusmodi ornamentis tibi ipsi comparas. Nam si horum quippiam exciderit, expende quàm multa hinc exoriantur mala, quot ancillæ vapulent, quot viri perturbentur, quot abducantur, quot in carcere contineantur: hinc iudicia & iurgia vocationes, ac mille vndique imprecationes & maledicta, vxori à marito: atque huic ab amicis, animæ quoque ipsi à seipsa. Sed demus nihil horum perire, quod quidem non facilè contingit, si autem etiam perpetuò conseruentur, dum tamen seruantur, multam exhibent curam & solicitudinem atque molestiam, ac lucri nihil: quis enim inde familiæ prouentus? quænam vtilitas ipsi ista gestanti ornamenta? vtilitas certe nulla: sed infamia multa, multa vndique criminatio. Quomodo poteris sic adornata Christi pedes osculari & complecti, cùm ille huiusmodi auersetur ornatum? Propterea in fabri domo nasci sustinuit, vel potius non in domo illa, sed in casa & præsepi. Quomodo igitur ipsum videre poteris chara ipsi pulchritudine destituta, nec ornatu ei grato, sed odioso circundata? Qui enim illum adire cupit, istiusmodi non debet vestimentis ornari, sed virtute. Considera quídnam tandem sit aurum istud, nihil aliud quàm terra & puluis: iniice aquam, & fit lutum. Cōsidera & erubesce quæ lutum tibi dominum constituis: & omnibus omissis ipsi assides, ipsum passim gestas & circunfers. Idq; etiam cùm in Ecclesiam ingredieris, cùm maximè ipsum effugere decebat. Non enim propterea ædificata est Ecclesia, vt in ea istas ostentes diuitias, sed vt spiritales diuitias demonstres. Tu verò veluti in pompam ingressura, ita teipsam omni ex parte adornas, ad illarum imitationem quæ in scenam histrionicam producuntur, tanta adeò cum affluentia ridiculam istam circumferens congeriem. propterea in multorum ingrederis perniciem, & ecclesiastica congregatione soluta complures audire licet in domibus ista ad mensam narrantes. Cum enim recensere deberēt, Hoc & hoc dixit propheta, istud & illud Apostolus: illis omissis vestium ipsi luxum & magnificētiam, lapidum magnitudinem, alias denique ineptias earum explicant, quæ talia sibi applicant. Ista vos ad præstandam eleemosinam tardas reddunt, ac vestros conturbernales. Haud enim è vobis aliqua facilè induci possit, vt aliquid ex huiusmodi auro frangat, & esurientem alat: Quum enim etiam ipsa in angustia esse malis, quam videre aliquid ex illis abrumpi, quomodo tandem alium ex illis alere poteris? Pleræque enim erga ista non aliter quàm erga res animatas sunt affectæ: & non minus quam erga proles. Apage dicetis. Hoc igitur ostendite: ostendite, inquam per opera ipsa. Nam vt nunc quidem res habet, contraria video. Ecqua enim aliquādo earum quæ ornamentis illis vehementer sunt addictæ, illa conflauit, † pueri animam à morte liberatura? & quid pueri] dico? ecqua suam ipsius animā pereuntem hinc redemit? Cōtrà equidem complures quotidie ipsum etiam diem propter ista perdūt: & si corporalis morbus aliquis ingruat, nihil non moliūtur: si verò animam corrumpi viderint, nihil tale faciunt: sed nepotum ac suas etiam negligunt animas, vt ista maneant temporis progessu rubigine pereuntia. Et tu quidem mille talentorum aurea circumponis ornamenta, Christi verò membrum ne cibo quidem necessária frui potest. Attamen communis omnium dominus, & cœli & eorum quæ in cœlo sunt, & spiritalis mēsæ omnes ex æquo participes fecit: tu verò ipsum ne rerum quidem pereuntium facis participē, vt difficilibus hisce catenis perpetuò vincta maneas. Hinc infinita mala nascūtur, hinc zelotypiæ, hinc virorum adulteria, quum ipsos non ad religiosè viuendum incitatis, sed eos docetis illis delectari, quibus impudicæ mulieres exornantur. Propterea etiam cito capiuntur. Si enim illum ista quidem contemnere docuisses, temperantia autem, pudore, humilitate delectari, haud facilè fornicationis plumis captus fuisset. Hoc enim modo atq; eò amplius ornari meretrix potest: illis verò non item. Ipsum itaque eo delectari ornatu assuefacito, quem apud meretricem cernere non poterit. Quomodo autem ipsum in istam induces consuetudinem? si hunc abstuleris, & illum indueris. Sic & virtus in securitate fuerit, & tu in honore: ac Deus vobis erit propitius, atque homines vos omnes admirabuntur, & futura bona consequimini gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Cap. 3. Videeadē hom. 17.

1. Tim. 2.

† pueri animam à morte liberatura? & quid pueri] dico? ecqua suam ipsius animā pereuntem hinc redemit? Cōtrà

puerum à spiritali morte liberaturā? & quid puerum.)

HOMILIA

HOMILIA XCI. EX CAP. XXVIII.

QVÆ cùm abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem & nunciauerunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum senioribus consilio accepto pecuniam copiosam dederunt militibus dicentes, dicite quòd discipuli eius nocte venerint & furati sint eum nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit sub præside, nos persuadebimus ei, & securos vos faciemus. Propter hos milites terræmotus ille factus est, vt ipsos obstupefaceret, & ab ipsis testimonium proferretur: quod & euenit. Nam hoc pacto annunciatio suspicione caruit à custodibus ipsis prolata. Signorum enim quædam generaliter orbi terrarum, quædam particulatim iis qui illic præsentes erant demonstrabantur. Generaliter quidem terrarum orbi, ipsæ tenebræ: particulatim verò, quod de angelo narratur, ipse terræmotus. Posteaquam igitur venerunt & annunciauerunt, (veritas enim aduersariis declarata illustris est) rursum argentum dederunt vt dicerent, inquit, quod discipuli eius venerint & furati sint ipsum. Quomodo autem furati sunt, ô omnium stupidissimi? propter veritatis enim claritatem & perspicuitatem, ne modum quidem effingere possunt. vehementer enim absurdum erat & incredibile quod dicebatur, & prætextu carebat mendacium. Quomodo enim, dic mihi, discipuli furati essent homines pauperes & rudes, qui neque in hominum conspectum prodire audebant? An non erat signaculum appositum? an non assidebant tam multi custodes & milites & Iudæi: an non isti suspectum hoc ipsum habebant ac vigilabant, atque satagebant, déque eo soliciti erant? Qua de causa autem etiam furarentur, vt resurrectionis dogma effingerent? & quomodo vt tale quid fingerent, illis in mentem veniſſet meticulosis hominibus, qui secum præclarè agi putabāt si occultati viuere possent? quomodo item lapidem illum munitum amouissent? quomodo latuissent ac tam multos fefellissent? Atqui etiamsi mortem contempsissent, non tamen istud facere tentassent, temerè ac frustra tentaturi, cùm tam multi essent, custodes. Quòd autem etiam timidi essent, quæ prius facta sunt, declarant: Siquidem cùm ipsum comprehensum vidissent, resilierunt omnes. Si tunc igitur cùm viueret subsistere non sunt ausi, quomodo ipso mortuo tantam militum multitudinem non metuissent? An tum agebatur vt ianua euerteretur, & vnus aliquis clam id ageret? Magnus appositus erat lapis, cui amouendo multis opus erat manibus. Meritò igitur dicebant, & erit nouissimus error peior priore, contra seipsos istud pronunciantes: quia cùm post tantam insaniam resipiscere deberent, prioribus aliud etiam addere contendunt, ridicula fingentes figmenta. & qui viuentis sanguinem redemerant, eum qui de resurrectione erat crucifixi, & rediuiui rursus per pecunias sermonem suffodiunt. Tu autem considera quomodo suis ipsi operibus vbique comprehendantur. Nam nisi Pilatum adiissent, nisi custodes ipsi postulassent, minus impudenter talia debacchari potuissent. Nunc verò non item. Quippe qui sic omnia fecerint tanquam sua ipsorum ora studiosè obturaturi. Si enim discipuli cum ipso vigilare non poterant, idq; ab eo reprehensi, quomodo istud ausi fuissent? quamobrem autem prius non sunt furati, sed postquam vos accesseratis? Nam si id facere voluissent, cùm nondum custodiretur monumentum, vtique fecissent: præcedente videlicet nocte, cùm tuto & sine periculo potuissent. Sabbato enim accedētes, à Pilato custodes petierunt & custodierunt: priore autem nocte nullus ipsorū sepulchro aderat. Sed quid sibi volunt* sudaria quæ myrrha erant conglutinata & adhærescentia? ista enim posita vidit Petrus. si enim furari voluissent, nequaquam nudum corpus furati essent, non propter contumeliam solùm, sed ne in exuendo morantes, & cunctantes aliis facultatem præberent exurgendi, & ipsos apprehendendi: præsertim cum myrrha esset pharmacum quod vsqueadeo corporibus adglutinatur, & vestimētis adhæresceit. quare non facile fuisset * linteamina à corpore auellere, sed istud molietes multo opus haberent tēpore. Itaq; vel hinc quòd de furto comminiscuntur non est verisimile. An verò Iudaicum furorem non nouerant, quodq; in ipsos iram conuerterent? ecquid autem ipsis lucri esset omnino, si ille non resurrexisset? Ista igitur omnia isti sibi conscij quòd effinxissent, pecuniam dederunt, ac dicunt, Ista vos dicite, & nos præsidi persuadebimus. Hunc enim rumorem publicè spargi volebant, frustra aduersus veritatem decertantes, & per ea quibus eam obscurare nitebantur, etiam inuiti ipsam illustriorem reddunt. Nam & istud resurrectionem confirmat, quòd ipsi hæc dixerint, discipulos corpus surripuisse. istud enim est constituentium corpus illic non esse. Quum enim confitentur corpus illic non esse, furtum verò falsum esse ac incredibile demonstrat ipsorum assistentia & signacula, atque discipulorum timiditas, certa & indubitata resurrectionis demonstratio vel hinc perspicitur. Attamen impudentes isti, & nihil non audentes, cùm tam multa sint quæ ipsorum refrenent & constringant ora, dicite, inquiunt, & nos persuadebimus, ac vos securos reddemus. Vidésne omnes corruptos? Pilatum? Ipse enim persuasus est: milites? Iudaicum populum? Sed ne mireris milites pecuniis succubuisse. si enim apud discipulum tantum illæ potuerunt, multo magis apud istos. *Et diuulgatum est*, inquit, *verbum istud apud Iudæos vſq; in hodiernum diem.* Viden' rursum quàm sint discipuli veritatis studiosi? quos neque istud dicere puduit, quod sermo iste contra ipsos obtinuerit & perstiterit. *Vndecim autem discipuli abierūt in Galilæam, & quidam quidem adorauerunt, quidam verò cùm ipsum vidissent, dubitauerunt.* Iste postremus mihi esse videtur aspectus qui in Galilæa contigit, quando ipsos emisit ad baptizandum, Quod si verò nonnulli dubitarunt (hinc quoque rursus ipsorum admirare veritatem, qui neque illorum ad extremum vsque diem defectus supprimant) attamen etiam isti per ipsius aspectum confirmati sunt. Quid igitur illos conspicatus ait? *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Rursum humanius ipsos alloquitur. nondum enim Spiritum sanctum acceperant qui poterat illos sublimes efficere. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Partim de dogmatibus, partim de præceptis mandans. Et Iudæorum ne meminit quidem, neque in medium quæ facta fuerant profert: nec Petro negationem exprobrat, nec de aliorum cuiusquam fuga expostulat: sed iubet vt in vniuersum terrarum orbem effundantur: compēdiariam quæ per baptisma fieret doctrinam committens. Deinde quandoquidem res magnas illis iniunxerat, ipsorum animos attollens ait. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad cōsummationem sæculi.* Viden' rursum auctoritatem & potentiam? viden' quo modo etiam illa condescensionis & obsecundationis gratia dicta fuerunt? Non cum ipsis autē solùm se futurum dixit, sed & cum omnibus qui post illos sunt crediturī, non enim vsque ad sæculi consummationem permansuri erant apostoli, sed fidelibus loquitur veluti vni corpori. Ne mihi, inquit, rerum difficultatē dixeritis, e-

forte linneamina legēdū, vt habetur, Ioan. 20.

Græcus codex habebat hīc ἱμάτια, sed legendum puto ὀθόνια vt habetur. Ioan. 20.

Universidad de Deusto
Biblioteca

go enim vobiſcum ſum, qui facilia omnia reddo. Iſtud & in veteri teſtamento ſubinde prophetis dicebat, & Hieremiæ pueritiam cauſanti, & Moyſi & Ezechieli ſubterfugientibus, Ego ſum vobiſcũ: quod & hoc loco iſtis dixit. Hic autem mihi etiam iſtorum expende differentiam. Illi in vnam gẽtem miſſi ſeſe excuſabant, iſti in vniuerſum terrarum orbem miſſi nihil tale ſonabãt: conſummationem autem ipſis in memoriam reuocat, vt magis ipſos attrahat: & vt præſentia tantùm mala non ſpectent, ſed & futura bona eáque perpetua. Aduerſa enim, inquit, quæ vos ſubituri eſtis, in hac præſenti vita diſſoluuntur, quandoquidem & ipſum hoc ſæculum in conſummationem veniet. Bona verò quibus fruituri eſtis, æterna permanent: quemadmodum frequenter prius dixi. Sic vnctis & excitatis ipſorum animis, mentione etiam facta diei illius, illos emiſit. Dies enim ille rectè viuentibus expetendus eſt, vt & malè agentibus metuendus, veluti condemnatis. Sed non metuamus tantùm & horreamus, verùm etiam vitam, dum tempus eſt, in melius commutemus, & à malitia reſipiſcamus. Poſſumus enim ſi velimus. ſi enim ante gratiam id multi fecerunt, multo magis poſt gratiam. Quid enim graue nobis eſt iniunctum? ánne vt montes diſſecemus, aut vt per aërem volemus, aut Tyrrhenum pelagus ſuperemus? Nequaquam. Sed vitam adeo facilem nobis condemnauit, vt inſtrumentis nihil opus ſit, ſed animo & affectu ſolo. Qualia enim inſtrumenta habuerunt Apoſtoli iſti tam multa præclarè agentes? an non vnica induti tunica, & nudis pedibus circuibant, atque omnes ſuperabant? Quódnam enim ex Chriſti præceptis eſt difficile? Nullum habeas inimicum, nullum odio proſequaris, nulli maledixeris. quippe cùm his contraria multo ſint difficiliora. Sed dixit, inquies, pecunias proiice. Iſtúdne igitur eſt oneroſum? Immo verò neque hoc præcepit, ſed conſuluit. cæterum etſi præceptum eſſet, quidnam graue, onera non circunferre, nec curas intempeſtiuas? Sed ó miſerandam pecuniarum auiditatem. Omnia pecuniis æſtimantur. Propterea ſurſum ac deorſum omnia miſcentur. Si quis beatum quempiam prædicet, iſtarum mentionem facit: ſi miſeratur, hinc commiſeratio, atque iſtarum cauſa omnes noſtri habentur ſermones, quomodo hic aut ille diteſcat, quomodo alius quiſpiam in paupertatem redigatur, ſi quis expeditionem, ſi nuptias, ſi artem, ſi aliud quiduis moliatur, rem propoſitam non prius attinget quàm eas inde ſibi viderit affluxuras. Et tandem congregati non conſultabimus, qui morbum iſtum expellemus: An nos non pudebit eorum quæ à patribus noſtris præclarè facta ſunt, qui & ter mille & quinquies mille communia omnia habebant? Quódnam lucrum ex hac præſenti vita, quum ipſa ad futuram negociationem non vtamur? Quouſque tandem non ſubigitis eum qui vos ſubegit mammonam? quouſque pecuniis ſeruitis? quouſque libertatem non amatis, nec negociationes iſtas auaras diſrumpitis? Verùm enimuero ſi in hominum redacti eſſetis ſeruitutem, nihil non ageretis, ſi quis libertatem polliceretur: cùm verò auaritiæ captiui ſitis, ne cogitatis quidem quánam ratione ab acerba hac & illiberali liberari poſſitis ſeruitute? Atqui illa non eſt grauis, hæc verò tyrannis eſt acerbiſſima. Conſiderate quantum pro vobis precium Chriſtus expendit, ſanguinem ſuum effudit, ſeipſum tradidit: vos autem poſt hæc omnia deciditis, & humi iacetis, & quod grauius eſt, in ſeruitute vobis placetis, & in ignominia oblectamini: & quod erat fugiendum vobis, factum eſt expetendum. Sed quandoquidem iſta non ſolum deploranda ſunt, & accuſanda, verumetiam corrigenda, videamus vnde malum hoc & vitium vobis expetibile factum eſt. Vnde igitur vnde, inquam, malum hoc amabile factum eſt? quòd in honore, inquis, & ſecuritate nos collocet: qua ſecuritate dic quæſo? quòd confidamus fore, vt non eſuriamus, non algeamus, non offendamur, non contemnamur. Itaq; ſi regnum hoc tibi pollicearmur, à diuitiarum ne abſtinebis cupiditate? nam ſi propterea diuitiæ ſunt expetendæ, ſi abſque illis ſecuritatem nanciſci liceat, quid iam illis opus erit? Sed quo modo fieri poteſt, inquies, vt qui diues non ſit, iſta conſequatur? Imò verò quomodo fieri non poteſt? Ego enim de diuite contrarium dicam. Nam vt multis aduletur neceſſe eſt, tum principibus tum ſubditis, & vt quamplurimis indigeat, & turpiter ſeruiat, necnon metuat & tremat, & inuidorum oculos ſuſpectos habeat, & ſycophantarum ora timeat, aliorumque auarorum cupiditates. At talis non eſt paupertas, ſed planè diuerſa, locus tutus eſt & ſecurus, portus tranquillus, palæſtra & gymnaſium philoſophiæ, angelicæ vitæ imitatio. Audite iſta quicunque pauperes eſtis, vel potiùs quicunque diteſcere vultis, Pauperem eſſe non eſt malum, ſed nolle pauperem eſſe. Ne paupertatẽ exiſtimes rem malam eſſe ac metuendam, & tibi grauis non erit: non enim in natura rei, ſed in puſillanimorum virorum iudicio metus iſte locum habet: Quin etiam me puderet ſi hoc tantùm de paupertate dicere poſſem, quòd ea malum non ſit. Nam ſi philoſopheris, infinitorum tibi bonorum fons fuerit, & ſcaturigo. Et ſi quiſpiam tibi principatum & ciuiles magiſtratus & diuitias ad delicias proponeret, deinde paupertatem è regione collocans optionem daret ſumendi vtruncunque voles, hanc vtique protinus raperes, ſiquidem ipſius cognitam haberes pulchritudinem. Scio equidem pleroſque ridere cùm iſta dicuntur, nos tamen nihil commouemur, ſed vos rogamus, vt pauliſper ſuſtineatis, & cito nobis ſuffragabimini. Mihi enim paupertas ſimilis eſſe videtur modeſtæ cuipiam virgini, honeſtæ ac formæ eleganti. Auaritia verò, monſtroſæ mulieri, Scyllæ cuidam & hydræ, & aliis quibuſdam huiuſmodi monſtris à fabulatoribus effictis. Ne enim mihi paupertatis accuſatores in medium proferas, ſed eos qui per ipſam illuſtres fuerunt. Cum hac Elias nutritus raptu illo beato raptus eſt, cum hac Eliſæus clarus euaſit, cum hac Ioannes Baptiſta, cum hac Apoſtoli vniuerſi. Cum illa vero Achab, Iezabel, Giezi, Iudas, Nero, Caiaphas condemnati ſunt. Porro ſi placet, non illos tantum qui in paupertate celebres fuerunt videamus, ſed & ipſam virginis huius pulchritudinem conſideremus. Siquidem ipſius oculus eſt purus & clarus, nihil habens turbulentum vti habet auaritiæ oculus, nunc quidem furore plenus, nunc verò voluptate oppletus, nunc autem intemperantia perturbatus. At talis non eſt paupertatis oculus, ſed manſuetus, tranquillus, ſuaue ad omnes reſpiciens, placidus, clemens, nullum odio proſequens, nullum auerſans. Vbi enim pecunia, ibi & inimicitiarum materia, & mille pugnarum. Os rurſum illi quidem contumeliis eſt refertum, inſolentia quadam, arrogantia multa, maledictione: dolo: huic verò tum os tum lingua ſana eſt, aſſidua abundat gratiarum actione, benedictione, verbis manſuetis, benuolis, obſequioſis, laudibus, encomiis. Si autem membrorum quoque ipſius proportionem perſpicere velis, eleganti eſt proceritate, & multo ſublimior quàm ſit opulentia. Quod ſi multi eam fugiant, ne mireris: nam & alias virtutes ſtulti fugiunt. Sed à diuite, inquies, pauper contumelia afficitur. Rurſum mihi paupertatis encomium narras. Vter enim, quæſo te, beatus eſt,

Act. 2.

Paupertatis & auaritiæ comparatio.

tus eſt, iſne qui contumelia afficit, an qui contumelia afficitur? perſpicuum eſt quòd is ſit qui contumelia afficitur, eámque fert generoſè. Itaque illa quidem auaritia iubet contumelioſè agere, hæc verò paupertas generoſè ferre admonet. Sed dices, eſurit pauper, eſuriebat & Paulus, & in fame verſabatur: ſed non habet vbi requieſcat, nec filius hominis habebat vbi caput ſuum reclinaret. Viden' quò paupertatis encomia peruenerint? & vbi te conſtituant, ad quales viros te attolant, & quomodo ipſius Domini imitatorem faciant? Si bonum eſſet aurum habere, iſtud vtique diſcipulis Chriſtus dediſſet, qui ineffabilia illa bona dedit: nunc verò non ſolùm non dedit, ſed etiam habere prohibuit. Idcirco & Petrus ob paupertatem nõ ſolum
Act. 3. non erubeſcit, ſed etiam gloriatur, dicẽs: Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do, inquit. Quis veſtrum non cuperet talem ſe vocem emittere poſſe? & admodũ ſanè omnes, dicet fortaſſe quiſpiam. proiice igitur argentum, proiice aurum. Et ſi proiecero, dices, conſequárne Petri potentiam? Quid autem, dic quæſo, Petrum beatum effecit, an claudum erigere? nequaquam: ſed iſta non habere, iſtud ei cœ-
Matt. 7. lum conciliauit. Nam ex iis qui miracula edidere plerique in gehennam inciderunt, qui verò iſta præſtiterunt, regnum cœlorum ſunt conſecuti. & hoc ab ipſo Petro diſce. duo enim erant quæ dixit, argentum & aurum non eſt mihi, &, In nomine Ieſu Chriſti ſurge & ambula. Vtrum igitur ipſorum Petrum clarum effecit & beatum, claudum erigere, an pecunias proiicere? pecunias proiicere: idque à certaminis præfecto cognoſce. Quid igitur ipſe diuiti dixit vitam æternam quærenti? non dixit claudos erige, ſed vende quæ habes & da pauperibus, & veni ſequere me, & habebis
Luc. 18. Mar. 10. theſaurum in cœlis. Quin & ipſe Petrus rurſus non dixit, ecce in nomine tuo dæmonia eiicimus, etiamſi eiicerent, ſed, ecce reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? & Chriſtus rurſum huic reſpondens non dixit, ſi quis claudum erigat: ſed qui reliquerit domos & agros propter me & euangelium, centuplum accipiet in hoc ſæculo, & vitam æternam poſſidebit. Et nos igitur hunc imitemur, vt non confundamur, ſed vt tribunali Chriſti cum fiducia adſtemus, vt ipſum nobiſcum eſſe faciamus, quemadmodum & cum illis erat. Erit autem etiam nobiſcum, ſi illos imitari velimus, vitámque illorum & conuerſationem æmulemur. ob iſta enim Deus te prædicat, & coronat, non exigens vt mortuum ſuſcites, neque vt claudum erigas. Non enim iſta te Petro ſimilem faciunt, ſed præſentium bonorum proiectio: hoc enim opus eſt apoſtolicum. Sed proiicere non potes? fieri certè poteſt: cæterum ſi nolis, non adigo neque cogo: ſed illud obſecro, vt ſaltem particulatim indigentibus diſtribuas, nec pluſquam tibi opus ſit exquiras. ſic enim fiet, vt & hic tranquillam vitam & ſecuram agamus, & vita æterna fruamur, quam vtinam nos omnes conſequamur, gratia & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria & imperium cum Patre & ſancto Spiritu, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Mat. 19. Ibidem. & Mar. 10. & Luc. 18.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI Homiliarum XCI. in Matthæum finis, per philipp. Mõtanum recognitarum ad exemplaria Græca duo vetuſtiſſima, quæ nobis ſuppeditauerat regia apud Bellæ aquæ fontem Bibliotheca, ex quibus præter alia multa paſſim reſtituta in vltimum Matthæi caput & penultimi portionem, adiectæ ſunt Homiliæ duæ cum portione præcedentis hactenus apud Latinos deſideratæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EX LIBRO QVARTO
BIBLIOTHECÆ
sanctæ.

IN *Matthæum extat incerti authoris imperfectum opus, in homilias 54. diuisum: tametsi nullas habeat homilias, sed perpetuus sit cõmentarius, continens continuatam expositionem Euangeliſtæ ab initio videlicet vſque ad dimidiũ 13. capitis: & rurſus à principio capitis 19. vſque ad finem capitis 25. cuius exordium eſt,* Sicut referunt Matthęũ, &c. *De quo quidem opere diuerſa feruntur iudicia. ſunt qui ipſum negent eſſe Chryſoſtomi, cùm ob vulgatam Latinæ Eccleſiæ tranſlationem, quæ in eo diſſeritur, tum ob frequentes allegorias & allegationes apocryphorum ſcriptorum, quibus author vtitur, citans ſcripturam Seth, Apocriphum Ezechiæ, Itinerarium Clementu, & alia his ſimilia, à Chriſoſtomi vſu remotiſſima. ad hæc addunt commentariorum phraſin, expoſitiones & dogmata, Chryſoſtomianæ linguæ, & menti magis contraria, quàm ignem & aquam. Nam & dictionis character, & ſchemata quædam, ad Græcam orationem minimè reſpondentia, indicant ſcriptorẽ fuiſſe Latinũ: hæretica verò dogmata, toto paſſim operi inſperſa, palàm arguunt eundem fuiſſe hæreticum, non vni tantùm ſectæ addictũ, ſed variis Montani, Manichæi, Arrij, Donati, ac Pelagij hæreſibus implicitũ, & propter eas hæreſes merito ab Eccleſia damnatum, & à Paulo Papa IIII. in catalogo ſcriptorum ſuſpectæ fidei annumeratum.*

SVNT ex oppoſito qui hoc ipſum opus cõtendũt eſſe Chryſoſtomi, adducti non ſolùm authoritate Apoſtolicæ eccleſiæ, quæ publicè inter diuinas laudes legit Homilias ex his commẽtariis ſub nomine Ioannis Chryſoſtomi: ſed etiam permoti pondere & grauitate ſentẽtiarum, & propoſitionum huius operis: quæ ad confirmationem Chriſtianorum dogmatum ſub titulo, teſtimonio, & authoritate Chryſoſtomi inducũtur, in gloſis authenticis, quas vocant Ordinarias, in catenis Euangelicarum explanationum, in decretis ſummorum Põtificum, & in Summis theologicis magni nominis theologorum: in quibus multæ ex his ſententiis, diligentiſſimè expenſæ, ab omni erroris ſuſpicione vindicantur.

NEQVE his quicquam obeſt recens edictum Pauli Papæ quarti, quippe quod non ſimpliciter & omnino reiecit vniuerſum hoc opus, tot iam ſæculis communi Eccleſiæ aſſenſu comprobatum: ſed ea duntaxat huius operis exemplaria interdicit, quæ præter authoris mentem ab hæreticis vitiata inueniuntur, & his, quibus nunc ſcatent, fœcibus inquinata. Has autem fœces & ſordes non authoris culpa, ſed hæreticorum fraude in hos

A *commentarios irrepſiſſe, triplici indicio perſuadẽt. primò, quod exemplaria quædam vetuſtiſſima nihil contineant huiuſmodi errorum, ſed alia manu omnia habent aſcripta in margimbus. ſecũdo, quòd quicquid hæreticum eſt, ita per illationem ſit germanæ lectioni aſſutum, vt ſi reſecetur, ne latum quidem vnguem mutetur ſententia: quod ſanè fieri non poſſet, ſi ab ipſo authore ingenuè fuiſſet intextum: quẽadmodum nec humano corpori membrum aliquod auferri poteſt abſq; deformi totius ſtructuræ mutilatione. tertiò, quòd credibile non ſit, authorem, qui nec amens, nec obliuioſus fuerit, iiſdem de rebus, & iiſdem penè locis ſcribentem ſibiipſi contraria ſenſiſſe & dixiſſe, præſertim verò in his, de quibus vt Arrianus accuſatur. quomodo enim veriſimile fuerit eum cum Arrianis de inæqualitate & diuerſa Patris & Filij ſubſtantia conueniſſe, qui aduerſus Arrianos vnitatem & æqualitatem vtriuſque multis locis defendit? præcipuè verò hom. 44. ſuper illis verbis,* VÆ VOBIS SCRIBÆ ET PHARISÆI, QVI CLAVDITIS REGNVM COELORVM. *Vbi hæc ſcribit.* Sic & modò B hæretici ſacerdotes claudunt ianuam veritatis. ideo, quando legunt in populo ſuo aliquid tale, QVI ME MISIT, MAIOR ME EST, peruerſa interpretatione claudunt ianuam veritatis, dicentes Filium minorem Patre: cùm tamen ſecundum diſpenſationem carnis dicatur minor. *Et homil. 28. in expoſitione illius ſententiæ,* OMNIA MIHI TRADITA SVNT A PATRE MEO, *proponens ac diſſoluens argumentum eorum, qui ex his verbis aſtruebant Filium Patre minorem, ſic inquit:* A quo illi tradita ſunt omnia, ſi vnus eſt Pater & Filius? aut quare habere non poterat, niſi tradita illi fuiſſent, ſi per omnia Patri ſuo erat æqualis? nam ſignificatio traditionis tam vnitatis rationem, quàm æqualitatis excludit. Reſpondeo, tradita ſunt ei ſecundum quod minoratus eſt paulò minus ab angelis: nam ſecundùm illud, quòd non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, Deus vnus & æqualis eſt ei, qui tradidit omnia. *Et homilia 45. exponens illud Matthæi 23.* ET VOS IM- C PLETE MENSVRAM PATRVM VESTRORVM, *ait:* Quando vides hæreticos, tres per omnia æquales, dicentes non eiuſdem eſſe ſubſtantiæ, non eiuſdem eſſe authoritatis, ſine principio omnes hos, aliqua parte diſtantes à ſe: ne mireris: implent enim menſuram patrum ſuorum Gentilium, quoniam illi ſimiliter multos deos colebant. *Quibus quidem verbis quid apertius dici potuit aduerſus Arrianam ſententiam, quæ huic authori aſcribitur? Hæc igitur eſt ſuper his commentariis controuerſia: de qua iudicent me doctiores: ego, quid addam, nihil hobeo, niſi hoc ipſum opus diſertum & doctum eſſe, ac dignum quod aſſiduè legatur, ſi tamen prius diligentiſſimè expurgatum fuerit ab iis erroribus, quos in ſexto libro in cenſuris ſuper Matthæi expoſitoribus annotauimus. Floruit author hic, vt ex 33. & 49. eius homiliis colligitur, poſt tempora Theodoſij, Auguſti: ſcripſitque etiam in alios Euangeliſtas conſimilis induſtriæ commentarios.*

ERVDI-

ERVDITI COMMENTARII IN EVANGELIUM *Matthæi, incerto authore.*

PROLOGVS.

SICVT referunt, Matthæum conſcribere euangelium cauſa compulit talis: Cùm facta fuiſſet in Palæſtina perſecutio grauis, vt perielitarentur diſpergi omnes, vt carentes fortè doctoribus fidei, non carerent doctrina, petierunt Matthæum, vt omnium verborum & operum Chriſti conſcriberet eis hiſtoriam, vt vbicunque eſſent futuri, totius ſecum haberent fidei ſtatum. Quòd autem ab humana eius cœpit natiuitate, & humanam eius generationem expoB ſuit, compulit impia impudentia Iudæorum, denegantium Ieſum Chriſtum de Dauid ſemine ducere genus. Corpus autem narrationis ſuæ ordinauit hoc modo: Primùm natiuitatem, deinde baptiſmum, tertiò tentationem, in quarto doctrinam, in quinto miracula, in ſexto paſſionem, in ſeptimo reſurrectionem, & aſcenſionem eius: Non ſolùm hiſtoriam de Chriſto exponere volens per hæc, verumetiam euangelicæ vitæ ſtatum docere: quoniam nihil eſt quod ex parentibus naſcimur, niſi iterum per aquam & Spiritum ſanctum renati Ioan. 1. fuerimus ex Deo: quoniam quod ex carne naſcitur, caro eſt: quod autem de Spiritu, ſpiritus eſt. Poſt baptiſmum autem neceſſe eſt contraria diabolum ſtare, quoniam ad hoc quiſque vngitur. Et reædificatur in baptiſmo, vt contra tyrannum ſuſcipiat bellum. Poſt hæc quaſi omni ſuperata tentatione factus idoneus ad docendum, ſi quidem ſacerdos eſt, doceat: & quia miraculorum faciendorum non eſt ſemper neceſſitas, doctriC nam ſuam bonæ vitæ quaſi miraculis, factis commendet. Si autem laicus eſt operibus doceat fidem: operibus ſe & hominibus commendet, & Deo. Deinde quia non poſſumus aliter exire de Mundo, niſi ſolutum fuerit corpus, per quod ingreſſi ſumus in Mundum, neceſIob. 7. ſe eſt exire nos de hoc ſtadio Mũdi. Et quoniam omnis vita noſtra tentatio fuit, reſtat vt tentationis victoriam reſurrectionis merces ſequatur, & gloria. Matthęus ſanctorum quidem, præcipue tamen peccatorum euangeliſta, qui non ſolùm ſermone, ſed etiã ipſa vitæ ſuæ correctione peccatoribus euangelium prædicauit. Nunquam enim telonearius conſtitutus, qui cõſueuerat pecunias colligere perituras, factus fuiſſet euangeliſta, vt ſermones conſcriberet in æternum manſuros, niſi vt ſuo exemplo peccatores ad miſericordiam pœnitentiæ inuitaret: qui aliquando fuit cautus logotheta rationum terrenarum, nunc autem diligentiſſimus eſt diſpenſator ſpiritualium præceptorum. Tunc multos pauD peres fecit fraudando pecuniam, nunc autem innumerabiles diuites facit prædicando iuſtitiam, vt magnifiPſal. 76. cemus Dominum propter eum voce prophetica, dicentes: Hæc commutatio dexteræ Excelſi.

HOMILIA I. EX CAP. I.

LIBER *generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abrahã.* Liber eſt quaſi apotheca gratiarum. Sicut enim in apotheca diuitis alicuius omnis homo quod deſiderat, inuenit: ſic & in iſto libro omnis anima quod neceſſarium habet, inuenit. Quid eſt quod ait, Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abrahæ? Et quomodo dicit Eſaias propheta, Et generationem Eſa. 53. eius quis enarrabit? Sed ille diuinam generationem eius inenarrabilem eſſe pronũciat, iſte autem carnalem exponit. Propterea non dixit, Ieſu Chriſti filij Dei: ſed filij Dauid, filij Abraham. Et quare Ioannes ſtatim in principio euangelij ſui, diuinitatis eius monſtrauit naturam, dicens: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum? Quoniam Ioannes inter Gen- Ioan. 1. tes in exilio conſtitutus, Græco ſermone euangelium cauſa Gentium ſcripſit, quæ non cognoſcebant ſi Deus filium habet, aut quomodo genitum habet: idcirco ſuperfluum erat primum incarnationis eius myſterium Gentibus demonſtrare, cùm illum ipſi quis eſſet neſcirent: ideo neceſſarium fuit primùm illis oſtendere, quia eſt filius Dei Deus: deinde in ſequentibus, quia carnem ſuſcepit, dicens: Quia Verbum caro factum Ibid. 1. eſt, & habitauit in nobis. Matthæus autem Euangelium Iudæis Hebraico ſermone conſcripſit, ſicut iam diximus ſuprà, vt Iudæi legentes ædificarentur in fide. Iudæi enim ſemper cognoſcebant, quia eſt filius Dei, & quomodo eſt filius Dei. Superfluum ergo erat exponere eis diuinitatis eius naturam, quam ipſi optimè cognoſcebant, neceſſarium autem fuit myſterium incarnationis eius ipſis oſtendere. Quare autem non illi ſuffecit dicere illum filium Abrahæ ſolius, aut Dauid ſolius? quia ad ambos de Chriſto naſcituro ex eis, promiſſio fuerat facta. Ad Abraham quidem ſic, Et in ſe- Gen. 22. mine tuo benedicentur omnes tribus terræ: quod intelligi non poteſt niſi in Chriſto, quoniam inter cæteros Iudæos & Gentes nunquam amicitia ſtabilis fuit. Ad Dauid autem ita dicit: Iurauit Dominus Dauid Pſal. 131. veritatem, & non fruſtrabitur eum: de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Ideo ergo vtriuſque filium dicit, vt vtriuſque promiſſiones in Chriſto impletas oſtenderet. Deinde quia Chriſtus tres dignitates fuerat habiturus, rex, propheta, ſacerdos. Abraham autem habuit duos filios, & duas dignitates: propheta enim fuit, & ſacerdos, ſicut Deus ad illum Gen. 15. dicit in Geneſi: Accipe vaccam triennem &c. Pro- Ibid. 20. pheta autem, ſicut ait Dominus ad Abimelech de illo: Quoniam propheta eſt, & orabit pro te, & ſaluus eris tu, & domus tua. Ideo ergo dictus eſt filius Abrahæ & Dauid, vt propheta quidem intelligatur & ſacerdos ex Abraham, rex autem ex Dauid. Item ideo non dictus eſt tantummodo Dauid filius, quia Dauid rex fuit & propheta, ſacerdos autem non fuit. Ideo ergo amborum filius nominatus eſt, vt vtriuſque patris triplex dignitas originali iure cognoſceretur in Chriſto. Sed quare prius Dauid nominauit, cum Abraham præcedat in tempore? Prima ratio, & ſimplex hæc eſt: Cùm propoſitum eſſet euangeliſtæ ex Abraham generationes Domini numerare, ſi prius dixiſſet eum filium Abrahæ, poſteà autem Dauid: neceſſe habebat iterum nominare. reuerti ad Abraham, & in ipſo loco bis eum numerare. † Altera autem ratio eſt, quia regni dignitas maior eſt quàm naturæ. Nam etſi Abraham præcedebat in tempore, Dauid tamen præcedebat in dignitate. Et quomodo maior fuit Dauid, quàm Abraham, cùm quandoque Dauid reprehenſus eſt in peccato? Sed audi, Pſal. 7. quoniam Dauid de nimia iuſtitia ſua confidens dice- Ibid. 65. bat: Domine Deus meus ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis. Item, Iniquitatem ſi conſpexi in corde meo, non exaudiet Deus. Ergo dimiſſus eſt, vt circonueniretur à carne: non vt iniuſtitia oſtenderetur eius, ſed vt eius iactantia compeſceretur. Abraham pater fidelium, quem Deus voluit exemplum eſſe ſanctorum, dicens ad eum: Exi de terra tua, & de cogna- Gen. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tione tua,& veni in terram,quam tibi demonſtrabo, vt A
ſciant omnes homines, quicunque voluerint eſſe filij
Abrahæ, & terram illam viuam promiſſionis accipere,
Pſal.26. de qua ſcriptum eſt: Credo videre bona Domini, in
terra viuentium:quoniam bona ſua debent contemne-
re, ſicut Abraham terram ſuam contempſit, & paren-
tes,ſuos carnales dimittere, ſicut ille cognationẽ ſuam
Iſaac. dimiſit. Qui autem Abraham imitari noluerint, non
poſſunt eſſe filij Abrahæ. *Abraham autem genuit Iſaac*,
qui interpretatur riſus. Riſus autem ſanctorum eſt,non
ſtulta cachinnatio labiorum, ſed rationabile gaudium
cordis, qui fuit per omnia myſterium Chriſti. Sicut e-
nim ille Iſaac, deſperantibus iam parentibus, in vlti-
ma ſenectute donatus eſt læticia ſuis, vt cognoſcatur,
quia non erat filius naturæ,ſed gratiæ:ſic & noſter Iſaac
in nouiſſimo fine productus eſt à matre Iudæa gau-
Luc.2. dium cunctis, ſicut dicit angelus ad paſtores: Ecce e-
uangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni
Gal.4. plebi. Vnde ait Apoſtolus: Poſtquam venit plenitudo B
factum. temporis, miſit Deus filium ſuum natum† ex muliere,
natum† ſub Lege. Sed iſte per virginem, ille de anu,
ambo extra ſpem naturæ. Ille poſtquam mater eius pa-
rere poſſe ceſſauerat, iſte priuſquam mater eius parere
poſſe inciperet. Sed ille de anicula ideo iam deficiente,
iſte autem de virgine incorrupta: quia ille Iſaac filios
fuerat generaturus in Lege corrumpenda,iſte autem in
gratia permanſura.Sicut illum mater neſciuit, quando
ducebatur ad immolandum, ſed poſtquam reuerſus eſt
cognouit quia erat oblatus: Sic iſtum ſynagoga nõ co-
gnouit eſſe filium Dei, cum duceretur ad mortem: ſed
poſtquam reſurrexit à mortuis,tunc cognouerunt eum
Geñ. 22. Iudæi. Sicut ille ligna portauit, vbi fuerat incendẽ-
dus: ſic & iſte lignum portauit, vbi fuerat crucifigẽ-
dus.Sicut ille non reſtitit Abrahæ, cum vellet eum oc-
cidere,ſed dixit,Pater mi,liga mihi manus & pedes, ne
quando inſurgam in impugnationem: ſic & ille non
Infr.26. contradixit Patri,ſed paratus reſpondit,Si poſſibile eſt, C
tranſeat à me calix iſte:ſed non ſicut ego volo, ſed ſicut
tu Pater. *Iſaac autem genuit Eſaũ & Iacob*, in figura duo-
ſæculorũ. Eſaũ rum populorum. † Eſaũ à capite vſque ad pedes totus
piloſus,ſæculum primum hoc ſignificat,quod ab initio
Iacob. vſq; ad finem totum quaſi aſperrimis pilis iniquitatum
repletum eſt. Iacob autem totus ſpecioſus & nitidus,
futurum ſæculum ſignificat,quod totum pietatis deco-
re fulgebit,& non inuenietur in illo aliqua aſperitas aut
nigredo peccati.Et quemadmodum cùm de vtero ma-
tris ſuæ exiret Eſaũ,tenuit plãtam eius Iacob:vnde He-
braicè Iacob appellatus eſt,id eſt ſupplantator: mox e-
nim vt illius pedes egreſſi ſunt,iſtius caput apparuit:Sic
& in fine ſæculi iſtius,ſtatim illius ſæculi principium ap-
parebit.Et quemadmodum Eſaũ perſequebatur Iacob,
ſic filij ſæculi huius perſequuntur filios ſæculi illius: &
ſicut ipſe, ita & filij eius non reſiſtendo, ſed fugiendo
ſuperant malos. Nam quemadmodum tunc mater ad-
Gen.47. iuuit Iacob,dicens ei: Fili, audi me & fuge in Meſopo- D
tamiam, donec quieſcat ira fratris tui: ſic & Eccleſia fi-
lios ſuos quotidie docet, cum perſecutionem patiun-
Mat.10. tur,dicens:Si vos perſecuti fuerint in ciuitate iſta,fugi-
te in alteram, & date locum iræ. *Iacob autẽ genuit Iudam
& fratres eius.* Et noſter Iacob genuit duodecim apo-
ſtolos in Spiritu, non in carne: verbo, non ſanguine.
Nam ſicut ille cum ſuis duodecim deſcendit in Ægy-
ptum,vt multiplicaretur: ſic & Chriſtus cum ſuis duo-
decim apoſtolis deſcendit in Mundum, & multiplica-
tus eſt per totum mundum, ſicut res ipſa teſtatur. Item
ſicut ille deſcendit, vt medullam Ægypti manducaret:
ſic & Chriſtus cum ſuis apoſtolis intrauit in iſtum Mũ-
dum,vt medullam huius Mundi manducaret,id eſt,ac-

quireret ſibi. Medulla enim liuius Mundi, ſunt homi-
nes ſancti. Sicut enim medulla quandiu in arbore fue-
rit ſana,ſemper floret:cùm autẽ percõmeſta fuerit,tota
paulatim marceſcendo ſiccatur:& ſic quãdiu ſunt fide-
les,ſtat iſte Mũdus.Nam ſicut egredi&tibus Iſraëlitis de
Ægypto, exterminata eſt Ægyptus: ſic & ſancti cùm
de iſto Mũdo defecerint,caſurus eſt iſte Mundus.Iudas Iudas.
autem interpretatur cõfeſſor, quoniã Chriſti erat ima-
go,qui cõfeſſor Patris erat futurus,dicens: Cõfiteor ti- Luc.10.
bi Pater domine cœli & terræ. Quia ſicut Iudas mere-
trici coniunctus eſt, & dedit illi virgã & anulum: ſic &
Chriſtus Eccleſiæ meretrici ex gentibus ſe coniunxit,
& dedit illi pro mercede cõiunctionis virgam † crucis, verbum
& anulum Spiritus ſancti per baptiſmum, quaſi ſigna-
culum fidei præcedentis, quem etiam alibi laſciuo filio
reuertẽti dari præcepit pater benignus.Et ideo forſitan
Thamar, vxor eius interpretatur immutata, vel exa- Thamar.
cerbatio: quia & in ipſa habet intellectum conuenien-
tem & in Eccleſia.In ipſa quidẽ,quia cum eſſet caſta,in B
meretricem ſe immutauit,& facta eſt exacerbatio Iudæ
in ira, ſicut Geneſis liber teſtatur. In Eccleſia autem,
quia fuerat Eccleſia meretrix, & exacerbatio Dei,
poſtmodum autem immutata per fidem Chriſti fa-
cta eſt caſta. *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Tha-
mar.* in myſterio Iudaici populi, & Gentilis. Zara e- Zara.
nim primus ex vtero egreſſus apparuit, obſtetrix au- Gen.38.
tem ligauit illi coccum ad manum, ſignans populum
Iudaicum rubricatum ſanguine circunciſionis. Re-
tracto autem Zara proceſſit Phares: intercluſa eſt e-
nim caro in qua Zara erat incluſus: hæc autem in qua
Phares erat incluſus, adaperta eſt, ideo & proceſſit
primùm: Sic Iudaicus populus primus apparuit in lu-
ce fidei quaſi de vulua tenebroſi Mundi procedens,
& ideo ſignatus eſt cocco circunciſionis, putantibus
omnibus, quia ipſe populus Dei erat futurus primus.
Sed quid? poſita eſt ante faciem eius Lex, quaſi ſepes,
C vt impediret iuſtitiam eius. Nam Lex impedit fidem, C
non adiuuat,ſicut ſcriptum eſt:Priuſquam veniret mã- Rom. 7.
datum,peccatum quidẽ mortuum erat, ego autem vi-
uebam:poſtquã venit mãdatum,peccatum reuixit,ego
autem mortuus ſum.Sic ergo impeditus eſt populus iu-
daicus per legem,vt non ad iuſtitiæ lucem veniret: ſed
ſubitò tẽporibus Chriſti rupta eſt ſepes legis, quæ erat
inter Iudæos & Gentiles, ſicut ait Apoſtolus, medium Ephe.2.
parietem maceriæ ſoluens: ſic factum eſt, vt ethnicus
populus,qui primum Iudaico populo apparente, quaſi
in vulua tenebroſi Mũdi tenebatur incluſus: poſtquam
rupta eſt Lex per Chriſti mandata,excluſo Iudaico po-
pulo, iſte primus proceſſit ad fidem, & poſtea ſequitur
Iudaicus populus, ſicut ait apoſtolus: Ecce myſterium
vobis dico, Ex parte cæcitas in Iſraël contigit, donec I. Cor.15.
plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſaluus Rom.11.
fieret. Siue autem Zaram quis dicat in figuram populi
fuiſſe gentilis, qui primum per prophetas demonſtra-
tus apparuit, & ab eiſdem prophetis dominici ſangui- D
nis cocco ſignatus eſt. Dum enim per Chriſti ſanguinẽ
regenerandus prophetizabatur, cocco dominici ſan-
guinis ſignabatur: Phares autem in figura Iudaici po-
puli,qui ſæpe legis excluſo populo gentili, primus pro-
ceſſit,illo poſtea ſecuturo: maceria † legis ſublata, non Materie.
incongruè dicitur: propter quod & nominatus eſt ille
Zaram,quòd eſt oriens,vel nobilis, Iſte autem Phares,
quod eſt præciſio, quoniam populus Chriſtianus ſem-
per oriens erat futurus,ſemper illuſtris. Iudaicus autem
interiectu legis præciſus ab eo. Et videtur quidem Iu-
das ex inceſto nurus ſuæ Thamar coniugio filios ſuſce-
piſſe,reuera autem neque ex nuru, neque ex meretrice.
Meretrix enim non fuit, quia propter amorem ſeminis
Iſraël

Iſraël ſinxit ſe meretricem,cum non eſſet.Nurus autem A
Nã prius Iudæ cum ſuo ipſius, &c. non fuit, quia nullus filiorum Iudæ habuit eam: † nam
primus filius Iudæ, cum Iudas ſuo ipſius experimento
exterritus, noluiſſet ei accipere coniugem ex filiabus
Chananæorum,ſed dediſſet ei Thamar ex filiabus Arã.
eam. Mater autem eius cùm eſſet Chananea, hortaretur eam
† accipere ex genere ſuo: ille conſilio matris vſus non
contigit eam, propter quod & percuſſit eum Dominus
ſuſcitatus. malignãtem. Alter autem filius,audito quod fratri ſuo
ſemen fuerat ſuſcitatura, † non ſibi,ſemen ſuum effudit
in terram, propter quod & ipſe percuſſus eſt. Et ſic fa-
ctum eſt, vt Thamar virgo maneret. Hæc autem ita de
filiis ſuis geſta,cum neſciens Iudas diu lamentaretur, &
plangeret, pœnitens quia nefandum opprobrium cum
nuru ſua, vt putauit, feciſſet in Iſraël, & diu precaretur
Deum,nec luctus ſui terminum faceret,adſtitit ei ange-
lus Domini,& hæc omnia expoſuit ei, ſicut fuerant ge-
ſta, & conſolatus eſt eum. Iudas autem tantæ fuit reli-
gionis, vt & poſtquam cognouit non eam fuiſſe vxo- B
rem filiorum ſuorum,non acquieuerit ei appropinqua-
re:quoniam etſi quantum ad Deum ipſa nõ erat nurus,
tamen quantum ad ſcientiam hominum nurus videba-
1.Cor.7. Eſrom. tur. Prouidebat enim bonum,non tantum coram Deo,
ſed etiam coram hominibus. *Phares autem genuit Eſrom.*
Quoniam quidem cauſa & ratione, prouidentiaq; Dei
poſita ſunt hæc nomina,credimus, maximè cum eſſent
hi principes generis electorum: qua autem cauſa & ra-
tione poſita ſunt, verè ipſi ſcierunt, qui poſuerunt, &
Deus, cuius prouidentia ponebantur. Nos verò quod
intelligere poſſumus in nominibus ipſis,hoc loquimur,
maximè cum nullam ſcripturã canonicam de iſtis per-
ſonis habeamus.Eſrom enim, ſicut Hebræorum ſermo-
num nominum interpretes dicunt,interpretatur, iacu-
lum videns.Iacula autem ſunt inimici,omnes paſſiones
carnales,quas intrinſecus diabolus iaculatur in animã,
& omnes tẽtationes aduerſitatum quæ prouenerint fi-
delibus extrinſecus iaculante diabolo. Omnes deinde C
homines iniqui, quos vel contra veritatem, id eſt, Dei
voluntatem,vel contra ſeruos eius excitat inimicus,ia-
Ephe.6. cula eius ſunt,de quibus omnibus dicit Apoſtolus:An-
te omnia accipiẽtes ſcutum fidei,in quo poſſitis omnia
iacula maligni ignea extinguere. Qui ergo vidẽs eſt ia-
culum, vigilans eſt contra verſutias inimici,& de longe
proſpicit iacula eius, & cauet, aut ſcuto fidei ſuſcepto
retorquet ad Dominum. Vult ergo Dominus omnes
ſeruos ſuos videntes eſſe iacula ſuper ſe venientia. Qui
autem non videt ea ſuper ſe venientia,quomodo ea de-
clinet? Poteſt & aliter homo iuſtus iaculum videns in-
Eſa.49. telligi,vt ſit ipſe iaculũ vidẽs Chriſti, cum & ipſe Chri-
ſtus dicatur iaculum Patris, Eſaia dicente: Qui poſuit
me ſicut ſagittam electam in pharetra ſua. Iſte ergo vir
fidelis, & iaculum Chriſti,& miſſus à Chriſto: & iacu-
lum eſt,non irrationabile, ſed rationabile:& videns, vt
ſciat ipſe quæ debet configere,& quæ pertrãſire. *Eſrom*
Aram. *autem genuit Aram.* Aram interpretatur viſio eorum, vel D
irritatio eorum, vel elatus,aut lux eorum. Sicut nomi-
num iſtorum ſignificatio dat intelligere: æſtimo quod
in tempore iſtius Aram, filij Iſraël in Ægypto valde e-
rant multiplicati & elati, & refulgentes. Et multiplica-
tio eorum zelabilis facta erat in oculis Ægyptiorum,
Exod. 1. & irritatio erat facta ipſorum,ſecundùm quod in Exo-
do ſcriptum eſt: Ecce genus filiorum Iſraël multiplica-
tum eſt ſuper nos,venite ergo circumueniamus eos. Et
in tempore eius forſitan gementes eos ſub depreſſione
Exod. 3. Ægyptiorum Dominus vidit,ſicut ſcriptum eſt: Vidẽs
vidi afflictionem populi mei, qui eſt in Ægypto, & ge-
mitum eius audiui. Ideirco ſecundùm prouidentiã Dei
tale nomen ei impoſitum eſt, vel quia irritauerũt Ægy-

ptios valde creſcẽtes,atque elati:vel quia vidit eos Do-
minus ingemiſcentes & laborantes. Et ex conſidera-
tione tẽporis ipſius, credibilis res eſt. Nam tribus mo-
dis cirnuenerunt filios Iſraël. Primum in opere luti,
deinde per obſtetrices, tertia vice vt expoſitos facerẽt Exod. 1.
infantes ſuos, in quo tempore natus eſt Moſes. Deni-
que ipſe Aram Aminadab filiam accepit vxorem, ſo-
rem Naaſon. Inter circunuentionem ergo vnam, &
inter circunuentionem alteram † non niſi vt aliquot non vis vt
tranſacti ſint anni.Et ita fit, vt rectè multiplicatio filio- aliquot tranſacti
rum Iſraël in tempore Aram zelabilis facta fuiſſe intel- ſint anni,
ligatur, & afflictio ei ſuperueniſſe, & Dei viſitatio eum &c.
perſpexiſſe.Cõuenienter autem Aram(qui erat irritatio
Ægyptiorum,vel viſitatio ipſorum, vel lux eorum, ge-
nuit filium Aminadab,)qui interpretatur,vel gens deſi-
derata,vel populi mei volũtarij. Nec enim facta fuiſſet
ſuper eos viſitatio Dei, niſi gens deſiderata fuiſſet, &
populus voluntarius. Neque fuiſſet irritatio Ægyptio-
rum,niſi deſiderabiles & volũtarij Deo fuiſſent: & vſq;
nunc qui deſiderabiles ſunt, & voluntarij Deo, illi ſunt
zelabiles,& irritant ad inuidiam ſui tenebrarum viros.
Idipſum autem eſt voluntarium eſſe populum, & gen-
tem eſſe deſiderabilem. Qui enim voluntarius eſt Deo, Pſal. 53.
& dicit: voluntariè ſacrificabo tibi ipſe eſt & deſidera-
bilis apud Deum:& qui deſiderabilis eſt Deo, ſine du-
bio volũtarius eſt:quia non omnino ſubiectionem ho-
minum diligit Deus, aut famulatum, ſed voluntariam
ſubiectionem,& volũtarium famulatum. Natura enim
omnes ſub Deo ſunt, quoniã & à Deo creati ſunt. Vo-
luntate autem non omnes ſunt Dei, quia ſecundùm o-
pera diabolo ſe ſubſternũt. *Aminadab autem* qui erat vo-
luntarius populus, vel gens deſiderata *genuit Naaſon*, Naaſon.
qui interpretatur refectio,id eſt requies. Verè enim qui-
cunque eſt voluntarius Deo, & præbet ſe deſiderabi-
lem apud Deum,generat ſibi refectionem,& requiem.
Congruè autem Naaſon, in cuius tempore filij Iſraël
de Ægypto exierunt, qui & princeps factus eſt ſuper
tribum Iudæ, refectio & requies eſt nominatus, quo-
niam in tempore illius de ſeruitute Ægyptiorum vio-
lentorum, & de laborioſis operibus luteis liberati re-
quieuerunt,& refectionem conſecuti ſunt in deſerto &
corporis, & animæ: corporis quidem, quia ad liberta-
tem venerunt corporalem:animæ autem, quia poſt im-
mundas culturas Ægyptiorum ad noticiam perducti
ſunt Dei viuentis. Sed & columbinus, & ſerpentinus,
interpretatur Naaſon: forſitan quia prudens erat in
bono, ſicut ſerpens: ſimplex autem in malo, ſicut co-
lumba. Hic autem Naaſon, vt diximus, exiuit de ter-
ra Ægypti, qui fuit princeps tribus Iudæ: ſicut res
ipſa oſtendit: Nec enim poterat iſte fieri princeps, ſi
pater eius vixiſſet, niſi fortè aliquis dicat ſic Amina-
dab ſenem extitiſſe, vt non poſſet gerere principatum:
quòd non æſtimo verum. Quod ergo dicitur in Exo-
do,quoniam quinta generatione filij Iſraël de Ægypto
exierunt,ſecundùm generationes inuenitur tribus Le-
ui. Iacob autem genuit Leui, Leui autem genuit Gad,
Gad autem genuit Amram, Amra autem genuit Mo-
ſen & Aaron. Quatuor itaque generationibus defun-
ctis in Ægypto, vſque Amram, exiuit generatio
quinta, id eſt Moſes & Aaron. Secundùm generatio- 1. Par. 6.
nes autem tribus Iuda, ſeptima generatio de Ægypto
videtur exiſſe, ſex generationibus defunctis in Ægy-
pto: id eſt, Iacob, Iuda, Phares, Eſrum, Aram, & A-
minadab: ſeptimus autem egreſſus eſt Naaſon. Puto
autem hoc, quod tribus Iuda magis multiplicabatur
præ omnibus tribubus.Tribus autem Leui non ſic mul-
tiplicabatur, quia Leuitæ circa templi obſequium,
vbi pauci ſuffecerunt, neceſſarij tantum erant, ſicut &

Universidad de Deusto
Biblioteca

Numerorum liber teſtatur. Tamen ſi rationis eſt, quod Enoch qui tranſlatus eſt, in ſeptima generatione ſit natus: ſi rationis eſt quod Noë in generatione decima ab Adam, qui myſterium fuit Chriſti: Si rationis eſt, quod ſcilicet in decima generatione natus eſt Abraham à Noë: ſi rationis eſt, quod de Abraham vſque ad legem, id eſt vſque ad Moſen ſeptem generationes habentur: Sine dubio & hoc rationis eſt, quoniam ſecũdùm quidem tribum Leui in quinta generatione egreſſi ſunt de Ægypto, ſecundùm autem tribum Iuda in ſeptima. In tribu ergo leui, quia generatio quinta exiuit defunctis in Ægypto quatuor: hoc puto myſterium, quoniam omnis homo ex quatuor elementis creatur ſecundùm corpus, id eſt, ex terra, ex aëre, ex igne, ex aqua: poſt hęc autem per baptiſmum regeneratus ſit filius Dei. In quo ergo quatuor elemementorum generationes moriuntur in mundo, ille verò per baptiſmum in quinta generatione ſpiritus exit de mundo: hoc eſt, qui mortificauit membra ſua ſuper terram (ſicut ait Apoſtolus) quæ ex quatuor elemẽtorum generationibus conſiſtunt, vt non iam in carne ſit, ſed in ſpiritu, ille exiuit ad perfectum de mundo. Et nemo egredietur verè de mundo, niſi qui mortificatis illis quatuor generationibus, cœperit eſſe in quinta: vt etiam ad eum dicat Apoſtolus, Tu autem in carne non es, ſed in ſpiritu. Et hic ergo in tribu Iuda. Alia quidem videtur eſſe ſpecies rationis, tamen pene eadem ratio eſt. Sextus enim numerus myſterium habet operis & laboris, propter quod & Deus omnia viſibilia in ſex diebus operatus eſt, & requieuit in ſeptima: Septimus autem numerus myſterium indulgentiæ, & otij, & requiei: ſicut in multis diximus locis. Qui ergo tranſit omnia viſibilia, & relinquit poſt ſe quæcunque infra ſex dies creata ſunt: hoc eſt vniuerſum mundum hunc corruptibilem, & implet quod mandat Ioannes in epiſtola ſua canonica, dicens: Filioli mei, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt: ille in ſeptima die eſt, hoc eſt, in Chriſto, & requie eſt, Chriſtus enim eſt requies noſtra, ſicut dicit de Iudæis minimè intraturis in eam propheta Dauid: Iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Ille otiatur ab vniuerſo opere mundi, qui & ſabbatizat à malis ſabbatum ſanctum, ille & meretur indulgentiam: ſi aliquod geſſit humanum, ille exiuit de mundo. Qui autem in mundo eſt, nunquam in ſeptima requie eſt, nec otiatur à malis vnquam, nec ſabbatizat. Et qui in ſeptima requie eſt, ille non eſt de mundo: qui autem in mundo eſt, indulgẽtia dignus non eſt. Vide quàm prudenter ſecundùm rationes quas diximus, Leuitæ quidem in quinta generatione exeunt de Ægypto: regales autem in ſeptima, quoniam regales modicum aut multum plerunque delinquunt ipſa poteſtate cogente, & difficile eſt eos eſſe ſine delicto perfectos: propterea ſi moderatè deliquerint, indulgentia digni efficiũtur. Leuitæ autem & viri religioſi, ſacerdotales, perfecti, & ſpirituales, & ſine macula eſſe debent. Ideo quæritur in illis, vt quatuor generationibus illis omnino mortificatis in corpore, in quinta generatione mundi conſiſtant: nihil, ſi poſſibile eſt, carnis habentes in ſe, niſi quòd vitam ſuſtentet, ſicut dicit Apoſtolus: Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. *Naaſſon autem genuit Solmon.* Salmon autem interpretatur, accipe vas. Iſte Salmon accepit vxorem nomine Raab. Hæc autem Raab ipſa dicitur fuiſſe meretrix de Hiericho, quæ ſuſcepit exploratores, & legatos filiorum Iſraël: & cùm quærerẽtur à rege Hiericho, vt occiderentur, abſcondit eos in ſuperiori parte domus ſuæ, & ſeruauit incolumes. Audiens autem facta filiorum Iſraël, dilexit Iſraël amplius quàm propriam gentem. Et dupliciter mihi res iſta credibilis eſſe videtur. Primùm, cùm eſſet Salmon nobilis inter filios Iſraël, & quia de tribu Iuda erat, & quia filius principis, vidit Raab illam fidelem ſic conuerſam ad bonum, & à Deo dilectam, & deductam de Hiericho ſecundùm Dei præceptum, & computatam inter filias Iſraël, quaſi magnam illam aliquam cõſtitutam, meruit accipere Salmon in vxorem. Deinde credo, & propter rationem ſpiritualis myſterij: quoniam Raab illa meretrix figura fuit Eccleſię, quę cùm fuiſſet ex Gentibus meretrix, & culturis idolorum commaculata, ſuſcipiens ſpeculatores Ieſu Chriſti, id eſt Apoſtolos in domum pectoris ſui per verba ipſorum, abſcondit eos ſurſum in memoria capitis ſui, vt non inueniret eos princeps mũdi diabolus, nec perderet eos, qui ſigno rubri ſparſi, & per feneſtram demiſſi, quaſi per indicium dominicæ paſſionis ſaluata, & educta de mundo, & caſtificata facta eſt ſponſa Chriſti. Salmon iſte decimus eſt ab Abraham. Semper autem decimus numerus, quia numerus eſt perfectionis, myſterium habet Chriſti perfecti: propter quod & prima litera nominis Ieſu iota habet, decem denotans: ergo & quia Salmon in numero fuit myſtico Chriſti, & illa in myſterio fuit Eccleſiæ, non ſine ratione credimus ipſam fuiſſe Raab, & accepiſſe eam Salmonem. Forſitan autem ideo & interpretatur Salmon, accipe vas, quaſi per ipſum nomen inuitabatur à prouidentia Dei, vt acciperet vas electionis Raab. Nam ſicut Paulus cum fuiſſet perſecutor, dignus probatus in apoſtolatu, vas electionis factus eſt Deo: Sic & Raab cùm fuiſſet meretrix, & Gentilis, digna æſtimabatur à populo Iſraël, vt eſſet coniũcta Salmoni. Vel ſpiritualiter, cõiugio Chriſti, quia vas electionis facta eſt Chriſto: huic myſterio vtrũque meretricis illius cõuenit nomẽ. Prius enim dicebatur Raab, quod interpretatur latitudo, vel dilatata: aut quia ex omnibus finibus terræ vocata Eccleſia, gentium latitudo appellabatur: aut dilatata, quia credens ex toto orbe terrarũ in toto fundata eſt mũdo. Hæc autem Raab poſtquam nupſit Salmon, nominata eſt Rachab, quod interpretatur aſcẽſio. Verè enim ſicut corporaliter Rachab illa aſcendit, facta vna ex filiabus Iſraël, & dignificata coniugio talis viri, ſic & ſpiritualiter iſta aſcẽdit: quia cum fuiſſet Eccleſia cultrix anteà idolorum, facta eſt ſocia angelorum, & ſpõſa Chriſti, & filia Dei. Salmon ille qui interpretatur, accipe vas, qualem filium genuit ex Rachab? Booz, qui interpretatur in virtute: vel, virtus in ipſo, ſiue prævalẽs, qui ſecũdùm imperium Dei accepit vxorẽ Ruth à Deo prouiſam: in virtute generat filios, & in ſeipſis virtutem habentes, & prẽualentes. Qui autem recipiunt vxores ex prouiſione diaboli, id eſt, non religionis intuitu, nec fideles in infirmitate generant filios, nec prævalentes vnquam nec fortes niſi in malo, & ad pœnam irreligionis ſuæ, non ad gaudium, nec ad conſolationem videntur filios genuiſſe. Hic itaque Booz accepit vxorem Moabitidem nomine Ruth. Quomodo accepit eam, exponere exiſtimaui ſuperfluum, cùm de his Scriptura ſit omnibus manifeſta. Hoc autem dicimus ſolùm, quoniam & Ruth pro merito fidei ſuæ nupſit Booz, quia propriam gentem contempſit, & terram, & genus, & elegit Iſraël, & non deſpexit ſocrum viduam ſimul, & peregrinam deſiderio ducta generis eius magis quàm ſui. Deos patrum ſuorum repulit, & Deum viuentem elegit, talibus verbis dicẽs ad ſocrum ſuam: Noli obuiare mihi, vt relinquam te, quoniam vbicunque ieris, ibo: & vbicũque manſeris, manebo. Populus tuus, populus meus eſt: & Deus tuus, Deus meus eſt: vt vbicunque mortua fueris, moriar, & ibi ſepeliar. Hoc faciat mihi Deus: & hoc augeat, ſi non ſola mors ſeparauerit inter te & me. Ergo

Booz

Coloſ. 3.
Rom. 8.
1. Ioan. 2.
Pſal. 90.
1. Tim. 5.
Salmon.
Rachab.
Booz.
Ruth. 4.
Ruth. 1.

Booz pro merito ſuæ fidei illam accepit vxorem, vt ex cõiugio tali ſanctificato genus naſceretur regale. Nam Booz ſenior conſtitutus, non ſibi vxorem accepit, ſed Deo: non propter paſſionem corporis ſui, ſed propter iuſtitiam legis, vt ſuſcitaret ſemen proximo ſuo: non magis amore quàm religione feruentior: ætate ſenex, iuuenis autem fide, & ideo forſitã nominatus eſt in virtute, vel virtus in ipſo prævalens. Quoniam qui ſecundum ætatem ad ineundum cũiugium eſt in virtute, non eſt nominabilis & laudãdus, quia eſt in virtute: ſed qui extra ætatem coniugalem iam factus, accepit ex religione virtutem ad coniugium ineundũ, ſicut iſte Booz, ille laudabilis & nominabilis eſt, quia exiſtit in virtute, & illius talis viri virtus in ipſo eſt. Iuuenis enim virtus non eſt in ipſo, ſed in iuuentute corporis eius, ideo & poſtmodum exhauſta marceſcit. Qui autem in anima ſua fidei habet virtutem, ſicut & habebat Booz, illius virtus in ipſo eſt, & ideo inſeneſcibilis eſt. Conſequenter & Ruth, inſpiratio eſt appellata. Nam niſi inſpiratio Dei fuiſſet in ea, non dixiſſet quæ dixit, nec feciſſet quæ fecit. Quid primum laudatur in ea? Dilectio generis Iſraël, aut ſimplicitas, aut obedientia, aut fides? Dilectio quidem generis Iſraël, quia ſic deſiderabat filios ſuſcipere ex ſemine Iſraël, & vna fieri ex populo Dei. Si enim communicationem viri deſideraſſet quaſi puella laſciua, aliquem iuuenem potius appetiſſet. Quoniam autem non laſciuiæ ſuæ, ſed religioni ſatisfacere cupiens fuit, familiam potius ſanctam elegit, quàm iuuenilem ætatem. Simplicitas autem, quia vltronea ſub pallium eius ingreſſa eſt, nec cogitauit ne fortè ſperneret eam quaſi vir iuſtus laſciuam puellam, aut ne deluderet eam: & quod grauius erat, contemneret deluſam, ſicut faciunt multi: ſed obaudiens facta ſocrus ſuæ conſiliis, confidenter credidit quia proſperaturus fuerat Deus actum ipſius, ſciens conſcientiam ſuam, quia non libido ad hoc eam compulerat, ſed religio erat hortata. Quid autem & in Booz prædicatur? Humilitas, caſtitas, & religio. Humilitas quidem & caſtitas, quia non contigit eam quaſi laſciuus puellam, nec abhorruit eam quaſi caſtus laſciuam: ſed mox vt verbum eius de lege proximitatis audiuit, nihil horum omnium laſciuiæ imputauit, ſed vniuerſa religioni adſcripſit. Nec deſpexit quaſi diues pauperem, nec veritus eſt quaſi maturus adoleſcentulam: ſed paratior fide quàm corpore, manè proceſſit ad portam, & prouocauit quendam ex genere, quem iure proximitatis æſtimabat propinquiorem: obtinuit, prævaluit non tantum iure proximitatis, quantum Dei eligentis fauore, idcirco fortè prævalens dictus eſt. Talis ergo Booz ex tali coniuge Ruth qualem filium genuit? Obeth, qui interpretatur ſubditus. Nunc autem qui diuitias eligũt, & non mores: pulchritudinem, & non fidem: & quod in meretricibus ſolet quæri, hoc in coniugibus optant: propterea non generãt filios ſubditos vel ſibi, vel Deo: ſed contumaces & contra ſe, & contra Deum, vt filij eorum non ſint fructus iuſtæ coniunctionis eorum, ſed pœna condigna irreligioſitatis ipſorum. Iſte autem Obeth, qui ſubditus dicebatur, quid genuit? Ieſſe, id eſt refrigerium. Ieſſe enim, Latino ſermone refrigerium appellatur. Nam verè quicunque ſubditus eſt Deo, & parentibus ſuis, tales filios generat, deo præſtante, à quibus refrigeretur: quoniam qui honorat patrem, honorabitur à filiis ſuis: qui autem contumaces exiſtunt aut in Deum, aut in parentes, generantes non refrigeria ſibi generant, ſed dolores, vt à filiis ſuis recipiant, quod fecerunt in parentibus. Adhuc æſtimo propter Obeth, qui ſubditus eſt nominatus: & propter Ieſſe, qui refrigerium eſt dictus, ne fortè in diebus Obeth filij Iſraël propter delicta ſua traditi erant ſub poteſtate gẽtis cuiuſdam, ſicut in libro Iudicum frequenter legimus factum. Et quoniam ſubditi facti fuerant cuidam genti, conuenienter in tempore illo natus Obet, ſubditus eſt appellatus. Ieſſe autem, ſicut ex parte colligere de ſcriptura Regnorum potuimus, quot annorum Dauid appropinquare cœpit Sauli, iam tot annis regnante, penè ſecundum tẽpus extitit Samuel, ſub quo iudice & propheta placentes per omnia Deo filij Iſraël, & corporaliter refrigerati ſunt, & ab Allophylis liberati, & ſpiritualiter benè agentes, & ideo fortè Ieſſe refrigerium eſt appellatus. *Ieſſe autem genuit Dauid regem.* Quia Deus in generatione iuſtorum eſt, & generatio rectorum benedicetur. De Dauid autem nunquid tantum dicere poſſumus, quantum ſcriptura Regnorum? Idcirco prætermittentes omnia, hoc dicimus ſolũ, quia & Ieſu Chriſti imago fuit Dauid. Dauid autem interpretatur ſufficiẽs manu, vel dilectus, ſicut & Chriſtus fuit, & in bello fortis, & potẽs, & patri dilectus, & in actibus ſuis, & in miſericordia, & in manſuetudine ſua prophetatio fuit Chriſti. Et quid dicam in actibus ſuis iuſtis, aut in perſecutionibus ſuis iniuſtis? In ipſo etiam peccato ſuo peſſimo, Chriſti & Eccleſiæ myſterium fuit. Sicut enim Dauid cum eſſet in ſolario ſuo excelſo lætus, vidit ſpecioſam Berſabee cum lauaretur, & concupiuit eam, & habuit cùm adhuc eſſet in coniugio viri alterius Ethei: ſic & Chriſtus cum eſſet in cœlo ſuo altiſſimo, adhuc lętus in ſua diuinitate, vidit Eccleſiam gentium ſpecioſam ſecundum cor, diſplicentem ſibi in ſordibus errorum ſuorum, & bonis operibus ſe diluentem, cum adhuc diaboli eſſet coniunx, vidit eam, & concupiuit, & habuit prius. Poſt hæc autem deſcendens in mundum, ſicut Dauid poſtea interfecto Vria vxorem eius ſibi in coniugem ſumpſit: ſic & Chriſtus, deſtructo diabolo, ſubditas ei gentes traxit in cõiugium ſuum. Nam ſicut Dauid primum Berſabee habuit, cùm adhuc eſſet ſub proprio viro, poſtea eam legitimam vxorem accepit: ſic & Chriſtus & tunc fecit Eccleſiæ, & modò facit omnia animæ rectæ. Niſi enim Deus prius habuerit aut Iudæũ aut gentilem, impoſſibile eſt vt adducat eum ad fidem ſuam: vt puta Cornelium adduxit ad fidẽ ſuam per miniſterium Petri: ſed antè habuit animam eius operans in ea orationes aſſiduas & eleemoſynas multas, ſicut actus apoſtolorum teſtantur. Centurionem vocauit ad fidem ſuam, ſed prius cum adhuc eſſet ſub diabolo habuit animam eius, operans in ea dilectionem gẽtis Dei, & ædificãs ſynagogas: ſic quod diabolum facere videmus. Impoſſibile eſt, vt aliquem Chriſtianorum ad perfidiam trahat, niſi prius cùm adhuc ſub Chriſto eſſet, habuerit animam eius, & operatus fuerit in ea propriũ opus, & probauerit conſenſum ipſius. Ecce Iudam priuſquam diſſungeret eum à Chriſto, & ſibi coniungeret, prius habuit eum, operans in eo cupiditatem pecuniarum, & furta. Poſtquam vero delectatus eſt in conſcientia ſua ſibi cõuenienti, tunc compulit eum tradere Chriſtum, & trãſire ad ſua. Berſabee autem interpretatur filia potentis, quod nomen ſecundum myſterium Eccleſiæ habet idoneam rationẽ. Eccleſia enim nupta noſtro Dauid, filia facta eſt Dei omnipotẽtis, quæ prius filia diaboli videbatur fuiſſe. Adhuc interpretatur Berſabee, è litera duplicata in fine, puteus ſeptimus, quòd corporaliter & ſpiritualiter habet interpretationẽ conueniẽtem. Quoniam ſicut dat nobis intelligere ſcriptura Paralippomenõ, vxores ſeptẽ habuit Dauid, ex quibus filios generauit. Sex quidem, quas accepit in Ebrõ, ſeptimam autem in Hieroſolymis Berſabee. Putei autẽ in prouerbiis Salomonis, quãuis & alterum interiorem habeant intellectum, tamen in prima facie vxores ſi-

Obeth.
Ieſſe.
Eccl. 3.
Pſal. 111.
Dauid.
Berſabee.
Act. 10.
Infr. 8.
2. Reg. 11.
2. Reg. 3.
& 1. Par. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gnificatur: vbi docet cum vxoribus propriis virum debere permanere, dicens: Bibe aquam de tuis vasis, & de puteorum tuorum fontibus. Si ergo putei vxores intelliguntur, conuenienter Bersabee septimus puteus interpretatur, quia & septima extitit vxor. Sed & Christus septem Ecclesiarum sponsus habetur. Nam quanuis innumerabiles sint Ecclesiæ secundum diuersitatem locorum, tamen omnes septem dicuntur propter spiritus septem, quibus sustentatur omnis Ecclesia. Vnde & Ioannes & Paulus apostolus ad septem Ecclesias scribunt, quasi ad omnes. De regibus autem residuis dicere aliquid, visum est mihi superfluum, cum desiderantibus dicere vel audire de eis sufficiat scriptura regnorũ. Sed tamen secundum quod Hebraicorum sermonum interpretes tradiderunt, nomina eorum actibus coaptare tentabimus, vt Dei prouidentiam & in ipsis hominum nominibus ostendamus, & spiritalem delectationem audiẽti populo acquiramus. *Dauid autem genuit Salomonem.* Salomon autem interpretatur pacificus. Pacificus est autem appellatus, quoniam omnibus in circuitu gentibus, & pacificatis, & tributa reddẽtibus, pacificum habuit regnum, ita vt & templum Deo ædificaret, vtens etiam ministerio gentium: quoniam in figura fuit nostri pacifici Christi, qui confugientibus ad se per fidem gentibus vniuersis, & bonorum operum spiritalia tributa soluentibus, pacificum habuit regnum: ita vt ex viuis lapidibus non solùm Iudæis, sed etiam gẽtibus viuum templum Deo ædificaret viuenti. *Salomon autem genuit Roboam.* Roboam autem interpretatur, in multitudine populi. Æstimo, quod pater quidem eius, sicut omnium regum patres ex bono proposito ei nomẽ imposuit Roboam: Dei autem prouidẽtia, sicut & omniũ regnum nomina secũdùm actus eorum proprio dispensauit nomine, siue in bono, siue in malo. Salomon ergo cum haberet regnum valde multiplicatum, meritis patris sui Dauid, & suis, quia dilexerat eum Deus in primis, natum sibi in tempore illo filium, appellauit Roboam, id est, in multitudine populi, quasi factũ in multitudine populi, vt secundùm statum regni sui multiplicati nominaretur filius eius: prouidentia autem Dei, quia fuerat peccator futurus, & diffidium regni sui passurus, dispensauit, vt diceretur in multitudine populi: quoniam quod fit in multitudine populi, statim facilè seditionem multitudinis patitur. Multitudo enim mater est seditionis & contumaciæ: quia quicquid à multis peccatur, plerunque manet inuindicabile: paucitas autem magistra est disciplinæ. Æstimo quod Salomon & Roboam in mysterio Christi fuerunt: quod si in mysterio Christi fuerunt, consequenter & in mysterio populi Christiani. Nãque cum sint omnes Christiani corpus Christi, rectè vniuersus populus Christianus accipiendus est Christus: sic & Salomon in mysteria populi fuit Christiani bene incipientis. Roboam autem in mysterio populi malè finientis. Nam sicut circa senectutem Salomone peccante, excitauit Dominus satam super eum, & detrũcauit ex parte modica regnum eius: in tempore autem Roboam, abiicientis consilium seniorum, & sequentis consilia iuuenum coætaneorum suorum, ad plenum scissum est regnum, ita vt decem tribubus secedentibus, & proprium sibi facientibus regem duæ tribus tantummodo manebant sub Roboam. Sic populus Christianus in primis quasi bene agens prosperatus est, sicut Salomon: procedente autem tempore, cùm cœpisset delinquere populus Christianus, & amare quæ carnis sunt & mundi, quasi filiam Pharaonis, quam diabolus subministrat princeps carnis & mundi, ad tentationem Christianorum: excitauit Deus super populum Christianorum spiritum schismatis. In primis quidem debilitatus est Christianus populus in quibusdam schismatibus. In nouissimo autem populi Christiani quasi in tempore Roboam abundante iniquitate, & charitate refrigescente, plenius conscissus est populus Christianus, ita vt maxima pars Christianorum diuideretur in hæreses, & faceret sibi proprios episcopos, quasi proprios reges, & vix paucissimi Christiani remanerent in Ecclesia Christi sub Christo. Et sicut tunc Roboam abiiciens consilium seniorum, & coætaneorum suorum sequens, occasionem præbuit dissidio illi: sic & circa finem episcopi relinquentes consilia seniorum apostolorũ, & prophetarum, secundùm quod consiliati fuerant episcopos conuersari debere, vel episcopatum suum tractare, & secuti sunt consilia coætaneorum suorum, & iuuenum consiliantium episcopum oportere diuitem fieri & inhospitalem, & timorem Dei non habere, & talia quædam alloqui quæ moucãt plausum: & dederunt occasionem diabolo præcisionum faciendarum, non attẽdentes quæ Dominus dicit: Si autem cœperit dispensator dicere, quia dominus meus moram facit, & cœperit castigare pueros & ancillas, & mãducare & bibere cum ebriosis, veniet dominus eius in die qua nescit, & hora qua ignorat, & diuidet eum. Iterum quod præcepit Petrus: Non vt dominantes, sed quasi episcopatum tenentes. Item Paulus: Nouitates vocum deuita, generant enim lites, & sermo eorum sicut cancer serpit. Item: Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti. De qua prosperatione prima populi Christiani, & de aduersitate nouissima prophetatur in Psalmo. De prosperatione prima sic: Tunc locutus es in aspectu filiis tuis, & dixisti: & cætera quæ sequuntur. De aduersitate autem nouissima sic: Tu verò repulisti, & pro nihilo deduxisti & distulisti Christum tuum, & cætera quæ sequuntur. Vide quia quomodo tunc in regno Iudæ quidam reges extiterunt peccatores, quidam autem mediocriter peccatores: in regno autem Israël nemo regum inuentus est iustus: sic & in Ecclesia Christi inueniuntur quidem episcopi boni & peccatores: in hæresibus autem nemo inuenitur omnino rectus: sed omnes peruersi: quia in auro quidem inuenitur scoria & sordes, in sordibus autem non inuenitur aurum. *Roboam autem genuit Abiam.* Abias autem interpretatur pater veniens, vel patris mei hic. Forsitan hic Abias similis natus fuerat patri suo in corpore, ideo appellauerunt eum pater veniens, quasi alter pater nascens: vel patris mei hic, quasi patris sui hic esset imago. Prouidentia autem Dei sic ordinauit eum vocari: quia sicut Roboam cœpit rectè, postea autem extitit peccator in Deum, sic & Abias. *Abias autem genuit Asa.* Asa autem interpretatur vnguentum. Iste enim Asa valde perfectus fuit corde, & placens Deo, sicut Regnorum liber ostendit. Propter hoc forte à Deo est ordinatum, vt appellaretur vnguentum: Quia sicut vnguẽtum & in hyeme floridum est & boni odoris, & homines suo odore delectat, atq; impinguat, cum ex eo vncti fuerint: sic & Iustus, & in hyeme tentationis immarcescibilis est, & fidelis manet. Sicut fuit in Asa, qui & bonæ opinionis est, & historia scripta de eo delectat legentem, & ædificat, & impinguat, & ad desiderium suæ sanctitatis excitat viros prudentes. *Asa autem genuit Iosaphat.* Iosaphat autem interpretatur dominus iudex: puto quod Asa pater eius cum propter iustitiam eius eum dominus prosperasset in omnibus, & inimicos eius confregisset ante faciem eius, sicut scriptura testatur Regnorũ, quasi in ipso nomine filij sui confessionem offerens Deo iudici iusto, vocauit eum dominus iudex. Nam verè iusti iudicis est bene agentem remunerare, & negligentem corripere, sicut fecit Deus Asa. Nam postquam Æthiopum &

Prou. 5.

Salomon.

Luc. 12.

1. Petr. 5.
2. Tim. 2.
Ibid. 1.

Roboam.

Psal. 88.

Ibid.

3. Reg. 12.
& Par. 10.

Abias.

Asa.

3. Reg. 15.

Iosaphat.
1. Par. 5.

1. Reg. 15.

pum & Libyum virtutem innumerabilem Deus deposuisset ante faciem eius, posteà aduersante sibi rege Israël Basa, Syrorum auxilium petiit aduersus eum: propter quod & misit ad eum Ananiam prophetam dicentem hæc: In quo confidis te regem, & non confidis in dominum Deum tuum? propterea labefacta est virtus Syriæ de manu tua. Nónne Æthiopes & Libyes erant in virtute magna, & in currus, & equites, & multitudinem copiosam? & quum confideres in Dominum, tradidit illos in manus tuas: quoniam oculi Domini respiciunt in omnem terram, ad conseruandum illum qui est perfecto corde ad eum, & euanuisti de isto. Propter quam diffidẽtiam puto quod & in senectute doluit pedes, quia Dominus iustus iudex per omnia fuit in eo. Nam nec modicam iustitiam seruorum suorum sine remuneratione relinquit, nec modicam culpam sine correctione dissimulat. Sed & in filium eius Iosaphat, qui hoc nomine vocabatur. iustus extitit iudex, quoniã & ipse cõsummatus fuit, sicut pater eius Asa, & adhuc amplius. Propter hoc & dominus iustus iudex amplius adhuc exaltauit & glorificauit Iosaphat, quàm patrẽ eius Asa, ita vt omnes reges in circuitu munera ei offerrent, quemadmodum Salomoni. Sed tamen quum fecisset amicitias cum Achab, & dedisset ei auxilium ascendẽti ad bellum, circundederunt eum currus: & cùm iam periclitaretur occidi, exclamauit ad Dominum, & eripuit eum. Cùm autẽ interfecto Achab reuerteretur in Hierusalem, misit Deus ad eum Iehu prophetam filium Ananiæ, dicentem: Si peccatorem illum adiuuisti, & illis qui oderũt Deum amicus es, & in hoc super te ira à facie Domini descendisset, nisi sermones boni inuenti fuissent tecum, quoniam abstulisti lucos de terra Iuda, & parasti cor tuum ad requirendum Dominum. Vides quia nec dare oportuit auxilium inimicis Dei, nec ab eis accipere? Quoniam autem nec accipere oportet ab inimicis Dei, docet nos supradicta historia de Asa. Quoniam verò nec dare, instruit nos hæc scriptura de Iosaphat. Qui enim petit auxilium ab inimicis Dei, de auxilio Dei desperat, vtiliores †* sibi existimans inimicos Dei, quàm Deum. Qui autem dat auxilium inimicis Dei, aduersatur Deo. Deo enim volente conterere inimicum suum, ipse eum defendere tentat. *Iosaphat autem genuit Ioram.* Ioram autem interpretatur Dominus altitudo. Hic Ioram similiter sicut pater suus Iosaphat, prosperatus est nimis, & exaltatus in regno: quasi confidens in Domino vocauit filium suum natum, Dominus altitudo: tanquam si dicat, Dominus est altitudo mea, qui me non merito meo, sed misericordia sua fecit in altitudine. Forsan & prouidentia Dei quia impius erat futurus & superbus, sic eum nominari disposuit. Nam iste Ioram in magnitudine diuitiarum elatus est, & valde impiè se gessit in Deum, sicut libri Regnorũ & Paralipomenon testantur. Habẽs vxorem nomine Godoliam filiam Iezabelis, & Achab eius consilio vtens, valde extitit iniquus in Deum & elatus, ipsam altitudinem sibi quasi Deum vel Dominum fecit, confidens in altitudine. Omnis enim homo malum ipsum cui seruit, dominum sibi facit: Nam ita elatus est, vt & fratres suos omnes occideret, quos ei quasi adiutores & cõsiliarios reliquerat pater. Propter quæ omnia percussit eum Dominus passione grauissima & diutina, ita vt ante biduũ mortis suæ intestina sua putrefacta iactaret. *Ioram autem genuit Ochoziam. Ochozias autem genuit Ioam. Ioas autem genuit Amasiam. Amasias autem genuit Oziam.* Sed iustè vsque ad tres generationes ex eo sanctus Spiritus per Matthæum præcepit de numero regum tollere de immundo & maledicto semine natos, in generationibus Christi spernens connumerare. Ioram autem ex semine Achab & Iezabel, accipiẽs sibi vxorem Godoliam nomine, genuit ex ea Ochoziam. Ochozias autem genuit Ioam. Ioas autem Amasiam, in quo completur generatio quarta seminis iniqui & maledicti. Achab enim rex Israël accipiens sibi vxorem Iezabel filiam Sidonij regis, contra Dei præceptum impiam nimis, multas impietates commisit in Dominum, illa se instigante. Propter quod Spiritus sanctus per prophetam contestatus est dicens: Vt disperderet omnem masculum de domo Achab. Quam prophetiam impleuit Iehu filius Nanzi vnctus à puero qui missus erat ab Helisæo, & accepit promissionem, vt vsque ad quartam generationem sedeant filij eius in sede regni super Israël. Quanta ergo benedictio facta est super Iehu, qui vindictam fecerat super domum Achab: tanta fuit maledictio super domum Ioram propter filiam iniqui Achab & Iezabel, vt vsque ad quartam generationem præcidantur filij eius de numero regum, & sic peccatum eius descendit in filios eius, sicut fuerat scriptum. Peccata patrum reddam in filios, vsq; in tertiam & quartam generationem. Videte ergo per istam scripturã, quàm periculosum est inire coniugia ex genere impiorũ, sicut Ioram: & quàm gloriosum est vindictam in impios facere, sicut fecit Iehu. Quantum ergo ad historiam regnorum pertinet, Amasias genuit Oziam: quantum ad Matthæum: Ioram genuit Oziam. Vnde Ozias interpretatur filius nobilis. Qua autem causa vocauerit eum pater filium nobilem, non potui æstimare, nisi fortè si quis æstimet eum speciosum fuisse natum, aut fortè primitiuum fuisse: quoniam tunc primitiui apud illos clari & honorabiles habebantur: tum & secundum Deum, quantum ad alios qui ex maledicto semine descenderant reges. Etiam secundùm Deum nobilis fuit, quia fecit Ozias quod placitum erat Deo, & in omnibus à Deo adiutus est, propter quod cum fuisset à Deo prosperatus, elatũ est cor eius, & dignum se æstimauit etiam sacerdotali officio fungi. Nam cùm vsurpasset sibi thuribulum inferre in templum, & resisterent ei filij Aaron & Leuitæ, quasi illicita appetenti, communicatus est eis, quasi rex potestate subnixus. Cõfestim autem Deus percussit eum lepra, & visa est lepra bis in fronte eius, & exiliuit foras, & sedit domi vsque ad mortem suam leprosus. Videte quàm illicitum est vsurpare opus quod à Deo non est commissum. Quale facit peccatum laicus vsurpans sibi opus clericale, tale facit peccatum & Lector, si vsurpauerit opus diaconi: & diaconus, si vsurpauerit sibi presbyteri opus: & presbyter, si episcopalem appetierit potestatem. Vide quomodo secundum quod prolongabatur generatio orta de illa maledicta familia, sic paulatim per generationes minuebatur in eis iniquitas. Ecce enim Ochozias peior fuit omnibus post Ioram patrem suum. Interpretatur autem Ochozias possessio inuisibilis. Patrem autem eius cum fuisset impius, nõ possumus suspicari secundùm Deum posuisse filio suo vocabulum possessio inuisibilis: nisi fortè secundùm diabolum, à quo seductus variis fluctuabatur erroribus. Huius autem filius Ioas iam melior fuit eo, sed non ad plenum. Nam quãdiu vixit Ioiada sacerdos, qui vnxerat eum in regem, valde puerum dilexit, & eripuit eum de manu Athaliæ auiæ suę, quæ occiderat omnes nepotes suos, & ipse fecit quòd placitum erat Deo. Postquã autẽ mortuus est Ioiada, quem fortè erubescebat quasi sanctum sacerdotem, & quasi authorẽ vitæ suę & regni, mutatus est, & fecit malũ ante Deum. Deniq; cum induisset Spiritus sanctus Zachariam filium ipsius Ioiadę, & dixisset ei: Hæc dicit Dominus, quare præteristi mãdatum Domini? non erit vobis in prosperum, quoniam dereliquisti Dominum, & ille derelinquet vos. In-

validiores.

Ioram.

Ochozias.

Ioas.

Ozias.

2. Par. 19.

2. Para. 21.

2. Par. 26.

1. Par. 23. & 24. & 4. Re. 12.

2. Par. 24.

Universidad de Deusto
Biblioteca

surrexerunt in eum, & lapidauerunt eum ex præcepto regis: propter quod & conuenienter nomen eius interpretatur temporis prolongatio, quia prolongatio temporis mutauit eum in peius. Item Amazias paulò melior extitit, quàm Ioas: nam Amazias filius eius in primis placuit Deo, sicut Ioas, sed postea malignatus est sicut Ioas: secundùm hoc fuit melior quàm Ioas pater suus, quia Ioas corripientem se prophetam lapidibus interfecit, & hoc ob filium Ioiadæ sacerdotis regificatoris sui. Amazias autē cum misisset ad eum Deus Balaam prophetam dicentem: Quare quæsisti deos, qui non liberauerunt populum suum de manu tua? non interfecit, sed comminatus respondit ei: Nunquid consiliarium regis dedite? caue tibi ne flagelleris. Item Ozias filius Amaziæ melior fuit omnibus illis præcedentibus ante se: & si non fuit irreprehensibilis, quia opus sacerdotij affectauit. Vide nunc secundùm hoc & Dei iudicium iustum. Sicut enim Ozias prolongato numero generationum minus malus extitit cæteris ex generatione maledicta progenitis, non tamen perfectus fuit: quia adhuc aliquid habuit generationis illius: sic & Deus non eum præscidit de numero regum, quia fecit quod placitum est Deo. Percussit autem eum lepra propter iactantiam eius, vt domi sederet: vt videretur non de numero generationis Christi præcisus, sed fruitionis regni ex parte fraudatus. *Ozias autem genuit Ioathan.* Ioathan interpretatur perfectus, vel dominus immaculatus. Et verè perfectus fuit hic Ioathan, & quantum ad reges se præcedentes dominus immaculatus: quia fecit quod placitum erat Deo, & nulla reprehensio eius legitur in scriptura Regnorum. *Ioathan autem genuit Achaz.* Achaz autem interpretatur firmamentum Domini, aut virtus. Ioathan autem cùm esset rectus & fidelis Deo, firmamentum suum & virtutem credens Dominum esse à quo & fuerat prosperatus in regno, quasi confidens firmamentum suum & virtutem credens Dominum esse, vocauit filium suum Achaz, & firmamentum Domini, vel virtutem. Ille autem non fuit firmamentum Domini, neque virtus. Neque enim firmauit eum Deus in bono, sed diabolus in malo, qui fuit dominus eius. Nam valde impie gessit in Deum, sicut testatur scriptura Regnorum & Paralipomenon. Quòd autem appellatus est Achaz firmamentum Domini, vel virtus, religionem quidem patris eius ostendit, ipsius autem duriciam: † quia sicut à cūuersatione patris factus est longè, sic & à proprietate nominis sui seipsum præcidit, nisi fortè quod apud Esaiam prophetam positum est hoc modo: Et factum est in diebus Achaz filij Ioathan regis Iuda, ascendit Rasim rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ rex Israël ad Hierusalem expugnare eam, & non potuerunt eam debellare. Et annunciatum est in domo Dauid à dicentibus: Consensit Syria cum Ephraim, & expauit anima eius, & anima plebis eius, sicut in sylua arbor, † cùm à vento commouetur. Et dixit Dominus ad Esaiam: Exi in obuiam Achaz tu, & qui relictus est Iasub filius tuus, ad piscinam superioris viæ villæ fullonis, & dices ei: Vide vt quiescas, & noli timere, neque anima tua langueſcat à duobus titionibus fumigantibus istis. Cùm enim ira furoris mei facta fuerit, iterum sanabo: quoniam filius Aram & filius Romeliæ, qui cogitauerunt cogitationem pessimam, dicentes: Ascendamus in Iudæam, & colloquentes eis, conuertamus eos ad nos, & regem statuemus eis filium Thabeel. Hæc dicit Adonai dominus Sabaoth. Non manebit cogitatio ista, neque sic fiet. Forsitan sic confortatus Achaz cùm genuisset filium, vocauit nomen eius Ezechias. Ezechias autem interpretatur, confortauit Dominus. Verè completa est in Ezechia confortatio Domini, cui animus extitit sanctus super omnes reges, qui fuerunt ante eum. Nam inter cætera bona, quæ meritò præstitit ei Deus, cùm misisset ad eum Sennacherib rex Assyriorum, Rapsacem principem militiæ suæ, & libellum plenum improperiis & blasphemiis contra Deum, sicut exponit Esaias propheta: Ezechias accepit libellum illum, & ingressus in templum apparuit ante Dominum, & orauit, & cōfestim missus est ad eum Esaias propheta, annuncians ei protectionem Dei, & confortans eum, & exiit ad preces Ezechiæ angelus à facie Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia virorum. Qualia autem fuerint verba Rapsacis, vel qualis oratio Ezechiæ, vel qualis confortatio Esaiæ, lege in Esaia, & profert causam excitationis in populo, *Ezechias autem genuit Manasses.* Manasses autem interpretatur, ab insurgente, vel ex obliuione: quam interpretationem commendat & liber Geneseos, vbi cùm natus fuisset in Ægypto filius Ioseph, vocauit nomen eius Manasses, dicens: Obliuisci me fecit Dominus laborum meorum, & laborum omnium domus patris mei. Si ab insurgente intelligatur, sic possumus dicere: quia fortè ab insurgente Sennacherib contra eum, liberauit eum Dominus: ideo quasi gratias agens Deo postea in nomine filij sui, vocauit eum Manassen. Si autem intelligatur ex obliuione, rationem alio modo possibile est existimare: quoniam non faciebat filium, propter quod cum genuisset filium, vocauit nomen eius ex obliuione, quasi ex desperato filium sibi natum. Hæc secundùm propositum bonum æstimabimus patris, alioqui secundùm actum pessimum Manasses, aliter est æstimandum: quoniam quidem pater eius in illo prædicto proposito vocauit eum Manassen. Prouidentia autem Dei sic eum dispensauit vocari, quia obliturus fuerat omnem conuersationem patris sui sanctam, & omnia beneficia Dei pro merito eius collata in ipsum, & stimulatus ab insurgente diabolo, qui solet insurgere super genus humanum ad euertendum, gesturus omnia quæ Deum ad iracundiam prouocarent. Deniq; cùm ægrotasset Ezechias in tempore quodam, & venisset ad eum Esaias propheta visitandum, vocauit Ezechias filium suum Manassen, & cœpit ei mandare, quòd debeat Deum timere, quomodo regere regnum, & alia multa. Et dixit ad eum Esaias: Verè quia non descendunt verba tua in cor eius, sed & meipsum oportet per manum eius interfici. Quod audiens Ezechias, volebat filium suum interficere, dicēs: Quia melius est me sine filio mori, quàm talem filium relinquere, qui & Deum exasperet, & sanctos eius persequatur. Tenuit autem eum vix Esaias propheta, dicens: Irritum faciat Deus consilium tuum hoc, videns Ezechię religionem, quia plus amabat Deū, quàm filium suum. Tamen cum multa gessisset impiè hic Manasses, adduxit super eum Deus principes virtutis regis Assur, & comprehenderunt Manassen in vinculis, & ligauerunt eum in compedibus, & perduxerunt eum in Babyloniam, & erat ligatus & catenatus in domo carceris, & dabatur ei panis hordeaceus ad mensuram modicus, & aqua cum aceto modica ad mensurā, vt viueret tātum, & erat constrictus in doloribus valde. Et ideo cùm vehemēter affligeretur, quæsiuit faciē domini Dei sui, & orauit Deū qui omnibus adstat, & exaudiuit Dominus vocē eius, & misertus est ei. Et facta est circa eum flamma ignis, & liquefacta sunt omnia vincula eius. Liberauitque Dominus Manassen ex omni tribulatione eius, & reuersus est in Hierusalem in regnum suum, & cognouit Dominum Manasses, dicens: Ipse est solus Deus. Et seruiuit soli domino Deo in toto corde suo, & in tota anima sua omnibus diebus vitæ suæ, & reputatus est iustus: & ideo

Amazias.
2. Par. 25.
Ioathan.
Achaz.
differentiam.
Esa. 7.
4. Reg. 15. & 16.
arundo.
Esa. 7.
Ezechias.
Esa. 37. per totū.
Manasses.
Gen. 41.
4. Re. 21. & 2. Para. 32. & seq.

ideo fortè vocatus est, ab insurgente, vel ex obliuione, quia liberauit eum Dominus ab insurgente, & ex obliuione Dei factus est memor Dei. *Manasses autem genuit Amos,* † qui interpretatur fortitudo. Et siquidē ante pœnitentiam genuit Amos, cùm malignaretur in idolis, non possumus æstimare quasi religionis causa vocauerit eum fortitudinem, sed causa audaciæ corporalis: sicut solent & barbaræ gentes nomina filiis imponere, ad deuastationem respicientia bestiarum, ferarum, vel rapacium volucrum: gloriosum putantes filios tales habere, ad bellum idoneos, & insanientes in sanguinem. Si autem post pœnitentiam genuit eum, credibile est quòd causa religionis vocauerit eum fortitudinē. Adhuc interpretatur Amos & aliter onerātis, vel populum abrumpentis. Quòd si ante pœnitentiam genuit filium, non animaduerto qua causa sic nominauerit eum: si autem post pœnitentiam, idonea ratio est. Memor enim gestorum suorum malorum humilitatis causa, ad suiipsius arguitionem vocauit eum, onerantis, vel populum abrumpentis: ac si dicat, filius peccatoris: quoniam rex qui peccat, & seipsum onerat, & abrumpit à Deo, etiam populum suo exemplo onerat peccatis, & abrumpit à Deo: sicut fecit Manasses, onerans & abrumpens populum à Deo, exemplo suæ impietatis. Nam ipse Amos nō fuit fortitudo secundùm Deum, sed fortitudo secundū diabolum. Fuit enim valde iniquus, vt extant opera sua maligna, quibus imitatus fuerat Manassen, vt etiā Deū posse se fallere æstimaret: dicens, Pater meus multa ex iuuentute sua iniqua fecit, & in senectute sua pœnituit, & ego nunc ambulabo secūdùm quod desiderat anima mea, & postmodum cōuertar ad Dominum. Sicque factus est fortitudo maligna, & onerauit seipsum pernicioſioribus oneribus, & suę mālignitatis exemplo abrupit populum suum magis à Deo, quàm pater eius. Ideóque forsitan sic est nominatus secundùm prouidentiam Dei, & exterminauit eum Dominus Deus velociter. Attēdite ergo laici, ne quis ex vobis cogitationem Amos in corde suo ponat: quoniam qui talia cogitans peccat, non ex infirmitate carnis deuictus delinquit, sed ex proposito malo, qui amicus est mali ipsius. *Amos autē genuit Iosiam,* quod interpretatur, vbi est hostia Domino, aut salus Domini. Forsitan Amos secundùm cor suum auersum à Domino, vocauit filium suum, vbi hostia Domino, aut salus Domini est: hoc est, quia quod nusquā est, neque prodest. Prouidentia autem Dei secūdum quod futurus fuerat Iosias, dispensauit ei nomen imponi, vbi est hostia Domino: aut salus Domini: quoniam verè in illo fuit hostia Domini. Tale enim sacrificium obtulit domino Deo, quale nec ante eum aliquis regū, nec post eum. Et ipse fuit hostia Deo, secundùm quod mandat Apostolus, Vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuā, sanctam, Deo placentem. Et ipse fuit populi sui in tempore suo à Domino salus. De cuius laudabilibus factis nihil tale dicere possumus, qualia testatur scriptura Regnorum & Paralipomenon. Vide qualis fuerit, vt etiam ante multas generationes nascituri eius nomē prophetaretur, quia Iosias est nomen eius. Tertius enim Iosias est, cuius nomē prophetarum est priusquam nasceretur. Ii tres sunt, Sampson, Iosias, Ioannes. *Iosias autem genuit Iechoniam.* Sed non sic positum est in libro Regnorum, sed post mortem Iosiæ rex factus est Ioathas filius eius: quem veniens Pharao propter peccata eius adduxit in Ægyptum, & in loco eius posuit Eliachim regem fratrem ipsius alterum filium Iosiæ, qui interpretatur, Dei adiudicatus: & vocauit eū alio nomine Ioachim, quod interpretatur, Domini præparatio. Cùm autem & ipse Ioachim malignatus fuisset in Deum, quasi verè impius † * in condemnationem adiudicatus à Deo, & postea præparatus ad euersionem Iudæ, secundùm iracundiam Dei veniens rex Assyriorum adduxit eum in Babyloniam, & factus est in loco eius rex Iechonias filius eius, quod interpretatur, præparans Domino.* Cùm autem & ipse malignatus fuisset in Deum, præparans seipsum Deo ad iram, adductus est & ipse à rege Assyriorum in Babyloniam cum omnibus suis: & factus est rex in loco eius à rege Assyriorum frater eius Sedechias, sub quo & totus transmigratus est Iuda. Ergo talis est ordo: Iosias genuit Eliachin, postea vocatum Ioachim. Ioachim autem genuit Iechoniam, *Iechonias autem genuit Salathiel, post transmigrationem.* Secundùm ergo Regnorum scripturam, Ioachim est quartusdecimus à Salomone, & ipse est filius Iosiæ. Iechonias autem primus vsque ad Christum, qui verè non fuit filius Iosiæ, sed nepos, filius † Ioachim: Aut secundùm euangelium quidem, in quo Iechonias filius dicitur esse Iosiæ: si inter præcedentes generationes computetur Iechonias quasi quartusdecimus, reliquæ generationes vsque ad Christum à Salathiel computatæ, inueniuntur tredecim esse: si autem inter reliquas quasi primus ponatur, ipsæ præcedentes generationes à Dauid computatæ vsque ad Iosiam, inueniuntur tredecim esse. Quid ergo? Ioachim sublatus est de numero regum, & iustè: quia non populus Dei constituerat eum in regnum, sicut erat consuetudo in regibus constituendis: sed Pharao per potentatum, ideo quantum ad eum non fuit rex Ioachim. Si enim iustum fuerit, vt propter solam commixtionem generis Achab & Iezabel tollerentur de numero regum supradicti tres reges, quanuis à populo legibus fuerant constituti in regno: quare non erat iustum vt similiter tolleretur & Ioachim, quem Pharao † in regno hostili fecerat regem, & non populus Dei præuio iure. Et sic Iechonias iste, qui est filius quidem Ioachim, nepos autem Iosiæ, sublato patre suo Ioachim de numero regū, ipse positus est pro eo quasi filius Iosiæ. Et bis nominatur in Euangelio, semel quidem ante trāsmigrationem, videlicet pro numero quartodecimo. Iterum autem nominatur post transmigrationem, quasi pro numero primo, hoc modo: Iosias autem genuit Iechoniam, videlicet quartumdecimum. Iechonias autem post transmigrationem genuit Salathiel, videlicet quasi primus. Et inuenitur Iechonias hic duorum numerum tenere, patris sui, & suum. Hic enim Iechonias cùm esset vnus, duas habuit conditiones: Fuit enim & rex ante transmigrationem, quasi regificatus à populo Dei: factus est & priuatus post transmigrationem, quasi ductus captiuus. Ideo ante transmigrationem quidem computatur inter reges quasi rex, post transmigrationem autem computatur inter priuatos quasi priuatus. Quomodo autem vis vt posuisset euangelista? Si dixisset, Iosias genuit Ioachim in quartadecima generatione, Ioachim autem genuit Iechoniam: Iechonias autem post transmigrationem genuit Salathiel, extra quòd à Pharaone regificatus computabatur Ioachim inter reges Iuda: iustè † adhuc inueniebātur ante transmigrationē quidem quatuordecim reges, post transmigrationem vnus rex, & tredecim priuati. Et si Iechoniam posuisset inter reges priores, inuenirentur quidem quindecim generationes regales ante transmigrationem, tredecim autem priuatæ post trāsmigrationem. Et siue illo, siue hoc modo, irrationabile aliquid dicere videbatur euangelista, & mysterium quod proposuerat, non ostenderet. Vides quia sapienter voluit euangelista Iechoniam dupliciter esse, primùm quidem inter reges quasi quartum decimum & ipsum deinde post transmigrationem inter priuatas generationes primum, quasi priuatum & ipsum. Nam cùm constet computato etiam Ioachim à Dauid

Amos. Amon, & sic deinceps.
4. Reg. 21 & 2. Paral. 33.
Iechonias
* verè & prius ipse.
Iosias.
4. Reg. 23 & 2. Paral. 35. Rom. 12.
Deo.
Saladiel.
Filius autem Ioachim secundum, &c.
Pharao vi.
iniustè.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vsque ad Christum viginti & octo esse generationes: quid impedit, vt Ioachim sublato, rationabiliter filius eius Iechonias dupliciter nominetur, vt mysterium quod euangelista proposuit, explicet, & de numero generationum non mentiatur? Nec obest quòd filius Iosiæ dictus est, cùm sit nepos: quoniam & nepotes rectè filij appellantur. Iechonias autem genuit Salathiel, quod interpretatur, petitio Dei. De Salathiel quidem nihil legimus, vel boni, vel mali: tamen putamus eum sanctum fuisse, & in captiuitate assiduè Deum petiisse pro ipsa calamitate quæ contigerat Israël, & ideo petitionem Dei eum appellatum fuisse. *Salathiel autem genuit Zorobabel.* Interpretatur autem Zorobabel, fluitio postposita, vel ex commixtione, vel hic doctor Babyloniæ. Legi, si verum est, nescio, quia sacerdotale & regale genus mixtum est in Zorobabel, sicut inferius exponemus. Et fortè ergo propter hoc dictus est, ex cõmixtione. Per istum autem Zorobabel dimissi sunt omnes filij Israël, & reuersi sunt in propriam terram cum gaudio magno, sicut Esdras propheta exponit. Cùm enim esset Zorobabel in ministerio Darij regis, controuersia facta est inter eum & duos alios regis ministros, quid esset fortius in mundo: & vno dicente, quia nihil est fortius quàm vinum: altero autem, quia nihil fortius est quàm rex: Zorobabel dixit, nihil fortius est quàm mulier & veritas. Quibus de hoc sine fine certantibus, ventum est vsque ad sententiam Darij regis, quo residente cum principibus suis ad iudicandum, contenderunt tres, singuli pro sua sententia. Verba contentionis eorum, qui vult scire, legat Esdram Prophetam. Tamen vicit Zorobabel, & iudicio Darij & omnium principum pronũciatum est, omnibus fortior veritas est. Cùm autem diceret ad eum Darius rex cum iuramẽto, pete à me quod vis, vsque ad dimidium regni mei, respondit Zorobabel: Ego non peto regnum tuum, sed ipse vtere eo in æternum: sed hoc peto, quod cœpit pater vester Cyrus rex ante vos, vt dimittatis captiuitatem filiorum Israël redire in sua. Darius concessit. Exiens autem Zorobabel, gratias egit Deo, dicens: Benedictus es Deus & Pater veritatis, quòd sapientiam hanc in os meum misisti. Et ideo inuentus est rectè secundùm prouidentiam Dei nominatus Zorobabel, id est, hic doctor Babyloniæ. Quæ autem maior doctrina est, quàm ostendere veritatem dominatricem esse omnium rerum? Et impletum est in eo quod fuerat scriptum: Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est. Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Super seniores intellexi, quia mandata tua exquisiui. Vel, fluitio postposita: id est, quia desluitionem regni ad se decurrentem postposuit, & elegit redemptionem populi sui. De residuis autem generationibus, nec scripturam aliquam me recordor legisse, nec fabulam aliquam aliquando audisse. Hoc autem in fine notandum est, quòd quicunque regum placuerunt Deo, diutius regnauerunt, & prosperati sunt, & inimicos eorum humiliauit Deus sub manibus eorum. Quotquot autem malignè gesserunt, velociter & à regno, & à vita cum amara morte præcisi sunt, & humiliauit eos Deus sub inimicis eorum. *Omnes ergo generationes ab Abraham vsque ad Dauid, generationes quatuordecim.* Cùm potuisset Euangelista breuiter numerum generationum explicare, dicens: Ab Abraham vsque ad Christum generationes sunt quadragintaduæ: qua ratione ter generationes præcidit, & in tres partes diuisit per generationes quatuordecim? Quia ter completis quatuordecim generationibus mutatus est in Iudæis hominum status. Ab Abraham enim vsque ad Dauid fuerunt sub iudicibus: à Dauid vsque ad transmigrationem, sub regibus: à transmigratione vsque ad Christum sub pontificibus. Hoc ergo vult demonstrare, quoniam sicut semper ter completis quatuordecim generationibus, mutatus est hominum status: sic completis quatuordecim generationibus à transmigratione vsque ad Christum, necesse est à Christo mutari similiter hominum statum: quod & factum est. Post Christum enim iam non sub iudicibus multis, nec sub regibus multis, nec sub pontificibus multis fuerunt: sed omnes generationes sub vno Christo, & iudice, & rege, & pontifice factæ sunt: quia trium illorum statuum solus habuit dignitatem. Vnde quoniam & iudices, & reges, & pontifices, tres Christi dignitates præfigurabant, semper principia eorum in figura fuerunt Christi. Primus iudicum, Iosue: † primus regum, Dauid: primus pontificum, Iesus filius Iosedech. Hos in figura Christi fuisse dubitat nemo. Fortè ideo quatuordecim generationes ponuntur, id est, quater decem, hoc est quater Christus. Iota enim litera, Christi mysterium habet. Ideo ergo quatuordecim, quoniam ter quidem figuratus Christus ostensus est, quartò autem verus Christus apparuit. Qua ratione apud Lucam septuagintaseptem generationes ponuntur Christi renascentis ex baptismo, in proprio exponemus loco. Hîc autem dicamus, qua ratione quadragintaduæ generationes ponuntur Christi secundum carnem nascentis in mundum. Quadragintaduo enim, sex septimanarum numerus est. Sex autem numerus, operis & laboris numerus est, quoniam in sex diebus factus est mundus, qui positus est in opere, & labore, & dolore. Conuenienter ergo Christi nascentis in mundum ad laborem & dolorem quadragintaduæ generationes ponuntur, mysterium continentes operis & laboris. *Generatio autem Christi sic erat.* Quoniam superius dixerat, Iacob autem genuit Ioseph, cui desponsata Maria genuit Iesum: ne aliquis audientium æstimaret sic esse Christi natiuitatem, quomodo præcedentium patrum, ipse ordinem suæ narrationis præcidens addidit, & dicit: Generatio autem Christi sic erat: ac si dicat, generatio quidem eorum quos exposuimus patrum, sic fuit quemadmodum retuli: Christi autem generatio non ita, sed sic. Quomodo? *Maria cùm esset desponsata Ioseph, priusquam conuenirent, inuenta est in vtero habens.* id est, ex virgine sine patre, vt eius generationem enumerans, de semine Dauid eum descendisse ostendat secundùm Dei promissa, & extra naturam humanam, natiuitatem eius exponens factam, mysterium deitatis eius aperiat. Nec enim dignum erat, vt vnigenitus Dei, non propter se, sed propter homines nascẽs, more nasceretur humano. Homo enim in carne nascitur, vt corruptioni subiaceat: Christus autem natus est, vt sanet corruptionem. Sicut ergo non est consequens, vt corruptibilis homo nascens, ex incorruptibilitate virginitatis nascatur: sic non erat consequens, vt vnigenitus Dei, qui ideo nascebatur, vt corruptionem sanaret, nasceretur ex corruptione coniugij. Homo ex necessitate nascitur, vt sit: Christus autem non ex necessitate naturæ, vt esset: sed ex voluntate misericordiæ, vt saluaret. Quomodo ergo iustum est, vt vnum eundémque habeant natiuitatis honorem necessitas & voluntas? Meritò ergo contra naturæ humanæ regulam natus est, quia erat super naturam. Vide autem nouam & admirandam Christi natiuitatem, id est, per homines peccatores, per mulieres meretrices, & adulteras, & gentiles. Sed talis generatio non sordidat dignitatem Christi, sed commendat misericordiam ipsius. Sic erat mirabilis, vt qui patres per adoptionem fecit & genuit, à filiis nasceretur. Facti sunt patres eius, quorum non erat filius. Iste illis beneficium præstitit, vt esset filius eorum.

Zorobabel.
1.Esdr.2. & Ioseph. antiq.lib. 11.cap.1.
2.Esdr.3. & 4.
Ibid.4.
Psal.118.
Iesus Naue.
Iota.
Matt.1.
Miranda Christi natiuitas, scilicet per peccatores.

rum. Illi autem nihil isti præstiterunt, vt essent patres ipsius. In hominibus * patres filios sibi adoptãt, quos ipsi desiderant: hîc autem filius sibi adoptauit patres, quos ipse elegit. Illic filij à patribus suscipiunt generositatis dignitatem, hîc autem patres à filio susceperunt. *Cùm esset desponsata mater eius Maria Ioseph, priusquam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Quoniam futurum erat, vt omnes sancti de virgine nascerentur Ecclesia desponsata Christo, ideo Christus nascitur de virgine desponsata, ne dignius nascerentur serui quàm dominus. Sed vt per omnia filij paternæ natiuitatis perfectum imitarentur exemplum, ideo & Maria despõsata erat fabro lignario: quoniam & Christus sponsus Ecclesiæ omnem salutem hominum, & omne opus suum per lignum crucis fuerat operaturus. Ideo autem & desponsata & domi habita, vt desponsatio ipsa fidelis esset, & fornicationis opprobrium à matre repelleret, & virginitatis gloriam † nascituro Domino reseruaret. Sic enim quia in domo sponsi peperit, infideles Iudæi dixerunt, Nonne hic est Iesus filius Ioseph? quanto magis si extra domum sponsi peperisset, dicturi fuerant: Nonne hic est Iesus filius meretricis? Nam quemadmodum in ea quæ in domo viri concipit, intelligitur conceptio maritalis: sic in ea quæ extra domum concipit, est suspecta cõceptio. Magis ergo voluit Dominus, vt haberet mater eius maritalem suspicionẽ, quàm fornicationis opprobrium pateretur. Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens. Non dixit, priusquam acciperet: sed, priusquam conuenirent, inuenta est in vtero habens: quia iam accepta erat in domo. Virginitas enim est incorruptibilitas: incorruptibilitas autem virginitas † ipsa syncera. Ideo ergo antequam conuenirent conceptus † est Christus, vt nec de corruptione incorruptibilitas nasceretur, nec ex passione corporis vtriusque templum sibi Dominus fabricaret. Dico autem non ad desperationem & confusionem nuptorum, sed ad consolationem & gloriam continentium, quoniam hæc ipsa coniunctio maritalis, malum est ante Deum: non dico peccatum, sed malum. Nam quantum ad naturam rei ipsius, peccatum est, concessione autem Dei factum est vt non sit peccatum. Quomodo? Oportebat enim, vt homo corruptibilis nasceretur in mundo, vt posset tentari, vt tentatus coronetur. Si autem incorruptibilis factus fuisset, tentari non poterat. Si verò non tentabatur, nec coronabatur: quia incorruptibilitas tentationem non sentit. Ideo ergo factum est, vt ex passione carnis & sanguinis, & igne feruido in visceribus succedente humore, homo corruptibilis nasceretur, vt ne de bono malum nascatur, aut ex impossibilitate corruptio: sed vt de malo malum procedat, & ex passione corruptio generetur. Ideo ergo ista coniunctio maritalis cùm esset peccatum, quantum ad naturam rei ipsius, concessione Dei facta est licentia. Licentia dico facta est, non iustitia. Nam etsi propter necessitatem rei peccatum esse desiit, tamen iustitia esse non meruit. * Ideo vtentibus se, etsi pœnam non infert meredem tamen non præstat: & si non occidit, tamen non saluat. Vnde & propheta non ad indulgentiam Dei respiciens, sed ad spurcitiam ipsius operis, dicebat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea: id est, quid mirum si peccaui, qui de peccato sum natus? Secuta est enim generationem suam natura peccati. Nam si matrimonium ipsum placitum esset Deo, nũquam abstinentibus se ab illo gloriosa promitteretur corona, nec sic amarentur à Deo, qui odiũt illud. Non enim ille remuneratur qui bonum fugit, sed qui malum. Vis autem scire quomodo licitum est matrimonium? quomodo aliquãdo licuit & sorores Hæc nomina filiarum Adam, quas in initio habuit post Cain & Abel, Rifam & Edoclam, & non peccauerunt. Quia peccatum illud raritas hominum & necessitas excusabat. Postea crescente numero hominum, ipsum malum reuersum est in naturam suam, & cœpit esse peccatum. Remansit autem in vsu, vt vni viro liceat habere plures vxores. Amplificato postea mundo, etiam hoc malum recepit naturam suam, & cœpit esse peccatum. Remansit autem in vsu, vt vnus vnam haberet vxorem. Nunc autem postquam venit plenitudo temporis, & fenuit mundus, scimus quale est consilium Dei, & quid vult, & quid est placitum coram illo. Sed ausi non sumus dicere propter homines incontinentes, in quorum corpore anima nihil agit, sed in toto illos possidet sanguis & sordidissimus ille vapor, de illo insano igne procedens. Denique commẽdauit † angelus Tobiæ in nuptiis eius, vt * cùm veniret ad illam consuetudinem humanam, surgeret prius & oraret, & sic diceret: Domine tu scis, quia non propter libidinem accepi vxorem, sed propter liberos procreandos: quia si aliter orasset, oratio eius Deo non fuerat placitura. vides ergo quia turpissimum opus illud carnis filiorum causa excusat. Nũc autem multiplicato sæculo, creandorum hominum occasio est extincta. Iam Deum nõ multitudo hominum, sed charitas sanctorum delectat. Ecce vna est libido quæ fornicationem generat, & quæ maritalem vsum ministrat. Sed sicut posuit mari terminos littora, dicens: Vsque huc venies, & hic te constringes: sic libidini carnali terminum posuit coniugium, vt vsque illuc veniens, illic se constringat. Sicut ergo mare si littora sua supergressum fuerit, peccat: ita & homo, si transgressus fuerit licentiam maritalem. Si ergo vna est libido in maritis, & in adulteris: quo modo potest fieri, vt vna eadémque res pro dimidia quidem parte sit iustitia, pro dimidia autem sit peccatum? Aut enim tota est peccatum, aut tota iustitia: quia vna est res. Verum est autem, quia libido iustitia non est, ergo tota peccatum est. Sed peccati illius pœna non imputatur, donec iste odibilis & corruptibilis transeat mundus. Ideo ergo Dominus conceptus est priusquam conuenirent, vt non ex passione carnis & sanguinis nasceretur: qui ideo venit, vt carnis & sanguinis solueret passionem, & mutaret in spiritum. Cui inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto? Sine dubio à sponso suo Ioseph, qui zeloso amore semper se admonente, vitam circunspiciebat Mariæ. Nam sicut historia quædam non incredibilis, neque irrationabilis docet, quando gesta sunt quæ refert Lucas, Ioseph absens erat. Nec enim conueniens est putare præsente Ioseph introisse angelũ ad Mariam, & dixisse quæ dixit, & Mariam respondisse quæcunque respondit. Si concedamus angelum potuisse intrare ad eam, & loqui, planè confestim Mariam abisse in montana cum festinatione, & introisse domum Zachariæ, & salutasse Elizabeth, & mansisse cum ea mensibus tribus, possibile non fuit præsente Ioseph: quia necesse erat, vt absentationis eius & mansionis diutinæ requireret causas. Postquam autem rediit peregrè post tot menses, & inuenit eam grauidam manifestè, forsitan ei comminatus est quasi sponsus, & de iudicio Dei terruit eam, quasi vir timoratus. Illa autem cùm videret se innocenter in suspicionem criminis decidisse, nec posse se iam excusare, testimonio ventris conuictam, cum lachrymis & suspirio clamans iurauit, dicens: Viuit dominus, nescio vnde sit hoc. Quo audito, timuit valde Ioseph, & ex parte credidit in ea aliquid esse diuinum. Nec enim timuisset, nisi ex parte aliquatenus credidisset. Ad hæc autem fidem verborum eius commẽdabat

omnibus.
gratiam.
veritas.
natus.
* incepit.
Psal.50.
al. cùm mãdaret. Tob.6.7. & 8. antequã.
Psal.103.
Caue.

Universidad de Deusto
Biblioteca

conuersatio eius sancta. Forsitan autem cùm esset iu- A
uenis, cœpit sibi cogitare de illa: Comessatrix aut vino-
lenta nunquam fuit: quoniam omnis mulier quæ vi-
nolenta est & comessatrix, etiam meretrix est. Nam siue in cibis, siue in libidinibus delectatio carnis est, quæ
præcipitat hominem. Mulier quoque quæ suauitatibus
gulæ suæ non contradicit, multò magis neque libidi-
ni suæ resistere acquiescit, sicut etiam Apostolus dicit:
1.Tim.5. Quoniam vidua quæ in deliciis est, viuens mortua est.
Non leuis, non iocosa, non cantatrix, non turpium
verborum amatrix, sicut solent plerunque puellæ, quæ
libenter talia aut loquuntur, aut audiunt. Siquidem im-
pudentiores sunt, libenter loquuntur: si autem vere-
cundiores, etsi loqui talia erubescunt, tamen delectan-
tur audire. Non super virum oculos suos extulit, nec
infixit aspectum. Hæc enim sunt documenta mulieris
Eccl.5. meretricis, sicut ait Salomon: Fornicatio mulieris in
extollentia oculorum eius. Hæc & alia similia tractans,
nihil horum inueniebat in ea: sed ex diuerso omnia B
laudabilia, omnia admiranda, quæ sine Spiritu sancto
possibile non erat esse in natura humana. Omnibus i-
gitur documentis, quibus fornicatio mulieris intelligi
& argui solet, deficientibus, sola apud eam remane-
bat suspicio gratiæ Dei. Propter hæc omnia æstimauit
eam habere in vtero de Spiritu sancto. Nam nulla res
sic castitatem mulieris viro commendat, sicut vita eius
disciplinata. Vbi enim timor Dei est, ibi & castitas est:
vbi autem non est timor Dei, ibi neque castitas est. Ca-
ro enim vrget, securitas mulieris adiuuat carnem: si ti-
mor Dei non fuerit qui resistat, quis eam teneat indaga-
tam? O inæstimabilis laus Mariæ, magis credebat ca-
stitati eius, quàm vtero eius: & plus gratiæ, quàm na-
turæ. Conceptionem manifestè videbat, & fornicatio-
nem suspicari non poterat. Possibilius esse credebat mu-
lierem sine viro posse concipere, quàm Mariam posse
peccare. Et quod maius est videre, vt sponsus de spon-
sa sua haberet, sic habuit Ioseph apud se. Frequenter C
enim viri, etiam si leuiter viderint mulieres suas aspici-
entes in alterum, mox excitantur in zelum: & quod
non est, illud suspicantur, quia ex magno amore nasci-
tur zelus. Hîc autem & maritalem zelum & vteri cla-
mantis accusationem, sola præteritæ conuersationis do-
cumenta vincebant. *Ioseph autem vir eius cùm esset iustus,*
& nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Cogi-
tabat enim forsitan apud se, si peccatum eius celauero,
facio contra legem Dei: & si propalauero filiis Israël,
lapidabunt eam. Timeo enim ne hoc quod est in vte-
ro eius, diuinitus sit. Nunquid non Sara nonaginta
Gen.17. & 21. annorum concepit, & peperit? Si illam quasi lignum
iam siccum fecit florere: quid si diuinitas partum isti
voluit sine viro donare? Nunquid ad virum pertinet ip-
sa conceptio mulieris? Nam si conceptio mulieris
pertinet semper ad virum, sine dubio quando vult vir,
tunc conciperet & mulier: nunc autem non quando
vult vir, tunc concipit mulier, sed quando vult Deus. D
Si ergo conceptio mulieris non in viro posita est, sed in
Deo: quid magnum si voluit isti fructum sine viro præ-
stare? Quid ergo faciam? Dimittam eam occultè: quia
in re incerta melius est, vt meretrix constituta euadat,
quàm vt innocens moriatur. Iustius enim est iniustum
iustè euadere, quàm iustum iniustè perire: quia etsi reus
semel euaserit, iterum potest perire: innocens autem
si semel perierit, iam non potest reuocari. Expedit er-
go vt dimissa opprobrium patiatur, quàm tradita mor-
ti moriatur. Hæc autem talia cogitare & agere velle,
non est hominis valde iusti. *Hæc eo cogitante, apparuit ei*
angelus in somnis, dicens: Quoniam ergo auditio verbo-
rum Mariæ, & consideratio vitæ eius, mala suspicari

de ea non sinebat Ioseph: consideratio autem conce-
ptionis eius, non permittebat eum ad plenum bona æ-
stimare de ea, & sic animus eius inter vtrasque partes
fluctuabat, & tenere eam timebat, & tradere eam non
audebat: propter hoc necessaria fuit ei reuelatio illa diui-
na. Si enim ipsa Maria, quæ angelum viderat, & au-
dierat sibi loquentem tam de sua conceptione, quàm
de Elizabeth, ascendit in mõtana, vt videret Elizabeth,
& ipso confirmaretur aspectu: quantò magis Ioseph
post verba conceptionis Mariæ, post considerationem
vitæ eius, adhuc nutabundus, necessariam habuit re-
uelationem diuinam? Propter tres ergo causas apparuit
ei. Primùm, ne iustus homo ignorans faceret rem in-
iustam ex proposito iusto. Deinde propter honorem
matris ipsius. Nam si dimissa fuisset, etsi non apud fi-
deles, tamen apud infideles turpi suspicione carere non
poterat. Tertiò, vt intelligens Ioseph sanctam conce-
ptionem, diligentius se in futurum custodiret ab illa,
quàm prius. Prius enim seruauit se propter disciplinam
iustitiæ, postea autem & propter timorem partus huius-
modi. Quare non ante conceptionem Virginis venit
ad Ioseph? Vt ne cogitaret quæ cogitauit, ne patere-
tur quæ passus est Zacharias, qui culpam infidelitatis Luc.1.
incurrit de conceptione coniugis iam longæuæ. Incre-
dibilior enim erat res, virginem posse concipere, quàm
anum. Si ille sacerdos constitutus rem faciliorem fore
non credidit, quantò magis iste popularis rem difficili-
orem fieri non credidisset? Si ipsa Maria angelo sibi
dicente de conceptione sua, pene non credebat, pro-
pter virginitatem suam, dicens: Quo modo fiet hoc,
quoniam virum non cognosco? quo modo Ioseph fu-
erat crediturus referenti de altera quòd sine viro con-
ciperet? *Ioseph fili Dauid, ne timeas accipere Mariam coniu-*
gem tuam: quoniam quod nascetur ex ea, de Spiritu sancto
est. Filium Dauid eum nominans, voluit eum adduce-
re in memoriam promissionis Dei ad Dauid, vt de se-
mine eius Christus nasceretur. Dicès autem, ne timeas:
cognitorem se cordis eius ostendere voluit, vt per hæc
futurorum bonorum, quæ de Christo erat dicturus, fa-
ceret fidem: quia quod nascetur de ea, de Spiritu san-
cto est. Spiritum sanctum, ipsum dicit vnigenitum
Deum, sicut ipse de se testatur in Euangelio: Quia Spi- Ioan.6.
ritus est, inquit, qui viuificat: caro autem nihil prodest. Ioan.4.
Et Ioannes ait: Dominus spiritus est. Non enim spiri-
tus aduocatus ingressus est in Mariam, vt suscipiens cor-
pus nascatur in mundum, sed vt sanctificaret virginis
vas. Dicens autem, quod nascetur ex ea, de Spiritu san-
cto est: hoc dicere vult, quia de semine viri alicuius
non fuerat nasciturus, sicut æstimans metuebat Ioseph,
sed de Spiritu sancto. Sicut enim secundum præce- Tobiæ 6.
ptum Raphaëlis angeli ad Tobiam, viro & vxore more
solito venturis ad coitum, oratio præcedere debet, vt
quod concipitur, in sanctificatione concipiatur: sic v-
nigenito Deo virginem ingressuro, Spiritus sanctus
præcessit, vt præcedente Spiritu sancto in sanctificatio-
ne nascatur Christus secundum corpus, diuinitate in-
grediente pro semine. *Et paries filium, vocabisque nomen*
eius Iesum. Non dixit, pariet tibi filium, sicut ad Zacha- Luc.1.
riam: Ecce Elizabeth vxor tua concipiet, & pariet tibi
filium: quia mulier quæ ex viro concipit, marito suo fi-
lium parit: quia magis ex illo est, quàm de ipsa. Hæc au-
tem quæ non de viro conceperat, non filium illi pepe-
rit, sed sibi tãtummodo. Vide quo modo similitudinem
ipsius rei per omnia sequitur, quæ facta est in Adã? Sic- Gen.3.
ut enim tunc mulier gustans de ligno, sola seducta est,
& peperit mortem. Adam autem non fuit particeps in
seductione illius: non enim à diabolo seductus pecca-
uit, sed quia consensit mulieri. Sic & modo accipiens
Maria

Luc.1. Maria de Spiritu sancto, sola credidit, dicens: Ecce iam A
nunc beatam me dicent omnes generationes. Ioseph
autem tunc in fide cõceptionis illius nihil habuit com-
mune, sed postea tacendo, & consentiendo tantùm
saluatus est. Ideo & in somniis adstitit ei, non palàm: vt
Gen.2. quemadmodum dormiente Adam creauit mulierem,
sic & isti dormienti diuinitus consignaret vxorem. Ipse
Iesus, autem euangelista interpretatur quid intelligitur Ie-
sus Hebraica voce, dicens: *Ipse saluabit populum suum à*
peccatis eorum. Si ergo medicus, qui nullam potestatem
habet salutis humanæ, propter solam cõfectionem her-
barum, non erubescit medici sibi nomen imponere:
quantò dignius iste vocatus est Saluator, per quem to-
tus saluatus est mundus? *Hoc autem totum factum est.* Quid
totum? Vt virgo propinquo suo desponsaretur, vt casta
seruaretur, vt angelus per somnium Ioseph loqueretur,
Esa.7. vt sponsam eam accire iuberetur, vt pueri nomen Ie-
sus vocaretur, vt virgo mundi saluatorem generaret.
Vt impleretur quod dictum est à Domino per prophetam, di- B
centem: Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium. Gratia
à prophetis testimonium habet, vel ideo vt vetus & no-
uum consonet testamentum. Vel vt infirmitati eruditorum satisfaciat, vel vt non mox temerè videretur erum-
Prophetia duplex. pere, quod tanto antè tempore prædictum est. Prophe-
tia autem alia est ex præscientia, & hæc immutabilis:
vt hæc, Ecce virgo concipiet. Alia ex iudicio operum,
& hæc solet mutari secundùm quod verba sonant, non
secundùm intellectum: vt, Adhuc quadraginta dies,
Ionæ 3. & Niniue subuertetur: subintelligimus, nisi pœniteat.
Item quæ est ex præscientia, illa impletur Dei solum-
modo operatione, vt quòd virgo pareret. Alia imple-
tur hominum administratione, vt de aliquo vt sit iu-
stus. Admiratus itaque tanti mysterij dignitatem pro-
pheta, quasi omnes de somno suscitans, ait: Ecce vir-
go in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt no-
Emmanuel. men eius Emmanuel, quod est interpretatum nobis-
cum, Deus. Multis prætermissis vno vtitur nomine, C
quod præsenti vtile est negocio. Quanuis enim nobis
sit præsens semper gubernando, tamen præsentior es-
Ioan.1. sentialiter ex vnitate personæ factus est. Verbum enim
caro factum est, & habitauit in nobis. *Exurgens autem Io-*
seph à somno, accepit Mariam coniugem suam. Non in do-
mo accepit eam, nec enim adhuc dimiserat eam de do-
mo: sed de animo suo deposuerat eam, & iterum in a-
nimum suum eam recepit. *Et non cognouit eam, donec pe-*
perit. Verè enim non cognouit eam antè, cuius fuerat
dignitatis, quæ vnigeniti Dei facta fuerat mater: sed
postquam peperit, tunc cognouit eam: quia specio-
sior & dignior facta fuerat, quàm totus mundus. Nam
quem totus mundus non capere poterat, nec merebatur accipere, quasi in angustum cubiculum vteri sui so-
la suscepit. Vidit Ioseph enim virginem permanere
ministe-rium. post partum. Vidit mysterium * † stellæ quo modo stans
super caput pueri, venientibus Magis puerum demon- D
strabat. Stans testimonium dabat, quia loqui non po-
terat. Ipsos denique Magos vidit adorantes, & diuina
dona eorum præsentantes. Audiuit sermones ipsorum,
quo modo ab Oriente vsque Hierosolymam stella præ-
cedente venerant, quæ non dedignata est hominibus
ministrare, vt Dei gloriam reuelaret. Ergo incompa-
rabilis natiuitas, totius humanæ natiuitatis mensuram
excedens, & diuinitatem nascentis pueri ostendebat,
& dignitatem Mariæ parientis Ioseph demonstrabat.
Ideo dicit, *Et non cognouit eam, donec peperit filium suum*
primogenitum. Cognouit autem eam quæ esset, post par-
Eunomij hæresis. tum ipsius? Quidam ex hoc verbo, secundum Euno-
concupi-scentia. mium, putant, quòd Ioseph donec peperit quidem
non illam habuit in conscientia, † postea autem co-
gnouit eam, & filios peperit. Vndè & Christum pri- Primoge-nitus quis.
mogenitum dicit: quia ille dicitur primogenitus, quem
alij fratres sequuntur. Insanus neminem intelligit esse
sanum: quia illi qui ausi sunt hoc dicere de illa, putant
quia & Ioseph hoc ausus fuit facere. Hoc enim quod
fieri potuit, dicit euangelista quia factum non est: illud
autem quod nec fieri potuit, quid necessarium habuit
dicere, factum non est? Nam sunt quædam, quæ natu-
raliter possunt fieri: sunt autem quæ impossibilia sunt
per ipsam naturam. Volo tibi referre: Ille, nescio quis, Simile.
cum illo litem commisit: & donec vixit, non est ei lo-
quutus. Nunquid ex hoc quod dixi, donec vixit, non
est ei loquutus: ex eo signaui, quia post mortem illi lo-
quutus est, quod fieri non potest? Illud enim quod fie-
ri potest, dixi quia factum non est. Quid autem opus
habui exponere, quia nec post mortem illi loquutus est,
quod fieri non poterat? Sic & Ioseph ante partum cre-
dibile fuit vt cognosceret eam: quia nondum cogno- B
scebat mysterij dignitatem: postquam verò cognouit,
quia facta est vnigeniti Dei templum, quo modo pote-
rat hoc vsurpare? quod anteà facere noluit vir religio-
sus expectans nuptias suas, posteà facturus fuerat, vt
habitationem Dei carnalibus concupiscentiis sordida-
ret? Hæc secundum rationem. Veniamus autem ad
authoritatem scripturæ. Dicit enim Apostolus secun-
dum exemplum prophetæ de Christo: Oportet eum 1.Cor.15.
regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedi-
bus eius. Ergo Paulus hoc significauit, vt tandiu re-
gnet Christus, quandiu fiant omnia sub pedibus eius,
posteà autem cesset regnare? Stulte: qui regnat ante-
quam omnia illi subiecta sint, multò magis regnat &
postquam fuerint ei omnia subiecta. Item alibi dicit:
Donec venio, attende lectioni. Nunquid significauit, 1.Ti.4.
donec venio quidem attende, cùm venero autem negli-
ge? De primogenito autem quod dico, vsus est scri-
pturis, non solùm illum primogenitum dicere, qui pri-
mus nascitur, sed etiam illum qui solus est natus. Quan- C
do dicebat dominus ad Pharaonem: Primogenitus Exod.4.
meus Israel: nunquid iam alium populum habebat? Si
autem dicis, quia secundum præscientiam dicebat pri-
mogenitum populum Iudaicum, sciens quia ex genti-
bus alium populum erat facturus: dico tibi, quantùm
ad præscientiam suam, semper duos populos habuit:
sed tam de Iudæis, quàm de Gentibus vnum populum
fuerat habiturus, sicut & habet.

HOMIL. II. EX CAP. II.



VM *natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ, in die-*
bus Herodis regis. Cùm fugeret Iacob ante
fratrem suum Esaü, & venisset ad vespe- Gen.28.
rum, vidit somnium tale. Scala posita e-
rat, cuius caput pertingebat vsque ad cœ-
lum, & angeli ascendebant & descendebant per eam,
Dominus autem recumbebat super eam. Surgens au- D
tem Iacob, suggerente Spiritu prophetauit, dicens:
Quàm formidolosus locus est hic, non est aliud hîc nisi
domus Dei, & porta cœli. Et ideo vocatum est nomen
loci illius Bethel, quod est interpretatum, domus Dei.
Nato itaque in Bethlehem domino, visionis illius pro-
phetia cõpleta est. Domus enim Dei est corpus Christi,
ipso dicente: Soluite tẽplum hoc. Item, Sapientia ædifi- Ioan.2.
cauit sibi domũ. Porta autem cœli ipse est Christus, per Prou.9.
quem introitur in regna cœlorum, dicente propheta: Psal.117.
Hæc porta domini, iusti intrabunt per eam. Adhuc au-
tem videamus quod ad vtilitatẽ respicit, & quod euan-
gelista tempus designat quãdo nascitur Christus, id est
in diebus Herodis regis, vt prophetiã Danielis cõple-
tam demonstraret, quæ post septuaginta septimanarum

Universidad de Deusto
Biblioteca

annos Christum esse nasciturum demonstrat. Nam ex illo tempore vsque ad regnum Herodis septuaginta septimanarum anni sunt cõsummati. Sciens autem Deus perfidiam Iudæorum, quia crucifixo vero Christo, alium expectaturi fuerant Christum, id est Antichristum: ideo occasionem incredulitatis eorum tollens, tempus ostendit, quando nasciturus erat Christus, vt in illum Christum credamus, qui ex tempore Danielis post septuaginta septimanarum annos nascitur, non in illum qui in fine sæculi sub nomine Christi venturus est. In diebus Herodis regis. Quandiu gens Iudaica, quãuis sub peccatoribus, tamen Iudaicis regibus tenebatur, prophetæ mittebantur ad remedium eius. Qualis necessitas, tale & auxilium. Nunc autem, quando lex Dei sub potestate regis iniqui tenebatur: id est, iustitia Dei sub dominatione Romana premebatur, nascitur Christus, quia magna & desperabilis infirmitas medicum artificiosiorem quærebat. *Ecce Magi venerunt ab Oriente Hierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorum?* Ecce, hoc est confestim vt natus est, magnum Deum ostenderunt in homine paruulo, & verbis, & actibus, & muneribus ipsis. Verbis quidem, quia dixerunt, Vbi est qui natus est rex Iudæorum? *Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Actibus autem, quia cùm vidissent eum, adorauerunt eum. Inuenta est in eis fides acutior quàm aspectus, videntibus humilia, & intelligentibus alta. Muneribus autem, quia obtulerunt ei aurum, thus, & myrrham, sicut inferius ostendemus. Venerunt autem ad iudicium Gentium, & ad præiudicium Iudæorum, illorum fidem propherantes futuram, & istorum incredulitatem condemnantes præsentem. O beati Magi, qui ex omnibus gentibus primitiæ fidelium fieri meruerunt. Illi enim Magi futuræ Ecclesiæ formam portabant. Sicut enim illi regem quem non viderant, credentes quærebant, & confitebantur: sic & nos qui sumus ex Gentibus, Dominum quem nunquam vidimus, credentes quotidie quærimus, & confitemur potestatem ipsius. Quàm bene de istis prophetauit Esaias, dicens: Priusquam cognoscat puer patrem, & matrem, accipiet virtutem Damasci, in conspectu regis Assyriorum. Qui sunt Magi? viri Orientales, qui venerunt à Perside. Magi enim apud illos, non malefici, sed sapientes intelliguntur. Ideo autem dicti sunt virtus Damasci, quia virtus vniuscuiusque prouinciæ sunt sapientes ipsius. Rex autem Assyriorum est diabolus, princeps dæmonum. Ergo Christus priusquam secundùm corpus inciperet cognoscere patrem aut matrem, virtutem diaboli subiugauit. Qualis futurus erat in posterum cùm ad perfectum veniisset, demonstrabat in puero, qui adhuc in cunabulo constitutus, diabolum expoliauit à suis, scilicet ab istis Magis. Quo modo cùm veniisset ad bellum, euacuaturus fuerat omnem potestatem ipsius, considera. Quoniam ab Oriente venerunt, vnde dies nascitur, inde initium fidei processit: quia fides lumen est animarum. Quando enim ab Occidente nascitur aliquid contra Orientem, diuinatio † mali ostenditur contra bonos: quando ab Oriente nascitur aliquid contra Occidentem, diuinatio † boni ostenditur contra malos. Quoniam ergo in temporibus Christi iustitia subiugatura fuerat iniustitiam, & fides infidelitatem, ideo ab Oriente venerunt primitiæ fidei. Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Nunquid nesciebant quia in Hierusalem regnabat Herodes? Nunquid non intelligebant iustitiam legis, quia quicunque rege viuente alterum regem pronunciat, & adorat, quasi ministerum tyranni punitur in sanguine? Sed dum considerabant regem futurum, non timebant regem præsentem. Nunquid non habebant præ oculis suis periculum mortis, qui talem rem illicitam vsurpabant? Sed non curabant de morte. Si autem curassent de morte, nunquam ad hoc ausi fuissent. Adhuc non viderant Christum, & iam parati erant mori pro eo. O beati Magi, qui ante conspectum crudelissimi regis, antequam Christum cognoscerent, Christi facti sunt confessores. Legi apud aliquem, Magos istos ex libris Balaam, diuinatoris apparituræ huius stellæ scientiam accepisse, cuius diuinatio posita est & in veteri testamento: Orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel, & dominabitur omnium gentium. Audiui aliquos referentes de quadam scriptura, etsi non certa, tamen non destruente fidem, sed potius delectante, quoniam erat quædam gens sita in ipso principio Orientis iuxta Oceanum, apud quos ferebatur quædam scriptura, inscripta nomine Seth, de apparitura hac stella, & muneribus ei huiusmodi offerendis, quæ per generationes studiosorum hominum, patribus referentibus filiis suis habebatur deducta. Itaque elegerunt seipsos duodecim quidam ex ipsis studiosiores, & amatores mysteriorum cœlestium, & posuerunt seipsos ad expectationem stellæ illius. Et si quis moriebatur ex eis, filius eius, aut aliquis propinquorum, qui eiusdem voluntatis inueniebatur, in loco constituebatur defuncti. Dicebantur autem Magi lingua eorum, quia in silentio & voce tacita Deũ glorificabant. Hi ergo per singulos annos post messem trituratoriam, ascendebant in montem aliquem positum ibi, qui vocabatur lingua eorum Mons Victorialis, habens in se quandam speluncam in saxo: fontibus, & electis arboribus amœnissimus: in quem ascendentes, & lauantes se, offerebant † & laudabant in silentio Deũ tribus diebus. Et sic faciebant per singulas generationes expectantes semper, ne forte in generatione sua stella illa beatitudinis oriretur, donec apparuit eis descendens super montem illum Victorialem, habens in se formam quasi pueri paruuli, & super se similitudinem crucis: & locuta est eis, & docuit eos, & præcepit eis, vt proficiscerentur in Iudæam. Proficiscentibus autem eis per biennium, præcedebat stella, & neque esca, neque potus defecit in peris eorum. Cætera autem quæ gesta referuntur ab eis, in euangelio compendiosè posita sunt. Tamen cùm reuersi fuissent, manserunt colentes & glorificantes Deum studiosius magis quàm primum, & prædicarunt omnibus in genere suo, & multos erudierunt. Denique cùm post resurrectionem domini Thomas apostolus isset in prouinciam illam, adiuncti sunt ei, & baptizati ab eo, facti sunt adiutores prædicationis illius. Ex eo autem quod dicit scriptura, Vidimus stellam eius in Oriente, videtur occasionẽ dare infidelibus de astrologia, & vnumquemque putent suæ stellæ motu & nasci, & viuere: ideo bonum est breuiter de his inferre sermonem. Si enim stellæ est quòd aut boni sumus, aut mali: ergo nec bonum nostrum laudandum est, nec malum vituperandum, quia nec est in nobis voluntarius actus. Vt quid enim boni mei laudem merear, quòd non meo arbitrio, sed motu stellæ facio: aut mali mei pœnam suscipiam, quod non voluntate, sed necessitate commisi? Nam nec possum fugere malum, etiam si volo, si me natiuitatis meæ stella compellit ad malum. Si adulter & homicida fiunt per stellam, & in crimine stella facit eos interfici, magna est illarum iniquitas stellarum, magis autem illius qui stellas ad hoc creauit. Interrogamus ergo, ex se facta est creatura, an ab alio? Si quidem dixerint ex se, audiãt à nobis: quoniam impossibile est, quod à se extitit, & euẽtu agitur, vt aliquem ordinem habeat certum.

Esaiæ 8.

Mons victorialis.

orabant.

Nota de astrologia.

dominatio.

dominatio.

Si autem dicunt, ab alio, ergo iniquus est qui fecit. Nam cùm sit præscius futurorum Deus, quòd tanta iniquitas futura erat per stellas, si noluit emendare, non est bonus: si autem voluit, & non potuit, impotens est. Sed etiam iniustus est: quia ex necessitate stellarum peccantes ita punit, quasi ex voluntate peccantes. Ipsa denique mandata Dei, ne peccent, aut hortamenta vt faciant bonum: per hanc insipientiam nónne destruũt? Quis enim hortetur aliquem ne faciat malum, quod non potest declinare: aut vt faciat bonum, ad quod non potest peruenire? Deinde interrogamus: si idem semper est cursus stellarum, quare non semper idem est & hominum status? Si dicunt, per certos annos fit stellarũ restauratio, necesse est ergo qui sciunt astrologicam disciplinam: quia per certos annos restituuntur stellæ, sciant & per quot annos restituuntur stellæ. Quibus post responsum dicimus, quæ fuit illa stella, quæ fecit omnes homines in diluuio mori? Nunquid in ea extitit, vt iterum diluuium faceret, aut illi homines secundum vnam stellam fuerant nati? Nam oportebat per vnumquemque gyratum eandem ipsam indeficientem rem consummari. Nam si eiusmodi motio & gyratus stellarum, eiusdem malitiæ, & eiusdem bonitatis causam præstat, oportebat non semel fieri Abraham, aut patriarchas, aut prophetas, aut apostolos: sed quotiens-cunque fit ipse gyratus stellarum. Denique ipsa conuersatio † hominum testis est veritatis. Ante aduentum Christi, quæ stella omnes homines idola colere cõpellebat, cæterásque iniquitates facere? Aut post Christum qualis gyratus ab idolis recedere homines fecit, & per totum orbem mores mutauit antiquos? Ecce Persæ matribus & filiabus iunguntur, Iudæi autem octauo die circunciduntur, & vnaquæque gens aliam atque aliam habet consuetudinem. Si idem est cursus stellarum, quomodo Persæ ab illa consuetudine nunquam recedunt, neque Iudæi à sua? Si autem dicatur, secundùm diuersas regiones diuersa est stellarum operatio: quomodo ergo qui in Perside crediderunt, ab illa turpitudine recedere potuerunt, in eadem regione manentes? aut qui non crediderunt, etiam peregrinantes in aliena prouincia mores patrios tenuerunt? Et Iudæi transmigrati in Babyloniam, & illic filios procreantes, quòmodo nunquam per stellas regionis illius compulsi sunt à circunciſione sua recedere, & illorum insaniam sequi? Ne quis ergo stellarum culpet discursum, sed suum propositum. *Audiens autem Herodes rex turbatus est, & omnis Hierosolyma cum eo.* Existimans illum regem fore terrenum, quasi de successore regni turbatus est. Semper enim grandis potestas maiori timori subiecta est. Sicut ramum † arborum in excelso positarum, etiam si lenis aura flauerit, mouet: † sic & sublimes homines in culmine dignitatum existentes, etiam leuis nuncij fama conturbat. Humiles autem sicut in conualle, plerunque in tranquillitate consistunt. Aut ideo turbabatur, audiens regem natum Iudæis ex genere Iudæorum, cùm esset ipse genere Idumæus: ne regno reuoluto iterum ad Iudæos, & ipse à Iudæis expelleretur, & semen eius post ipsum præcideretur à regno. Puto quòd non tantum Herodes à semetipso turbabatur, quantum diabolus in Herode. Herodes enim timebat, quod suspicabatur: diabolus autem timebat, quod verè sciebat. Herodes hominem æstimabat, diabolus Deum cognoscebat. Audierat enim iam angelos in aëre clamantes, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ideo quantò magis testes addebantur pro Christo, tantò magis destructionem potestatis suæ diabolus timebat. Vnusquisque ergo eorum zelo proprio turbabatur, & secundum suam natu-

cõuertio.

cacumen. mouetur.

Luc. 2.

ram sui regni successorem timebat: Herodes terrenum, diabolus autem cœlestem. Nam nec Herodes terreretur, si cœlestem regem nasci suspicatus fuisset, nec diabolus si terrenum. Vis scire, quia non tantùm ipse turbabatur, quantum diabolus in eo? Ecce & Iudaicus populus turbabatur, qui magis de auditu isto gaudere debuerat: quia rex Iudæus surgere dicebatur, designatus à Deo. Sed turbabantur, quia de aduentu iusti non poterant iniqui gaudere. Aut certè turbabantur timentes ne fortè iratus Herodes Iudaico regi, genus eius vexaret. Nam quemadmodum certantibus ventis mare concutitur, sic regibus aduersantibus sibi, populus regni vexatur. *Conuocauit autem principes sacerdotum, & scribas, & interrogauit ab eis, vbi Christus nasceretur.* Ex hoc apparet maximè, quia diabolus turbabatur in Herode, quoniam traditores legis interrogat. Vt quid enim interrogaret Herodes, qui non credebat scripturis? Sed inuestigabat † diabolus, qui credebat quod scripturæ non mentiuntur. Nam diabolus alios in errorem inducit ipse autem veritatem benè cognoscit. Quid enim vis? credebat Herodes scripturis, aut non credebat? Si non credebat, vt quid interrogabat scripturas, quas putabat esse vaniloquas? Aut si credebat, quia inde verè nasciturus est rex, vnde scripturæ dicebant: quo modo sperabat posse se interficere illum regem, quem futurum scripturæ esse dicebant? Nunquid poterat homo corrigere, vt ne fiat quod Deus ordinauit vt fieret? Sed quidem credebat Herodes in malo, in bono autem non credebat: quoniam quidẽ quòd inde nasciturus fuerat rex, vnde scripturæ dicebant, credebat: quoniam autem aduersus illum agere non poterat, quem Deus mittebat: non credebat, quia non suo consilio gubernatur, sed vinculo diaboli trahebatur ligatus. Sic sunt omnes homines peccatores, in quibus diabolus operatur: credunt scripturis, & non credunt: quia hoc ipsum quod credunt, perfectè credere † non permittuntur. Quod enim credunt veritatis est virtus: quia nulli potest esse occulta. Quod autem non credunt, excæcatio est inimici: quia subiecti sunt operibus eius, & mens eorum libera non est: vtputa omnes qui Christiani sumus, & legimus, scimus quia mundus consummandus est, & quia morituri sumus, & hoc ipsum tamen perfectè non credimus. Si enim perfectè crederemus, sic viueremus, quasi post modicum transituri de hoc mundo, non quasi in æternum mansuri. *At illi dixerunt: In Bethlehem Iudæ. Sic enim dictum est per prophetam.* Dant responsum regi interroganti ex corde non bono, cùm deberent celare mysterium regis à Deo prædefiniti ad salutem gentis Iudææ, maximè in conspectu regis alienigenæ, qui non solum zelo regni, sed etiam generis alieni odio aduersaturus regi postmodum futuro non ignorabatur, si ipsi sapienter voluissent considerare. Et non solùm manifestant mysterium, sed etiam ad fidem sermonum suorum propheticum protulerunt exemplum, tanquam qui thesauros domini sui absconditos hostibus eius prodant: & facti sunt non prædicatores operum Dei, sed proditores mysteriorum eius: & non doctores Herodis, sed irritatores malitiæ eius. Ex quibus docemur, scripturarum occulta non manifestari iniquis, sed fidelibus, sicut præcepit Paulus: Quæ à me audisti per multos testes, hæc commenda fidelibus, qui possunt etiam alios docere. Et non solùm prophetiæ mysterium prodiderunt regi iniquo, sed adhuc ipsam prophetiam præcidentes ex vno consensu suo omnes, & non exponentes omnem scripturam diuinitus inspiratam, interficiendorum paruulorum facti sunt causa. Quomodo enim scriptum erat? *Et tu Bethlehem terra Iuda, non*

inſtigabat.

credunt, pernicere.

2. Tim. 2.

Mich. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

es minima inter principes Iuda: ex te enim exiet dux, qui re-
gat populum meum Israël, diésque eius à diebus sæculi. Si ergo integram prophetiam protulissent, sicut fuerat dicta, considerans Herodes quia dies nascituri regis illius à diebus sæculi erant, & intelligens antiquitatem honoris eius: quia non erat ille talis rex terrenus, cuius dies à diebus sæculi erant, in tantum furorem non exarsisset aduersus eum: nunc autem præcisa hac parte prophetiæ, quæ compescere poterat zelum ipsius primam partem solùm protulerunt, quæ eum poterat irritare. Vnde ita exponentibus illis, putans Herodes similem cæteris regibus ex ea nasci regem, paruulos interfecit, cùm illis æstimans occidere etiam Christum. O infelices Iudæi: Herodem docuerunt, quia de Bethlehem nascitur ipse qui est gubernaturus populum Israël: & se non docuerunt, postquam natus est, vt crederent ei. Herodes illis credidit quasi vera dicentibus, vt persequeretur Christum, & ipsi sibi non crederunt, vt susciperent eum.

Tunc vocauit occultè Magos, & diligenter exquisiuit tempus
quando apparuit eis stella. Et ait illis: ite & videte de puero, &
cùm inueneritis, renüciate mihi, vt & ego veniens adorẽ eum.
Postquam audiuit Herodes responsum, duplici modo credibile: primùm, quia à sacerdotibus fuerat dictum: deinde quia exemplo prophetico fuerat cõprobatum: non ad deuotionem flectitur nascituri regis, sed ad maliciam interfectionis eius per dolum: quia malus homo, quæ Dei sunt quidem, intelligere potest: quæ Dei sunt autem, agere non potest: quoniam intellectus hominis ex Deo creatus est, actus autem ex proposito voluntatis ipsius. Vidit enim Herodes magnam deuotionem Magorũ circa Christum, & quia non poterat eos nec blandimentis flectere, nec minis terrere, nec auro corrumpere, vt consentirent ei in interfectione regis futuri, ideo & illos ipsos decipere cogitauit. Nec enim poterat fieri, vt blandimentis seducti proderent illum, propter quem tanti itineris susceperunt laborem. Nec expauescere poterant aliquem vt traderent eum, qui non aspexerant Herodem, nec Cæsarem, sed in medio regno illorum ingressi sunt, alium regem annunciantes: nec aliquid amplius desiderare poterant, quàm Christum, qui illi de tam longa prouincia munera pretiosa portabant. Cùm vidit quòd aliud facere non poterat, ergo deuotionem promittebat, qui gladium acuebat, & maliciam cordis sui humilitatis colore depingebat. Talis enim est consuetudo omnium malignorum, quando aliquem in occulto grauius lædere volunt, humilitatem illi & amicitias fingunt. Occultè vocauit eos, vt non viderent Iudæi (habebat enim suspectos Iudæos) ne fortè quasi regem suæ generationis amantes, & intelligentes astutiam Herodis, proderent consilium eius Magis, nesciens quia inimici maiores erant Christi Iudæi, quàm ipse. Herodes enim velut hominem suspicans persequebatur: Iudæi autem post multa miracula, post signa cœlestia, postquam manifestè cognouerunt eum esse filium Dei, tunc crucifixerunt eum.

Et ecce stella quàm viderant in Oriente, præcedebat eos,
vsque dum veniens stetit super caput pueri. Ex hoc ostenditur loco, quia cùm aliquantulum stella adduxisset Magos prope Hierusalem, abscondita est ab eis, vt relicti à stella cogerentur in Hierusalem interrogare de Christo, simul & manifestare de illo propter duas causas. Primum, ad confusionem Iudæorum: quoniam quidem Gentiles stellæ tantummodo visione confirmati, Christum etiam per alienas prouincias requirebant: & Iudæi ab infantia prophetias legentes de Christo, & in suis finibus natum, non susceperunt.

A Deinde, vt interrogati sacerdotes vnde nasceretur Christus, ad præiudicium suum responderent de Bethlehem: quia qui Herodem docuerant de Christo, ipsi ignorabant de illo. Si enim iugiter apparuisset, in Bethlehem eos fuerat deductura, & ideo non fuissent coacti interrogando nunciare de illo. Et ecce stella quàm viderant in Oriente, antecedebat eos: vt considerantes obsequium stellæ, regis intelligerent dignitatem, & dicerent apud se: quo modo sit rex iste terrenus, cui stella ministrat? Quid autem mirum, si Sole iustitiæ orituro stella ministrabat diuina? Præcedebat autem eos, vt ostendat quoniam hominibus quærentibus Deum, sic omnia elementa ministrant. Si ergo magnum putas, quia Christo stella obsequebatur, vide quoniam maiora sunt, quæ tibi homini constituto ministrant. Ecce enim tibi sol currit, & luna fulgere non cessat. Si tibi homini constituto elementa ministrant, quid mirum si Christo stella obsequebatur? Si tibi peccanti elementa ministrant, quid mirum si ante illos quærentes Christum, stella currebat? Et si angeli ministrant hominibus, quos Deus non ad obsequium hominum, sed ad suum creauit: quid magnum, si hominibus elementa ministrant, quæ propter homines sunt creata? Hæc audientes, gaudere nos oportet, pariter & timere: quia quantò maiora beneficia hominibus sunt constituta, tantò grauiora peccantibus iudicia sunt præparata. Et stetit super caput pueri, quasi dicens, hic est: vt quia loquendo monstrare non poterat, stando monstraret.

Et videntes stellam, gauisi sunt gaudio magno valde. Quia videlicet spes illorum non erat decepta, sed amplius confirmata, quod tanti itineris non sine causa susceperunt laborem. Indicio enim stellæ sic occurrentis sibi secundùm tempus, intelligebant quia diuinitus eis natiuitas illa regis est ostensa. Et per mysterium † stellæ intelligebant, quoniam dignitas tunc nati regis excedebat mensuram omnium mundialium regum: necesse enim erat, vt gloriosiorem putarent regem illum, quàm stellam, cui stella sic deuote obsequebatur. Aut quomodo non crederent ei subdendos homines, cui etiam cœli ornamenta subdita esse videbant? Aut quomodo poterat ei terra esse rebellis, cui famulabatur & cœlum? *Et intrantes domum, viderunt puerum &*
matrem eius. Videamus quid tale gloriosum videntes in puero gauisi sunt, qui regem quærentes, tanti itineris susceperunt laborem? Nunquid viderunt palatium marmoribus splendidum? Nunquid matrem eius diademate coronatam, aut in lecto aureo recumbentem? Nunquid puerum auro & purpura inuolutum? Nunquid aulam regiam diuersis populis personantem? Sed quid? Pandochium tenebrosum & sordidum, & magis animalibus quàm hominibus aptum: in quo nemo contentus erat secedere, nisi itineris necessitate coactus. Matrem eius vix tunicam vnam habentem, non ad ornamentum corporis, sed ad tegumentum nuditatis proficientem, quam habere poterat vxor carpentarij, & hæc in peregre constituta. Puerum pannis sordidissimis inuolutum, & in sordidiore quoque præsepio positũ: quia locus ille sic erat angustus, vt nec ponendi infantem spatium inuenirent. Si ergo regem terrenum quærentes, sic inuenissent, magis confundendi fuerant quàm gauisuri, quia tanti itineris laborem sine causa suscepissent: nunc autem quia cœlestem regem quærebant, etsi nihil regale videbãt in eo, tamen solius stellæ testimonio contenti gaudebant. Oculi eorũ contemptibilem puerum aspicere non poterant, quia Spiritus in corde eorum, terribilem eum monstrabat. Adhuc autẽ si quasi terrenum regem eum quæsissent, inuenientes eum apud ipsum remansissent: sicut sæpe fieri solet in sæculo,

sæculo, vt proprio rege relicto, conferant se ad alterum. Nunc autem & hunc adorauerunt, & ad suum reuersi sunt: vt istum haberent regem cœlestem animarum suarum, illum autem terrenum corporum suorum. *Et ado-*
rauerunt eum. Putas adorassent infantem non intelligentem adorationis honorem, nisi aliquid diuinum credidissent in eo? Ergo non pueritiæ detulerunt honorem nihil intelligenti, sed diuinitati eius omnia cognoscenti. Sed & qualitas ipsa munerum oblatorum testificabatur eos quandam diuinitatis æstimationem habere de puero. *Apertis enim thesauris suis, obtulerunt ei*
munera, aurum, thus, & myrrham. Adimplentes gentium in Christo confessionem, & prophetiam impletam significantes Esaiæ dicentis: Omnes qui sunt in Saba venient, aurum offerentes, & lapidem preciosum, salutare Domini euangelizantes, & omnes oues Cedar congregabuntur, & arietes Nabaioth venient, qui & offerent acceptabilia super altare tuum. Confestim autẽ cognoscentes, & aperientes thesauros suos, congruam gentibus in Christo per ipsa dona ostenderunt oblationem. Regem enim cognoscentes eum, primitiam mundam, & preciosam sanctorum, sibi aurum repositum obtulerunt. Diuinum autem & cœleste intelligentes principium eius, Libani obtulerunt odorem, formam mundæ orationis in odorem suauem Spiritus sancti oblatæ. Humanam autem & temporalem sepulturam eius intelligentes, obtulerunt myrrham. Hæc autem etsi tunc non intelligebãt Magi secundum quale mysterium ista gerebãtur, vel quid significaret vnumquodque munus eorum, nihil tamen contrarium est. Gratia enim quæ illos hæc omnia facere hortabatur, & ipsa ordinauerat vniuersa postmodum cognoscenda. Aurum sunt ergo perfecti fideles & sapientes, dicente Apostolo: Si quis ædificat aurum, argentum, lapides preciosos. Si quis ergo præbet se Christo fidei sapientia plenum, obtulit ei aurum. Thus autem est oratio, sicut scriptum est: Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Si quis ergo Christo mundam offert orationem, obtulit ei thus. Myrrham æstimo esse opera bona: quoniam sicut myrrha corpus defunctorum insolubile seruat, sic bona opera Christum crucifixum in memoria hominis perpetuum seruant, & hominem seruant in Christo. Primum ergo oportet Christo offerre fidem rationabilem, deinde orationem mundam, & tertiò opera sancta. Tu ergo quando venis ad Ecclesiam ad orandum Deum, munera tecum in manibus tuis porta: da non habẽtibus, & pete ab illo qui habet, vt oratio tua bonis operibus commendetur. Sic & in lege scriptum est: Ne intres in conspectu Domini Dei tui vacuus: infirma enim oratio est, quæ eleemosynarum virtute † non est munita. *Et admoniti in somnis ne redirent ad Herodem, per*
aliam viam reuersi sunt in regionem suam. O fides Magorum, non contradixerunt angelo admonenti, dicentes: Tantam viam venimus, venientes ante multitudinem ciuitatum non timuimus, regem terribilem apud illas omnino non expauimus: sed stetimus, & fiducialiter qui natus fuerat regem prædicauimus, & quasi Deo munera digna obtulimus, & quasi seruos latenter iubes nunc fugere, vt alia via venientes, alia redeamus? Sed fideles cõstituti, nec tunc timuerunt cognosci, nec modò erubuerunt occultè recedere: quia nec erat possibile, vt qui ab Herode ad Christum venissent, ad Herodem redirent. Qui enim relicto Christo vadunt ad Herodem, frequenter reuertuntur ad Christum: qui autem relicto Herode ad Christum veniunt toto corde, nunquam reuertuntur ad Herodem: Id est, qui de Christo ad diabolum transeunt per peccatum, frequenter per pœnitentiam reuertuntur ad Christum: qui autem relicto diabolo venit ad Christum, difficile reuertitur ad diabolum: quia qui nunquam fuit in malis, sed in innocentia, dum nescit quid sit malum, facilè decipitur, & transit ad diabolum: sed cùm expertus fuerit malum quod inuenit, & recordatus fuerit bonum quod perdidit, compunctus redit ad Deum vnde recessit. Qui autem in malis fuerit, & conuersus est ad bonum, dum gaudet de bonis quæ inuenit, & recordatur mala quæ euasit, difficilè redit ad malum. Sed quid? quia multi cum Christo relicto peccauerunt, non agunt pœnitentiam. Illi tales nunquam fuerunt Christi, ideo superius dixi, qui toto corde de diabolo venit ad Christum. Qui enim post peccatum non pœnitet, non quasi homo carne deceptus peccauit, sed arbitrio suo cùm esset malus, malum egit. Nam malus quod malum est non putat malum, ideo nec pœnitet cùm fecerit malum. Aut ita: Qui enim à diabolo venit ad Deum, nunquam debet per illam viam ambulare, per quam venit ad diabolum.

B Venisti per viam fornicationis, ambula de cætero per viam castitatis. Venisti per viam auaritię, ambula de cætero per viam eleemosynarum. Si autem per ipsam viam redieris, iterum sub regnum Herodis vadis, & fis proditor Christi. *Qui cùm recessissent, ecce angelus Domi-*
ni apparuit in somnis Ioseph dicens: Tolle puerum, & ma-
trem eius, & fuge in Aegyptum. O angele Dei, nónne tu mihi retulisti: quia quòd nascetur ex ea, de Spiritu sancto est? & quomodo iubes nos fugere? Quomodo filius Dei ante hominem fugit? Aut quis liberet de inimicis, si & ipse inimicos suos timet? Iam primum quidem fugit, vt regulam humanæ naturæ quam suscepit, conseruet in omnibus, & in hac parte, quia & humanæ naturæ & puerili ætati conuenit fugere potestatem minantem. Alioqui si illud agat in corpore constitutus, quod est proprium Dei, non dispensat in se humanam naturam, sed mutat. Deinde vt & cæteri Christiani, id est sancti, cùm necessitas persecutionis aduenerit, fugere non erubescant. Et quare vadit in Ægyptum? Nunquid alia terra defecit? Semper enim aduersus populum eius Ægyptus extitit inimica. Sed etiã recordatus Dominus, qui non in finem irascitur, neque in æternum indignatur, quanta mala fecerit super Ægyptum: ideo mittit filium suum in eam, & dat illi magnæ reconciliationis signum, & perpetuæ amicitiæ pignus, vt decem plagas Ægypti vna medicina sanaret. O commutatio dexteræ excelsi. Vt populus qui ante fuerat persecutor populi primogeniti, postea fieret custos vnigeniti filij. Vt qui illi populo violenter dominati sunt, isti cum deuotione seruirent, Vt iam non irent ad mare rubrum demergendi, sed vocarentur ad aquas baptismatis viuificandi. Vt impleatur quod dictum est: Ecce Dominus descendit in Ægyptum, sedens super nubem leuem. Nubes est corpus ipsius. Leue autem sine pondere peccatorum.

Tunc Herodes videns quoniam delusus esset à Magis, iratus est
vehementer. Postquam paruulus Iesus Magos subiugauit sub imperio suo non potestate corporis, sed gratia spiritus, nó exercitum Christus misit post illos, sed stellam modicam ante illos. Religione illos subdidit, non timore. Non enim persecutus est illos, sed ipse requisitus est ab eis. Ideo merito irascebatur Herodes, quia quibus ille sedens in throno regni & vestitus purpura suadere non poterat: his Iesus paruulus, & iacens in præsepio, & pannis inuolutus placuit. Herodes autem, qui dum vellet deludere, delusus est, deuotionem promittebat puero dicens: Exquirite de puero, vt & ego veniam, & adorem eum. Insensatus qui vnigenitam Dei sapientiam humana fraude circumuenire tentabat. Iam enim quasi successorem regni sui timens fremebat. Nam reges si quidem ex aliis causis irascuntur, citò pla-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cantur: illa autem ira eorum inextinguibilis est, quam A regni zelus accendit. Deinde contemnentes eum Magi addiderunt causas doloris: quemadmodum si quis infundat oleum super ignem ardentem, magis crescit incendium: sic ardentem zelum Herodis delusionis opprobrium amplius excitauit. Quid fecit? *Misit & occidit omnes pueros in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infrà, secundum tempus quod exquisierat à Magis.* Vt quid? Quia delusus erat à Magis. Sicut fera bestia habens naturalem asperitatem, si ab aliquo fuerit vulnerata, naturalem crudelitatem eius duplicat ira doloris, & quasi cæca furore, iam non aspicit vulnerantem, sed quicunque ante oculos ei occurrerit, siue homo, siue alterum animal, quasi authorem vulneris sui dilaniat: sic & ille delusus à Magis, iram suam super paruulos effundebat. Dicebat enim cogitans in furore: Certè Magi inuenerunt puerum illum, quem regnaturum dicebant, & aut aurum acceperunt à parentibus eius, B aut largis promissionibus sunt placati, ideo ad me reuersi non sunt. Nam rex quicquid aduersus regnum suum putauerit, totum verum æstimat. Animus eius semper suspectus est, regni zelo repletus. Dum omnia timet, omnia suspicatur. Facilè credit quicquid fuerit suspicatus. Sicut vir si zelet vxorem, aut vxor virum, omnem auditionem turpem credit de illo: etsi non sit auditio ipsa digna & idonea vt credatur, tamen fidem auditionis zelus commendat. Ideo ergo forsitan talia dicebat apud se: Quis est puer ille qui antequam nascatur in terra, iam apparet in cœlo? Necdum seipsum ostendit, & iam omnes illum quærunt. Et necdum terrenum populum habet, & iam militiæ cœlestes stellarum illi ministrant. Quis est ille, qui antequam mecum pugnet, iam me vincit: antequam vincat, regnat: antequam regnet, iam dominatur? Quid putas facturus est ille homo in regno meo, si creuerit? Ego & dona hominibus spargo, & gladium porto: vt qui non timet, vel diligat: qui non diligit, vel timeat. Ille nec populum ha- C bet, nec diuitias congregauit: & quomodo sine auro diligitur, & sine ferro timetur? Sic misit & interfecit omnes paruulos, vt vnum inueniret in omnibus. Sed nec vnum inuenit in omnibus, & omnibus vitam æternam præstitit propter vnum. Ipse se fallere voluit, qui inter homines Deum quærebat tenere. Quid agit insensata ira tua Herodes? Si non credis verbis quæ Magi dixerunt de rege futuro, quare sine causa insanis in pueros? Si autem credis verum esse quod dictum est de puero & de stella, iterum dico, quare sine causa insanis in pueros? Nunquid potes tu mutare sententiam Dei, aut perdere illum, quem Deus defendit? Sed quid mirum si Herodes homo iniquus putabat se posse mutare consilium Dei? Ipse denique sapientissimus Salomon cùm
3. Reg. 11. propter peccatum suum audisset à Prophetis Hieroboam regem futurum, posuit persequi eum, putans posse illum perdere, quem Deus producit: quia zelus sapere
Rhama. nescit, & ira non potest habere consilium. *Vox in Rhama audita est.* Rhama ciuitas erat Saül, Saül autem erat de tribu Benjamin. Benjamin verò filius erat Rachel, cuius monumentum erat iuxta Bethlehem, vbi hæc agebantur mala. Quoniam ergo in Bethlehem interficiebantur paruuli, vbi erat monumẽtum Rachel, ideo Rachel introducitur plorãs. Quamuis autem Rhama non esset prope Bethlehem, tamen dicitur, vox in Rhama audita est: quoniam Rhama Hebraicè interpretatur excelsum. Ideo dixit, vox in excelso audita est: quoniam de morte innocentium mittebatur ad cœlum, ideo au-
Eccles. 35. diebatur in excelso. Sic enim ait Salomon: Vox pauperis penetrat nubes, & non discedit donec audiatur. Sic & pauper quando violentiam patitur à potente, etiamsi non est ausus vociferare, sed latenter lachrymatur, tacitus clamor eius in excelso auditur: quia non magnus clamor velociter à Deo auditur, sed iustus. Quòd ait, *ploratus*, fletum paruulorum ostendit: quòd autem dixit, *vlulatus*, matrum significat lamentum. Plorabant enim paruuli, quia separabantur à matribus: vlulabant matres, quia desolabantur à filiis, & quasi viscera earum separabantur ab eis. Et erat videre maiorem dolorem in matribus remanentibus, quàm in paruulis morientibus. Paruuli enim vnum patiebantur dolorem, quia separabantur à matribus, & non quia ducebãtur ad mortem. Nec enim sciebant adhuc mortis timorem. Matres autem duplicem: vnum quidem quòd videbant paruulos suos interfici: alterum quòd ipsæ desolabãtur à filiis. In paruulis mors eorum beata finem faciebat doloris: in matribus autem, paruulorum memoria semper reparatio erat doloris. Post hæc autem dignam pœnam Herodes susc̃epit. Nam filios suos tres interfecit, & non interfectos ab alio vidit occidi, vt ne vel paternam super illos pietatem demonstraret in luctu, sed ipse occidit, vt & filios perderet, & de morte eorum crimen acquireret. Viscera sua laniabat in filiis, & dolorem eorum non sensit. Vt quemadmodum paruuli mortem suam non senserunt propter infantiam: sic & ille dolorem viscerum suorum non sensit propter insaniam. Deinde ipse multis doloribus apprehensus est, sicut refert historia quam longum est narrare. Quot enim membra corporis habebat, tot doloribus torquebatur. Et quia multotiens mori non poterat, qui multos occiderat infantes: propterea vindicta morientium plurimorum in plurimis ei doloribus reddebatur. Item quando vidit se prope mortem, sciens quia odibilis erat apud omnes Iudæos, & quia mors illius multis gaudium erat factura, congregauit omnes principes Iudæorum: & iussit, vt cùm ipse mortuus fuisset, omnes occiderentur, vt in morte eius omnes ciuitates lugerent: etsi nõ propter amorem illius, vel saltem propter suum dolorem. Et hoc consilio Dei factum est. Quando enim Magi annunciauerunt de stella regis futuri, omnes principes cõsenserunt Herodi, vt requireret puerum & occideret. Hoc vnde scimus? Primùm quia dicit scriptura: Turbatus est Herodes, & omnis ciuitas cum illo. Deinde ipsa verba angeli hoc demonstrant, dicentis: Accipe puerum & matrem eius, & reuertere in terram Iuda: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Non dixit, mortuus est, qui requirebat animam pueri: sed mortui sunt omnes, qui requirebant animam pueri. *Defuncto Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto, dicens: Accipe* Act. 12. *puerum, & matrem eius.* Vides quia Ioseph non ad coniugium Mariæ erat electus, sed ad ministerium eius? Eunte autem illa in Ægyptum & redeunte, nisi desponsata illi fuisset: quis ministerium ei tantę necessitatis impleret? Nam in prima quidem facie Maria puerum nutriebat, Ioseph cõseruabat. Reuera autem puer matrem nutriebat, & Ioseph tutabatur. Ideo non dicit, accipe matrem, & puerum eius: sed, accipe puerum & matrem eius: quia non propter illam matrem iste filius natus est, sed propter illum filium illa præparata est mater. Nec pueri erat gloria habere illam matrem, sed illius erat beatitudo, istum habere filium. Sicut ipsa dicebat: Ec- Luc. 1. ce nunc beatam me dicent omnes generationes. *Vade in terram Israël.* Quasi enim medicus descendit in Ægyptum, vt visitaret eam languentem erroribus, non vt remaneret in ea. Nam in prima facie quasi Herodem fugiens, descendit in Ægyptum: reuera autem, vt Ægyptij erroris dæmones effugaret ex ea, sicut testatur Esaias dicens: Ecce Dominus descendit in Ægyptum, se- Esa. 19. dens super nubem leuem, & cadent idola Ægypti. Vi-

des ergo

des ergo quia ideo descendit in Ægyptum, non mor- A tem fugiẽs, sed vt mortifera idola dissiparet? Nam nunquam inuenitur Dominus descendisse, nisi tunc, Notandum autem, quia nocte fugit in Ægyptum, reuertitur autem per diem: quoniam fugiens, persecutionem fugiebat Herodis: reuertens autem, mortuo reuertebatur persecutore. Omnis enim persecutionis angustia nox est, refrigerium autem dies. *Admonitus autem in somnis, secessit in partes Galilææ, & veniens habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.* Dum dicit, per Prophetas, non per Prophetam, manifestat quod non certam authoritatem prophetiæ protulit, sed sensum Prophetarum colligens dixit. Nam per omnes Prophetas Iesus Nazarenus vocatur, quod est sanctus. Aut fortè legerunt & alios Prophetas ita dicentes, qui non sunt nobis canonizati. Alij etenim prophetauerunt, & conscripserunt, sicut Nathan, & Esdras.
Ioan. 1. Et quoniam prophetatum erat, hoc ipsum manifestat B Philippus dicens ad Nathanaël, quem scripsit Moses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth. Vnde & Nathanaël sciens prophetatum esse, hoc ipsum confirmans respondit: Ex Nazareth potest aliquid boni esse.

Homilia III. ex cap. III.

In diebus illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, & dicens, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Hic
Esa. 40. *est enim de quo dictum est per Esaiam Prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos. Esca autem eius locustæ, & mel syluestre. Tunc exibat ad eum Hierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua. Videns autem multos Pharisæo- C rum & Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Sol appropians ad processum, antequam appareat, mittit radios suos, & facit albescere Orientem, vt procedens aurora aduentum diei demonstret. Sic Dominus natus in mundo, antequam appareat, spiritus sui fulgore trãsmisso illuminauit Ioannem, vt præcedens ille, aduẽtum saluatoris annunciet: ne fortè subitò veniens, & dicens se esse filium Dei, propter ipsam magnam atque terribilem indicationem rei ipsius, magis se incredibiliorem ostenderet. Si enim Ioannes prædicauit persona cognitus, genere dignitosus (erat enim filius Zachariæ sacerdotis) & conuersatione mirabilis, tamen infideles Iudæi non acquieuerunt credere Christo per illum: quantò magis non erant crediturí, si nulla ante eum denunciatio præcessisset? Nam quantumuis fuerit persona laudabilis, in sua causa non potest esse testis idoneus. D Venit Ioannes quasi magni regis præparator fidelis. Qualis rex, talis & nuncius regis: natus ex gratia, non ex natura. Sicut Christi conceptionem antè angelus nunciauit, sic & istius. Sicut illius nomẽ antequam conciperetur, auditum est: sic & istius. Sicut illius potestas antequam nasceretur, ostensa est: sic & istius virtus antequam nasceretur manifestata est. Hæc fuit inter illos
Luc. 1. differentia: quia Christo concepto, fidelis mater confessa est gratiam Deo, dicens: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Ioanne autem cõcepto, incredulus pater obmutuit: quia Ioanne nato, lex de cætero fuerat tacitura. Christo autem nascẽte postmodum, gratia fuerat locutura. Ioannes quidem parẽtibus

suis donatus est pro munere pietatis ipsorum, quem na- materia.
tura † desperabilis in ætate produxit: quoniam & mundus per tot millia annorum sterilis constitutus, illo nascente fructus iustitiæ erat facturus: quem parẽtes non ex amore carnis seminauerunt, sed ex vnanimitate & concordia disciplinæ meruerunt: erant enim iusti ante Deum ambo. Nec enim decebat, vt ex carne & sanguine nasceretur, qui ideo nascebatur, vt filium virginis prædicaret. Verè enim deserta erat Iudæa, vacua à iustitia, plena peccatis, quam Deus plantauerat, lex irrigauerat, omnes Prophetæ coluerant. Illa autem nullum fructum produxit, nisi spinas asperrimas, quibus suum Dominum coronabat. *Dicens: pœnitentiam agite.* Quomodo in ipso principio manifestat, quia benigni regis est nuncius: non enim peccatoribus minas intendebat, sed peccatorum indulgentiam promittebat. Solent enim reges nato sibi filio indulgentiam in regno suo donare, sed antè transmittunt acerbissimos exactores, qui omne quod inuenerint exigant ita vt indulgentia ipsa B crudelior esse videatur, quàm ipsa exactio, vt nihil indulgentiæ habeat præter nomen, vt lugentes illam homines & nudi suscipiant. Deus autem & nato sibi filio volens donare in sæculo indulgentiam peccatorum, præmisit quasi exactorem Ioannem exigentem & dicentem: Facite fructus dignos pœnitentiæ. O exactio, quæ non pauperes fecit exactos, sed magis diuites reddit. Nam cùm quis debitum iustitiæ suæ reddiderit, Deo nihil præstat, sed sibi lucrum salutis acquirit. Quid autem agit pœnitentia? cor emundat, sensus illuminat, animas sanctificat, & ad susceptionem Christi præparat humana præcordia, quemadmodum magno iudici aut regi aliquo in expeditionem vẽturo præparatores præcedunt, sordida abluunt, diruta componunt, ne fortè indecorum aliquid videns rex delicatus abhorreat: Sic & Domino nostro ad peregrina loca huius sæculi venturo, præcessit Ioannes, qui ab humanis cordibus pœnitentiæ scopis, peccatorum sordes eiiceret, & quæ per longam diaboli indisciplinationem dissipata fuerant, spiritualium præceptorum ordinatione componeret: insuper aqua baptismatis adornaret, vt veniens rex cœlestis, dignum transitum inueniret per corda credentium, propter quod dixit: *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Vox est sonus Vox.
confusus, nullum secretum cordis ostendens: sed hoc tantummodo significans, quia vult aliquid dicere ille qui clamat. Verbum autem est sermo rationabilis, my- Verbum.
sterium cordis aperiens. Adhuc vox inter animalia & homines communis est, verbum autem hominum tantùm. Ideo ergo Ioannes dictus est vox, non verbum: quia per Ioannem neque misericordias suas Deus, neque iustitias, neque ante constitutionem mundi præparata consilia demonstrauit: sed hoc tantummodo, quia aliquid magni facere Deus in hominibus meditabatur. Postea autem per filium suum plenissimum mysterium D suæ voluntatis aperuit, ideo & dictus est verbum. Parate viam Domini. Pœnitentiam agere peccatorum, & facere fructus dignos pœnitentiæ, hoc est parare viam Domini, & rectas facere semitas eius. Quomodo signat omnes vias Domini naturaliter in hominibus esse plãtatas, sed postea per contumaciam nostram factas esse desertas, & flexuosas? Nunquam enim illas hominibus reparare committeret, nisi sciret eas in hominibus esse, & hominum negligentia esse subuersas. Ecce humilitatis gratia in hominibus fuit: sed dum inuicem homines se ad indignationem prouocant, humilitatis gratiam corrumpunt, quando se alter humiliat, alter eum accipere recusat. Item si alter se contra alterum humiliaret, adinuicem alterutrum se ad humilitatis gratiam exci-

Universidad de Deusto
Biblioteca

alias corporea.

tarent. Nam sicut omne artificium corporale † visitatione seruatur, & additur: sic & gratia omnis per exercitationem additur, & per desidiam minoratur. Nunc si minor se humiliauerit ante maiorem, aut pauper ante diuitem, non accepit illum quasi humilitatis honorem, sed quasi debitum potestatis. Vis autem scire quia ante humilitatis gratia fuit in nobis? Vnde didicimus subiecti esse potentibus? Item sapientiam habuerunt homines, sed dum sapientiam suam non ad adiuuãdos se per suam sapientiam exercebant, sed ad circumueniendos, sapientia illorum inuenta est esse malitia. Vnde enim poterat homo habere intellectum, quomodo alteri faceret fraudem, nisi à Deo gratiam intelligentiæ accepisset? Ita bono Dei malè vtentes, fecerunt esse diaboli malum. Secundum hæc tria tracta in omnibus rebus bonis. Postquam ostendit, quia ipse est vox clamantis in deserto, dicens parate viam Domini, prudenter subiunxit confestim & quæ esset vita eius ostendens, quia meritò omnes homines eum venerabantur. Nam ipse quidem testificabatur de Christo, vita autem eius de ipso. Nam testimonium verborum eius nequaquam fuisset idoneum, nisi eum mirabilis vitæ institutio commendasset. Nam nemo potest alterius esse testis idoneus, nisi prior fuerit suus. *Ipse autem Ioannes habuit vestimenta de pilis cameli: & zonam pelliceam super lumbos eius: & locustas & mel syluestre edebat.* Non de lana cameli habuit vestimentum, ne ipsa mollities vestimenti delicata faceret membra, & ipsa deliciositas virtutem patientiæ emolliret: sed de asperioribus setis cameli, vt ipsa asperitas ad virtutem patientiæ animum exerceret: ideo non dixit, de lana cameli: sed de pilis cameli. Nam omne vestimentum ad tres pertinet causas, aut ad speciem visionis seu ad vanam gloriam: aut ad delectationẽ corporis: aut ad tegumentum nuditatis. Ad speciem visionis habere vestimentum, seruis Dei non conuenit: similiter ad delectationem corporis, Deo seruientibus non est aptum. Sed quid? tantùm ad tegumentum nuditatis. C Quoniam autem non de lana camelina, sed de pilis cameli habebat vestimentum, ipse Dominus manifestat Matth.11. dicens de Ioanne: Quid existis in desertо videre? hominem mollibus vestitum? Non: nam hi qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Vides ergo quia tale habebat vestimentum, vt de virtute animæ eius ipse habitus corporis loqueretur. *Et zona pellicea super lumbos eius.* Ex eo quod quasi pro nouo aliquid significet in Ioanne, dicens: Et zona pellicea circa lumbos eius: ostendit quia consuetudo erat apud Iudæos, vt zonis laneis vterentur. Ideo iste quasi aliquid durius facere volens, zona pellicea cingebat se. puto quod Ioannes in conuersatione populi Iudaici pene secundum iustitias gentium conuersantis, indicabat in habitu vestem religiosiorem, non mollem, neque delicatam, sed cilicinã, grauem & asperam, & cõterentem corpus potius quàm fouentem. Nam extra alias legis iustitias, grauiores se habere iustitias. * † Non occides, non adulterabis, non D periurabis, oculum pro oculo, dentem pro dente, diliges amicum, & odies inimicum, gentium tortuosarum iustitiæ sunt. Vnde & Euangelista dicit inferiùs: Si diligitis diligentes vos, quam mercedem habebitis? Nónne & gentes hoc faciunt? Et zona pellicea circa lumbos eius. Lumbi sunt voluptates omnium peccatorum, quia omne peccatum cum voluptate committitur. Zona autem pellicea est continentia corporalis. Zonam ergo pelliceam habebat circa lumbos suos, quoniam etsi qui se continere videbantur ex populo Iudaico à peccatis, corporali continentia se constringebant, non spirituali, ab opere malo se continentes propter legem, non à voluntate mala propter Deum: vtputà non quidem occidebant, tamen irascebantur sine causa. Non quidem adulterabantur, tamen concupiscebant in corde. Forsitan non periurabant iurabant tamen. Hæc continentia corporalis est, quia legi & hominibus satisfacit, & non Deo. Continẽtia autem malæ voluntatis placat Deum, quia homo videt in facie, Deus autem in corde. Reddebant malum pro malo, & bonum pro bono: amicos amabant, & inimicos odiebant. Hæc iustitia corporalis est, non spiritualis: hominibus placens, non Deo. Vides quia omnis continentia eorum corporalis erat, peccata tantùm actuum deprimens, non voluntatum? Item locustæ sunt volatilia quidem munda, tamen parua, & non satis in altum volantia, quæ manducabat Ioannes constitutus in deserto. Quos † docebat Ioannes, † idem quod, id est, manducabat. Volatilia quidem erant, non autem magna volatilia, nec satis in altum volãtia: quia secundùm iustitiam legis metu pœnæ corporalis viuebant, non secundùm spiritualia & altissima Christi præcepta. Denique quomodo magnæ volucres erant Iudæi, aut ad alta volantes, quibus à Ioanne pœnitentia sola iniungebatur? Qui enim abstinet se ab opere malo, & non insuper facit opera bona, volat quidem, nó autem in altum volat. Parua ergo volatilia, & non in altum volantia manducabat Ioannes: maiora autem volatilia, & in altum volantia, quæ altissima cœli poterant penetrare, Christo pòst venienti, quasi regi magno seruabat. Ille enim postea veniens magna volatilia, & in altum volantia manducauit: id est, docuit beatos apostolos duodecim, & sub apostolis septuaginta discipulos, & cæteros Christianos, quibus & altissima mandauit præcepta. Antiquis dictum est, non occides: ego autem dico vobis, si quis iratus fuerit fratri suo sine causa, reus erit iudicij. Antiquis dictum est, non adulterabis: ego autem dico, Exod. 20. & Matt. 5. nec vsque ad oculum cõcupiscas. Antiquis dictum est, non periurare: ego autem dico, omnino nõ iurare. Antiquis dictum est, oculum pro oculo, dentem pro dente: ego autem dico, non malum reddere pro malo. Antiquis dictum est, diliges amicum, & odies inimicum: ego autem dico, diligite inimicos vestros. Vides quia Exod. 21. Leuit. 19. quibus Ioannes prædicabat pœnitentiam peccatorum: parua volatilia erant, & non in altum volantia: quibus autem spiritualia Christus mandauit, magna volatilia erant, & ipsos penetrantia cœlos: vt dicere possint, Nostra autem conuersatio in cœlis est. Ideo forsitan eis dicebat: Nolite timere, multis enim passeribus meliores Philip. 3. Luc. 12. estis vos. Item mella sunt eloquia Dei. Ideo ergo Ioannes mel agreste edebat: quoniam adhuc ante Christũ, ante Spiritum sanctum constitutus sub lege, legis vtebatur eloquiis insipidis, & insuauibus, & agrestibus. Nã si filius Dei sub lege est factus, quantò magis Ioannes, Galat. 4. qui verè erat Iudæus? Sed filius Dei sub lege factus est, vt eos qui sub lege erant redimeret, & educeret. † Ioannes autem sub lege natus est, non vt eos qui sub lege erant, educeret, † sed vt essent sub lege, vt secundùm legem & viuerent, & docerent. Propterea nihil extra legem aut fecit, aut docuit, sed tantùm pœnitentiam prædicauit: Christus autem multa extra legem & fecit, & docuit. In sabbato operatus est, leprosum tetigit, & alia multa: quia non insipidis & agrestibus legis vtebatur præceptis, sed suauibus & domesticis, quæ à Patre susceperat. Propterea Ioannes agreste mel mãducauit, Christus autem domesticum. Ac sic Ioãnes legis & Prophetarum omnem formam adimplens, speciem gentium diuina virtute circa seipsum consummans, capillatiam & peregrinam tunicam induebat, quasi Ecclesiam suam lex & Prophetæ suis prophetationibus imputrescibilẽ, & incarpibilem texuerũt. Zona autem erat præcinctus, præparationem ostendens accedẽtibus, & credentibus prædicationibus

grauiores hæ ipsæ iustitiæ. Infra 5. & Luc. 6. lumbi.

edoceret. edoceret.

prædicationibus suis. Edebat autem locustas, & mel A syluestre: ostendens eos, qui longè volabant, prope futuros, sicut & Apostolus ait ad gentes: Et vos qui aliquando eratis à longè, propè facti estis in sanguine Christi. Et qui agrestium gentium dulcedinem futuræ fidei docens, quæ ad sublationem curationis processerat, mel syluestre edebat. *Tunc exibat ad eum Hierosolyma, & omnis Iudæa.* Id est, quando vox facta est in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Et amplius resonabat conuersatio vitæ eius in eremo, quàm vox clamoris ipsius. Et magis expauescere faciebat homines operibus suis, quam verbis. Et forsitan nisi sermones suos conuersatione huiusmodi commendasset, nunquam omnis Iudæa ad vocem eius exisset ad eum. Ex quibus verbis apparet, quia Dominus constitutus in mundo, non tantùm visibiliter sermonibus suis docuerat populum suum, sed inuisibiliter in cordibus hominum operans, adducebat ad fidem. Nec enim hoc admonebat Ioannes, vt viam Domini super terram, sed in B sensibus & cordibus hominum pararent. Ergo in prima quidem facie videbatur in corpore ambulans, reuera autem per corda hominum, & per sensus incedens, singulorum conscientias scrutabatur. Egrediebatur ad eum omnis Iudæa. Ad comparationem enim illius sanctitatis, quis poterat arbitrari se iustum? Inimitabilis erat conuersatio eius, omnium vitam apparere faciebat culpabilem, vt iam nemo in operibus suis confideret, sed omnes in misericordiam Dei spem suam collocarent. Quemadmodum enim si videris albam vestem, dicis, satis cãdida vestis est: si verò posueris eam iuxta niuem, incipit tibi sordida apparere: etsi verè sordida non est, tamen quantum ad similitudinem niuis sordida inuenitur: sic quantum ad comparationem Ioannis, omnis homo videbatur immundus. Et verè talis debet esse princeps in populo, vt totus populus semper aliquid boni. nouj * inueniat, quod imitetur in eo. Nam ad cuius similitudinem extendat se populus; & emendet, si videat C ipsos principes esse sordidiores quàm se? *Et baptizabantur ab eo confitentes peccata sua.* Confessio peccatorum Confessio. est testimonium conscientię timentis Deum. Qui enim timet iudicium Dei, peccata sua non erubescit confiteri: qui autem erubescit, nõ timet. Perfectus enim timor 1. Ioan. 4. soluit omnem pudorem. Illic enim turpitudo confessionis aspicitur, vbi futuri iudicij pœna non creditur. Nunquid nescimus, quia confessio peccatorum habet pudorem, & quia hoc ipsum erubescere, pœna est grauis? Sed ideo magis nos iubet Deus confiteri peccata nostra, vt verecundiam patiamur pro pœna. Nam & hoc ipsum pars est iudicij. O misericordia Dei, quem totiens ad iracundiam excitauimus. Sufficit ei solus pudor pro pœna. *Videns autem multos Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad baptismum, dixit eis: Genimina viperarum, quis vos docuit fugere à ventura ira? Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Sicut artifex medicus, si viderit ægrotantis colorem, intelligit speciem passionis ipsius: sic & D Ioannes mox vt vidit Pharisæos venientes ad se, intellexit cogitationes eorum prauas. Forsitan enim cogitationes eorum prauas. Forsitan enim cogitauerunt apud se, imus, & confitemur peccata nostra, Quantum est in vna hora erubescere? Iustitias à nobis non quærit, nullum laborem nobis imponit. baptizamur, & consequimur indulgentiam peccatorum. Sic cogitabant, quomodo & modò omnes qui faciendæ iustitiæ proposità non habent, & ad baptismum veniunt, putantes quia possit eos iustificare sola aqua baptismatis, etiamsi non præcesserit bona voluntas. Insipiens, pone Ioannem medicum esse, verbum autem ipsius quasi ferrum medicinale, quo repletæ peccatis conscientiæ præcidun-

Ephes. 2.

tur: confessionem puta esse digestionem impuritatis & spurcitiæ quæ intus erat inclusa, baptismum esse lotionem sordium egressarum: nunquid facta digestione impuritatis, iam statim sanus factus es? nunquid iam nõ habes vulnus? nunquid non est tibi necessaria superpositio medicinæ? Sic multa diligentia necessaria est homini post confessionem & baptismum, vt vulnus peccatorum eius & confessionis apertura sanetur. Genimina viperarum. Natura enim viperarũ talis est, cùm mo- Viperarũ natura. rderit hominem, statim currit ad aquam, si autem aquam non inuenerit, moritur. Ideo & istos vocabat genimina viperarum, qui peccata mortifera committentes, currebant ad baptismum, vt quemadmodum viperæ, per aquam periculum mortis euaderent. Item viperarum natura est, rumpere viscera matrum suarum, & sic nasci. Quoniam ergo Iudæi assiduè persequentes Prophetas, corruperunt matrem suam synagogam, sicut ipsa lugens dicit in Canticis: Filij mei dimicarunt in Cant. 1. me: ideo viperarum genimina nuncupantur. Item viperæ à foris speciosæ sunt, & quasi pictæ: ab intus autem veneno plenæ sunt. Ideo & hypocritas & Pharisæos viperarum genimina appellat, quia hypocritæ pulchritudinem sanctitatis ostendebant in vultu, & venenum malitiæ portabant in corde. Quis vobis ostendit? Nónne Esaias Propheta ostendit vobis, dicens: Lauamini, & Esa. 1. mundi estote? Absit. Ille enim sicut dicit, Lauamini & mundi estote: ita etiam, Auferte nequitiam ab animabus vestris, discite benefacere. Si vos Esaias docuisset, nunquam spem vestram in aqua tantummodo poneretis, sed etiam in operibus bonis. Nunquid Dauid Pro- Psal. 50. pheta vobis ostendit dicens, Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor? Absit. Ille enim sic dicit postea. Sacrificium Ibidem. Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Si ergo discipuli essetis Dauid, cum spiritu contribulato, & cum gemitu cordis ad baptismum veniretis. *Nolite dicere, quia patrem habemus Abraham.* Quid enim prodest ei quem sordidant mores, generatio clara? Aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Ipse se vacuum ab omnibus bonis actibus ostẽdit, qui gloriatur in patribus. Quid profuit Cham quòd filius fuit Noe? nónne separatus de Genes. 6. medio filiorum? Qui secundùm carnem frater natus fuerat, secundùm animum factus est seruus. Nec familia eius sancta potuit defendere impios mores. Aut quid nocuit Abrahæ, quòd patrem habuit Thare luteo- Gen. 11. rum deorum cultorem? nónne separatus à genere suo positus est in caput fidelium, vt iam non diceretur filius peccatorum, sed pater sanctorum? Nec potuerunt gloriam eius sordidare paterni errores. Nam & aurum de terra nascitur, sed non est terra. Et aurum quidem eligitur, terra autem contemnitur. Et stannum de argento egreditur, sed non est argentum. Itaque argentum colatum seruatur, stannum autem foras expellitur. Melius est de contemptibili genere clarum fieri, quàm de claro genere contemptibilem nasci. Qui enim de claro genere clarus nascitur, gloria claritudinis eius non est eius solius, sed communis videtur cum genere. Qui autem de contemptibili genere clarus egreditur, tota gloria claritudinis eius, eius solius est. Item, qui de contemptibili genere contemptibilis nascitur, turpitudo contemptibilitatis illius non eius solius, sed etiam generis eius. Qui autem de claro genere contemptibilis nascitur, omnis turpitudo illius, eius solius est. Ideo melius est vt in te glorientur parentes qui talem filium habẽt, quàm tu glorieris in parentibus. Sic & vos nolite gloriari dicentes, quia patrem habemus Abraham: sed magis erubescite, quia filij eius estis, & sanctitatis eius non estis

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæredes. Ipse enim suo testimonio se conuincit, quia A de adulterio natus est, qui non similatur patri. Sermonem dictum ad Iudæos conuertamus ad Christianos: quia sicut Iudæi putabant se propter hoc solùm esse saluandos, quia erant filij Abrahæ: sic & multi insipientes Christiani per hoc solùm putant se esse saluandos, quia sunt Christiani: ad quos conuenienter dicit Ioannes: Nolite dicere quia sumus Christiani, sed facite dignos pœnitentiæ fructus. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Lapis quidem durus est ad opus: sed cùm factum fuerit opus ex eo, deficere nescit. Sic & gentes cum difficultate quidem crediderunt, tamen credentes permanent in æternum in fide. *Iam securis ad radicem arboris posita est.* Securis autem est acutissima ira consummationis, quæ totum præcisura est mundum. Et si posita est, quare non præcidit? aut si interim præcisura non fuerat, quare posita est? Quia rationabiles sunt arbores, & in potestate habent facere bonum, aut non facere: vt videntes ad radices suas positam esse se- B curim, timeant præcisionem suam, & faciant fructum. Nam quamuis malus nec timore corrigitur, tamen bonus nisi timuerit peribit. Ergo denunciatio iræ etsi in malis nihil agat, tamen à malis segregat bonos. Vide autem quòd non ad ramos posita dicitur esse securis, vt cum præcisæ fuerint, iterum reparentur: sed ad radices,
1. Ioan. 3. vt irreparabiliter extirpentur. Quare? Quoniam quamdiu mundus iste iniquus, & totus positus in maligno, nõ erat circa finem, castigabantur peccatores, non exterminabãtur propter duas causas. Primùm quidem, quoniam oportebat homines esse in mundo, quamuis essent iniqui, quoniam & ipse mũdus iniquus est. Deinde quia mundo manente expectatio erat si fortè aliqui nascerentur iusti ex generationibus iniustorum. Nunc autem hoc quidem modò iam finiente, illo autem sancto iam appropinquante, non castigantur iam peccatores, sed euertuntur, propter duas causas. Primùm quidem, quoniam iam nec expectatio potest esse, si fortè ex genera- C tionibus iniustorum aliqui aliquando iusti nascantur. Deinde quia nec conuenit vt in illo sancto mundo ho-
Psal. 36. mines sint non sancti, sicut scriptum est: Quoniam sancti inhabitabunt terram, iniqui verò expellentur ex ea. Et iterum orat Esaias: Tollatur impius, vt non videat
Esa. 26. honorem Domini Dei. *Ego quidem baptizo vos in aqua ad pœnitentiam: qui autem post me venit, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta soluere. Ipse bapizabit vos in spiritu & igne.* Quoniam missus erat Ioannes ad baptizandum, non tamen propter necessitatem dandi baptismatis, sed vt per occasionem ad baptismum venientibus, præsentiam filij Dei in corpore prædicaret, sicut ipse te-
Ioan. 1. stificatur alibi, dicens: Sed vt manifestetur in Israël, ideo ego veni in aqua baptizare. Ideo nũc ad baptismum venientibus, & ipsum prædicabat apparituram confestim, & eminentiam potestatis eius annunciat. Pedes autem Christi intelligere possumus Christianos, in quibus ambulat, præcipuè apostolos, cæterósque prædica- D tores, per quos discurrit: inter quos fuerat & Ioannes Baptista. Calceamenta autem quibus operit pedes, possumus intelligere firmitates quibus omnes operit prædicatores. Vis scire quàm fortia sint calceaméta ipsius?
Hier. 1. Audi ipsum dicentem ad Hieremiam: Ecce posui te in hodierna die sicut ciuitatem firmam, & sicut murum æreum. Hæc ergo calceamenta Christi, omnes prędicatores portant, & Ioannes ipse præportabat: sed dignum se non esse pronunciabat portare, vt maiorem ostenderet gratiam * Christi meritis suis. Ioannes corporalis gloriam. est, & aqua corpus est: ideo corpus cum corpore corpus baptizat. Christus autem spiritus est, & Spiritus sanctus spiritus est, anima quoque spiritus est: ideo spiritus cum spiritu spiritum nostrum baptizat. Et quoniam iudex est qui baptizat in igne, id est in tentationibus: Ioannes cùm sit corporalis, spirituale baptismum non potest dare, quia omnis beneficus maior est quàm beneficium eius. Nemo potest dignius beneficiũ dare, quàm ipse est: nec facit aliud quam †* ipse non est. In igne aliàs, alterũ quod. non potest baptizare homo, quia homo hominis non potest esse iudex. Ille enim tentandi habet licentiam, qui habet remunerandi potestatem. Ergo Christi baptismus non soluit Ioannis baptismum, sed in se inclusit. Qui enim baptizatur in nomine Christi, vtrunque baptismum habet, & aquæ & spiritus: quia Christus spiritus erat, & corpus suscepit, vt & spirituale & corporale baptisma daret. Ioannis autem baptismus non inclusit in se baptismum Christi: quia quod maius est, minus in se includit: quod autem minus est, maius in se includere non potest. Ideo Apostolus cum inuenisset quos-
Act. 19. dam Ephesios Ioannis baptismate baptizatos, iterum baptizauit eos in nomine Christi, quia in spiritu non erant baptizati. † [Si ergo super Ioannis baptisma, quod (hæcin quibusdam exemplaribus desunt. plenum quidem non erat, tamen rectum erat, iterum baptismum Christi dare licuit Apostolo, quomodo tu dicis quia super baptismum meum melius non debes baptizare, quod nihil habet in se præter baptismi nomen? Denique baptizantes secundum mortem illius baptizamus, qui crucifixus est. Si ergo non Deus est crucifixus in carne secundum te, sed homo purus, iam secundùm mortem puri hominis baptizas.] Homo autem purus spirituale baptismum non potest dare, sicut al. deest non. suprà diximus: & ideo baptismum tuum etsi non † esset rectum: tamen baptismum erat, id est simile baptismo Ioannis erat, id est, in aqua, non in spiritu. Ergo Paulus Christi secutus exemplum, baptizabat eos qui baptismate Ioannis fuerant baptizati: quoniam & Christus iterum baptizauit eos qui à Ioanne erant baptizati: sicut sermo demonstrat, dicens: Ego quidem vos baptizo in aqua, ille autem vos baptizabit in spiritu. Nec videbatur iterum baptizare, sed semel. in quo enim amplius erat Christi baptismum quàm Ioannis, in hoc nouum baptismum videbatur, & non iteratum. † [Si ergo post (hæc rursus desunt. baptismum Ioannis, quod etsi perfectum non erat, tamen legitimum erat, baptizabat Christus, vt aliquid ampliùs daret hominibus, quomodo post impium baptismum non licet dare sanctum?] Videamus nunc & vniuscuiusque baptismatis qualis sit vtilitas. Et quamuis verbi baptismum non sit positum in hoc loco: tamen quia † est, & Dominus dixit de eo, Et vos mundi al. quia & dominus. Ioan. 15. Ephes. 5. estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Et Apostolus ait, Mundans eam lauacro aquæ in verbo: dicimus & de illo, quoniam verbum à sordibus ignorantiæ mundat, scientiæ lumen infundens, sed peccata non diluit, animam non adiuuat, nec concupiscentias malas præcidit ab ea, nec carnem à mala voluptate †* cõpescit. Hoc facit verbum fidei mundum †* quod voluntate. nudum. faciebat antea lex: iustitiam quidem ostendebat, animam autem non adiuuabat: quoniam omne verbum lucerna est, & non virtus. Item aqua proficit, quia peccata quidem quæ iam processerunt in opus, abluit, & hoc si pœnituit: animam autem non sanctificat, nec concupiscentias cordis, aut cogitationes malas præcidit, nec repellit eas, sed nec carnales concupiscentias reprimit. Qui ergo non fuerit sic baptizatus vt mereatur accipere Spiritum sanctum, in corpore quidem baptizatus est, & peccata eius indulta sunt, sed in animo catechumenus est. Sic enim scriptum est: Quia qui spi- Rom. 8. ritum Christi non habet, hic non est eius: propter quod caro eius postea peiora ei germinabit peccata, quia non habent in se Spiritum sanctum cõseruantem se, sed vacua est

cua est domus corporis eius. Propterea spiritus ille in- A
Matth. 12. ueniens vacuam domum, & mundatam doctrinis fidei, quasi scopis, intrans septempliciter habitat in ea: quoniam verba fidei, quæ appellantur scopæ, ab ignorantia mundãt, non à peccatis vel cõcupiscentiis. Baptismum autẽ spiritus proficit: quia ingrediẽs spiritus circumplectitur animã, & quasi muro quodam inexpugnabili circuit eam: & non permittit vt carnales concupiscentiæ & cogitationes præualeant contra eam. Num quidem
al. quid. † facit vt caro non concupiscat: sed tenet animam, vt non ei consentiat, neque vincatur ab ea. Ergo qui Spi-
al. deest sanctum. ritum sanctum † habet, concupiscit quidem secundum carnem, sed secundùm animam adiuuatur à spiritu, vt concupiscentiæ eius non veniant ad perfectum. Tentationis autem & tribulationis baptismum igni hic comparatur, comburit enim carnem & coquit, vt nec concupiscat citò, sed vt nec germinet cõcupiscentias. Nam anima spiritus est, & spirituales pœnas timet, carnales autem non timet. Vnde & sancti pœnas huius sæculi B contemnunt, & futurum iudicium timent, vbi spiritus cruciantur. Caro autem spirituales quidem pœnas non timet, carnales autem timet. Ideo mali non cessant peccare, nisi eos iudicia carnalia & terrena compescãt. Ideo ergo sciens Dominus quia caro carnales tantummodo pœnas timet, spirituales autem non timet: super seruos suos concupiscentias carnales mittit, tentationes & tribulationes, vt combusta caro timeat * disciplinam, & timens angustias suas non concupiscat malum.
teneat. Quia caro importuna, & concupiscens, si secura fuerit, etsi non vincit seruos Dei, tamen sordidat sanctitatem eorum, & inquietat, & requiescere non permittit. Vnde iustitia in tentationibus floret, in prosperitate autem marcida est. Quemadmodum si focum posueris super terram, comburit ipsas radices herbarum, & vt in loco illo iam non facilè nascatur herba: sic & tẽtationis ignis positus super carnem, comburit radices concupiscentiarum in ea, vt non facilè concupiscat. Vides ergo quia C aqua, præterita lauat peccata: spiritus autem repellit concupiscentias, & præualere non sinit: ignis autem ipsas concupiscentiarum radices comburit? Et aqua præterita tollit, spiritus præsentia impedit, ignis aduersus futura præmunit. Quid est autem baptizare in igne, etiam sequens sermo demonstrat, dicens: *Habens ventilabrum in manu sua.* Ventilabrum est iudicium, per quod Dominus singulos homines tentat, & cunctorum corda diiudicat. Ergo non mox vt quis in aqua vel spiritu fuerit baptizatus, statim ad perfectum est baptizatus, nisi Dominus eum inuisibiliter baptizauerit in igne tẽtationis: quoniam si non fuerit quis tentatus, non potest esse probatus. Species autem tẽtationum sunt mul-
Species tentationum. tæ. Tentãtur etenim homines aut in infirmitatibus, aut in damnis rerum suarum, aut in mortibus charorum
Iob 13. & 29. Tobiæ 2. suorum, sicut Iob & Tobias. Alij in cogitationibus pertuersis, aut in diffidentiis, sicut dicit Propheta: Proba me
Psal. 25. Domine, & tenta me: vre renes meos, & cor meum: D quoniam misericordia tua ante oculos meos est, & cõplacui in veritate tua. Item Salomon dicit de Chri-
Eccles. 4. sto: Quoniam cum tentatione ambulat cum eo, & in primis eligit eum: timorem & metum adducet super eum, & cruciabit eum in tribulatione doctrinæ suæ, donec tentet eum in tribulationibus eius, & credat animæ
Psal. 65. eius. Alij in persecutionibus, dicente Propheta ex persona martyrum: Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentum, &c. Vnde
Eccles. 2. sciens Salomon, quoniam seruos Dei oportet tentari, admonet, dicens: Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Et vt breuiter dicamus, omnis aduersitas, quæ nos sine nostra occasione tribulat in hoc mundo, baptismum ignis est: quam si magnanimiter sustinueris, nihil murmurans contra Deum, imputatur tibi illa carnalis afflictio pro peccato quod commisisti. Si autem non peccasti, quod est difficile, & ignis ille tentationis circa animam tuam non inuenit sordes peccatorum quas comedat, ipsam animam tuam facit splendidiorem: & quantò grauior fuerit tentatio, tantò magis facit clarescere animam. Et in aqua quidem semel baptizamur, in igne autem pœnæ * dum viuimus. Sicut enim vita nostra in mundo hoc nunquam munda est à pec- sæpe. cato, aut enim videndo, aut audiendo, aut loquendo, aut cogitando quæ non expediunt, semper animus sordidatur: sic nunquam à nobis ignis tribulationis recedere potest. Et verè optabilis res est sapientibus, quoniam scriptum est: Beatus homo quem Dominus argue-
Psal. 93. rit super terram. Quamuis autem secundùm exitum rei, ignis & ventilabri vnus est sensus: tamen sequens prophetes sermonum, puto differẽtiam ignis esse & ventilabri: vt omnis tribulatio quæ contingit Christianis secundùm carnem, sit baptismus ignis: persecutio autem Gentilium vel hæreticorum, sit ventilatio ventilabri cœlestis. *Et permundabit aream suam, &c.* Area est Ecclesia, horreum autem regnum cœleste, ager verò hic mundus. Sicut ergo paterfamiliãs mittens messores metit festucas de agro, & comportat eas in aream, vt illic trituret & ventilet, & discernat triticum à paleis: sic & Dominus mittens Apostolos, cæteróque doctores, quasi messores, præcidit omnes gentes de mundo, & in aream Ecclesiæ congregat. Hic ergo triturandi sumus, hic ventilandi. Sicut enim granum tritici inclusum in palea, foras non egreditur, nisi fuerit trituratum: sic & homo de impedimentis mundialibus, & de rebus carnalibus, quasi in palea inuolutus difficilè egreditur, nisi fuerit aliqua tribulatione vexatus. Nam sicut quidem plenum granum mox vt leuiter percussum fuerit, de palea sua exilit foras: si autem subtile fuerit tardius egreditur: quod si vacuum fuerit, nunquam egreditur, sed illic conteritur in palea sua, & ita cum paleis foras iactatur: sic omnes quidem homines in rebus carnalibus delectantur, sicut grana in palea. Sed qui fidelis est, & boni cordis habet medullam: mox vt leuiter tribulatus fuerit, negligens quæ sunt carnalia, currit ad Deum. Si autem modicè infidelior fuerit, cum grandi tribulatione vix recedit & vadit ad Deum. Qui autem infidelis est & vacuus, quantumuis contritus fuerit, sicut granum vacuum de palea non egreditur, sic nec ille de carnalibus rebus, & de impedimentis mundialibus nunquam egreditur, nec transit ad Deum: sed illic in malis constitutus conteritur, vt cum infidelibus quasi cum paleis foras proiiciatur. Et sicut triticum primùm quidem trituratur: & cùm trituratum fuerit, in vno loco iacet cum paleis confusum: posteà autem ventilatur, vt quæ fuerant iam disiuncta corporibus, separentur & locis: sic & populus in Ecclesia aut motibus conteritur carnalium D passionum animam semper vrgentium, aut castigationibus corporalibus quasi virgis quibusdam aut conculcationibus iniquorum *† & superborum, quasi calcibus irrationabilium iumentorum: vt disiungantur fi- Inimicorum. deles ab infidelibus per diuersas contritionum * spe- concussionum. cies. Cùm autem disiuncti fuerint ad inuicem actibus, adhuc in vna Ecclesia habentur commixti. Ideo oritur † persecutio quasi ventus, vt ventilabro Christi iactati, qui iam disiuncti fuerant actibus, separentur & lo- mouetur. cis: vt sicut triticum mundum in granariis, sic sancti probati in regnis cœlestibus reponantur. Vides ergo quia tentatio non perdit, sed manifestat eos, qui in pace non apparebant? Sed fortè dicis, nónne melius erat

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt ab initio Deus omnes electos homines ad Christianitatem vocasset, vt non semper ventilaretur Ecclesia, sed magis in pace consisteret? Audi, nunquid tu potes cùm sit messis tua in agro, triticum à paleis separare? etsi tentaueris, nec paleas à tritico separas, & triticum similiter cum paleis perdis. Sic non poterat fieri, vt Deus de Iudæis aut gentibus iam electos sine tentatione discerneret & vocaret: quoniam qui nõ cognoscit Christum nec veritatem eius, si erret aut peccet, non apparet vtrũ propter malum propositum suum peccet, aut propter ignorantiam. Qui autem cognouerit Christum & iustitiam eius, & errauerit, aut peccauerit: tunc manifestum est, quia non ideo errat aut peccat, quia nescit quis sit Deus, aut quæ voluntas ipsius: sed quia non diligit voluntatem Dei. Hæc sine tentatione quomodo fieri possunt? Ecce enim si palma proposita non sit in stadio, athletam, nolentem luctari culpare non potes quasi infirmum. Incertum est enim vtrum ideo luctari non velit, quia infirmus est, aut quia non videt propositam palmam. Quod si palmam viderit, & luctari noluerit: tunc est manifestum quia propter desidiam suam non vult luctari. Sic & gentilis, qui resurrectionis præmia nescit, nec futurum esse iudicium credit non. potest cognosci vtrum ideo non faciat iustitiam, quia non amat iustitiam, aut quia nullam mercedem speret de ea. Si verò factus fuerit Christianus & cognouerit futurum esse iudicium: tunc peccans, manifestum est ideo peccare, quia non amat quod est bonum. Ad hæc fortè dicis. Hæc secundùm hominem dicis, Deus autem qui cordium & futurorum cognitor est, poterat scire quis & qualis erat futurus. Sed audi, in iudicio Christi iusto non solùm quæritur vt Christus cognoscat se iustè hominem iudicare, sed etiam vt homo ipse cognoscat se iustè iudicari à Christo, testimonio cogitationum suarum & o-
Rom. 2. perum comprobatus: sicut scriptum est, Cogitationibus inuicem accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum iudicauerit Deus occulta hominum. Item: Ec-
Psal. 49. ce homo & opera eius. Item: Arguam te, & statuam cõtra faciem tuam peccata tua. Si ergo homo nõ cognoscens Christum, neque iustitiam eius secundùm scientiam Dei condemnetur à Deo, quomodo cognoscet se iustè cõdemnatum? Nam Deus quidem cognitor cordis scit, quia iustè eum condemnat: ipse autem peccator iustè se condemnatum non intelligit, & dicere potest: Quoniam & ego si cognouissem Christum, & mandata ipsius: seruassem fidem eius, & non declinassem à mandatis ipsius. Ideo ergo omnes ad agnitionem veritatis adduxit, vt manifesti sint peccatores, quia non ignorantia iustitiæ sed malo proposito peccauerunt: & non ignorantes Christum recesserunt à Christo, sed magis partes diaboli diligentes. Si ergo quando ex Iudæis & gentibus vocabantur, electi vocari non poterãt: quantò magis modò non possunt fieri electi Christiani, cùm omnes de Christianis parentibus generentur? & non tãtùm ideo fiunt Christiani, quia credunt in Christum aut diligunt eum: sed quia de Christianis parẽtibus procreantur: & vocatio eorum fit nõ secundùm fidem, sed secundùm genus. Necessarium ergo est, vt omnes boni & mali fiant Christiani, & omnes agnitionem veritatis accipiant, vt & posteà immissis tentationibus pauci eli-
Matt. 20. & 22. gantur de multis, vt impleatur quod dictum est: Multi sunt vocati, pauci verò electi. Nunquid tu reprehenderis, quare † à tritico paleas separas, & ita recondis? Nec
† quando. enim ratio est, vt cum tritico reponas & paleas, quia nec sunt necessariæ tibi ad vsum. Et quomodo Deum culpemus, qui à fidelibus separat infideles, qui non proficiunt ad gloriam eius? Et illæ quidem paleæ per naturam habent vt sint paleæ, & triticum esse non possunt: infideles autem non per naturam habent vt sint infideles, sed fiunt paleæ propria voluntate, expellentes à se medullam iustitiæ. Si ergo illæ paleæ quæ non possunt esse triticum, comburuntur in igne: quantò magis infideles dignius comburuntur, qui potuerunt esse triticum, nisi à se medullam iustitiæ proiecissent? Et vide quoniam non dixit, mundabit aream suam, sed, permundabit. Propterea * enim vsque ad consummatio- per tempora.
nem semper necesse est vt diuersis modis tentetur Ecclesia, donec permundetur. Et ideo Ecclesia Christi nunquam sine tentatione dimissa est. Et primùm quidem ventilauerunt Iudæi eam, deinde gentiles, modò hæretici: postmodum autem peruentilabit Antichristus. Sicut enim quando permodica aura est, non permundatur tota tritici massa, sed leuiores quidem paleæ modica aura iactantur, grauiores autem remanent: similiter remanent & vacua grana. Necesse est ergo, vt maior expectetur ventus, vt & grauiores paleæ, & vacua grana iactentur: Sic & quando modica est tentatio illi proiiciuntur de Ecclesia, qui multùm sunt infideles. Ideo necessaria est tentatio maior, vt omnes infideles plenius expellantur, vt perpurgetur Ecclesia. Et modò quidem modico flatu tentationis sufflante pessimi homines recedunt: si autem surrexerit maior, sicut erit sub Antichristo, tempestas, etiam illi qui videntur stabiles, sunt exituri.

HOMILIA IIII. EX CAP. III.

TVNC *venit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem.* Quando? quando Ioannes prædicabat, dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum: tunc venit Iesus, vt testimonium acciperet à Ioanne, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. & vt confirmaret prædicationem ipsius, vt videntes homines Christum, cum esset sine peccato, quasi pec- Ioan. 1.
catorem baptizari, dicant, apud se: Si ille de cuius innocentia ipse Baptista testimonium dedit, baptismum se necessarium habere putauit: quomodo nos contemnimus pœnitentiam, qui sumus cooperti peccatis? Item testificatus erat Ioannes, quoniam ego baptizo vos in aqua, post me autem veniet fortior me, ipse vos baptizabit in spiritu & igne. Ideo tunc venit, vt etiam hoc testimonium eius ostenderet verum, vt in baptismo eius aperiantur cœli, descendat spiritus, Pater clamet de cœlo, & per hoc manifestum efficiatur quia verè dignior erat Ioanne, qui baptizatus est à Ioanne. Sicut enim cùm processerit lucifer, lux non expectat occasum luciferi, vt ita procedat: sed adhuc eo ascendente egreditur, & suo lumine obscurat illius candorem: sic & Ioanne prædicante ante Christum, Christus non expectauit vt cursum suum Ioannes impleret, & sic ipse veniret ad medium: sed eo adhuc docente apparuit, vt per comparationem doctrinæ suæ vel operis, prædicationem Ioannis faceret non videri iustitiam. Vnde postquam cœpit Iesus prædicare, ad se currentibus vniuersis, viluit doctrina Ioannis. Vnde discipuli eius videntes † dicebant ad eum: Rabbi, ecce inuidentes.
cui tu testimonium perhibebas, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Deinde venit ad baptismum, non vt ipse remissionem peccatorum acciperet per baptismum, sed vt sanctificatas aquas relinqueret postmodum baptizandis. Adhuc autem, vt qui humanam susceperit naturam, totum humanæ naturæ inueniatur implesse mysterium. Nam quamuis ipse non erat peccator, tamen naturam susceperat peccatricem: propterea etsi ipse baptismate non egebat, tamen carnalis natura opus habebat. *Ioannes autem prohibebat eum, dicens:*

dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Quo ego desidero ascendere, tu inde descendis. Ergo vt tu me baptizes, est idonea ratio, vt iustus efficiar, & dignus cœlo. Vt autem ego te baptizem, quæ est ratio? vt iustus efficiaris? sed ipse es iustitiæ radix. Vt in cœlum ascendas? sed ipse natura in cœlo es, etsi voluntate de cœlo descenderis. Tu es spiritus, ego caro. Nunquid caro spiritum sanctificare potest? Magis autem spiritus sanctificat carnem. Cuius enim creandi est virtus, ipsius est & sanctificãdi potestas. Quis diues à paupere diuitias quærit? Magis autem pauper à diuite diuitias quærit. Omne
Iacob. 1. bonum de cœlo descendit in terram, nõ de terra ascendit in cœlum. Ille antiquus Lucifer, qui manè oriebatur, cogitauit apud se dicens: Super cœlum ascendam,
Esa. 14. &c. Si ergo ille angelus constitutus, pro sola cogitatione superbię depositus est de angelica gloria ad ignominiam tenebrarum: ego quid merear pati, si homo carnalis & corruptibilis constitutus, tantæ superbiæ opus impleuero, & dignum me existimauero totius creaturæ Dominum baptizare? *Et ait ei Iesus, Sine modò, sic enim nos oportet implere omnem iustitiam.* Nõ denegat eminentiam potestatis suæ, sed mysterium dispẽsationis ostendit, dicens: Sine modò. Id est scio quia hoc est iustum, vt tu à me baptizeris: sed sine modò, vt iustitiam baptismatis, non verbis, sed factis adimpleam. Prius suscipiam, & posteà prædicabo. Quod ergo dicit, Sic oportet nos implere omnem iustitiam: non hoc signat, vt si fuerit baptizatus: sed sic, id est quemadmodum baptismatis iustitiam prius factis impleuit, posteà prædicauit: sic
Act. 1. omnem iustitiam non prius verbis quàm factis impleuit. Vnde etiam Lucas testatur de illo, dicens: Primum quidem sermonem feci de omnibus ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere, & docere. Aut ita: Sic oportet nos omnem iustitiam implere: id est, quomodo & baptismi impleuimus iustitiam. Quomodo impleuit baptismi iustitiam Christus? Sine dubio secundum dispensationem humanæ naturæ. hominum enim est opus habere baptismatis, qui secundum naturam carnalem o-
omnino. mnes † * sunt peccatores. Sicut ergo impleuit iustitiam baptismi, sic impleuit & iustitiam nascendi, & crescendi: manducandi, & bibendi: dormiendi, & lassandi: sic & susciendæ tentationis, sic & timoris, & fugæ, & tristitiæ: sic & passionis, & mortis, & resurrectionis impleuit iustitiam: id est secundùm dispensationem quam susceperit humanæ naturæ, omnes iustitias istas impleuit. Ergo sic & natus est, non vt homo purus, sed vt Deus & homo. Quasi homo sic creuit, sic esuriuit, sic tentatus est, sic lassatus est: non homo purus, sed Deus in homine, Quasi homo sic alligatus est, sic flagellatus, sic crucifixus & mortuus est: non vt homo, sed per dispensationem Deus quasi homo. Si autem hæc omnia purus homo impleuit, iam non secundum dispensationem humanam impleuit omnia, sed secundùm naturam: quid autem dispensationis est, aut contra naturam, si ea quæ passionis sunt, sicut homo passibilis patiatur? Dum autem dicenti Ioanni, ego à te debeo baptizari, respondit, Modò interim sine: ostendit quia posteà Christus baptizauit Ioannem, quamuis in secretioribus libris manifestè hoc scriptum sit. Et Ioannes quidem baptizauit illum in aqua, ille autem Ioannem in spiritu. *Iesus autem baptizatus confestim ascendit de aqua.* Non inuenio qua causa positum est, quia confestim ascendit de aqua. Quid enim interesset, si tardius ascendisset? Ergo potuit sic dicere, Iesus autem baptizatus ascendit de aqua. Puto autem factum Christi ad mysterium pertinere omnium qui postmodum fuerant baptizandi: ideo dixit, Confestim: & non dixit, egressus est: sed, ascendit: quia omnes qui dignè secundùm

omnia membra iustitiæ formati & consummati baptizantur in Christo, confestim de aqua ascendunt: id est, proficiunt ad virtutes, & ad dignitatem subleuantur cœlestem. Qui enim ingressi fuerant in aquam carnales & filij Adam peccatoris, confestim de aqua ascendunt spirituales filij Dei facti. Et ne mihi dicas, quia multi quales fuerant ante baptismum, tales permanent post baptismum, etiam qui non in pœnitentia baptizantur, nec toto corde pœnitent se illos fuisse quod fuerunt, sed retento peccandi proposito baptizantur, ideo non proficiunt confestim de aqua. Si ergo quidam ex sua culpa non proficiunt baptizati, quid ad baptismum? Scriptura enim de potestate baptismatis loquitur. Quid potest eis præstare baptismum, qui indignè fuerint baptizati? Aut certè confestim ascendit de aqua, festinans ad tentationem contra diabolum, ad liberandum genus humanum. Misericordia eius vrgebat eum. Sicut enim dux contra tyrannum deputatus ad bellum, mox vt signum expeditionis & profectionis acceperit, festinat exire, sciens quia tarditas eius perditio est prouinciæ: nam tyrannus sciens aduersus se principem deputatum, etsi lenius acturus fuerat, crudelius agit: sic & Christus, ex quo baptismatis signum accepit, festinabat accipere Spiritum sanctum, quasi arma cœlestia, & exire, sciens quia tarditas eius interitus erat mundi. Nam diabolus audito quòd filius Dei descenderat in hunc mundum, aduersus ipsum vehementius festinabat omnium hominum corda in peccatis & infidelitate concludere, putans se tantum posse perdere, quantum non posset Christus saluare. *Et aperti sunt ei cœli.* Non rupta est ei ipsa creatura cœlorum, sed per baptismum oculi sensus eius aperti sunt, vt videant quæ sunt super cœlos. Si enim ipsa creatura rupta fuisset, non dixisset, Ei aperti sunt, non tantum ei aperti fuissent: quia quod corporaliter aperitur, omnibus est apertum: quod autem spiritualiter, illis solis qui illuminantur in Spiritu sancto: Sicut Stephanus repletus Spiritu sancto dicebat: Videoact. 7.
cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei. Sed dicit aliquis, Quid enim? ante oculos filij Dei clausi fuerant cœli, qui etiam in terra constitutus erat in cœlo? Si ea quæ superius dixit, Sic oportet nos implere omnem iustitiam, bene intellexisti, non dubitas quòd secundùm mysterium aperti sunt ei cœli. Nam sicut secundùm dispensationem humanam baptizatus est, secundùm naturam autem diuinam baptismo non egebat: sic secundùm humanam dispensationem aperti sunt ei cœli, secundùm naturam autem suam erat in cœlis. Ergo non Deo aperti sunt posito extra carnem, nec puto homini extra Deum: sed Deo quasi homini, vt exemplo eius intelligamus quia omnes homines recti, qui baptizati spiritum meruerunt accipere sanctum, similiter aperiuntur eis cœli, & vident ea quæ sunt in cœlo: non carnalibus oculis videndo, sed spiritualibus fidei credendo. Qui enim non credit ea quæ gloriosa & terribilia à Deo reposita promittuntur in cœlis, ante oculos cordis eius obturati sunt cœli: qui autem firmiter credit, & quasi † ad illud quod videt al. deest quasi.
tendit, illi aperti sunt cœli: & cùm corpore sit in terra, animo est in cœlo. Si autem oportet credere quia verè aperti sunt ei cœli, quia fortè erant inuisibilia quædam obstacula prius, quibus obsistentibus animæ defunctorum introire non poterant cœlos: quæ homines nec clausa possunt aspicere, nec aperta: tamen siue hoc modo, siue alio intelligantur cœli aperti, omnino sic est intelligendum, aperti sunt ei cœli, id est, propter eum, gratia eius. Aperti sunt autem cœli, non solùm ei, sed omnibus propter eum. Etsi in singulis quibusque

Universidad de Deusto
Biblioteca

generationibus erant iusti, quibus aperirentur, tamen A iterum cæteris peccatoribus claudebantur: & nullus poterat esse tam iustus, vt dignus esset aperire portas cœlorum ad introitum omnium hominum. Postquam verò natus est Christus, baptizatus est, sanctificatus est, gratia illius solius aperti sunt cœli. Vtputa si ab Imperatore quærat homo aliquod beneficium dignitatis, & ipse non habet tantummodo fiduciam petendi, neque amicitiam impetrandi, vadit ad fratrem Imperatoris, aut ad amicum chariſſimum, vt intercedat ad illum: Sic dicit illi Imperator, Ecce ego hoc beneficium non illi do, sed tibi, id est, propter te illi do. Nam non illi donatur, cui datur, sed illi propter quem datur. sic & hîc dicit: Ei aperti sunt cœli, id est, propter eum nobis aperti sunt. Vis autem manifestè scire, quoniam ante Christum cœli si aperiebantur, iterum claudebantur? Nam iusti quidem forsitan ascendebant in cœlum, peccatores autem nequaquam. Ideo autem dixi, forsitan: ne quibusdam placeat etiam ante Christi aduentum iusto- B rum animas ascendere potuisse in cœlum. Alioqui nullam animam ante Christum arbitror ascendisse in cœlum, ex quo peccauit Adam, & clausi sunt ei cœli: sed omnes in inferno detentas, propter quas etiam descendit ad inferos, sicut ipse testatur in Sapientia, dicens:
Eccl.24. Descendam ad inferiores partes terræ, & visitabo omnes dormientes, & illuminabo sperantes in Deum. Aperti sunt ei cœli. Sic aperti sunt, vt nunquam claudantur. Ecce baptizato quidem Christo, aperti sunt ei tantùm: postquam verò tyrannum vicit per crucem, & resurgens ab angelis portabatur in cœlum: videntes angeli portitores, quia cœli iam nunquam erant claudendi, sed omnes iusti & peccatores pariter ascensuri erant in cœlum, & staturi ante tribunal Christi, quia non erat necessariæ portæ cœli, cœlo posteà nunquam claudendo: ideo non dicunt, Aperite portas, & introibit rex
Psal.23. gloriæ, iam enim erant aperti: sed, Tollite portas principes vestras. Aut ita: Cœli sunt scripturæ diuinæ Pro- C phetarum & Apostolorum, in quibus habitat Deus, de
Psal.8. quibus scriptum est. Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum, lunam & stellas, quæ tu fundasti. Ergo qui baptizatur, & meretur accipere Spiritum sanctum, adaperiuntur ei omnes scripturę, vt intelligat quę ibi posita sunt mysteria veritatis. Propterea autem omnibus non aperiuntur, quoniam quidem falsum baptismum habentes, non possunt accipere spiritum veritatis. Quosdam autem non baptismum impedit, ne accipiant spiritum veritatis: & aperiantur eis scripturæ, sed propositum malum, quamuis bene fuerint baptizati. Sicut enim in cœlo celatur Deus, sic in scripturis absconditur. Et sicut hoc cœlum corporale omnes quidem homines vident, non autem aspiciunt Deum inhabitantem in eo: sic & scripturas diuinas omnes quidē homines legunt, non tamen omnes intelligunt Deum veritatis positum in scripturis, nisi qui fuerit sic baptizatus, vt accipiat Spiritum sanctum. Vnde & Apostoli D priusquam baptizarentur in Spiritu sancto, clausæ eis erant scripturæ Prophetarum exponentes de Christo,
Luc.24. sicut scriptum est: O tardi corde ad credēdum in omnibus quæ Prophetę dixerunt. Postquam verò aperuit eis sensum, insufflato Spiritu sancto, tunc reseratæ sunt omnes scripturæ ante oculos cordis eorum, vt intelligerent quæ scripta erant de Christo. Et ideo fortè hic dicitur,
Marc.1. aperti sunt ei cœli. Apud Marcum autē, vidit scindi cœlos: quoniam secundùm hunc Euangelistam scripturæ manifestæ sunt, non consciſſæ: nam quotidie ad confirmationem fidei ex eis accipiuntur exempla. Secundum Marcum autem etiam scisſę sunt, & inutiles factæ: quia post Christum iam lege & Prophetis non vti-

mur, sed Euangelio Christi, quasi cœlo sublimiori & nobiliori. *Et vidit spiritum descendentem sicut columbam, & venientem super se.* In quo mysterio natus est Christus, in hoc mysterio & Spiritum sanctum accepit. Etenim filio Dei baptismum recipiente, & spiritu descendente, vnus in forma stabat humana, alter in specie descendebat columbæ, tertius autem nec in forma stabat humana, nec in specie descēdebat columbæ, sed in voce tantum audiebatur de sursum descendēte. *Sicut columbam.* Ideo Spiritus sanctus speciem columbæ suscepit, quoniam præ omnibus animalibus hæc cultrix est charitatis. Omnes enim species iustitiæ, quas habent serui Dei in veritate, possunt habere & serui diaboli in simulatione. Habet enim diabolus & mansuetos & humiles, habet castos & eleemosynarios, & ieiunos: & omnem speciem boni quam creauit Deus ad salutem hominū, ipsam speciem & diabolus introduxit ad seductionem, vt inter bonum verum, & bonum simulatum confusio fiat: vt simplices homines, qui boni veri & boni simulati differentiam intelligere cautè non possunt, dum quę- runt bonos Dei viros, incurrant in seductores diaboli. Solam autem charitatem Sancti spiritus non potest immundus spiritus imitari. Omnis ergo species iustitiæ in impostoribus inuenitur, sola autem gratia veræ charitatis non inuenitur nisi in solis seruis Dei. Ideo ergo hanc priuatam speciem charitatis sibi soli seruauit Spiritus sanctus, vt per nullius iustitiam & testimonium sic cognoscatur vbi est Spiritus sanctus, quemadmodum per gratiam charitatis. *Hic est filius meus dilectus, in quo complacui.* Et vide quoniam in monte sic dicit, Hic est filius meus dilectus, in quo complacui, ipsum audite. Infrà 17. hic autem tantummodo dixit, in quo complacui: quia illic iam cognoscebant ex parte filium Dei. Sed quia putauerunt errantes, Christum Mosi & Heliæ similem esse: ideo addit, ipsum audite. Non vt legem & Prophetas non audiant, sed vt Euangelium amplius audiant, quàm legem & Prophetas, vt scirent quia ipse esset Dominus legis & Prophetarum. His autem, cùm non adhuc cognosceretur Christi persona, non conueniebat dicere, ipsum audite: quoniam quando persona firmiter cognoscitur, tunc & doctrina fideliter suscipitur, quoniam personæ dignitas commendat personæ doctrinam.

Homilia v. ex cap. iiii.

TVNC *Iesus ductus est à spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.* Ex eo quod subiunxit dicens, vt tentaretur à diabolo: ostendit quia à Spiritu sancto est ductus, sed non quasi minor maioris præcepto, sed nec quasi maior minoris hortatu. Nam non solum ductus aut adductus dicitur, qui alicuius potestate ducitur: sed etiam ille qui alicuius rationabili exhortatione placatur: sicut scriptum est de Andrea, Hic inuenit Si- Ioan.1. monem fratrem suum, & dicit ei: Inuenimus Messiam, qui dicitur Christus. & adduxit eum ad Iesum. Ecce non potestate eum adduxit, sed ratione placauit. Quemadmodum si magister militum videat dominantem tyrannum, & det consilium regi, dicens: Exi obuiam illi, quia tota perit prouincia: nam fortior est tua fama, quàm mea virtus. Et ecce rex à magistro militum ducitur, & tamen non est minor eo qui ducit. Ad diabolum Iesus ductus est, vt tentaretur: ad homines quidem diabolus vadit, vt tentet eos: non homines ad diabolum, vt tententur ab eo. Quoniam autem aduersus Christum diabolus ire non poterat, ideo contra diabolum Christus processit. Cōstat in nobis quinque baptismata esse. Vnum in verbo, sicut & Christus dicit: Et

Ioan.15. dicit: Et vos mundi estis propter verbum quod locu- A tus sum vobis. Secundum in aqua, sicut cunctis est manifestum. Tertium autem in spiritu, sicut scriptum
Act.1. est: Ioannes quidem baptizauit in aqua, vos autem in Spiritu sancto baptizabimini. Quartum verò in igne, quod est tentatio præsens. Quoniam autem baptizantur homines & in igne, testis est Dominus per Esaiam:
Esa. 4. Et auferam (inquit) sordes filiorum Israël de medio eorum, & sanguinem eorum mundabo in spiritu iudicij, & spiritu combustionis & ardoris. Consequenter e-
Psal.65. nim ait Propheta: Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentum. Et
Psal.65. postmodum, Transiuimus per ignem & aquam, & induxisti nos in refrigerium. Sicut enim aurum vel ar-
al. combustum. gētum combustis † in fornace sordibus colatur, sic homo in fornacem tentationis missus, depositis peccatis
Luc.12. sanctificatur. Quintum in morte, sicut ipse dicebat: Baptismo habeo baptizari, & quomodo turbor vsque dū perficiatur? Quoniam autem peccatum & in morte re- B
Rom.6. mittitur, docet Apostolus, dicens: Qui enim mortuus
viuificatus. est, iustificatus † est à peccato. Quale autem peccatum in morte remittitur, scit qui intelligit pro quali peccato introducta est mors. Nam si propter peccatum moritur homo, sine dubio soluitur propter quod moritur. Ideo Dominus postquam baptizatus est in verbo, factus est sub lege. A Ioanne autem in aqua, à Patre verò in spiritu: nunc à spiritu ducitur in desertum, vt baptizetur in igne tentationis, postmodum baptizandus in morte. Age, nunc videamus qui sunt qui baptizantur in igne, & quando baptizantur in igne. Vt autem sciamus, videndum nobis est, quid est quod dicit. Tunc ductus est. Quando? Quando pater clamauit de cœlo:
Infrà 17. Hic est filius meus dilectus, in quo complacui. Vides ergo quia nemo baptizatur in igne tentationis, nisi qui factus fuerit filius Dei? Quandiu enim catechumenus est homo, nondum abrenunciat diabolo, & omnibus operibus eius plenius. Baptizatus autem, Christo se C tradit, dicens: Abrenuncio satanæ, & omnibus operibus eius. Ideo catechumeno ei constituto, quasi suo parcit adhuc: post baptismum autem, quasi alienum fa-
Baptismus signaculū fidei. ctum, tota virtute satanas persequitur. Baptismum autem signaculum fidei est. Nunquid miles post militiam signatur vt iam sedeat, & requiescat? Sed magis ante militiam, vt postmodum militet, & laboret. Nam & athleta ante certamen vngitur vt luctetur: sic & homo spiritualiter ideo oleo chrismatis vngitur, vt contra diabolum, quasi spiritualis athleta luctetur. Sed quid, quia multi cùm tentati fuerint, superantur, & pereunt? Illi tales non à spiritu ducuntur ad tentationem suscipi-
Rom.8. endam, nec sunt filij Dei: Quoniam qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei: sed à peccatis expelluntur propriis. Qui autem à spiritu Dei ducuntur ad tentationem, non superantur. Serui autem diaboli in igne non baptizantur. Quare? Quia non potest fieri vt depositis sordibus emundetur, qui totus est sordidus. Incipe late- D rem aqua lauare, nunquid aliquando mundatur? Non, sed magis commoto luto, amplius sordidatur. Ille enim mundatur, in quo est aliquid boni, quo emundetur. Vtputa bonus homo, si carnalibus vitiis fuerit sordidatus, tentatur vt illud bonum eius mundetur. In illo autem quid mundandum est, in quo nihil est boni? Secundùm hoc, cùm videris aliquem peruersum Christianum nunquam tristari, aut perielitari: cùm videris hæreticum nunquam persecutionem tentationum pati, noli scandalum pati: nec dicas, quomodo hæretici persecutiones nunquam patiuntur, sed semper fideles? Quomodo mali homines nunquam periclitantur, sed semper boni? Scito quoniam qui filij Dei sunt, hi tātummodo in ten-

Filij Dei baptizantur in tentationis igne. 2.Tim.3. tate docuit Apostolus Paulus, dicens: Et omnes volentes piè viuere in Christo, persecutionem patiuntur. Mali autem homines & seductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes. Nunc videamus quando baptizantur in igne. Postquam fuerit homo baptizatus in verbo, instructus in fide: & postquam fuerit baptizatus in aqua: & postquam fuerit baptizatus in spiritu: in quarto loco baptizatur in igne. Multi autem & cùm in aqua baptizati fuerint, non baptizantur in spiritu. Nisi enim quis ante baptismum aquæ sic deposuerit à se totum peccandi propositum, vt dignus sit spiritum sanctum in templum sui cordis suscipere, non baptizatur in spiritu. Quia Spiritus sanctus fugit homi- Sap.1. nem fictum, & non habitat in corpore subdito peccatis: & ideo non fit filius Dei. Et hi sunt qui cùm tentati fuerint, superantur & pereunt: videntur quidem filij Dei facti, propter aquam baptismatis, reuera autem non sunt filij Dei, quia non sunt in spiritu baptizati. Nam corpore quidem baptizati sunt, animo autem catechumeni sunt: quia aqua corpus baptizat, spiritus autem animam. Ergo non solùm Christus ductus est in desertum à spiritu, sed & omnes filij Dei habentes Spiritum sanctum ducuntur à spiritu in desertum, vt & ipsi tententur à diabolo. Qui enim habent spiritum Dei, hi non sunt contenti sedere otiosi, sed ipse spiritus qui est in eis, vrget eos ad aliquod opus apprehendendum magnum, cui diabolus aduersatur, qui est in deserto. Vt autem intelligas, quia omne bonum, quod secundùm Deum bonum est, in deserto est: videamus quid est desertum. Est autem desertum secundùm Deum, & Desertum duplex. est desertum secundùm diabolum. Natura carnalis, domus diaboli est, & omnis iniustitia epulatio ipsius est. Quantum ad Deum autem desertum est, quoniam non est in eo iustitia Dei. Spiritus autem domus est Dei, & omnis iustitia eius epulatio est ipsius. Quantum ad diabolum autem desertum est, quia iniustitia non est in eo, qua diabolus delectatur. Et quare natura carnis domus diaboli est? Quia omne malum intus in carne est, quia secūdùm voluntatem carnis est: & intus in mundo est, quia secundùm voluntatem mundi est. Omne autem bonum foris est extra carnem, quia non est secundùm voluntatem carnis: & est foris extra mundum, quia non est secundùm voluntatem mundi. Vides ergo quia omnis res spiritualis extra fines carnis est foris, & quasi in deserto est, & extra fines mundi est foris? Vnde qui viuunt secundùm Dei mandatum, exisse de mundo dicuntur: non corpore, sed conuersatione exisse dicuntur de carne, & in spiritu esse. Domus autem Dei spiritus est, quia omne bonum intus in spiritu est, quia secundùm voluntatem spiritus est. Omne autem malum foris extra spiritum est, quia non est secundùm voluntatem spiritus. Vides ergo quia omnis res carnalis foris, extra fines spiritus est, & in deserto est? Ergo quantum ad Deum, desertum est natura carnalis, vbi non est via iustitiæ, in qua non inuenitur aqua Spiritus sancti, & est vituperabile desertum, de quo & Propheta dicebat: Sitiuit in te anima mea in terra deserta, & in- Psal.62. uia & inaquosa. Quantum autem ad diabolum, desertum est omnis res spiritualis, & est laudabile desertum. De tali deserto dicebat Deus ad Pharaonem: Di- Exod.5. mitte populum meum, vt seruiat mihi in deserto. In tali enim deserto vult Deus omnes suos sibi seruire. Ad tale desertum omnes filij Dei, qui habent Spiritum sanctum, exeunt vt tententur. Vtputa proposuisti non ducere vxorem, duxit te Spiritus sanctus in desertum: id est, eiecit te extra fines carnis & mundi, vt tenteris à concupiscentia carnis: quia non habet castitas in se,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt delecteris in ea ſecundùm carnem. Si autem intus A tibi proficiet, vt à tētationibus non vincaris, ſicut Chriſto profuit. Multis modis diabolus audierat quia Chriſtus natus eſt in hoc mundo, aut angelis prædicantibus ad paſtores, vel paſtoribus referentibus ad Mariam, vel Magis quærentibus in Hieruſalem eum adorare, cuius viderant ſtellam, vel Ioanne oſtendente: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mūdi. Sed faciebat eum incertum natura eius carnalis. Dicebat enim apud ſe: Hic non poteſt eſſe filius Dei, qui de muliere & de viro natus eſt. Nam & ideo de deſponſata & in domo habita natus eſt, vt partus virginis diabolo celaretur. Si autem de ſimplice virgine natus fuiſſet, facilè poterat cognoſcere diabolus, quia filius eſt Dei. Cogitaret enim apud ſe, Maria fornicata non eſt. Si autem fornicata fuiſſet, ego ſine dubio ſcirem: quia omnis fornicatio me miniſtrante committitur. Sine dubio iſte filius Dei eſt. Nec enim poteſt fieri, vt de muliere homo ſine viro naſcatur. Ideo deſponſata intrauit domum Ioſeph, vt dum maritalis conceptio æſtimatur, vnigeniti Dei natiuitas non cognoſcatur? Hic eſt rex gloriæ, qui pannis inuolutus, nec locum in diuerſorio potuit inuenire, ſed in præſepio poſitus eſt? Hic eſt creator rerum, qui creauit * omnia, & per ſingulos ætatis gradus aſcendit? Hic eſt ille ſanctus, qui cum peccatoribus vt peccator eſt baptizatus? Quid ergo? ipſe eum tentabo, & ſi quidem inuenero eum hominem, ſicut puto, dominabor illius, ſicut omnium hominum: ſi autem inuenero eum ſicut audio, filium Dei, poſtmodum recedam ab eo, nec congrediar contra eum: quoniam qui vadit cōtra fortiorem, occaſionem illi victoriæ prouidet: ſi autem ſubduxerit ſe, euacuat virtutem ipſius. Sciens ergo Dominus cogitationes diaboli, quia volebat eum tentare, proceſſit contra eum: non quaſi Deus, ſed magis quaſi homo, nec in toto quaſi Deus, nec in toto quaſi homo. Nam quemadmodum quadraginta diebus nō eſurire, non erat hominis: ſic aliquando eſurire, non erat Dei. Ieiunauit ergo quadraginta diebus propter duas cauſas. Primum, vt nobis aduerſus tentationes ieiunādi daret exemplum: deinde vt quadrageſimi ieiunij noſtri poneret menſuram. Eſuriuit autem, vt ne nimis ſupra menſuram ieiunans, manifeſtè intelligeretur Deus, & ſic diabolo quidem ſpem tentādi extingueret, ſuámque victoriam impediret. Itaque diabolus, quia videns per quadraginta dies ieiunantem, deſperauerat: poſtquàm ſenſit eſurientem, iterum cœpit ſperare, & ſic acceſſit ad extrà eſurientem, & inuenit intus nunquam eſurientem. Et dum tentat eſurientem, vincitur à non eſuriente. *Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.* O cæcitas diaboli manifeſta: quomodo ſuſpicatus eſt eum non eſſe filium Dei, quem poſt quadraginta dies eſurientem ſenſit, & per quadraginta dies non eſurientem non intellexit? Nam ſicut eſurire hominis eſt, ita per quadraginta dies non eſurire, hominis nō eſt. Non cogitauit quoniam qui verè non eſurit, voluntariè eſurire poteſt: qui autem verè eſurit, per tot dies non eſurire non poteſt. Fortis ad ea quę infirma ſunt deſcendere non poteſt, infirmus autem ad ea quæ fortiora ſunt aſcendere non poteſt. Sic ergo magis ex eo quòd per tot dies non eſurierat, intelligere debuerat quia Deus eſt: quam ex eo quòd poſt tot dies eſuriit, quia homo eſt. Nam Deus quæ hominis ſunt, agere poteſt: homo autē quę ſunt Dei, agere nō poteſt. Sed forſitan tu dicis, Moſes & Helias quadraginta dies ieiunarunt, & homines erant. Sed illi ieiunātes eſuriebant, & ſuſtinebāt: iſte autē quadraginta dieb' nō eſuriit. Hoc eſt enim quod dicit: Et cum ieiunaſſet quadraginta diebus, poſtea eſurit. Eſurire enim, & nō māducare, patiētiæ eſt humanæ: nō eſurire autē, diuinæ naturæ. Qui ergo quadraginta diebus non

Ioan. 1.

qui creauit.

Exod. 34. 3. Reg. 19.

bus non eſuriit, poſteà eſuriens, demonſtrauit quia eſuritio eius voluntaria fuit, non neceſſaria. Quid ergo eſt? ſicut ſemper diabolus omnes homines excæcabat, vt non intelligerent quod eſt bonum, ſic modò inuiſibiliter ipſe à Chriſto eſt excæcatus, vt non cognoſceret verum. Cogitauit enim apud ſe, ſi poterit de lapidibus facere panes, verè filius Dei eſt: ſi autem non poterit, homo eſt. Sed quæ fuit cogitatio iſta? Per hoc enim nunquam poterat cognoſcere, ſi filius Dei erat, an non. Primùm ſi filius Dei erat, nec eſuriebat. Quomodo enim non vincat neceſſitatem naturæ carnalis, qui ipſam neceſſitatem in natura creauit? Et vt quid faceret de lapidibus panes, qui panē cum omnibus aliis ex nihilo cùm voluit fecit? Deinde etſi eſuriebat propter corpus, & volebat facere, faciebat quādo ipſe volebat, non quando diabolus prouocabat. Si ergo non faceret, quod & fecit: vnde ſciebat, vtrum ideo non fecit, quia non potuit quaſi homo: aut quia noluit quaſi Deus, quod & fecit? Nam nec fecit, nec dixit poſſum, & nolo, vt ne ſe oſtenderet filium Dei. Nec dixit, non poſſum, vt non ſe oſtenderet mendacem, confitens ſe hominem cùm eſſet Deus. Sed quid? *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo Dei.* Non dixit, non in pane ſolo viuo, ſed in omni verbo Dei, vt non videatur de ſe dixiſſe: ſed mediè, non in ſolo pane viuit homo. Quid aliud poterat reſpondere & filius Dei abſcōdens ſe, ne oſtendatur quod poteſt: & homo aſtutus excuſans ſe, vt non oſtendatur quod non poteſt? Sic ergo cùm ex hoc reſponſo nihil certum addiſcere potuiſſet vtrum Deus eſſet, an homo, aſſumpſit eum ad aliam tentationem, dicēs apud ſe: Iſte qui in fame non vincitur, etſi non eſt filius Dei, tamen ſanctus eſt. Valent enim homines ſancti & ſpirituales fame non vinci. Sed poſtquam omnem neceſſitatem carnis vicerint, per vanam gloriam cadunt. Ideo cœpit eum tentare in vana gloria. *Et aſſumpſit Ieſum in ſanctam ciuitatem.* Quando audis dicētem, ductus à diabolo, nihil cogites de potentia diaboli, quia potuit ducere Chriſtum: ſed de patientia Chriſti mirare, quia ſuſtinuit vt à diabolo duceretur. Ergo in ſequēte Domino non infirmitas, ſed patientia eſt: in ducente autē diabolo non virtus, ſed ſuperbia eſt: quia volentem Chriſtum non intelligens quaſi inuitum ducebat. Ille ductus eſt, vt nos voluntatem diaboli non ſequamur. *Et ſtatuit eum ſupra pinnaculum templi.* Sed fortè cogitamus, quo modo in corpore conſtitutum, omnibus videntibus ſtatuit illum ſuper templum? Si potentiam Chriſti conſideramus, intelligibilia inueniuntur omnia. Forſitan enim diabolus quantum ad ſe ſic eum aſſumebat, vt ab omnibus videretur: ipſe autem neſciēte diabolo inuiſibiliter ſic agebat, vt à nemine videretur: ſicut ſcriptum eſt de eo: Ipſe autem tranſiit per medium eorum, & abiit ſic. Si enim Habacuk homo cōſtitutus à nullo eſt viſus quando ab angelo per comam capitis portabatur de Iudæa in Babyloniam: quātò magis eſt credibilius de Chriſto non fuiſſe viſum, cùm volens à diabolo aſſumeretur? Et ſtatuit eum ſupra pinnaculum templi. Cogitauit enim apud ſe: ſi miſerit ſe per aërem, ſcio quoniam eſt filius Dei. ſine dubio enim mittet ſe, vt cognoſcatur quod eſt. ſi autem nō potuerit ſe mittere, ſcio quoniam homo eſt. Sicut ergo concupiſcentia vanæ gloriæ ipſe ruit de cœlo: nam cùm eſſet angelus, volens ſe oſtendere Deum, perdidit & illud quod erat, dum voluit apparere quod non erat: ſic putauit & Chriſtum concupiſcentia vanæ gloriæ ferri. Nam ſicut difficilè aliquem ſuſpicatur malum, qui ipſe eſt bonus: ſic difficilè aliquem ſuſpicatur bonum, qui ipſe eſt malus. Et dicit ei: *Si filius Dei es, mitte te deorſum.* Per hanc propoſitionem, quo modo poterat cognoſcere ſi filius Dei eſt, an non? Primùm

Deut. 8.

Luc. 2. Dan. 14.

volare per aërem non eſt proprium optis Dei, quia nec hoc eſt vtile alicui vel ad animam, vel ad corpus. Si ergo nulli neceſſarium eſt, neque proficit ad ſalutem: volauerit autem aliquis prouocatus, propter oſtentationem ſolam hoc facit: & eſt hoc ex diabolo magis quam ex Deo. Si ergo homini dignitoſo & ſapienti ſufficit eſſe quod eſt, & non eſt neceſſarium ei apparere quod nō eſt: quia hoc non homini prodeſt, quod videtur ab aliis, ſed quod eſt apud ſe: quantò magis filius Dei oſtendere ſe neceſſarium non habet ſine cauſa alicuius vtilitatis, cui nihil neceſſarium eſt, ſed totum poſſidet in natura, de quo nemo poteſt tantum cognoſcere, quantum eſt apud ſe? Si ergo non volauerit, quo modo poterat per hoc cognoſcere vtrum non potuit propter infirmitatem quaſi homo, aut noluit propter vanitatem quaſi Deus? quia non creditus fuerat ſed tentatus. *Si filius Dei es, mitte te deorſum.* Vide ſuperbiam inimici, quo modo ipſa inuitatio eius iniurioſa eſt. Nunquid nō poterat dicere, deſcende per aërem ambulans? Sed quid? Mitte te deorſum. Nec timuit cogitans ne fortè ſi inuentus fuerit filius Dei, inueniar illi feciſſe iniuriam. Sed nihil dubitat dicere, nec facere, qui nihil ſibi reliquit quod ſperet. Et vide, non impulit, non tetigit, non appropinquauit: ſed tantùm dixit, Mitte te deorſum, ſi es filius Dei: vt ſciamus, quia omnis qui obaudit diabolo, ipſe ſe deponit deorſum. Nam diabolus ad malum hortari poteſt, cogere autem non poteſt. *Scriptum eſt enim: Quoniam angelis ſuis mandauit de te, vt in manibus tollant te.* O diabole, quo modo filius Dei angelorum manibus portatur, legiſti, & quia ſuper aſpidem & baſiliſcum calcat, non legiſti? Sed exemplum illud quidem profert, quaſi ſuperbus: hoc autem tacet quaſi aſtutus. Nam & verè filius Dei angelorum manibus non portatur, ſed ipſe magis angelos portat. Nec enim creatura portat creatorem, ſed creator creaturam. Si autem creatura baiulat creatorem: ergo creator antequam faceret creaturam, à quo portabatur? Nam verè etſi portatur manibus angelorum, non ideo portatur, vt non offendat ad lapidem pedem ſuum quaſi infirmus, ſed propter honorem poteſtatis, quaſi Dominus. Scriptum eſt: Qui ſedes ſuper Cherubim, appare. Et illud quidem, quod diabolus refert, quia in perſona Chriſti dicitu, verum eſt. Sicut enim dicitur: Quoniam tu es Domine ſpes mea, altiſſimum poſuiſti refugium tuum, &c. Sed non de Chriſto dictum eſt tantùm, ſed de omni homine iuſto, quorum perſonam Chriſtus ſuſcepit. *Reſpondit ad eum, ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum.* Non dixit non tentabis me Dominum Deum tuum, ne ſe manifeſtaret Deum: ſed ita, non tentabis Dominum Deum tuum: quod poterat dicere & omnis homo Dei tentatus à diabolo: quoniam & qui hominem Dei tentat, membrum diaboli eſt. Sic ergo ex hoc reſponſo incertus tranſit ad tertiam. Dixit enim apud ſe: Tria hæc retia habeo extenſa ſuper omnem mundum, vt quiſquis euaſerit de retibus gulæ, incurrat in retia vanæ gloriæ: qui euaſerit de retibus vanæ gloriæ, incidat in retia auaritiæ. De his autem tribus retibus nullus hominum ad perfectum euaſit: & ſi euaſit, non integer, ſed contritus euaſit. Hic autem iam retia ventris dirupit, retia vanæ gloriæ tranſiuit. Ponam ei nunc retia auaritiæ, & oſtendam illi omnia regna mundi. Si concupierit ea, ſcio quia homo eſt. Nam omnes homines propter gulam, & propter pecuniarum auaritiam, & propter vanos honores ſeruiunt mihi. ſi autem contemſerit ea, ſcio quia filius Dei eſt. Nec enim poteſt deſiderare quæ ipſe creauit, nec delectatur terrenis, qui fruitur cœleſtibus. Nam etſi aliis mentiebatur diabolus, ſua eſſe omnia, apud ſe tamen ſciebat quia non

Pſal. 79.

Pſal. 90.

Deut. 6.

Tria retia diaboli, quibus illaqueat animas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

erant eius, sed Dei. *Et sic assumpsit eum super montem excelsum valde*, quem ipse diabolus circumiens omnem terram excelsiorem cæteris cognoscebat, *& ostendit illi omnia regna mundi, & honores eorum.* Fortè tractas apud te, qualis potuit esse ille mons, de quo omnis terra videbatur: aut si erat super omnem terram, quo modo tamè poterat inde, quantum ad carnem totam terram illi ostendere? Nam etsi quãtum ad diuinitatem suam videbat: tamen quantùm ad diabolum ostendere illi nõ poterat, quem hominem æstimabat. Sed ita intelligẽdum est, assumpsit eum super montem excelsum valde: quia quantò magis excelsior fuerit mons, tantò magis aspicienti ex eo spacioſior terra videtur. Ostẽdit autem ita, non vt ipsa regna, vel ciuitates eorum, vel populos, vel argentum, vel aurum videret: sed partes terræ, in quibus vnumquodque regnum, vel vniuscuiusque regni ciuitas posita erat: vtputa si ascẽdas super excelsum locum, digito extenso dicam tibi, Ecce ibi est Roma, aut ibi est Alexandria, non sic ostendo tibi, vt ipsas videas ciuitates, sed partes terræ in quibus positæ sunt. Si enim nautæ vnam stellam aspicientes, non dicam ad vnamquamque prouinciam, vel insulam: sed ad vnamquanque ciuitatem, & ad singula loca quæ petunt, sine aliquo errore aut deuagatione dirigunt cursum: quantò magis diabolus, qui princeps aëris constitutus, totam terram non solùm sciebat, sed etiam & videbat: poterat Christo ergo & singula loca certissimè digito demonstrare, & vniuscuiusque regni honores, & statum verbis exponere? Nam non solùm ostensum dicitur quod ostenditur ad videndum, sed etiam quod exponitur ad intelligendum, sicut scriptum est: Ascẽdamus in domum Dei Iacob, & ostendet nobis viam suam, & ambulabimus in ea. *Hæc omnia tibi dabo si procidens adoraueris me.* Considera quomodo omnis promissio eus irrationabilis est, & mendax. Certè vni dare non poterat omnia, nisi ab omnibus omnia tolleret. Si autem ab omnibus omnia tolleret, à nemine adoraretur, cùm diabolus neque ex amore, neque ex timore adoretur ab aliquo: sed quia promittit diuitias, aut dat. Quomodo autem expediebat diabolo ab omnibus omnia tollere, & vni dare, vt ab omnibus contemnatur, & ab vno colatur? Sed neque illud dicere possumus, vt vnusquisque quidem sua teneret, iste autem super omnia esset. Vnus enim super omnem mundum neque est, neque fuit aliquando, neque fieri potest, vt non sit illi aliquis nõ subditus. Primùm propter Deum, quia non concedit diabolo & hoc facere posse: secũdò propter ipsum diabolum. Gaudium enim, & gloria, & potestas diaboli, in quo est, nisi in superbia, & in inuidia, in ira, in vana gloria, & his similibus? Vbi hæc exercentur, vnum regnum stare non potest, sed necesse est, vt diuidatur in plura. Vbi autem hæc non exercentur, diabolus non colitur, neque regnat. Quomodo ergo regnum sibi tolleret, & illi daret? Deinde quid si sancti erant in mundo aliquod regnum tenentes? Nam si peccatori dare & tollere potest diuitias: sanctis neque dare, neque tollere potest.

Esa. 2.

Iob 1.

Putas ne semper voluit tollere diuitias Iob? sed non potuit, nisi quando permissus est. Nunquid non voluit, si potuisset tollere regnum de manu Dauid? Nam verè non est mundus diaboli, neque regna illius. Scriptum est enim, Per me reges regnant: & per me tyranni scribunt iustitiam. Sed ea quæ per iniquitatem aguntur in mundo: vt puta per furtum, aut per vim acquisiti diuitias, aut aliqua perditione animæ tuæ susceptis honores: illas tibi diuitias diabolus dedit, sed non ipsæ diuitiæ diaboli sunt, sed prouisio * earum. Res autem ipsæ illius sunt, qui creauit eas ad probationes sanctorum, & peccatorum. Et inter duas conditiones posu-

Prou. 8.

promissio.

it illas in medio, vt & diabolus possit illas dare, & Deus. Nam dans potestatem diabolo, non à se dimisit, vt si quidem cum peccato acquirantur, per diabolum dentur: sin autem sine peccato, per Deum. Ecce enim oculos nostros, & aures, & os, & cætera membra, inter duas conditiones sic creauit in medio, vt & diabolus aperiat oculos hominis, & Deus. Si enim ad turpem rem aperuit homo oculos, diabolus aperuit oculos eius: si autem ad iustitiam, Deus. Nunquid ex hoc, quia membra nostra interdum à diabolo aguntur, volentibus nobis, iam membra nostra diaboli sunt? Sic & diuitiæ quamuis interdum à diabolo dentur, tamen diaboli non sunt. Si enim verè considerem, magis diuitiæ ipsæ in potestate sunt hominis, quàm in potestate diaboli. Nam diabolus non quibus ipse vult, diuitias dare potest, sed qui volunt ab illo accipere. Homo autem in potestate habet, à quo vult eas accipere, siue à diabolo, siue à Deo. *Tunc dicit ei Iesus: Vade retro, satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Finem tentandi diabolo imponit, dicens: Vade retrò satana, vt ne progrediatur vlterius tentans. Diabolus autem, sicut rationis est intelligere: id est, sicut rationabiliter intelligi potest, non quasi obaudiens ad præceptum, recessit: sed aut ipsius Christi diuinitas, aut Spiritus sanctus qui erat in eo, excussit inde diabolum: quod ad nostram consolationem proficit maximè, quia non tamdiu homines Dei diabolus tentat, quandiu vult: sed quandiu Christus eum permittit, vel Spiritus sanctus qui est in eis. Diabolus enim quantum ad se nunquam cessaret tentans. nec enim habet alium actum. Non manducat, non bibit, non dormit, non opus aliquod aliud operatur, nisi vt tentet, vt fallat, vt subuertat. Hic est cibus illius, hic honor, hoc & gaudium. Propterea infatigabilis est in malo, sed potentia * Dei repellit eum, etsi permittit eum paulisper tentare, propter fidem probandam, tamen repellit eum propter infirmam naturam. Adhuc vide, cùm Christus in prima tentatione passus fuisset tentationis iniuriam, dicente sibi diabolo: Si filius Dei es, dic lapidi huic vt fiat panis: non est exasperatus, nec in increpationem vel abiectionem eius est excitatus: sed sustinuit, & mitis permansit, tamen contra verba tentationis congrua dedit exempla. Similiter & in secunda, quamuis esset iniuriatus, dicente sibi diabolo: Si filius Dei es, mitte te deorsum: turbatus non est, nec increpans ei dixit: Vade retro satana. Nunc autem quando diabolus, Dei sibi præsumpsit honorem, dicens: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me, & hoc quæsiuit fieri sibi à Christo, quod soli Deo fieri debebat: exasperatus est, & iratus est, & increpauit eum, & repulit dicens: Vade retrò satana. Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Vt nos illius discamus exemplo, nostras quidem iniurias illatas ab impiis, siue in dicto, siue in facto, magnanimiter sustinere: Dei autem iniurias, & contemptum, nec vsque ad auditum sufferre. Quoniam in propriis iniuriis esse quempiam patientem, laudabile est: iniurias autem Dei dissimulare, nimis est impium. Hactenus simpliciter diximus de tentationibus, quibus tentatus est Dominus: nunc breuiter perstringamus quid ad nostram ædificationem significent Christi tentationes. Frequenter diximus, corporis quidem ieiunium esse, abstinere à cibis: animæ autem ieiunium, abstinere ab omni re mala. Quia sicut caro delectatur cibo, sic spiritus abstinere à carnis peccato. Secundùm hoc ieiunium Christi in nobis intelligimus esse abstinentiam peccatorum. Si enim manducatio Adę de ligno scientię boni & mali, prudenter ab omnibus est recepta, appetitio est peccati pro-

Deut. 6. & 10.

misericordia.

Eadem aliter.

cati prohibiti: Consequenter & ieiunium Christi intelligendum est in nobis abstinẽtia à peccato. Quòd si ieiunium est abstinentia rei malæ, sine dubio & desiderium eius esuritio est ipsius, & vsus rei ipsius intelligitur panis. Proponens ergo ieiunium sibi Christus, & non superatus desiderio panis à diabolo sibi propositi: hoc nos docet, vt si aliquis vtpote filius Dei opus eligens magnum exierit in desertum, sicut diximus suprà, & proposuerit se abstinere ab aliquo vsu corporali, & delectabili, quod est ieiunare, propter viuificatorium Dei mandatum, ne intertumpat. Si autem loquente in cogitationibus suis diabolo, & ad vsum rei illius prouocante interruperit, vtens peccauit potius quam vsus est, & peccatum sibi cõuertit in vsum, hoc est, lapidem in panem. Et quamuis ab illa re se abstinere decreuerit, qua vti potuit sine peccato, si non decreuisset: tamen quia decreuit abstinere ab illa, vsum rei illius iudicauit esse peccatum, id est, lapidem. Propterea si vsus fuerit eo, peccatum sibi sumpsit in vsum, id est, lapidem sibi mutauit in panem, dirumpentem magis quàm nutriẽtem. Sicut & Apostolus de mulieribus viduitatem promittentibus dicit: Quæ cum deluserint Christum, nubere volunt. habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Sed deprimens desiderium suum quasi esurientionem, respondeat in cogitationibus suis diabolo sibi persuadenti: quia non in vsu rei illius solo viuit homo perfectè: & si viuit, secundùm corpus viuit, & non secundùm animam. Pleniſſimè autem viuit in obseruantia mandatorum Dei, & ideo fortè non simpliciter dicit, dic lapidi vt fiat panis, ne de qualicunque lapide dixisse intelligatur: sed ita, Dic huic lapidi, id est, quem ego tibi ostendo. Item ascensio super templum, moraliter intelligitur exaltatio cordis sanctorum ad sanctitatem. Statio autem super pinnam templi, exaltationis ipsius mora. Quando enim quis inflatus mente carnis suæ exaltatus fuerit quasi sanctus, & gloriatus fuerit quasi consummatus, ductus est à diabolo quasi super templum: & quando existimauerit se consistere in sanctimonię summitate, & in ipsa æstimatione iactantię fuerit demoratus, positus est super pinnam templi, & stat ibi. Conuenienter ergo & ordinatè exposuerunt Euangelistæ. Postquam enim exposuerunt Christum in tentatione iciunij superasse diabolum, in sequenti loco exposuerunt ductum esse à diabolo super templum: quoniam victoria tentationis, & expletio alicuius operis magni, gloriationem operatur, & fit causa iactantiæ. Sed vide quoniã Christus ieiunium quidem vltrò suscepit, super templum autem diabolus eum duxit: vt & tu, qui filius Dei es, ad ieiunium quidem morale, id est, ad abstinentiam laudabilem rei cuiusdam sponte procedas, & alacriter: extolli autem ad fastigium sanctitatis non acquiescas, quia nemo extollit se ad sanctitatis altitudinem, nisi ducente diabolo. Nec enim ideo acquieuit Christus duci & constitui super templum, vt tu moraliter imitator eius existens, ascendas per iactantiam cordis tui ad altitudinem sanctitatis. Nec enim volens ascendit, quantum ad corpus: sed ideo acquieuit duci, & constitui super pinnam templi, & audire præcipitij verba: Si filius Dei es, mitte te deorsum: vt tibi ostendat exaltationis exitum metuendum: id est, vt demonstret tibi ruinæ periculum, quod omnes gloriantes subsequi solet, sicut testatur Sapientia, dicens: Ante ruinam exaltatur cor hominis, & ante gloriam humiliatur. Consequenter & Dominus dicit: Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Si ergo times ruinam de fastigio sanctitatis, fuge exaltationem cordis ad sanctitatem, & non patieris ruinam de fastigio sanctitatis. Cur autem omnem iactantiam subsequatur ruina, causa est manifesta. Quoniam omnis qui confidens est in operibus suis, & gloriatur, securus est: qui autem securus est, non timet: & qui non timet, nec cauet: qui autem non cauet, quando non sperat, supplantatur à diabolo, & deiicitur. Qui autem nihil se existimat esse, in inferiori parte templi consistens, quantum ad se causa humilitatis sollicitus est de se: qui autem sollicitus est, & timet: qui autem timet, circumspicit semetipsum, & non sinit duci se à diabolo super templum. Talis fuit & ille qui dicit: Non quòd iam perfectus sim, aut iam iustificatus sim, &c. Si ergo Paulus timuit se dicere esse perfectum, quis audeat se existimare profectum? Si ergo perfectus filius Dei es, & aliquam laudabilem abstinentiam suscepisti, quasi exiens in desertum, his duabus tentationibus Dominus tentatus est propter te, vt non interrumpas opus tuum, sed ad perfectum deducas: cùm autem perduxeris ad perfectum, non gloriaris. Si autem mediocris es filius, & nullum ausus es affectare pro virtute certamen, tentatione tertia tentatus est: propter te ductus est super montem excelsum, & audiuit verba pernicioſa, Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me: vt tu non desideres magnus & altus fieri in hoc mundo. Ascensio enim montis illius est processio ad magnitudinem vel altitudinem diuitiarum, & gloriæ huius mundi: quoniam ipsa processio eorum de superbia cordis descendit. Et vide quomodo per ordinem dicit, prius ductus est super montem, deinde glorioſa mundi ei ostensa sunt: in tertio loco posita est ei conditio, vt si adorasset diabolum, omnia fierent eius. Sic & tibi contigit, qui altus & magnus fieri festinas in mundo, & ascendis in montem, quem diabolus sibi elegit ad seducendum. Cùm enim volueris fieri altus & magnus quod est ascendere in montem, diabolo te ducente, incipis die ac nocte cogitare de diuitiis acquirendis, de suscipiendis honoribus, & ante oculos mentis tuæ semper illa vniuersa proponere: scito quia princeps mundi glorioſa regni sui tibi ostendit. Cùm autem senserit te diutinis huiusmodi cogitationibus in concupiscentias eorundem bonorum accensum: in tertio loco tales tibi prouidet causas, vt necesse sit tibi, si volueris illa consequi, diabolum adores, relinquens fidem Dei, & seruias ei negligens iustitiam Dei: si autem elegeris adorare Deum in fide eius, & seruire ei secundùm mandatum ipsius obseruare, * illa omnia non consequaris. Ideo docet Paulus Apostolus: Obsecro autem vos fratres studium habere quietis, & negocij proprij, & operandi manibus vestris, & nullius desiderium sit vobis ad ea quæ foris sunt. Et iterum: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas diuitiarum: quam quidam appetentes, circa fidem naufragauerunt. Ergo omnia Christo promissa sunt, & omnia Christus contempsit, vt ne gloriam Dei diabolo daret: vt & tibi etiam si totus mundus fuerit datus, tãtùm vt dimittas Deum: non facias amplius diuitias, quàm gloriam Dei. Nec enim iustum est, propter creaturam cõtemnere creatorem, sed propter creatorem creaturam. Quoniam diuitias tibi Deus dare potest, diuitiæ autem tibi Deum dare non possunt. Non enim propter se tentatus est, sed propter nos, & non sibi vẽdicat, sed nobis. *Tunc reliquit eum diabolus, & accedentes angeli Dei ministrabant ei.* Nõ dixit, Et descendentes angeli Dei ministrabant ei, vt ostendat, quia semper ad ministerium eius angeli erant in terris:

1. Tim. 5.

Prou. 18.

Luc. 14.

1. Cor. 4.

deest, obseruare.

1. Thes. 4.

1. Tim. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed tunc præcipiente Domino recesserunt ab eo, vt lo- A cus diabolo aduersus Christum daretur, ne fortè angelos videns circa eum, non appropinquaret ad eum. Sic enim inuisibiliter fit omni homini Christiano. Duo enim sunt angeli permanentes cum hominibus: scilicet bonus & malus. Quamdiu circa nos est angelus bonus, nunquam nos in tentationem potest impellere angelus malus. Secundùm dispensationem autem Dei recedit aliquantulum angelus bonus, magis autem non recedit: sed absconditse, inuisibilem se reddens ante diabolum: quoniam nisi voluerit angelus bonus, à diabolo non videtur. Subtrahit ergo se, vt det diabolo licentiam tentandi, & stans expectat tentationis euentum. Quando ergo aliqua concupiscentia malæ rei ascenderit super cor tuum, & pulsat aliquod genus peccati, non est circa te angelus bonus, sed diabolus loquens in corde tuo tentat te pariter & compellit. Si tu ergo permanseris confringens cor tuum, magis autem diabolum in corde tuo confringens: cùm non te potuerit superare, B discedet à te. Quando recedente concupiscentia incipit cor tuum exultare, quia euasisti impetum illum malum, & quasi quidam spiritus in te tacente lætatur, & gratias agit Deo: cognosce quia recessit à te diabolus, & post tentationis victoriam accedens angelus ministrat tibi, & ille loquitur in te, & gaudium operatur. Quoniam autem ministrabant ei angeli, scimus: in quibus autem rebus illi ministrabant, scire non possumus. Vtrum ad sanitates infirmitatum, quemadmodum & per angelum Raphaëlem sanauit Tobiam: an ad correctionem animarum, an ad effugationem dæmonum, quoniam quidem multa opera sua per angelos facit, verum est. Angelis autem facientibus ipse facere videtur, qui dat illis faciendi præceptum & potestatem. Tamen manifestissimum est, quia etsi ad opus ipsius ministrant ei, non propter necessitatem impotentiæ eius ministrant ei, sed propter honorem potestatis ipsius. Nam ministrant ei, & non adiuuant eum.

Tob. 3.

Homilia VI. ex cap. IIII.

CVM *autem audisset Iesus, quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam.* A quo? Sine dubio à Deo: quia in virum sanctum nemo potest aliquid, nisi tradiderit eum Deus. Nam peccator in peccatorem aliquid forsitan potest, quia nec est valde sub cura Dei peccator: in hominem autem Dei sine dubio nihil potest, quia protector est Deus omnium sperantium in eum. Sic enim dicit & alibi: Nónne duo passeres veneunt dupondio, † & vnus ex eis non cadit super terram sine præcepto patris vestri? quantò magis vos modicæ fidei? Vestri autem & capilli capitis numerati sunt omnes. Omnis homo, quantumuis fuerit malus, priusquam aliquam faciat iniquitatem, quasi tardior est ad opus iniquitatis: quòd si semel cœperit facere iniquitatem, iam paratior fit ad omne opus iniquum. Sicut enim bestia, quamuis sit naturaliter fœua, tamen si excitata non fuerit, non se facilè super hominem iactat: si autem homine occiso, vel aliqua bestia, sanguinis acceperit gustum, iam si viderit hominem, sine aliqua mora irruit super eum: Sic & Herodes etsi proposito erat iniquus, tamen postquam propter correptionem adulterij sui est exasperatus, opus pessimum ausus est facere, & Ioannem recludere in carcerem, seipso iniquior: & audacior quidem fuerat sibimetipsi factus cum omnibus consentientibus sibi Iudæis in mortem Ioannis. Quod sciens Dominus, secessit inde, non ipse timens mortem, sed propter duas causas. Primùm, vt passionem suam opportuno tempore reseruaret: deinde, vt nobis fugiendi periculum tentationis daret exemplum: non quia ille timebat periculum tentationis, sed quia nos aliter non omnem toleraremus tentationem. Si enim ideo per omnem viam iustitiæ præcessit quasi magister, vt nos cum sequamur quasi discipuli, manifestum est, quia non considerauit quid ipse posset, sed quid nos poteramus implere. Si autem ea fecisset Christus, quæ ipse poterat facere, & non nos: discipuli eius esse non poteramus, sequi cum non præualentes. *Et relicta ciuitate Nazareth, veniens habitauit in Capernaum, in finibus Zabulon & Nepthalim, vt adimpleretur quod dictum est per Esaiam Prophetam: Terra Zabulon & terra Nepthalim via maris trans Iordanem Galilæa gentium.* Sicut docet historia, hæ tribus ante omnes transmigratæ sunt in Babyloniam. Conuenienter ergo quos ante omnes ira Dei percussit, ipsos primùm Dei misericordia visitauit: & qui primi ducti sunt in captiuitatem corporalem, ipsi prius de spirituali captiuitate reducti sunt. *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & qui sedebant in regione & vmbra mortis, lux orta est eis.* Sedebant in tenebris Iudæi qui fuerunt sub lege, in qua Dei iustitia non fuerat manifesta: etsi erat ibi iustitia, tamen in figuris quibusdam & mysteris rerum carnalium fuerat cooperta. Quale enim est lumen iustitiæ in circumcisione præputij? Tenebræ enim erant maximè secundùm legem, quæ non ad manifestandam Dei iustitiam data fuerat, sed ad puniendam duritiam cordis eorum: sicut ait Dominus, Propter duritiam cordis vestri Moses ista mandauit: & non ad saluandos eos, sed ad excæcandos, vt inebriati per legem, non cognoscerent lumen, quod non merebantur videre in tenebris, id est in peccatis. Lumen magnum, id est Christum. nam multa lumina fuerant inter Iudæos. Lumen fuerunt Moses, & Aaron, & Iosue, & cæteri iudices & Prophetæ. Omnis doctor lumen illorum est, quos illuminat docens: sicut scriptum est, Vos estis lux mundi. Ma- C gnum autem lumen est Christus. In regione autem & vmbra mortis sedebant Gentiles, aut quia iniquitates mortiferas faciebant, aut quia colebant idola & dæmones, quorum cultura ducebat eos ad mortem æternam. Iudæi autem, qui secundùm legem opera faciebant, ideo in tenebris erant, & non in regione & vmbra mortis: quia etsi non erat quidem iustitia quam faciebant, tamen facientibus eam, etsi gloria non dabatur, tamen mors æterna non contingebat, quia Dei tenebant mandata. Vmbram autem mortis æstimo esse pecatum idolatriæ. Sicut enim qui viuunt in agnitione Dei & Christi, quamuis agnitio ipsa sit vita, tamen donec sunt in sæculo isto, non sunt in vera vita, sed in vmbra vitæ: quoniam per fidem ambulant, & non per speciem: & per speculum in ænigmate vident, non facie ad faciem. Sic qui in erroribus idolorum viuunt, licet ipse error sit mors, tamen nondum sunt in vera morte, sed in vmbra mortis, donec in isto sæculo sunt. Quoniam autem i- D gnorantia Dei vmbra est mortis, testatur Propheta dicens: Et declinasti semitas nostras à via tua, & cooperuit nos vmbra mortis. Sine dubio enim operiet eum ignorantia Dei, cuius vita de via Dei fuerit declinata. Regio autem mortis, mundus est iste. Sicut enim illa terra, terra viuorum est, de qua dicitur: Credo videre bona Domini in terra viuentium: sic terra hæc regio mortis est. Propterea ad plenum Deo placere non possumus degentes in ea, quia ipsi etsi viui sumus propter opera viua & fidem Christi, tamen quia in mundo viuimus, cui diabolus principatur, coinquinati sumus. Ideo & Paulus dicebat: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Corpus enim hoc, corpus est mortis: quia non vitalibus, sed mortiferis voluptatibus est subiectum.

Esa. 9.

Ibidem.

Infrà 9. & Marc. 10.

Infrà 5.

Psal. 43.

Ibid. 26.

Rom. 7.

Et vide

Et vide quàm propriè quidem dixit propheta: Iudæos quidem vidisse lumen magnum, Gentibus autem ortum esse: quoniam apud Iudæos erat agnitio filij Dei, non autem videbant eum, quia sedebant in tenebris legis, aut peccatorum: apud Gentes autem nunquam fuit agnitio filij Dei. Ideo à Iudæis quidem dicitur visus, Gentibus autem ortus. Dicitur autem Capernaum inter fines Iudæorum & Gentium posita esse. *Ex tunc cœpit Iesus prædicare & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Ex tunc, id est, ex quo testificatus est à Ioanne. Nec enim prædicare credibiliter poterat, nec testis Patris existere, nisi testificatus fuisset ab eo: quia nemo potest alterius esse testis idoneus, nisi qui ipse fuerit testificatus ab altero. Testificatus autem est ab eo sic: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Vt omnis qui ordinatur ad prædicandum, bonum testimonium habeat à populo, & ab his qui sunt foris, sicut ait Apostolus: Qui enim benè viuit, se solùm saluat: qui autem bonam habet opinionem, multos ædificat. Quid autem prodest, si bonam vitam agendo te vnum salues, & malam famam habendo plurimos scandalizes? Ex tunc cœpit Iesus prædicare, ex quo in aqua quidem baptizatus est à Ioanne: in Spiritu autem à Patre, vt possit de seipso alios baptizare, secundùm hominem dico: † quia si non fuisset baptizatus, alios baptizare non poterat. Quomodo autem nudus vestiat nudum, aut quomodo mendicus faciat alterum diuitem? Sic & ipse qui baptizatus non est, quomodo alteri potest baptismum dare? Secundùm hoc & de hæreticis dicimus: quia vbi est fides, illic est Ecclesia: vbi Ecclesia, ibi sacerdos: vbi sacerdos, ibi baptismum: vbi baptismū, ibi Christianus. Vbi autem fides non est, ibi nec Ecclesia est: vbi Ecclesia non est, nec sacerdos est: vbi sacerdos non est, nec baptismum: vbi baptismum non est, nec Christianus fit aliquis. Quid ergo reprehendit quasi secundum baptismum, qui non intelligit quod est primum? Ex tunc cœpit Iesus prædicare, ex quo tentatus C est. Famem autem vicit in deserto, auaritiam spreuit in monte, vanam gloriam repercussit super templum: vt nobis ostendat, quia qui ventri suo contradicere potest, qui sæculi huius bona contemnit, qui vanam gloriam nō desiderat, ille debet Christi vicarius factus iustitiam Christi prædicare: quoniam ex istis tribus caminis omnis diabolicæ fraudis † flamma succenditur. Item ex quo traditus est Ioannes, ex tunc prædicare cœpit. Nam si viuo Ioanne prædicare cœpisset, sine dubio vilem fecisset Ioannem, & inuenta fuisset prædicatio eius superflua quantum ad istius doctrinam: quemadmodum si in vno tempore lux cum lucifero oriatur, gratiam luciferi celat. Quàm sapienter inde prædicationis suæ sumpsit initium, quod prædicare consuetus erat Ioannes: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum: non vt conculcet Ioannis doctrinam, sed vt magis confirmet. Nam si illo adhuc docente hæc eadem prædicasset, forsitan conculcare videretur: nunc autem quia D eo incluso repetit, non conculcatio, sed confirmatio inuenitur. Confirmauit autem Ioannis doctrinam, vt testem eum verum fuisse demonstret. Quoniam si Ioannes verus est testis, & testimonium eius verum est quod dixit de Christo: si autem falsus est testis, & omnia illa gloriosa falsa fuerunt quæ dixit de Christo. Ergo dum Ioannis doctrinam confirmat Dominus, seipsum commendat. Pœnitentiam agite. Creator humanæ naturæ scit quid necessarium habet humana natura. Sciens etenim Dominus, quia nullus hominum per ignorantiam iustitiæ peccat: sed dum sequitur delectationem carnalem, contemnit gloriam spiritualem: ideo statim non iustitiam prædicauit, quàm omnes cognoscebant, sed pœnitentiam qua omnes indigebant. Quis ergo veniēs contra iudicium Dei ausus est dicere, quia ego volo bonus esse, & non possum? Dominus enim qui in primis non iustitiam, sed pœnitentiam prædicauit, non naturæ ignorantis, sed voluntatis culpam in peccatoribus esse demonstrat. Pœnitentia enim correctio est voluntatis, non emendatio malæ naturæ. Nam si emendatio naturæ esset pœnitentia, creator Dominus noster venisset in mundum, vt sui operis culpam emendaret, non nostros errores. Appropinquabit enim regnum cœlorum, id est beatitudo regni cœlestis: quàm præparauit fidelibus Deus. ac si dicat, parate vos per pœnitentiam & per patientiam ad percipiendam beatiudinem regni cœlestis: quia appropinquabit tempus mercedis reddendæ. Qui mala timetis, aut concupiscitis bona, attendite quia appropinquabit regnum cœlorum. Si vos mala non terrent, vel bona delectent: aut si regna non concupiscitis, vel tormenta timete. Gaudeant iusti quia iam finiuntur mala eorum, & incipiunt bona. Lugeant peccatores, quia iam transeunt bona eorum, & incipiunt mala. Quid nocuit hominibus iustis quia mala passi sūt, cùm cœperint esse in bonis? Nam & recordatio transactorum malorum, non solum nō nocet, sed adhuc magis delectat. Nam mala quandiu præsentia sunt, grauia videntur: cùm verò transacta fuerint, recordatio eorum gloriatio est. Aut quid prodest peccatoribus quia bona sunt consecuti, cùm cœperint esse in malis? Nam recordatio transactorum bonorum non solùm non adiuuat, sed adhuc amplius grauat. Nam quandiu præsentia sunt, delectabilia videntur: cùm verò transacta fuerint, recordatio eorum magis affligit. Et ista prædicatio pœnitentiæ qualem fructum contulit Christo? Seminauit verbum pœnitentiæ, & immaculatos prædicatores iustitiæ messuit.

Ioan. 1.

1. Tim. 3.

(hæc in quodam exemplari desiunt.

al. conflationis.

Homil. VII. ex cap. IIII.

C AMBVLANS *autem Iesus secus mare, vidit duos fratres, Simonem & Andream.* Priusquam aliquid dicat aut faciat, vocat Apostolos, vt nihil eos lateat nec verborum Christi nec operum, vt postmodum fiduciali- Act. 4. ter dicere possint. Non possumus enim nos quæ vidimus & audiuimus non loqui. Vidit eos non corporaliter, sed spiritualiter: non ad facies eorum, sed ad corda respiciens. Et elegit eos non quasi Apostolos, sed quia Apostoli poterant fieri. Sicut artifex si viderit gemmas pretiosas, & non dolatas: eligit illas, non quod sint, sed quod fieri possunt. habens enim scientiam artis, bonum incompositum non contemnit. Sic & Dominus videns illos, non opera eorum elegit, sed corda. *Mittentes retia.* & futuræ dignitatis gratiam artificij sui opere prophetantes. Vt intelligamus quia non solùm ista secunda piscatio spiritualis à Deo eis erat donata, sed etiam prima illa corporalis Dei prouidentia in eis fuerat ordinata. Nam sicut qui retia iactat in aquam, nescit quos pisces comprehensurus est, sed quos Deus ei transmiserit, illi intrant in retia: Sic & doctor quando diuini sermonis retia super populum iactat, nescit qui sunt accessuri ad Deum, sed quoscunque Deus excitauerit, illi adhærent doctrinæ. Ergo sicut in piscatore labor solus requiritur piscandi, Deus autem transmittit capturam: sic & in doctore nihil requiritur nisi instantia doctrinæ: populum autem non corrigit homo, sed Deus. Sic enim dicit Dominus per prophetam: Dic Zacha. 5. hæc ad Iesum filium Iosedech sacerdotem magnum: si bene custodieris aulam meam, dabo tibi qui habitent in ea. *Et ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Id est, faciam vos doctores, vt cum reti

Universidad de Deusto
Biblioteca

verbi Dei, comprehendatis homines de mundo hoc A falso & fluctuabũdo,& tempestuoso,& instabili, & perfido,& semper periculoso,& nemini vnquam tuto, vbi homines non ambulant, sed feruntur inuiti quasi nolentes. Violentia enim diaboli concupiscentias multas inoperanseis,mentitur se facturum eorum voluntatem: quia cum delectatione compellit in mala opera, vt homines alterutrum se comedant, sicut pisces fortiores semper deuorantes infirmiores: ne transłati viuant in terra fructifera corporis Christi, facti membra corporis eius,in terra fructifera,in terra dulci & semper tranquilla: vbi non est tempestas ad euersionem, nisi fortè ad tentationem fidei,& patientiæ fructificationem.Vt homines ambulent, non ferantur: vt se alterutrum non comedant habitantes,sed foueant.Ecce do vobis euangelium in manibus nouum, & alterum rete diuersarum sententiarum, & obligatarum parabolarum, virtutum admirandarum,& multiformium doctrinarum, narrationibus crebris quasi fluctibus huc & illuc discurrenti- B bus textum,minis iudiciorum,& promissionibus beatitudinum, quasi quibusdam nodis indissolubilibus colligatum, præscientiis & occultarum cogitationum cognitionibus,dæmonum confessionibus, & resurrectionibus mortuorum nimis confirmatum: ita vt in sinu suo tutissimo diligenter possit rationabilium hominum cõtinere capturam,vt non det eis ex aliqua potestate † exeundi occasionem quasi per aperturam aliquam neglectã à Spiritu sancto qui texuit eam. Et hoc dixit aliquis intra se,Non sine causa secuti sunt Iesum talia promittẽtem. Quid enim? Tibi minora repromittit? Num non si benè conuersatus fueris,regnum cœleste tibi promittit? num non vitam æternam?num nõ angelicam naturam? num non hæreditatem secum? Et quare non sequeris eum? Sed illi sequuti sunt eum, quia cœlestium bonorum amatores erant, non terrenorum. Tu autem eum non sequeris, quia non cœlestium, sed terrenorum a- C mator es. Homo enim carnalis nullum bonum credit esse bonum, nisi carnale: & nusquam credit esse iucunditatem,nisi quæ est super terram. Non ergo illi doctorium cupierunt honorem, sed doctorij operis lucrum, sicut exitus contestatus est. Si enim Apostoli facti honoribus apostolatus sui fruiti sunt, sine dubio apostolicum cupierunt honorem. Si autem non solùm Apostolatus sui honoribus fruiti non sunt humilitatis causa,sed etiam propter hominum salutem, & gloriam Christi, passi sunt diuersa supplicia: manifestum est quòd tunc non apostolicum cupierunt honorem, sed quæstum apostolici operis & laboris.Sciebant enim quàm preciosa est anima hominis, quàm grata est apud Deum salus ipsius,quanta merces est hominem ædificare secundùm Deum.Concupierunt,& secuti sunt: tu autem non cõcupiscis talia hæc.Quomodo enim desideres alium posse saluari,qui teipsum saluare nõ curas? *Et relictis retibus, sequuti sunt eum.* Ne aliquis Christianus dicat, Nunquid D non possum diuitias diligere, & Christo placere? ideo relinquentes retia sua Apostoli nos docuerunt,quia nemo potest terrena possidere, & perfectè ad cœlestia peruenire.Considera quomodo inter cœlum & terram aër medius constitutus separat creaturam vtranque, vt ostendat quia inter cœlestia & terrena nulla potest esse commixtio. Cœlestia enim spiritualia sunt & leuia, & naturalia semper sursum petentia. Terrena autem ponderosa sunt, & semper deorsum deponentia. Si igitur spiritualia tenueris,sursum te ducunt: si terrena, deorsum te deponunt. Igitur reliquerunt retia, ne magis facerent eis impedimentum laboris, quàm additamentum vtilitatis. *Et procedens inde,vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, componentes retia, & similiter vocauit eos.* Erant enim habitatione ciues,dilectione concordes, arte officij pares,fraternitate pietatis coniuncti: ideo sic vocauit & istos, ne tot bonis rebus coniunctos, dissimilis vocatio separaret. Gratiosè aliquis de hac duplici fratrum vtilitate locutus est,quoniam omnis Ecclesia præcipuè in charitate fuerat construenda,sicut ipse dicit: Hoc est autem mandatum, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos. Et iterum: In Ioan.13. hoc cognoscent homines, quòd mei estis discipuli, si Ibid.15. charitatem habueritis inter vos. Sicut enim in corporali ædificio lapis ad lapidem cæmento mediante constringitur: sic in ædificio Ecclesiæ Christianus ad Christianum charitate mediante connectitur. Ideo super fraternitatem charitatis Ecclesiæ composuit fundamẽta, vt radicibus charitatis exuberans quasi humor ascẽdat in ramos. Et hoc super naturalem charitatem,vt nõ solùm per gratiam, sed etiam per naturam ipsa charitas firmior habeatur. Sic enim fecit Deus in veteri testa- B mento.ædificaturus enim populum illum per legem,supra Mosem & Aaron fratres posuit ædificationis initiũ. Quoniam autem abundantior gratia futura erat noui testamenti quàm veteris, ideo populum illum quidem ædificauit secundùm vnam fraternitatem, hunc autem secundùm duas. *Componentes retia.* Quod est maximæ paupertatis indicium.Vetera componebant,quia noua vnde emerent,non habebãt. Et quod ad maiorem pietatem eorum pertinet, in tanta paupertate sic patri suo occurrebant, vt secum eum baiularent in naui: non vt ille istos adiuuaret in opere: sed vt isti illum consolarentur sua præsentia. Quoniam autem illi quidem referuntur mittentes retia sua, per omnes euangelistas: isti autem componentes: sine ratione esse non credo, maximè cùm poterant dicere sine damno aliquo intellectus: & ibi vidit illum & illum, & non dicere componentes retia sua. Item æstimare illos quidem quasi velociores ad prædicandum, quia iam mittentes erant retia sua:istos autem quasi pigriores, quia adhuc componentes erant retia, non sumus ausi: quia differentiam illorum talium cognoscere est solius Dei. Ne fortè ergo propter Petrum illi dicti sunt mittentes retia sua.Isti autem propter Ioannem componentes: quia Petrus prædicauit tãtùm euangelium, & non composuit,sed Marcus ab eo prædicata cõposuit.Ioãnes autem & prædicauit euangelium,& ipse cõposuit. Et non solùm composuit,sed etiam omnium Euangelistarum retia ipse composuit. Nam cùm omnes humana Christi penè sola cõposuissent, iste commiscuit eis etiam diuina ipsius: vt nullam relinqueret Spiritus sanctus scandali aperturam in eis vnde pisces egrederentur. Et vt nunc dicamus quod suprà in textura retis omisimus: quia circumposuit ei quasi plumbea grauia,id est inextinguibilium flãmarum & immortalium vermium supplicia ponderosa, vt possit facilè humanorum cordium penetrare profundum. *At illi relicto patre,& nauisecuti sunt eum.* Vide quia Petrus quidem & Andreas dicuntur reliquisse retia: Iacobus autem & Ioannes, patrem & nauim.Tria sunt enim generaliter omnia, quæ relinquere debet omnis qui venit ad Christum: actus carnales,substantiam mũdialem, parentes carnales. Per retia enim piscationis, actus carnales relinquendi significantur: per nauim autem substantia: per patrem verò,omnes parentes.Et vide quia prius retia relicta significantur, posteà nauis, in tertio loco pater: quia prius conuenit actus mundiales relinquere. Ipsi sunt enim, qui præcipuè nocent ad spiritualia. Secundò, substantiam, quia non tantum nocet aliquid habere in mundo, quãtum agere aliquem actũ, tamen & hoc ipsum habere nocet. In nouissimo parentes, qui & ipsi quidem nocent, tamen minus nocent quàm

parte.

Veniẽt ad Christũ, tria generaliter relinquero tenetur.

quàm diuitiæ & actus huius sæculi. Reliquerunt ergo A nauem, vt fierent ecclesiasticæ nauis gubernatores.Reliquerunt retia, vt iam non pisces apportarent ad ciuitatem terrenam, sed homines ad ciuitatem cœlestem. Reliquerunt vnum patrem, vt fierent omnium spiritualium genitores.

Homil. VIII. ex cap. IIII.

Et *circumibat Iesus totam Galilæam.* Omnis rex pugnaturus cõtra aduersarium regem, prius congregat exercitum,& sic vadit ad pugnam: sic & Dominus contra diabolum pugnaturus, prius congregauit Apostolos, & sic cœpit per totam Galilæam euangelium prædicare. Expugnatio enim diaboli, prædicatio est veritatis: sagitta mortifera est in visceribus eius, sermo iustitiæ. Deiectio eius est opus signorum, spoliatio potestatis eius est conuersio fidelium. Et rex quidem terrenus congregat exercitum, vt illorum laboribus ipse B gloriam consequatur:iste autẽ congregauit Apostolos, non vt illorum laboribus ipse gloriam consequatur, sed vt suo labore illis victoriã præstet. Circumibat totã Galilæam, sicut studiosus medicus circumibat grauiter ægrotãtes,singulis quibusque passionibus adhibens congruas medicinas:quia debiles illi ad medicũ venire non poterãt. Et Dominus quidẽ circumibat singulas regiones. Nos autẽ qui sumus vniuscuiusque regionis pastores, etsi regiones circumire necessarium non habemus, tamen singulas species passionum populi circumire & considerare debemus: id est diligenter attendere, qui sunt in populo qui auaritiæ morbo laborãt, vt aliquem sermonem de auaritiæ malo faciamus ad medicamentum sanitatis illius qui auaritiæ stimulis agitatur, secun- 1.Tim.6. dùm Pauli sententiam,dicentis: Habentes alimenta, & Ibidem. quibus tegamur, his contenti simus. Num qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationes,& cætera.Item debemus illis prouidere, qui in populo ardentibus libidinis febribus valde laborant: & vt ad remedium passionis eorum aliquod medicamentum in Ecclesia proferamus de apotheca medicinali Apostoli, dicentis: Omne 1.Cor.6. peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat,& cætera. Et quemadmodum paterfamilias studiosus scit in domo sua quid vnusquisque necessarium habet: ita & sacerdos singulorum mores & actus & conuersationem debet indiscere, vt quale quibusque medicamentum necessarium fuerit subministret: cui consolationem, cõsolationem: cui increpationem, increpationem.Cui autem asperior increpationis medicina fuerit posita secũdùm qualitatem passionis illius, non debet indignari: quia nec infirmus irascitur contra medicum, si posuerit aliquam medicinam mordentem. Non enim considerat asperitatem medicinę,& irascitur,sed considerat beneuolentiam medici,& sustinet: quia prodesse illi desiderat,non nocere. Sicut autem infirmus qui ipse venit D ad medicum, ex parte iam sanus est: sic & ipse peccator qui venit ad sacerdotem, & doctrinæ aut pœnitentiæ medicinam quærit, ex parte iam iustus est.Illum autem grauis tenet infirmitas, quem sacerdos sequitur verbis, & ille spiritualium verborum medicamentum non sentit,nec melioratur,sed quasi qui stomachũ patitur,quicquid manducauerit & biberit, iterum vomit. Sic & illa anima patiens quicquid audierit, statim de sensibus suis proijcit foras, sic illi infideles Iudæi quibus dictum est: Psal.106. Omnem escam abominata est anima eorum: id est, omnem escam doctrinæ animam nutrientem. *Docens & prædicans euangelium regni.* Aliud est docere,aliud est euangelium prædicare. Docebat enim eos,dicens iustitias A naturales, quas etsi ille non diceret, ipsa ratio naturalis illos doceret: vtputa castitatem, humilitatem, patientiam,& cætera his similia: quæ homines etsi non audiunt, tamen à semetipsis bona esse intelligunt, sicut ait Apostolus ad Romanos:Cùm enim Gentes,quę legem non habent,naturaliter quæ legis sunt faciunt,&c. Sed Rom.2. fortè dicis, Si ea eos docebat, quæ omnes intelligunt, quid opus habebat eos dicere? Audi,doctrina non tantum propter manifestationem rerum obscurarum inuẽta est,quantum propter excitationem cordis & spiritus. Talis est enim humana natura, vtputa prævalentibus delectationibus carnalibus in homine, scientia quæ est in eo iustitiæ naturalis excluditur, & quasi in obliuionem deducta de memoria foris expellitur & obdormit. Cùm ergo cœperit doctor in illis reprehendere & repercutere mala carnalia, & terrere de futuro iudicio: quasi præcisis delectationibus carnalibus, iterum scientiam in memoriam eorum reducit, & in sensibus reparat. Vnde & gladius dicitur sermo diuinus: quia sicut gladius carnes præcidit, sic & sermo concupiscen- Ephes.6. & Heb.4. tias carnales. Et quemadmodum si tollis herbas de agro,triticum conualescit in illo: sic & concupiscentia si præcidatur ab homine, iustitia conualescit: quia sicut herbæ suffocant triticum,sic & concupiscentię carnales offocãt disciplinam. Vides ergo quia doctrina non nouas scientias introducit, sed oblitas commonefacit? Si ergo sermo humanus tantam habet virtutem auribus sonum præstans, putas quid agebat sermo dominicus, cùm esset spiritus viuus, non tantum in auribus sonans, sed & in cordibus operans? Euangelium autem prædicans mysterium iustitiæ promittebat.Euangelium enim Euange- est nuncium bonum. Bona autem hominibus nuncian- lium. tur,quando promittitur eis beatitudo cœlestis, peccatorum remissio,adoptio filiorum, mortuorum resurrectio,& immortalitas vitæ, hæreditas regni cœlestis, & possessio gloriæ sempiternæ,societas angelorum, & cõ- C municatio spiritus, & fraternitas Christi, & paternitas Dei. Hæc omnia antiqui homines manifestè nec audierant nec sperabant.Et ideo præmium boni operis non sperantes,iustitiæ contempserunt laborem, & transtulerunt se ad delectationes carnales: quia omnis iustitia molesta est omnibus in carne viuentibus propterea labor iustitiæ non sustinetur, nisi merces eorum expectetur. Ideo ergo illis beatitudinem euangelizabat cœlestem,vt corda eorum ad patientiam boni operis excitaret,& desiderium cœlestium præmiorum, aut docens, aut interpretans eis prophetias de suo ipsius aduentu: vt ipsa interpretationis doctrina esset propter increpationem, & euangelizatio propter denunciationem futurorum bonorum in ipso. *Et sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in plebe.* Quòd dixit,languorem: ad passiones pertinere voluit corporales: quod autẽ dicit, Et omnem infirmitatem: ad passiones animæ spirituales. Non enim pauciores morbi animam vexant quàm corpus. Et si quidem dixisset,sanans languores & infirmitates, poteramus vtrunque ad passiones intelligere corporales,vt languores quidem intelligerentur grauiores passiones,infirmitates autem tædia leuiora. Nunc autem cùm dicens omnem languorem,omne genus siue grauium siue leuium passionum concludit, alterius clausulæ videtur adiectio esse superflua: nisi vnam quidem ad passiones corporales intelligamus, alteram autem ad spirituales. Possumus tamen & vtranque clausulam, ad * vtrasque intelligere passiones ita, id est, o- * alias,& mnem languorem siue corporalem, siue spiritualem: & omnem infirmitatem,siue corporalem,siue spiritualem: vt languorem quidem intelligamus animæ morbum passionis alicuius,infirmitatem autem infidelitatem: vt-

Universidad de Deusto Biblioteca

puta qui auaritiæ morbo ſubditus eſt, aut libidinis, aut vanæ gloriæ, languorem animæ patitur. Qui autem myſterium vocationis Dei ignorat, ille infimus habetur in fide. Multi enim ſunt qui poſſunt bona opera facere, & Deo placere, ſed non faciunt: quia myſterium vocationis Dei ignorant, & ipſi ſunt infirmi. Quidam autem ſic paſſionibus carnalibus ſunt mancipati, vt etiam ſi ſciant myſterium vocationis Dei, tamen bene agere non permittuntur, & ipſi ſunt langorem habentes. Sed paſſiones corporales diuinitatis virtute ſanauit, ſpirituales autem verbo pietatis. Sicut enim medicina languenti corpori, ſic verbum prodeſt animæ ęgrotanti. Deinde vide quòd non prius poſuit, Sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem: ſed primùm, Prædicans & docẽs Euangelium regni, & poſteà ſanans, propter duas cauſas. Primùm, quia miracula virtutum ædificant animas ſecundùm verba pietatis. Ideo autem pręmittitur, quòd magis neceſſarium æſtimatur. Deinde quia * non verba pietatis virtutes miraculorum commendant, ſed virtutes miraculorum veritatis ſermones. Nec ideo credebatur Chriſtus poſſe facere virtutes, quia veritatem prędicabat: ſed ideo credebatur veritatem prædicare, quia poterat facere virtutes. *Et obtulerunt ei omnes malè habentes, & curauit eos.* In quibuſdam locis ponit, Et multos curauit, ſicut & ibi: Et quotquot tetigerunt eum, ſanati ſunt. Hìc autem ſimpliciter dicit, Et curauit eos: ſignificans quia omnes curauit. Sicut nouicius medicus intrãs in ciuitatem, & volens oſtentationes dare artificij ſui, omnes venientes ad ſe curat: & non tantum cogitat de mercede accipienda, quantum de opinione ſua commendanda. Cùm autem manifeſta fuerit fama eius bona, tunc ſecundùm laborẽ ſuum incipit exigere & mercedem. Sic & Dominus incipiens prædicare, non ſecũdùm iudicium quoſdam, ſed omnes indifferenter ſanabat: poſtquam verò illum omnis Iudæa cognouit, beneficia ſanitatum digno precio fidei venundabat, dicens vnicuique, Fiat tibi ſecundùm fidem tuam. Non tamen omnes, ſed illos, quos ſecundùm pręſcientiam ſuam ante præparauerat, quàm venirent.

* quia miracula virtutum nõ ædificant animas, ſed verba.

Marc. 1. Ibid. 3. — Infr. 9.

Homilia IX. ex cap. V.

VIDENS *autem Ieſus turbas multas, aſcendit in montem.* Omnis artifex ſecundùm profeſſionem ſuam, opportunitatẽ operis videns, gaudet. Carpentarius ſi viderit arborem bonam, concupiſcit eam præſcindere ad opus artificij ſui: agricola ſi viderit terram pinguem, deſiderat eam arare. Et quid dico de rationalibus hominibus? ipſe irrationalis equus de ſtabulo exiliens, ſi viderit campos patentes, rapit frænum, & excitatur ad curſum: ſic & dominus videns magnam congregationem populi, excitatus eſt ad docendum. Sic & omnis ſacerdos cùm viderit Eccleſiam plenam, gaudet animus eius, & delectatur vt doceat. ſi autem viderit Eccleſiam vacuam, confunditur, & nihil dicere poteſt. *Aſcendit in montem.* Nunquid non poterat ibi docere, vbi iam populus erat? Sed propter duas rationes aſcendit in montem. Primùm, vt impleret prophetiam Eſaiæ dicentis: Eſa. 40. Super montem excelſum aſcende tu, qui benè annuncias Sion. Deinde, vt myſterium pietatis oſtenderet. Aſcenſio enim eius eſt altitudo virtutum. Aſcendit ergo in montem, vt oſtendat nobis quoniam in altitudine ſpiritualium virtutum conſiſtere debet qui docet iuſtitiam Dei, pariter & qui audit. Nota. Qui docet, verborum ſuorum ſit ipſe exemplum, vt magis opere doceat quàm ſermone, ſicut ait Apoſtolus ad Timotheum: 1. Tim. 4. Exemplo eſto omnium fidelium. Qui autem ambulat per conuallia vitæ terrenæ, obſcuras ſemitas calcat, & loquitur altos ſermones: non alterum inſtruit, ſed ſeipſum caſtigat. Nemo enim poteſt in valle ſtare, & de monte loqui: ſed aut vbi ſtas, inde loquere: aut vnde loqueris, ibi ſta. Si in terra eſt animus tuus, vt quid de cœlo loqueris? Si ergo in terra tu ſtas, de terra loquere: ſi autem de cœlo loqueris, in cœlo conſiſte, vt dicas cum Apoſtolo: Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt. Philip. 3. Ille autem populus qui audit iuſtitiam Dei, ideo debet in altitudine bonorum operum conſiſtere, quia diſcipulus imitator debet eſſe magiſtri. Si autem in peccatis viuas, & audias iuſtitiæ verba docentem, iudicium tibi, non ſalutem acquiris. Audis enim, vt ne ignorantiæ vel excuſationem habeas ante Deum. Ecce homo, ſi quamcunque artem ex toto corde voluerit diſcere, puta pingere aut ædificare, cùm frequenter magiſtrum ſuum audierit aut viderit, tollit ſe in ſecreto, & accipit ferramentum, & ipſe ſe tentat, ſi poteſt iam facere quod frequenter audiuit vel vidit. Sic & tu ſi facere iuſtitiam non vis, vt quid prædicatorem iuſtitiæ audis? vt quid doctorem illum appellas, cuius non vis eſſe diſcipulus? Intellige ergo: dico enim tibi rem naturalem, ſecundùm loci iſtius ſcripturam. Si tu es ſuper montem, & prædicator in valle, tu ſurſum conſtitutus audis vocem illius, quia vox melius ſurſum aſcendit: ſi autem tu ſteteris in valle, & doctor tuus ſuper montem loquatur, non multum tibi proficit loquela ipſius. Ergo in primo loco populus ſe debet conſiderare qualis ſit, in ſecundo loco qualem habeat ſacerdotem: quia doctor malus bono populo non multum nocet, bonus autem doctor malo populo nõ multum prodeſt. Nunc autem populus ſeipſum non videt, quem primùm videre debet: ſed ſemper ſedens iudicat de moribus ſacerdotum. Ideo ergo præſens ſcriptura nos docet, vt tam doctor quàm populus ſuper montem ſanctitatis aſcendat, qui vult audire pietatis doctrinam. Aut certè ita: Mons Eccleſia appellatur, de quo dicit propheta: Mons Dei, mons vber. Pſal. 67. Aſcendit ergo Chriſtus in montem, vt illic diſcipulis ſuis myſteria traderet veritatis, oſtendens quoniam omnis qui vult diſcere myſteria veritatis, in montem Eccleſiæ debet aſcendere: ſed * non in omnem montem, ſed in montem vberem. Sunt enim & hæreticorum montes, non autem vberes, ſed coagulati: in quibus non veritatis myſteria traduntur, ſed mendacia expugnantia veritatem. Ideo & eos qui in tales montes aſcendunt, reprehendit Spiritus ſanctus per prophetam dicens: Vt quid ſuſpicitis montes coagulatos? Ibidem. Pſal. 118. Coagulati enim dicũtur hæreſium Eccleſiæ, quia coagulatum eſt ſicut lac cor eorum. *Beati pauperes ſpiritu.* Quanuis ipſas beatitudines exponat ex parte & Euãgeliſta Lucas, tamen iſtæ beatitudines perfectiores illis intelligẽdæ ſunt: Luc. 6. quoniam illæ in loco cãpeſtri dictæ ſunt, iſtæ autem perfectis ſuper montem. Illæ mediocribus, iſtæ autem perfectis, & rectoribus populorum, ſicut fuerunt apoſtoli, ad quos dicta ſunt hæc cuius differentiæ rationem largius expoſuimus ibi. Ideo illic ſimpliciter pauperes dixit: hìc autem pauperes ſpiritu. Pauper ſpiritu, eſt humilis corde: id eſt pauperem ſpiritum habens, qui non magna ſapit de ſe. Pauper ſpiritu quis. Sicut ex diuerſo, diues ſpiritu, intelligitur magna de ſe ſapiens, & ſuperbus qui non implet mandatum Chriſti, dicentis: Niſi conuerſi facti fueritis ſicut puer iſte, non intrabitis in regnum cœlorum. Infr. 18. Qui enim iam conuerſus factus eſt ſicut puer, ille eſt & pauper ſpiritu. Et qui pauper eſt ſpiritu, ille conuerſus factus eſt ſicut puer. Et ſecundùm Rom. 13. teſtimonium quidem Chriſti, & Apoſtoli, plenitudo legis dilectio eſt: tamen nutrix dilectionis humilitas eſt, & totius mali odij mater ſuperbia. Ergo totius boni initium humilitas eſt, & totius mali ſuperbia. Denique perditionis initium à ſuperbia cœpit per diabolum, initiúmque

* al. quia non.

tiúmque ſalutis ab humilitate per Chriſtum: propterea conuenienter & omnium beatitudinum humilitatem fecit initium. Et quare non manifeſtè dixit, Beati humiles ſpiritu? Ego hunc potui tantummodo rationis inuenire colorem, vt non ſolùm humiles oſtendat, ſed etiam indigentes humiles, qui ſic ſunt humiles, vt ſemper adiutorium Dei ſint mendicantes. Vnde in Græco non dicit, Beati pauperes: ſed, beati egeni, vel beati mẽdici. Nam pauper eſt qui anguſtiam quidem habet, non autem tantam, vt mendicare cogatur. Pſal. 40. Secundùm quam differentiam & propheta dicit: Beatus qui intelligit ſuper mendicum & pauperem. Ergo ideo dicit, Beati mẽdici ſpiritu, vt in vltima neceſſitate humiles oſtendat. Si ergo dixiſſet, Beati humiles ſpiritu, nihil amplius ſignificaſſet, quàm humiles: nunc autem & humiles, & ſecundùm fidem humiles, & intelligentes vnde ſit adiutorium hominis. Sunt enim multi naturaliter humiles ſpiritu, & non ex fide. Hi tales non pulſant adiutorium Dei. Qui autem ſecundùm fidem humiles ſunt, & intelligentes, dum nimis timent de ſe, adiutorium Dei pulſare non ceſſant. *Quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Quid enim aliorum virtutes alias ſtudentium, non eſt regnum cœlorum? Etiam. Nam ſicut cætera vitia deponunt ad inferos, maximè tamen ſuperbia, quia radix omnium malorum ſuperbia eſt: ſic & omnes virtutes inducunt in regnum cœlorum, maximè tamen humilitas, quia radix omnium malorum ſuperbia eſt: ſine dubio & radix omnium bonorum humilitas eſt: & quia proprium eſt, vt qui ſe exaltat, humilietur: ſic & qui ſe humiliat, exaltetur. Luc. 14. & 18. *Beati qui lugent.* Et qui ſua quidem peccata lugent, beati ſunt, id eſt mediocres beati: beatiores autem ſunt, qui aliena lugent peccata: quoniam qui aliena lugent peccata, certum eſt quia non habent ſua quæ lugeant. Tales conuenit eſſe doctores omnes, & qui ſunt ſuper montem. Nam cùm ſint omnes doctores populi Chriſtiani patres, quomodo poſſunt eſſe ſine luctu, cùm videant quotidie Chriſtianorum animas vſque ad infernum cadentes? Nam de angelis, qui exituri ſunt in fine ſæculi, vt ſignent ſeruos Dei, qui lugent de alienis peccatis, ſic ſcriptum eſt per Ezechielem: Ezech. 9. Ite per Hieruſalem, & ſignate omnes qui lugent ſuper iniquitates quæ fiunt in medio Hieruſalem. Hieruſalem enimuero eſt Eccleſia Chriſti, cuius fundamẽta ſunt in montibus ſanctis. *Quoniam ipſi conſolabuntur.* Si conſolatio lugentium eſt ceſſatio luctus pœnæ: quoniam qui ſua lugent peccata, conſecuti indulgentiam conſolabuntur in ſæculo illo: qui aliena lugent peccata, quomodo in ſæculo illo conſolabuntur? Nunquid deſinent de peccatoribus * lugere? Etiam. Quoniam quandiu ſunt in mundo, neſcientes prouidentiam Dei, nec intelligentes ad plenum qui diabolo compellente delinquunt, & qui non ex propoſito malo diligunt mala, omnes peccantes lugent, omnes à diabolo circumueniri & cogi putantes. Cùm verò in ſæculo illo prouidentiam Dei cognouerint, & intellexerint manifeſtè, quoniam qui Dei fuerunt, perire non potuerunt: qui autem perierunt, non fuerunt Dei, quia de manu Dei nemo rapere poteſt: depoſito de eis luctu, conſolabuntur: & ſine mixtura alicuius doloris, in ſua ſola beatitudine lætabuntur. Nam quandiu charitas eſt ſanctorum ad peccatores, & luctus eſt. Ibi autem nec charitas eſt ſanctorum ad peccatores, nec luctus, etiam ſi propinqui fuerint: Luc. 16. ſicut docet parabola, in qua diues dicit ad Abraham: Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia grauiter crucior in hac flamma. Nunquid miſertus eſt ibi Abraham ſuper filium ſuum ardentem? Nam qui fuerat epulator, in qua parte corporis ſui plus peccauerat, id eſt in gula, in ea amplius torquebatur. *Beati manſueti.* Manſuetus enim neque irritat malum, neque irritatur à malo, neque aduerſus eũ præualet cauſa peccati, neque aduerſus alterum aliquãdo ex illo naſcitur cauſa peccandi: ſed magis contentus eſt iniuriam pati, quàm facere. Manſuetus quis. Nam niſi contentus fuerit homo vt noceatur, nunquam poteſt eſſe ſine peccato: quia ſicut & zizaniæ nunquam ſunt minus in agro, ſic non ſunt minus irritatores in mundo. Ille eſt ergo verè manſuetus, qui cùm nocitus fuerit, nec cogitat malum facere, nec facit. *Quoniam ipſi hæreditabunt terrã.* Sine dubio terram viuorum, de qua ſcriptum eſt, Credo videre bona Domini in terra viuentium. Pſal. 26. Terra autem hæc, ſicut quidam dicunt, quandiu eſt in hoc ſtatu, terra eſt mortuorum, quia vanitati ſubiecta eſt: cùm autem liberata fuerit de corruptionis ſeruitute in libertatem gloriæ filiorum Dei, terra fit viuorum, vt immortales hæreditent immortalitatem. Alterum exponentem legi, quaſi cœlum in quo habitaturi ſunt ſancti, dicatur terra viuorum: quæ quantum ad noſtram regionem inferiorem cœlum eſt: quantum autem ad illud ſuperius cœlum, terra dicitur. Alij dicunt, quia corpus noſtrum terra eſt, & quandiu quidem ſubiaceat morti, terra eſt mortuorum: cùm autem fuerit transformatum, & conforme factum corpori gloriæ Chriſti, erit terra viuorũ, & hæreditabunt eam æternam æterni: & ſpiritalem & ſanctam ſpirituales & ſancti. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam.* Eſurire & ſitire iuſtitiam, eſt deſiderare iuſtitiã Dei. Vt ſiue faciant homines iuſtitiam Dei, ſiue audiãt, non quaſi inuiti audiant vel faciant iuſtitiam Dei, ſed ex deſiderio cordis: quoniam omne bonum, quod non ex amore ipſius boni faciunt homines, ingratum eſt ante Deum. Vnde Dominus per Ioannem, non omnes ſimpliciter vocabat ad potum, ſed tantummodo ſitientes, dicens: Qui ſitit, veniat ad me, & bibat. Ioan. 7. Æſtimo quòd non ſine ratione eſurire dixit iuſtitiam & ſitire. Nunc ergo eſurit iuſtitiam, qui ſecundùm iuſtitiam Dei deſiderat conuerſari, quod eſt recti cordis. Sitit autem iuſtitiam, qui ſcientiam Dei acquirere cupit, quam poteſt conſequi ex ſtudio ſcripturarum, quod eſt docilis viri. *Quoniam ipſi ſaturabuntur.* Videlicet largitate remunerationis Dei. Quoniam maiora erunt præmia Dei, quàm deſideria auara ſanctorum. *Beati miſericordes, quoniam ipſis miſerebitur Deus.* Non tantùm ille miſericors eſt, qui miſeretur aut pauperi, aut pupillo, aut viduæ: hæc enim miſericordia & apud illos inuenitur frequenter, qui non cognoſcunt Deum. Ille autem verus miſericors eſt, qui inimico proprio miſeretur, & benefacit ei, ſecundùm quod ſcriptum eſt: Diligite inimicos veſtros, & benefacite eis qui vos oderunt. Luc. 6. Infrà. Nam & Deus non ſolùm ſuper gratos pluuiam dat, aut ſolem ſuum iubet oriri, ſed etiã ſuper ingratos. Vnde & ita dicit: Eſtote miſericordes, Luc. 6. ſicut & Pater veſter miſericors eſt, &c. Et verè beatus eſt ille talis, quoniam miſericordia eius, ſiquidem non habet peccatum, quod difficile eſt in hominibus, proficit illi ad additamentum iuſtitiæ: ſi autem habet, ad remiſſionem peccati, quoniam poteſt fiducialiter dicere, Dimitte mihi debita mea, ſicut & ego dimitto debitoribus meis. Infr. 6. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbũt.* Dupliciter eſt videre Deum, & in hoc ſæculo, & in illo. In hoc quidem ſæculo, ſecundùm quod ſcriptum eſt: Qui videt me, videt & Patrem meũ. Ioan. 14. Mundo enim corde ſunt, qui non ſolùm non faciunt malum, nec cogitãt: ſed adhuc etiam qui omne bonum & faciunt ſemper, & cogitant. Quia eſt interdum facere bonum, & non cogitare, qui non propter Deum faciunt bonum, & tale bonum non remunerat Deus: quia non remuneratur à Deo bonum quod fit, ſed id quod benè fit. Qui autem

* al. peccatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

propter Deum facit bonum, sine dubio & cogitat bonum. Qui ergo omnem iustitiam facit, & cogitat mente sua, Deum videt, quoniam iustitia figura Dei est. Deus enim iustitia est. Secundùm ergo quod eripuerit se quis à malis, & fecerit bona: secundùm illud & Deum videt, aut turbulentè, aut mundè, aut modicè, aut amplius aut ex parte, aut perfectè, aut interdum, aut semper, aut secundùm possibilitatem humanam. Hoc ipso modo & qui malè agit & cogitat, diabolũ videt, quia omne malum diaboli est figura. In sæculo autem illo hoc modo mundi corde Deum videbunt facie ad faciem, iam non per speculum in ænigmate sicut hîc. *Beati pacifici, quoniã filij Dei vocabuntur.* Pax est vnigenitus Deus, de quo dicit Apostolus: Ipse enim est pax nostra. Qui ergo pacẽ diligunt, filij sunt pacis. Pacifici autem non solùm dicuntur, qui inimicos in pace reconciliant: sed etiam illi qui immemores sunt malorum, ipsi diligunt pacem. Multi enim sunt qui aliorum quidem inimicos libenter in pace reconciliant, & ipsi inimicis suis nunquam ex corde reconciliantur. Isti tales, illusores sunt pacis, non amatores. Pax enim illa beata * est, quæ in corde posita est, non in verbis. Vis cognoscere qui est verè pacificus? audi prophetam dicentem: Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Id est, lingua tua malum sermonem non dicat. Sicut enim ignis de modica scintilla magnum conflat incendium: ita & sermo malus de leui occasione magnam succendit inimicitiam. Illius labia dolum loquuntur, qui pacem portat in labiis, & maliciam seruat in corde. Si Christianus es, aut quod loqueris, hoc cogita: aut quod cogitas, hoc loquere. Diuerte à malo, & fac bonum. Non dixit, noli accedere ad malum, sed recede à malo. Ille autem iubetur recedere, qui accessit. Sciens ergo misericors Deus incontinentiam nostram, quoniam si dixisset, noli accedere ad malum: aut pauci, aut nullus hoc poterat adimplere: nam pene omnes homines parati sunt ad malum, ideo sic dicit: Bonum quidem fuerat, si nec accederes ad malum: si autem quasi homo naturæ carnalibus motibus excitatus accessisti ad malum, saltem vel propter considerationem diuini timoris recede à malo. Quoniam accedere ad malum, forsitan secundùm carnem humanæ infirmitatis est: permanere autem in malo, & exequi malum, malignitatis est, & non infirmitatis. Inquire pacem, & sequere eam. Non dixit, si te pax sequatur, suscipe eam: sed & si te fugerit, sequere eam. Vtputa si (quod humanum est) cum aliquo feceris litem, siquidem ille te prius inuitat ad pacem, pax te sequitur, cum gaudio suscipe eam. Quod si ille quasi malus permanet in malo, pax absconditur ab oculis tuis: tu quasi filius pacis pulsa ianuam pacis, & hoc est inquirere pacem. Nec dicas, ille mihi prior iniuriam fecit, & prius me debet rogare. Gloriosior es tu, si nocitus pacẽ petieris, quàm si vindictam desiderares. Quære ergo pacem, vt inuenias præmium pacis. *Beati enim pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Non dixit, beati qui à gentibus persecutionem patiuntur, ne putes illum solùm beatum, qui persecutionem patitur propter idola non colenda. Ideo & qui ab hæreticis persecutionem patitur, propter veritatem non relinquendam, beatus est: quia propter iustitiam patitur. Gentiles enim Christum denegant, hæretici autem veritatem Christi. Qui autem veritatẽ Christi denegat, ipsum denegat Christum. Christus enim veritas est. Et ideo hæretici, qui non propter Christum persecutionem faciunt, sed propter veritatem Christi, in prima facie Christiani videntur, reuera autem gentiles sunt. Non solùm hæreticus, sed etsi aliquis ex potentibus, qui videntur esse Christiani, forsitan propter peccata sua correptus, factus fuerit tibi inimicus, & persecutus te fuerit, beatus es cum Ioanne. Nam & Ioannes Baptista neque propter gentilitatem, neque propter hæresim interfectus est, sed quia corripiebat Herodem propter adulterium eius. Sed & omnes prophetæ neque à gentilibus regibus, sed à suis occisi sunt: non propter gentilitatem, sed quia corripiebant eorum peccata. Si autem qui à suis ipsis propter causam Dei aliquid patitur, non habet mercedem, nec prophetæ habuerunt. Si autem verum est quod Prophetę martyres sunt, sine dubio & qui propter causam Dei aliquid patitur, etsi à suis patitur, mercedem habet. Ideo nõ potuit scriptura personas persequentium, sed solam causam persecutionis, vt tu non aspicias quis te persequitur, sed vt quid te persequatur. Quid ergo si quis te persecutus fuerit non propter causam Dei, sed propter priuatam rem? vtputa, vt auferat aliquam rem tuam: ille quidem qui te sine causa est persecutus, reus est: tu autem beatus non es, quia nõ propter iustitiam persecutionem passus es, sed propter priuatam causam. Planè si volueris illud implere, quod dictum est: Qui te percusserit ad maxillam vnam, præbe illi & alteram: & qui vult auferre quæ tua sunt, noli vetare, tunc verè beatus es: quoniam etsi ab initio nõ propter causam Dei persecutionem patiebaris, posteà tamen aut damnum aut iniuriam passus es propter Deũ. Si autem restiteris etiam cum peccato, & non potueris pati, beatitudinis perdidisti mercedem. *Beati eritis, cùm vos exprobrauerint homines.* Postquam locutus est de persecutionibus sustinendis, tanquam si respondeat quis ad Deum: Domine, quid si persecutionem quidem passi non fuerimus propter te, vel propter iustitiam tuam, in opprobrium autem venerimus, & in blasphemiam hominum iniquorum? Beati, inquit, eritis non solùm cùm persecutionem passi fueritis, sed etiam cùm vos exprobrauerint homines. Ecce multi homines propter causam quidem Dei fiunt nobis inimici, sed nõ apertè nos persequuntur, forsitan quia nec possunt: tamen circumeuntes omnia, blasphemant nos & dicunt de nobis quæ sunt probrosa. *Beati eritis cùm vos exprobrauerint homines, & dixerint omne verbum malum aduersum vos, mentientes propter me.* Sicut enim verum est, quoniam qui calicem aquæ nobis porrexit, merces eius non perit: sic qui vel vnius leuissimi verbi nobis iniuriam fecerit, anima nostra vacua non erit à mercede. Vt ergo blasphematus sit beatus, duo hæc conuenire debent: Vt mendaciter blasphemetur, & propter Deum blasphemetur, alioqui si vnum defuerit, iam non est beatitudinis merces. Vtputa si quis dixerit de te quod est turpe mendacium, sed non propter causam Dei, sed propter priuatam aliquam inimicitiam dolẽs, ille quidem peccauit, tu autem mercedem iustitiæ non habes: nisi fortè cùm possis reblasphemare, nõ reblasphemasti propter iustitiam Dei: aut cùm possis te reuindicare, non reuindicasti: & tunc beatus es, & causa priuata facta est tibi causa Dei. Quòd si propter causam quidem Dei blasphematus es, tamen quod dictum est de te malum, verum est: iterum non es beatus, quia verum dictum est de te: & illa blasphemia pertinet tibi non ad mercedem iustitiæ, sed ad vindictam peccati. Ideo vtrunque posuit, & mentientes, & propter me. *Gaudete & exultate.* Quare? *Quia merces vestra multa est in cælo.* Ponderate confusionem terrenam cum gloria cœlesti, & videte si non multò leuius est, quod patimini super terram, quàm quod expectatis in cœlo. Sed fortè dicis, Quis potest blasphematus mendaciter, non dicam gaudere, sed vel magnanimiter ferre? Quisquis vana gloria non delectatur. Qui enim concupiscit quæ in cœlo sunt, opprobria non timet in terris: nec cogitat quid loquantur homines propter ipsum, sed quid iudicet

1. Cor. 13. Pacifici qui. Ephes. 2.

* bona.

Psal. 33.

Infr. 14.

Infr. & Luc. 6.

Infr. 10.

iudicet Deus de ipso. Qui enim lætatur de laude hominum, & quantum lætatur, tantum contristatur: ille & de vituperatione hominum contristatur, & tantum contristatur, quantum lætatur. Qui autem de laude hominum non extollitur, nec de vituperatione humiliatur. Vnusquisque vbi gloriam quærit, illic timet confusionem. Qui gloriam quærit in terris, confusionem timet in terris. Qui autem gloriam non quærit nisi tãtummodo apud Deum, ille non timet confusionem, nisi tãtummodo Dei. Si miles periculum belli sustinet, dum sperat victoriæ * prædam: quantò magis vos opprobria mundi non debetis timere, qui regni cœlestis præmium expectatis?

* in corpore.

Homilia X. ex cap. V.

Vos *estis sal terræ: quod si sal euanuerit, in quo salietur?* &c. Quasi interrogantibus Apostolis, ad quos sit omnia ista locutus, vtrũ generaliter ad populum, aut ad ipsos: volens ostendere quoniam ad ipsos præcipuè hæc loquebatur, addit, vos estis sal terræ. Hoc quod dicit, vos estis sal terræ, ad illud respicit, quod superius dixit: quia doctor omnibus virtutibus debet esse ornatus. Debet esse pauper, vt auaritiam libera voce castiget. Debet esse semper suspirans & lugens, siue sua, siue aliena delicta, vt confundat eos qui nec peccare dubitant priusquam peccent: nec postquam peccauerunt, tristantur quia peccauerunt. Ideo suspiret & plangat, vt per hoc ostendat, quia grauis & periculosus est mundus iste fidelibus. Debet esuriens & sitiens esse iustitiam, vt pigros circa opera bona, vel lectionem, fiducialiter verbo Dei aut * increpationis flagello valeat excitare, magis exemplo suo, quàm voce. Debet esse mansuetus, vt magis indulgendo quàm vindicando regat Ecclesiam: vt magis ametur, quàm timeatur. Debet esse misericors aliis, sibi autem austerus, vt sibi quidem graue pondus iustitiæ ponat, aliis autem leue. Debet esse mundo corde, vt non solùm non se immisceat circa negocia secularia, sed nec cogitet de mundo. Sicut enim oculus quantò mundior fuerit, tantò longius videt: sic & anima quantò longius fuerit à solicitudine mundiali, tanto amplius Deo proximior est. Cuius autem cordis oculus mundum aspicit, illius mens non potest Deum videre. Sit autem pacificus, vt tota Ecclesia eius, quasi vna sit anima. Vbi autem concordia non est, nec oratio illic exauditur, nec oblatio suscipitur: quia nec ibi est Deus, vbi discordia dominatur. Debet autem & paratus ad passionem esse, non vana desideria martyrij habens, sed constantiam fidei martyribus dignam. Nam quantum ad sapientes, & miles non ille paratus dicitur ad bellum, qui concupiscit exire, sed qui potens est exire. Si ergo omnibus his virtutibus fuerit ornatus, tunc est quasi optimum sal, & totus populus de illo conditur magis videndo eum, quàm audiendo. Nam prima doctrina est videre bonum, secunda autem audire. *Vos estis lux mundi.* Dum consideramus quod opus est salis, quod lucis: admonet nos, vt quæramus ob quam causam Apostoli sali sunt comparati, ob quam autem causam luci. Salis opus est, rem in eo statu tenere, in quo inuenerit eam, vt ad deterius eam mutari nõ sinat, ad melius autem perducere non potest. Vtputa tenet carnem ne putrescat, putridam autem non potest tenere incorruptam. Lucis autem opus est, ipsas soluere tenebras, & ea quæ fuerunt in tenebris, illustrare: sic & Apostoli, cæterique doctores, sal quidem sunt populi Christiani iam cognoscentis Deum, seruantes eum in ipsa agnitione Dei, & sanctitate, id est terræ cultæ, quæ iam verbo crucis, quasi vomeri, aratróque subiecta est. Lux autẽ sunt Gentium producentes eas ad scientiæ lumen, vel cæterorum qui fortè in Ecclesia ceciderunt in tenebris peccatorum. Item bona conuersatio sacerdotis sine verbo, tenet quidem sanctos in sanctitate per suum exemplũ, adducere autem ignorantem ad scientiam veritatis nõ potest. Item verbum quidem ignorantem adducere ad scientiam veritatis & sine conuersatione bona potest: tenere autem in fide vel sanctitate, absque bona cõuersatione non potest, magis autem & scandalizat: sicut in sequentibus ostendemus. Ergo propter bonam conuersationem suam sacerdotes sunt sal, quoniam bona conuersatio sacerdotum conditura populi est. Propter verbum autem doctrinæ lux, quoniam verbum, ignorantię lumẽ est. Prius autem vocauit eos sal, postea autem lux, aut quia prioris loci est seruare quos habes, secundi autem vocare quos non habes. Aut quia prius est bene viuere, secundum autem benè docere. Nam per bonam conuersationem ascenditur sine dubio ad scientiam: à scientia autem nescio si ad bonam conuersationem omnimodo veniatur. Propterea scientes quidem, sine timore Dei multos videmus: timentes autem Deum, sine scientia nullum videmus. Aut quia propter Iudæos priores dicti sunt sal, non adducentes eos ad scientiã Dei, sed cõdientes ipsos in ipsa scientia. Lux autem propter gentes in secundo loco vocatas: ideo & per comparationem congruam introducens addidit, dicens: *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Quanuis enim ipsa voluerit esse velata, * mons ipse qui portat eam, facit eam omnibus manifestam: sic & Apostoli, & sacerdotes qui fundati sunt in Christo monte excelso, non possunt esse absconditi: Etsi voluerint se abscondere, Christus ipse manifestat eos qui baiulat eos. Quæ est hæc ciuitas? Ecclesia est sanctorum, de qua dicit propheta: Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Ciues autẽ eius sunt omnes fideles, de quibus dicit Apostolus: Vos estis ciues sanctorum, & domestici Dei. Turres illius sunt Prophetæ, de quibus dictum est: Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Sicut enim de turribus iacula contra omnes hostes iactãtur: sic de propheticis libris, contra vanas Gentilium fabulas, & contra insanas hæreticorum disputationes salutaria veritatis proponuntur exempla. Portæ autem eius sunt Apostoli, de quibus dictum est: Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob: Quia per illas totus populus intrat ad fidem. Muri autem illius sunt sacerdotes, cæterique doctores, de quibus dicit Propheta ad hanc Hierusalem spiritualem: Et alienigenæ ædificabunt muros tuos: Quoniam ex Gentibus vocati, facti sunt sacerdotes, & gubernatores Ecclesię. Sicut enim muri omnem Gentilium & hæreticorum impetum ipsi suscipiunt, qui tãquam arietibus quibusdam, sic assiduis persecutionibus feriunt clerum, id est murum Ecclesiæ. Et sicut mortiferas sagittas, sic insana verba peruersæ cogitationis * eorum, de impia cordis pharetra procedentia, doctores quasi lapides viui suscipiunt, & fidei virtute constringunt. * Hæc ergo ciuitas posita est super montem: id est Apostoli, Prophetæ, cæterique doctores ædificati in Christo. Mons enim Christus est, de quo ait Daniel: Ecce lapis excisus est sine manibus, & factus est mons magnus, & occupauit totam terram. Nũc per alteram comparationem vult ostendere, quare sanctos suos ipse Christus manifestat, & non finit eos esse absconsos. Id est, *quia nec qui accendunt lucernam, ideo eam accendunt, vt ponant sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Qui sunt accensores lucernæ? Pater & Filius. Quæ est illa lucerna? Verbum diuinum, de quo dictum est: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Vt luceat: id est appareat, & illuminet, qui sunt

* vel lectione fidei, vel.

Salis operatio.

Lucis opus.

* celata.

Psal. 86.

Ephes. 2.

Psal. 121.

* confessionis.

* constringunt.

Dan. 2.

Psal. 118.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel in domo Eccleſiæ, vel in domo omnium mundorũ. Quod eſt candelabrum? Eccleſia, quæ baiulat verbum
Philip.2. vitæ. Conſequenter dicit & Paulus: Inter quos lucetis ſicut luminaria in ſæculo, verbum vitæ continentes. Conſequenter & omnis eccleſiaſticus vir, habens verbum Dei dicitur candelabrum. Modij autem ſunt homines mundiales, vacui à Deo, & ab omnibus quæ ſunt Dei. Dicuntur autem modij, quoniam ſicut modij deſuper quidem vacui ſunt, deſubtus autem pleni: ſic omnes mũdi amatores & carnis, in ſpiritualibus quidem & diuinis quæ ſuperiora rectè eſſe dicuntur, vacui ſunt & inſenſati: in inferioribus autem, id eſt in mundialibus & terrenis aliquatenus pleni videntur & ſapientes. Propterea ſicut in modio ſi volueris aliquid reponere, neceſſe eſt vt cadat deorſum ad inferiora eius, & tenebroſa: ſic homini carnali, & mundiali, & vacuo, ſi dixeris aliquid quod eſt Dei, non illud tenet in ſuperiore parte mentis ſuæ aut cordis: nec portat illud in ore, ſed confeſtim cadit de mente eius & corde deorſum in terrena, & tenebroſa, vt nec illi proſit nec aliis. Si autem & aliqua tentatio facta fuerit propter verbum veritatis, ſtatim reuerſatur in terram, & aſpiciés terram quaſi modius, verbum Dei ſub ſe tenet abſconditum. Reuerſatus eſt enim & aſpiciens terram, & abſcondens verbum ſub ſe, quando propter aliquam cauſam terrenam non
* inuidias. eſt auſus palàm proloqui fidei veritatem, aut iniurias * carnales timẽs, aut mortem, aut damna, aut cætera quæ obſtruunt carnales homines, vt verbum quod crediderunt, liberè non audeant profiteri. Nunc autem ſciens, quoniam ille eſt laudabilis doctor, qui facit quod docet, addidit & dicit: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & magnificent patrem veſtrum*
Nota. *qui in cœlis eſt.* Id eſt, ſic illuminate, docete, non vt verba veſtra tantummodo audiant homines, ſed vt opera veſtra bona videant, vt quos illuminaueritis per verbum quaſi lux, condiatis per exempla operum veſtrorum quaſi ſales: quoniam qui docet, & facit quod docet, ve- C rè ille docet: qui autem non facit quod docet, non aliũ docet, ſed ſeipſum condemnat. Et melius eſt facere, & non docere, quàm docere & non facere. Quoniam qui facit etſi tacuerit, aliquos corrigit ſuo exemplo: qui autem docet, & non facit, non ſolùm neminem corrigit: ſed adhuc multos ſcandalizat. Quis enim non moueatur ad peccandum, cùm viderit ipſos doctores pietatis peccantes? Ergo per illos quidem doctores qui docent & faciunt, magnificatur Deus: per eos autem qui docent, & non faciunt, blaſphematur. Vtputa, ſi benè doceant ſacerdotes, & melius viuant, vidẽtes Gentiles dicunt: Benedictus Deus, qui tales habet ſeruos. Verè enim eorum Deus, verus eſt Deus. Niſi enim ipſe eſſet iuſtus, nunquam populum ſuum circa iuſtitiam ſic teneret. Nam diſciplina domini ex moribus familiæ demõſtratur. Non ſicut noſtri philoſophi, qui magna loquuntur, & nec modica faciunt. Si autem benè doceant, & malè conuerſentur, videntes dicunt: Qualis eſt Deus D eorum, qui talia agunt? Nunquid ſuſtineret eos talia facientes, niſi conſentiret operibus eorum? Patres noſtri, ſicut illi exiſtimant, idola colentes, omnem iuſtitiam ſeruauerunt: iſti autem glorioſos loquuntur ſermones, & ignominioſa opera faciunt. Vides quomodo Deus per malos Chriſtianos blaſphematur? Nec poteſt dominus bonam opinionem habere, qui malam familiã habet. Vnde dictum eſt ad populum Dei: Nomen enim
Eſa.52. Dei per vos blaſphematur inter Gentes: *Nolite putare quia veni ſoluere legem, aut prophetas.* Propter duas cauſas dicit non ſe veniſſe vt ſolueret legem, ſed vt adimpleret. Primùm, vt diſcipulos ſuos, quos omnibus bonis operibus adornatos eſſe debere ſupra docuerat, his verbis ad ſuum prouocaret exemplum: vt quemadmodum ipſe omnem legem implebat, ſic & illi omnia etiam minima legis feſtinarent implere. Deinde quia futurum erat, vt Iudęi calumniarentur eum in ſabbatis operantem, & le- Luc.6.& 14.
pram tangentem, quaſi ſoluentem legem, ideo priuſquam incurrat in calumniam, calumniatoribus ſatisfacit, dicens: Nolite putare quia veni ſoluere legem, aut prophetas: non veni ſoluere, ſed adimplere. Lex & pro- Pſal.48.
phetæ duo hæc agunt. Et de Chriſto prophetizant * & al. baptiz. zant.
legem viuendi conſtituunt: quæ vtraque Chriſtus impleuit, De ſe quidem ſic, quando natus eſt, & vocatus eſt Emmanuel: quando circunciſus eſt: quando præſentatus eſt in templum, & oblatum eſt pro illo ſacrificium, ſcilicet duo turtures, aut duo pulli columbini: quando in Ægyptum fugit, legem adimpleuit: quando in Nazareth conuerſatus eſt: quando cum aſino in templum ingreſſus eſt: quando à pueris laudatus eſt: quando crucifixus eſt inter iniquos: quando felle & aceto potatus eſt: B quando in manibus patris ſui ſpiritum commendauit: quando veſtimenta ſua diuidenda reliquit: quando deſcendit ad inferos, & viſitauit omnes dormiẽtes: quando aſcendit in ſtrepitu: quãdo ſedit ad dexteram patris: quando adhuc venturus eſt vocans terram à Solis ortu vſque ad occaſum: quando ſederit in valle Ioſaphat, & iudicauerit omnes gentes, adimplet prophetias: quia niſi hęc facta fuiſſent, mendaces erant prophetæ: nunc autem omnes impleti ſunt, & adhuc implebuntur, cùm ſtellæ ceciderint, cùm ſol tenebratus fuerit, cùm luna ſanguineo colore mutata fuerit, cùm cœlum plicatum fuerit ſicut liber. Secundum autem modum viuendi, legem impleuit duobus modis. Primùm exteriores quidem legis figuras ſoluens, interiores autem veritates eius adimplens. Vtputa, in lege præcepit omne opus ſer- Exod.20.
uile in ſabbato quenquam facere non debere, præterquam quod ſit omni animæ, ſcilicet quod eſt neceſſariũ
quia nec. vitæ humanæ: hoc figurale eſt, quia ſic * Deus in ſabba- C to ceſſat ab opere. Spiritualiter ſecundùm euangelij veritatem, opus ſeruile peccatum eſt: quoniam omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Omne autem opus Ioan.8.
bonum non eſt ſeruile, ſed liberale, & pro animæ ſit libertate, licèt videatur ipſum opus in prima facie corporale. Vides ergo quia Chriſtus ſabbatis operans adimpleuit legem, non ſoluit: manifeſtauit, non occultauit? Item in lege fuerat ſcriptum, lepram tangere non oportere. Hoc figuratum eſt. Lepra enim intelligitur pecca- Leuit.13.
tum. Chriſtus ergo tangens lepram, non ſoluit legem, ſed adimpleuit. Mundans enim leproſum iuſtitiam ope- Infrà 8.
ratus eſt, non peccatum. Et per hoc iuſtitiam, tetigit non Eſa.53.
peccatum, quod eſt verè lepra. Nam ille qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius, certum eſt quia nunquam tetigit lepram: id eſt peccatum. Meritò ergo dicit, donec omnia fiant. *Amen dico vobis, donec tranſeat cœlum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.* Quoniam quæ ab initio mũ- D di vſque ad finem erant futura, eorum myſteria ſunt prophetata in lege: vt ne videatur aliquid eorum quæ fiunt, Deus anteà non cognouiſſe. propterea dicit, nõ poteſt fieri vt tranſeat cœlum vel terra, donec omnia quæ in lege prophetata ſunt, rebus ipſis fuerint adimpleta. Ingenuus homo, ſi vel in vili mendacio inuentus fuerit, erubeſcit: & quomodo Deus quod promiſit in lege, non faciat, aut aliter faciat? Vir ſapiens quod dixerit, verbum ſuum non relinquit vacuum: & quomodo verba diuina ſine exitu vacua poterunt remanere? Deus hominem punit, ſi quod docet alium, ipſe non fecerit: quomodo Chriſtus, quod locutus eſt in prophetis, non adimpleuit in opere? Deinde impleuit legem in minimis iſtis. *Si quis ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, &*

docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Sed primùm videamus, quæ ſunt iſta minima A Qui ſoluerit vnum de minimis iſtis, minimus vocabitur in regno Dei, oſtendens cum etſi minimum eſſe, tamen in regno eſſe: hîc autem de non conſeruante dicit, Niſi abundauerit iuſtitia hominis Chriſtiani plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabit in regnum cœlorum? Qui enim non intrabit in regnum cœlorum, extra regnum erit. Sed vide quia minimum eſſe in regno, id ipſum eſt & non intrare in regnum. Eſſe enim aliquem in regno, non eſt & regnare cum Chriſto, ſed eſſe tantùm in populo Chriſti. Tanquam ſi dicat: Qui ſoluerit & docuerit ſic, inter Chriſtianos quidem erit tamen minimus Chriſtianus, vel cum minimis Chriſtianis. Qui autem intrat in regnum, fit participeps regni cum Chriſto, ſicut & alibi dicitur bono Inſe.16.
ſeruo: Intra in gaudium domini tui: hoc eſt, vt ſimul gaudeas cum domino tuo. Conſequenter & iſte qui non intrat in regnum cœlorum, gloriam quidem regni cœlorum non habebit cum Chriſto, erit tamen in re- B gno cœlorum: id eſt, in numero eorum ſuper quos Chriſtus cœlorum rex regnat. Nunc iam incipit oſtendere & docere quæ ſunt minima iſta, quorum ſolutionem prædixerat eſſe periculoſam. *Scitis*, inquit, *quia dictum eſt antiquis, non occides: ego autem dico, ſi quis iratus fuerit fratri ſuo ſine cauſa, reus erit iudicio.* Hæc impletio Legis ſecundum modum viuendi ſecunda facta eſt. Faciens enim hæc Chriſtus, & docens, impleuit, Legem, non ſoluit. Non enim eſt Chriſti mandatum contrarium legi, ſed latius quàm Lex. Mãdatum Chriſti legem in ſe tenet incluſam, lex autem nõ tenet Chriſti mandatum. Qui ergo implet Chriſti mandata, tacitè in eis implet & legis. Nam qui non iraſcitur, multò magis nec occidit: qui autem implet legis mandatum, non omnino implet & Chriſti. Frequenter enim & homo non quidem occidit propter timorem vindictæ, tamen iraſcitur. Vides ergo, quia lex impleta eſt per gratiam, non ſublata? Deinde ſine mandatis his Chriſti
C nec poſſunt ſtare legis mandata. Nam ſi concedatur licentia iraſcendi, datur & cauſa homicidij faciendi. Ex ira enim homicidium generatur. Tolle autem iram, & homicidium non fit. Omnis enim qui iraſcitur ſine cauſa, quantùm ad voluntatem ſuam homicidium facit, etiamſi non facit propter metum. Ideo dolor quidem non eſt talis, quemadmodum ſi factum fuiſſet, peccatum autem tale eſt iraſcentis. Ideo Ioannes in canonica ſua epiſtola dicit: Qui odit fratrem ſuum ſi- 1. Ioan.2. &.3.
ne cauſa, homicida eſt. Vide ſapientiam Chriſti. Volens oſtendere, quia ipſe eſt Deus, qui aliquando locutus eſt in lege, & qui nunc mandat in gratia, illud mandatum quod ante omnia mandata poſuit in lege, illud ipſum mandatum poſuit & nunc in principio mandatorum ſuorum. In primis ſcriptum eſt in lege, non occides. Ideo hîc ſtatim ab homicidio cœpit, vt Exo.20.
per concordiam mandatorum, ipſe inueniatur dictator fuiſſe legis, & gratiæ. *Qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, reus erit iudicio.* Ergo qui cum cauſa iraſcitur, non erit reus. Nam ſi ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia ſtant, nec crimina compeſcuntur. Iuſta ergo ira, mater eſt diſciplinæ. Itaque non ſolùm † non al. deeſt non.
peccant, qui cum cauſa iraſcuntur: ſed è contra niſi irati fuerint peccant: quia patientia irrationabilis vitia ſeminat, negligentiam nutrit: & non ſolùm malos, ſed etiam bonos inuitat ad malum: quia malus quidem, quanuis incorreptus † fuerit, non emen- correptus.
datur: bonus autem niſi correptus fuerit, perit: quia in corpore * magis præualet malum quàm bonum. corde.
Iracundia quæ cum cauſa eſt, non iracundia eſt, ſed Iracũdia.
iudicium. Iracundia enim propriè intelligitur commotio paſſionis. Qui autem cum cauſa iraſcitur, ira

NISI *abũdauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnũ cœlorum.* Scribarum & Phariſæorum iuſti- D
tiæ, ſunt mandata Moſi: impletiones autem mandatorum illorum, ſunt mandata Chriſti. Hoc eſt ergo quod dicit, Niſi quis ſupra Legis mandata, & hæc mea præcepta quæ apud illos minima exiſtimabantur, impleuerit, non intrabit in regnum cœlorum: quoniam illa, ſicut diximus, de pœna quidem liberant, quæ ſcilicet transgreſſoribus Legis debetur: non autem introducunt in regnum: hæc autem & de pœna liberant, & in regnum introducunt. Cùm autem ſit idipſum ſoluere minima hæc mandata, & non cuſtodire, quare ſuprà quidem de ſoluente dicit:

Chryſoſt. tom.2.

illius iam non ex passione est, sed ex causa. Ideo iudi- A
care dicitur, non irasci. Puto autem, quòd non de ira-
cundia carnis loquitur Christus, sed de spiritu. Nec
ad carnem loquitur, sed ad animam, sicut & in sequen-
tibus ostendemus. Scit enim Dominus, quia etsi man-
dauerit carni, caro ei non obaudiet. Nec enim est pos-
sibile, vt caro non cõturbetur: quia sapientia carnis ini-
Rom. 8. mica est in Deum. Legi enim Dei non est subiecta. Nec
Iob. 13. enim potest, dicente Iob, homo natus de muliere, ple-
nus iracundia non irasci. Quando ergo homo irascitur, & non vult facere quod ira compellit, caro eius irata est, animus autem eius non est iratus. Ergo multi sunt quorum caro irascitur, anima autem non irascitur. Item multi sunt, quorum caro non irascitur, anima autem eorum irascitur, id est, qui videntur patientes & taciti, & occultè cogitant malum, & semper quærunt opportunitatem nocendi. *Si quis dixerit fratri suo, racha, sine causa reus erit concilio.* Id est, vt sit vnus ex concilio
B corum qui aduersus Christum fuerunt, sicut apostoli in canonicis suis interpretantur. *Si quis autem dixerit,*
Racha. *fatue, reus erit gehennæ.* Racha quidem dicitur Hebraicè vacuus, quanuis quantùm ad sensum verbi, vnum est dicere fatue, & racha. Nam qui vacuus est, ille fatuus est: & qui fatuus est, sine dubio vacuus est, & vtriusque verbi vna videtur esse iniuria. Nam sicut indigna res est illi dicere fatue, qui habet in se sapientiam spiritualem in agnitione Dei patris & Christi: sic indigna res est, dicere hominem vacuum, qui habet in se spiritum sanctum. Nam nemo dicitur vacuus, qui habet in se spiritum sanctum, & nemo fatuus, qui Christum cognoscit. Et quare illud quidem verbum, id est Racha, habet pœnam cõcilij: hoc autem verbum, Fatue gehennæ? Nam si vnum peccatum est, vna debet esse & pœna amborum. Sed quantum ad dicentis propositum, differentiam iam habent hæc verba, etsi quantùm ad sensum similia sunt. Racha enim vulgare verbum erat apud Iudæos, quod non ex ira, neque ex o-
C dio, sed ex aliquo motu vano dicebant magis fiduciæ causa, quàm iracundiæ. Nam vnaquæque prouincia habet in consuetudine aliquod exprobratorium verbum, quod non rixæ causa, sed familiaritatis gratia dicere solent ad eos quorum fiduciam habent: Vtputa patronus susceptо liberto suo, aut diues pauperi, aut vrbanus rustico, contemnens personam eius, magis quàm inimicans. Sed fortè dicis, si racha iracundiæ causa non dicitur, quare peccatum est? Quia contemptionis causa dicitur, non ædificationis. Nam & si persona illius tibi contemptibilis videbatur, tamen dignitas Christianitatis illius contemptibilis non erat. Et si illum aspicere non volebas, tamen Christum qui in eo est, aspicere debuisti. Deinde & alia ratione peccatum est dicere Racha, quia etsi ille aliquid vanum audire merebatur, te tamen dicere vanum aliquid non
Marc. 11. oportebat, cùm sic scriptum est: Amen dico vobis, pro omni verbo otioso, quodcunque locuti fueritis, da-
D bitis rationem. Quicquid non est lumen, tenebra est. sic & quicquid bonum non est, malum est. Dicit
Ephe. 4. Apostolus: Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. Et non dicit, si quis bonus tantummodo, sed, si quis bonus ad ædificationem fidei. Si ergo nec bonum verbum sine causa dicere debemus, nisi fuerit pro occasione ædificationis, ne ipsum verbum bonum dum sine causa dicitur, inueniatur esse otiosum, & fiat malum: quantò magis illud verbum dicere non debemus, quod à semetipso naturaliter malum est, & ad iniuriam pertinet audientis? Deinde, nunquid membrum oris nostri, quod ad ædificationem aliorum creatum est, aut ad vsum corporis, aut ad gloriam Dei, trahimus illud ad ministerium † vanitatis? Omnis e- al. vsum
nim sermo vanus qui dicitur, immundo spiritu dictante profertur. Vanum ergo sermonem dicentes, non tantùm ideo peccamus, quia per illum sermonem aliquem lædimus: sed quia damus locum in nobis immundis spiritibus agendi quod volunt. Hoc sciens
Pro. 30. Salomon, dicebat ad Dominum: Duo postulo à te, Ne auferas gratiam tuam à me, priusquam moriar, & vanum verbum non exeat de ore meo. Si enim vasa sanctificata ad priuatos vsus transferre peccatum est, & periculum, sicut docet nos Balthasar, qui
Dan. 5. bibens in calicibus sacratis de regno depositus est, & de vita, Si ergo hæc vasa sanctificata ad priuatos vsus transferre sic periculosum est † [in quibus non est hæc in qui busdã exemplaribus desũt.
verum corpus Christi, sed mysterium corporis eius continetur:] quanto magis vasa corporis nostri, quæ sibi Deus ad habitaculum præparauit, non debemus locum dare diabolo agendi in eis quod vult? *Si quis au-*
B *tem dixerit, fatue.* In communi intelligendum est vbique, *Sine causa.* Id est, qui iratus fuerit sine causa: qui, racha, sine causa dixerit, qui fatue, sine causa dixerit. Si autem cædere cum causa peccatum non est, quantò
Caue. magis cum causa, fatue dicere, non est peccatum? Nam & verbum malum species est aliqua castigationis, & apud sapientem durius est quàm flagellum. Quid enim si talis fuerit causa, vt non verbis, verùm verberibus proferatur vindicta? Ecce enim & Apostolus dicit,
Galat. 5. fatue. O insensati Galatæ, quis vos fascinauit? sed non peccauit, quia iusta causa fuit dicendi. Ita ad discipu-
Luc. 24. los in via Christus: O stulti & tardi corde. Si ergo offers munus tuum ad altare. Quoniam superius dixerat, qui irascitur fratri suo sine causa, hoc: qui autem dixerit racha, illud: qui autem dixerit fatue, istud: consequenter subiungit. *Si offers munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quòd habet aliquid aduersus te frater*
C *tuus.* Habet scilicet, si iratus ei fueris sine causa, si dixisti ei racha vel fatue sine causa. Si ergo ex his leuibus causis offenso fratre, & non placato, impossibile est munus Deo offerri, & suscipi: quomodo ante conspectum Dei ingredientur, qui fratres suos conculcant, prædantur, & alia multa in viduis & orphanis nefanda committunt? In primis scire debemus, quòd quandiu fideles homines aliquam dissensionem habuerint inter se, Deus illis non potest esse amicus, munus eorum non suscipitur, oratio eorum non exauditur: vel si quid aliud bonum fecerint, quia nemo inter duos inimicos potest esse fidelis amicus amborum: Vtputa, si de illo bene loqueris apud istum, displices isti, & in suspicionem venis quasi plus diligas illum: & si ad illum bene loqueris de isto, displices illi, & in suspicionem venis quasi plus diligas istum. Ideo & Deus non vult esse amicus fidelium, quandiu ipsi inter se fuerint inimici, quia si illi misericordiam fecerit, iste contristatur: etsi non contristatur, quia nihil potest agere contra Deum, tamen non congaudet in beneficiis eius. Si autem aliquid poterat contra Deum, irasceretur ad Deum, quia miseratus est inimicum eius. Similiter & si isti misericordiam fecerit, ille contristatur. Considera qualem habet Deus conscientiam circa nos, & quomodo fidem seruat hominibus, quia nos perfectè diligit, ideo inimicis nostris non vult esse amicus: Vtputa, duo inimici estis fideles, ideo tibi non vult esse amicus, quia illi amicus est: & ideo illi non vult esse amicus, quia tibi amicus est. Ergo te diligens illi est inimicus, & illum diligens tibi est inimicus. Nunquid propter se Deus non suscipit munera nostra, sed propter nosipsos? Alteri aduersatur Deus, dum alteri conscientiam seruat: & dum ambos diligit, nulli vult esse amicus

amicus propter inimicitias amborũ. Ergo Deus fidem A
nobis seruans, inimicorum nostrorum amicus fieri non vult, & nos fidem non seruamus, si inimicos eius diligimus, & amicos odimus. Qui enim amicus est infidelium, & inimicus fidelium, amicos Dei odit, & inimicos Dei amat. Si autem fidem Domino seruaremus, sicut ille nobis: nunquam infidelium amicitias coleremus, nunquam nos infidelium matrimonio iungeremus. *Dimitte illic munus tuum, & vade reconciliari prius*
fratri tuo. Vide misericordiam Dei, quomodo hominum vtilitas amplius aspicit, quàm suos honores. Si enim suos honores magis aspiceret, sic dixisset: Interim offer munus tuum, & postea vade, & reconciliare. Nunc autem dicit, Vade primùm & reconciliare, & sic veniens offeres. Tanquam si dicat ad illum, Vade, ego libenter contemnor, libenter honoris mei patior damnum, libenter expecto dominus seruos, tantummodo vt vos in amicitiam veniatis. Vade ergo, vt
B scias quia plus diligo concordiam fidelium meorum, quàm munera: quia munera hominum nullum Deo faciunt lucrum: charitas enim illorum, Dei gloriam operatur. Ne dicas, ille mihi nocuit, non ego illi: ille mihi satisfacere debet, non ego illi. Si pro gloria salutis tuæ iubet te Dominus amicitiam facere, magis nocitus debes rogare, vt duplicem gloriam consequaris: vnam quia nocitus es, alteram quia prior rogasti. Si enim in illum nocuisti, & ideo rogasti, parcet tibi Deus quod nocuisti, quia prior rogasti: tamen nullam habes mercedem, quia reus constitutus rogasti. Si autem ille te læserit, & prior rogaueris, magnam habebis mercedem. Festina ergo inimicum tuum præuenire ad amicitias, ne fortè te tardente ille præueniat te ad rogandum, & rapiat de manibus tuis pietatis mercedem. Nam si ille te nocuit, & ille te rogat, infructuosa est amicitia tua. Quam enim iustitiam fecisti ante Deum, si rogatus te placueris? Non enim volens te Deus sub-
al. prouidere. sternere sub pedibus eius iubet te prius rogare, sed
C volens tibi humilitatis gloriam prætendere. * † Sed fortè dicis: ecce ego volo reconciliari: sed dic mihi quomodo reconciliabor? Qualis præcessit offensio, talis debet sequi reconciliatio. Si cogitatu offendisti, cogitatu reconciliare. Si verbis offendisti, verbis reconciliare. Omne enim peccatum quomodo committitur, eo modo & pœnitetur: Vtputa cogitasti malè facere alicui Christiano, non potes munus tuum offerre ante Deum, quia habes in corde tuo nocendi propositum. Recogita bene, quod cogitaueras malè,
Psal. 4. & pœnituisti. Nam cogitationis peccatum contraria cogitatione dissoluitur. Quis testis? Propheta. Quæ dicitis, inquit, in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Vides quia irasci naturæ est: exequi autem iracundiam voluntatis? Si autem verbis læsisti fratrem tuum, vade & verbis satisfac ei ex toto corde, & pœnituisti. Quoniam autem verborum peccatum, verborum satisfactione dissoluitur, testis est D
Num. 12. Aaron. Cùm enim detraxisset de Mose, vadens, verbis rogauit eum dicens. Rogo domine, ne inferas in nos peccatum hoc, quia ignorauimus quod peccauimus in te. Si autem operibus aliquem offendisti, puta
Luc. 19. alicuius pecuniam fraude abstulisti, aut rem aliquam per violentiam abstulisti, redde ei quæ abstulisti, & pœnituisti. Quoniam autem abstractæ rei peccatum rerum recompensatione dissoluitur, testis est Zachæus, dicens: Domine quæcunque fraude abstuli, reddo in quadruplum. Si autem rem quidem alicuius
Exod. 21. non tuleris, sed fortè castigaueris hominem impotentem iniustè, dona ei aliquid pro iniuria dignum: sicut scriptum est in Lege. Si percusseris seruum tuum, &

HOMILIA XII. EX CAP. V.

AVDISTIS *quia dictum est antiquis, Non mœ-* Exo. 20. Deut. 5.
chaberis: ego autem dico vobis, quoniam omnis
qui viderit mulierem ad concupiscendum eam,
iam mœchatus est eam in corde suo. Ecce alterum mandatum, minimum quidem apud Iudæos tunc, & nunc apud omnes qui non multùm curant de anima sua: nec iudicãt cor suum, qui irasci proximis suis sine causa aliquod non putãt esse peccatum: nec concupiscere tantùm mulierem alienam putant esse peccatum, opere concupiscentiæ non subsecuto. Magnum autem est apud timentes Deum, & cor suum diiudicantes. Magnum est etiam apud Deum, qui non tantum opus hominis aspicit, quantum cor. Quo mandato, Lex non soluitur, sed impletur: quia sine hoc mandato stare non potest Legis mandatum. Omne enim adulterium ex concupiscentia nascitur. Quomodo ergo tolletur adulterium secundùm Legis mandatum, nisi præcisa fuerit concupiscentia secũdum Christi mandatum? Quoniam ergo sicut ira mater est

Universidad de Deusto
Biblioteca

homicidij,ſic concupiſcentia mater eſt adulterij: cõſequenter ſicut qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, occidit eum in corde ſuo: & ſi non occiderit eum propter metum vindictæ, † aut propter impotentiam ſuam, etiam homicida eſt apud Deum, qui non magis opus conſiderat, quàm affectum: ſic qui concupiſcit mulierem alienam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo: etſi non habuerit eam, cauſa aliqua obſiſtente, etiam adulter eſt apud Deum, qui magis aſpicit voluntatem quàm opus, quoniam opus ei adulterij committendi defuit, non voluntas. Sed ne fortè homines humanæ naturæ myſterium ignorantes, dum conſiderant, quia generaliter omnis natura carnalis ſubdita eſt paſſionibus iſtis: & nemo eſt hominum, etiam ſanctorum, qui ſe omnino ab ira vel concupiſcentia valeat ſeparare, æſtiment Chriſtum quaſi impoſſibilia iſta mandantem, occaſionem ſibi quærere, per quam homines faciat reos: quoniam omnis qui impoſſibilia mandat, occaſiones offenſionis ſeminat, & cauſas puniendi requirit: Ideo pauca de diuiſione voluntatum animæ corporiſque tractemus. Sicut duas in nobis habemus naturas, animæ ſcilicet & carnis: ſic duas habemus voluntates, vnam animæ, alteram carnis. Duas iras, vnam animæ, & alteram carnis: duas concupiſcentias, vnam animæ, & alteram carnis. Et natura quidem carnis ab his omnibus non poteſt ſe ſeparare. Nam neceſſe habet & iraſci, & concupiſcere, etſi non vult, quoniam non eſt in arbitrio ſuo creata: id eſt, non eſt nunc in arbitrio ſuo, ſicut creata fuit, ſed ſub lege peccati. Venundata eſt enim ſub peccato, propterea de illa dicit Rom.8. Apoſtolus: Sapientia carnis inimica eſt in Deum: legi enim Dei ſubiecta non eſt, nec enim poteſt. Anima autem in arbitrio ſuo creata eſt, ſecundum legem iuſtitiæ Dei: propterea poteſt & non iraſci, ſi vult: & non concupiſcere, ſi vult. Quando ergo iraſcimur & concupiſcimus, ſi diſpliceamus nobis, & feſtinemus reprimere vel iram vel concupiſcentiam noſtram: manifeſtum eſt quia caro noſtra iraſcitur aut concupiſcit ſola, non anima noſtra. Quando autem complacemus nobis in his, & decernimus ſi poterimus noſtram implere iracundiam, vel concupiſcentiam noſtram: tunc & anima iraſcitur & concupiſcit ſimul cum carne. Propterea ſciens Deus, quia carnis natura ſubdita ei non eſt, nec poteſt non iraſci: non mandat carni quæ mandat. Quis enim ſapiens illi ponit præceptum qui etſi vult non poteſt obaudire? Sed ad animam loquitur, & animæ mandat, quæ poteſt Deo in omnibus obaudire: quæ poteſt etiam carne iraſcente & concupiſcente, ipſa nec iraſci, nec concupiſcere. Si ergo ad animam loquitur, & de concupiſcentia animæ loquitur, dicens: Si quis viderſt mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo: id eſt, non ſi quis concupiuerit ſecundùm deſiderium ineuitabile carnis, ſed ſi quis concupierit ſecundùm voluntatem animæ, & conſenſum, decernens & ſtatuens implere quod cupit: ille talis etſi nihil geſſerit, iam tamen corde adulter eſt ante Deum: quia forſitan impeditus eſt ab opere, non compunctus in voluntate. *Si dexter oculus tuus ſcandalizauerit te, erue eum*. Puto quod omnis merces iuſtitiæ noſtræ in hoc poſita ſit, quia omni tempore contra carnem noſtrã luctamur. Quia caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus Galat.5. carnem. Sic enim ait Propheta: Tota die contriſtatus Pſal.37. ingrediebar, quoniam renes mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea. Si ergo ſecundùm prophetam non eſt ſanitas in carne noſtra quot oculos quis habet, aut quot dextras in corpore ſuo, vt ſecundum malitiam carnis ſufficiat pœna membrorum? Sed videamus ne fortè vel ſic poſſibile eſt intelligere de oculo corporali, vel de manu. Sicut enim totus homo quandiu peccat, viuit peccato, mortuus eſt autem iuſtitiæ, ſicut ſcriptũ eſt: Et vos cùm eſſetis mortui peccatis: Cùm autem homo conuerſus fuerit ad iuſtitiam, viuit iuſtitiæ, mortuus eſt autem peccato: ſic & vnum quodque membrum, vtputa oculus, quandiu quidem malè aſpicit, integer quidem eſt peccato, eiectus eſt autem iuſtitiæ: cùm autem deſierit malè aſpicere, eiectus eſt à peccato, integer eſt autem iuſtitiæ. Sed neque ſic conuenit. Nec enim habet rationem hæc interpretatio plenam, propter quod dicit, Si dexter oculus tuus ſcãdalizauerit te. Quid enim quando dexter ſcandalizat, ſiniſter quid facit? Nũquid contradicit dextro, vt dexter quidem quaſi reus eiiciatur, ſiniſter autem quaſi innocens reſeruetur? Sed puto ad animam hæc cũcta referri, ſicut diximus ſuprà. Oculum igitur dicit animæ, id eſt mentem, per quam anima videt. De quo & alibi dicit: Si oculus tuus fuerit ſimplex, &c. Oculus autem iſte carnalis, non eſt oculus, ſed eſt ſpeculũ oculi illius interioris, id eſt mentis. Habet enim & corpus ſuam mentem, ſicut & anima ſuam: ſicut teſtatur Apoſtolus, de mente quidem animæ dicens hoc Rom.7. modo: Igitur ego ipſe mente quidem ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati. De corporis autem mente Coloſſ.2. ſic, Inflatus mente carnis ſuæ, & non tenens caput. Similiter & de manu, vel de pede. Dextra manus hominis, eſt voluntas animæ: ſiniſtra autem manus, voluntas corporis eſt. Hæc autem corporea manus, non eſt manus, ſed organum manus illius. Niſi enim voluntas aut bona aut mala mouerit eam, ad nihil mouetur. Dextra itaque manus hominis, eſt voluntas animæ: ſiniſtra autem manus, eſt voluntas corporis. Ideo enim partes animæ, dextræ vocantur: corporis autem, ſiniſtræ: quoniam anima in arbitrio ſuo creata eſt, ad quod voluerit declinare, ſiue ad bonum, ſiue ad malum: & ſub lege iuſtitiæ creata eſt, vt recta videat, recta audiat, & agat, & ambulet. Partes autem corporis ſiniſtræ dicuntur: quia non eſt in arbitrio ſuo creata caro, vt ſiue ad bonum, ſiue ad malum declinare voluerit, poſſit: ſed in malo creata eſt ſub lege peccati, nec poteſt aut videre, aut audire, aut agere rectum. Sic & omnes ſancti dextri dicuntur, peccatores autem ſiniſtri. Vnuſquiſque ergo noſtrum habet dextrum oculum, & ſiniſtrum: dextrum quidem mentem animæ, ſiniſtrum autem mentem carnis. Dextram autem manum, voluntatem animæ: ſiniſtram autem, voluntatem carnis. Quando ergo ex paſſione carnis concupiſcimus ſicut homines, animo autem reſiſtimus concupiſcentiæ noſtræ, ſiniſter oculus ſcandalizat nos: id eſt, mens carnis, non mens animæ. Siniſtra manus ſcandalizat, & non dextra: id eſt voluntas carnis, non voluntas animæ. Vide nunc quia non iubet carnis mentem eiicere, vel carnis præcidere voluntatem. Nec enim fieri poteſt, vt caro aliquando ceſſet à deſiderio malo. Deſideria autem carnis retinere quidem poſſumus, vt non faciamus quod deſiderat caro: præcidere autem non poſſumus, vt non deſideret. Quãdo autem ex propoſito animæ volumus malum, tunc dextra manus, id eſt oculus dexter nos ſcandalizat, & dextra voluntas. Hunc oculum & iſtam manum præcidere iubet, quam & poſſumus præcidere: quoniam anima in arbitrio ſuo eſt, vt ad quod voluerit, valeat declinare. Caro autem non in arbitrio ſuo eſt, ſed in malo: vendita eſt ſub peccato, & non poteſt bonum velle. Ideo autem caro ſiniſtra dicitur anima autem dextra: quoniam caro ad tentationem nobis creata eſt, anima autem ad ſalutem. Hæc eſt, ſicut arbitror, loci

videntiũ. Ephes.2. Sup.6. Rom.7. Coloſſ.2. Galat.5. Pſal.37.

loci iſtius interpretatio vera. Poſſumus tamen & alium inuenire colorem. Reſpectus vel conſideratio mentis, oculus eſt animæ, videlicet voluntas alicuius operis faciendi, & mouens manum ad aliquod opus. Manus animæ eſt ſecundùm ea quæ diximus: Vtputa erat mulier quædam religioſa, vel virgo, vel vidua: reſpexi & conſideraui, & dixi: Debeo viſitare illam mulierem aſſiduè, vt ſi quid religionis ignoret quaſi mulier, inſtruam eam, & confirmem ipſam in ipſo bono propoſito eius. Bonus reſpectus eſt iſte, & dexter oculus: ſed dum aſſiduè viſito eam, decidi in laqueum deſiderij eius: & ille bonus reſpectus meus, & dexter factus eſt mihi in ſcandalum. Quid ergo oportet fieri? Eiicere talem illum reſpectum bonum, qui generaturus eſt mihi malum. Aut ſic: Vidi orphanam quandam, & dixi, debeo illam in domo mea accipere, & educare, donec veniat tempus nubendi: & vadens cœpi ei ſubminiſtrare quæ neceſſaria erant. Bonum opus hoc, & dextra manus hæc eſt ſed dum cauſa ſubminiſtrationis video eam, decidi in laqueum deſiderij eius: & illud bonum opus meum, & dextra manus facta eſt mihi in ſcandalum. Vel ita: Videntes me quidam agere fiducialiter cum ea, ſcandalizati ſunt, dicentes: Quid ſibi vult hoc eſſe, quod iſte ſic familiariter loquitur cum puella? Oportet ergo præcidere tale opus bonum, quod vel mihi vel alteri generat malum. Nam & quod alteri generat malum, mihi generat: quia per me factum eſt vt alter ſcandalizaretur in me. Et hæc propoſitionis gratia diximus, veruntamen generaliter omne bonum quod vel nos vel alios ſcandalizat, præcidere debemus à nobis. Nam quale eſt illud bonum, ex quo naſcitur malum? Melius eſt enim, vt ſine vno reſpectu aut vno opere bono ſaluemur, quam vt dum omnia opera bona voluerimus facere, cum omnibus pereamus. Sed & alij aliter interpretantur hunc locum. Vult, inquiunt, Chriſtus, vt non ſolùm de periculo noſtri peccati curemus, abſtinentes nos ab omni cõcupiſcentia mala, ſed etiam ne vel propinqui noſtri, vel aliqui ad nos pertinentes, turpe aliquid agant: Vtputa habes aliquem vel filium vel fratrem vel amicum, qui ſic bene aſpicit res tuas, quaſi proprius oculus tuus, & habes eum pro oculo dextro. Aut habes aliquem qui ſic procurat res tuas quaſi propria manus tua, & eſt tibi quaſi dextra manus. Et illum talem ſi coguoueris aliquid turpiter agere, præcide eum ab anima tua, & proiice longè abs te, quia ſcandalizat te: quia non ſolùm pro peccato noſtro, ſed etiam pro peccato proximorum noſtrorum, quod tamen poſſumus cohibere, niſi aut cohibuerimus, aut repulerimus à nobis, dabimus rationem. Et quoniam Rom.12. & Epheſ.4. omnes Chriſtiani vnum corpus ſumus, & alter alterius membra: melius eſt vt ſine vno aut altero membro tali ſaluemur, quàm vt volentes illos tales habere, & ipſi pereamus cum eis. *Dictum eſt antiquis, ſi quis vult dimittere vxorem, det illi libellum repudij. Ego autem dico, ſi quis dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari. Et ſi quis dimiſſam duxerit, mœchatur.* Nunc tertium mandat mandatum, minimum apud indiſciplinatos & laſciuos, qui nullum æſtimant eſſe peccatum vxorem dimittere dato libello repudij, ſine quo neque ſtare poteſt Legis mandatum. Quomodo? quando primùm Moſes filios Iſraël eduxit de Ægypto, genere quidem erant Iſraëlitæ, moribus autem Ægypti. Propter quod more Gentilium contingebat, vt vir odiret vxorem. Et quia dimittere illam non permittebatur, paratus erat interficere eam. Aut ſi non interficiebat propter timorem Legis, tamen aſſiduis cruciatibus affligebat. Ideo iuſſit dari repudium, non quia bonum erat, ſed quia remedium erat mali peioris: ne dum facere malum vetantur, facerent peius. Ergo propoſitum fuit Legis repudium dare mandantis, vt ne homicidium fiat. Nunquid in facto ſolo fit homicidium? nónne & in voluntate? Et coram hominibus quidem in facto fit homicidium, coram Deo autem in voluntate. Sicut enim qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, etſi non potuerit occidere eum, occidit eum tamen in corde ſuo: ſic & qui concupiſcit mulierem, etſi non habuerit eam, adulteratus eſt eam in corde ſuo, quia voluntas eius impedita eſt, non correcta. Sic qui odit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, & ſic eam odit, vt dimittat eam, vt & niſi haberet licentiam dimittendi eam, occideret eam: in corde ſuo occidit eam, quantum ad Deum, quia opus homicidij defuit ei, non occidendi voluntas. Vides ergo quia Lex præcipiens dari repudium, opus homicidij compeſcuit, non peccatum? Et non ſolùm homicidij crimen non ſuſtulit quantùm ad Deum, ſed etiam alterum dimiſſionis introduxit peccatum. Quoniam libellus repudij teſtimonium eſt ſoluti coniugij, nunquid iuſtitia ſoluendi coniugij? Propterea dato repudio, ſolutum quidem coniugium publicatur, peccatum autem ſolutionis magis exaggeratur. Tamen cùm de iraſcente ſine cauſa, & de concupiſcente faceret verbum, competenter intulit mandatum de vxoribus non dimittendis. Si enim qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, reus erit iudicio: quomodo non erit reus, qui ſine culpa fornicationis ſic odit vxorem, vt etiam dimittat eam? Sed dicis, multas habet culpas vxor mea. Quid enim? Tu autem ſine culpa es? Si enim extraneorum vitia ſupportare debemus, dicente Apoſtolo: Inuicem Gal.6. onera veſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti: quantò magis debemus vxorum? Si quis viderit mulierem ad concupiſcendum eam, adulteratur eam in corde ſuo: quomodo non pro adulteriis condemnetur, qui dimittens vxorem, occaſionem dederit adulteriorum committendorum, vt & illa adulteretur in alterum, & alter in illam? Nam vir Chriſtianus non ſolùm ſe coinquinare non debet, ſed nec aliis coinquinandi ſe occaſionem præbere. Alioquin illorum crimen ad iſtius redundat peccatum, qui aliis committendi criminis factus eſt cauſa. Vide etiam, quia qui ſecundùm Legem repudium dat, quattuor committit iniquitates. Primam, quia quantùm ad Deum exiſtit homicida: ſecundam, quia dimiſit non fornicantem: tertiam, quia fecit eam adulterari: quartam, quia & accipiens eam, fecit adulterium. Nihil autem horum committitur, vbi ſeruatum fuerit Chriſti mandatum. *Item dictum eſt, nõ periurabis: reddes autem Domino, iuramenta tua. Ego autem dico non iurare omnino &c.* Ecce quartum mandatum, quod minimum putant auari, qui bene iurare non putant eſſe peccatum, ſine quo non poteſt ſtare Legis mandatum. Nam niſi iuramentum interdicatur, non poſſunt amputari periuria. Ex iuramento enim periurium generatur. Nemo eſt enim qui frequenter iurat, & non aliquando periuret. Propter hoc admonet Salomon: Non aſſueſcas iura- Eccl.23. mento os tuum, multus enim caſus in illo. Sicut enim qui facit conſuetudinem multa loqui, neceſſe eſt vt aliquando & importuna loquatur: & qui facit conſuetudinem frequenter manu ſua percutere, neceſſe eſt vt aliquando & iniuſtè percutiat: ſic qui facit conſuetudinem iurare in rebus idoneis, frequenter & in rebus ſuperfluis etiam nolens conſuetudine trahente periurat. Nam omnium rerum conſuetudinem quando voluerimus quidem tunc facimus, ſed non quando volumus tunc repellimus eam. Et qualis eſt con-

Exod.14. & ſeq. Deut.24.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ibidem.

tra iurantes dei sententia, docet Salomon: Vir, inquit, multùm iurans, non exiet plaga de domo eius. Si ergo à iurantibus plaga non recedit, quomodo à periurantibus aliquando recedet? Dic mihi amice, iurando quid proficis? Nam si aduersarius tuus crederet bene te iuraturum, nunquam te iurare compelleret: sed quia periuraturum te æstimat, ideo te iurare compellit. Et cùm iuraueris, non quasi in veritate iuramenti tui placatus tacet: sed quasi in damnatione periurij tui vindicatus recedit. Iuramentum enim nunquam bonum exitum habet. Quidam enim æstimabunt te auaritiæ causa iurasse, quidam autem & periurasse. Qui autem de te bene voluerint suspicari, etsi peierasse te non credunt, tamen in veritate te iurasse affirmare non possunt. Nemo autem potest defendere te & religiosè egisse. Ideóque iurans, inimicis tuis in opprobrium venis, amicis autem tuis in suspicionem. Sed fortè dicis, Quid faciam? non mihi credit, nec vult credere, nisi iurauero. Acquiesce magis pecuniam perdere quàm salutem. Preciosior tibi videatur anima tua, quàm res tua. Si rem aliquam perdideris, viuere potes: si Deum perdideris, quomodo viues? An nescis, quia quod inuitus amittis propter Dei timorem, maiorem mercedem habes pro illo, quàm si eleemosynam dedisses? Quia quod cum maiore colluctatione facimus, pro illo dignius coronamur. Ecce amice admoneo te, ne aliquando hominem iurare compellas. Siue existimas eum benè iuraturum, recede ab eo: siue existimas eum malè iuraturum, magis recede ab eo: quia etsi ille bene iurauerit, tu quantum ad conscientiam tuam periurij illius factus es causa: quia hoc proposito eum iurare compellis, non vt iuret, sed vt periuret. Si autem bene eum iuraturum putares, nec iurare compelleres. O insipiens, qui alterum iurare compellis, nescis quid agis. Ille etsi periurauerit, vel cum lucro periurat, tu autem sine lucro periurij illius particeps inueniris. Qui mentiri non dubitat, nec periurare timet: qui enim mentitur, veritatem in corde suo transgreditur: qui autem periurat, in verbis suis transit Deum. Quid ergo interest inter Deum transire, & veritatem transgredi, cùm & ipsa veritas sit Deus? Hæc sola est differentia, quia veritatem mentientes in corde transimus: periurantes autem Deum in verbis. Nam verbo hominibus satisfacimus, conscientia autem Deo. Ipse Deus, qui periurare vetuit, ipse & postea non iurare mandauit. Qui ergo in iurando non timet Dei præceptum negligere, nec in periurando timebit. Quid autem vis? Timet Deum, aut non timet Deum? Si timet, etiam sine iuramento non mentitur: si autem non timet, neque cum iuramento potest dicere veritatem. Audite vos clerici, qui iurantibus euangelia sancta porrigitis: † quomodo potestis ab illo iuramento esse securi, qui semen periurij † datis? Nunquid qui ignem portat vnde confletur incendium, alienus est ab illo incendio? Aut qui gladium porrigit vnde homicidium committatur, nónne est socius homicidij illius? Sic & qui occasionem periurij præstat collega fit periurij eius. † [Si erat bene iurare iustum, iustè dicebatis, quia dedimus illis euangelium vt iurent, non vt periurent. nunc autem cùm sciatis, quia & bene iurare peccatum est, quomodo potestis esse liberi, qui occasionē datis vnde peccetur in Deum?] Cesset ignis, & incendiū non fit: subtrahe gladium, & homicidium nō committitur: sic tolle iuramentum, & periurium non fit. Hæc de illis dicta sunt, qui iurant per Deum: eorum autē qui iurant per elementa, execrabilior iniquitas est. Cœlum enim & terrā, & cætera Deus ad ministerium sibi creauit, non hominibus ad iuramentum. Ecce enim in lege præcipitur, vt per nullū iuretur, nisi per Deum: qui ergo iurat per cœlum aut per terram, aut quicquid illud est per quod iurat, deificat illud. Propterea idololatram se facit omnis qui per aliquid aliud à Deo iurat, etiamsi iurare liceret: quia non reddit domino Deo suo iuramenta sua, sed elementis: & sic dupliciter peccat. Primùm quia iurat, deinde quia deificat per quem iurat. Et vide quia per singula hanc rationem dat, cur quis non debeat iurare per elementa. Neque per cœlum, inquit, quia thronus est Dei: id est, non Deus. Neq; per terram, quia scabellum est pedum eius, non dea. Neq; per Hierosolymam, quia ciuitas est magni regis, non magnus rex. Neque per caput tuum: quia nō potes vnum capillum album facere aut nigrū Ac si dicat: Cuius momenti es, vt per te iures? nūquid potestatem habes vel vnum capillum album facere, aut nigrum? Siue ergo per filios suos iuret quis, siue per se, siue per aliquem, meliorē facit illum quantùm ad se, quàm Deum. *Audistis quia dictū est antiquis, Oculum pro oculo, dentem pro dente: ego autem dico vobis, non resistere malo.* Quintum mandatū minimum, quantùm ad homines crudeles, qui peccare se non arbitrantur si reddiderint mala pro malis, non considerantes quæ dicuntur in psalmo: Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis, &c. Quæcunque enim ille dinumerat meritò se pati debere, si reddiderit retribuentibus sibi mala, sciant Christiani omnia illa meritò se esse passuros, si reddiderint retribuentibus sibi mala. Nam & casuri sunt ab inimicis suis inanes, & persecuturus est inimicus animas eorum, & comprehēsurus, & conculcaturus in terra vitam eorum, & gloriam eorum in puluerem deducturus. Tamen sine hoc minimo mandato, legis mandatum non potest stare. Quomodo? Lex præcipiens oculum pro oculo, dentem pro dente: tale habet propositum, vt vnusquisq; dum timet de suo membro, parcat alterius, & nemo malus inueniatur. Sed quia væ mundo à scandalis: quādiu enim viuimus in hoc mūdo cui diabolus principatur, necesse est abundare maledicentes, percutientes & persequentes. Si ergo incipimus secundùm legis mandatum omnibus reddere mala pro malis, omnes efficimur mali, & solutum est propositum legis, & dum voluit malos facere bonos, etiam bonos fecit malos. Si autem secūdùm Christi mandatum non resistatur malo, etsi mali non læduntur, tamen boni permanebunt boni: & sic per mandatum Christi impletur & legis mandatum. Nam qui mandatum legis implet, non simul implet & Christi: qui autem Christi implet, simul implet & legis. Vtputa qui percutit, contra legem agit: qui autem repercutit, secundùm legem facit, non autem & secundùm Christi mandatum. Qui autem secundùm Christi mandatum, neque percussus repercutit, tacitè & legis voluntatem impleuit. Nam qui percussus non repercussit, multò magis nec ab initio percussisset: quia non venit Christus soluere legem, sed adimplere. Sed dicis, quia dignus est ille repercuti, qui contra legē percussit? Etiam. Sed tu nō es dignus repercutere, quia illius discipulus es, qui maledictus non remaledixit, percussus nō repercussit, crucifixus pro crucifigentibus se orauit. Si repercusseris, ergo primùm denegasti te Christi esse discipulum, non verbis, sed factis. Deinde cùm eieceris oculum pro oculo tuo, & fregeris dentem pro dente tuo, nūquid per hoc restituitur membrū tuum in loco proprio? Si ergo non reddideris malum pro malo, & si membrum corporis perdidisti, vel lucrum patientiæ acquisisti. Si autem reddideris: & corporis damnum passus es, & salutis. *Sed si quis te percusserit in maxillam, præbe ei alterā.* Non enim diabolus tantùm de vulnere humani corporis gaudet, sed & magis in

portatis.

qui sanctū periuris.

hæc in quibusdam exemplaribus desunt.

Exo. 21. & Deut. 6.

Leuit. 24. & Deut. 19.

Psal. 7.

Luc. 23.

gis in vulnere animæ delectatur. ideo enim excitat aliquem qui te percutiat, vt dum tu excitatus repercutis eum, pecces, & vno ictu vulneret ambos. Scit enim, quia vulnus corporis citò sanatur: vulnus autem animę in quibusdam vix cum labore, in quibusdā autem nunquā sanatur. Ideoque si repercusseris eum, in prima quidem facie illum vicisse videris, revera autem à diabolo victus es. Et putas quia te satiasti de illo, verè autem diabolum satiasti de te. Si autem nō repercusseris eum, ab homine quidem victus videris, diabolum autē vicisti. Hæc secundùm iustitiam Dei. Videamus autem secundùm vtilitatem carnalem: Nunquid si repercusseris eum, compescuisti eum, vt iam non te percutiat? Sed magis excitasti eum, vt adhuc te percutiat. Nam iracūdia per iracundiam non compescitur, sed amplius irritatur. Quemadmodum si ignem cum igne coniungas, maior flamma succenditur: si autem non repercusseris eum, ille iam stabit: siquidem sapit, confusus: si autem non sapit, satiatus: & non solùm iterum te non percutit, sed forsitan compunctos corde pœnitet, quia te vel semel percussit. Attamen etsi sic insanus est, vt nec patientiam tuam intelligat, nec confundatur in facto suo: nūquid potes tu te amplius vindicare, quàm Deus erat te vindicaturus? ideóque si repercusseris eum, perdidisti vindictam, quia te ipsum vindicasti: & liberasti eum de manibus Dei, quia reddidisti illi quod fecit. Si ergo fortiter irasceris, patientius age, vt melius vindiceris, scilicet per Deum. *Et ei qui vult tecū in iudicio contendere, & tunicā tuā tollere, dimitte ei & pallium.* Primùm indigna res est, vt homo fidelis stet in iudicio ante conspectum iudicis infidelis. Nam etsi infidelis non est, certè secularis est. Et qui te venerari debuerat propter dignitatem fidei, iudicat te propter necessitatem causæ, & perdes dignitatem Christi propter negocium Mundi. Nónne melius est, vt perdas res mundiales, quàm gloriā sempiternam? Si enim rem perdideris propter Christum, Christus tibi rem restituere potest: si autē propter rem perdideris Christum, res, tibi nō potest restituere Christum. Deinde necesse est vt humilies te coram iudice, & subditus fias illi propter necessitatem causæ. Et forsitan qui propter Deum non fueras te humiliaturus, humilias te propter lucrū, & facis rem preciosiorē quàm Deum. Tertiò, quia omne iudicium irritatio cordis est, & cogitationum malarum. Si semel in iudiciū ingressus fueris, iam non desideras vt veritas causæ appareat, sed vt quocunque modo victor existas. Si autem videris quòd causa tua, sicut frequenter solet fieri in iudiciis, aut verbis, aut fraudibus, aut pecuniis expugnetur: necesse est similiter vt & tu, aut verbis, aut fraudibus, aut pecuniis, causæ tuæ adesse festines. Et si ab initio consilium non habuisti, vt sic ageres, postea sic agere ipsius controuersiæ necessitas te compellit. Nam primùm pro lucro tantummodo festinabas, postea iam & pro pudore contendis. Et magis contentus es etiam peccare tantùm vt vincas: quàm vinci tantùm, vt ne pecces. Hæc Deus illis mādat, qui magis diligūt Deum, quàm mundum. Nam qui lucrum animæ magnum esse existimat, damnum rei modicū putat: nam qui damnum rei magnum existimat, lucrum animæ minimum putat. Qui ergo difficilius putat rem dimittere, quàm in iudicio introire, hoc cogitet, quia difficilius est de iudicio sine peccato exire. Facilius est enim ante iudicium rem dimittere, quàm iudicio cuitare peccatū. Nam ante iudicium, sicut diximus, vna causa auaritiæ te compellit, post ingressum etiam causa pudoris. Et qui vnam causam vincere non potuisti propter timorem Dei, duas quomodo vincas? Ergo sicut Ioseph dimisit pallium in manu meretricis, & fugit cum meliore pallio castitatis,

Gen. 39.

sic & tu proiice pallium in manus calumniatoris, & fuge cum meliore velamento iustitiæ, ne fortè dum vis vindicare vestem corporis, preciosissimum animæ vestimentum perdas. Deinde si uiderint infideles te Christianum pro iniuriis iniurias rependere grauiores, pro terrenis facultatibus, & vsque ad perniciem animæ secularia pulsare iudicia contra direptorem iniustum: quomodo credant spem regni cœlestis esse verā, quam prædicant Christiani? Facilè enim spernunt terrena, qui cœlestia sperant. Qui autem terrena magnoperè complectuntur, nescio si firmiter cælestia credunt promissa. Non solùm ergo propter læsionem animarum nostrarum percutientem sustinere debemus, auferenti quæ nostra sunt non repugnare, sed etiam propter demōstrationem indubitabilium Christi promissionum: vt ille qui viderit te iniurias proprias negligentem, terrenas etiam res quasi nihil spernentem, intelligat, quia verè est certissima spes Christianorum in cœlis, preciosior omnibus rebus terrenis & vita iucundior omni fruitione vitæ istius carnalis. *Si quis te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo.* Vt patientia tua vincat illius crudelitatem, & ostendas quia maior est benignitas Dei in sanctis, quàm malitia diaboli in iniquis hominibus. Si autem tantum vadis quantum ille te cogit: quomodo cognoscetis seruus Dei? Nam in necessitate bonitas non apparet. Quòd ergo cogit te, vade propter necessitatem hominis violenti: quòd † non te cogit, vade propter gloriam Dei benigni. Si vnum vadis, putat te hominem qualemcunq; fecisse, † & non pœnitet quia te angariauit: si autem amplius vadis, intelligit quia seruus es Dei, & ideo incipit illum pœnitere quia vel vnum te angariauit. Et hoc tuum additamentum non fit illi maius auxilium, sed pœna prioris audaciæ. Deinde si illum quidem diabolus excitauit ad te angariandum, & tu videns tibi iniuriam fieri, & aut verbis illicitis contradicas, aut factis non bonis resistas: & lucrum sanctitatis, quod multis forsitan bonis operibus acquisisti, propter dolorem modicum perdis. Quid ergo? Vnum vade, vt satisfacias homini: alterum vade, vt te ostendas & illum castiges: tertium, vt diabolum superabundanter confundas. Deinde hæc omnia mandata in pauperis persona conueniunt: dentem autem hominis diuitis & potentis quis excutit? Vtinam ille alterius non excuteret. Tunicam diuitis & potentis per calumniam quis tentat auferre? Vtinam ille per calumniam alterius non auferret. Diuitem & potentem quis angariat? Vtinam ille alterum non angariaret. Ergo diues infructuosus est. Et quomodo adimpleat iustitiam Legis, & gratiæ, vt fiat seruus Dei perfectus? Quomodo? Si quis mutuam pecuniam petierit ab eo, det illi. Lex enim est, vt alterius non tollas, etsi tuum non des. Gratia autem, vt alterius non tollas, & tuum des. Qui ergo mutuam pecuniam dat, & legem implet, & gratiam. Nam qui de suis libenter dat, & multò magis alterius bona non tollit. Diues ergo per patientiam non potest tentari, neque probari, quia nemo illi citò violētiam facit. In largitate autem tentatur, atque probatur. Item pauper per largitatem non potest tentari & probari, quia non habet vnde largiatur, & ideo per patientiam tentatur, atque probatur, si benignitas eius per iniuriam non mutatur. Denique si veritatem considerare volumus, & intelligere rationem: quia diuitiæ nostræ non sunt nostræ, sed Dei. Deus enim dispensatores nos diuitiarum voluit esse suarum, non dominos: & ideo cui voluerit, dat eas: & à quo voluerit, tollit: illud propriè nostrum est, quod in nostra est potestate habere, si volumus. Quomodo autem nostrum dicatur, quod etsi volumus, habere nō possumus, nisi nobis fue-

quibus.

fuisse.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rit datum? Deinde considera, vt quid tibi magis diuitias credidit, quàm illi? nunquid ex alia massa luti te fecit, ex alia illum? Et pro te Christũ tradidit, pro illo autẽ aliquem angelorum? Si per omnia sic illum diligit quomodo te, non ideo dedit tibi diuitias vt habeas eas, 1. Tim. 6. sed vt tenteris in eis. Ideo admonet Apostolus: Diuitibus huius mundi præcipe non superbè sapere nec sperare in incerto diuitiarum, sed largos esse communicatores bonorum. Nam pauper in sanctitate melior est, quàm tu in rebus secularibus. Tuæ res proficiant ad illius sustentationem in hoc sæculo, vt & illius sanctitas proficiat ad tuam sustentationem in illo: sicut vlmus infructuosa dat humorem viti, & vitis pro se, & pro vlmo profert fructum. Ergo iubet nos Christus mutuum dare pecuniam, non tamen sub vsuris: quia qui sub vsuris mutuum dat, in prima quidem facie sua videtur dare, reuera autem nõ sua dat, sed alterius tollit. Nam videtur quidem necessitati succurrere, reuera autẽ in maiorem mittit necessitatem. De vno vinculo soluit, & multis vinculis alligat: Et non propter iustitiam Dei dat, sed propter proprium lucrum. Similis enim est pecunia vsuraria aspidis morsui. Sicut enim qui ab aspide percutitur, quasi delectatus vadit in somnum, & sic per suauitatem soporis moritur: sic & qui accipit sub vsuris, pro tempore delectatur, quasi qui beneficium accipit: & sic per suauitatem beneficij non sentit quomodo captiuus efficitur. Nam sicut venenum aspidis latenter per omnia membra discurrit, & corrumpit: sic vsura per totas facultates eius discurrit, & conuertit eas in debitum. Sicut enim fermentum modicum quod mittitur in multam farinam, totam conspersionem corrumpit, & trahit illam, & facit illam totam fermentum: sic quum vsura in domum alicuius intrauerit, totam substantiam eius ad se trahit, & conuertit in debitum.

HOMILIA XIII. EX CAP. V.

Leui. 19. AVDISTIS *quia dictum est antiquis, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: ego autẽ dico vobis diligite inimicos vestros.* Ecce sextum mandatum Legem adimplens, minimum apud homines odibiles & inuicem odientes, qui inimicum odire debere improba voce pronunciare non erubescunt. Quòd si iustum fuisset inimicos odire, Deus te inimicum ex gẽtibus nũquam in suam suscepisset dilectionem. Ille pro te & filium suum per omnia humanæ compassionis opprobria traduxit † vsque ad mortem, ille te inimicum suum adoptauit, cohæredem vnigenito suo fecit, & tu vel nudam dilectionem inimico tuo reddere non vis? Quid tamen mirũ, si graue illis videatur inimicos amare, qui nec amicis suis synceram conscientiam seruant? Nam cùm sit Mundus iste scandalis plenus, si amicos voluerint diligere tantùm, non poterunt inuenire quos diligant. Hodie enim iste illum offendit in re tali, cras ille istum offendet in altera re, & ita fit, vt si decreuerit homo inimicos suos odire, necesse est vt odiat omnes, & odiatur ab omnibus. Vides quia sicut ex ira homicidium nascitur, & ex concupiscentia adulteriũ: sic ex odio inimicorum præciditur etiam dilectio amicorum. Si autem ad tempus sustines eum quasi inimicum, postmodum victum beneuolẽtia tua amabis eum quasi amicum. Puto quod non tantum pro inimicis nostris Christus illa mandauit, quantum pro nobis: non quia illi digni sunt vt diligantur ab aliquo, sed quia nos non sumus digni vt aliquem odiamus. Odiũ enim spiritus est tenebrarum, & vbicunque insederit, sordidat pulchritudinem sanitatis. † Ergo non tantùm ideo iubet diligere inimicos, vt illos diligamus, quantùm vt à nobisipsis quod malum est repellamus. Et ideo non dicam, si læseris inimicum, sed si oderis eum tantùm, amplius tibi nocuisti secundum animam, quàm illi secundum corpus. Et illi forsitan nihil noces odiens eum, te autem ipsum sine dubio lædis. Si ergo peperceris inimico, tibi amplius pepercisti, quam illi. Et si benefeceris ei, tibi amplius præstitisti, quàm illi. Iterum commemoro quod superius dixi. Quoniam ignorantibus mysterium naturæ humanæ impossibile videtur diligere inimicum. Et verè impossibile est quantùm ad carnis naturam, quia passionibus subiacet: quantùm autem ad animam possibile est, quia proprij iudicij est, ideo & regere & retinere potest carnem à passionibus. Nũquam enim anima passibilem regeret carnem, si ipsa passionibus esset subiecta. Puto autem sicut illud quod dictum est: Ego autem dico, non concupisces: non loquitur Deus ad carnis naturam, quæ non potest fieri, vt non cõcupiscat quod suum est: sed ad animã, quæ non concupiscere potest. Nam quando quis corporalibus quidem motibus excitatur, voluntas autem illius non inclinatur, vt faciat opus quod facere instigatur, sed stabili proposito continentia & operatione † iustitiæ, irrationabiles motus corporis frangit: & si corpore concupiscit, animus eus non concupiscit: si autem consenserit explere quod cogitat, tunc verè dicitur animo concupiscere: Sic & in hoc loco, Caro quidem inimicum suum diligere non potest, quemadmodum nec est possibile vt iniuriam non sentiat sibi illatam. Anima autem inimicum diligere potest quia dilectio, vel odium carnis in sensu est, animæ autem in intellectu. Propterea anima quidem secundùm rationem vertitur. Caro autem inuertibilis in passione tenetur: quoniam anima libera est, & sub principatu Dei est: caro autem captiua est, & sub principatu diaboli est, sicut & Mundus qui in maligno positus est, quoniam & ipsa caro de Mundo est. Quando ergo nocemur ab aliquo, etsi odimus eum, non tamen exequimur odium nostrum, considerantes Dei iustitiam, sed magis confringentes motus doloris nostri, & benedicimus ei, & benefacimus. Cognosce quia caro quidem nostra odit inimicum suum, quæ nocita diligere non potest, anima autem diligit inimicum. Alioqui si vnusquisq; motus suæ carnis consideret, nullum bonum facere inuenitur: quia omne bonum, aduersante carnis natura, contradicentibus nobisipsis explemus. Deinde qui te innocentem iniuriatur, si incipias considerare quomodo à diabolo possidetur & agitur, quomodo voluntatẽ suam adimplet per ministerium eius, non solum non irasceris ei, sed adhuc misereberis eius: miseratio autem excitat † affectum. Vis ergo diligere inimicum tuum? Si iniuriam pateris, noli iniuriam præsentem aspicere, sed considera gloriam, quam pro mercede in iudicio consecuturus es. Si æquanimiter supportare volueris, si damnum passus fueris, noli hoc damnum aspicere, sed illud patientiæ lucrum. Illis enim totum videtur difficile, qui retributionem non sperant futuri iudicij. *Et benefacite his qui oderunt vos.* Sciens Dominus, quia carnis dilectio ex beneficiis carnalibus nascitur, vbi non fuit prius, & nutritur etiam vbi fuit prius: ideo iubet nos benefacere inimicis, vt corum odia nostris beneficiis compescantur. Si enim dando & accipiendo amicitia nascitur, quæ non erat prius: consequenter & odium, & omnis inimicitia beneficiorum assiduitate compescitur. Ergo benefacite odientibus, vt ex vestra beneuolentia ipsi se iudicent, quia iniustè uos odiunt. *Orate pro calumniantibus vos.* Orantes pro inimicis, non tantùm illos quãtum nos cõmendamus Deo: & magis exaudimur pro

opprobrijs tradidit.

sanctitatis.

creat.

mur pro inimicis orantes, quàm pro nobis. Qui enim pro se orat, non gratiæ opus exequitur, sed naturę. Quis enim pro se non orat? Qui autem pro inimico suo orat, dignè exauditur, quia gratiæ opus exequitur. *Vt sitis filij patris vestri.* In quo enim alio cognoscetur quia filij sumus Dei, nisi fuerimus similes Deo? Filij enim carnales frequenter similantur carnalibus patribus in facie, aut in loquela, aut in risu, aut in aliquo corporis signo: filij autem spiritales in sanctitate. Et illi quidẽ etsi similes fuerint, laudem nullam merẽtur, & si dissimiles, nullam vituperationem: quia nõ est in potestate hominis qualẽ accipiat corporis qualitatem. Filij autẽ Dei, siquidem similes fuerint laudandi sunt: si autem dissimiles, nimis vituperandi, quia in potestate vniuscuiusque est mensura faciendæ iustitiæ. *Si diligitis eos qui vos diligũt, quam mercedem habebitis?* Qui amicos diligit propter se diligit, non propter Deum, & ideo nullam habet mercedem: delectat enim eum ipsa dilectio. Qui autem inimicum suum diligit, non propter se diligit, sed propter Deum: ideo magnam habet mercedem, quia contradicit motibus suis. Vbi enim labor seminatur, illic metitur fructus. *Estote ergo perfecti, sicut & pater vester perfectus est.* Qui diligit amicum, peccatũ quidem non facit, iustitiam autem non operatur. Dimidium enim bonum est hominem discedere à malo, & nõ sequi bonũ: perfectum est autem, vt non solùm fugiat malum, sed etiam faciat bonum. Ideo dicit, perfecti estote, vt & amicos diligatis propter peccatũ vitandum, & inimicos propter iustitiam habendam: quoniam illud de pœna liberat, hoc autem ducit in gloriam: nec enim est perfecta Dei imago, quæ nõ per opera similat Deum. *Vt sitis filij patris vestri, qui Solem suũ iubet oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Cautè posuit dicens, super iustos & iniustos, non super iniustos, vt iustos, Quia omnia bona Deus non propter omnes homines dat super terram, sed propter paucos sanctos. Contentus est enim magis, vt peccatores cõtra meritum suum bonis Dei fruantur, quàm vt iusti contra meritũ suum à bonis eius fraudentur. Similiter & quando Dominus à peccatotibus irritatur, castigationem suam non propter homines bonos mittit, sed propter solos peccatores: tamen æqualiter & Iustos tangit, quemadmodum & peccatores. Nam quemadmodum in bonis nõ separat peccatores à Iustis: sic nec in malis separat Iustos à peccatoribus. In bonis peccatores à Iustis non separat, ne separati cognoscant se abiectos esse, & desperent: in malis Iustos à peccatoribus non separat, ne separati cognoscant se electos, & glorientur: maximè cùm nec malis bona prosint, sed noceant magis, nec bonis mala noceant, sed prosint magis. Nam malè viuentes dum bona percipiunt, ad præiudicium suum percipiunt. Et boni dum mala patiuntur, ad lucrum iustitiæ

CAP. VI. eis procedit. *Attendite autem ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* In superioribus Christus mandauit diligere inimicos, & benefacere eis. Videns autem quia in ipso beneficio laqueus diaboli latebat inclusus, qui bonorũ operum solet perdere fructum. Nam vana carnis natura, quamadmodũ primum difficilis est ad benefaciẽdum: ita etsi benefecerit, facilis est ad iactantiam boni operis: propterea & in hac parte nos instruit, dicens: Attendite vobis ne eleemosynam vestram coram hominibus faciatis: vt bonum vestrum non ad ministerium vanitatis proficiat, sed ad vsum salutis. Quòd autem præ omnibus vitiis carnalibus periculosius esse in hominibus intellexit, hoc cautius cauendum mandat, dicens: Attendite ne eleemosynam vestram coram hominibus faciatis: Quoniam omnia penè mala seruos diaboli vexant. Cõcupiscentia autem vanæ gloriæ non solum seruos diaboli, sed etiam seruos Dei, & viros fideles impugnat: magis autem seruos Dei, quàm seruos diaboli. Vbi enim res agitur glorioſa, ibi facilius locum inuenit gloriationis occasio. *Attendite.* Quid autem attẽdamus? locum secretum vbi homines non sunt? Sed quid prodest, si in loco quidem homines nõ fuerint, in corde autem fuerit cogitatio vana? Melius est ergo, vt in corde non sit cogitatio vana, quàm vt homines non sint in loco. Si ergo cor nostrum attẽdere debemus, non oculis carnalibus aspicere, sed sensu vigilare necesse est circa cor. inuisibilis enim est serpens & lubricus, quem obseruare iubemur, & latenter in sensus ingreditur, & seducit. Ideo enim non potest eum caro sordida aspicere, sed anima munda. Sicut enim in loco mundo & speciosо, si modica sordes fuerit, de longè apparet: si autem ipse locus sordidus fuerit, quantumuis stercoris iaceat ibi, non apparet: nec enim potest requiri, si est ibi aliquid stercoris, † vbi totum est stercus: Sic & in corde mundo, si surreptio inimici successerit, mox cor suum homo rectus discernit, quia à spiritu alieno pulsatur: si autem cor fuerit iniquitatibus plenum, suggestionem diaboli in se facilè non intelligit, Quomodo enim introitum eius intelligat, qui semper in eo est? ideo & antè præmisit, dicens: ne irascaris ne concupiscas, ne iures, ne malum pro malo reddas, ne odias proximum tuum: quoniam qui malis omnibus istis subiectus est, cor suum non potest attendere, nec intelligere diaboli seductionem in eo, quia in veste candida macula citò apparet, nigra autem vestis & si tota sordidata fuerit, non citò apparet. Et quomodo non potest fieri, vt coram hominibus eleemosynam faciamus, aut facientes non sentiamus? Si præsente aliquo occurrerit pauper, quomodo detur ei absconsè? Nam etsi non videtur, quod datur, tamen videtur, quia datur, ducendo eum secretò. Sed considera, quia non dixit tantummodo, Ne coram hominibus faciatis: sed addidit, vt videamini ab eis. Qui ergo non ideo facit, vt ab hominibus videatur, etsi coram hominibus fecerit, tamen non videtur coram hominibus fecisse. Ergo si sic facere eleemosynam non est possibile, vt nullus videat, aut sentiat: tamen eo proposito facere, vt non ab hominibus videamur, possibile est. Dicit enim Dominus: Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant homines opera vestra bona, &c. Sicut ergo accensa lampas abscondi non potest: sic nec opus iustitiæ potest celari. Ergo non eleemosyna ingrata est ante Deum, quæ hominibus visa fuerit, sed quæ ideo facta fuerit, vt ab hominibus videatur. Vt puta omnis homo qui aliquod opus facit, cuius causa facit id quod facit, in corde suo illius aspicit & personam. Ecce facis epistolam, vt aliquem salutes amicum, quandiu scribis, semper in corde tuo amici illius vides personam, propter quem scribis epistolam. Item artifex tenens opus in manu, semper eum præ oculis suis habet, qui ei opus commisit faciendum, dum cogitat quomodo illud facere mandauit: sic & qui propter Deum eleemosynam facit, neminem videt in corde suo, nisi personam Dei tantummodo propter quem facit. Ideo etsi euenerit, vt quibusdam præsentibus faciat, tamen animus eius homines illos non videt, etsi ipse videatur ab eis. Nunquam transisti per viam aliquid cogitans, & à multis quidem hominibus visus es, ipse autem nullum vidisti, intendens in id quod cogitabas? Quia animus sine corpore apud seipsum potest videre quod cogitat, corpus autem sine animo nihil potest videre. Ergo similiter & econtrariò fieri potest, vt quis nullis præsentibus eleemosynam faciat, & tamen præsentibus hominibus videatur feciſse: vtputa qui propter homines

Sup. 5.

Non prohibetur corã hominibus dari eleemosyna, sed vanæ gloriæ venatio inhibetur.

Sup. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eleemosynam facit: id est, qui desiderat vt ab hominibus videatur, semper in corde suo personas hominum videt: ideo & si euenerit vt faciente eo nullus sit præsens, tamen coram hominibus fecisse videtur, quia cor eius semper hominum personas videbat, *Alioqui non habebitis mercedem apud Patrem vestrum.* Et mandatum dat, & pœnam proponit, vt vanitatem humanam, & si non amor iustitiæ tenet, vel timor damni refrænet. Scit enim Dominus vanitatibus subditam esse carnis naturam: quia omnis homo quantum ad carnem delectatur hominibus apparere. Non enim fieri potest, vt caro nata de vanitate non sit vanitatis amatrix: nec Dominus admoneret nos, vt ne coram hominibus faciamus, nisi sciret omnes homines velle coram hominibus facere. Quis mandat alicui, ne forniceris, nisi quem intelligit esse lasciuum? Quis mandat alicui, nolite inebriari, nisi quem ebriosum esse cognoscit? Sic & admonitio Christi de fugienda vanitate, demonstratio est vanitatis humanæ. Attamen mandat, quia etsi caro vana vanitatem desiderat, & terrena conditio gloriam suam quærit in terra, quia non potest terrestris natura gloriam desiderare cœlestem: tamen anima quæ de veritate nata est, potest fugere vanitatem terrenam. Caro animæ subiecta est, non anima carni. Caro enim aduersus animam certare potest, vincere non potest, nisi ipsa anima consenserit vt vincatur. Anima autem aduersus carnem & certat, & vincit. Ergo & qui plena quidem voluntate propter homines facit, ille propter homines fecisse videtur: super cuius autem cor cogitatio quidem vana ascendit, desiderans hominibus apparere: anima autem intelligens, vanis cogitationibus contradixit & repulit consilium carnis, ille propter homines non videtur fecisse: quia secundùm carnem quidem voluit, secundùm animam autem noluit. Et quod cogitauit, passio carnis est: quod elegit, iudicium animæ. Nam si propter vanam carnis concupiscentiam dicimus eleemosynam factam esse ingratam, nullum bonum hominis acceptabile potest esse ante Deum, cùm nullum bonũ liberè homo facere potest, sed semper contra malas concupiscentias carnis certando faciamus bonam. Quis autem est homo castus? Nunquid qui non concupiscit? Absit: sed qui concupiscentiam suam vincit. Quis est mansuetus? Nunquid qui non irascitur? Absit: sed qui reprænat iracũdiam suam. Sic non ille propter Deum videtur facere eleemosynam, qui humanam gloriam non concupiscit, sed qui humanam gloriam animæ contradictione confringit. Alioquin in omni opere bono nec habemus mercedem, nisi malis contrariis vrgeamur per carnem. In omni enim opere bono scandalum diaboli positum est, sicut scriptum est
Psal.139. de dæmonibus: Iuxta semitam scandala posuerunt mihi: vt ipsum bonum non sit securum, si solum: sed iuxta malum positum, semper tentatum sit, & probatum. Sicut enim vbicunque fuerit triticum, necesse est vt inueniantur illic & zizania: sic vbicunque fuerit bonum Dei, illic erit & scandalum inimici. Quid ergo? Ecce proposuisti facere eleemosynam, sed ascendit super cor tuum velle hominibus apparere, nunquid debes subtrahere manum tuam, vt ne des locum vanæ cogitationi, dicens apud te: Melius est nec facere bonum, ne tantùm inueniar propter homines facere? Absit: sed perfice opus tuum, ne dum vis cogitationi vanæ resistere, perdas opus bonum. Veniat tibi in mentem,
Mat.13. quod Dominus ait de tritico & zizaniis: Sinite vtraque crescere vsque ad messem, ne eradicantes zizania, simul eradicetis & triticum. Triticum est enim voluntas bona, quam seminat Deus in homine: zizanium autem est cogitatio mala, quam diabolus seminauit per carnem. Cùm ergo omni voluntati bonæ adhæreat & desiderium malum, si volueris malam cogitationem tuam ad plenum tollere, simul tollis & opus bonum. Nam & ipse diabolus eo consilio seminauit zizanium suum in tritico Dei, vt attrita zizania eius suffocent triticum Dei: aut si quis voluerit diaboli zizanium tollere, simul eradicet & triticum Dei. Nunquid & continens, aut virgo, mox vt concupierit, iam cecidit? tantum plena voluntate non concupiscat, vt velit implere concupiscentiam suam: si autem ex necessitate carnis concupiuit, & contradixit concupiscentiæ suæ, non peccauit: sed magis glorioſior est effectus, quia vicit tanquam si non fuisset pulsatus. Quid ergo dicit Scriptura? Sine vt matureſcant vtraque: id est, adimple opus tuum, & due ad perfectum: & sic illa quidem vana cogitatio, quasi zizanium exiccatur, id est soluitur, euacuatur, & perit: bonum autem opus, quasi triticum manet. Nam sic intelliges, si ex voluntate tua fuerit illa vana concupiscentia, aut ex necessitate carnis. Si ex voluntate tua fuit, doles si te facientem eleemosynam tuam nullus aspexit: si autem gaudes posteà, quia eleemosyna tua in silentio facta est, scito quia concupiscentia tua non fuit ex animo tuo, sed ex necessitate carnis: & ideo quasi zizanium aruit. Sic & continens concupiscẽtiam suam probare potest. Si ex animo eius est quod concupiscit: sic etiam postquam transierit concupiscentia, voluntatem habet peccandi, tunc ex voluntate eius est cõcupiscentia. Si autem gaudet, quia non prævaluit aduersus eum concupiscentia, sed confusa recessit, intelligat, quia zizanium fuit ex necessitate carnis natum, & non fuit animæ eius voluntas. *Non habebitis mercedem apud Patrem vestrum.* Quid enim à Deo accipies, qui Deo nihil dedisti? Nam quod propter Deum fit, Deo datur, & ab eo recipitur: quod autem propter homines fit, in ventos effunditur, & à nullo speratur. Quid est enim aliud hominũ laus, quàm ventorum transeuntium sonus? Cessauerunt homines loqui, & perdidit fructum suum, quia propter homines fecit, vt ab eis laudaretur. Quæ est autem sapientia, res dare, & verba vacua comparare: aut certè mercedem Dei contemnere in perpetuum manentem in cœlis, & fugientes † hominum sermones eligere? Melius ad fugid. uos.
est enim non facere quàm propter homines facere. Qui enim non facit, etsi in cœlo non inuenit, vel super terram nihil perdit: qui autem propter homines facit, & in terra perdit, & in cœlo non inuenit. Vel illum aspice, à quo laudem expectas, quid sentit de te? Ideo te laudat, quia propter Deum te facere putat. Si autem intelligeret, quia propter eum facis, non te laudaret, sed vituperaret magis. Quid ergo illi placere festinas, qui si te aliquando intellexerit, deridebit? Sic est homo qui propter homines facit bonum: sicut mercenarius malus, qui intra tempus locationis suæ comedit omnes mercedes suas: cùm autem tempore completo recesserit, nudus egreditur. Sic ergo vacuus vadit ad Deum, qui mercedem omnium bonorum suorum accipere desideravit in sæculo. *Tu ergo cùm facis eleemosynam, noli tuba canere ante te sicut hypocritæ.* Verè enim subresponsor est, qui propter homines facit. Aliud enim habet in corde, & aliud monstrat in opere. In facie quidem propter necessitatem hominum facit, & videtur misericors: in corde autem propter vanam gloriam suam agit, & est vanæ gloriæ mercator. Tuba enim est omnis actus vel sermo, per quem operis iactantia demonstratur. Puta qui quando videt aliquem præsentem, facit eleemosynam, extra autem non facit: hoc tuba est, quia per hoc eius iactantia prædicatur. Item qui intercedente aliquo facit eleemosynam, vbi autem non est intercessor,

intercessor, non facit: hæc consuetudo mala, tuba est. Item qui si viderit honestiorem personam quæ potest referre, dat ei: obscuro autem, & alligato pauperi passionibus nihil dat: & hoc tuba est, etiam si in loco secreto fecerit, eo tamen proposito vt laudabilis videatur: primùm quia fecit, secundò quia absconsè: ipsa absconsio tuba est eleemosynæ eius. & quicquid illud fecerit homo per quod apparet, aut vult apparere, quia fecit, tuba est: quia per illud ipsa eleemosyna dum fit clamat de se: ideo non tantùm locus, nec actus secretus seruandus est, sed magis voluntas secreta. Nam in omni actu carnali diabolus fraudem facere potest, in sola conscientia non potest fieri dolus: quia hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Nunquid non intelligit homo hoc esse vanum, quod ab hominibus vult videri? Sed cogitur amare, quod intelligit vanum. Quid miserius quàm natura humana? Omne animal potest amare quod sibi intelligit bonum, & odire quod intelligit malum: solus homo quod intelligit malum, amare cogitur, & odire quod intelligit bonum: quia duas habet in se aduersantes naturas. Quod carni placet, animæ displicet, & quod animæ placet, carni displicet: vt sicut ait Iob, omnis vita nostra, tentatio sit.
Iob.7. Quòd si omnis vita nostra tentatio est, omnis vita nostra & lucrum est. *Te autẽ faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Iandudum significauimus hæc omnia ad animam dici, non ad carnem, quod hic sermo manifestè declarat. Alioqui quantùm ad corpus, quomodo potest fieri vt nesciat sinistra quid dextera faciat, cùm ambæ manus in adiutorium sibi inuicem sint creatæ, vt altera alteri administret, nec citò inueniatur opus quod vna manus sine altera possit implere? Sed secundùm quod diximus suprà: Dextera manus, est voluntas animæ, semper ad bonum contendens: sinistra autem, voluntas carnis, semper Deo contraria. Nesciat ergo carnis voluntas, quod facit voluntas animæ. Quando ergo voluntas est nobis faciendi eleemosynas propter Deum, voluntas est animæ, & dextera manus nostra. Si subcuntem nobis voluntatem vanam, vt ab hominibus videamur, id est voluntatem carnis, & manum sinistram repressérimus, nescit sinistra voluntas quid facit dextera. Si autem subhuius mũdi. cunti huiusmodi † vanæ voluntati consenserimus, coniunximus sinistram voluntatem dextræ, & dextram sinistræ: & notum fecimus sinistræ, quod dextera operabatur. Aliter certè, sicut apostoli interpretantur in libro Canonum, qui est de Episcopis. Dextera est populus Christianus, qui est ad dextram Christi: sinistra autem, omnis populus qui est ad sinistram. Hoc ergo dicit, ne Christianum facientem eleemosynam qui est dextra, infidelis aspiciat, qui est sinistra. Christianus autem si Christianum viderit eleemosynas facientem, non est contra Christi præceptum, quoniam ambo dextra sunt. *Sed sit eleemosyna tua in absconso.* Non tantùm in absondito loco, quantùm in absondito conscientiæ. Nam si anima intra claustra bonæ voluntatis inclusa sit, corporales actus nostros abscondere possumus: si autem anima per vanas cogitationes fuerit euagata, nihil prodest actus corporales absondere: quia sic absondimus, vt amplius publicemus. *Et Pater tuus qui videt in absondito, reddet tibi in manifesto.* Vide quia absconsum cordis, non loci, significat. Deus enim in absconso cordi est, non in absconso loco. Considera quia non ideo voluit Deus nos in absconso facere, vt non appareat opus nostrum. Alioqui quo modo dicit: Sic luceat lumen vestrum, vt videant homines opera vestra bona, & magnificent Patrem vestrum, qui in cœlis est? Sed vt ipse id ostendat. Nam gratius
gratia. est omne bonum quod à nobis absconditur, à Deo autem ostenditur. Nam si tu teipsum ostendas, pauci sunt qui te laudent: id est, qui non intelligant, quod tu latere potueris: qui autem intellexerit, vituperat magis, non laudat. Si autem te Deus ostendat, nemo vituperat, nisi fortè malus cui displicet bonus. Impossibile est enim, vt bonum opus hominis in absondito dimittat Deus: sed in hoc sæculo manifestat eum, & in illo glorificat, quia gloria Dei est. Sicut autem opus malum hominis ad gloriam diaboli est, in eo enim malitiæ eius virtus ostenditur: sic & opus bonum gloria Dei est, in eo enim gloria † eius ostenditur. Sicut ergo diabolus qui suggerit malum fieri, ipse manifestat malum: vtputa ipse suggerit adulterium facere, & ipse manifestat adulterium: ipse suggerit homicidium, & ipse publicat homicidium. Sic Deus qui dat bonum fieri, ipse publicat omne bonum in manifesto, id est, in sæculo illo futuro, quia hìc merces iustitiæ manifesta non potest esse: puta pro bono opere tuo, si te fecerit diuitem: quoniam hìc non solùm boni, sed etiam mali diuites sunt, magis autem mali quàm boni, ideo merces iustitiæ in diuitibus non apparet. Si tibi dederit habere filios, & filios filiorum, qui etiam in bonis & malis indifferenter, & boni & mali inueniuntur: & ideo iustitiæ merces manifesta non potest esse, cùm omne bonum quod est in hoc sæculo desiderabile, inter bonos & malos commune est: ideo si bonis datum fuerit, non apparet. Illius autem sæculi bona non sunt communia inter bonos & malos, sed tantum bonorum. Ideo cuicunque illic benefecerit Deus, manifestum est quia pro mercede iustitiæ suæ meruit illud bonum: nisi fortè sic in hoc mundo reddit in manifesto, faciens eum omnibus manifestum: & glorificans eum, vt omnes cognoscentes eum Dei hominem esse, venerentur eum. Aut si secundùm opera æstimetur & status bonorum Mundi istius: vtputa, multi incurrunt mala, & boni & mali in sæculo isto: vnde intelligimus quis tentatur in eis quasi bonus, & quis punitur quasi malus, secundùm opera. Si cuius enim opera videamus bona, scimus quia tentatur quasi iustus: cuius autem mala, dicimus quia punitur in eis, quasi peccator. Sic & bona mundi videmus & peccatores habere, & interdum Iustos: propterea secundùm opera est manifestum. Quoniam malus quidem, si bona in hoc mũdo fuerit consecutus, dicimus quia nutritur hìc inde iniquitas eius, vt illic intereat grauius. Si autem bonus, dicimus quia reddidit ei Deus mercedem iustitiæ suæ. *Et cum oratis non eritis sicut hypocritæ, qui amant stare in synagogis.* De oratione sermo est nobis, quam solam quasi spirituale talentum anima offert Deo de visceribus suis. Omnem enim iustitiam, quam facit homo, secundum potentiam suam facit, & de potentia sua profert: solam autem orationem secundum fidem suam facit, & ex fide sua profert. Vis autem scire quàm preciosa sit oratio? Nulla iustitia thymiamati assimilatur, nisi oratio sola: sicut in reuelatione Ioannis ostenditur, quomodo magnus angelus ante conspectum altaris processit, habens in manu thuribulum incensi odoramentorum, & dictum est ei: Istæ sunt orationes sanctorum. Sicut enim thymiama bene confectum, delectat hominem odorantem: sic oratio Iusti suauis est ante Deum. Vis autem scire dignitatem eius? Mox vt de ore processerit, suscipiunt eam angeli manibus suis, & offerunt ante Deum, sicut dicit archangelus ad Tobiam: Ego sum, qui orationem tuam obtuli ante Deum. Vis scire virtutem ipsius? Oratio trium puerorum fecit, vt ignis ardens non adureret eos, sed delectaret: vt flamma quidem videretur in specie vm-
Apo.8. Tob.12. Dan.3.

Universidad de Deusto Biblioteca

braculum autem esset in opere suo: quantò ergo gloriosa est, tantò cautè seruanda est, ne propter homines facta vilescat. *Qui amant in synagogis orare.* Putas quia in synagoga vetat orare, in conuentu hominum? Sed eo proposito in conuentu hominum vetat orare, vt videatur à conuentu: alioquin in conuentu fidelium Psal. 67. Ibid. 28. orare laudabile est, sicut dictum est: In Ecclesiis benedicite Dominum. Et iterum: Adorate Dominum in al. aula. regia † sancta eius. Puto autem & hoc ad locum non refert Dominus, sed ad propositum orantis: quoniam qui sic orat, vt videatur ab hominibus, mens illius non Deum aspicit: sed homines, qui sunt ibi, & videtur sibi in medio multorum orare. Ille talis quantùm ad propositum suum in synagoga orat. Eius autem orantis mens solùm aspicit Deum, si in illa hora est mens eius, quasi nullum habeat circa se, quia mens illius nullum videt, qui propter neminem orat. Et ideo quanuis in synagoga orat, tamen in secreto apud se videtur orare. Luc. 18. Deinde vt orans nihil nouum faciat, quod aspiciant homines: nec quis voce clamet, vt audiatur ab aliis: nec expandat manus suas, vt Pharisęus in templo, vt videatur à multis: neq; pectus suum apertè percutiat, sed absconsè, sicut publicanus in templo: neque impudẽter oculos tollat ad cœlũ, vt notabilis fiat: & ita quem nemo audit clamantem, nemo aspicit tale aliquid facientem, & inter multos stans, in secreto est. *Et in angulis platearum.* Non dixit, in plateis: sed, in angulis platearum. Vt ne si in plateis orauerint, quasi simulatores religionis vituperarẽtur, sed in angulis, vt videantur absconsè orare. Astuta vanitas: sciũt enim quia hoc ipsum absconsè orare laudabilius est, ideo fingunt se abscondere vt dupliciter laudentur. Primùm, quia orant: secundò, quia absconsè orant: & amplius se manifestant per hoc ipsum quod se abscondunt. Dic hypocrita, vt quid vis vt videaris orans? Nónne quia laudabilis res est orare? Vt quid ergo non vis esse laudabilis, qui vis vt lauderis? O insania vanitatis: esse nolunt, quod desiderant apparere. *Amen dico vobis, perceperunt mercedem* Gal. 6. *suam.* Vnusquisque vbi seminat, ibi metet: & quod seminat, hoc & metet. Propter homines orant, non propter Deum: sic & ab hominibus, non à Deo laudãtur. Mendaciter orant, cùm non orent: & mendaciter laudantur, cùm non sint laudabiles: speciem vacuam religionis vendunt, & verbum vacuum laudis emunt. Sicut oratio eorum Deum non delectat, sic nec laus hominum eos adornat. Quod enim in verbo positum est, tandiu est, quandiu dicitur verbum: cùm autem finitum fuerit verbum, finitur & bonum quod positum erat in verbo. *Tu autem cùm oras.* Tu qui vis, vt exaudiaris, non vt videaris: qui esse vis laudabilis, non apparere: qui in auribus Dei, non in oculis hominum loqueris. *Intra cubiculũ tuum, & claude ostiũ tuum.* Vt nemo sit ibi, nisi tu qui oras, & ille quẽ oras: & ne quis tecum sit alter, præter eum quem necessarium habes. Testis enim orantem grauat, nõ adiuuat: quia Deus orationibus non exigitur, sed placatur. Alterum dico alterius cordis. Qui autem eiusdẽ sunt cordis, etsi multi fuerint oratores, vnũ sunt, quia vnus spiritus orat in omnibus, Act. 4. sicut dictum est: Omnium autẽ credentiũ erat cor vnũ, & anima vna. Melius hæc enim spiritualiter intelliguntur ad animam dicta. Cubiculum enim est cor vel intellectus interior, id est, spiritualis: sicut scriptum est, Psal. 4. Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Ostium autem est sensus carnalis exterior, per quem omnia bona vel mala super animam Cant. 5. intrant. Sicut in Canticis ex persona Ecclesiæ Sapientia dicit: Ecce dilectus † meus pulsat ostium, aperi mihi fratruus. soror mea, proxima mea. Pulsat autem Christus ho-

A minem Christianum, aut per scripturas diuinas, aut bonas cogitationes super cor eius inducens: & ille qui suscipit eas, aperit Christo: qui autem expellit, claudit. Iubet ergo, vt anima interiorem ingrediatur intellectũ, quando orat, vt nihil cogitet, nisi de quo orat, & quem orat, vt claudat ostium sensus sui carnalis, vt omnes cogitationes carnales, & solicitudines foras excludat. Si autem orans de carnalibus rebus cogitaueris, nõ introisti in interriorẽ intellectum, nec clausisti ostiũ sensus: & ideo tacitè cum cogitationibus superfluis anima loquens, orationis perdit tẽpus. * Secundum hoc & il- fructus. lud superius intelligi potest. In media enim synagoga orat, qui in medio multitudinis malarũ cogitationum orat, vndiq; mundialibus solicitudinibus circundatus. Quando enim orans cogitat de vxore, de filiis, de mancipiis, de domo, de possessionibus, de pecoribus, de militia, de lucro, de capsis, & aliis quæ sunt innumerabilia, quæ super cor incautè orantis ascendunt: † nónne putas modica tibi, &c. B tibi videtur hæc synagoga malorum? Omnes enim istæ variæ species cogitationum, diuersi sunt immundi spiritus. Quomodo ergo non in media synagoga orat anima tua, quando tot secum immundos spiritus habuerit spectatores, & colloquentes? Possumus intelligere & ostium domus os corporis, vt non clamosa voce oremus Deum, sed desiderio tacito. Nam ex clamosa oratione multa mala nascuntur, maximè hæc tria. Primùm, qui clamosè orat, non credit Deum vbique esse, & absconsa audire. Ideo dupliciter Deum honorat, qui absconsè orat: primùm, quia orat: secundò, quia credit eum absconsa audire, sicut & audit. Nam Deus non voce clamosa pulsandus est, sed conscientia recta placandus: quia non est vocis auditor, sed cordis. Secundum autem malum, quod mysteria secretarum petitionum tuarum, quas fortè non oportebat alterum scire præter te & Deum: in auribus bonorum hominum & malorum audienda committis, & non C solùm non audiris à deo, quia indisciplinatè orasti, sed adhuc ab hominibus derideris, quibus absconsa tua manifestasti. Tertium verò malum, quia clamosè orans, iuxta te alterum non permittis orare. Vocibus enim tuis rapis sensum illius ad tuos sermones, & ideo non solùm non exaudiris, quia malè oras: sed adhuc peccatum colligis dum orare alios non permittis. Sic ergo ora, sicut audisti in libro Regnorum Annam orantem, quæ figuram portabat Ecclesiæ, de qua dictum est: Labia quidem eius mouebantur, vox au- 1. Reg. 1. tem eius non audiebatur. *Et pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi palàm.* Vt tunc cognoscant homines quem *† orasti, cùm viderint te accepisse quod orasti. quid. *Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici faciũt.* Quos orant Gentiles videamus, vt sciamus quare sic orant. Orant dæmones, qui etsi audiunt, exaudire non possunt. Nam neque mala præstare possunt, nisi permiserit Deus. Orant reges mortuos, Iouem, Mercuriũ, cæte- D rósque, quorum crimina sunt manifestiora quàm nomina, qui nec cum viuerent, poterant adiuuare. Orant idola insensata, quæ nec audire possunt, nec dare responsum. Iustè ergo diu clamant, vbi qui exaudiat non est. Propterea cum sacerdotes Baal deos suos clamarẽt propter sacrificia comburenda, deridens eos Helias, di- 3. Reg. 18. cebat: Clamate, clamate fortiter, forsitan dormiunt dij vestri. Sic & modò quasi dormientem Deum accusat, qui orationem suam longo sermone prosequitur. *Scit enim Pater vester quid vobis necessarium sit antequam petatis eum,* Si ergo præcognoscit quid volumus, non ideo oramus vt exponamus Deo quod volumus, sed vt placeat ei præstare quod desideramus. Et si Deus placandus est, non docendus: non est ei necessaria longa narratio,

tatio, sed bona voluntas. Sic ergo orabitis vos.

HOMILIA XIIII. EX CAP. VI.

PATER *noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, &c.* Patrẽ se magis, quàm Deum dominũ. *† voluit dici, vt nobis magnam fiduciam daret ad petẽdum, & spem largam ad impetrandum: quia serui non semper impetrant quod petunt. Nec enim semper ex bona cõscientia, quę iusta sunt petũt. Nam frequenter serui non considerant quid ad vtilitatẽ domini pertinet, sed ad suam: ideo non merentur semper audiri. Filij autẽ semper impetrant, quia ex bona conscientia, quę iusta sunt, petũt: nec considerant magis quid ad vtilitatem suam pertinet, quàm ad patris: ideo semper merentur audiri. Et tu si filium Dei te credis, illa pete quæ & tibi expediũt accipere, & illum decet præstare: si autẽ semper ab eo petas carnalia & terrena, aut difficilè impetras, aut fortè B nec impetras. Quomodo tibi illa præstat libẽter nõ habet. habenti, quę etsi habeas, vbiq; admonet te vt contemnas? *Pater noster.* Noster, dixit, nõ meus: libẽter audit † Deus, quando Christianus non solùm pro se, sed pro altero orat. Pro se enim orare, naturæ est: pro altero autẽ, gratiæ: pro se orare necessitas rei cogit, pro altero autem charitas fraternitatis hortatur. Dulcior est autem ante Deum oratio, non quam necessitas rei transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat. *Qui es in cœlis.* Vult vt sciamus nos patrem habere cœlestem, vt erubescamus nos terrenis rebus substernere, scientes nos patrem cœlestem habere. Sicut enim degener filius ad opprobrium pertinet generosi patris, sic & Christianus iniustus ad blasphemiam pertinet Dei iusti. Nam sicut per bonos Christianos Deus glorificatur, sic per malos blasphematur. *Sanctificetur nomen tuum,* Quomodo sanctificatur ab homine, qui sanctificat homines? Aut quod sanctum est, vt quid sanctificatur? Sed in se qui- C dem sanctum est, hoc autem quæritur, vt sanctificetur in nobis: id est, vt nos illum sanctificemus in nobis, vt cum nos illum sanctificauerimus in nobis, tunc ille nos sanctificet in se. Nam qui non sanctificat Deum, non sanctificatur à Deo. Sanctificamus autem Deum in nobis, quando scientes eum sanctum, timemus, & solicitè ingulemus. vigilamus, ne fortè violemus † sanctitatem nominis eius in nobis per opera nostra mala. Sicut qui præclara veste vestitus est, fugit omnem rem sordidam, ne fortè coinquinet eam, & perdat gratiam cãdoris eius: sic qui suscipit Deum in corde suo & spiritu suo, solicitus esse debet, ne fortè contaminet eum, sciens quia si cõtaminatus fuerit in nobis: ipse quidem in sua natura incontaminabilis manet: tamen contaminationis suæ iniuriã Regnum dei quid. grauiter nostro vindicabit interitu. *Adueniat regnum tuum.* Regnum Dei dicitur retributio vel tribulatio, Infr. 13. quam accipiunt aut iusti pro mercede iustitiæ, aut peccatores pro culpa peccati. Regnum Dei dicũtur & san- D Infr. 21. cti, sicut scriptum est, Et colligent zizania de regno eius, hoc est, de populo Christiano. Regnum Dei dicitur & iustitia, sicut dicitur: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. De omnibus vnus est intellectus. Aliud est regem esse, & aliud regnare. Ecce enim Deus naturaliter rex est, sed non in omnibus regnat: nec omnes homines sunt regnum eius, quia nec faciunt omnes voluntatem ipsius. Nam in iniquis Eph. 6. hominibus non Deus, sed diabolus regnat, cuius faciũt voluntatem. Vnde sapienter ait Apostolus, dicens: Aduersus rectores huius Mundi tenebrarum harum. Non dixit aduersus rectores huius Mundi tantummodo: sed addidit, Mundi tenebrarum, quia non totius Mundi

A sunt domini dæmones, sed tantummodo tenebrarum quæ sunt in mundo. Tenebræ autem mundi, dicuntur homines iniqui: sicut & sancti, mundi lux appellantur. Ibid. 5. Sicut ait Apostolus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Quia sicut per sanctos Deus ostenditur in hoc mundo, sic per iniquos homines obscuratur. Et potestatem quidem habet Deus in hominibus & perdere omnes si vult, sicut & ipsum principẽ peccatorum diabolum. Nam sicut diabolus, cùm sit in potestate Dei, tamen quoniam quãtum ad propositum suum non vult esse Dei, non est de regno Dei: sic & omnes peccatores quamuis sint in potestate Dei, tamen quia nolunt esse sub Deo, non sunt regnum Dei. Nam verè iustum regnum est, quãdo & rex vult homines habere sub se, & cupiunt homines esse sub eo. Quando autem rex per violentiam cogit esse sub se, illud quantum ad veritatẽ non est regnum, sed tyrannis. Ideo & Deus, quanuis habeat homines in potestate, tamen volentes B recipit tantùm, vt non sit tyrannus, sed rex. Diabolus planè tyrannus est, quia & nolentes compellit facere voluntatem suam. Quid est ergo quod dicit? Quia interim duo sunt regna in mundo, Dei & diaboli, id est, Iusti & Iniqui: & hoc quæritur, vt tollatur de medio regnum diaboli, id est, Iniqui: & veniat tantummodo regnum Dei, id est Iusti: & ideo dicit, Tuum vnũ regnum iusti. adueniat, quia interim non omnes sunt Dei. † Quod tunc fiet, quando omnes Iniqui cum principe suo dia- 1. Th. 4. bolo mittentur in stagnum flammeum inferorum. Omnes autem sancti resurgent, & euntes in obuiam Domino venient in aëre, & semper in hoc mundo, erunt cum ipso, vt omne quod est in hoc mundo, totũ sit Dei. Sic intelligendum est & de iustitia, quoniã modò & iustitia, & iniquitas regnãt: cùm autẽ extincta fuerit iniquitas sublato diabolo, tunc iustitia sola regnabit. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* Nunquid non facit Deus quod vult vbiq;? Dictum est enim: Quia (inquit) Psal. 134. C omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Sed hoc quæritur, vt in nobis fiat volũtas Dei, idest, vt eam nos faciamus. Quandiu ergo regnum mixtum est in terra, fit quidem voluntas Dei in hominibus, sed non sicut in cœlo. In cœlo enim omnes angeli nullius faciunt voluntatem, nisi Dei tantummodo: in terris autem non omnes faciunt Dei voluntatem: iniqui enim diaboli faciunt volũtatem. Cùm ergo regnum diaboli, hoc est, Iniqui sublati fuerint de hoc mundo, tunc omnes qui sunt super terram, solius Dei facient voluntatem, sicut angeli omnes in cœlo. Communiter autem accipi debet quod ait, Sicut in cœlo & in terra: id est, sanctificetur nomen tuum, sicut in cœlo & in terra: Adueniat regnum tuum, sicut in cœlo & in terra: Fiat volun ta tua, sicut in cœlo & in terra. Et vide quàm cautè locutus est. Non dixit, Pater sanctifica nomen tuum in nobis, adduc regnum tuum super nos, fac voluntatem D tuam in nobis: ne seipsum videatur Deus in hominibus sanctificare, aut regnum suum super quos vult adducere, aut voluntatem suam in quibus vult facere, & per hoc inueniatur Deus personarum acceptor. Nec iterum dixit, Sanctificemus nomen tuum, suscipiamus regnum tuum, faciamus voluntatem tuam, sicut in cœlo & in terra: ne hominum tantummodo videatur esse quod sanctificant Deum, aut quod suscipiunt regnum eius, aut quod faciunt voluntatem ipsius: sed mediè dixit, & impersonaliter: id est, sanctificetur, adueniat, fiat: vt vtriusque personæ opus necessarium demonstraret, quia & homo Deum necessarium habet, & Deus hominem ad iustitiam faciendam. Nam sicut homo non potest facere bonum, nisi habuerit adiutorium Dei: sic

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec Deus bonum operatur in homine, nisi homo voluerit. Sicut nec terra sine semine, nec semen sine terra fructificat: sic nec homo sine deo, nec Deus sine homine iustitiam operatur in homine. Ac si dicat, si hæc agitis, hæc oratis, digni filij estis huiusmodi patris. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* In prima quidem facie sic videntur verba sonare, vt qui dicunt panem nostrum quotidianum da nobis hodie, non habeant in crastinum, aut in procrastinum præparatum, vt possint dicere, panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Qui autem in crastinum paratum habet, aut in quinque, aut in decem dies: quomodo potest dicere panem meum quotidianum da mihi hodie? Illud enim petitur, quod interim non habetur: quod autem possidetur, vt quid adhuc requiritur? Quod si est, oratio ista aut paucis potest conuenire, aut forsitan nulli. Quis enim ita fidelis, vt cùm possit amplius habere, tamen amplius sibi non reseruat, nisi quotidianum victum? Forsitan solis conueniebat apostolis, qui docendi gratia per singulas ciuitates omni tempore vagabantur, & ipsa vagatio amplius quotidiano victu possidere non poterat. Sed ita debemus aptare Christi doctrinam, vt omnes in ea proficiant, ne fortè communis medicina iustitiæ, quæ ad salutem omnium est præparata, dum aut paucis aut nulli prodest, inueniatur esse superflua. Ita ergo intelligendum est, quia non solùm ideo oramus panem nostrum da nobis, vt habeamus quod mãducemus: sed vt quod manducamus, de manu Dei accipiamus. Nam habere ad manducandum, commune est inter Iustos & peccatores, frequenter autem & abũdantius peccatores habent quàm Iusti. De manu autem Dei accipere panem, non est commune, sed tantùm sanctorum, † Præparare ergo non vetant hæc verba, tamen cum peccato præparare vetant. Nam qui cum iustitia præparat, illi Deus dat panem quem manducat: qui autem cum peccato, illi non dat Deus, sed diabolus. Nam omnia quidem à Deo creantur, non tamen à Deo omnia subministrantur. Vel intelligendum est ita, vt dum à Deo datur, sanctificatus accipiatur: & ideo non dixit, Panem quotidianum da nobis hodie: sed addidit, Nostrum, id est quem habemus iam præparatum apud nos: illum da nobis, vt dum à te datur, sanctificetur. Vtputa si laicus offerat sacerdoti panem, vt sacerdos accipiens sanctificet, & porrigat ei: quod enim panis est, offerentis est: quod autem sanctificatus est, beneficium est sacerdotis. Nunquid non sufficerat sic dicere, Panem nostrum da nobis hodie? Vt quid ergo addidit, quotidianum? Vt luxuriosos cibos compescat. Vt tantum quis manducet, quantum ratio naturalis exigit, non quantum lasciuia carnis impellit. Si enim tu in vno conuiuio tantum expendas, quantum in pluribus sufficere poterat: Verbi gratia, hominibus centum moderatè viuentibus, aut tibi ipsi centum diebus disciplinatè viuenti, iam non quotidianum cibum mãducas, sed multorum dierum. Aut certè sicut suprà dixit de eleemosynis, aut de oratione, vt non coram hominibus faciamus: non quia hoc possibile erat omnino, sed vt doceat nos omnino spectationem hominum fugere velle, vt si possibile est, nec videatur: quod possibile non est. Sic & hîc docere nos volens, vt de nullo simus in hoc mundo soliciti, nisi de solo simplici victu, sic mandauit orare, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: non quia illicitum iudicauit plus habere hominem Christianum, quàm panem quotidianum: sed hoc docere voluit, vt si possibile est, neq; pane quotidiano plus habeat: quod possibile non est, quantum ad possibilitatem humanam. Item quare non solùm dixit, panem quotidianum da nobis: sed addidit, nostrum

iustorum.

A panem? Propter duas rationes. Primùm, quoniam omnia quæ dat nobis Deus, siue orantibus, siue militantibus, non nobis solis dat, sed etiam aliis per nos, vt de eo quòd accepimus à Deo, partem impotentibus faciamus. Qui ergo de laboribus suis indigentibus non præstat, non potest dicere, panem meum da mihi: nec enim panem suum tantummodo manducat, sed etiam alienum. Deinde qui de iustitia acquisitum panem mãducat, suum panem manducat: qui autem cum peccato, alienum. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Cum qua spe orat, qui inimicitiam seruat aduersus alterum, à quo forsitan læsus est? Sicut enim ipse orans mentitur, dicit enim, remitto, & non remittit: sic à Deo petit indulgentiam, & non illi indulgetur. Si ergo qui læsus est, sine spe † orat Deum, nisi indulserit ei à quo læsus est: quomodo putas orat, qui non solùm ab altero læsus non est, sed ipse per iniustitiam alios lædit & grauat? Sed multi nolentes dare veniam peccantibus in se, fugiunt istam orationem orare. Stulti, primùm quoniam qui non sic orat, quemadmodum docuit Christus, nec est Christi discipulus. Secundò, quia nec Pater libenter exaudit orationem quam Filius non dictauit. Cognoscit enim Pater Filij sui sensus & verba, nec suscipit quæ vsurpatio humana excogitauit, sed quæ sapientia Christi exposuit. Ergo orationem quidem dicere potes, circunuenire autem & fallere Deum non potes: nec accipis indulgentiam, nisi prius indulseris ipse. *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* Quoniam multa, & magnifica supra mandauit hominibus, vt Deum patrem suum dicant, vt genus suum de cœlo cognoscant, vt regnum Dei petant venire, vt non sint soliciti vnde pascantur: quæ omnia magnæ spei & iustitiæ signa sunt: ideo nunc additur humilitatis doctrina, vt dum dicunt, Ne nos inducas in tentationem: cognoscant se esse infirmos, & consideratio infirmitatis causam gloriationis extinguat. Duo ergo petimus, primum, vt non inducat nos in tentationem: secundò, vt si induxerit, liberet de periculo tentationis. Nam verè si secundùm veritatem iustitiæ suæ examinaret homines Deus, nullus posset fieri saluus. Ideo autem difficilè tentat, sciens infirmitatem nostram. Aut si tentat, non tàndiu tentat, quandiu nos vincamus tentationem, sed quandiu vincere nos velle ostendimus: id est, non virtutem nostram tentat, sed voluntatem: Apostolo nos confirmante, & dicente: Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis sustinere, &c. Volens enim glorificare hominem, tentat eum, non vt cum magno iudicio glorificet, sed vt ne sine causa glorificet. *Quoniam tuum est regnum, & virtus, & gloria.* Tria autem hæc ad tria quæ superius dixit, pertinentia introduxit. Quoniam dixerat suprà, Sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum: ac si dicat aliquis, ergo non habet Deus regnum in terra, quia oratis vt veniat? is respondet ad illud, quoniam tuum est regnum. Item quoniam dixerat, Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra: ac si dicat aliquis, ergo non potest Deus facere quod vult in terris, quia oratis vt fiat voluntas eius? ad hoc respondet, Quia tua virtus est: tanquam si dicant, Non ideo optamus regnum tuum in nobis, aut fieri voluntatem tuam in terris: quia non est regnum tuum in mũdo, nec potes facere quod vis in terris, sed quoniam regnum tuum vita æterna est, & voluntas tua iustitia est. Propterea nec redigis aliquem sub regno tuo, nisi ipse voluerit: nec operaris in aliquo voluntates tuas, nisi ipse consenserit. Propterea oramus, vt illuminati à te, velimus suscipere regnum tuum in nobis, & optemus facere voluntatem

causa.

B

C

D

1. Cor. 10.

voluntatem tuam. Item quoniam dixerat, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Ad illa respondet, quia tua est gloria. Verè enim quia si nihil deest timentibus Deum, Dei gloria est: si illis dimittentibus debitoribus suis, Deus dimittat eis peccata eorum, Dei gloria est: si autem non dimittentibus eis dimittat, non est gloria Dei, quia nec est iustum iudicium eius. Si non inducat in tentationem, aut inductos si propter iustam aliquam causam liberet, gloria Dei est. Et generaliter quicquid suprà orare præcepit, cum fuerit à Deo præstitum, Dei gloria est. *Si enim non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis.* Nam & superius cum dixisset, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: non dixit, sicut & nos dimittemus, vt prius nobis Deus dimittat, posteà nos debitoribus nostris. Scit enim Dominus omnes homines esse mendaces: quoniam etsi acceperint remissionem peccati sui, ipsi debitoribus suis non dimittunt. Ideo sic dicit, Dimitte nobis, sicut nos dimittimus: vt prius dimittamus, posteà petamus dimissionem, & à Deo remissionem peccatorum accipiamus.

A

B

HOMILIA XV. EX CAP. VI.

CVM *autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Omnium malorum prima & fortiora sunt tria mala: id est, gula, auaritia, & vana gloria. Aduersus quæ Dominus tentationis suscipiens bellum, pugnauit pro nobis. Cõtra gulam in eremo, contra auaritiam super montem, contra vanam gloriam super templum. Item omnium bonorum prima & fortiora sunt tria bona, eleemosyna, oratio, & ieiunium. Et vide quomodo aduersus tria mala inuẽta sunt tria bona, id est, eleemosyna contra auaritiam, ieiunium contra gulam, oratio contra vanam gloriam. Dic nobis, ecce ieiunium contra gulam venit, quia contrarium est ieiunium gulæ: & eleemosyna contra auaritiam conuenit, quia auaritia congregat, eleemosyna autem dispergit. Oratio quomodo conuenit contra gloriam vanam? Audi, Omnia mala quæ sunt in mundo, habent contraria bona per quæ superentur: vtputa fornicatio castitatem, superbia humilitatem, iracundia mansuetudinem. Et nullum est malum quod non habeat cõtrarium bonum, per quod superetur, dempta vana gloria. Ideo quantavis bona feceris volens compescere vanam gloriam, tantò magis excitas eam: & causa est ista, quia omne malum ex malo nascitur, sola autem vana gloria de bono procedit: ideo non extinguitur per bonum, sed magis nutritur. Denique inter homines peccatores tentatio vanæ gloriæ non habet locum. Fornicatius enim, aut raptor, quo modo tentetur in vana gloria, qui non habet vnde glorietur? Illi autem tentationem vanæ gloriæ patiuntur, qui tale aliquid faciunt vnde glorientur. Ergo nullum remedium potest esse contra vanam gloriam, nisi oratio sola: & hæc ipsa vanitatem generat, nisi cautè prospexeris, si fortè bene orauerit. Altera de eleemosyna, & ieiunio, & oratione diuisio in Lege scripta est: Non intres ante conspectum Dei tui vacuus. Vacuus autem intrat ante Deum, qui veniens ad orationem nullam eleemosynam facit. Non solum in veteri testamento, sed etiam in nouo præcipitur, vt per singulas septimanas vnusquisque Christianus aliquid in gazophylacum mittat ad orationem venturus, sicut ait Apostolus: Vnusquisque vestrum per singula sabbata

Exo. 23. & 34.

1. Cor. 16.

C

D

quòd illi placuerit apud se reponat, vt non cùm venero, tunc collectæ fiant. Item dicit Salomon: Ante orationem præpara animam tuam. Ille præparat animam suam ante orationem, qui faciens eleemosynam venit ad orationem. Sicut enim oleum accendit lumen lucernæ, ita & bona opera excitant fidem cordis, & dant confidentiam animæ apud Deum orandi. Ergo eleemosyna præparatio est orationis. Item ieiunium est adiutorium orationis, quia oratio sine ieiunio gracilis est, & infirma. Nam oratio illa est fortis, quæ fit in spiritu humili & corde tribulato, sicut & Propheta dicit: Sacrificium Deo spiritus, contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicit. Spiritum autem humilem & cor contribulatum habere non potest, qui manducat & bibit, & deliciis fruitur: Quia panis cor confirmat, vinum autem lætificat. Spiritum autem carnis humilem esse non permittit virtus quæ fit ex pane, & cor contribulatum esse non permittit iucunditas, quæ venit ex vino. Ideo quandocunque sancti pro aliqua necessitate, voluerunt exorare Deum, ieiunium cum oratione iunxerunt: sicut Daniel, & cæteri. Vnde quia virtus orationis ieiunium est, nunquam separantur ab inuicem, sed vbique simul ponuntur. Oratio & ieiunium de morte liberant. Item: Hoc genus non eiicitur, nisi in ieiunio & oratione. Sicut nec miles sine armis est aliquid, nec arma sine milite: sic nec oratio sine ieiunio, nec ieiunium sine oratione. Sed ex his tribus bonis prima est oratio, quia eleemosyna quidem de rebus exit, ieiunium autem de corpore: oratio verò nec de rebus nec de corpore, sed de anima procedit & de corde: ideo quasi prima dignitosior è duobus, media ponitur inter duas. Prima eleemosyna, secunda oratio, tertia ieiunium. Et quare eleemosyna ante orationem præcedit? quia mediatrix est, & præparatrix viæ ante faciem orationis, vt post eleemosynam sequens oratio, præparatum locum misericordiæ inueniat apud Deum. Ideo autem ieiunium sequitur orationem, quia non oratio ieiunij est adiutorium, sed ieiunium orationis. Et non oratio fit propter ieiunium, sed ieiunium propter orationem: ideo ieiunium non ante orationem præcedit, sed oratio ante ieiunium. Tertia diuisio. Item eleemosynam facere, aut orationem, aut ieiunare, non est omnium hominum, sed tantum Iustorum. Qui autem peccat, & eleemosynam facit, perdit quod facit. Pro cessato enim peccato peccatoris datur eleemosyna, non pro occurrente: id est, quando pœnitet nos quod fecerimus, non vt per pecuniam peccandi licentiam comparemus. Item ille orat, qui iam non peccat: qui autem orat & peccat, non rogat Deum, sed deludit Deum. Item ille ieiunat, qui non peccat: qui autem peccat & ieiunat, non ad gloriam Dei ieiunat, nec se humiliat, sed substantiæ suæ parcit. Denique considera in superioribus, ex quo cœpit Christus apostolis suis salutaria dare præcepta, non statim in primis mandauit de eleemosyna, aut ieiunio, aut oratione: sed prius expellit mala, posteà introducit bona. Scriptum est, Non occides: ego autem dico, nec irascaris. Scriptum est, Non periurabis: ego autem dico, nec iurabis. Scriptum est, Non adulterabis: ego autem dico, non concupiscas. Scriptum est, oculum pro oculo: ego autem dico, non omnino resistere malo. Scriptum est, diliges amicum tuum, & odies inimicum: ego autem dico, diligite, inimicos. Postquam ergo ab his omnibus malis hominem spoliauit: tunc dicit, *Videte ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus, &c.* Ostendens quoniam nisi homo ab illis omnibus recesserit prius, sine causa facit hæc bona. Prius oportet mala dimittere, & sic bona suscipere,

Eccl. 18.

Psal. 50.

Psal. 103.

Inst. 17.

Deut. 5. & seq.

Ibidem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia non potest fieri homo nouus nisi desierit esse ve- A tus. Qui autem mala non dimittit, & bona susçipit, bonorum suorum gratiam perdit: quemadmodum si quis homo in os suum aliquid dulce mittat cum amaro permixtum, dulcedo illa non dat suum saporem. *Nolite fieri tristes, sicut hypocritæ.* Siue de eleemosynis dicens, sic dicit, ne coram hominibus fiant. Siue de oratione sic, Nolite esse sicut hypocritæ in angulis platearum orantes: siue de ieiunio, hoc ipse dicit. Vides quia sciebat dominus vanam gloriam ex omni bono procedere. Ideo illam spinam, quæ assiduè nascitur in terra bona, iubet præcidere, ne spina vanæ gloriæ effocet ieiunij fructum. Nunquid potest fieri, vt non sentiatur qui ieiunat? Sed melius est vt ieiunium tuum te ostendat, quàm tu ieiunium tuum. Sciens autem Dominus, quia non potest fieri vt sit hilaris qui ieiunat: ideo non dixit, nolite esse tristes: sed nolite fieri tristes. Aliud enim est esse tristem, & aliud tristem fieri. Qui enim naturaliter propter assiduum ieiunium tristis B est, ille est tristis, non autem fit: qui autem per imposturas aliquas pallentes apparent, illi non sunt tristes, sed fiunt. Si ergo qui ieiunat & tristem se facit, hypocrita est: quanto magis iniquior est, qui non ieiunat, sed argumentis quibusdam in facie sua pingit venalem pallorem, quasi ieiunij signum? displicet ei natura sua, quia non potest mentiri quod non facit, & misera facies carnis argumentis quibusdam innocens castigatur, quia fraudibus non consentit. Puto quòd omnis sensatus intelligit, quia hæc verba carnaliter non intelliguntur. Nec enim potest fieri, quòd qui ieiunat non appareat tristis, nec mandat Dominus quod adimplere non possumus. Si enim ideo iubet nos non fieri tristes, vt ne per ipsam tristitiam appareamus hominibus ieiunare: quare mandat caput vngere, & faciem lauare? Sic enim ipsa vnctio capitis, & lauatio faciei, si à ieiunantibus semper seruentur: nihilominus sunt signa ieiunij. Sed hæc spiritualiter ad animam referun- C tur, vt ne tristitia spiritualis faciem spiritualem exterminet. Facies autem spiritualis animæ, est conscientia
Psal.26. eius, vel cor, sicut ostendit propheta, dicens: Tibi dixit cor meum, Dominum requiram, & exquisiuit te facies mea. Non enim facies carnea Deum quærit, sed conscientia. Item quoniam facies conscientia appel-
Gen.32. latur, ostendit Iacob, cùm fuisset luctatus cum homine: Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Verè enim tunc facie ad faciem Deum non vidit, quia in schemate hominis luctatus est cótra eum Deus. Nam schema corporale velamentum est Dei, non proprietas Dei. Sed mente vidit Deum. Vnde & Israël vocatus est, id est, mens videns Deum. Si autem facies eius Deum vidisset, vtique sic vocandus fuerat, facies Deum videns. Quid ergo? facies animæ conscientia appellatur. Sicut enim in conspectu hominum gratiosa facta est facies pulchra: sic in oculis Dei speciosa est conscientia munda. Item aliud est gaudium D corporale, aliud spirituale. Gaudium corporale, est
Rom.12. risus, iocus, & cæteræ delectationes carnales. Gaudium spirituale, est spes, sicut ait Apostolus: Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Vides quia potest fieri vt tristantes carnaliter, spiritualiter gaudeamus
Psal.45. in spe? Hoc enim dicit de Spiritu sancto propheta: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Item est tristitia corporalis, & est tristitia spiritualis. Tristitia corporalis, est afflictio carnis: tristitia autem spiritualis, desperatio & infidelitas animæ. Ergo dicens, Nolite fieri tristes: hoc dicit, Nolite propter homines ieiunare. Qui enim propter homines ieiunat, tristem facit conscientiam suam, id est, desperantem. Quomodo enim conscientia eius hilaris, sit & sperans in Deum ieiunio suo, qui non propter Deum, sed propter homines ieiunat? Sic & omnes hypocritæ, qui propter homines ieiunant, exterminant facies suas: ideò, conscientias suas. Quomodo enim exterminatas conscientias non habeant ante Deum, qui fingentes se propter Deum ieiunare, non propter Deum ieiunant, sed propter homines, volentes fallere & Deum, & homines? Aut ita, Nolite fieri tristes, sicut hypocritæ: id est, nolite sine spe & sine fide ieiunare. Sine spe autem ieiunat, qui non se abstinet à peccato, nec facit iustitiam. Nam sicut bona opera spem generant, id est, gaudium spirituale: sic mala opera desperationem, id est, tristitiam spiritualem. Qui enim peccans ieiunat, sine spe ieiunat, id est, non habet vnde speret, & gaudeat: sed est animus eius desperans, & tristis. Iam autem quomodo peccatum & desperatio exterminent faciem conscientiæ, nullus ignorat. Nam semper vulnerata est conscientia eius qui peccat. Sic ergo omnes hypocritæ ieiunant, non bonis actibus exhilarantes conscientiam suam in spe, sed malis operibus contristantes in desperationem. Hypocrita est ergo omnis, qui peccans ieiunat. Quid est ergo cum gaudio ieiunare, nisi prius spiritualiter ieiunare, deinde carnaliter? Nam sicut omne bonum est spirituale, sic est & carnale: & omne malum est spirituale & carnale. Vtputa fornicatio carnis est meretricatio, fornicatio autem spiritualis est præuaricatio. Castitas carnis, est nescire mulierem: castitas spiritualis, fidelem esse Deo. Humilitas corporalis assurgere homini, verbum dicere molle: humilitas spiritualis qui in corde suo alterum existimat meliorem quàm se. Superbia corporalis, asper sermo: superbia spiritualis, qui se meliorem putat esse, quàm alterum. Sic & ieiunium corporale est & spirituale. Corporale ieiunium est abstinere à cibis, spirituale ieiunium est abstinere à peccatis. Nam sicut caro delectatur manducando, sic spiritus carnis delectatur peccando. Vnde sapientes omne peccatum libidinem vocant, quia omne peccatum cum delectatione committimus. Ideo & circuncidebatur libidinis membrum, vt in mysterio generaliter omnium malorum delectatio tolleretur, quæ mala faciunt animum tristem, id est desperantem. Qui enim à cibis ieiunat, non ab operibus malis, ille apparet ieiunare, non autem ieiunat: quia quantùm ad homines ieiunat, quantùm ad Deum autem pessimè epulatur malis. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Delectatio illa laudis tandiu sentitur, quandiu auditur: mox autem vt aures transierit, transit & delectatio laudis. *Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua.* Tu qui misericors es, qui magis ieiunas corde quàm corpore, qui magis abstines à peccato quàm cibo: & ideo non hominibus, sed Deo ieiunas. Qui enim peccantes ieiunant, hominibus ieiunant, non Deo, & ideo hypocritæ sunt: qui autem verè Deo ieiunant, non tantùm à cibis se abstinent, quantùm ab omni actu iniquo: quoniam sicut cibus carnem delectat, sic omne malum delectat spritum carnis. Quid ergo? Quando ieiunamus, si infundamus oleum capiti nostro, verè vanum est: & si lauemus facies nostras aqua. Et quis facie non lauata procedit? Magis enim si hoc facimus, quasi per signa hæc lauationis & vnctionis publicamus nos ieiunare. Quid ergo? Simplex interpretatio huius loci hæc est, quoniam per aggerationem intelligenda sunt ista, sicut & cætera antè dicta: tanquam si dicat, Sic longè te facere debes ab ostentatione ieiunij tui, vt si potest fieri, quod non decet, etiam ea facias, quæ ex diuerso luxuriæ

so luxuriæ & epulationis videntur esse indicia. Spiri- A tualiter autem sic, sicut ex superioribus patet: quia facies animæ conscientia intelligitur, Proiice ergo abs te auaritiæ sordes, periurij stercora, malitiæque putredinem: & lauasti faciem, id est, conscientiam tuam aqua
Esa.1. prophetica, de qua dicit Esaias: Lauamini, & mundi estote, auferte nequitiam ab animabus vestris. Si enim absteleris nequitiam ab anima tua, lauasti conscientiam tuam, & bene ieiunas. Item caput tuum Christus est. Sitientem pota, esurientem ciba, algentem vesti & sic preciosissima myrrha, id est, oleo misericordiæ vnxisti caput tuum, id est Christum, qui clamat in Euange-
Iustā.25. lio, dicens: Quia quod vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis. Quoniam autem omnis iustitia in his duobus consistit: primùm, vt ne facias malum: secundùm, vt facias bonum: ad id quod pertinet ad fugienda peccata, dixit, laua faciem tuam: ad illud autem quod pertinet ad facienda bona opera, vnge caput tuum, & es amabilis sicut Maria, quæ postquam conscientiam suam B lachrymis pœnitentiæ lauit, postea infudit oleum super caput Christi, & impleta est domus odore: Ita & tuorum operum fama, si fueris talis, totam implebit Ecclesiam. Et quàm propriè dixit, faciem quidem lauare: caput autem non lauare, sed vngere. Quandiu enim sumus in corpore, conscientia nostra semper sordida est
Esa.53. in peccatis. Caput autem nostrum Christus lauationem necessariam non habet, sed solam vnctionem: Quia peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. *Nolite thesaurizare vobis thesauros super terram.* Præsens capitulum ad præcedens non habet cõsequentiæ rationem, quia illud de ieiunio dictum est, hoc autem de eleemosynis. Quid ergo est? Si memores sumus, nihil de eleemosyna, vel de oratione, vel de ieiunio, Dominus docuit suprà, sed simulationem eorum compescuit tantùm, vt ne coram hominibus faciant ea, vt videantur ab eis: non quia possibile est sic ea agere, vt non ea videant homines, sicut diximus suprà: sed solicitum fe- C
omni. cit hominem, vt quantùm ad se sic festinet agere ea, vt non videatur: vt ipsum bonum opus homini † Christiano magis in affectu sit, quàm in actu. Et conuenienter, quoniam & suprà legis quidem mandata magis ad opus respiciebant, quàm ad affectum: id est, non occides, nõ adulterabis, &c. Christus ad supplementum eorum spiritualiora introduxit mandata, ad affectum magis re-
omni. spicientia, quàm ad actum. Ego autem dico, ne irascaris, ne concupiscas, &c. Sic & hic vt boni † simulatione præcisa, opera eorum bona ad cor magis respiciant, quàm ad aspectum. Quoniam ergo, sicut exposuimus, nihil docuerat Christus de illis, nunc secundùm tres supradictas iustitias, eleemosynæ, orationis, & ieiunij, tres consequentias introduxit doctrinæ: vnam ad eleemosynam, alteram ad orationem, tertiam ad ieiunium. De quibus singulis demonstrabimus in proprio loco. Et ad eleemosynam doctrina subsequens hæc est: No- D lite thesaurizare vobis thesauros super terram, vt talis ordo sit narrationis: Cùm facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, vt glorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: vt sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi in manifesto: Nolite thesaurizare vobis thesauros super terram. Et hîc dat consilium, vt eleemosyna fiat: in secundo loco ostendit quæ vtilitas est in eleemosyna facienda: in tertio loco, vt neque timor inopiæ accidentis impediat voluntatem eleemosynæ faciendæ. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, quia non estis de terra, nec

de terra venistis, sed pro tempore de terra suscepistis terram, vt per terram vincatis terram: sed de cœlo estis, & de cœlo venistis, & iterum redituri estis in cœlum, nisi vltrò remanere volueritis in terra. Illic ergo subsistantiam tuam colloca, vbi patriam habes. Vis autem scire, quia peregrinus es in hoc mundo? Audi Prophetam dicẽtem: Incola ego sum in terra, non abscon- Psal.118.
das à me mandata tua. Quæ est ergo insipientia, vt contentus sis super terram: id est, in alienis vis seruire diabolo, cùm possis in cœlis: id est, in propriis regnare cum Christo? *Vbi tinea & comestura exterminant, & vbi fures effodiunt & furantur.* Omnia bona mundi triplex interitus tollit. Aut enim à semetipsis veterascunt, & tineant, sicut vestimenta: aut ipsis dominis luxuriosè viuentibus comeduntur, sicut cæteræ facultates: aut ab extraneis vel dolo, vel vi, vel calumniis, vel quolibet alio iniquo modo diripiuntur. Quia omnes fures dicuntur, qui per iniquitatem festinant aliena facere sua. Sed dices, Nunquid omnes qui hæc habent, perdunt ea? Ventilo vestimentum meum, & non tineat: parcius ago, & facultates meæ non comeduntur. Sollicitè ago res meas, & non diripiuntur à furibus. Interim quidem sic dicam, quia si non omnes perdunt, tamen multi perdunt. Quid ergo? melius est super terram reponere, vbi incertus est conseruationis euentus, an in cœlo, vbi est certa custodia? Hîc si non custodieris, perdes: si custodieris, timore & solicitudine cruciaris. Illic autem etsi dormis, à Deo seruantur: & cùm recordatus fueris, spe gratularis. Quæ est autem stultitia illic relinquere, vnde exiturus es, & illuc non præmittere quò iturus es? Verè autem malè seruatas diuitias, etsi corporaliter non perdidisti, spiritualiter perdidisti, quia nec proficiunt tibi ad vsum salutis. Quicquid enim pro anima tua feceris, hoc est tuum: quod autem reliqueris, perdidisti. Nam quod corporaliter malè congregatur, spiritualiter dispersum videtur, & perditum: quod autem corporaliter benè dispergitur, spiritualiter illud congregatum, & repositum videtur in cœlo. Nunc autem ponit quæ sit vtilitas in eleemosyna facienda, dicens: *Vbi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum.* Qui collocat thesauros in terra, non habet quod speret in cœlo. Vt quid enim aspiciat in cœlum, vbi nihil repositum habet? Propterea siue lætatur, in carnalibus & terrenis lætatur: siue tristatur, de carnalibus & terrenis tristatur. Qui autem diuitias suas reponit in cœlo, non habet spem in terra. Vt quid enim delectetur in terra, qui nihil habet in terra? Ideo siue lætatur, in spiritualibus lætatur: siue tristatur, de spiritualibus tristatur. Ergo peccatorum & lætitia mala, & tristitia peior, quia aut de lucro terreno lætantur, aut de damno tristantur: iustorum autem & lætitia bona, & tristitia melior: quoniam aut de iustitia lætantur, aut de peccato tristantur. Si enim aliqua causa mortis aduenerit, si quidem spes illius in terra sit, tristatur, quasi de domo
deest,non sua ad peregrè vadens, vt non * dicam ad tormenta: si autem spes eius in cœlo sit, gaudet quasi de peregrè
deest,non ad domum propriam reuersurus, vt non * dicam ad regnum cœleste. Secundò, qui thesaurizat in terris, dupliciter facit peccatum. Primùm, quia malè congregat: secundò, quia cor habens in terra, nunquam quæ Dei sunt recordatur, sed semper quæ terræ. Et qui thesaurizat in cœlo, dupliciter iustitiam facit. Primùm, quia bene fœnerat: secundò, quia spem habens in Deo, semper quæ Dei sunt cogitat & meditatur, & non quæ terræ. Et quemadmodum qui semel congregare cœperit in terra, ipsa concupiscentia terrena facit eum magis solicitum esse, nec solùm ne minuat inde, sed vt magis augeat: Sic & qui thesaurizat in cœlo, ipsa concupi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

scientia spiritualis facit eum solicitum, non solùm vt nõ perdat quod habet, sed adhuc vt augeat super id quod habet. *Lucerna corporis tui, est oculus tuus.* Prius commemorare debemus, quia non de corporali oculo loquitur sermo, nec de hoc corpore quod videtur à foris. Alioqui dixisset, Si oculus tuus sanus fuerit, aut infirmus: nunc autem dixit, simplex & nequam. Non enim omnis qui benignum habet oculum, omnino & corpus eius lucidum est: nec enim omnis qui malignum oculum habet, corpus eius in tenebris est. Quid enim si benignum oculum habet & infirmum? Nunquid corpus eius in lumine est? Aut si malignum & sanum, nunquid corpus eius in tenebris est? Ergo corporis non à foris, sed ab intus, id est, corporalis naturæ. Lucerna autem eius est mens, per quam anima videt Deum. Vnde Iacob est appellatus Israël. Israël autem Hebraicè interpretatur mẽs videns Deum. Postquam ergo dixit, Thesaurizate vobis in cœlo, quoniam vbi thesaurus tuus fuerit, ibi erit & cor tuum: conuenienter subiunxit, Lucerna corporis tui, oculus tuus est. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Vt ostendat, quia qui eleemosynas faciunt, cor ad Deum habere debent: qui autem cor habet ad Deum, illius oculus lucidus est: id est, illius mens spiritualis & munda est, nec terrenis concupiscentiis sordidata, sicut scriptum est: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Sicut enim qui graues oculos habet, si ponas eum in aliquo obscuro tenebrosóque loco, melius videt: si autem ponas eum in Sole, nihil videt, quia oculus eius non suffert Solis candorem: Sic homo mundialis, qui oculum, id est mentem, terrenis desideriis sordidam habet, & turbulentam: si ponas eum in rebus mundialibus, sapit & astutus est: si autem trahas eum ad res spirituales, tenebrescit, ac nihil sapit: quia mens illius desideriis corrupta terrenis iustitiæ bonum non sentit. Non sentit dico, non nescit: scit autem, sed non sentit bonum iustitiæ, quia nec delectatur in eo: præoccupatum enim habet cor circa delectationem terrenam. *Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Quæ sunt in nobis tenebræ? Sensus carnales, maleuoli & iniqui, qui semper desiderant quæ sunt tenebrarum, & non lucis. In quo enim alio delectatur carnis natura, nisi in auaritia, in libidine, in superbia, in deliciis, cæterísque malis, quæ ad tenebrosam mortem deducunt? Et qui intelligit quid est, quòd caro concupiscit aduersus spiritum: ille intelligit, quia tenebræ sunt carnis natura. Qui ergo oculum habet mundum, id est, mentem spiritualem, cœlestia semper aspicientem, corpus suum seruat lucidum, id est, sine peccato. Si enim caro desiderat ea quæ diximus mala, secundùm suam naturam homo habens mentem lucidam, & spem ad Deum, iustitiæ considerationem dijudicat eam, & diuini timoris virtute repercutit eam: & sic quanuis nolentem, tamen seruat eam lucidam, id est, sine peccato. Intellexisti ergo quomodo qui oculum habet simplicem, corpus suum lucidum habet: qui autem oculum, id est, mentem habet aut malignitate aliqua tenebrosam, aut diuitiarum concupiscentia turbulentam, tenebrosum possidet corpus? Nam quæ res faciunt mentem hominis spiritualem esse & mundam, ipsæ res ex diuerso faciunt carnalem & sordidam. Quomodo fit munda mens illius qui facit eleemosynas, & spem habet in cœlo: spes autem in Deum, facit mentem spiritualem & mundam: Sic qui diuitias congregat cum peccato, spem suam ponit in terra: qui autem spem habet in terra, illius mens carnalis est & immunda. Illius ergo tota caro in tenebris est, id est in peccatis. Quomodo? Quando enim caro secundùm suam naturam, sicut diximus, concupiscit peruersa, homo spem habens in terra, & mentem concupiscentiis turbulentam, non ei contradicit, nec iustitiæ consideratione dijudicat, nec iudicij futuri virtute repercutit: quia nec videt cùm sit cæcus, nec intelligit esse malum quod malum est, & si vult non potest, quia spem non habet, nisi in sæculo. Scimus autem quia spes nobis præstat virtutem, vt carnalibus concupiscentiis resistamus: qui autem spem non habet in cœlo, virtutem non habet resistere concupiscentiis suis, & ideo fit caro illius tota tenebrosa. Et vt breuius & manifestius exponamus: Anima pritiſquam peccet, diuino auxilio confortata, regina & domina est corporis sui, & quasi libera & regina sedet in throno cordis sui, & gubernat corpus suum quasi palatium suum, nec potest illam vincere caro. Si autem grauibus se peccatis obligauerit, tunc diuino auxilio destituta, & in potestate spirituum immundorum redacta, fit debilis & infirma, vt non iam sit domina corporis sui, sed ancilla magis: & iam non caro animæ subiecta est, sed anima carni, nec quod vult anima caro facit, sed quod caro coëgerit, hoc anima facit. Intellexisti ergo quo modo qui oculum mentis sordidum habet, totum corpus illius tenebrosum est? *Si autem lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ sunt?* Sicut suprà diximus, tenebra est semper carnalis natura, quia semper peccatrix est: etsi non peccet contradicente sibi anima, tamen rectè peccatrix & tenebrosa vocatur, quia semper habet caro peccandi propositum, vt frequenter etiam iustæ animæ surrepat, vt quod suum est agat. Quis enim est ita fidelis, qui nunquam vel ex parte est à carne victus? & si est, rarus est. Lumen autem est in corde, sicut iam frequenter audistis, anima Deum videns, id est, spiritualis. Si ergo ipsa anima diuina cùm sit, & data est ad illuminandum illam carnem, fiat quasi carnalis, & terrenis concupiscentiis contenebrescat, terrena semper aspiciens, illius talis hominis caro iam vide quomodo inuoluta sit in tenebris peccatorum. Si enim (sicut diximus) in viro iusto contradicente sibi rationali animæ, semper caro surripit animæ, & quod suum est agit: quantis putas in homine malo iniquitatibus se inuoluet caro, quando anima quæ contradicere illi debuerat, consentit ei, consimilia concupiscens? Per alteram quidem speciem, tamen eundem sensum exponit Lucas, primùm mandans: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quod possidetis, & date eleemosynam: facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlo, & cætera. Deinde ait, Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptiis. Ostendens quia nemo potest habere lumbos præcinctos ad exeundum de hoc mundo, nec lucernas ardentes, nec expectare dominum suum, nisi qui vendunt quod habent, & dant eleemosynas, & faciunt sibi sacculos qui non veterascunt, & thesaurum non deficientem in cœlo.

Israel.

Supra 5.

Galat. 5.

Luc. 12.

Homil. XVI. ex cap. VI.

NEMO *potest duobus dominis seruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet.* Videamus inprimis quomodo dicta præcedentia subsequantur verba præsentia. Superius præcepit eleemosynas facere, dicens: Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, quoniam qui thesaurizauerit thesauros sibi in cœlo, ille cor habet in cœlo, & spem ad Deum: ille habet oculum animæ simplicem, id est, mentem mundam & spiritualem, & semper non terrena, sed cœlestia meditantem. Qui autem habet mentem mundam & spiritualem, ille potest corpus suum seruare lucidum, id est, sine peccato. Qui autem non facit eleemosynas, nec cor habet in cœlo, nec spem in Deum, nec mentem mundam & spiritualem, neque potest corpus suum seruare lucidum, id est, sine peccato: quia nemo potest duobus dominis seruire, Deo & mammonæ, id est diuitiis. Mammonæ enim Syriaca lingua diuitiæ appellantur. Sicut ergo qui duos dominos habet, necesse est vt vnum amet, & alterum odiat: vnum contemnat, & alteri obediat: Sic & qui vult Deum amare, necesse est vt odiat diuitias: qui autem voluerit amare diuitias, necesse est vt odiat Deum: & qui vult mandata Dei facere, necesse est vt odiat diuitias: & qui vult mandatis Dei obedire, necesse est vt contemnat auaritiæ mandata facere: & qui voluerit auaritiæ mandata facere, necesse est vt contemnat Dei mandata. Considera autem, non dixit, nemo potest habere Deum & diuitias: sed, nemo potest Dei esse seruus, & diuitiarum. Aliud est enim habere diuitias, aliud autem seruire diuitiis. Si habes diuitias, & diuitiæ illæ non te faciunt superbum aut violentum, sed secundùm quod potes das impotentibus, dominus es diuitiarum tuarum, non seruus: quia non te diuitiæ tuæ tenent, sed tu diuitias tuas. Si autem diuitiæ tuæ superbum te faciunt, aut violentum, & constrictus auaritia nemini aliquid præstans, tunc seruus es diuitiarum tuarum, non dominus: quia diuitiæ tuæ te tenent, non tu diuitias tuas. Nunc iam docet, vt ne timor inopiæ impediat ab eleemosynis voluntatem, dicens: *Ideo dico vobis, ne soliciti sitis in cordibus vestris quid manducetis.* Nam solicitudo, desperationis est filia: quia desperatio solicitudinẽ generat. Quid est quod dicit, ideo dico vobis? Et quid? Vt eleemosynas faciatis, vt thesaurizantes in cœlo cor mundum habeatis, sperantes in Deum. Qui autem sperat in Deum, ille non est solicitus quid manducet, aut quo vestiatur: quoniam nulla res est quæ facit homines desperare in aliqua necessitate nisi ista res, quia non habet spem in Deum. Ne ergo mihi dicas, nunquid volo esse solicitus? sed ipsa res me cogit. Nunquid nolo sperare in Deum? sed non possum. Cor enim meum, non me audit. Nescis quid pateris, langues, & tamen causam tui languoris ignoras. Vis ostendam tibi causam, vt in omni necessitate nunquam desperes? Fac benè & operare iustitiam, vt spem habeas apud Deum, & non desperabis in terra. Bona enim opera sunt quæ sperare faciunt, & mala opera desperare compellunt. Propterea non dixit Propheta: Spera in Deo, & inhabita terram, & pasceris in diuitiis eius: sed, Spera in Deo, & fac bonitatem, & inhabita terram. *Ne soliciti sitis quid manducetis.* Non dixit, nolite laborare: sed, nolite soliciti esse. Ergo soliciti esse vetamur, laborare autem iubemur. Sic enim & Dominus loquens ad Adam, non dixit, cum solicitudine facies tibi panem, sed cum labore & sudore faciei tuæ. Ergo non solicitudinibus spiritualibus, sed laboribus corporalibus acquirendus est panis. Sicut laborantibus enim pro præmio diligentiæ, Deo præstante, panis abundat: sic dormientibus & negligentibus pro pœna negligentiæ, Deo faciente, subducitur. *Nonne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum?* Confirmat spem nostram, primùm de maiore ad minus descendens, deinde à minore ad maius ascendens. Quomodo si animam dedit, escam non dabit? Si corpus plasmauit, vestimentum non prouidebit? Nisi voluisset esse quod est, non creauit. Quod autem sic creauit vt per escam seruetur, necesse est vt det ei escam, quandiu vult esse quod fecit. Quid est à minore ad maius? *Videte volatilia cœli, neque seminant, neque metunt*, &c. Si auibus præstat alimentum, hominibus non præstabit alituram? Si illi non laborantes inueniunt escas, homo non inueniet, cui Deus dedit & operandi sapientiam,* & fructificandi spem? Omnia enim animalia Deus propter hominem fecit, hominem autem propter se. Si ergo animalibus ministrat propter hominem, hominibus non ministrabit propter seipsum? Omnia Deus in sapientia fecit, hominem autem non solum in sapientia, sed etiam secundùm sapientiam suam. Quantò ergo preciosior hominis creatio quàm animalium, tantò maior solicitudo Dei de hominibus, quàm de animalibus. Omnia Deus animalia fecit, vt tandiu sint, quandiu sunt: cùm verò mortua fuerint, fiant tanquam quæ non fuerunt: hominem autem vt non solùm ante mortem, sed etiam post mortem viuat: magis autem post mortem, quàm ante mortem: quoniam ante mortem in tentatione viuit, post mortem autem in gloria. Si ergo illis occurrit, quos sic creauit, vt tantummodo videantur: * hominibus non occurret, quos fecit vt in perpetuo viuant? *Quis vestrum cogitando potest adjcere ad staturam suam cubitum vnum? Et de vestimento quid soliciti estis?* Si ergo cogitandò modicam partem corpori vestro adhibere* non potestis, quomodo cogitando saluandi estis in toto? Deus qui te ex nihilo formauit in vtero, & de periculo cum periculo nascentem de vtero matris eripuit, te non solùm non cogitante, sed neque sciente. Deus qui per singulos dies incrementa corporis tui dat, & sapientia facit, te non intelligente. Si ergo in teipso quotidie prouidentiam operatur, quomodo in necessariis tuis cessabit? Considerate lilia agri, quomodo in tempore opportuno crescunt, tempore statuto formantur. In frondibus vestiuntur candore, implentur odoribus: & quod terra radici non dederat, neque radix illi, inuisibili operatione Deus largitur. neque plus istis, & minus aliis: sed in omnibus eadem prouidentiæ plenitudo seruatur, vt non à seipsis nata, neque euentu facta putentur, sed Dei prouidentia intelligantur esse disposita. *Nunquid laborant? nunquid nent?* Dicendo non seminant, *† viros confortat: dicendo autem, neque nent, mulieres: quoniam virorum vita seminationibus, mulierum autem lanificio sustentatur. *Neque Salomon in omni gloria sua sic vestiebatur.* Quia Salomon etsi non laborabat, neque solicitus erat quid vestiret: tamen vel iubebat, vel disponebat, vel sciebat. Vbi autem iussio & dispositio, illic & ministrantium offensa frequenter inuenitur, & iubentis iracundia excitatur: hæc autem nesciunt quomodo sic coronantur. †* Illi homines ministrabant, istis Deus. *Si enim fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei?* Si ergo floribus siç occurrit, qui sic nati sunt, vt tantummodo videantur & pereant: homines negliget, quos sic creauit, vt non pro tempore videantur, sed vt in perpetuò sint? Qui intelligit quid est homo, non desperat de Deo: qui autem desperat de Deo, nescit quid est: quoniam homo in Deo, & Deus in homine est. *Nolite ergo soliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus?* Deus enim hæc in natura creauit, quasi regulam terræ mandans: Producat terra herbam pabuli ideo vult aut non vult, bonis & malis germinat: quia terra ministrare iussa est, non iudicare. Bonum autem & malum non in natura creauit, sed in arbitrio nostro posuit, vt quod volumus, simus. Ideo bonis palma proponitur, malis autem pœna. Quæ est ergo sapientia, de eo esse solicitum, quod etsi solicitus non fueris, habebis: & de illo non esse solicitum, de quo si solicitus non fueris, perdes? Nam escam etsi solicitus non fueris de

Mammonæ.

Psal. 36.

Luc. 16.

Luc. 12.

* scientiâ.

* viuant.

* addere.

* laborât.

vestiuntur. ornantur.

ea, inuenies: iustitiam autem nisi solicitus fueris, non apprehendes. *Hæc enim omnia gentes quærunt.* Quia in rebus humanis fortunam esse credunt, non prouidentia neque iudicio Dei vitas suas gubernari æstimant, sed incerto duci euentu, ideo meritò timent, meritò soliciti sunt, & desperant, quasi qui neminem habeant gubernantem. Qui autem credit se iudicio Dei gubernari, non incerto duci euentu, escam quidem suam in manu Dei committit, sciens quia neminem sine voluntate & iudicio Dei fames aut nuditas occidit. Cogitat autem de bono & malo, sciens quia nisi solicitus fuerit, nec malum fugiet, nec bonum apprehendet: ideo dicit, *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius.* Regnum Dei est retributio bonorum operum & malorum: iustitia autem est via pietatis, per quam itur ad regnum. Si ergo die ac nocte cogitas qualis erit gloria sanctorum, vel qualis erit interitus impiorum & peccatorum, necesse est vt aut propter timorem pœnæ territus, recedas à malo, aut propter desiderium gloriæ excitatus, festines ad bonum. Et si quotidie cogitaueris, quæ sit iustitia Dei, & quid odit, quíd ve amat, ipsa iustitia ostendet tibi vias suas. Nam iustitia sicut odientes se fugit, sic amantes se sequitur. Nec enim daturi sumus rationem vtrum pauperes fuerimus, aut diuites, quia nec fuit hoc in nostra potestate: sed si benè egimus aut malè, quod in nostro iacet arbitrio. Dictum est ad hominem: Maledicta terra in operibus tuis. Vides quia propter peccata hominum maledicitur terra, vt non germinet: benedicitur autem, cùm bona opera fecerimus? Tu ergo quære iustitiam, & non tibi deerit panis: quoniam sicut propter mala opera fructus terræ subducitur, sic propter bona abundat. Propterea dicit, *Quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis. Nolite ergo soliciti esse in crastinum.* Iam diximus, quoniam quod dicit hodie, hoc solùm significat, quo opus habemus in vita nostra præsenti. Quòd autem dicit, cras: quod superfluum est supra necessitatem ostendit. Nihil ergo curetis superfluum habere, quàm necessarium est vobis in vita præsenti ad vitam quotidianam. Quod autem superfluum fuerit, quod est cras, curabit se: ac si dicat, Superflua quantacunque congregueris, illa seipsa curabunt. Te quidem non eis fruente, ipsa autem inuenient dominos multos, qui ea procurent, sicut placuerit ipsis. Quid ergo curas de illis, quorum potestatem aliis es dimissurus? *Sufficit enim diei malicia sua.* a Si dicat, Sufficit tibi labor & miseria, quam pateris in vita propter vsus quotidianos, quos necessarios habes. Noli superfluè pro superfluis laborare, ne labor quidem fiat tuus, fruitio autem alterius. Maliciam autem dici, ipsam afflictionem appellat solicitudinum præsentium & laborum: non sicut Manichæi dicunt, malam esse ipsam creaturam Dei.

Gen. 3.

Homilia xvii. ex cap. vii.

NOLITE *iudicare, vt ne iudicemini: nolite condemnare, & non condemnabimini.* Quidam hunc locum secundùm huiusmodi sensum exponunt dicentes, quia Dominus hoc mandato non prohibet Christianos ex benevolentia cortipere alios Christianos dignos correptione: sed ne aut per iactãtiam iustitiæ suæ Christianos despiciant peccatores, derogantes frequenter de multis, & ex solis plerunque suspicionibus odientes cæteros & condemnantes, & sub specie pietatis proprium odium exequentes. Et vt ne sic quidem Christiani corripiant Christianos, conuenit sermo, qui dicit: Nolite iudicare. Si autem non * corripuerint, vtrum conueniat illud quod dicit: Vt non iudicemini, nescio. Nunquid propter illud solùm, si sic non corripuerint peccatores, consequentur indulgentiam peccatorum suorum, secundùm quod dictum est, Et non iudicabimini? Si enim iudicantes, sicut iudicare non decet, malè faciunt: sine dubio non iudicantes, veniam peccatorum priorum ex hoc non consequentur, quia non iudicaverunt malè. Quis enim consequitur indulgentiam mali sui prioris, quia non addidit & alterum malum? Certè si in se peccantes non iudicauerint, nec ipsi iudicabuntur à Deo pro suo peccato. Hæc diximus, volentes ostendere, quia hic sermo non est positus de proximis non iudicandis, qui peccant in Deum, sed qui in nos peccant. Quid ergo est? Vsque nunc exposuit consequentiam ad iustitiam eleemosynæ pertinẽtem, nunc autem incipit exponere consequentiam ad iustitiam orationis respicientem. Et est doctrina hæc quodammodo pars ipsius orationis: vt sit talis ordo narrationis: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Nolite iudicare, vt non iudicemini. Qui enim non iudicat proximum suum propter peccatum quod fecit in ipsum, illum nec Deus iudicat propter peccatum quod fecit in ipsum: sed dimittet Deus debitum eius, sicut & ipse dimittit debitoribus suis. Sicut autem cætera vniuersa mandata generaliter cunctis mandauit, tam sacerdotibus quàm laicis, præcipuè tamen doctoribus, qui quantò maiores sunt in ordine, tantò perfectiores esse debent in disciplina. Sic & hoc mandatum de proximis non iudicandis, ad omnes quidem pertinet, præcipuè tamen ad doctores. Vnde quædam sunt mandatorum istorum, quæ si diligenter aspicias, pene nec conueniunt laicis, nisi fortè parum, doctoribus autem omnino conueniunt: quale est hoc ipsum quod sequitur, *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides? Hypocrita eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui.* Videre enim festucam in oculo fratris omnium est: eijcere illam posse non est omnium, sed tantùm doctorum qui per doctrinam vel increpationem secundùm Deum possunt eijcere de mente fratris sui peccatum vel magnum vel modicum. Sicut & illud quod dicit: *Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas vestras miseritis ante porcos.* Habere enim vel sancta, vel margaritas, & posse dispensare vel bona vel mala: & discernere qui hominum sunt canes, qui porci, non est omnium hominum, sed sanctorum. Vult ergo Dominus doctores Christianorum sicut in omni iustitia, sic & hoc primùm facere, deinde docere: vt doctrinam suam bonam meliori cum vita commendent, vt bene docendo scientiam inserant, melius autem viuendo timorem: quia tales sales sunt terræ, condientes omnes suæ vitæ exemplo: & lucescunt doctrinis illuminantes. Quis autem audiat illum docentem, qui seipsum non audit? Ideo dicit ad omnes, præcipuè ad doctores: *Nolite iudicare, vt non iudicemini.* Quoniam si doctor memor sit iniuriæ & doloris, & memoriam maliciæ seruet in anima sua, soluitur totus Ecclesiæ status, siue ad tempus respicias Apostolorum, siue ad nostrum. Tunc enim, sicut legimus, difficile aliquos conuertebant ad fidem Christi, nisi multa prius paterentur ab ipsis. Nam quasi lassato diabolo, & deuicto per sufferentiam eorum nimiam vsque ad mortem, & relinquente corda infidelium, & iam non habente virtutem amplius eos armare, accedente gratia Dei conuertebantur ad Christum. Si ergo memores fuissent iniuriarum, quas fuerant passi ab eis, nunquam postmodum eos in charitate docuissent, nunquam eos libenter

* al. deest non.

benter ad fidem Christi postmodum recepissent: sed & nunc cùm frequenter doctores offendantur à laicis, siue iustè siue iniustè, diabolo seminante occasiones, si memores sint iniuriæ & doloris, totam soluunt ecclesiam. Nam vbi recordatio iniuriæ aut doloris in medio est, nec doctor benevolenter docet laicum, nec libenter eum laicus auscultat: & doctor forsitan vel inuitus aperit os suum ad docendum: laicus autem cùm sit omnino sine timore Dei, nec vsque ad faciem contentus est eum audire, sed conuerso egreditur dorso, & se & illum spernens, & amplius se quàm illum, & non sentit animæ suæ dispendium efferatus, sicut nec bestia irritata vulnus in se fixum. Hoc caput Lucas Euangelista latè prosequitur, dicens: Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini: dimittite, & dimittemini: date & dabitur vobis. Mensuram bonam & confertam, & commotam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Et quis sit ille, qui nec iudicat: quis autem qui iudicat quidem, & non condemnat: & quis est qui condemnat quidem, & tamen dimittit: & quis est qui dat, exposuimus ibi. * Et quoniam superflua quidem mensura datur ei, qui nec iudicat: commota autem ei qui iudicat quidem, non autem condemnat: bona autem ei qui condemnat, sed dimittit. Quoniam sicut maior est superflua mensura quàm commota, & commota maior est quàm bona & iusta: sic perfectior est ille qui nec iudicat, quàm ille qui iudicat & non condemnat, & ille qui iudicat, & non condemnat, melior est illo qui condemnat & dimittit. Hic autem Matthæus omnia illa breui sermone concluſit, dicens: Nolite iudicare, vt non iudicemini. In quocunque enim iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis. Intelligens quoniam iudicij sermo ad omnia pertinet illa. Nam qui iudicat tantum peccantem in se, & non condemnat, iudicat: & qui non solùm iudicat, sed etiam condemnat, iudicat: hoc ipsum enim condemnare, iudicare est. Ergo pro illo, quod Lucas dixit, Nolite iudicare aut iudicantes nolite condemnare: iste dixit: In quocunque iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis: id est, Si iudicaueritis & non condemnaueritis, simili iudicio & vos iudicabimini & condemnabimini. Et quod ille dixit, dimittite, & dimittemini: date, & dabitur vobis: iste dixit, in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Hoc est, si non rogati dimiseritis peccatum proximis vestris, sed solo respectu Dei, & Deus ex se prius quàm rogetur à vobis, dimittet vobis. Si autem rogati veniam dederitis, & Deus tunc dabit vobis veniam, cùm dignis precibus & congrua lamentatione eum rogaueritis. Quoniam ergo dixerat præcipuè, sicut diximus, doctoribus, nolite iudicare, vt non iudicemini: conuenienter addit, & dicit, *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem vero in oculo tuo non vides?* Id est, qui trabem in oculo tuo non vides, vt quid vides festucam in oculo fratris tui? Ac si dicat, melius est nec docere, nec reprehendere laicum, quàm docere & reprehendere, & teipsum in reprehensione consistere: quoniam talis doctrina doctoris non est audibilis, sed derisibilis. Propter quod omnis sacerdos si vult docere populum, prius seipsum doceat: si autem seipsum non vult docere de omni quod docet, nec seipsum arguere de omni quod arguit: nec alios doceat, nec arguat quenquam, vt si iudicium Dei non euadit, vel hominum opprobrium non patiatur. Aut quomodo dicis fratri tuo, *Frater, sine eijciam festucam de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo?* id est, cum qua facie arguis peccatum laici fratris tui, ipse in eodem aut in maiore peccato existens? non times, ne audias ex diuerso, Medice cura teipsum? Si medico opprobrium est, qui nec alterius sanitatem habet in potestate, nec suam, si alios velit curare, & ipse debilis sit, quasi testimonium imperitiæ suæ portat in corpore suo propriam passionem: quomodo doctori * sit opprobrium alios velle eruere à peccato, & ipsum in maioribus esse peccatis, dum possit amplius seipsum eruere à peccato, quàm alios? Aut ita, Quomodo fratri tuo dicis, id est, quo proposito, putas ex charitate cordis dicis, vt salues proximum tuum? Non, sed vt te similes Iustum. Si autem verè ex charitate cordis argueres proximum tuum, vt saluares, teipsum antè saluares. Nunquid possibile est vt benevolentior sis alteri quàm tibi? Vt quid cùm teipsum nolis saluare, alterum velis? Omnis ergo doctor, qui alterum in qualicunque reprehẽdit delicto, & ipse in eodem constitutus, non se prius expurgat: certum est quia alloquens in Ecclesia non alios vult saluare, sed per bonam doctrinam malos actus suos celare, & scientiæ laudem ab hominibus quærit, nõ ædificationis mercedem à Deo, & est hypocrita. Ideo competenter addit, & dicit: *Hypocrita eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui.* Hypocrita est enim omnis doctor, qui non prius facit bona, & postèa docet. Dum enim bona docet, profitetur se iustum coram hominibus: dum autem malè agit, peccatorem se constituit infra se. Hoc ergo dicit, Vis liberè & fiduciaLiter reprehendere laicum, & eijcere de oculo mentis eius peccatum? Prius tuam ipsius mentem purga ab omni malo, vt cùm tu argueris laicum pro peccatis eius, ex diuerso laicus non habeat vnde redarguat te pro peccato tuo. Nam incipiet te timere in se, cùm non inuenerit quod contemnat * in te. Omne autem peccatum non secundùm actum suum dijudicatur, an modicum sit, aut magnum, sed secundùm peccantis personam. Laicus enim etsi magnum fecerit peccatum, modicum est, & festuca est, quantùm ad sacerdotis dico peccatum, quia laicus est: doctor autem, etsi modicum fecerit peccatum, magnum est, & trabs est, quantùm ad laici dico peccatum, quia doctor est. *Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conuersi disrumpant vos.* Cùm suprà dedisset Dominus mandatum omnibus, præcipuè autem doctoribus, vt diligerent inimicos suos, & benefacerent eis: iterum paulò antè vt ne iudicarent eos qui peccant in ipsis: considerans, quoniam qui persequuntur sacerdotes Dei, aut iniuriant eos, aut lædunt: plerunque aut infideles sunt: quales sunt gentiles vel hæretici: aut si sunt Christiani, sordidi sunt & insensati, quia nec considerant, nec intelligunt, sacerdotes Christi vicarios esse Christi, & Christum: & quoniam qui honorat sacerdotem Christi, honorat Christum: & qui iniuriat sacerdotem Christi, iniuriat Christum, ne fortè consequenter cogitantes intra se sacerdotes dicant, Si iubemur diligere inimicos nostros, & benefacere eis: si iubemur nec iudicare eos peccatores, qui peccant in nos: sine dubio sicut debemus diligere eos, & benefacere eis, sic non debemus eos iudicare peccatores, qui peccant in nos: vt non solùm nostra, sed etiam quæ propria Dei sunt, eis communicemus, vt sit plena misericordia nostra, sicut & Dei. Ideo talem æstimationem eorum prouido sermone compescuit, dicens: *Nolite sanctum dare canibus, & margaritas vestras nolite mittere ante porcos.* Ac si dicat, mandaui vobis diligere inimicos vestros, & non iudicare eos, vt vos exhibeam misericordes

Luc. 6.

* tibi.

Hypocrita quis.

* condemner.

Nota.

Universidad de Deusto
Biblioteca

* spiritualibus passim.

ad illos, vt benefaciatis eis de corporalibus vestris, non A de meis spiritualibus bonis, * quoniam in natura vobis communes sunt, & non in fide. Mandaui autem vobis, vt non iudicetis eos, qui in vobis peccauerint. Id verò non ideo præcepi, vt mysteriorum meorum secreta non pandatis eis, qui nolentes me scire blasphemant & spernunt. Videte patrem vestrum Deum, ad cuius exemplũ volui vos esse misericordes: carnalia beneficia dignis, & non dignis similiter præstat, nunquid gratias spirituales? Nec enim dixi vobis de illo: qui Spiritum sanctum iubet descendere super gratos & ingratos, & dat benedictiones suas super iustos & iniustos: propter quod in vestris quidem estote simplices & benigni, in meis autem prudẽtes & cauti. Si tu vestiarium tuum studiosum, & clauicularium cellarij tui fidelem tibi requiris: quantò magis Deus talem requirit dispensatorem gratiarum suarum, qui bene tractãdo gratias eius, faciat gratiores; non malè dispensando, reddat ingratas? Sicut enim si canibus dederis sanctum, aut porcis margaritas, nec san- B ctum canes sanctificat, nec margaritæ nutriunt porcos: sed è contra canes coinquinant sanctum, & porci margaritas sordidant, vel confringunt: ita si hominibus caninos vel porcinos mores habentibus sanctum dederis, aut mysteria secreta credideris, nec sanctum illos sanctificat, nec mysteria veritatis eos illuminant: sed è contra ipsi sanctum coinquinant, & mysteria veritatis blasphemant. Canis & porcus ambo quidem immunda animalia sunt: sed canis ex omni parte immundus est: nam nec ruminat, nec vngulam habet fissam. Porcus autem ex parte immundus est. Nam quoniam vngulam habet fissam, mundus est: quoniam autem non ruminat, immundus habetur. Propter quod canes puto intelligendos gentiles, vel hæreticos omnino immundos: Nam & si propter actus suos malos immundi sunt, & propter perfidiam suam vel idolatriam amplius sunt immundi. Porcos autem, Christianos carnalibus & immundis voluptatibus deditos, quoniam propter fidem quidem suã C mundi sunt, propter actus autem suos sordidos habentur immundi. Aut canes quidem gentiles: porcos autem hæreticos, propter aliquid eorum modicum mundum: quia vel nomen Domini inuocare videntur, sed ex moribus intelligis qui sunt canes vel porci. Canis naturale est, improbum esse, nũquam vocem mittere propter aliquam alteram causam, sicut cætera alia animalia, nisi ad abigendos superuenientes, interdum autem & de superfluo in aërem latrat. Tales sunt omnes Gentiles, vel hæretici inapprobabiles, latrantes plurimùm aduersus seruos Dei, latrantes aliquãdo & aduersus Deum blasphemiis: vlulantes apertè, & nunquam os suum aperientes ad bonum, sed semper ad malum. Item porci proprium est in cœno se volutare, & nũquam in cœlum aspicere, nec quærere dominum suum, nisi cùm esurierit. Tales sunt etiam Christiani, qui in carnalibus immundiciis delectantur, nec aspiciunt aliquando cœlos, nec quærunt Deum, nisi cùm necessitas eis aduenerit: & D illi quidem euomunt malum, quando benè iudicantur de malo: reuertuntur autem ad vomitum suum sicut canes, quando nihilominus agunt malum: & isti proiiciunt stercora peccatorum suorum quando pœnitent: reuertuntur autem ad stercora sua sicut porci, quando omissam repetunt vitam. Nunc videamus quæ sunt sancta, & quæ sunt margaritæ. Non enim distinxit quid sit sanctum dare, quid non dare, cùm sit inter sanctum & sanctum differentia sanctitatis: sed generaliter omne quod sanctum est, vetuit dare. Ergo sanctum est baptismum, propterea non est dandum, nisi iam fidem habẽtibus. Sancta est gratia corporis Christi, propterea illis solis danda est, qui iam per baptismum facti sunt filij Dei, & per impositionem manus. Benedictus panis sancta sunt, propterea illis porrigenda sunt, qui capaces facti sunt benedictionum per fidem. Item mysteria veritatis margaritæ sunt, quia sicut margaritæ includæ cochleis positę sunt in profundum maris: sic & diuina mysteria in verbis * inclusa, posita sunt intus in altitudinem sensus scripturarum sanctarum. Et sicut non omnis homo potest se mergere, & de profundo tollere margaritas, nisi artifex qui habet vsum rei illius: sic non omnis homo potest descẽdere in altitudinem sensuum, & illic inuenire mysteriorum absconditas margaritas, nisi vir spiritualis qui habet exercitationem spiritualium narrationum Dei. Propterea margaritæ non sunt dandæ, nisi desiderantibus veritatem, & cum ratione humana viuentibus. Si ergo talibus porcis secretorum mysteriorum miseris margaritas, cœnosæ vitæ delectatione mẽte grauati, non intelligunt preciositatem earum: sed æstimantes eas similes esse cæteris fabulis mundialibus, similiter eas carnalibus actibus conculcant: & post modicum conuersi per inobedientiam, rumpunt præbitores earum: frequenter autem & scandalizati in eis, calumniantur expositores earum quasi dogmatum nouorum seminatores. Et si talibus canibus, qualibus diximus, dederis sancta, suscipiũt quasi canes sine discretione, & sordidis actibus suis conculcant ea, & pro nihilo æstimantes quæ acceperunt, conuersi disputationibus suis quasi latratibus irrationabilibus, rumpunt veritatis prædicatorem. Et puto non sine rationabili differentia sanctum quidem canibus dare vetuit Dominus, margaritas autem non dare porcis. Et de margaritis quidem possumus dicere, quia si porcis mitti vetãtur minus immundis, quantò magis canibus plus immundis? De sancto autem dando idem æstimare non possumus. Quid est enim, si plus immundis dare non conuenit, minus autem immundis oportet? Idcirco neque vetitum intelligimus, neque mandatum: fortè quia frequenter & manum imponimus, & benedictionem damus etiam porcorum more viuentibus Christianis: non quia illi merentur accipere, sed nos ex nobis cõtra iustitiam dare vsurpamus, ne fortè plenius scandalizati, depereant. Ideo iussum non est, quia iniustum est: vetitum autem non est, quia infirmitati fuerat ignoscendum. Sed quia de sanctis cœpimus dicere, non est tacendum, quoniam aliud est sanctificatio, aliud sanctificatum. Sanctificatio enim est, quod alterum sanctificat: Sãctificatum autem, alterum sanctificare non potest, quanuis ipsum sit sanctum: Vtputa signas panem tuum, quem manducas, sicut ait Paulus: Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem: Sanctificasti eum, non feciſti sanctificationẽ. Quod autem sacerdos de manu sua dat, non solùm sanctificatum est, sed etiam sanctificatio est: quoniam hoc non solùm datur quod videtur, sed etiam illud quod intelligitur. De sanctificato ergo pane licet & animalibus iactare, & infidelibus dare: quia non sanctificat accipientem. Si autem tale esset quod de manu sacerdotis accipitur, quale est quod in mensa manducatur: omnes de mensa manducarent, & nemo de manu sacerdotis acciperet. Vnde & Dominus in via, non solùm benedixit panem, sed de manu sua dedit Cleophæ, & socio eius. Et Paulus nauigans non solum benedixit panem, sed de manu sua porrexit Lucæ, & cęteris discipulis suis. Quod autem de manu porrigitur, nec animalibus dandum est, nec infidelibus porrigendum: quia non solùm sanctificatum, sed etiam sanctificatio est, & sanctificat accipientem.

* libritã.

1. Tim. 4.

Luc. 24.

Act. 27.

HOMIL.

HOMIL. XVIII. EX CAP. VII.

PETITE, *& dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Transitum consequentem de capitulo ad capitulum inuenire difficile est. Ideo diuersa proponimus secundùm diuersas æstimationes interpretum. Sciens Dominus, quoniam quæcunque mandauerat suprà, hominibus impossibilia erant: & quantum ad naturam humanam, supra naturam, Nam qui se non abstinet à cædibus, quomodo potest abstinere se ab ira? Qui non se abstinet à fornicatione, quomodo se abstineat à concupiscentia? Qui non se abstinet à periurio, quomodo se abstineat à iuramento? Qui alios ferire non cessat, quomodo se præbeat feriendum? Qui nec amicum suum syncerè diligit, quomodo diligat inimicum? Quid autem sic impossibile est, quomodo eleemosynas facere, vel orare, vel ieiunare, & nolle hominibus apparere? Quid autem difficilius est, quàm B non iudicare peccantem in se, aut nihil sanctum vel secretum dicere aut dare indignis? Necesse est enim vt & multos sibi faciat inimicos. Quoniam ergo maiora erant mandata quàm virtus humana est, transmittit eos ad Deum, cuius gratiæ impossibile nihil est, dicens: *Petite & dabitur vobis*: vt quod ex vobis hominibus consummari nõ potest, per gratiam Dei adimpleatur. Quoniam creaturam sensibilem Deus armatam & munitam creauit. Alios enim muniuit veloci pedum cursu, alios armauit vnguibus, alios velocibus pennis, alios dentibus, alios cornibus: hominem autem solùm sic disposuit, vt virtus illius sit ipse. Et in eo quod infirmiorem eum fecit omnibus, in ipso fortiorem eum voluit esse in se. Nam sciens Deus, quia cognoscere & colere Deum vita æterna est: ignorare autem & contemnere, perditio sempiterna: nec ita infirmum eum creauit, vt omnino nihil boni facere posset, ne quem super omnia, & propter quem omnia fecerat, omnibus inueniretur esse C deterior: nec ita potentem eum creauit, vt etiam sine Dei auxilio ex seipso facere posset quod vult, vt infirmitatis suæ necessitate coactus, semper necessarium habeat Dominum suum. Et verè iustissima res est, vt factura necessarium habeat suum factorẽ. Si enim omnis virtus hominis in Deo est, & tamen cõtemnit omnium bonorum suorum authorem: quantò magis negligeret Deum, si potentia eius esset in ipso? Aut ita, Quoniam ad sanctificandam orationem quædam dederat eis obseruandæ bonitatis mandata, dicens: Nolite iudicare, & non iudicemini: competenter addidit, Petite, & dabitur vobis: tanquam si dicat: Si hanc clementiam seruaueritis ad inimicos quam mãdaui vobis: quicquid vultis petite, & dabitur vobis: & quicquid desideratis inuenire, quærite, & inuenietis: & quicquid clausum vobis videtur, pulsate, & aperietur vobis. Gratia vos prosequente, petite precibus die ac nocte orantes. Quòd si misericordiam suam protraxerit Deus ad tem- D pus, volens tentare constantiam fidei tuæ, tu à petitionibus tuis non recedas. Sicut enim qui verè esurit, tandiu petit cibum, donec impleat necessitatem corporis sui: nec potest cessare, necessitas enim vrget, quia sine cibo viuere non potest. Ita & qui verè desiderat gratiam Dei, cessare non potest à petendo, sciens quia saluus fieri non potest sine gratia Dei. Adhuc quærite, interrogantes sacerdotes cæterósque habentes scientiam spiritualium scripturarum, sicut præcepit lex: Interroga patrem tuum, & dicet tibi: Deut. 32. seniores tuos, & annunciabunt tibi. Quærite studio & labore, legentes scripturas legis & Prophetarum. Nam Deus ita nos disposuit esse, vt nec studentes & laborantes circa scripturas, acquiramus salutem scientiæ sine gratia Dei, vt ne nobis imputemus quod scimus: nec tamen gratiam acquiramus, nisi studuerimus & laborauerimus circa scripturas, ne donum Dei detur negligentibus. Gratia enim adiutorium est infirmitatis humanæ: adiutorium autem non dormientibus datur, sed festinantibus, & * prævalentibus. Sicut enim in bello non omnis qui pugnat vincit, nemo tamen vincere potest, nisi pugnauerit: sic non omnes qui studeant & legunt, acquirunt scientiam spiritualem, nemo tamen acquirere potest, nisi qui aut studiosus fuerit ad legendum, aut assiduus ad audiendum. Et infideles quidem, & non timentes Deum inueniunt scientiam legendo & studendo, sed non illam quæ ex Deo est, quę per Spiritum sanctum datur: sed hanc quæ est ex natura carnali, quæ per exercitationem carnis acquiritur, quàm habuerunt etiam & gentilium studiosi. Multa enim differentia est inter scientias istas. Qui enim orationibus non instat, nec operibus bonis, sed per solum studium lectionum, factus est sciens, quando aliis prædicat, ipse sibi non sentit quod prædicat. Si de ira Dei loquitur, alios forsitan terret, ipse autem non timet: si de misericordia, alios quidem forsitan consolatur, ipse autem non gaudet: alios admonet credere, & ipse non credit eis quæ dicit. Sed quando alios docet, ab intus conscientia eius ridet sibi de verbis suis: quia scientia quæ ex solis lectionibus est, ex ore procedit: quæ autem de Spiritu sancto est, de corde profertur, & ideo spiritualis scientia non solùm dicitur, sed & sentitur: non tantùm in scripturis legitur: sed ex corde suggeritur: & ideo si alios terret, ipse amplius timet: si consolatur, ipse melius gaudet: & omne quod loquitur, non tantum legit, sed experimento probauit. Ideo ergo petamus Deum, & operemur bona, vt non carnalem, sed spiritualem scientiam mereamur. Et hoc est quod dicit, pulsate & aperietur vobis. Pulsat enim Deum, qui Luc. 11. C facit bona opera ante Deum oratione, ieiuniis & eleemosynis. Sicut enim qui pulsat ostium, non tantum voce clamat, sed & manu: sic qui bona opera facit, quasi manu pulsat Deum operibus bonis. Scriptum est enim, Concupisce sapientiam, serua iustitiam, & Deus præ- Eccl. 1. bebit eam tibi. Sed quid dicis? Hoc ipsum peto, vt sciam & faciam: & quomodo possum facere priusquam accipiam? Etiam quod potes fac, vt amplius possis: & quod scis serua, vt amplius scias. Iustitia enim ipsa se operatur, & ipsa se manifestat. Quomodo? Dum tu iustitiam operaris in te, iustitia te operatur in se. Nam omne artificium seipsum operatur: vtputa operaris vineam, colligis fructus eius, & delectatus in eis melius operaris. Vides quia ipsa se colit fructificando tibi dum colitur? Sic ex diuerso, qui opus peccati exequitur, ipsum cùm peccatum sit spiritus immundus, operatur in eo delectationem peccandi: vt dum delectatur circa peccatum, amplius pecceat. Sic & qui iustitiam operatur, cùm sit & ipsa iustitia Spiritus sanctus, operatur in eo delectationem iustitiæ faciendæ, vt delectatus circa iustitiam, amplius faciat. Tale est quod dicit sapientia: Cogitatum habe in præceptis Dei, & Eccl. 6. in mandatis eius meditare semper, & ipse confirmabit cor tuum: & concupiscentiam sapientiæ tibi dabit. Vides quia ipsa iustitia se operatur, te tantummodo inchoante & laborante? Sed & ipsa se adaperit, dum colitur. Sicut enim qui peccat, dum peccat, magis atque magis tenebrescit mens eius, & à luce veritatis recedit, ita vt nulla scientia salutaris remaneat in eo, nisi sola malignitas, de qua dicit Salomon: Sapientia impiorum, nequitia scientiæ est. Sic & qui iustitiam operatur, dum operatur, magis atque magis clarescit Ibid. 19.

al. non prævalentibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mens ipsius, & ad noticiam sapientiæ maioris ascendit, & ipsa se iustitia quasi speculum offert ante oculos cordis ipsius. Deinde si opera iustitiæ non facis: id est, si non pulsas, nec orare ex fide potes. Nam virtus orationis est opus iustitiæ. Oratio autem quasi odor suauitatis est operis boni. Sicut ergo res aliqua sine odore potest esse, odor autem sine re aliqua esse non potest: sic opus sine oratione aliquid est, oratio autem sine opere bono nihil est: & si oras, non ex fide oras. Nam sicut lucerna non quidem ex oleo accenditur, sed per oleum nutritur: sic fides non quidem ex opere nascitur, sed per opera enutritur. Aut ita: Cùm suprà mandasset omnibus, præcipuè autem doctoribus, vt diligerent inimicos suos, & non iudicarent quasi peccatores offendentes se: consequens erat, sicut iam diximus, ne fortè sub obtentu dilectionis & bonitatis, etiam sancta Dei & secreta communicarent eis. Ideo constituit ne faciant hoc, dicens: Nolite sanctum dare canibus. Nunc autem dat eis consilium bonum, vt si diligant inimicos suos quasi Dei benigni imitatores, & velint eos etiam secundùm Deum saluare, petant Deum pro illis, & dabitur eis: quærant eos qui perierunt in peccatis, & inuenient eos Dei gratia demonstrante: pulsent eos qui sunt in erroribus conclusi, & aperiet eos Deus, vt habeat sermo eorũ ad animas eorũ ingressum: ac si dicat de Christianis, qui porcorum more viuentes perdiderunt per se imaginem Dei, & cadentes ab homine porci facti sunt, & perierunt: quærite eos admonendo benevolè, promittendo eis misericordiam Dei, & in spem eos adducendo.

1. Cor. 5. Sic enim & Paulus eum, qui quasi porcus, & non homo indifferenter coniugium maculauerat patris, quæsiuit, & per gratiam Dei inuenit. Gentiles autem vel hæreticos, qui verisimilibus persuasionibus mendaciorum circumsepti sunt, & conclusi intra claustra perfidiæ, pulsate eos doctrinis assiduis, & aperiet eos Deus soluens claustra perfidiæ, & habebitis in eos ingressum: sicut

Apoc. 3. Christus dicit in reuelatione Ioannis: Ecce ego sto ad ostium, & pulso: & qui aperuerit mihi, introibo ad illũ, & cœnabo cum illo, & ille mecum. Ergo non temerando sancta Dei, vel peccatores, vel Gentiles, vel hæreticos debemus velle saluare sub obtentu misericordiæ. Hoc enim temeritatis est, nõ bonitatis. Sed Deum quidem petendo pro eis, ipsos autem vel quærendo si perierunt, vel pulsando si clausi sunt. Et tunc si & nos dignè petimus, & illi sanabiles facti sunt, & ex canibus & porcis immundis reformati efficientur homines sancti, & sic iustè & dignè sancta participabunt, & audient secreta mysteria. *Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.* Quoniam dixerat, petite, quærite, pulsate: ne fortè aliqui peccatorum audientes dicant, etiam ista facere dignos hortatur, nos autem indigni, etsi petierimus, non accipiemus: etsi quæsiuerimus, non inueniemus: etsi pulsauerimus, non nobis aperietur. Vide quomodo eandem clausulam repetendo tam iustis, quàm peccatoribus misericordiam Dei D commendat, dicens: Omnis qui petit siue iustus sit, siue peccator, tantùm petere non dubitet, quærere non negligat, pulsare non cesset: cùm constet neminem sperni, nisi qui petere dubitauerit à Deo, quærere neglexerit, pulsare cessauerit. Vt autem cognoscamus bonitatem Dei, dicamus de Deo, sicut Christus dixit de nobis. Dixit enim

Supr. 5. suprà: Diligite inimicos vestros, & cætera huiusmodi: & addidit, Si autem diligitis diligentes vos, quam mercedem habebitis? nonne Gentiles hoc faciunt? Nos ergo dicamus de Deo: Si Deus tantummodo iustos suos & amicos exaudit & adiuuat, quam laudem bonitatis meretur? nõne & homines cùm sint mali, amicos suos rogantes se audiunt, & beneficia eis præ-

A stant? Vides ergo, quoniam Dominus dicẽs: Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est, qui Solẽ suum oriri iubet super iustos & iniustos, & dat pluuiam super gratos & ingratos, bonitatem Dei voluit demonstrare, quia tam iustis quàm peccatoribus parata est bonitas eius. Nec enim credibile est, vt opus bonitatis hominibus quidem iniungat in malis constitutis, ipse autem non faciat cùm sit bonus. Ergo omnis qui non habet iustitiam, aut vt credat de regno cœlesti, vt facere valeat iustitiam, aut certè non petiuit fideliter, aut non quæsiuit studio & labore, aut non pulsauit operibus bonis: ideo non est duricia * Dei non præstantis, sed culpa * iustitia. hominis negligentis. *Quis vestrum habens filium, & si petat ab eo panem, nunquid lapidem porriget ei? Aut si piscem petierit, nunquid serpentem porriget ei?* Vide quo modo nos ad spem diuinæ bonitatis inclinat, ne fortè aliquis considerans quanta est differẽtia inter Deum & hominem, & ponderans peccata sua, dum non sperat impetrare,

B nec incipiat petere: ideo patrum & filiorum similitudinem introduxit, vt etsi propter peccata nostra desperemus, propter paternam veritatem, bonitatem Dei speremus. Panis est, verbum de noticia Dei Patris. Lapis, est omne mendacium, & quicquid illud habet in se scandalum offensionis ad animum. Vnde dicit Psal. 90. Propheta ad Iustum: In manibus portabunt te, ne fortè offendas in lapidem pedem tuum. Omnis enim iustus custoditur ab angelis, ne fortè in occasionem offensionis incurrat pes conuersationis ipsius. Piscem autem intelligere possumus verbum de Christo: serpentem autem ipsum diabolum. Vt ergo impetremus quod desideramus, duo hæc conuenire debent. Vnum quidem vt petas oratione, & quæras studio, & pulses operibus: alterum autem, vt panis, aut pisces sit, quod petis. Si autem quæ non expediunt petis, hoc est carnalia quæ nocent animæ tuæ, quasi lapis aut serpens, non tibi præstat, etiamsi petas, quia pater

C benignus est. Alioqui si præstat nociua petenti, non est pater, sed inimicus. *Si vos cùm sitis mali, scitis bona data dare filiis vestris: quanto magis pater vester qui in cœlis est, dabit spiritum bonum petentibus se?* Non quia Apostoli erant mali, sed quantum ad comparationem Dei, qui solus singulariter est bonus, omnes mali videntur. Sicut ad comparationem niuis aut Solis, omne mundum sordidum videtur, & omne lucidum obscurum. Et verè, cum omnes patres mali sint præter Deum. Ecce si hodie pater iniuriam patiatur à filio, statim affectus illius mutatur in odium, & irascitur illi fortsitan & castigat. Non quia ille faciens iniuriam patri peccauit ante Deum, ideo pater suus illi irascitur, sed quia illi fecit iniuriam. Alioqui si pater iniuriam passus, non propter iniuriam suam iraseceretur filio, sed propter illius peccatum, in omni peccato filiorum similiter iraseceretur. Nũc autem, quando ipsi iniuriam patiuntur, dolent & fremunt: quando autem aliter filij eorum peccauerint in Deum, nec curant. Deus autem offensus ab homine, non ideo irascitur, quia ipse cùm esset Deus constitutus, ab homine est contemptus: sed quia homo offendens Deum, perdidit animam suam. Verè ergo non irascitur de iniuria sua, sed dolet de perditione humana. Et si castigat, non vt suam iniuriam vindicet, sed vt illum corrigat ad salutem. Audi cum per prophetam dicentem: Si dereliquerint filij eius legem meam, visPsal. 88. tabo in virga iniustitias eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eis, &c. Quoniam verò non omnia petentibus præstat, sed bona tantummodo: ideo non dixit, quantò magis pater vester dabit petentibus se: sed addidit, bona petentibus se. *Omnia ergo quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite eis.* Suprà propter

propter sanctificandam orationem mandauit, vt non A iudicent qui peccant in ipsos: ita ex necessitate ab ordine suę narrationis excedens, introduxit alia quędam: quale est, Quid tu vides festucam in oculo fratris tui: & illud, Nolite sanctum dare canibus, &c. quæ sequuntur. Nunc ad mandatum quod cœperat, rediens ait: Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, facite & vos eis: id est, non solum mãdo, nolite iudicare, vt non iudicemini, quod omnes homines sibi fieri volunt, vt cùm nocuerint aliquibus non iudicentur ab eis, sed etiam omnia quæcunque vultis vt faciãt vobis homines, vos facite eis, & tũc impetrabiliter potestis orare. Nam quæcunque lex & Prophetæ sparsim in omnibus præceperunt scripturis, in hoc compendioso comprehenduntur mandato, quasi innumerabiles arboris rami in vna radice. *Intrate per angustam portam.* Tertia hæc consequẽtia ad tertiam iustitiam iciunij pertinet, & est pars doctrinæ de iciunio factæ: vt sit talis ordo narrationis, Tu autem cùm iciunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne appareas hominibus iciunans, sed Patri tuo qui est in abscondito: & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. *Intrate per angustam portam*: quoniam omnis quidem iustitiæ introitus ad vitam æternam angustus est homini viuẽti in carne, propter aduersitatem naturæ carnalis: nullus autem sic est angustus & laboriosus, quomodo iciunij synceriter consummati: & vt scias attẽde. Omnes quidem passiones carnales dicuntur & sunt, quia spiritu carnis mouentur, siue ira, siue superbia, siue inuidia, siue auaritia, siue vana gloria: præcipuè tamen tres sunt quasi naturales, & intimæ, & propriæ carnis passiones: esca & potus, deinde amor viri ad mulierem, & mulieris amor ad virum. In tertio loco somnus, quoniam sine illis quidem passionibus ipsa natura carnis consistere non potest. Ergo quasi partes quodammodo & supplementa sunt naturę carnalis: nam ad omnes illas passiones non necessitas naturę carnalis vrget, sed præsumptio spiritus carnis: ad istas autem ipsa

C necessitas naturæ carnalis. Ideo & grauius est eas à natura carnali præcidere, quam cæteras passiones. Nam omnes illas passiones prędidere labor est per colluctationem cordis: istas autem passiones præcidere, non solùm labor est per colluctationem cordis, sed consumere & conterere ac interficere ipsam naturã carnalem, & quasi truncare substantiam ipsam: quemadmodum si quis prędideret à corpore aliquod membrorum ipsius. Si ergo hæ tres passiones naturales sunt, & intimę, & proprię naturæ carnalis: nullius passionis abstinentia sic sanctificat corpus, quomodo abstinentia harum, vt sit homo castus, vt sit iciunus, vt sit in vigiliis perseuerans. Et nulla illarum passionum sic coinquinat corpus, quomodo passiones istæ, vt sit homo aut fornicarius, aut epulator,

1. Cor. 6. aut deditus somno. ideo & Apostolus dicit: Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat, quia propriè

corporalis. de ipsa natura carnis † passio fornicationis egreditur. Et D Dominus in Euangelio epulatorem proponit diuitem,

Luc. 16. cui pauper Lazarus adiacebat: & Abraham non dicit ei, fili recordare, quia tu hoc & hoc fecisti in vita tua, & nunc cruciaris: sed quia bona recepisti in vita tua. Et vbique Dominus in Euangelio præcipit assiduè vigilare. Ergo propter omnes quidem iustitias, præcipuè autem propter laboriosissimum iciunium dicit: Intrate per angustam portam, &c. Porta perditionis est diabolus, per quam introitur in gehẽnam: porta autem vitæ est Chri-

Psal. 117. stus, per quam introitur in cœlestia regna: de qua dictũ est: Hæc porta Domini, iusti intrabunt per eam. Lata autem porta dicitur esse diabolus, nõ magnitudine potestatis extensus, sed effrænataæ superbiæ licentia dilata-

A tus. Tale aliquid Dominus dicit, Beati pauperes spiritu. Supra 5. Pauper spiritu est, qui cum sit magnus, modicum se ostendit. Diues autem spiritu est, qui cum sit modicus ostendit se magnum: Sicut diabolus superbia animi elatus, qui cum esset minister Dei in cœlo, quasi Deus super cœlos extendere se vsurpauit contra Deum. Porta autem angusta dicitur Christus, non paruitate potestatis exiguus, sed humilitatis ratione collectus, sicut ipse de se testimonium dat. Videte quia mitis sum, & humi- Infra 11. lis corde. An non tibi videtur potestate latissimus, humilitate autem angustus, qui cum esset Dominus maiestatis, quasi homo in hoc sæculo voluit apparere, & quẽ totus non capit mundus, seipsum intra angustias vteri virginalis inclusit? Et aliàs intelligitur diabolus porta lata, & Christus angusta, quoniam diabolus omnibus peccatis inuolutos, & vniuersam mundi sarcinam baiulantes recipit, & ducit in mortem. Christus autem non recipit in se, nisi qui se omnibus peccatis exuerint, &

B deposuerint omnem sarcinam mundi, & facti fuerint subtiles & spirituales, vt quales intrant in mundum, tales exeant de mundo. Adhuc latus dicitur diabolus, quoniam apud illum sine lege sunt omnia: Christus autem angustus, quoniam sub ratione legis apud eum vniuersa consistunt. Quicquid enim sine lege solutum est, latum est: quod autem sub lege est, semper angustũ est. Via autem perditionis est omnis iniquitas. Dicitur autem spacioſa, quia non est intra regulam veritatis & disciplinæ inclusa, sed per diuersa carnalium voluptatũ diffusa. Ambulantes in ea non quod debent agere, hoc agunt, sed quicquid eos delectauerit, hoc sequuntur. Voluntas eorum, lex est ipsorum: & non ipsi sub lege sunt, sed lex est sub illis. Via autem vitæ, est omnis iustitia. Dicitur autem esse arcta, quia intra regulam veritatis & disciplinæ est inclusa, & ambulantes in ea non quod delectat eos, hoc faciunt, sed quod debent: quia lex non † voluntas eorum est, nec lex est sub illis, sed i- deest, non.

C psi sub lege. Considerandum est autem, quia via ducit ad portam, & nisi quis ambulauerit per viam, non potest peruenire ad portam: sic & qui iustitiam faciunt, ipsi soli possunt cognoscere Christum, & intrant per ipsum. Qui autem non ambulant per viam iustitiæ, impossibile est vt verè cognoscant Christum, quamuis multi etiam non ambulantes per iustitiam, videantur cognoscere Christum. Si autem nec fuisti, nec es in via iustitiæ, & putas te cognoscere Christum, mẽtiris. Sicut enim qui audit, quia mel dulce est, nec gustat de illo, nomen quidem mellis cognoscit, gratiam autem eius naturę ignorat: Sic & qui audit, quia Christus filius Dei est, iustitia autem eius non fuerit vsus, tantummodo nomen Christi cognoscit, gratiam autem naturæ eius ignorat. Ideo non dixit Propheta, Audite & videte quoniam suauis est Dominus: sed, gustate & videte. Quando ergo aliquid audimus de Christo, nomen Christi cognoscimus Psal. 33. tãtummodo, vt diximus. Quando autem iustitiam facimus eius, ipsum Christum gustamus. Similiter nec incurrit in manus diaboli, nisi qui in via ambulat peccatorum, Vis non incurrere in diabolum? Declinà à via quæ ducit ad illum, & nullam habet in te diabolus potestatem: si autem ambulaueris in via quæ ducit ad illũ, iam non diabolo imputes perditionem tuam, quasi ille te traxerit ad se, sed tibi, quia tu iusti ad illum. Nunquid † porta ducit ad viam? sed via ducit ad portam: Sic non Nõ quòd. prius diabolus homines ducit ad peccata, sed peccata ad diabolum ducunt. Vides ergo hæc via perditionis quàm nociua est, quàm spacioſa est? & ideo non solum volentes, sed & nolentes incurrunt in eam: & difficile est vt natus in hoc mundo, aliquantulum non incidat in eam. Quasi lata enim de longe videtur, & ideo etiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

infantes,antequàm viam vitæ videant, vel intelligant, A istam vident: & cùm intrauerit quis in eam, prout vult se agit, nec coangustatur in aliqua parte, ita vt delectet eum ambulare per eam. Ambulant enim in ea gaudentes,ridentes,non solùm manducantes, & bibentes, sed etiam deuorantes & inebriantes. Ambulant in ea diuites,mentientes,periurantes, aliena tollentes, & se diuites facientes. Ambulant in ea cum vxoribus,non solùm cum vxoribus, sed etiam fornicantes & adulterantes. Quid sit tribulatio, nesciunt. Et quis non delectetur quantum ad carnem ambulare per eam? Hæc autem iustitiæ via angusta primùm nec facilè videtur: & ideo qui vult intrare in eam,necesse est vt aliquantulum euagetur in via illa spaciosa, donec antè considerans, aliquando inueniat istam: & cùm intrauerit in eam, non prout vult, agit. Ex omni enim parte coangustatur, ita vt pœniteat eum intrasse in eam. Ambulant enim tristes,lugentes,ieiunantes,etsi manducantes & bibentes, tamen non sine lege timoris manducantes & bibentes. B Ambulant pauperes,etsi diuites,non sibi,sed aliis: aliena non tangentes,sua dispergentes. Ambulant casti,etsi cum vxoribus, tamen non sine legis timore amorem suum dispergentes, blasphemati, iniuriam passi, & spoliati. Et quem non pœniteat, quantum ad carnem, intrasse in eam? Et ne mireris quia dixi, quem non pœni-
Psal.72. teat intrasse per eam, audi Prophetam dicentem: Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei,quia zelaui in peccatoribus,pacem peccatorum videns. Ideo videntes homines hanc tribulatam & angustam viam multi recedunt ab ea, & quidam ab initio, nec accedunt ad eam,nec volunt eam videre. Quidam autem concupiscentes volunt eam videre. Quidam autem concupiscentes volunt eam videre,& accedunt ad eam: sed dum considerant angustias & labores eius,recedunt ab ea. Alij autem audaciores,& intrant in eam, sed postea dum non sustinent labores & angustias eius, iterum reuersi egrediuntur de ea. Adhuc autem spacio- C sa dicitur illa via etiam hac de causa, quia omnia quæ sunt,vxores,filij,parentes,amici,aurum, argentum, vestimenta,domus,possessiones,omnes species bonorum ciborum & potuum, omnia artificia, omnes negociationes,militiæ, honores, & quicquid in hoc sæculo est, quod aut visum delectat, aut auditum, aut odoratum, aut gustum,aut tactum: viæ perditionis sunt. Non quia omnes qui ambulant in illis rebus peccant, sed quia omnes istæ res ad peccatum compellunt. Via autem vitæ angusta est, quia vna est species: id est abstinentia omnium rerum. Qui enim separat se ab omnibus rebus illis,saluatur. Non dicimus quia omnes qui sunt in illis, pereunt: sed quoniam qui se separant ab illis, omnes saluantur. Separant autem se non corpore, sed animo: non loco,sed actu. Nam quamuis sit in mundo,non videtur esse in mundo,qui non vtitur mundo.

Homilia XIX. ex cap. VII.

ATTENDITE *à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium,intrinsecus autem sunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoscetis eos, &c.* Suprà mandauit Apostolis suis Dominus, ne eleemosynas faciant coram hominibus,vt videant ab eis, sicut hypocritæ: & vt ne orent vt ab hominibus videantur, sicut hypocritæ: & vt ne ieiunent coram hominibus se ostendentes, sicut faciunt hypocritæ: & docuit illos vt ne faciant sic, & instruxit eos, quia possibile est in hypocrisi & eleemosynas facere, & orare, & ieiunare: propter quod quasi iam ad cognoscentes,† quia hæc omnia in hypocrisi fieri possunt,loquitur dicens: Attendite à falsis Prophe-
cognoscendum. tis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, ab intus autem sunt lupi rapaces. Quæ sunt vestimenta ouilia? Species videlicet simulatæ religionis. Eleemosyna simulata, vestimentum ouile est,non opus ouile. Oratio simulata,vestimentum ouile est,non opus ouile. Ieiunium simulatum, vestimentum ouile est, non opus ouile: & cæteræ species pietatis, quibus se vestiunt lupi rapaces. Nulla autem res sic exterminat bonum, quemadmodum simulatum bonum. Nam manifestum malum, quasi malum fugitur & cauetur: malum autem sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, nec cauetur, sed quasi bonum suscipitur, & ideo coniunctum bono exterminat bonum. Sic serui diaboli tũc pessimè Christianitatem corrumpunt, quando se simulant Christianos: de quibus admonet discipulos suos Christus, magis autem nos omnes per illos dicens: Attendite à falsis Prophetis. quia magna virtus est hominum † cogno- bonã.
scere malum: & firma tutela salutis est,scire quem fugias. Hæresis quidem periculosa res est, sed vtilis valde. Periculosa quidem, quia multi seducuntur per eam, & pereunt: Vtilis autem est,quia tentatur fideles per eam, & ab infidelibus segregantur. Qui murmurat de periculo tentationis, murmuret necesse est de præmio probationis. In nullo enim negotio potest requies inueniri, nisi præcesserit labor: quantò magis in spiritualibus rebus, nisi præcesserit tentatio, non potest esse probatio? Attẽdite à falsis Prophetis. Primum scire oportet,quia sunt omnino falsi Christiani. Nam nulla res perdit viros Christianos magis quàm hæc: quia quoscunque viderint dici Christianos, quasi Christianos eos æstimãt. Si enim constat quia sunt falsi Christiani, aut ille est falsus Christianus, aut tu. Si non tu, ille: si tu, non ille: Si ille, vt quid illum Christianũ æstimas, de quo tibi Christus mandauit? Quia Christianus non est, quem Deus suum non confitetur filium: tu quomodo tibi existimas fratrem? Sed fortè dicis, Quomodo dicere illum pos- C sum non esse Christianum, quem video Christum confitentem, altare habẽtem, sacrificium panis & vini † of- al. sacrificium corporis & sanguinis Christi off.
ferentem, baptizantem, scripturas sanctorum legẽtem, omnem ordinem sacerdotij habentem? Vir sapiens, si non confitetur Christum, & manifesta esset gentilitas illius, & si seducebaris per eam, insania erat, qua seducebaris: nunc autem qui confitetur Christum, sed non sic quemadmodum mandauit Christus, negligentiæ tuæ est, si ab eo seduceris. Qui enim in occultam foueam cadit, negligens esse dicitur, quia non cautè prospexit: qui autem in manifestam foueam cadit, non negligens dicitur, sed insanus. Quæ autem de similitudine ecclesiasticorum mysteriorum dixisti, hoc audi responsum: Quoniam & simia hominis habet mẽbra, & per omnia hominem imitatur, nunquid propterea dicenda est homo? Sic & hæresis omnia Ecclesiæ habet & imitatur mysteria, sed non sunt Ecclesiæ. Deinde sciens Dominus, quia non erant manifesti Gentiles, sed absconditi
D sub nomine Christiano: ideo non dixit, Aspicite: sed, attendite. Aspicere enim est simpliciter videre: attendere autem, est cautè considerare. Vbi enim certa res est & indubitabilis, aspicitur: vbi autem incerta & dubitabilis, attenditur. Sciens ergo Christus, quia est in illis aliquid quod aliis pro alio videbatur, aliud desuper positum, aliud intus inclusum: ideo dixit, Attendite: vt scias quia non corporali aspectu attendendum est, sed vigilantia spirituali. Si enim corporaliter illos aspicias, cognoscere non potes, quia schemata Christianitatis habent. Nam homines passibiles quomodo potestis videre mendacia veritatis velamine cooperta? Primum ergo attendendum est per opera bona. Si enim opera iustitiæ facimus, & à nullo errore decipimur, & ipsi omnem sen- Aspicere. Attendere.

mnem sentimus errorem. Nam ipsa res facit errare, quę A facit alterius errorem non cognoscere. Nam qui non cognoscit mendacium alterius, suam non intelligit veritatem. Ergo quandiu bona opera facimus, ipsum lumen iustitiæ ante oculos nostros adaperit veritatem. Sic & peccata peccantium sensus tenebrescere faciunt, vt non videntes mendacium cadãt in illud. Vide enim ab initio, ex quo inter homines seminatus est error fidei, non error diabolicus fecit homines malos, sed homines mali diabolicum sibi fecerunt errorem. Si error fecisset homines malos, culpa erat Dei, qui tales homines fecit, vt ab erroribus seducantur: nunc autem culpa est hominis, qui voluntariè elegit errorem: quia non possunt errores præualere in homines, nisi peccata præcesserint. Prius enim peccatis plurimis excæcatur homo, & sic diaboli seductione seducitur, & cadit in mortem. Quemadmodum enim Sole manente non præualet nox, cùm autem accesserit ad occasum, tunc occupat mundum: sic quandiu lumen iustitiæ in homine fu- B erit, tenebra erroris eum non apprehendit. Ergo bonis operibus vigilandum est, quia non error generat peccata, sed peccata errorem. Sicut dicit Sapientia, Impietas trahit hominem ad errorem. Attendite sicut admonet, attendite, quasi Deo inuito diabolus hæreses introducat: non Deo inuito, sed permittente. Si enim Gentes non credidissent in Christum, intelligebamus virtutem fuisse diaboli, qui Gentes credere non permisit. Nam si diabolus aliquid potuisset, ab initio credere nõ permisisset: nunc autem ex eo quòd omnes gentes crediderunt, sed postea ex credentibus factæ sunt hæreses, manifestum est, quia non fuit virtus diaboli, sed permissio Dei. Et quare sic admonet, quasi qui noluerit fieri? Quia non sine iudicio vult seruos suos habere, ideo misit tentationem. Quoniam autem non vult per ignorantiam eos perire, ideo admonet. Ideo tentationem mittit, ne mali cum bonis coronentur: ideo autem admonet, ne boni cum malis pereant. Attendite vobis à C
Infra 11. falsis Prophetis. Scriptum est, Omnis lex & Prophetæ vsque ad Ioannem: non quia futuri non erant post Ioannem. Fuerunt enim & Agabus, & Sylas, & multi. Sed
Act. 11. quia prophetia de Christo non erat ventura post eum. Ergo post Ioannem prophetia quidem de Christo futuro cessauit, Prophetæ autem & fuerunt, & sunt: sed non qui prophetarent de Christo, sed qui interpretarentur ea quæ de Christo ab antiquis fuerant prophetata: id est, doctores Ecclesiarum. Sed & omnes Christiani Prophetæ dicuntur, qui in regnum & in sacerdotium, & in prophetiam vnguntur. Nec enim potest quis propheticos interpretari sensus, nisi habeat spiritum prophetiæ. Hæc autem diximus, vt ostendamus, quia Prophetæ, de quibus loquitur Christus, doctores dicuntur. Sciẽs ergo Dominus futuros esse falsos doctores hæresum diuersarum, cõtra veros doctores, qui scripturas propheticas & apostolicas peruersa interpreta- D tione confunderent: ideo per Apostolos suos omnium Ecclesiarum doctores admonet, dicens: Attendite vobis à falsis Prophetis. Et ne fortè dicat aliquis hæreticus doctor, quia non dixit nos falsos Prophetas, sed Gentilium & Iudæorum doctores: ideo addidit, dicẽs: Qui veniunt ad vos in vestimentis ouium. Quamuis & de Iudaicis quidem falsis Apostolis & Prophetis ista prædicit, tamen de illis Iudaicis, qui in Christum quidem fuerant crediturі ex eis, peruersa autem loquentes secũdùm suggestionem maligni spiritus, ad corruptio-
Philip. 3. & Gal. 1. & Col. 3. nem Christianorum fuerant locuturi, de quibus cauendis in omni epistola sua sollicitè monet Apostolus: quorum filij sunt & hæretici modò. Oues enim propriè Christiani dicuntur: vestimentum autem ouile, est spe- cies Christianitatis. Vides quia de hæreticis Christianis loquatur Christus fugiendis, qui à foris in schemate Christiani videntur, abintus autem confessionis efficacitate Gentiles. Et isti multò periculosiores sunt quam illi Iudaici: quia illi quidem reiecti ab Apostolis, & notati, † extra conuentum Christianorum erratici vaga- al. vocati.
bantur, hæretici & furtim quosdam corrumpebant incautos. Isti autem quasi fundati Christiani, & Ecclesias suas habentes. Et quid dico? Ecclesias etiam regentes, palàm cum libertate subuertunt, & sic multiplicati sunt ex diuerso, vt Christiani vagi potius videantur quàm illi. Et quomodo non sint periculosi, aut quomodo suadeant multis? Et ne adhuc dicat hæreticus, quia de veris Christianis doctoribus loquitur, qui Christiani quidem sunt, tamen peccatores sunt. Omnis enim Christianus qui facit peccatum, falsus dicitur Christianus: & verè quidem est: quia Christianus qui facit peccatum, nec pœnitet de peccato, falsus est Christianus. Tamen vt scias, quia non de Christianis peccatoribus, sed de hæreticis doctoribus loquatur: non tantùm dixit, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium: sed addidit, Ab intus autem sunt lupi rapaces. Christiani enim doctores, etsi fuerint peccatores, serui quidem carnis dicuntur, quia vincuntur à carne, tamen propositum non habent perdere Christianos, & ideo non dicuntur lupi rapaces. Vides ergo, quia manifestè de hæreticis doctoribus dicat, qui eo proposito schemata Christianorum susceperunt, prouidẽte diabolo, vt Christianos iniquo seductionis morsu dilaniẽt. De qualibus lupis ad Ephe-
Act. 20. sios dicebat Apostolus: Scio quia post discessum meum introibunt lupi graues in vos, non parcentes gregi, & ex vobisipsis exient peruersa loquentes, vt abducant discipulos post se: Audi ergo qui doctus ab hæreticis, putas te eruditum: & baptizatus ab eis, putas te Christianum factum. Vide, doctores hæretici quid dicuntur à Christo? deuoratores. Si ergo eruditus es ab hæreti- cis, raptus es, non eruditus, non pastus. Si baptizatus ab eis es, deuoratus es, non saluatus. Nam luporum deuorare est, non saluare. † Quid ergo est? *Ex fructibus eorum* al. pascere. *cognoscetis eos.* Fructus enim hominis est confessio fidei
2. Ioan. eius, & opera conuersationis ipsius. Si ergo videris hominem Christianum, statim considera, si confessio eius cõueniat cum scripturis, verus est Christianus: si autem non est quemadmodum Christus mandauit, falsus est. Sic enim & Ioannes, cùm de hęreticis scripsisset epistolam, non dixit, Si quis venerit ad vos non habens nomen Christi, nec aue ei dixeritis: sed, si quis non attu- 2. Ioan.
lerit istam doctrinam. Indicium Christianitatis non ad nomen Christi retulit, sed ad confessionem: quia non nomen solùm Christi Christianum facit: sed etiam veritas Christi: quia in nomine Christi multi ambulant, in veritate autem eius pauci. Deinde vide, Nunquid ouis lupum persequitur aliquando? non, sed lupus ouem. Sic enim & Cain persecutus est Abel, non Abel Cain. Sic Ismaël persecutus est Isaac, non Isaac Ismaël. Sic & Genes. 4. Esaü Iacob, non Iacob Esaü. Iudæi Christum, non Ibid. 21. Christus Iudæos: hæretici Christianos, non Christiani hęreticos. Ergo ex fructibus eorum cognoscetis eos. Si quis lupum cooperiat pelle ouina, quomodo cognoscas illum, nisi aut per vocem, aut per actum? Ouis inclinata deorsum balat, lupus in aëra conuertit caput suum cõtra cœlum, & sic vlulat. Qui ergo secundùm Deum vocem humilitatis & confessionis emittit, ouis est: qui verò aduersus veritatem turpiter blasphemiis vlulat contra Deum, lupus est: sicut dicit Propheta de illis, Iniquitatem in excelso locuti sunt, posuerunt in cœlum os suum. Ouis herbas manducat, lupus carnibus dele- Psal. 72.
ctatur. Quem videris ergo de pratis scripturarum her-

bas floridas iustitiæ colligentem, ouis est: quem videris autem in sanguine persecutionis gaudentem, lupus est. Adhuc autem considera virtutes quas facit, vtiles sunt aut inutiles. Vtiles sunt quæ mirabiliter fiunt, & ad salutem proficiunt: vtputa infirmos sanare, & alia huiusmodi quæ fecit Christus. Vacuæ autem sunt, quæ admirationem quidem faciunt videntibus, vtilitatem autem afferunt nullam: vtputa volare per aërem, sicut & Dominum diabolus hortabatur: statuas facere† ambulare: aut commisceri flammæ, & non comburi: & alia qualia Simon fecit. Nam plena opera ex Deo sunt, quia & ipse est plenus: vacua autem ex diabolo, sicut & ipse est vacuus & vanus. Nam quia quædam mirabilia fiunt ex Deo, quædam autem ex diabolo, demonstrat Nicodemus. Non enim dixit, Nemo facit signa, nisi sit Deus cum illo: sed, Nemo facit hæc signa quæ tu facis, nisi sit Deus cum illo. Et tunc quidem ex hoc solo cognoscebantur falsi Prophetæ & veri, si vtilia aut inutilia facerent signa. Nunc autem quia futurum est, vt etiam ex parte bona faciendorum signorum diabolo detur potestas, etiã aliud quærere debemus: Si necessarium est secundùm tempus, aut non est necessarium. Si enim mirabilia Christus propter cõfirmationem infidelium faciebat, non propter ipsos quos sanabat: ipsos enim in fide sanare poterat, nõ in signo: manifestum est, quia modò cùm nullus sit infidelis, faciendorum miraculorum necessitas non est. Ergo si inutile fecerit signum, falsus Propheta est: quia non facit vt alium ædificet in fide, sed vt se ostendat in opere. *Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?* Vua mysterium habet in se Christi. Sicut enim botrus multa in se grana ligno mediante suspendit, sic & Christus multos sibi fideles per lignum crucis tenet adiunctos. Similiter & sicut ficus multa grana vno tegmine tenet inclusa, sic & multos fideles quodam dulci charitatis amplexu vna tenet Ecclesia. Et sunt in ficu signa hæc: Charitatis quidem in dulcedine, vnitatis autem in coniunctione granorũ, sicut scriptum est: Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo. In vua quidem est patientiæ signum, quia in torcular mittitur: gaudij autem in spe: Quia vinum lætificat cor hominis. Sinceritatis, quia non est aqua permixtum, & delectatio suauitatis. De his scriptum est: Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas, aduersus huiusmodi non est lex. Spinæ autem sunt hæretici, sicut sermo ipse demonstrat superius, dicens: Attendite à falsis Prophetis. Ergo non possunt spinæ & tribuli ecclesiasticos fructus proferre. Sed quid proferunt? Vulnera, tribulationes & cætera mala. Quemadmodum spina vel tribulus ex quacunque parte illam conspexeris, habet aculeos: sic & seruos diaboli ex quacunque parte consideraueris, iniquitatibus pleni sunt. Si loquitur, in dolo loquitur: si tacet, malè cogitat: si irascitur, insanit: si patienter agit, tempus expectat nocendi, & opportunitatem considerat quando noceat. Si malè agit, non erubescit: si benè facit, ad vanam gloriam propter homines facit. Quomodo proferat bonum fructum cuius radix diabolus est? Sub arbore bona & bestiæ & animalia requiescunt: sub spinis autem nullum animal requiescere potest, nisi tantummodo serpentes. Sic iuxta fideles homines, & boni & mali homines pacem habere, ac accipere † possunt: iuxta autem infideles homines nemo potest pacem habere, neque requiescere in eis, nisi tantummodo serpentes, id est dæmones, qui habẽt cubilia in pectoribus eorum. Fructus eorum nulli procedunt ad vsum: vmbra refrigerij non est in eis. Et verum est quidem, quia spinas & tribulos omnes iniquos

Pſal. ſtatuas ſuper pinnam templi ambulare, &c. Act. 8. Ioan. 3.

Pſal. 67.

Pſal. 103.

Galat. 5.

Fructus hæreticorum. Mores ſeruorum diaboli.

al. ac ſe capere.

Hæretici, ſpinæ, & tribuli.

hæreticos appellauit: tamen forsitan sciens Dominus hanc hæresim esse prævaliturum præ omnibus, tribulos eos appellauit, quasi trinitatis professores, & triangulam impietatem in sua perfidia baiulantes. *Non potest arbor bona fructus malos facere: & non potest arbor mala facere bonum fructum.* Non dixit, arbor mala non potest fieri bona: neque arbor bona, mala. Alioqui qui malus est, à Deo esset, quòd malus est: & qui bonus est, à Deo esset, quòd bonus est. Nunc autem sic dicit, malus non potest facere fructus bonos: id est, quandiu malus est. Si verò factus fuerit bonus, potest: vt vnusquisque quòd malus est, aut bonus, voluntatis eius sit, non naturæ. Nam si volebat, & non poterat fructus bonos proferre, naturæ erat: si autem potest, & non vult, arbitrij est, non naturæ. Ergo seruus Dei non potest facere malum. Et si videtur tibi aliquando quòd malè fecit, considera cautè ipsum malum eius, & inuenies cum ab intus esse bonum. Nam ex proposito bono, etiam quod videtur malum, bonum est: quia propositum bonum malum opus excusat. Malum autem opus, bonum propositum non condemnat. Vidisti Mosem homicidium facientem, sed non propter suam iniuriam, sed propter seruorum Dei vindictam. Vidisti Iacob aliud loquentem in lingua, aliúdque habentem in corde: cùm diceret ad Esau, Quia vidi faciem tuam sicut qui videat faciem Dei, sed non vt eum deciperet, sed vt cõpesceret. Similiter malus non potest facere bonum: & si videtur tibi facere bonum, cõsidera cautè ipsum bonum, & inuenies illud ab intus esse malum. Nam quod ex proposito malo fit, etiam bonum malum est. Nam bonum opus, malum propositum non excusat: malum autem propositum, bonum opus condemnat. Si videris infidelem humilem, aut mansuetum: scito quia subdolus est in corde. De talibus enim dicit Propheta: Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. Si videris eum bona opera facientem, intellige quia propter homines facit. De illis enim dicit Dominus: Omnia faciunt, vt ab hominibus videantur. Sicut ergo bonorum hominum omnia opera etiam mala, bona sunt: sic malorum hominum omnia opera etiam bona, mala sunt. Si ergo videris aliquem Deum in veritate non colentem, quasi bonum, ne credas oculis tuis, vt & dicas bonæ vitæ illum: sed crede magis Deo quàm tibi qui dixit: Non potest arbor mala facere fructum bonum. Si autem dicis illum bonum, mẽdacem fecisti Christum. Tu enim vides quæ sunt in facie, Deus autem quæ sunt in corde. Sicut enim in horto sunt multæ arbores fructum inutilem facientes, in syluis autem non inuenitur bonum faciens: si autem faciunt, aut insipidum faciunt, aut acerbum. Sic in Ecclesia quę hortus est Christi, Salomone dicente: Hortus conclusus, fons signatus, soror mea, paradisus cum fructu pomorum, multi sunt mali. In Ecclesiis autem hæresum, quæ sunt syluæ desertæ nemo est bonus: quia & si aliquis est bonus, propter homines est bonus, & non † propter Deum. Hæc secundùm fidem dixi: quæ sunt autem secundùm rationem, audi: Quicunque facit aliquid, est propter quod facit: & nemo facit aliquid propter nihil. Qui pugnat, propter prædam, aut propter gloriam victoriæ pugnat: qui nauigat, propter necessitatem, aut propter lucrum nauigat. Sicut nihil potest sine radice nasci, sic nihil potest fieri sine causa. Sic qui bonum facit, aut propter retributionem regni cœlestis facit, aut propter iudicium pœnæ. Interrogo ergo te, infidelis propter quid faciat bonum? propter iudicium pœnę, dicis: Sed non timet Deum. Quomodo autem timeat Deum ne peccet in opere, qui non timet Deum, ne peccet in fide: cum sit peius malè credere, quam malè agere? Propter retributionem dicis.

Pſal. 54.

Cant. 4.

al. deeſt non.

Sed non

Sed non timet Deum. Quomodo autem timeat Deum ne peccet in opere, qui non timet Deum, ne peccet in fide: cum sit peius malè credere, quam malè agere? Propter retributionem dicis. Sed non sperat in Deum, qui non curat vtrum mendaciter credat, an verè, cum sit melius bene credere, quàm bene agere: quoniam fides sine operibus aliquid est, etsi mortua est: opus sine fide nihil est. Vt quid ergo facio bonum? Vt videatur ab hominibus, & laudetur: & ideo bonum illius malum est. Si enim sine labore poterat homo bonum facere in hoc mundo, credibile erat, vt infidelis bonum faceret propter hoc ipsum bonum: quia bonum facere bonum est. Nunc autem cum hominibus in carne viuentibus sic contrarium sit bonum facere, sic difficile, & propè impossibile, vt neque magni illi sancti perfectè potuerint explere quod bonum est: quomodo infidelis faciat bonum cum tanto luctamine, nullam spem habens retributionis præ oculis suis? Quis agonem suscipit sic periculosum, vnde palmam non sperat? Quid ergo? Sine dubio sperat aliquid, ideo facit bonum. Quid illud? Vt mercetur ab hominibus gloriam vanam. Nam multam dat virtutem homini ad laborandum cõcupiscentia vanæ gloriæ, & si cum indulgentia possum dicere, maiorem dat virtutem homini hypocritæ concupiscentia vanæ glorię, quàm fidelibus spes regni cœlestis. Et hæc est ratio: Contra spem regni cœlestis aduersatur natura carnis: concupiscentia autem vanæ gloriæ ex carne est, & ideo consistit ex † carnis natura. Ideo ergo dicit: Omnis arbor quæ non facit fructum bonũ: quia & mala arbor videtur facere iustitiam, sed non bonam, nec ad vsum proficientem. Nam qui propter Deum facit iustitiam, Deus illam mandauit: † qui autem propter vanam gloriam facit bonum, diabolus illud facit bonum, diabolus delectatur in eo. Falsos ergo Christianos, quos Deus in ignem mittendos promittit, quomodo tu putas participes gloriæ tuæ? *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei.* Falsos Prophetas de quibus cauendum erat locutus', non alios esse, nisi falsos Christianos, & falsos Christianorum prædicatores, his verbis manifestè demonstrat. Gentiles enim, aut Iudæi priusquam credant, non dicunt Christo, Domine Domine: sed illi soli qui tam ex Iudæis quàm ex Gentilibus visi sunt quidem credidisse in Christum, conuersantes autem & prædicantes contra voluntatem Dei & Christi præceptum, facti sunt falsi prædicatores. Item quoniam falsos Prophetas & veros ex fructibus eorum docuit esse discernendos, hic iam manifestius docet, qui sunt fructus, quibus discernuntur probi doctores & reprobi. Qui enim dicunt tantummodo Christo, Domine Domine, & non faciunt Dei voluntatem, reprobri sunt: qui autem & dicunt Christo, Domine Domine, & faciunt voluntatem Dei, illi soli probabiles sunt. Quæ autem est voluntas Dei, ipse Dominus docet. Hęc est autem voluntas eius qui misit me, vt omnis qui videt filium hominis, & credit in eum, habeat vitam æternam. Ergo voluntatem Dei facere, hoc est credere in Christum. Sicut & alibi Iudęis interrogantibus, quid faciemus vt operemur opera Dei? respondit, hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem ille misit. Credulitatis autem sermo & ad confessionem respicit, & ad actum. Qui ergo sic confitetur Christum, sic ipse docuit, ille credit Christo: qui autem non sic confitetur, quomodo docuit ille, non credit. Et si conuersatur quomodo mandauit ille, credit Christo: & qui non sic conuersatur quomodo ille mandauit, non credit Christo. Credere enim Christo, obedire est Christo: qui autem, aut non confitetur, aut non conuersatur secundùm ver-

consentit ei.

facit.

Ioan. 3.

Ioan. 6.

Quid sit credere, vel non credere Christo.

bum eius, ille obaudit Christo, nec credit: propterea tam ille quam iste non intrabunt in regnum cœlorum. *Multi dicent mihi in illa die, Domine Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus?* In qua die? Quando venerit in maiestate sua, & separauerit eos ab inuicem, sicut pastor gregem suum: quando iam nemo ausus est garrula contentione sermonum aut mendacium defendere, aut contradicere veritati. Quia tunc iam non mundialis & vana gloria desideratur, sed flamma iudicij & pœna timetur. In illo die, quando os non loquitur, opus non absconditur, sicut in hoc tempore: sed è contra opera singulorum loquentur, & ora tacebunt: non quando persona interrogatur, & conscientia non videtur: sed è contra conscientia discutitur, & persona confunditur, dicente Apostolo: Cogitationibus inuicem se accusantibus, aut etiam defendentibus in illa die, quando nemo excusat peccatores, sed omnes accusant, nec alter pro altero interuenit: sed singuli ibi timebunt, quia in illo iudicio non erunt testes adulatores homines, sed angeli veraces: non erunt iudicantes personarum acceptores homines, sed Deus iustus qui reddet vnicuique secundùm opera sua. Quàm propriè timẽtium hominum & angustias patientium vocem expressit, dicẽs: Domine Domine. Nõn enim semel sufficit illi dicere Domine, quem necessitas timoris adstringit, Nónne in nomine tuo prophetauimus? Considera quia in nomine dicunt, non in spiritu: quia in nomine Christi multi ambulant, qui non habent spiritum Christi, seducendi causa. Ideo non ex nomine Christi cognoscendi sunt Christiani, sed de spiritu Christi. Ergo prophetant in nomine Christi, in spiritu autem diaboli: quales sunt diuinatores. Sed sic discernuntur, quoniam diabolus interdum verum dicit, sanctus autem Spiritus nũquam interdum mentitur. Concessum est autem diabolo & interdum veritatem dicere, vt mendacium suum rara veritate cõmendet. Si autem nunquam diceret verum, nec ad tentationem poterat sufficere† seductio eius. *Et in nomine tuo dæmonia eiicimus.* Dæmonia enim eiiciunt in nomine Christi habentes spiritum inimici: Magi autem non eiiciunt, sed eiicere videntur, colludentibus sibi dæmonibus ipsis, & ideo semper eiiciunt, & nunquam sanant. Semper ante illos dæmones quasi castigati clamant, & nunquam quasi timentes recedunt. *Et in nomine tuo virtutes multas fecimus.* Faciunt & virtutes secundùm ea quæ diximus, non vtilia & necessaria, sed inutilia & vacua. In omnibus ergo secundùm Christi Christi præceptum discutiendi sunt fructus eorum. Si bona conuersatio est eorum, & confessio vera. Si autem aut confessio conuersationi non conuenerit, aut conuersatio confessioni, falsus est. *Tunc iurabo illis, quia nescio qui estis.* Tunc, Vsque tunc autem sustinebo, quia grandem iram grandis dilatio præcedere debet, & grandis dilatio iustius facit esse iudicium Dei, & digniorem interitum peccatorum. Sciendum quia peccatores nescit Deus, quia nec digni sunt vt cognoscantur à Deo. Sicut enim & Apostolus ait: Cognouit Dominus, qui sunt ipsius. Non quia non cognoscit ipsos, sed suos illos esse non cognoscit: ideo qui pereunt, non fuerunt illius. Aut quomodo te Deus cognoscat, cùm tu Deum cognoscere nolis? Sicut enim omnes homines naturaliter cognoscunt Deum, non autem videntur verè cognoscere, quia nõ dignè colunt: sicut serui Dominum, sicut factura factorem, & hoc est secundùm naturam quidem cognoscere, nõ autem secundùm voluntatem: Sic & Deus naturaliter omnes cognoscit, sed non eos videtur verè cognoscere, quia non eos diligit quasi factor facturam, quasi Dominus proprios seruos. Et hoc est secundùm naturam cognoscere, non autem ex vo-

proficere.

Christianus quomodo cognoscendus.

2. Tim. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

luntate: quia omne malum extraneum est à Deo. Iurat A autem Christus, non vt suam veritatem commendet, sed vt illorum incredulitatem condemnet. Non enim si non iurauerit Christus, mentitur, sed vt illi amplius confundantur firmiori responso: quoniam qui mendax est, neminem putat dicere veritatem, neque ipsum Deum. Qui enim non seductioni diaboli deceptus mentitur, sed proposito mendax est: nunquam desinit esse mendax, neque post mortem. Nam mors quidem animam à carne separat, animæ autem propositum non immutat. Vis scire? Considera eos etiam post mortem mentientes. Domine in nomine tuo hoc & hoc fecimus: Nunquid nesciebant ipsi apud se, quia nunquam nec dilexerant Christum, nec fecerant voluntatem eius? Sed putant se sicut in hoc sæculo homines deceperunt, sic & ibi etiam Deum fallere posse. Ideo etiam non dicit illis, Discedite à me qui operati estis iniquitatem: sed, qui operamini. Quia iniqui nec post mortem desinunt esse iniqui: quia etsi peccare non possunt, B tamen peccandi propositum tenent.

HOMILIA XX. EX CAP. VII.

OMNIS *qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram.* Frequenter miramur, quòd homines aut promissionibus flexi, aut terroribus fracti, aut persuasionibus falsorum doctorum circumuenti, relinquunt fidei veritatem, & ad mendacium infidelitatis transmigrant. Quòd si vel hanc vnam sententiam Christi cautè intelligeremus, & recordaremur: nunquam de perditione talium hominum stupueremus. Quomodo enim permaneat apud Christum, qui nunquam stetit in Christo? aut quomodo teneat eum veritas, qui nunquam tenuit veritatem? aut quomodo seruet eum iustitia, qui iustiam non seruauit? Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea. Quæ verba? quæ superius dixit: Vt qui vult esse Christianus verus, non solùm non occidat, sed nec irascatur sine causa: non solùm non periuret, sed nec iuret: non solùm non fornicetur, sed nec vsque ad oculum concupiscat: non solùm non percutiat, sed nec percussus repercutiat: non solùm aliena non tollat, sed etiam cogenti dimittat: non solùm amicos syncerè diligat, sed etiam inimicos. Eleemosynas faciat non coram hominibus: orationibus instetintrans in cubiculum suum: ieiunia celebret non cum tristitia: non iudicet fratrem suum peccantem, sed suæ infirmitatis consideratione ignoscat: non det sanctum canibus, neque margaritas suas mittat ante porcos. Petat, quærat, pulset, & accipiet. Attendat autem à falsis Prophetis. Qui ergo se talibus ædificauerit mandatis, quomodo potest fieri, vt aliquando fractus tentationibus cadat? Aut è contra quomodo percussus tentationibus stabit, qui se nullius iustitiæ fundamento ligauit? Quis ista custodiuit, & cecidit? Culpamus Deum, quia non custodiuit. Si autem D illis prævalet fortitudo diaboli, in quibus iustitia Christi non inuenitur, magis in illorum perditione laudandus est Deus, quàm culpandus: quia hi soli pereunt, qui mandata Christi contemnunt. *Similabo eum viro sapienti.* Non dixit, æstimabo eum virum sapientem: sed, similabo eum viro sapienti. Ergo alter est qui similatur, alter est vir cui similatur. Ergo qui similatur, est homo: cui autem assimilatur, Christus. Christus enim sapiens est vir, qui ædificauit domum suam, id est Ecclesiam supra petram: id est, supra fortitudinem fidei. Nam & fortitudo fidei petra dicitur, propter quam Simon Petrus dictus est, ad quem dicit Deus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Quis est vir stultus? Diabolus, de quo dicit Hieremias: Clamauit perdix: congregauit filios quos non genuit: fecit diuitias suas non cum iudicio, in medio dierum derelinquet eas: & in finem erit stultus. Iste ergo diabolus insipiens vir ædificauit domum suam super arenam. Domus enim eius ante Christum fuerunt omnes gentes. Sicut enim sancti domus facti sunt Christi, ita & impij domus sunt inimici. Ædificati autem fuerunt super arenam, id est super inconstantiam infidelitatis. Si enim constantia fidei dicitur petra, rectè & inconstantia infidelitatis arena vocatur: id est idolatria, quæ per varias idolorum culturas semper dispersa est. Aut certè super arenam, id est super carnales homines ac infideles. Ideo tales homines arena dicuntur, non terra: quoniam terra quidem fructum facit, arena autem sterilis manet. Deinde quia terra quidem vnita est, & in seipsam constricta: arenæ autem grana non conueniunt sibi, nec adhærent ad inuicem: sic sunt & omnes infideles qui sub diabolo sunt, non sunt vniti, nec vnum sapiunt, sed sunt per diuersas opiniones dispersi: & alius quidem sic dicit, alius autem sic. Sic & dogmata philosophorum nos docent, quæ sunt contraria sibi semper. Eo modo perfidia hæreticorum, qui nunquam sapiunt vnum, sed quot sunt, tot sententias habent. Propter quod arenæ assimilatur omnis diaboli populus. Populus autem Dei non solùm vnitus est quasi terra, quæ quamuis compacta sit, tamen solubilis est: sed est sicut lapis constrictus & indissolubilis. Tertiò quia diaboli populus non numerabilis est, sicut arena: Dei autem, ex multis vocatis pauci electi. Pluuia autem est doctrina: quia sicut pluuia irrigat terram, vt proferat fructum: sic doctrina hominem irrigat, vt iustitiam operetur. Sicut dicit Deus per Esaiam de tollenda à Iudæis doctrina: Et mandabo, inquit, nubibus, ne pluant super eam pluuiam. Nubes enim dicuntur Prophetæ & Apostoli: quia sicut nubes baiulant pluuiam, & effundunt eam super terram: sic & Prophetæ & Apostoli accipiunt verba à Deo, & effundunt super rationabilem terram. Sunt autem nubes quæ à Spiritu sancto excitantur: & sunt nubes quæ à spiritu potestatis aëris, sicut dicit Propheta: Tenebrosa aqua in nubibus aëris. Nubes enim quæ à Spiritu sancto excitantur, candidam baiulant aquam, id est veram & sanctam doctrinam. Quæ autem à spiritu potestatis aëris, tenebrosam baiulant aquam, id est falsam & impiam doctrinam, quæ non illuminat, sed tenebrescere facit mentes eorum, qui suscipiunt eam. Venti autem ex parte quidem mala, sunt immundi spiritus, qui intra præcordia hominum flant: ex parte autem bona, spiritus diuersarum virtutum, vel angeli, qui inuisibiliter in sensibus hominum operantur, & adducunt ad bona. Et vide proprietatem rerum: pluuiæ proprium est mollire & soluere: ventorum autem cum virtute vrgere. Sic ergo impiorum nubes falsa sua doctrina, & promissionibus molliunt homines, & blandimentis & persuasionibus soluunt: diabolus autem intrat in corda eorum quasi ventus, & inuisibiliter vrget consentire mendaciis eorum, vel in cætera peccata compellit. Sic & in parte bona sanctæ nubes doctrinam iustitiæ persuadent hominibus, & rationabiliter placant: Spiritus autem sanctus vel angeli, quasi prosperi venti prosperantes in cordibus, faciunt homines acquiescere veritati. Sicut enim non est possibile, vt ex sola pluuia fructificet terra, nisi flauerit super eam ventus: sic non est possibile, vt sola doctrina corrigat hominem, nisi cooperatus fuerit Spiritus sanctus in corde ipsius. Flumina autè sunt ex parte quidem mala hominis immundo spiritu pleni, & in verbositate structi: quales sunt philosophi dogmatum diuersorum,

Vero Christiano quid faciendum sit.

Fortitudo fidei petra dicitur. Infra 16.

Hieri. 17.

Hæretici nunquam concordes.

Esa. 5.

Psal. 17.

diuersorum, Oratores, Grammatici, cæteræque non se- A cundùm Deum sapientes: † de quorum ventre exeunt flumina aquæ mortuæ. * Ex parte autem bona: Euangelistæ, doctores populi, cæteræque sapientes secundùm Deum: de quorum ventre exeunt flumina aquæ viuæ. Ecclesiam ergo, quam Christus vir sapiēs super petram ædificauit, neque pluuia mendacis doctrinæ corrumpit, neque diabolicus ventus impellit, neque violentorum fluminum impetus mouet. Nam etsi humiliatur Ecclesia propter tentationem, tamen perire non potest propter fidem Christi. Nec est contrarium, quod quidam de Ecclesia cadunt: illi enim nunquam Christiani fuerunt. Sicut enim non omnes qui sunt in † Israël, hi sunt Israëlitæ: sic non omnes qui Christiani dicuntur, sunt & Christi. Christianorum enim opera sunt aspicienda, non nomina. Dicit enim Apostolus: Cognouit Dominus qui sunt ipsius, & discedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomē Domini. Ergo qui discedit ab iniquitate, ille est Christi, non qui vacuè nomi- B nat nomen Christi. Illi enim tales nec super petram fidei erant ædificati, sicut inferius ostendemus. Aduersus domum autē, quam ædificauerat stultus sibi super arenam, id est aduersus Gentiles & omnes impios, qui sunt diaboli domus, descendit pluuia, id est veritatis doctrina per propheticas & apostolicas nubes: descenderunt flauerunt. † venti, id est gratiæ spirituales, aut angeli, qui inuisibiliter operantes, homines ad fidem veritatis inclinant: venerunt flumina, id est quatuor Euangelistæ, aut cæteri sapientes, & impegerunt in domum illam, & sic cecidit domus diaboli & spiritualibus instrumentis erecta est domus Christi. Et ne mireris quia gentes venientes ad fidem, cecidisse dicuntur. Ceciderunt enim diabolo, vt surgerent Christo. Ecce enim omnis homo quandiu ambulat in peccatis, diabolo stat, Christo autem iacet: cùm autem conuersus fuerit ad iustitiam, diabolo quidem cadit, Christo autem surgit. Dicit enim Propheta Psal. 67. de hominibus liberatis à Christo: Ascendit in altum, C Luc. 11. captiuam duxit captiuitatem. Item Dominus: Quandiu fortis armatus custodit domum suam, in tuto sunt omnia eius: cùm autem venerit fortior, diripiet vasa eius, videlicet homines impios, ex quibus ædificata fuerat diabolo domus. Si ergo secundùm prophetiam captiui dicuntur, quantùm ad diabolum: quantùm ad Christum, ad libertatem fidei sunt conuersi. Si direpti dicuntur secundùm Christum, consequenter & cecidisse dicuntur, quantùm ad statum suum priorem, qui surrexerunt in fide. *Et facta est ruina eius magna.* Videlicet idolis in toto mundo destructis, mendaciis in tota terra conuictis, erroribus solutis: quia totus mundus diabolo cecidit, Christo autem surrexit. Sic ergo domum, quam stultus ædificauerat super arenam, sapiens rex spiritualibus armis sanctorum suorum destruxit. Domum autem quam sapiens Christus ædificauit super petram, stultus diabolus fallacibus argumentis ministrorum suorum nunquam poterit dissipare. Huic er- D go viro sapienti Christo, similis est Christianus omnis, qui ædificat se super petram, id est Christum. Qui enim audit verba Christi, & facit ea, ipse est qui ædificat se super petram Christum. Christus enim charitas est, & qui se ædificat in charitate, super petram Christum se ædificat. Qui ædificat se in mansuetudine, ædificat se super petram, id est Christum: Christus est enim mansuetudo. Qui ædificat se in castitate, ædificat se super petram Christum: Christus est enim castitas. Qui ædificat se in misericordia, ædificat se super firmam petram Christū: Christus enim misericordia est. Et in quacunque specie boni ædificauerit se homo, super petram Christum se ædificasse videtur: quia omne bonum est Christus. Similis autem est Christo, quoniam sicut Christi Ecclesiam ædificatam super petram nulla eam aduersitas diruere potest: sic talem Christianum qui se ædificauerit super Christum, nulla eum aduersitas diruere potest, vt dicat cum Paulo: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, &c. Stulto autem diabolo similis est omnis Christianus, qui se ædificat super arenam. Super arenam autem ædificat se, qui audit verba Christi, & non facit ea. Verba enim quæ non conuertuntur ad opus, arena sunt spargibilis. Sicut enim grana arenæ non conueniunt in vnum, neque adhærent adinuicem, sed semper sunt separata: sic verba quæ audiuntur & non conuertuntur in vnam iustitiæ massam per opus, separata sunt & dispersa. Et ideo assimilantur arenæ, quæ nunquam in semetipsa coniungitur. Ergo super arenam se ædificat omnis Christianus, qui ex auditu solo verborum, credit in Christum, & non per opera bona se confirmat in Christo. Sed & qui facit opera mala, super arenam ædificat. Arena enim est omnis malitia, sicut diximus suprà: & qui in bonis mundialibus instruit, se super arenam ædificat. Similis autē stulto diabolo est, quia sicut diaboli domus, id est, idolatria à Christo destructa est per opera ministrorum eius, & gratiarum: sic & ille hodie aut cras destruendus est à diabolo per opera ministrorum eius, vel dæmonum, vel hominum impiorum: & tales hi sunt quos cadere de Ecclesia significauimus suprà, eo quòd non se ædificauerint super petram, sed magis super arenam. *Et erit ruina eius magna.* Quomodo magna? Sicut enim domus quæ habet validum fundamentum, si pars aliqua parietis vel tecti ceciderit: ruina eius magna non erit, quia potest fieri vt iterum reparetur. Si autem fundamentum eius casum fuerit passum, tunc est ruina eius magna, quia tota venit deorsum: sic & Christianus si aut fornicatus fuerit, aut adulteratus, aut homicidium fecerit, cecidit quidem, tamen ruina eius magna nō est, quia iterum pœnitentia surgere potest sicut Dauid. Si autem de fundamento fidei aliquid fuerit passus: id est, si præuaricatus fuerit, & ad Gentiles, aut hæreticos transierit, tunc est ruina eius magna, quia totus funditus ruit. *Et factum est cùm consummasset Iesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius.* Placatus rationabiliter intellectus hominis laudem generat: victus autem, admirationem. Quicquid autem dignè laudare nō possumus, hoc admiramur. Admiratio tamen eorum magis ad Christi gloriam pertinebat, quàm ad fidem ipsorum. Nō enim ideo mirabantur, quasi credentes in Christum: sed quia irreprehensibiles audierant sermones. Si autē credētes in Christū essent, non mirarentur, sed potius crederēt. Nē omne dictum aut factū illud mouet admirationem, quod superat facientis, aut dicentis personam: Vtputa, si homo tale aliquid dicat aut faciat, quod excedit mēsuram naturæ eius. Quamuis autem magnum sit quod Deus dicit aut facit, tamen minus est quam Dei potentia. Ideo quicquid à Deo factum, aut dictum audimus, non admiremur, quia omnia minora quàm Dei potentia. Tamen audiebat populus cum silentio & grauitate, & admirans proficiebat in verbis ipsius: quia admiratio, etsi ipsa nō est ex fide, tamen inuitatio est ad fidem. Nam qui admiratur de verbis doctrinæ, quamuis adhuc non credat, tamen iam in ipso limine credulitatis consistit vt credat. Turbæ erant quæ mirabantur, id est populus vulgaris. Non erant illic Pharisæi, aut principes populi, aut sacerdotes, qui solent non discendi studio audire, sed contradicendi: non vt aliquid salutis acquirant, sed vt aliquid calumniæ inueniant. Et ideo simpliciter audiebat populus simplex. Si autem aliqui eorum affuissent, sine dubio silentium & grauitatem

cæteræque secularis sapientiæ professores. * flumina mendacis doctrinæ. Nota.

ex.

2. Tim. 2.

fluerunt.

Rom. 8. Audiens verbum Domini, nec ad opus perducens, super arenam ædificat.

populi, sicut consueti fuerant, contradictionibus suis conturbassent: quia vbi maior scientia, illic malitia fortior. Qui enim festinauerat esse prior, difficilè contentus erat esse secundus. *Erat enim docens eos sicut potestatem habens.* Omnis doctor seruus est legis, quia neque supra legem addere potest aliquid de suo sensu, neque subtrahere aliquid secundùm proprium intellectum, sed hoc tantummodo prædicat, quod habetur in lege. Nec enim potest mens humana directare, id est extra rectum facere, scilicet peruersum vel malum ostendere, quod sapientia diuina dictauit. Sic enim ait Moses ac Salomon: Non addas verbis Dei, neque detrahas inde. Qui autem hoc ausus fuerit facere, se sapientiorem putat esse quàm Deum, & incipit esse falsus testis, quia illud dicit quod nec auris audiuit, nec oculus vidit. Christus autem Dominus legis est, & subtrahere potest de lege, quod propter necessitatem temporis iussit: Vtputa propter duritiam cordis iussum fuerat dare libellum repudij. Dominus illud quasi potestatem habens, subduxit, dicens: quod Deus coniunxit, homo non separet. Item etiam addidit, quod propter infirmitatem hominum minus fuerat iussum: Vtputa, Antiquis dictum, Non occides: ego autem dico, non irascaris. Ideo ergo mirabantur, quia non quasi seruus legis sub potestate constitutus illud docebat quod fuerat iussum: sed quasi Dominus legis, & habens potestatem, sua authoritate addebat super quàm fuerat dictum, dicens: Antiquis dictum est hoc. Ego autem dico hoc.

Deut. 4. & 12. & Prou. 30. & Eccles. 3.

Deut. 24.

Matt. 19.

Exod. 20. & Deut. 5.

Supra 5.

HOMILIA XXI. EX CAP. VIII.

Et descendente eo de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ, &c. Vide quia super montem discipuli tantùm dicuntur ascendisse ad Iesum: descendente autem eo de monte, secutæ sunt eum turbæ, & meritò multæ turbæ: quia mons est virtutis fastigium, cacumen Ecclesiæ, in quo appropinquare Christo non possunt turbæ, vel peccatis grauatæ, vel curis mundialibus oneratæ. Nec possunt imitari Christum, nec sublimes audire sermones, qui dicuntur in monte: sed soli discipuli, qui à passionibus vitiorum liberi sunt, qui curis mundialibus onerati non sunt. Propterea quasi leues & expediti, ad Christum accedere possunt, facti imitatores eius in omnibus, vt sublimiores sermones ipsius possint audire. Et tamen cum descenderet ad humilia de altitudine pietatis propter infirmitatem hominum sequi eum nō potentium super montem, tunc sequuntur eum turbę multæ. *Ecce leprosus.* Sciendum est, quòd Lucas quidem & Marcus, statim in primis ponunt dæmoniacum curatum, in secundo autem loco mulierem carnali infirmitate febrium liberatam, ea videlicet ratione, quia maior cura Dei est de salute animæ, quàm de salute carnis. Primùm quidem, quia dignitosior est anima quàm caro. Anima enim sine carne viuere potest, caro autem sine anima viuere non potest. Secundò autem quia in omni peccato prius anima peccat, posteà caro. Nam nisi anima prius fuerit victa, nunquam caro potest peccare. Caro quidem prius concupiscere malum potest, peccare autem non potest, nisi anima illi consenserit: quia caro in potestate animę est, non anima in potestate carnis. Ideo ergo necessarium fuit, vt anima quæ prius ceciderat, antè resurgeret. Deinde anima liberata à potestate diaboli, carnem suam saluare non potest † à peccato: caro autem sanata ab infirmitate, animam liberare non potest à peccato, sed magis eam euertit: quia incolumitas carnis semper impugnat iustitiæ disciplinam. Hic autem Matthæus statim leprosum ponit mūdatum in mysterio carnis. Quid ergo? Præteriit rationē, quam alij Euangelistæ tetigerunt? Non, sed abundanter eam exposuit. Pro eo enim quòd illi posuerunt dæmoniacum curatum in mysterio animæ, iste propter salutem animæ posuit Christum docentem in monte: quod alij non dixerunt. Nam sicut effugatio immundi spiritus liberat animam de potestate peccati, quod fit per suggestionem diaboli: ita & verbum doctrinæ soluit operationem diaboli, & animam liberat ab errore, liberat à peccato, cæterisque malis quæ diabolo suggerente nascuntur: quia non solùm ille diabolum patitur, cuius corpus vexatur ab eo: sed etiam omnis qui facit diaboli voluntatem, peius vexabitur ab eo. Leprosum autem ponit in mysterio carnis sanatæ. Lepra enim, passio est carnalis. Sed ne fortè diceret populus apud se, Verba quidem magna, & terribilia sunt, sed opera nulla. Dicere granditer, non est multum: facere, multum est. Ideo excitauit leprosum, vt mundationis illius miraculo præcedentibus verbis authoritatem præstaret: vt in verbis mirabilis, mirabilior esset in opere. Ecce leprosus quasi iam præparatus descendenti illi occurrit. Et fortè & ideo descendit, vt leprosum mundaret. Lepra enim est peccatum animarum nostrarum. Ideo ergo Dominus de altitudine cœli, quasi de excelso monte descendit, vt lepram peccatorum nostrorum mundaret. Quare putas iste inter cæteros non ascendit in montem, vt audiret sermones diuinos? Quia lepra erat grauatus, & peccatorum baiulans pondus, sursum ascendere non valebat. Aut non audisti Prophetam dicentem, quomodo leues esse debeant, qui ad ecclesiasticum mōtem ascendunt? Quis, inquit, ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde, &c. Sic quicunque in malis ambulat, nō potest in Ecclesiam ascendere, quæ mons Domini appellatur, nec audire spiritualem doctrinam. Et si venit, corpore quidem venit, animo autem non ascendit: qui autem cum puro corde nō venit, nihil illi prodest, quia corpore venit. Et si audit spiritualem doctrinam, non intelligit, quia sensus eius carnalium vitiorū lepra corruptus est. Nemo enim bonarum rerum potest sentire saporem, quandiu delectatur in malis. Quandiu enim delectat eum malum, nō potest eum delectare bonum. Tunc autem incipit ei placere bonum, cùm cœperit ei displicere malum. *Veniens adorabat eum.* Oratio perfecta, est fides, & confessio, sicut ait Apostolus: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: Sic & leprosus fidei opus adorans impleuit, confessionis autem, in verbis. *Domine si vis, potes me mundare.* Non illum petebat quasi hominem artificem, sed adorabat quasi Deum. Spirituali medico, spiritualem afferebat † mercedem. Nam omnes medici pecuniis, iste autem sola oratione placatur. Verè enim nihil est dignius quòd offeramus Deo, quàm oratio fidelis. Quicquid enim obtulerimus, de nostris est, oratio autem de nobis. Domine si vis, potes me mundare. Non de voluntate Christi ad omne bonum parata dubitabat dicens, Si vis: hoc enim dubietatis esset de iudicio voluntatis eius. Christus enim cùm sit bonus, nociua nō vult præstare, etiam si rogetur. Nec enim expedit omnibus corporalis integritas. Quoniam ergo nesciebat vtrum expediret ei curatio illa, nec † ideo ambigebat de voluntate ipsius, quamuis sciebat eam ad omne bonum paratam. Nam credere quidem bonum misericordiæ Dei, hominis est fidelis: scire autem iudicia misericordiæ eius, non est hominis neque fidelis, cùm constet nec ipsum Apostolum potuisse cognoscere, cùm Dominum rogaret vt discederet ab eo ille stimulus carnis, angelus satanę, qui datus ei fuerat, vt nō extolleretur, propter quod & dictum est ei: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in

Luc. 5. Marc. 1.

Marc. 1. & Luc. 5.

Pſal. 23.

offerebat.

al. deeſt, nec.

1. Cor. 12.

virtus in infirmitate perficitur, ac si dicat: Credo quia omne quod bonum est, vis: ignoro autem si bonum est mihi quod desidero. Hoc autem planè non dubito, sed potius credo: quoniam si bonum est mihi, & tu vis. Hic ergo sermo non dubitantem eum ostendit de misericordia eius, sed ignorantem iudicia misericordiæ eius.

Leuit. 15. *Et extendens manum suam, tetigit eum.* Quia in lege dictum erat, vt qui tangeret lepram, immundus esset vsque ad vesperam: tetigit lepram, non quasi seruus legis, sed quasi Dominus. Nam lex legislatori subiecta est, nō legislator legi. Quid ergo, soluit legem? Non literam quidem legis soluit, propositum autem eius non soluit, sed magis illi addidit dignitatem. Si enim lex facere potuisset, vt lepra non sordidaret tangentem, nunquam iussisset homines vt non tangerent lepram. Ideo ergo iussit non tangere lepram, quia non potuit facere vt lepra non sordidaret tangentem. Iste ergo qui tangens lepram, sordidatus non est à lepra, non egit contra legem, sed amplius fecit quàm lex iubebat: quia non solùm sordidatus non est à lepra, sed adhuc ipse lepram mundauit. Nec est credibile, vt dicatur sordidatus esse à lepra, qui ipsam lepram mundauit. Lex enim non ideo vetuit tangere lepram, vt ne leprosi sanarentur: sed vt ne tangentes lepram, coinquinarentur. Iste ergo qui tangens coinquinatus nō est, sed adhuc mundauit, amplius fecit quàm voluit lex. Tetigit ergo lepram, & legis literam soluit, vt iam non lepra corporis, sed lepra animæ fugiatur. Nam infirmitas corporis miseranda est, non odienda: infirmitas autem animæ non est miseranda, sed odienda. Quia infirmitas corporis non est in nostra potestate, vt aut non veniat super nos, aut recedat à nobis: infirmitas autem animæ in nostra est potestate, vt aut non veniat super nos, aut recedat à nobis. Infirmitas enim corporis tenet nos, nec tenetur à nobis: infirmitas autem animæ non tenet nos, sed tenetur à nobis. Ideo illa infirmitas miseranda est, hæc odienda. Ergo rescindit legem, non iustitiam legis: non illam, quam in corde hominibus creando conscripsit,

Exod. 32. Pſal. 18. sed quam dictauit in libro, cum populus vitulum adorasset: non illam de qua dictum est, Lex Domini irreprehensibilis est, conuertens animas: sed illam de qua dictum est, Lex iram operatur: vbi autem non est lex,

Rom. 4. non est præuaricatio. Quomodo enim digna erat seruari, quam meruerant peccata? Meritò ergo placatus rescidit, quod iratus dictauit. Nam si lex sublata non fuisset, nunquam spiritualis leprosus sanaretur: quia omnis qui sub lege viuit, leprosus est. *Volo, mundare: & confestim mundata est lepra eius.* Non ex quo tacta est lepra recessit, sed ex quo iussa est. Vt ostendatur, quia non propter effugationem lepræ tetigit eum, sed vt solueret legem. Alioqui quantum ad lepram sufficiebat sermo tantummodo: sed neque sermo necessarius erat, sed sola voluntas: ergo voluntas facta est propter leprosum, verbum autem propter spectantes. Nam si tacitè eum curasset tot adstantibus circa Christum: quis scire poterat, cuius virtute sanatus est? Ideo ergo dixit, Volo: mundare, vt omnes sciant, quia illius virtute sanatus est, qui præceptum sanitatis emisit. Hoc quod dicit, Volo: voluntatis eius est indicium, respiciens ad illud quod ille dixit, Si vis: quod autem dixit, Mundare: potestatis est præceptum, pertinens ad hoc quod dixerat ille, Potes. *Et ait ei Iesus: Vide nemini dixeris, sed vade ostende te sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moses in testimonium illis.*

Leuit. 14. Non sic intellige, quia hoc Moses præcepit in testimonium illis, sed vade & offer in testimonium illis. Non dixit, Vade, ostende te sacerdotibus, & nemini dixeris: sed primò nemini dixeris, & vade ostende te. Non enim semper iubet illum tacere, sed quandiu ostendat se sacerdotibus, ne fortè si antè alicui nunciaret: de verbo in verbum audirent sacerdotes, & occasionem habentes lepræ, propter odium & inimicitias Christi, expellerent eum de populo quasi leprosum, non recipientes mundatum. Ideo eum iubet offerre munera, vt si postmodum vellent eum expellere, diceret eis: Munera quasi à mundato suscepistis, & quomodo me quasi leprosum expellitis? Si leprosus adhuc fui, munera accipere non debuistis quasi à mundato: si autem mundus factus sum, repellere non debetis quasi leprosum. Eadem aliter: Omnia opera curationum Christi habent in se mysteria dispositionum Dei absconditarum. Ideo corporalia quidem curationum eius commoda, & illorum fuerunt tunc, & modò sunt nostra: spiritualia autem, forsitan nostra tantummodo. Igitur hic leprosus, qui post verba doctrinæ, confestim quasi iam præparatus accessit ad curam, in figura fuit populi Iudaici, deorsum quidem consistentis: quia populus erat: audientis autem verbum tunc quod dictum fuerat sursum, & credentis, & adorantis, & complectentis. Omnis enim qui verbum Dei adorat, æstimans & ipsum esse diuinum, & complectitur illud cordis affectu, sine dubio & verbum Dei attingit animam eius. Nec enim possibile est, vt anima quę complectitur verbum, non tangatur à verbo: cùm autem tetigerit eam verbum, à lepra infidelitatis eam mundat, secundùm quod scriptum est: Et vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis. Et Petrus in Actibus Apostolorum. Mundans, inquit, corda eorum per fidem. Propter quod & populus qui in lege degerat austera, & gratiam nondum erat expertus, de potentia quidem eius firmiter credidit secundùm traditionem patrum suorum, de misericordia autem dubitauit dicens: *Si vis potes me mundare.* Nam lex potentiam quidem Dei sufficienter tradebat, misericordiam autem eius non satis apertè. Propter quod & Dominus cognoscenti potentiam Christi, secundùm legem quam dederat, † adimpleuit, vt & misericordiam gratiæ eius cognosceret, dicēs: *Volo, mundare. Et præcepit ei, vt offerret munera, secundum quod præceperat Moses.* Quæ illa? Par turturum, aut duos pullos columbarū. Omnis enim iustitia in his est duobus: In abstinētia rerum malarum, & in opere rerum bonarum. Per turturem ergo iubet populum ab infidelitate mundatum, sanctitatem offerre Deo in abstinentia rerum malarum: quoniam castitas spiritualis animæ abstinentia est malorum, vt non coëat cum spiritu alieno, nec inspirationis eius suscipiat semen, ne generet opera similia spiritui malo. Per columbam autem omne opus significat bonum, nascēs ex charitate: quoniam charitas omne opus generat bonum. Qui ergo proximum suum diligit sicut se, nullum bonum subducit proximo suo, sicut nec sibi. Cùm ergo has duas iustitias impleuerit quis, ab omni malo se abstinens, quod est castitatis: & omne bonum faciens, quod est charitatis: manifestus efficitur ille talis, quia ab infidelitatis lepra mundatus est. Sic enim populus emundatus, & talia sacrificia offerens Deo, factus est in testimonium contra incredulos sacerdotes, qui gloriantes in litera legis, repulerunt authorem legis, purificantem populum à peccatis, quem lex purificare non potuit. Et si tu complexus fueris verbum Dei cordis affectu, & tuam nihilominus animam attingit verbum, quoniam diligentes se diligit, sicut dicit in Prouerbiis Salomon: & ab omni re infidelitatis lepra mundat. Cùm autem te emundauerit, præcipit tibi vt sacerdotibus te ostendas mundatum, castigans teipsum ab omni coinquinatione operis mali, & expandens charitatem tuam ad omnes per opera bona, vt per hæc sacrificia à sacerdotibus cognoscaris, quia

Ioan. 15. Act. 15.

quod decrat.

Prou. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mundatus es, cùm viderint te non facientem alteri, A quod pati non vis, sed adhuc & facientem omnibus quæ tibi vis fieri. Si autem harum iustitiarum sacrificia non obtuleris Deo, manifestus es omnibus, quia non es mundatus, sed adhuc in priore infidelitate manes leprosus.

HOMILIA XXII. EX CAP. VIII.

POST *hæc autem cum veniſſet in Capernaum, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Postquam Dominus populum docuit super montem, & leprosum mundauit sub monte: post hæc venit Capernaum, in mysterio: post Iudæorum mundationem venit ad Gentes. Et ecce Cẽturio quidam acceſſit ad eum rogans. Centurio, primus fructus ex Gentibus, ad cuius fidei comparationem omnium Iudæorum fides infidelitas est inuenta. Hic neque Christum audiuit docen- B tem, neque leprosum cùm mundaretur aspexit, sed audita tantummodo sanitate leprosi, plus credidit quàm audiuit. Illo enim seipsum obtulit, dicens: Si vis, potes me mundare. Fidei quidem sunt hæc verba, non tamen magnę, quoniam talia verba dici poterant etiam hominibus sanctis: qualis fuit Helisæus, qui leprosum mundauit, non manibus, sed præcepto. Iste autem Centurio non solùm potestatis eius virtutem confessus est, sed ipsam diuinitatis eius naturam cognouit. Nõ enim quasi corporalem sanctum rogauit, sed quasi Deum vbique præsentem, dicẽs: *Dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Quasi qui poterat etiam absentium infirmitatibus imperare. Erat enim iste Centurio in mysterio Gentium futurarum, quæ neque legem aut Prophetas legerant de Christo, neque ipsum Christum mirabilia faciẽtem viderant, sed iustitiam legis, quam in libris non legerant, in corde sensérunt: & Christum, quem oculis non viderant, mente viderunt ostendentes in se, quoniã scriptu- C ræ ad præiudicium peccatorum factæ sunt, non ad necessitatem sanctorum: quia rectis & fidelibus scripturæ

1. Tim. 1. necessariæ non sunt, dicente Apostolo: Lex non est posita iusto, sed iniustis. Magistra enim omnis iustitiæ ipsa natura est hominum, & scriptura infallibilis * de Deo

ineffabilis, al. infallibilis. creaturæ sunt omnium rerum: quia nihil est creatum in mundo, per quod non manifestissimè Deus ostendatur. Ideo elementa omnium rerum in hoc quidem tempore admonẽt homines de potentia Dei, in illa autem die iudicio suo cõdemnabuntur. Sciendum est autem quo-

Luc. 7. niam Lucas per sacerdotes ponit Christum à Centurione rogatum, Matthæus autem ab ipso Centurione. Diuersæ quidem species expositionum, vnus autem expositionis est sensus. Ille enim per sacerdotes exponens, mysterium demonstrauit: quoniam omnis petitio populi per sacerdotes debet transmitti ad Christum. Iste autem rem ipsam exposuit, quoniam & qui per sacerdotes rogat Christum, rectè ipse rogare videtur. Ex eo D autem quòd & illic sacerdotibus intercedentibus acquieuit, & hic ipso rogante promisit, manifestum est, quoniam & illic non propter personam sacerdotum acquieuit, sed propter fidem ipsius Centurionis: vt sciamus quoniam in omni causa non intercedentium merita, sed humiliter petentium aspicitur fides. *Puer meus in domo iacèt paralyticus, & malè torquetur.* Quid primùm miremur in Centurione? Humilitatem, aut fidem, aut sapientiam, aut bonitatem? Humilitatem, quia nec in domo sua Christum susc ipere dignum se esse existimauit. Fidem autem, quia credidit eum posse quod petiit. Sapientiam, quia diuinum thesaurum absconditum in agro terreno, non acumine oculorum, sed mentis puritate, nullo demonstrante prospexit. Bonitatem autem, quia pro salute serui sic solicitè festinabat, quasi non damnum pecuniæ, sed salutis passurus in morte illius. Puto quòd iste Centurio inter seruum & Dominum nullam differentiam æstimabat: sciens quoniam etsi dignitas in hoc sæculo diuersa est inter illos, vna est tamen natura illis. Ideo magis Dei imaginem honorabat in homine, quam opus captiuitatis contemnebat in seruo: quod Deus non secundùm suam iustitiam creando disposuit, sed propter peccata hominum permittẽdo susc epit. Si tu enim Dominus pretium dedisti pro seruo, Deus spiritum suum plantauit in eo. Quantò ergo maior est spiritus Dei, quàm pretium hominis: tantò maius est quod ametur, quàm quod contemnatur in seruo. Vide ergo ne fortè si tu propter pretium tuum abusus fueris illo sine timore Dei, Deus propter spiritum suum rationem à te exigat sine misericordia. Audiant etiam & intelligãt serui. Sicut enim habent Domini quod imitentur in Centurione, propter misericordiam: sic habent & serui quod imitẽtur in puero, propter synceritatem. Putas autem qualis erat ille puer, vt sic amaretur à Domino? Secundùm dilectionem Domini mensurate fidem serui. Nec enim possibile erat, vt sine pretio bonorum morum tantam sibi dilectionem Domini comparasset. Domini ergo seruis † debent amo- al. vobis. rem propter communem naturam, serui autem debẽt dominis suis timorem, propter ordinationem diuinam. Et in seruis Christus amatur à dominis, & in dominis Christus timetur à seruis. *Et malè torquetur.* Etsi non satis malè torquebatur, tamen æstimabat illum Dominus malè torqueri, quia sic diligebat eum. Nam vnusquisque quem diligit, & si modicè fuerit tædiatus, grauius eum putat habere quàm habet. Vide autem sapientiam Centurionis, & fidem. Fidem quidem, quia non dixit, veni, & salua eum: sciens quia & illic constitutus, in omni loco fuerat præsens. Nam quamuis Christus videbatur esse in mundo, propter dispensationem carnis, tamen mundus erat in Christo, secundùm substantiam deitatis. Sapientiam autem, quia non dixit, vel hic constitutus sana eum: sciebat enim quia potens est ad faciendum, sapiens ad intelligendum, misericors ad exaudiendum: ideo infirmitatem tantummodo exposuit, remedium autem sanitatis in potestate misericordiæ eius dimisit. Nam & medico corporali necessarium est tantummodo passionem exponere, quid autem, aut quo modo faciat, ipse cognoscit. *Respondit ei Iesus: Ego veniam & curabo eum.* Propter multas causas, cùm non peteretur vt iret, promittit se ire. Primùm quidem, vt excitaret fidem eius, hoc ipsum respondere voluit quod respondit. Nisi enim ille dixisset, Veniam & sanabo eum: nunquam iste responderet, Non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed dic verbo, & sanabitur puer meus. Hoc enim consilio & Chananæa clamante, Filia Infra 15. mea malè à dæmonio torquetur: respondit quòd non erat facturus, Non est bonum tollere panem filiorum, & dare canibus: vt illa prouocata responderet, Etiam Domine, nam & catelli de micis filiorum manducant. Sic & huic respondit quod nolebat, vt quod volebat audiret. Deinde quoniam petitio Centurionis erat pro seruo, ideo ire proposuit: vt nos doceret, non magnos colere, & modicos contemnere, sed pauperes & diuites similiter honorare. Si enim diuitem honoras, propter personam ipsius honoras eum: si autem pauperem honoras, propter personam Christi honoras. Propterea & in quodam loco, regulo postulante pro filio suo, non dixit, ego veniam, & sanabo eum: sed quid? Vade, filius tuus viuit. Illic cùm roga- Ioan. 4. retur noluit ire, ne fortè personam reguli videatur accipere:

cipere: hic autem non rogatus promisit ire, ne videatur A humilitatem serui contemnere. Illum ergo contempsit, quem dignitas subleuabat regalis: istum autem honorauit, quem conditio humiliabat seruilis. *Respondit autem Centurio: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Honorem tibi debeo pro beneficio misericordiæ tuæ, non iniuriam. Sufficit mihi, quòd puerum meum sanabis. Vt quid iniuriam etiam patiaris intrando sub tectum domus indignę? Quod autem in hunc mundum venisti, iniuriam passus es: sed tolerabilis est iniuria tua, quoniam pateris illam propter omnium hominum communem salutem. Vt quid & alteram iniuriam patiaris, introeundo in domum meam propter serui vnius salutem? *Dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Sciebat quoniam adstant illi angeli inuisibiliter ministrantes, qui omne verbum eius faciunt. Quòd etsi Angeli cessent, tamen ipsæ infirmitates, & spiritus passionum, præceptis eius viuacibus expelluntur: quoniam omnis sermo eius virtus est viua. *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate* B *conſtitutus.* Vide quomodo mysterium Patris & Filij in seipso, spiritu suggerente depinxit? Nunquid non sufficiebat ad confessionem potestatis Christi hoc solùm dicere, *Et ego homo ſum, habens ſub me milites, & dico huic vade, & vadit: & alteri veni, & venit?* Quoniam & Christus habet sub se angelos, quibus eundi & redeundi ponit præceptum. Quid ergo necessarium fuit addere, Et ego homo sum sub potestate: nisi vt pleniſſimè Christi dignitatem ostenderet in seipso? Id est, ego sum homo sub potestate alterius, tamen habeo potestatem iubendi eis, qui sub me sunt. Nec enim impedior iubere minores, propter quod ipse sum sub maioribus, sed ab illis quidem iubeor, sub quibus sum: illis autem iubeo, qui sub me sunt: Sic & tu quamuis sub potestate Patris sis, secundùm quod homo es, habes tamen potestatem iubendi Angelis tuis, nec impediris iubere inferioribus, propter quod ipse habes superiorem. Nam vt homo & iuberis à Patre quasi minor, tamen Angelis iubes quasi C maior. † [Sed fortè dicit hæreticus, volens ostendere Patrem & filium, vnum vel æqualem. Non est ita intelligendus hic locus, sed sic:] Si ego sub potestate constitutus, possum iubere eis qui sub mea sunt potestate: quantò magis tu, qui in nullius es potestate, potes iubere eis, quos habes in potestate? Sed hanc interpretationem peruersam non † recipit textus. * [Non enim dixit, Si ego homo in potestate: sed ita, Nam & ego homo sum sub potestate. Non comparationis inter se & Christum differentiam fecit, sed rationem similitudinis introduxit.] Vide ergo quomodo gentilis & rusticus miles mysterium veritatis cognouit, & homines Christiani, † qui scripturas portant in ore, denegant veritatem. Non quia obscura sunt, aut profunda mysteria veritatis, non omnes ea cognoscunt: sed quia peruersa sunt corda eorum, & non requiescit in eis spiritus veritatis: propterea veritas fugit ab eis. Qui autem rectus est corde, ita vt requiescat in eo spiritus veritatis, non po- D test longe esse à veritate. Scriptum est enim: In maleuolam animam non introibit sapientia, &c. Sed dicit aliquis: Vos ergo omnes iusti estis & recti, qui putatis vos esse in veritate? Non omnes, quod peius est: sed multi sunt peruersi in veritate fidei, tamen in erroribus nullus est rectus. Aliud est enim multos esse malos, aliud est neminem esse bonum. Vbi enim quidam sunt mali, quidam boni, hominum est differentia: vbi autem omnes mali, rei peruersitas est. Nam & in medio tritici voluntariæ nascuntur spinæ. inter spinas autem voluntarium triticum non generatur. *Audiens autem Ieſus, miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: In nullo tantam fidem inueni in Iſraël.* Credidit Andreas, sed præsignante sibi Ioanne,

hæc in quodam exemplari desunt. * al. interpretationem elegantissimè recipit, &c. (hæc quoque desunt alias.

al. hæretici.

Sap. 1.

Chryſoſt. tom. 2.

ac dicente: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Ioan. 1. mundi. Credidit autem & Petrus, sed euangelizante sibi de illo Andrea, & dicente: Inuenimus Messiam. Credidit & Philippus, sed legendo scripturas, sicut ipse ad Ibidem. Nathanaël dixit, Quem scripsit Moses in lege, & Pro- Ibidem. phetæ, inuenimus Iesum à Nazareth. Ipse quoque Nathanaël, nisi audisset à Christo, cùm esses sub arbore fici, vidi te: nunquam respondisset, Rabbi, tu es filius Ibidem. Dei, tu es rex Israël. Prius signum diuinitatis accepit, & sic confessionem fidei obtulit. Aut si non sumus ausi fideliorem illum putare, quàm Apostolos: ita testimonium Christi intelligendum est, quòd vnumquodque bonum hominis secundùm qualitatem personæ illius laudatur. Puta, si rusticus aliquod verbum sapienter loquatur, philosophus multo amplius sapienter: in modico sermone sapientiæ rusticus plus laudatur, quàm in magno philosophus: quoniam rusticum dicere aliquid sapienter, magnum est: Philosophum autem dicere sapienter, non est mirum. Aut si puer aliquid astutè loquatur, dicimus satis sapiens puer: si autem vir perfectus sapienter loquatur, non laudatur quasi sapiens: non quia puer plus sapuit quàm perfectus, sed quantum ad comparationem ætatis suæ sapientior videtur esse, quam ille perfectus. Sic & in Centurione dictum est, in Infrà 8. nullo tantam inueni fidem in Israël, non quia nec Apostoli tantam fidem habuerunt.

HOMILIA XXIII. EX CAP. VIII.

IN *illo tempore, aſcendente Ieſu in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius.* Et reliqua. Nauigante Domino cum discipulis, orta magna tempestas est, ita vt nauem cõciti maris insurgentes fluctus obruerent. Ipse verò, inquit, dormiebat. Mira ratio. Ascendit paruam nauiculam vt nauigaret, ille qui totum mundum diuina virtute gubernat. Dormit in somnum, qui populum suum vigilia æterna custodit. Dormit autem Dominus, non necessitate infirmitatis humanę, sed spontanea voluntate. Nam cum in Dei illa æterna natura somnus nõ cadat, secundùm quod de eo legimus dictum, Ecce nõ Psal. 120. dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël: tamen Dominus ac Saluator noster ad probandam in se susc epti corporis veritatem, etiam vsque ad somnum humanæ naturæ omnia implere dignatur, vt euidenter veritatem in se assumpti corporis demonstraret. Sed cùm dormiente Domino, sæuiente procella, vsque ad periculum nauis violenti fluctus insurgerẽt, discipuli timore perculsi, Dominum susc itant, dicentes: *Domine libera nos, perimus.* Quod idipsum olim Dauid ex persona Apostolorum susc itantium Dominum significasse videtur, cum dicit: Exurge, quare obdormis Domine? Exur- Psal. 43. ge adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum. *Surgens ergo Dominus, ait illis: Quid timidi eſtis modicæ fidei? Et imperauit vento & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* In quo manifestè diuinitatis suæ potentiam Dominus declarauit, dum violentos maris fluctus diuinæ potestatis verbo compescuit. Neque venti vel mare obedire poterant, nisi Domino & creatori suo. Quod futurum antè prænunciauerat Dauid, dicẽdo: Viderunt te aquæ De- Psal. 76. us, viderunt te aquæ & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi. Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes. Et quæ istæ nubes sunt, quæ timentibus aquis vocem dederunt, nisi discipuli, qui viso signo diuinæ virtutis exclamauerunt, dicentes: Verè hic filius Dei erat? Nu- Marc. 15. bes autem idcirco Apostoli intelliguntur, quia modo nubium de terra surgentes, ad cœlos sine aliquo pondere peccati, spiritualis naturæ leuitate feruntur, & ad riganda corda credentium pluuiam diuinæ prædica-

Universidad de Deusto Biblioteca

tionis infundunt. Alio quoque loco idem Dauid, quòd Domino imperante verbo, maris violentia mitiganda Pſal.88. eſſet, ita teſtatus eſt dicens: Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas. Et iterum: Pſal.106. Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ, & ſiluerunt fluctus eius. Ibid.94. Et iterum: Qui conturbas fundum maris: ſonum Ibid.67. autem fluctuum eius tu mitigas. Et iterum: Ecce dabit vocem ſuam, vocem virtutis. Hanc vtique vocem, qua diuinæ poteſtatis virtute ventis imperante, maris tranquillitas reſtituta eſt. Beatus quoque Iob hoc ipſum futurum per Spiritum ſanctum non ignorãs, cùm de Domino loqueretur, ita ait: Virtute ſedauit mare. Cum igitur ſedata tempeſtate maris, iuſſione verbi eſſet tranquillitas inſtituta: *Hi*, inquit, *qui erant in naui, mirati ſunt, dicentes; Qualis eſt hic, quòd venti & mare obediunt ei?* Hanc autem dominici verbi virtutem, & eorum qui in naui erant admirationem, olim ſanctus Dauid Pſal.196. prænunciauerat in Pſalmo, dicendo: Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis. Ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Ibidem. Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ. Et iterum: Statuit procellam eius in auram, & ſiluerunt fluctus eius, & lætati ſunt quia ſiluerunt. Hęc itaque primùm, ſecundùm ſimplicitatem hiſtoriæ per Domini virtutem iſta geſta cognoſcimus: ſecundùm allegoricam verò rationem, quæ in his omnibus figura monſtrata ſit, ſolicitè debemus intelligere. Quærendum enim eſt, quid hæc nauis iuxta ſpiritualem rationem intelligi debeat, vel quod hoc mare, vel qui inſurgentes fluctus, qui venti, qui hos fluctus concitant, qui etiam ſomnus Domini, vel quæ hæc increpatio Domini in ventos, & quæ iſta reſtituta tranquillitas, vel quę digna admiratio nauigantium. Et non dubium eſt nauem iſtam Eccleſiam figuraſſe, ſecundùm quod per Salomonem de ea Spiritus ſanctus Prou.31. loquitur, dicens: Facta eſt tanquam nauis mercatura longinqua: id eſt Eccleſia, quæ nauigantibus Apoſtolis, gubernante Domino, flante Spiritu ſancto, prædicationis verbo vbique diſcurrit, portans ſecum magnum & inæſtimabile precium, quo omne genus hominum, vel potius totum mundum ſanguine Chriſti mercata eſt. Sap.5. De quo alio quoque loco idem Salomon retulit, dicendo inter cætera, veſtigium nauis pelagizantibus inueniri non poſſe: oſtendens conuerſationem Eccleſiæ non terrenam eſſe, vel ſæculi, ſed cœleſtem, ſecundùm Philip.3. quod ſanctus Apoſtolus refert, dicens: Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt. Mare ſæculum intelligitur, quod à diuerſis peccatis, & variis tentationibus, velut quibuſdam fluctibus æſtuat. De quo ſcriptum legimus: Pſal.103. Hoc mare magnum & ſpatioſum, illic reptilia, quorum Ibidem. non eſt numerus. Animalia puſilla cum magnis, & Ibid.68. draco iſte quem formaſti ad illudendum ei. Et iterum: Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Venti autem nequitiæ ſpirituales, & immundi ſpiritus intelliguntur, qui ad naufragium Eccleſiæ per diuerſas ſæculi tentationes, velut per fluctus maris deſæuiunt. Dormire verò Dominus in hac naui tunc intelligitur, cùm ad probationem fidei, Eccleſiam ſuam preſſuris & perſecutionibus mundi iſtius tentari permittit. Oratio verò diſcipulorum, & excitantium Dominum, & auxilium implorantium, vt liberarentur: preces ſanctorum omnium oſtenduntur, qui orta tempeſtate perſecutionis, ſæuiente diabolo & Angelis eius, deuota fide, ac iugi oratione, patientiam Domini velut de ſomno excitant, vt miſericordię ſuæ auxilio, per timorem humanæ infirmitatis periclitantibus ſubuenire dignetur: quò increpatis ventis, immundis ſcilicet ſpiritibus, qui authores ſunt perſecutionis, & mitigata omni ſæculi tempeſtate, Eccleſiam ſuam in pace & tranquillitate

A reſtituat. In admiratione verò eorum qui in naui erant, qui poſt factam tranquillitatem Dei filium confitentur, omnium credentium perſona & fides oſtenſa eſt, qui in Eccleſia conſtituti, prius orationibus Dominum excitantes, reddita ſibi pace, verè Dominum ac defenſorem Eccleſiæ ſuæ, Dei filium confitentur. Quod factum ſtatim in actis Apoſtolorum, poſt Herodis perſecutionem & Iudæorum, à ſanctis pro Eccleſia recognoſcimus. Vnde & quamuis infeſtatione inimici Eccleſia, vel ſæculi tempeſtate laboret, quibuſuis tentationum fluctibus pulſetur, naufragium facere non poteſt, quia filium Dei habet gubernatorem. Inter ipſos enim turbines mundi, inter ipſas ſæculi perſecutiones plus gloriæ ac virtutis acquirit, dum in fide firma & indiſſolubili permanęt. Nauigat enim inſtructa fidei gubernaculo, felici curſu per huius ſæculi mare, habens Deum gubernatorem, Angelos remiges, portans choros omnium ſanctorum, erecta in medio ipſa ſalutari arbore B crucis, in qua Euangelicæ fidei vela ſuſpendens, flante Spiritu ſancto, ad portum paradiſi & ſecuritatem quietis æternæ deducitur. Et hæc quidem nauis, quamuis per hoc tempus vitæ, per has tentationes ſæculi nauiget: non eſt tamen ſæculi nauis, ſed Dei. Eſt enim & alia ſæculi nauis, non Dei: id eſt, collectio hæreticorum, quæ ſibi huius nomen Eccleſiæ vendicat. Aduerſum quam, diem iudicij futurum Eſaias manifeſtè declarat, dicẽs: Dies, inquit, Domini Sabaoth, aduerſus omnem contumelioſum Eſa.2. & ſuperbum. Et poſt aliquantulum ait: Et aduerſus omnem nauem maris, id eſt omnem Eccleſiam hæreticorum. De qua alibi idem Eſaias retulit: Dirupti Eſa.33. ſunt, inquit funes tui, quæ non valuit arbor tua, inclinauerunt vela tua, & non laxabunt vela tua. Nauem verò hanc maris eſſe dixit, quia huiuſmodi Eccleſia non Dei eſt, ſed ſæculi, quæ licet habere in ſe prædicationem dominicæ crucis videatur, inualidam tamen hanc arborem eius oſtendit: quia vbi non eſt veritas C fidei, infirma crucis aſſertio eſt. Vnde inclinata & laxata vela eius ſunt oſtenſa, quòd nullo flatu ſancti Spiritus diriguntur. Et ideo huiuſmodi nauis, hoc eſt Eccleſia hæreticorum, amiſſo verę fidei gubernaculo, dominantibus aduerſis ſpiritibus, in naufragium mortis æternæ demergitur, quæ gubernari à Chriſto Domino nõ meretur, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA XXIIII. EX CAP. X.

IN *illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum.* Et reliq. (Deeſt caput 9. & initium decimi.) Omne malum quod accidit ex inſperato, nimis eſt graue: quod autem expectatur antequam accidat, poſtquam acciderit, leuius inuenitur. Ideo præſcius Dominus futurarum perſecutionum, præmonet Apoſtolos, dicens: Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum: vt D cum periculum illud euenerit, nõ quaſi nouum perhorreſcant, ſed tãquam cognitum fortiores excipiant. *Ecce ego,* qui menſurata ſpatia conſtitui diei & nocti, & nunquam altera in alterius tempus contempta definitione tranſgreditur. Ecce ego, qui turbidum mare, quaſi feram cauea, ſic in ſua littora clauſi, & quaſi indiſſolubili catena præcepto ligaui. Ideo dixit, Ecce ego mitto vos: vt dum mittentis poteſtas conſideratur, periculi magnitudo non timeatur. *Sicut oues.* Non humanæ naturæ beneficium tollo, ſed ouilis patientiæ opus iniungo. Non indignentur ſerui vocabulum ouis accipere, cùm ſciant Dominum ſuum nomen agni portaſſe. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et quomodo, inquit, proficiemus oues contra lupos? Ouium Ioan.1. manſuetudo non poteſt reſiſtere luporum crudelitati.

Luporum

Luporum crudelitas miteſcere neſcit, niſi gratia Chriſti faceret, quod ipſa natura fieri negat. Non veſtra virtus, aut ſolertia æſtimatur, aut laudatur in vobis: ſed nominis mei poteſtas intelligatur, vt glorificetur per vos, quia fortior eſt gloria Dei, quam rerum natura. Sicut oues. Cùm cœperint vos lupi vellicare, nolite reſiſtere, aut vociferare, ſcientes, quia niſi vos ſpoliati fueritis, alij non veſtientur: id eſt, niſi vos mortui fueritis, alij non viuent. Nec timeatis hanc vellicationem præſentem. Cùm enim ætas reſurrectionis aduenerit, alia ſuper vos lana immortalitatis naſcetur. Quandiu autem propter inſtigationem diaboli gentes permanſerint lupi, dorſum illis præſtate ad vellicandum: cùm autem per patientiam veſtram lupi illi facti fuerint agni, præbete illis, tanquam oues, lac doctrinæ. Manifeſtum quidem eſt, quia oues appellat propter manſuetudinem: non timentes autem Deum, lupos propter crudelitatem. Sed hoc videamus, quare iſtos quidem dixit quaſi oues: illos autem non quaſi lupos, ſed lupos. Si enim iſtos propter ſolam cauſam manſuetudinis oues dixiſſet, quoniam natura quidem homines erant, manſuetudine autem oues, vtique & illos quaſi lupos dixiſſet: quoniam & illi, etſi crudelitate quaſi lupi erant, tamen natura ſimiliter homines erant. Puto ergo iſta ratione iſtos quidem quaſi oues dictos, illos autem non quaſi lupos, ſed ad plenum lupos: quoniam homo Dei, quamuis fuerit bonus, tamen ſemper habet in ſe aliquid mali ſecundùm carnem, quaſi homo: & ouis quidem dicitur propter quòd bonus: quaſi ouis autem, qua non ad plenum bonus. Qui autem Deum non cognoſcit, nihil in ſe boni poteſt habere, propterea lupus dicitur, non quaſi lupus, quia nihil boni habet in ſe, quia in ſe non cognoſcit Deum. Cauſa eſt iſta, quia omnes homines ſecundùm carnis naturam mali ſumus: & ſicut dicit Apoſtolus, Natura ſumus filij iræ: ſed per timorem Dei Epheſ.2. efficimur boni. Quamuis autem per timorem Dei efficimur boni, tamen ſemper aliquid naturalis mali remanet in natura hominum. Ergo ſi natura carnalis compellit fieri malum, timor Dei ex parte retinet eum à malo. Hominem non cognoſcentem Deum, aut cognoſcentem quidem, ſed non timentem, natura compellit facere malum, & timor Dei non retinet à malo, & ideo non poteſt eſſe in illis aliquid boni, niſi fortè propter homines, quando ipſum non eſt bonum, ſed malum, Rom.14. quod eſt propter Deum. Quicquid autem non eſt ex fide, peccatum eſt. Ideo ſancti quidem quaſi oues, mali autem non quaſi lupi, ſed ad plenum vocantur lupi. Nec moueat te, quòd etiam Chriſtus quaſi ouis eſt dictus, non ouis, cum ſit totus bonus. Ibi enim non perſona Chriſti comparata eſt ad perſonam ouis: ſed occiſio Chriſti, ſicut occiſio ouis. Denique ita ſubiungit: Eſa.53. Sic non aperuit os ſuum in humilitate. Nam nec ouis cùm ducitur ad occiſionem, aliquam vocem emittit. Hîc autem perſona Apoſtolorum comparata eſt ad ouium mores: non miſſio eorum ad miſſionem ouium, id eſt Apoſtoli ipſi dicti ſunt ſicut oues, non miſſio Num. eorum ſicut miſſio ouium. Non†enim mittuntur aliquando oues ad lupos, nec comparat aliquis poſſibilem etiam impoſſibiliter. Vnde alibi dictus agnus eſt, non quaſi agnus. *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes*, ad intelligendas fraudes. *Eſtote ſimplices ſicut columbæ*, ad ignoſcendas iniurias. Nolo vos eſſe ſemper quaſi columbas, ne propter ſimplicitatem nimiam per ſeductionem laqueum incurratis. Nolo vos eſſe ſemper ſicut ſerpentes, ne ex corde contra aliquem venena fundatis, ſed ſecundùm tempus & perſonas, mutetis & mores. Eſtote ſerpentes, ne comprehendamini. Si enim comprehenſi fueritis, eſtote columbæ, vt ne mordeatis. Quan-

A diu enim homo gentilis eſt, ſerpens in illo eſt: quoniam indignatio illius, ſecundùm ſimilitudinem eſt illius ſerpentis qui in paradiſo hominem à Deo ſeparauit: cùm verò conuertitur ad fidem, recedente ſerpente, ingreditur in illum ſpiritus, qui in ſpecie columbæ deſcendit de cœlo, & fit columba. Ergo contra infideles eſtote ſerpentes, quia ſerpens ſerpenti non nocet: cum fidelibus autem eſtote columbæ, vt quaſi columbæ columbis charitatis oſcula porrigatis. Et vt breuiter dicam, eſtote prudentes ſicut ſerpentes, vt malum intelligatis & caueatis. Et eſtote ſimplices ſicut columbæ, vt non faciatis vllum malum. Quia intelligere malum, laudabile eſt: facere autem, vituperabile. Nec qui intelligit malum, ipſe facit malum, ſed qui facit malum. *Attendite vobis ab hominibus, tradent enim vos in conciliis.* Quoniam ſuperius dixit, eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ: nunc ad vtrunque cauſam oſtendit, & quare vult eſſe prudentes ſicut B ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Prudentes quidem ſicut ſerpentes, vt attendant ſibi ab hominibus, qui tradent eos in conciliis. Proprium enim eſt ſerpentis, ab hominibus ſibi cautè proſpicere. Vnde Apoſtolus admonet, dicens: In ſapientia ambulate, quoniam tempus Coloſſ.4. malignum eſt. Quare autem vult eos eſſe ſimplices? vt non aduerſus proditores ſuos malitiæ memores ſint, ſed diligant inimicos ſuos, & benefaciant perſequentibus ſe, ſecundùm Dei Chriſti præceptum: quia non tantùm lædimur ab iniquis inimicis, quando nocemur ab ipſis: ſed etiam proficimus, cùm per malitiam eorum conſtantia bonitatis noſtræ à ſuo propoſito victa non receſſerit. Quoniam proprium eſt columbæ vſque ad mortem in ſimplicitate manere. Vnde & de tolerantia Iob dictum eſt, Et adhuc perſeuerat in ſimplicitate. *Attendite vobis ab hominibus: tradent enim vos in conciliis,* Iob 2. *& in ſynagogis ſuis flagellabunt vos, & ante reges & præſides ſtabitis in teſtimonium illis, & Gentibus.* Ita dixit, C attendite vobis ab hominibus quaſi à quibuſdam peſſimis malis, & ſuper omnia mala malis. Nam ſi non quaſi homines accuſans dixiſſet, ſufficeret illi dicere, attendite vobis, tradẽt enim vos. Nunc autem addidit, attendite vobis ab hominibus: oſtendere volens, quia præ omnibus malis homo eſt peſſimum malum. Nam ſi beſtiis comparare volueris eum, peiorem inuenies eum. Beſtia enim, quamuis ſit crudelis, tamen quia eſt irrationabilis, declinabitur ab homine crudelitas eius. Homo autem crudelis cum ſit, & rationabilis, non facilè euadetur crudelitas eius. Si comparaueris hominem ſerpenti, peiorem inuenies hominem: quoniam ſerpens, etſi malitiam habet, tamen hominis timorem habet. Ideo ſi quem abſconsè potuerit, mordet: ſi autem non potuerit, fugit. Homo autem & malitiam habet ſerpentis, & timorem non habet ſicut ſerpens. Ideo quandiu non habet tempus, latet ſicut ſerpens: ſi autem inuenerit, irruit ſicut beſtia. Adhuc autem anguis, D ſiquidem irritata fuerit, ſæuit: ſi autem irritata non fuerit, in ſilentio tranſit. Homo autem & non irritatus inſanit, & magis ſuper illos inſanit, à quibus non fuerit irritatus. Et vt breuiter dicam, vnaquæque beſtia vnum habet & proprium malum, homo autem omnia habet in ſe. Denique homo malus, peior eſt quàm ipſe diabolus. Diabolus enim ſi videat iuſtum, non eſt auſus ad eum accedere: homo autem malus quamuis hominem ſanctum viderit, non ſolùm illum non timet, ſed adhuc magis contemnit. Non enim diabolus homini præſtat virtutem, ſed homo diabolo. Arma enim diaboli eſt malus homo. Sicut enim homo ſine armis non poteſt aliquid facere contra hoſtem, ſic diabolus etiam ſine homine non valet aliquid contra ſanctos. *Tradent enim*

Universidad de Deusto
Biblioteca

vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos. Quasi ad maiorem laudem Dei in synagogis suis flagellabunt: vbi orationes & laudes, vbi lectiones vel sacrificia, Apostolos ibi pœnis afficiebant, quasi sacrificium Deo offerentes. Re autem vera sacrificium erat Dei, cruciatio Apostolorum, non ad Iudæorum mercedem, sed ad suam coronam: Iudæorum autem erat interitus. Quoniam autem dicit, ante reges & præsides stare, & non cogitare quid respondere debeant, hoc est quod
Ioan.15. in Ioanne dicit, Cùm autem venerit ille paracletus, ille testificabitur de me. Et vos testimonium reddetis, quia ab initio mecum fuistis. Ante reges & præsides stabitis in testimonium illis, & Gentibus: vt dum Apostoli accusantur, dum respondent, in singulis quibusque prætoriis Christi veritas prædicetur, & Iudæorum perfidia demonstretur, & Gentibus vel ad salutem credentibus, pietatis mysterium reueletur. Audientes autem Apostoli, quia coram regibus & iudicibus stare iubebantur, ne fortè dicant ad Christum, tu ipse scis B quia in illorum iudicibus scholastici præsunt, quomodo ergo possumus nos homines piscatores, & sine literis, coram illis testimonium dare. Tu enim ab initio non nos docuisti loqui, sed credere. Denique cùm nos discipulos congregares, non inuenisti nos in capitolio philosophicos libros legentes, sed retia in mare mit-
Supra 4. tentes. Neque dixisti, Venite, faciam vos aduocatos meos: sed, venite, faciam vos piscatores hominum. Conscientias, non eloquentias nostras elegisti. Ideo ipse inquit: *Cùm autem tradent vos, nolite soliciti esse, quo modo, aut quid loquamini.* Mea est enim causa. Deus humano auxilio non indiget. Ideo vos tantummodo mihi personam præstate, & ego vobis sensum. Nam solicitum esse ante iudicium, non est præparatio rei, sed desperatio de Deo. In illis enim rebus potest esse desperatio de Deo, in quibus potest esse consideratio. Puta si propter aliquem actum iter facturus es, consideras qualitatem actuum, & quantitatem itineris: & secundùm C eas præparas tibi expensas. Aut si domum ædificare proponas, consideras qualia ædificia, & talia præparas instrumenta. In iudicio autem quomodo potest præparari responsum? Nunquid scis qualis sit interrogatio futura? Minimè, cùm in iudicio tali non iudices à semetipsis loquuntur, sed diabolus in iudicibus. Si ergo homo, hominis cogitationem non solùm futuram, sed nec
1.Cor.2. præsentem cognoscit: quomodo potest cognoscere consilium inimici? quia nemo hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus qui est in eo. Si ergo ex vobis loquamini, secundùm verbum respõdebitis: si autem Dei spiritus secundùm cogitatum eorum. Sinite ergo, vt in causa sua loquatur Deus in vobis, qui conscientiam interrogantis agnoscit. Non enim possibile est, vt rex qui milites suos mittit ad bellum: non illis præstet arma aduersus hostem. Qui ergo solicitus est quid loquatur, in sua sapientia sperat: quæ est prima causa ruinæ. Nam in persecutionibus virtus Dei non requiritur, nisi præces- D serit fides. Ad maiorem consolationem Apostolorum, non dixit spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis, sed qui loquitur: vt ostendat quia non solùm tunc, sed nec modò aliquid sine spiritu Dei faciunt, aut loquuntur, tanquam si ita dicat ad illos: Maximè quia creditis in me, aut confitemini me esse verum. Esurientem me videtis, & creditis quia sum panis cœlestis. Sitientem me videtis, & creditis quia ego sum fons aquæ salientis in
Ioan.4. vitam æternam. Quomodo est iste sensus humanus, qui aliud videt, & aliud credit, & confitetur? Si ergo modò, quando periculum non est, gratia mea operatur in vobis: quantò magis erit vobiscum cùm persecutio venerit? Nam qui vos in pace sustentat, multò amplius A adiuuat in bello. *Frater fratrem tradet in mortem.* Audientes Apostoli, ne fortè cogitent æstimantes cum traditi fuerint in conciliis, & in synagogis ad flagellandum: illo tempore putas nemo erit patronus, qui adiuuet: nemo amicus, qui indulgeat: nemo amicus, qui misereatur? Ideo dicit Dominus: Nemo speret in patronis, nemo in amicis, aut parentibus: cùm etiam frater fratrem tradet in mortem: pater filium, & filius patrem. Vide quale tunc incendium persecutionis ardebit, vt nec sibiipsi parcat natura. Quo modo autem tunc patronorum aut amicorum fidem integram quæres, cùm videris ipsius fraternitatis & paternitatis vim esse extractam? Si enim amicitia in ipsa natura deficiet: quomodo inuenietur extra naturam? Ergo quia non est fatis stupendum, si frater fratrem tradat in mortem? Cain enim propter inuidiam sacrificij interfecit Abel fra- Genes. 4.
trem suum: & propter benedictionem surreptam Esaü Ibid. 27.
persequebatur Iacob: Hoc autem quis audiuit, vt nulla iniuria existente, propter solam Christi fidem pater filium tradat in mortem? quia fortior est conflictio inimici, quàm virtus naturæ. Corruptibilis enim est dilectio carnis. Mendax est omnis secularis amicitia, quæ diuini timoris vinculo non est ligata. Non est fides in seruis diaboli. Diabolus nec generat, nec generatur: si non generatur, nescit seruare iura propinquitatis, qui nullum habet propinquum. Non quia odibile est genus Christianorum, sed quia diuinum est, carnales oderunt. Alij adiunguntur multò plures & chariores proximitate coniuncti, beatior commutatio, bonum odium est. *Et eritis odio omnibus hominibus, propter nomen meum.* id est, omnibus infidelibus: non solùm inimicis, sed etiam amicis: non solùm extraneis, sed etiam parentibus: non solùm parentibus aut fratribus, sed etiam ipsis patribus vestris. O inæstimabile diabolici furoris incendium, quod nec ipsa paternitatis † charitas extin- † fraternitatis.
guere potest: supra naturam & contra naturam persecutio ardens, sapientibus euidenter ostendit, quoniam illa odia non facit more humano accidentium ira causarum, sed inuidia diaboli propter Christum. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Quia incipere multorum est, finire verò paucorum. Semper in principio dilectio est, in fine probatio. Nemo enim circa Deum vsque ad finem potest perseuerare, nisi qui propter Deum tantummodo factus est Dei. Omne enim quod propter carnem fit, corporale est, quemadmodum & caro ipsa temporalis est: quod autem propter Deum fit, æternum est, sicut & Deus æternus est. Cor bonæ fidei, est exitus bonus: quia non incipere aliquod bonum gloriosum est, sed finire. Nam quod incipit, corporis voluptas est frequenter: quod autem finit, virtus est animæ. Nam frequenter concupiscentia carnalis incipit bonum, sed non finit, nisi gratia Dei. Cùm ergo conuersus fueris ad Deum & cœperis Deo seruire, & opera iustitiæ facere, ne aliquando acta tua recorderis, sed fi- D
nem tuum cogita: quia præteritorum bonorum consideratio, iactantiam operatur: consideratio autem finis, timorem. Quoniam qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

Homilia xxv. ex cap. x.

In illo tempore, dixit Iesus discipulis suis. Nihil opertum quod non reueletur: & occultum, quod non sciatur. Et reliqua. Nunc profectum prædicationis eorum futurum eis annunciat, quoniam prædicatio eorum habitura fuerat exitum gloriosum. Ecce ego ipse, qui sum lumen absconditum in tenebris, Deus celatus in homine, sublimitas in humilitate. Tunc sicut hoc mysterium

sterium absconditum fuit à seculis, nunc autem per vos A
manifestabitur cunctis, vt impleatur sermo prophetiPsal.18. cus, qui dictus est de me: A summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius. Et non est qui se abscondat à calore eius. Sicut enim nullus est locus vbi non appareat sol, aut non sentiatur calor eius: sic nullus erit locus, vbi non cognoscatur Christus, aut non intelligatur diuinitas eius, vt omnis conditio hominum in duas diuidatur partes, ita vt credentes meritò coronentur, ac non credentes sine excusatione puniantur. Et vos cùm interim quasi inimicos suos odiant homines, posteà vos cognitos complectentur quasi suæ salutis authores. Interim quasi maleficos homines vos abominabuntur, posteà quasi sanctos venerabuntur. Interim vos quasi persecutores persequentur, posteà vos, omnes homines in Ecclesiis suis quasi deos adorabunt. Mementote præterita, & consolamini de futuris, quando iustitiæ Domini dominata est iniquitas, quando veritatem longo tempore celauerunt tenebro- B
Exod.2. & seq. sa mendacia, quando innocentia sub existimatione criminis diu velata est. Moses fuit celatus in Ægypto, dictus est filius Ægyptiæ. Quasi homicida fugatus est, quasi mercenarius contemptibilis, ouium factus est pastor. Nunquam est manifestata sanctitas eius, nunquam est coronata innocentia eius. Ecce qui pastor ouium fuerat irrationabilium, factus est dux populi gloriosi. Qui quasi homicida ex Ægypto egressus, posteà ingressus est iudex sanctorum, iam non filius Ægyptiæ, sed quasi filius Dei. Perdidit beneficium suum Ægyptus, nõ potuit bene nutriendo facere suum, qui melius nascendo fuerat alienus. Qui Pharaonem regem quasi captiuus antè timuerat, posteà illum decem plagis, quasi seruum obnoxium castigauit, quia nihil est opertum, quod non
Gen.39. & seq. reueletur. Ioseph celatus est in Ægypto, quasi adulter accusatus est, castitatis custos fidelis. Nunquid non est manifestata innocentia eius? Nunquid non multipliciter coronata est castitas eius? Qui quasi maleficus in C
Ibid.41. carcere fuerat, quasi Propheta eductus est. In vnius pueri vindicta totus mundus fame flagellatus est. Et quem sacerdos Phutiphar primùm quasi adulterum vxoris suæ condemnauerat, posteà gloriosum generum in cubiculum suum locat. Absconditi fuerant & tres pueri in
Dan. 3. Babylonia, & quasi cõtemptores regis sunt accusati pro crimine, ad quorum interitum iussum est, vt caminus accenderetur septies amplius quàm solebat: non quia ad comburendam carnis naturam tantum incendium necessarium erat, sed quia tantum insanientis regis iracundia suggerebat. Et quid ignis in suo camino, furoris spiritu percussus corrigit? Et perditio suæ virtutis calore, specie sola ardebat, vt incorruptibilem integritatem eorum corruptus ignis ostenderet, & ardentiorem fidem eorum ardens flamma ostentaret, ipsa natura sua clamans, non in voce: quia nihil occultum quod non sciatur. Sed vos sustinete introitum iniuriosum, vt habeatis exitum gloriosum. Et tanquam promissionum D
consolationem habentes, *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quæ in aure auditis, prædicate super tecta.* Quid est quod dico vobis in tenebris; dicite in lumine? Item tenebras Iudaicum populum dicit, sicut scri-
Ioan.1. ptum est: Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Et ideo tenebræ intelliguntur, quia lumen verum cognoscere non potuerunt. Quæcunque igitur Dominus in Iudæis locutus est, in Ecclesia manifestanda esse annunciabat. Lux enim populus Christianus intelligitur, sicut & Apostolus ait: Eratis enim
Ephes.5. aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: vt filij lucis ambulate. Aut ita: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: id est, quod nunc dico vobis in mysterio parabolarum, vos postea dicite manifestè. Quod enim in mysterio est absconditum, sic est quasi in tenebris positum. Vnde & Moses quando legem acceperus ascendit in montem, sicut dicit scriptura, In- Exod.24.
gressus est Moses in nubem, ostendens quia lex quæ dabatur in mysterio posita, obscura erat futura, quasi sub nube nigerrima. Quod autem manifestè dicitur, in lumine dicitur. Quid est, Quod aure auditis, prædicate super tecta: id est, quod auditis in secreto soli, prædicate coram omnibus, nulli absconditos verbum, quasi qui stet supra tecta & clamet. Quid est quod Apostoli audierunt in mysterio? Quid? Exiuit seminator seminare semen suum. Et quædam ceciderunt secus viam, quædam super petram, quædam in- Infra 13. & Luc. 8.
ter spinas, quædam super terram bonam. Et loquebatur eis in parabolis, & sine parabolis loquebatur eis nihil. Et accesserunt discipuli eius ad eum secretè, dicentes: Enarra nobis parabolam. Quibus respondit: B
Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt audientes non audiant, & videntes cæci fiant. Quid ergo? Quod tunc in mysterio solis Apostolis credebatur, nunc Euangelistis referentibus, & Apostolis prædicantibus, quotidie in medio Ecclesiæ omnibus populis enarratur. Ergo hoc est quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: id est, quod dico vobis in secreto, prædicate coram omnibus, sicut est vbi vocauit Dominus discipulos suos seorsum, dicens eis: Vos autem quem me esse dicitis? Respon-
Infra 16. derunt: Tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc & Luc.9.
Infra 17. mundum venisti. Et mandauit eis, Nemini dixeritis: & Luc. 9.
quia oportet filium hominis crucifigi, & tertia die resurgere: quia si manifestè cognitus fuisset filius Dei, nemo ausus fuisset manus iniicere in eum. Et ideo crucifixus non esset, neque resurrexisset à mortuis. Propterea adhuc infernorum regnum esset in terra, & dominatio diaboli mundum totum teneret. Quid ergo? C
Postquam Dominus surrexit à mortuis, quod audierat Petrus in secreto, cœpit coram omnibus prædicare, dicens: Deus patrum nostrorum suscitauit filium suum Act. 2.
& 3. Iesum, quem vos crucifixistis, & denegastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos verò iustum negastis, & virum homicidam petistis donari vobis, principem autem vitæ interemistis. Ergo hoc est, quod in aure audistis, prædicate super tecta. *Et nolite timere eos qui occidunt corpus.* Ne fortè propter timorem mortis non liberè dicatis quod audistis, nec fiducialiter prædicetis in omnibus, quod in aure soli audistis. Sic ergo ex his verbis ostenditur, quod non solùm ille proditor est Proditor veritatis, quis.
veritatis, qui transgrediens veritatem palàm mendacium pro veritate loquitur, sed etiam ille qui non liberè pronunciat veritatem, quàm liberè pronunciare oportet: aut non liberè veritatem defendit, quam liberè defendere oportet, proditor est veritatis. Nam sicut sacerdos debitor est, vt veritatem quam audiuit à Deo liberè prædicet: sic laicus debitor est, vt veritatem quam audiuit quidem à sacerdotibus probatam in scripturis, defendat fiducialiter. Quod si non fecerit, proditor est veritatis. Corde enim creditur ad Rom. 10.
iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Hæc autem diximus, quoniam multi Christianorum palàm quidem transgredi veritatem putant peccatum, tacere autem veritatem coram infidelibus non putãt esse peccatum: & propterea multi inueniuntur in isto reatu. Ideo nos conuenit apertius dicere, quoniam nihil de veritate neganda præsens loquitur sermo, sed de veritate non liberè prædicanda, dicens: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & nolite timere eos qui occidunt corpus, quo minus dicatis in lumine, quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

audistis in tenebris. Vide quoniam nō solùm ille transgressor est veritatis, qui palàm denegat veritatem, sed etiam ille, qui propter timorem eorum, qui possunt occidere corpus, tacet veritatem. Et quid dicam? Quia propter timorem mortis tacent homines veritatem, & propter miserum ventrem, & propter spem vani honoris, in conspectu infidelium tacent homines veritatem: Vtputa, cunt homines ad conuiuium impiorum sacerdotum, & confugiunt ad patrocinium malorum hæreticorum, fit sermo de fide: ille sacerdos impius, vel patronus, blasphemat veritatem tuam, quasi mendacium: fidem tuam, quasi perfidiam, vt aut seducat, aut vulneret conscientiam tuam, & faciat eam infirmam, etsi ad plenum capere non potuerit: tu autem etsi non denegaueris palàm veritatem, tamen non contendis cum persona eius, cuius panem inanem manducas, vt non perdas spem patrocinij, aut rapacitatis: veritatem quam oportebat te liberè defendere, tacens confundis eam in conspectu inimicorum eius, vt videatur à te tacente, falsa quæ vera est. Et quomodo non es tu proditor veritatis? Sed fortè dicis: Si taceo veritatem ante aduersarios, nunquid consentio mēdacio eorum? Dic mihi, si princeps aliquis imperatoris, videns ciuitatem Romanam ab hostibus expugnari, cum possit liberare eam, & neglexit defendere: num ipse videbitur tradidisse, quam potuit liberare, si voluisset? Sic & tu videns veritatem ab impiis expugnari, cùm eam potuisses defendere, si loqui voluisses, tacens expugnasti, per hoc ipsum quòd cōpassus es expugnari. Et si propter timorem eorum qui occidunt corpus tacere veritatem, sicut præsens scriptura testatur, impietas est: quomodo non sit impietas maior, tacere veritatem propter miserum ventrem, & spem vani honoris, & meliorem facere gratiam panis & honoris quàm gloriam veritatis Dei? Et nolite timere eos qui occidunt corpus: quoniam corpus etsi ab impiis occisum non fuerit propter Deum, à semetipso post modicum morietur propter naturam. Ergo occisi secundùm corpus ab impiis, nihil perditis, nisi mortis dilationem, vt corpus quod post modicum fuerat moriturum, ante modicum moriatur, magis autem nec ante ipsam mortis dilationem. Si ergo verum est, quia nec folium cadit de arbore sine præcepto Dei: & quia numerati dati nobis sunt dies ad vitam, credere debemus, quia nec morimur ante diem, nec trāsire possumus diem: tamen ponamus quòd ante diem moritur, qui moritur propter Deum. Si ergo & gratis, id est sine molestia percussoris post modicum morituri sumus, nulla Dei causa proposita: quare non ante modicum in causa Dei cum gloria morimur, vt fiat voluntarium, quod futurum est necessarium, vt offeramus Deo pro munere, quod redditur à te pro debito? Ideo nolite timere eos qui occidunt corpus. Substātia enim hominis non est corpus, sed anima. Hanc enim solam Deus ad imaginem suam fecit, & hanc diligit: propter hāc fecit & mundum. Hanc zelat, & persequitur inimicus: propter hanc & ipse filius Dei venit in mundum. Corpus autem vestimentum est animæ, sicut ait Apostolus: 2. Cor. 5. De corpore nostro in quo ingemiscimus onerati in quo nolumus spoliari, sed superuestiri vt mortale hoc absorbeatur à vita. Sicut ergo vestimentum super homines positum, si quis furibundus scindat, illatorem quidem iniuriæ sentit homo, damnum autem non patitur in natura: sic corpus super animam positum, si occidatur ab impiis, anima quidem occisionis eius sentit dolorem, damnum autem suæ naturæ non patitur. Habemus autem huius rei vnde loquimur argumentum in membris. Sicut enim vngues cum summitatem vestiūt digitorum, quādiu præcidantur, dolorem faciunt cor-

A pori: cum verò præcisi fuerint, nullus sensus corporis inuenitur in eis, sed ex ipsa natura alteri noui procedunt, vt nullum videatur natura sustinuisse dispendium: Sic corpus donec cæditur, sentit anima: cùm autem occisum fuerit, nullus sensus aut dolor animæ inuenitur in corpore illo, sed iterum super animam in tempore opportuno gloriosius illud retexet corpus, vt nullum detrimentum anima videatur perpessa, sed argumentata. Dicam autem quod sentio verius, non solùm ad vestimentum animæ caro creata est, sed magis ad tentationem eius, quasi domestica & naturalis inimica copulata est: & dum expugnatur à carne, nec vincit, nec coronatur à Deo. Huiusmodi mysterij Paulus testis est, dicens: Caro enim concupiscit aduersus spiritum, spi- Galat. 5.
ritus aduersus carnem. Si ergo caro animæ inimica, tentatio est: quis sapiens non intelligit, quia occisio corporis optanda est magis, quam timenda? Ideo tibi corruptibilis natura creata est, inde deponendi corpo-
B ris tempus est numeratum, vt homo morituro corpori tuo non parcas, sed commerito perituro compares tibi vitam mansuram. Ecce si mutuò accipis, vtputa bouem, vel equum: nónne assiduè operaris opus tuum in eum? Dicis enim apud te, hodie aut cras tollendus est à me, quia non est meus. Etiam tu in corpore corruptibili natus, quare non ad vtilitatem animæ tuæ vteris temporali corpore tuo, sciens quia post modicum tollendum est à te, quia non est tuum. Quæ ergo est ista insipientia vestra, odire quod nostrum est, & amare quod nostrum non est? Studere seruare, quod seruare non possumus, & negligere quod in æternum habebimus? Nolite timere eos qui occidunt corpus. Quid est timor mortis? non dolor exeundi à corpore, sed desperatio vitæ post mortem. Ille timet mortem, qui non putat se viuere post mortem. Vis scire? Ecce frequenter homines grauem dolorem patiuntur in infirmitate, & non moriuntur, & frequenter modicum
C tædium habent, & moriuntur, & tamen magis contenti sunt grauem dolorem pati, & non mori. Vides ergo quia non dolor mortis, sed ipsa mors timetur? Sicut autem omnia mala operatur timor mortis, sic omnia bona operatur contemptio mortis. Qui timet mori, Mortem timens, parum boni operatur.
id est qui non sperat viuere post mortem, neque eleemosynas dat, neque orationibus instat, neque ieiunium celebrat, neque paupertatem sustinet, neque opprobrium suffert, neque damnum substantiæ suæ contentus est pati, neque corporalem iniuriam sustinet propter Deum: sed hoc suæ lucrum vitæ existimat, si bonis istius mundi fœliciter fruitus fuerit: & hoc damnum vitæ suæ putat, si fuerit alienatus ab istis bonis. Quare? quia laborum suorum præmium in resurrectione non sperat. Qui autem non timet mori, id est qui vitam sperat post mortem: omnia quæ diximus, libenter sustinet propter Deum: quia laborum suorum mercedem multiplicem indubitanter expectat. Ille est
D ergo perfectus discipulus Christi, qui hæc omnia patitur, aut pati paratus est. Non ergo ideo Dominus mandat, nolite timere qui occidunt corpus: quia necesse est omnem Christi discipulum occidi: sed ne omnes illas res, quas suprà diximus, per singulas mandet, quasi per compendium dixit: Nolite timere eos qui occidunt corpus: quoniam qui occidi non timet, multò magis contemnit cætera aduersa carnalia, quæ sunt ante mortem: quia omnia carnalia quæ sunt ante mortem, leuiora sunt morte. Qui ergo quod grauius est non timet, multo magis contemnit quod leuius est. Qui autem cæteras molestias quæ sunt ante mortem non est contentus pati propter Deum, quomodo sustinet mortē? Considera autē, vt quid nobis in natura creauit

creauit timere mala carnalia, aut diligere bona: non vt A in æternum viuamus. Nunquid ideo numerat aliquid
mala carnalia timeamus, quæ timemus, sed vt per timorem malorum carnalium intelligamus magis timenda esse spiritualia mala: Vtputa, scis quia malum est pati dolorem carnis, per hoc intellige, quia peius est dolorem animæ pati. Scis quia malum est confundi coram hominibus, per hoc intellige, quia peius est confundi coram angelis. Quātum enim angeli meliores sunt hominibus, tantum cōfusio illa peior quàm ista. Nam dolor & pudor corporalis, cum corpore finitur, aut soluitur: dolor & pudor animæ, semper cum anima irruit ad pœnam. Ita non vt diligas bona carnalia quæ diligis, sed vt per bona carnalia intelligas magis diligenda esse spiritualia bona: Vtputa scis quia bonum est gaudere carnaliter: per hoc intellige, quia melius est gaudium animæ. Gaudium quippe carnis cum carne finitur, gaudiū autem animæ cum anima perseuerat. Scis quòd bonum est gloriari in terris: per hoc intellige, quia melius est gloriari in cœlo. Quantò enim clarius est cœlum, quàm B terra: tantò gloriosior est illa gloria, quàm ista. De magnis autem thesauris bonorum vel malorum quasi modicum gustum dedit in mundo, vt ex modico gustu malorum, vel bonorum, plenitudinem cognoscamus. Nolite timere eos qui occidūt corpus, sed eum timete, qui potest corpus & animam perdere in gehennam. Quid dicis, anima perit? Nónne immortalis creata est? Morte enim non solùm extinctio corporalis signatur, sed et-
1. Cor. 15. iam pœna mors dicitur. Vnde & Paulus ait: Quotidie morior pro vestra gloria, quam habeo in Christo Iesu.
Apoc. 20. Et Ioannes in Apocalypsi sua sic dicit: Beatus qui habet partem in prima resurrectione, ei secunda mors non dominabitur. Secunda enim mors est ignis, & sulphur. Vides ergo quia per damnationem animæ, non dicit ipsam solutionem animæ, sed cruciationem gehennæ, quæ est mors secunda. Et tanquam si aliquis dicat: Vt quid tanta licentia data est malis, vt etiam cōtra voluntatem Dei habeant in sanctis potestatem nocendi? Ab-
C sit, nihil possunt Deo nolente: *Nónne duo passeres asse veneunt, & vnus ex eis non cadet sine voluntate patris vestri?* Si ergo passeres in voluntate Dei positi sunt, non in potestate hominum, quos Deus ad vsum hominum fecit, quantò magis vos: nō cùm estis in potestate hominum, sed in voluntate Dei, quos Deus ad suam gloriam fecit. Si passer euentu non moritur, nec cadit, propter hoc ipsum, quia opus Dei est: quantò magis iustus homo nō est in euentu positus, quia imago Dei est. Sed aut à Deo traditus, moritur: aut à Deo liberatus euadit. Si in passeribus nihil sine ratione agitur, quorum duorum precium vnus est assis: quantò magis in vobis sine me nihil agitur, quorum precium est sanguis meus? Si sic habentur passeres, quomodo habendi sunt filij? Ideo ergo non debetis timere homines, quia non est in vobis illorum potestas, sed Dei. Non enim quando volunt impij, tunc possunt nocere sanctis, sed quando Deus illis nocendi tempus concesserit, vt prouideat sanctis suis coronam. D
Ioan. 19. Dicit Pilatus ad Iesum: Nescis quia potestatem habeo dimittere te, & crucifigere te? Respondit ad eum: Non haberes vllam potestatem in me, nisi tibi datum fuisset desursum. Quæ ergo est sapientia, illum non timere qui dat potestatem, sed illum timere qui accipit? Qui enim dat potestatem, quando vult dat: qui autem accipit, non quando vult accipit. Ergo si non es traditus, sine causa times: & si traditus es, sine causa times. Deo enim liberante, homo tibi nocere non potest, & si vult. Nescis quomodo Pilatus volebat dimittere Christum, sed non poterat, quia Deus eum tradebat? *Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt.* Quid nobis prodest capillos numeratos habere, si morimur? Ideo numerati sunt, vt

Deus, vt numerum eius cognoscat, qui ab initio (vt dixit sapientia) omnia in pondere, numero, & mensura Sap. 11.
creauit? Sed ideo numerauit, ne aliquid perdat ex ipsis. Sicut dicit Propheta: Mihi autem nimis honorati sunt Psal. 138.
amici tui Deus. Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. Non minuuntur qui numerati sunt, sed etiam multiplicabuntur. Vis scire dignitatem numeratorum: considera ouem illam, quomodo pastor non requieuit per desertum discurrere, donec inueniret eam, & ad pristinum numerum reuocaret. Nullam ex omnibus se habere putabat, si de numero suo vna periret. Qui Infra. 18.
autem perituri sunt, non numerantur. Ideo Dominus dicit: Vestri etiam capilli capitis numerati sunt. Peccatores autem, vt quid numerantur, qui esse non æstimantur? Illud enim numerat Deus, quod vult possidere: quod autem non vult habere, vt quid numerat? Ideo non numerantur peccatores, vt quicunque ex ipsis periret non sentiat, neque curet Deus, quasi de non numeratis: sicut scriptum est, Pro nihilo habētur omnes gentes. Ergo passeres sunt meliores, quàm peccatores? Nō, Esa. 40.
sed similes. Sicut enim Deus non dixit, quia non cadūt: sed, sine voluntate Dei non cadunt. Dei enim voluntas est, vt comprehendantur, & ad vsum procedant hominum, quia ad hoc creati sunt. Sic voluntas Dei est, vt homo qui sine lege Dei vixit, sine lege & pereat: & qui Deum non aspexit, non aspiciat illum Deus. Verè in hoc peior est homo peccator quàm animal, quoniam animal & si non glorificat, non exacerbat: homo autem malus non solùm non glorificat, sed adhuc exacerbat. Quanta autem sit dignitas numeratorum, etiam in libro Num. 3. & 26.
numeri ostenditur, quoniam electi & colati numerantur à Mose, per præceptionem Dei. Non numeratur inter eos fœmina. Fœmina autem intelligitur mollicies, quæ est corruptio corporalis. Omnis autem vir mollis animo, remissibilis in fide, & corruptus in actibus: cor-
C pore vir est, & ideo fœmina intelligitur, ideo non numeratur cum sanctis. Fœmina autem si virilitatem sanctam habuerit, & si corpore fœmina est, animo est vir, & numeratur cum sanctis. Illic quia figura erat caro, fœmina repellebatur: hīc autem quia veritas est, fœmineus animus non numeratur. Illic seruilis conditio excludebatur, hīc autem conuersatio seruilis expellitur apud Deum. Non ille seruus est, qui seruus est hominum, sed qui peccati sui. Ergo liber si opera mala fecerit, diaboli seruus est. Seruus, si bona opera fecerit, filius Dei est: ideo seruilis anima nō numeratur. Item neque Ægyptius mundialis. Qui ergo diligit mundum, in secularibus negociis gaudet. Propter negocia mundi transitoria tristatur, propter Deum verò non gaudet. Ille non numeratur, qui anima Ægyptius est. Ægyptius autem si cœlestia amauerit, Hebræus est. Item nec puer numeratur. Ille qui puer est sensibus, malicia autem perfectus est: qui autem malicia puer est, sensibus perfectus est. Qui
D autem mensurat plenitudinem ætatis Christi, ille etsi puer fuerit, sicut Daniel numeratur. Et qui procedit ad bellum contra alienigenas: id est, qui potest pugnare contra immundos spiritus, & desideriorum carnalium destruere castra, ille tantummodo numeratur. Sed nec omnes qui habent virtutem spiritualem, habent Israëliticam virtutem. Nam & Gentiles habent virtutem animæ, Grammaticam, Rhetoricam, & Philosophicam: sed non Israëlitica virtus est quæ nō fit propter Deum, sed propter bonam gloriam. Israëliticum autem bonū est, cuius mens Deum videt, sicut Apostolorum, quibus dixit: Vestri autem & capilli capitis numerati sunt omnes. Spiritualiter autem, capilli sunt subtiles animæ, & innumerabiles sensus sanctorum, qui de spiritu Chri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sti, quasi de capite ipsorum prodeunt. Si autem iustus A tradidit se in potestate dilectionis, dilectio illa præcidit capillos ipsius, & tollit virtutem quàm habet in capite, Iudic.16. sicut Dalida Sampsonis. Nam omnis virtus eorum non in corpore, nec in diuitiis, sed in virtutibus spiritualibus est posita. Et nulla res sic præcidit virtutem capillorum suorum, sicut corporalis voluptas. Si ergo perdidit virtutem capillorum suorum, apprehendunt eum alienigenæ, id est immundi spiritus, & alligabunt eum vinculis diuersorum desideriorum, & excæcabunt oculos cordis eius, vt non videat lumen: id est viam veritatis, vt egressus suos extēdat, vt impleatur in illo quod scriptum est: Psal.68. Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. *Omnis ergo qui me confessus fuerit coram hominibus, & ego confitebor eum coram patre meo. Qui autem negauerit me coram hominibus, & ego negabo eum coram patre meo.* Et quoniam rem impossibilem, quantum ad naturam carnalem, mandauerat: nunc & pœnam proponit, & præmium, vt modò timore pœnæ, modo desiderio præmij B virtus animæ adiuuetur. Ecce præmium: Qui me confessus fuerit coram hominibus, & ego confitebor eum coram patre meo. Sed prius dicit præmium, posteà pœnam, quia misericors Deus paratior est ad remunerandum bonos, quàm ad puniendum indignos. Vide ergo quantum maius est præmium Dei, quàm iustitia nostra: & quantò grauior est vindicta, quàm nostrum peccatum. Si tu confessus fueris Christum coram hominibus, confiteris quia nihil potes præstare Deo: si autem ille te confessus fuerit coram Deo, confitetur quia potest facere te immortalem. Si tu negaueris Christum coram hominibus, denegans Christum illi nocere non potes: si autem te negauerit Christus coram Deo, denegat qui perdere potest in igne æterno. Quis est tam lapideus, qui non desideret iustitiæ suæ testem habere Christum? Si ergo magnum est testem esse Christi, quantum magis est testem habere Christum? Considera etiam denique, ne fortè dicant etiam fideles Chri- C stiani, si necessitas persecutionis aduenerit, interim coram hominibus de negatione patiar pœnas, in corde autem meo veritatem teneo Christi. Ideo non dicit, Nihil prodest credere corde, nisi adfuerit confessio oris. Qui me confessus fuerit in corde suo: sed, coram hominibus. Quoniam qui coram hominibus non confitetur, non prodest ei aliquid quod in corde credit in Christū: quia qui ore denegat, non potest fieri vt in corde credat. Radix enim confessionis, fides est cordis. Confessio autem, fructus est fidei. Sicut ergo quandiu radix est viua, necesse est vt aut ramos producat, aut folia: si autem non produxerit, sine dubio intelligis, quòd radix eius in terra siccata est. Sic quandiu fides cordis integra est, semper germinat confessionem in ore: si autem cōfessio nō fuerit oris, intellige sine dubio, quia fides cordis eius iam antè siccata est. Sic enim dicit Apostolus: Rom.10. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutē. Ergo nec valet confessio oris sine fide cordis, nec fides cordis sine confessione oris. Si autem tibi D prodest corde credere, & non coram hominibus confiteri: ergo & infideli in hypocrisi cōfiteri Christum prodest, etiam si corde non credat? Si autem ille nihil proficit confitens sine fide, nec tu proficis credendo sine confessione. Si sufficit Christo qui cognoscit, & si confessus eum non fueris coram hominibus: ergo & tibi sufficiat, quia cognoscit te Christus, & si non fuerit te confessus coram hominibus. Si autem tibi non sufficit cognitio eius, nec illi sufficit fides tua. Si enim sufficeret tibi fides cordis, cor tantummodo tibi Deus creasset: nunc autem & os tibi creauit Deus, vt corde credas, & ore confitearis. Nec tantum ore, sed quinque sensibus carnalibus. Si enim sufficeret cor aut os, sic diceret, & Propheta: Confitemini Domino, in cithara vnius aut duarum chordarum, psalmum dicite ei: nunc autem dicit, in psalterio decem chordarum: quia homo qui est psalterium, decem sonos habet, quinque carnales, & quinque spirituales. Cum his omnibus oportet confiteri Christum. Si autem vel vnus sensus minus fuerit, nō est perfecta confessio. Ergo si quis tibi dicat, non manduces idolothytum, sed aspice tantùm ad idola, quomodo speciosa sunt: si aspexeris prouocatus, oculis tuis negasti Christum. Non quia aspicere idola aliquid sit, sed quia inuitatus aspicis, peccas. Si autem non aspexeris, oculis tuis confessus es Christum. Ideo scriptum est, Psal.118. Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Si verò dixerit tibi, nolo vt aspicias idola, sed tātum ausculta quomodo ille Gentilis blasphemat Christum, vt glorificet deos. Si auscultaueris, auribus tuis Christum negasti. Si dixerit tibi, nolo vt audias blasphemiam Christi, sed ecce quomodo incensum diis offertur, tātum sta, & ac- B cipe odorem incensi illius: si odoratus fueris, odoratu tuo Christum offensus es. Item si dixerit tibi, non manduca carnem dentibus tuis, tantùm finge te de immolato manducare: si simulaueris, sic gustu tuo Christum negasti. Si autem nolueris fingere, Christum confessus es, 2.Mach.6 sicut Eleazarus in libro Macchabæorū, qui carnes verecinas sub specie porcinæ noluit manducare. Si dixerit, nolo fingas te de immolato manducare, sed tantum tange idolum manu tua, aut tene thuribulum: si tetigeris, aut tenueris, tactu tuo Christum negasti. Si autem nolueris, tactu tuo Christum cōfessus es, sicut scriptum Psal.7. est: Si est iniquitas in manibus meis. Omnia enim membra animæ vel corporis tui nō solùm tibi ad vsum Deus creauit, sed sibi ad gloriam.

Homilia xxvi. ex cap. x.

In illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Nolite arbitrari, quòd venerim pacem mittere in terram. Non veni mittere pacem, sed gladium. Et reliqua. Cùm dixisset Dominus, Qui me confessus fuerit coram hominibus, &c. quasi cogitantibus Apostolis, & dicentibus apud se, vsque nunc sub tyrannis & Gētium dominatione deguimus, & nunc speruimus pacem nobis esse venturam: & quomodo hic nobis persecutiones & iudicia futura promittit? Respondit ita: Nolite arbitrari, quòd venerim pacem mittere in terram. Et est pax bona, & est pax mala. Pax bona est inter bonos fideles & iustos, vt in quibus est vnius fidei munus, vna sit vitæ concordia. Nam fides per verbum quidem Dei nascitur, per pacem autem seruatur, & per charitatem nutritur, dicente Apostolo: Fides est, quæ per charitatem operatur. Fides Galat.5. autem quæ non habet charitatem, nullum potest boni operis fructum perficere. Si ergo aliqua dissensione fideles fuerint separati, hoc est mala discordia, sicut ait Dominus: Omnis domus in se diuisa, non stabit: Si & Infr.12.& Luc.11. separata fraternitas, à semetipsa consumitur, sicut ait Galat.5. D Apostolus: Si autem inuicem mordetis & criminamini, videte ne ab inuicem consummamini. Pax autem mala est inter infideles & iniquos, vt quibus est vna malicia, sit vnus ad malefaciendum consensus. Nam infidelitas & iniquitas ex suggestione quadā diaboli nascitur, per pacem autem seruatur. Si ergo aliqua occasione infideles, & iniqui ab inuicem fuerint separati, hoc est bona discordia: quia sicut in pace bonorum, fides & iustitia stant, infidelitas autem & iniustitia iacent, cùm verò discordia venerit, fides & iustitia cadunt: infidelitas autem & iniustitia resurgunt: sic in pace iniquorum & iniustitia & infidelitas stant, fides autem & iustitia iacent. Cùm verò concordia venerit, infidelitas & iniustitia cadunt,

cadunt, fides autem & iustitia surgunt. Ideo ergo Do- A minus bonam misit separationem in terram, vt rumperet malam coniunctionem. Omnes enim tam boni quàm mali, id est qui diligentes malum, erant in malo: & qui per ignorantiam boni stabant in malo. Omnes insimul, quasi sub vna domo infidelitatis tenebantur inclusi, ideo misit Dominus separationis gladium inter illos, Hebr.4. id est verbū veritatis, de quo ait Apostolus: Viuum est verbum Dei, & efficax, & acumen habens super omnem gladium acutissimum, penetrans vsque ad interiora animæ & spiritus, artuúmque & medullarum, scrutans corda, & cogitationes. Iste est ergo gladius bis acutus, ex vna quidem parte bonos ab errore præcidens, ex altera autem parte malos ab excusatione, vt nec bonos ignorātia perdat, nec malos excusет: vt & boni cognita veritate, cùm secuti fuerint veritatem, cum iudicio & iustitia saluentur, & mali cum veritate cognita secesserint à veritate, cum iudicio & iustitia puniantur. Hoc ergo gladio Dominus separauit bonum à malo, vt B & bonum separatum à malo surgat, & malum separatū à bono cadat. Nam bonum quandiu fuerit mixtum, cum malo iacet, & mortuum est, quia nō potest bonum esse coniunctum cum malo: cùm autem à malo fuerit separatum, tunc surgit & viuit: quia incipit esse bonum separatum à malo. Sic & malum quandiu fuerit mixtum cum bono, stat & viuit, quia sub se opprimit bonū: cùm verò fuerit separatum à bono, tunc cadit & moritur: quia manifestatum iam non potest sub se opprimere bonum. Sic & fideles, quandiu cum infidelibus fuerint iuncti, iacent, & mortui sunt: quia non possunt esse fideles cum infidelibus mixti. Cùm autē fuerint ab infidelibus separati, tunc resurgunt & viuunt: quia tunc incipiunt esse fideles cum fidelibus mixti. Item infideles quandiu fuerint cum fidelibus mixti, stant, & viuunt: quia sub sua infidelitate tenent fideles. Si verò à fidelibus fuerint separati, cadunt, & mortui sunt: quia manifesti infideles iam non possunt perdere fideles. Omnis C enim res mala tandiu stare videtur, & viuere, quandiu bonæ rei potest nocere: cùm verò manifestata fuerit, iam non potest nocere, iacet, & mortua est. Omnis autem res mortua, etsi est mala, tamen similis est rei quæ non est. Quid ergo infideles à fidelibus separati, alios quidem timore frangunt, alios autem promissione corrumpunt? Hæc res non dicit perdere bonos, sed magis glorificare permanentes in bono, cùm ille qui aut timore frangitur, aut promissione corrumpitur, nunquam fuerit verè bonus. Tunc enim verè infideles, dicuntur perdere fideles, quando fideles per ignorantiam veritatis cum infidelibus sunt. Seductionibus aut persecutionibus fides non corrumpitur, sed purgatur. O mira virtus gladij separantis, cui non solùm coniunctio extraneorum resistere non potest, quos amicitia voluntaria iungit, sed nec ipsa dilectio violenta naturæ carnalis. Et ideo non solùm illos separat, qui dilectione coniuncti sunt, & natura disiuncti, sed etiam illos, quos carnalis D *al. deest non. necessitas dulcibus vinculis alligauit. Ideo non * dicit, veni enim separare filium aduersus patrem, &c. Notanda res est, quoniam quos separat Christus, fideles sunt: à quibus separat, infideles. Vnde ostendit, ex eo quod dicit: *Qui diligit patrem plus quàm me, non est me dignus.* Qui enim plus diligit patrem quàm Deum, permanet iuxta patrem. Qui autem diligit Deum plus quàm patrem, recedit à patre fide, non corpore. Ideo autem diximus, quia quos separat Christus, fideles sunt: vt sciamus quia semper fideles ab infidelibus recedunt, non infideles à fidelibus: quia semper diabolus desiderat infideles suos cum fidelibus esse, vt infideles cum fidelibus mixti, corrumpant fideles: & Christus semper fi- A deles festinat ab infidelibus separare, vt ne fideles conuenientes cum infidelibus, corrumpantur ab eis. Et vbicunque separatio inter bonos & malos facta legitur in scripturis, semper boni recesserunt à malis, & non mali à bonis. Cùm essent Iudæi in captiuitate, Deus per Prophetam non ad Assyrios dicit: Exite, exite de medio Esa.52. populi mei: sed ad populum suum, Exite, exite de medio eorum, & immundum ne tetigeritis: quia malum coinquinat bonum, bonum autem non coinquinat malum. Vtputa iunge lutum farinæ, non farina sordidat lutum, sed lutum farinam. Item iunge acetum vino, nō vinum corrumpit acetū, sed acetum vinum. Nec enim corrumpi potest ab alio, quod naturaliter à seipso corruptum est. Ideo cùm dixerint infideles, A nobis vos recessistis, non nos à vobis: crede, verum enim est. Semper bonum ante malum fugit, malum autem ante bonū non fugit. Item cùm dicit, Ecce ille sacerdos hæreticus desiderat orare cum fidelibus, & dare benedictionem fidelibus, crede, verum est enim. Scit enim dato suo coinquinare non sanctificare accipientem. Si enim sciret sanctificare qui dat, vtique rogandus fuerat, non rogaret. Nunc autem quia coinquinat datum eius, nō expectat vt quæratur, sed ipse quærit quem perdat. Ecce ille laicus infidelis, benedictionem desiderat accipere à fideli: non vt ipse sanctificetur accipiens, sed vt tu & quod dedisti, perdas: & quia dedisti sanctum canibus, pereas. Non dixit separare filium à patre: sed, aduersus patrem: quia non corporalem separationem iubet, sed spiritualem: Qui enim corporaliter separatur, à patre separatur, non contra patrem: qui autem spiritualiter separatur, corpore quidem cum patre est, fide autem aduersus patrem. Nam qui longe est à patre, non potest stare contra patrem: qui autem ante patrem est, ille potest esse contra patrem, respondendo, blandiendo, disputando. Non enim credibile est, vt corporaliter iu- beat relinquere patrem, qui dixit: Honora patrem tuum Exod.20. Deut.5. & matrem tuam. Si ergo habes patrem infidelem, obsequere ei, & tu inuenies mercedem pietatis, & ipse infidelitatis suæ habebit damnationem suam. Et ideo non dixit, Qui diligit patrem, non est me dignus: sed ait, Qui diligit patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Sicut enim post Deum diligere parentes, pietas est: sic plus quàm Deum diligere, impietas est. Si ergo habes patrem infidelem obsequere ei. Si autem voluerit te in eandem foueam infidelitatis immergere, in qua ipse est, tunc plus dilige Deum, quàm patrem: quia pater non est animæ, sed carnis. Solus autem Deus omnium animarum sanctarum pater est. Reddite ergo vnicuique quod suum est. Carnalibus patribus præbete carnis obsequium, spiritualibus autem patribus animæ sanctitatem. Et verè nihil est, quod amplius diligere debemus quàm Deum. Amici enim recedunt, parentes deficiunt, solus autem Christus nec recedit aliquando, nec deficit, donec voluerimus & nos esse cū ipso. Cùm de hoc mundo exierimus, vnaquæque anima ad locum suum recedit: & nemo recordatur amplius carnalem affectum, cùm de carne recesserit, non pater filium, non filius patrem. Omne enim quod de terra susceptimus, in terra dimittetur, & neminem nobiscum habebimus, nisi opera nostra, si bona sunt, ad gloriam: si mala sunt, ad pœnam. *Qui non tulerit crucem suam, & secutus fuerit me, non est me dignus.* Crucem suam tollit, qui paratus est ad omne periculum propter Deum, si necessarium fuerit, vsque ad mortem, magis quàm relinquere Christum. Ille talis etsi de misericordia Dei euadit, tamen quantum ad propositum suum quotidie cruciatur. Ideo & si nihil tale fuerit passus, mercedem tamen accipiet. Voluntas enim remuneratur, non opus: quia voluntas est nostro

Universidad de Deusto
Biblioteca

arbitrio procedit, opus autem per gratiam Dei consummatur. *Qui inuenit animam suam, perdet eam.* Melius est propter Deum mori, & in perpetuũ viuere; quàm propter vos viuere, & in perpetuum mori. Si ille pro nobis mortuus est, qui mori non poterat, nisi voluisset: quantò magis nos pro eo mori debemus, qui etsi nolumus, mortales sumus. Si dominus pro seruis mortuus est, & hoc sine præmio: iustius est vt seruus moriatur pro domino, & hoc cum præmio. *Qui vos recipit, me recipit.* Quoniam Apostoli & cęteri Christiani in persecutionibus Iudæorum & Gentilium constituti, necesse habebant interdum declinandi, & pericula fugere de ciuitate in ciuitatem, secundùm Christi mandatum: ideo honorem suum dedit eis, magis autem seipsum posuit in eis, vt ad susceptionem eorum omnem Christianum populum prouocaret, sibi imputans acceptum, quod illis fuerat datum, vt recipientibus eos dicat in die iudicij: Venite benedicti patris mei, accipite regnum quod vobis paratum est ante constitutionem mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c. Quod vni enim ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Si enim qui minimis de Ecclesia facit, Christo facit: quantò magis qui Apostolos recipit, cæterásque passiones Christi circunferens in corpore suo, ipsum recipit Christum? *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.* Prophetæ doctores intelliguntur, sicut suprà docuimus. Iusti autem omnes Christiani. Prophetæ ergo nomine, voluit ostendere omnes prædicatores Christi. Iusti autem nomine, omnem hominẽ Christianum: quia non solùm doctorum est, persecutionum causa vagari de ciuitate in ciuitatem, sed omnium Christianorum perfectorum in Christo credentium. In nomine prophetæ, id est quasi prophetam Christi. In nomine iusti, id est iustum Christi seruum. Vt ergo habeat bonum opus mercedem, duo hæc occurrere debent, vt & Christianum recipiant, & quasi Christianum siue sacerdotẽ, siue laicum. Si autem aliquis aut non Christianum recipit, aut Christianum quidem recipit, non autem quasi Christianum: mercedem Christiani non recipit. Quid verò est, qui accipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipit? & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet? hoc est, qualem mercedem habet qui peregrinatur, talem mercedẽ habet & ille qui suscipit propter Deum peregrinantem. Et fiunt ambo æquales, & ille qui propter Deum laborat, & iste qui propter Deum laborantem refrigerat: Vtpùta suscepisti sacerdotem, sacerdotis habes mercedem: Suscepisti laicum iustum, iusti laici habes mercedem. Qui recipit Christianum, ille qui Christianus non est, non habet mercedem Christiani illius: quia & Christianum si suscipit, tamen non eum nomine Christiani, aut propter honorem Christi, sed quasi quemcunque hominem. Qui enim Christum non cognoscit, quomodo Christianum suscepisse intelligatur propter Christum? Et qui non credit veritati, quomodo confessorem veritatis intelligatur suscepisse propter veritatem? Non ergo recipit eum in nomine Christi, quasi Christianum, sed quemadmodum cæteri Gentiles humanitatis causa recipiunt peregrinos, non propter Christum. Quòd autem diximus, siue Christianum receperit, siue sacerdotem, siue laicum, non habet mercedem: quia non quasi sacerdotem suscepit, nec quasi Christianum: ita est intelligendum, vt suscipiens sacerdotem, mercedem sacerdotis non habeat: & suscipiens Christianum, mercedem Christiani non habeat. Alioqui habet mercedem propter hoc solùm, quia bonum opus fecit, quanuis non fecerit propter Christum. Quoniam qui prophetam susA cipit non quasi prophetam, prophetæ quidem mercedem non habet, aliquam autem habet. Huius rei testis est Daniel, dicens: Et nunc domine rex consilium meũ audi, & peccata tua eleemosynis redime. Si ergo ille rex idolorum cultor poterat eleemosynis peccata redimere: cui non prosunt eleemosynæ? Sed audi mysteriũ, quod Petrus apud Clementem exposuit. Si fidelis fecerit opus bonum, & hîc ei prodest liberans eum à malis, & in illo sæculo ad percipiendum regnum cœleste, magis autem ibi quàm hîc. Si autem infidelis fecerit opus bonum, hîc ei prodest opus ipsius, & hîc ei reddit Deus bona pro opere suo. In illo autem sæculo nihil ei prodest opus ipsius. Nec enim collocatur inter cæteros fideles propter opus suum, & iustè, quia naturali bono motus fecit bonum, non propter Deum. Ideò in corpus suum recipit mercedem operis sui, nõ in anima sua. Item si Christianus dederit ei qui non est Christi, non magnam habet mercedem, quia nec Christiano dedit, Dan. 4.

Infr. 25.

B nec quasi Christiano, dicente Tobia: Effunde vinum tuum super sepulchra iustorum, & non dederis peccatori. Item Sapientia: Recipe, inquit, iustum, & ne dederis impio. Tamen quia scriptum est, Operemini bonum ad omnes, magis autem ad domesticos fidei: qui dat infideli, modicam quidem, tamen habet mercedem: qui autem fideli dat, duplicem habet mercedem. Primùm quidem, quia creatura Dei est: secundùm, quia seruus Dei est. Qui autem infideli dat, vnam habet mercedem, quia creatura quidem est Dei, voluntate autem aduersus Deum. Quòd si Christianus, non Christianum, sed infidelem in nomine Christi suscipit, nihilominus habet statutam mercedem: quia quantum ad se non Christianum suscipit, sed quasi Christianum. *Et quicunque vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ dederit tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Non peribit merces eius. Quoniam suprà dixerat, Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedẽ prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet, hîc exaggerãs mercedem suscipientium, supra modum amplius dicit. Hoc est quod dico, quia qui etiam vni ex minimis istis, qui neque prophetæ sunt, neque iusti, sed tantum credentes in me, aquam frigidam porrexerit: hoc est, non dicam qui eos magnificè susceperit, sed qui vel aquam frigidam porrexerit eis, merces eius non peribit. Minimi autem sunt in Ecclesia, qui modicæ iustitiæ sunt, aut modicæ fidei. Et vide quam propriè de minimis dicat. Nõ dicit, Qui vnum ex minimis receperit, sicut cùm loqueretur de prophetis & iustis: quia minimi in populo Christiano, non opus habent susceptione. Nec enim peregrinantur causa persecutionis, nec contenti sunt persecutionis aliquam subire molestiam, sed statim scãdalizantur. Vnde & alibi dicit propter eos: Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Proprium autem prophetarum & iustorum virorum, est causa persecutionis peregrinari de ciuitate in ciuitatem: illos ideo suscipi mandat, his autem aliquid dari, ne fortè propter ipsam leuem indigentiam scandalizentur. Vnde non dixit, Qui vnum ex magnis istis scandalizauerit: sed, vnum de pusillis istis: quia magnus non scandalizatur, sed pusillus. Verè iustus iudex. Qui enim & pro verbo otioso constituit pœnam, iustum erat vt pro aqua frigida daret mercedem. Tantùm in nomine discipuli, suprà cautè addidit, dicens: sciens quoniam si quis non propter nomen Christi dederit, non habet mercedem. Frigidam aquam dicit, vt ne calefaciendi impendat laborem. Non quia aliquid est quod dat, ideo habet mercedem: sed ob id, quia magnus est propter quem dat. Quid enim, si aliquis voluit dare, & non potuit? Nunquid iustum est, vt secundùm modicum Tob. 4. Eccles. 12. Gal. 6.

Eleemosynã præbens infideli ac improbo, apud Deũ non frustratur mercede.

Infr. 24. & Luc. 21.

Infr. 12.

modicum angustetur larga voluntas? Melius est ergo, vt A opus ostendatur secundùm volũtatem, quàm larga voluntas angustetur secundùm opus. Quomodo ergo omnes pauperes volentes benefacere confortat, nolentes autem benefacere inexcusabiles reddit? Qui enim aquæ frigidæ mercedem constituit, puto quòd & sine opere nudæ voluntati reddet mercedem.

HOMIL. XXVII. EX CAP. XI.

IN *illo tempore, cùm audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Et reliqua. Ioannes specie homo, gratia angelus: quia nihil carnis erat in eo, nisi visio sola: corpore tenebatur in carcere, anima autem in cœlo. Et quod Herodes illi faciebat pro pœna, ille suscipiebat pro beneficio. Et ita illius quasi Dei misericordia fruebatur, quia verum gaudium est sanctorũ exire de mundo. Quemadmodum festinantem hominem ad rem aliquam quam desiderat, si quis nesciens consilium eius, pro malo compellat eum ire volentem: sic puto esse cùm impius hominem iustum vult occidere, mori cupientem. Sicut seruus postquam commissi operis impleuerit pensum, gaudet ante faciem domini sui apparere: sic & Ioãnes commissæ prædicationis mysterio consummato, lætabatur ad Deum transire. Et nõ solùm de morte sua non contristabatur, sed ipsam quoque dilationem vitæ suæ pœnã putabat. Vis scire quod est super humanam naturam? Missus in carcerem nõ de suo periculo solicitus erat, sed de aliorum salute cogitabat, id est discipulorum suorum. Ideo mittens ad Christum, interrogabat: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? In prima quidem facie extraneum aliquid videtur facere Ioannes. Cui enim ad baptismum suum venienti dixerat: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me: quem inter innumerabiles populos venientem, digito loquens monstrauerat. Ecce agnus Dei, ecce qui C tollit peccata mundi: & quod amplius est, quem in vtero constitutus priusquam nasceretur non solùm cognouit, sed etiam exultatione spirituali matrem suam fecit ipse prophetam: ipse nunc quasi nesciens interrogat, Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Sed Ioannes in carcere sciens se iam in exitu constitutum, volebat discipulos suos Christo adiungere, tanquam si prouidus pater moriens, filios suos consignet fideli tutori. Desiderabat enim viuens plenam fidem videre discipulorum, & sine dubitatione aliqua credentes in Christo. Sicut pater moriens, si viderit filios suos bonis moribus ornatos, & omni sapientia perfectos, quasi securus moritur, nihil de cætero timens de illis: sic & Ioannes volebat discipulos suos perfectos videre in Christo, vt iocundius morereturꝰ. Magis autem non sicut pater filios suos commendabat Christo quasi tutori, sed quasi pædagogus alienos filios, quos ad tempus accepit vt erudiret, eruditos volebat Christo reddere, quasi D proprio patri ipsorum. Ideo interrogabat per discipulos suos: non vt ipse reaccipiens responsum, à Christo audiret, & disceret, sed vt missi discipuli oculis suis viderent opera eius, & crederent: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Dum dicit, Tu es qui venturus es, an aliũ expectamus: ostendit quia duo erant qui essent venturi, Christus & Antichristus, de quo & Dominus alibi significat, dicens: Ego veni in nomine patris mei: & non recepistis me, alius veniet in nomine suo, & illum recipietis. Significans, quòd quicũque non receperit Christum, expectat Antichristum venire. Intellexit cogitationem Ioannis Christus, animaduertit consilium principis sui rex, sentit sermonem serui sui dominus. Quod enim Spiritus in Ioanne dictauerat, Deus intellexit, dicente Apostolo: Qui scrutatur corda, scit quid desideret spiritus. Propterea spiritualem hominem spiritualis facilè intelligit. Carnalis autem non intelligit spiritualem, ipse tamen intelligitur ab eo: Quia spiritualis dijudicat omnia, ipse autem à nemine dijudicatur: quia carnalis homo secundùm carnem loquitur, & semper secundùm carnem intelligit: spiritualis autem secũdùm cor loquitur, & cogitationes intelligit. Considera denique, quomodo se similant sensus eorum & verba. Sicut enim Ioãnes in prima quidem facie per discipulos suos interrogabat Christum, Tu es qui venturus es, an alium expectamus: reuera ad discipulos suos, ait: Ite, videte, & credite: quia non est alius qui venturus fuerat, nisi ipse. Sic & Christus in prima quidem facie Ioanni renunciabat, dicens: *Ite, dicite Ioanni, cæci vident, surdi audiunt, & beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Reuera autem ad discipulos eius dicebat: Eece videte & cognoscite, quia cæci vident, surdi audiunt, & beati eritis, si non fueritis scandalizati in me. Quid est quod videtis & auditis? Sciens Dominus quia venturi erant discipuli ab Ioanne, sicut Lucas dicit, in illa hora multis & bonis hospitibus digna conuiuia præparabat, vt etiam Christo tacente, ipsa opera eius loquerentur de eo. Nam & qui curati fuerant, gratias agebant. Et quidam verò dicebant: Nunquam sic factum vidimus in Israël. Alij autem dicebant: Visitauit Deus in bono plebem suam. Alij dicebant: Gloria Deo, quia talem potestatem dedit hominibus. Sic ergo discipuli & oculis, & auribus pascebantur, mirabilia sanitatum videntes, gratias agẽtium voces audientes, aut certè mirabilia eius videntes, & doctrinam eius audiẽtes, aut certè sanitates infirmorum videntes, & cõfessiones electorum dæmonum audientes. O misericordia Christi, omnia faciebat, vt paucorum animas lucraretur. Quia melior est apud Deum vnus iustus, quàm totus mundus de peccatoribus plenus. Abeuntibus autem illis, cœpit dicere ad turbas de Ioanne. Quàm bene recedentibus discipulis cœpit laudare Ioannem: non sicut quidam blanditores homines, qui libenter hominem in facie laudant, aut quando vident amicos eius fideles, aut domesticos eius, quos credunt quia nunciaturi sunt illi quicquid audierint. Nam insipiens est, qui gaudet laudatus in facie. Vir autem sapiens quando laudatur in facie, flagellatur in corde. Propter duas ergo causas hominem in facie laudare non debes. Primùm si sapientem illum putas, grauiter suscepturus est. Et quare illi laudibus tuis molestiam facis? Si insipientem illum existimas, extollendus non est. Quare insipientiam eius laudibus tuis nutris? Nunquid dicimus, insipiens est, qui in facie vult laudari? Omnes enim homines volumus laudari. Et ideo bonum faciamus, vt laudem consequamur ex eo, dicente Apostolo: Quæcunque sunt laudis, quæcunque bonæ operationis, hæc sectamini, & Deus pacis erit vobiscum. Nam qui vult laudari propter homines malos, vanus est: qui autem coram domesticis eius hominem laudat, non est culpa laudati, sed laudantis. Ideo enim coram illis laudat eum, non vt opinionem eius bonam commẽdet hominibus, sed vt audiat ille, quia laudauit eum. *Quid existis in desertum videre?* Non enim exierant in desertum ad hoc vt viderent Ioannem: nec enim erat tũc in deserto, sed in carcere. Sed præteritum refert, quia frequẽter exibat populus in desertum videre Ioannem, cùm esset adhuc in deserto. *Calamum à vento moueri?* Calamus est vacuus, & nullam habet virtutem: & ideo qualisvis ventus flauerit super eum, huc & illuc flectit illum. Sic & homo carnalis & secularis, in quo fidei nulla est medulla, & virtus veritatis non inuenitur in eo,

Supr. 3. Ioan. 1.

Luc. 1.

Ioan. 5.

Luc. 7. Marc. 2. Luc. 7.

Philip. 4.

Homo carnalis vt calamus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab omni tentationis vento flectitur. Iob. 40.

qualiscunque tentatio venerit super eum, curuat eum. Nam Deus volens ostendere Iob in quibus hominibus diabolus requiescit, introducit draconem in figura diaboli. Et cùm multa dixisset de eo, inter cætera ait: Secus calamum & papyrum requiescit. Calamus enim est vacuus, papyrus autem nimium leuis, & mollis. Sic omnis homo carnalis, vacuus in fide, & leuis in sensu, & mollis in passionibus, calamus est & papyrus. Quoniam vsque tunc Ioannes multis modis plura testimonia in populo dederat de Christo, sicut legimus in principio Ioannis Euangelistæ: posteà autem missis ad eum discipulis, interrogabat eum, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? forsitan apud homines tunc ibi constitutos mirabile videbatur, & leuissimi hominis signum, vt prius quasi sciens omnibus prædicaret, modò quasi nescièS interrogaret, si ipse esset, an alius. Propterea Dominus hoc introducit, & dicit, vt non putent hoc ipsum leuitatis eius fuisse, & nõ rationis alicuius occultioris. Propterea rationem quidem eius non exponit, sed dignitatem, & gratiam eius annunciat: quia talis & talis est Ioannes, vt prædicatio quidem dignitati eius suspicionem leuitatis tollat ab eo: rationem autem trãsmissorum discipulorum postea digni & fideles intelligant, qui spiritum Dei habere meruerunt, scrutantes etiam altitudinem Dei. *Quid existis in desertum, videre hominem mollibus vestitum?* id est, amicum sæculi, qui fruitur bonis eius. Non vidistis quia vestimentum eius erat de pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius? Esca autem eius locustæ, & mel syluestre, vt ipso conuersationis suæ testimonio contemneret mundum cum bonis eius: stetit enim in mundo. Quòd autem intrauit in mundum, ideo intrauit: non vt ipse remaneret in mundo, sed vt spoliaret mundum: Id est, natus quidem est in mundo, sed non est ingressus ad aliqua huius mundi bona. Quòd autem natus in mundo, non ipse peccans remansit in mundo, sed peccatores conuertens ad iustitiã liberauit de mundo. Multa enim delectamenta mundus iste ad seductionem ostendit hominibus. Sicut homo malignus, si viderit aliquem orphanum habere substãtiam paternam, ducit eum frequenter ad prandium, donat illi interdum aliquod speciosum vestimentum, loquitur illi dulces sermones, donec tollat facultates eius: Sic & diabolus videns hominem habentem in se thesaurum cœlestem, id est animam immortalem à Deo creatam, sapientiam cœlestem in arca terrena positam: ideo ostendit illi aurum & argentum, & concupiscibilia ornamenta, ostendit illi vestes pretiosas, & deliciosos cibos, & gloriosos honores, vt per hoc subiugans eum voluptatibus suis, auferat salutem animæ eius, & corrumpat gratiam cordis ipsius. *Quid existis in desertum videre prophetam? Amen dico vobis, & plus quàm prophetam.* Prophetæ enim est de Christo prædicare. Nunquid prophetæ fuit, vt in vtero constitutus, Deum in vtero cognosceret? Prophetæ est, pro merito conuersationis & fidei prophetiam accipere. Nunquid prophetæ fuit, vt prius fieret propheta, quàm homo, & antè gratiam acciperet? Prophetæ est, beneficium à Deo accipere. Nũquid prophetæ est beneficium baptismatis Deõ donare? Prophetæ est, verbum ante tempus significare de Christo. Nunquid prophetæ est, facie ad faciem digito Christũ ostẽdere? Prophetæ est, vt ipse de Deo prophetet. Nunquid prophetæ est, vt Deus de illo prophetet, dicẽs: Ecce ego mitto angelũ meum ante faciem tuam?

Luc. 7. Malac. 3.

Hic est, de quo dictum est per prophetam: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam. Iam nunc incipit dicere causas propter quas amplius erat quàm propheta beatus Ioannes, qui talem meruit habere laudatorem. Et Ioannes quidem testificatus erat de Christo,

Ioan. 1.

Ecce agnus Dei. Sed amplius recepit à Christo quàm præstitit. Ioannes enim Christum glorificans, humanam illi contulit laudem: Christus autem Ioanni diuinam contulit gloriam. Nam iste illum Agnum ostendit, ille autem istum angelum prædicauit. Iste minus laudauit in Christo quàm erat. Nam non solùm peccatum mundi abstulit, sed etiam vitam æternam mundo donauit. Ille autem istum supra quam videbatur, erexit, vt qui homo erat, angelus diceretur. Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam. Audi nunc, & intellige dignitatem. Puto si non est audaciæ dicere, quòd gloriosior est Ioannes, quia homo fuit, & propter virtutis meritum angelus est vocatus, quàm si nomine angelus & natura fuisset. Angelus enim hoc ipsum quod angelus est, non tantum est virtutis præmium, quantum naturæ proprietas. Iste autem mirabilis est, qui humana natura angelicam sanctitatem transgressus est, & obtinuit quod non habuit natura per gratiam Dei. Ecce omnes prophetæ ante faciem Christi transmissi sunt, & angeli sunt vocati: sicut scriptum est, Qui accepistis legem in præceptis angelorũ, & non custodistis. Et quomodo de solo Ioanne quasi gratiæ singularis est indiciũ, Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam? Omnes quidem prophetæ ante faciem Christi transmissi sunt: solus autem Ioannes sic missus est ante faciem Christi, vt pene cum ipso Christo veniret. Quantum præ cæteris prophetis Ioannes in tempore iuxta Christum, tantum iustitia præ illis proximior erat Christo. Multę quidem stellæ ante lucem præcedunt nunciantes lucis aduentum, nulla tamen earum Luciferi nomen habere meruit, nisi vna quæ cum ipsa luce procedit: Sic omnes prophetæ ante faciem Christi præcedunt, nunciantes aduentum eius, solus autem Ioannes præcursor est appellatus: quia non solùm aduentum eius annunciat, sed ipsum illum digito suo ostẽdit, Ecce agnus Dei. Omnes prophetæ venturum testati sunt, ille solus iam venisse monstrauit. Deinde alij prophetæ missi sunt, vt aduentũ eius annunciarent: iste autem vt præpararet viam ipsius. Aliud autem est aduentum eius annunciare, aliud est viã præparare. Nunciantibus aduentum eius, prædicationis sermo commissus est: præparanti autem vias, humanæ correctionis opus iniunctum est. Sicut angelus de eo: Et multos filiorum Israël conuertet ad Dominum suum. Ille ergo correxit, vt iste susciperet: ille mundauit, vt iste sanctificaret: ille præparauit, vt iste inhabitaret. Altera causa propter quam melior est prophetis: *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.* De quo propheta aliquando prophetatum est? Omnes prophetæ prophetauerunt de Christo, de illis autem non prophetatum est. Ipse autem non solùm prophetauit de Christo, sed etiam alij prophetæ prophetauerunt de ipso. Quis aliquando dictus est Vox clamantis in deserto? Nam omnes portitores verbi fuerunt: iste autem ipsa vox, quæ desertum facere poterat quasi agrũ cultum. Quantò vox proximior verbo, non tamen verbum: tantò Ioannes propinquior Christo, non tamen Christus. Quis prophetarum cùm esset propheta, prophetam facere potuit? Helias quidem vnxit Heliseum in prophetam, non tamen prophetandi gratiam illi donauit. Iste autem in vtero matris existens, diuini introitus scientiam matri donauit, & os illius in verbo confessionis aperuit, vt cuius non videbat personam, cognosceret dignitatem, dicens: Vnde hoc mihi, vt mater Domini mei veniret ad me? Nam quoniam Christus in vtero constitutus, Ioannem in vtero constitutũ ordinare non poterat præcursorem: etsi poterat, tamen non sic poterat, vt omnes audirent: ideo fecit Mariam salutare Elizabeth, vt sermo procedens ex vtero matris

vbi

Malac. 4. & Luc. 1.

Luc. 5.

3. Reg. 19.

Luc. 1.

Ibidem.

vbi habitabat Dominus, & per aures Elizabeth ingressus descenderet ad Ioannem, & illic eum vngeret in prophetam. Nam sicut mater ipsa testatur, statim vt vox salutationis conuenit ad aures Elizabeth, statim exultans puer prophetauit: non voce, sed motu. Considera, non dixit, Inter natos de mulieribus: sed, inter natos mulierum. Aliud est esse natum mulieris, & aliud est esse natum de muliere. Qui mulieris natus est, in muliere quidem natus est, & initium de muliere habet, & ante mulierem non fuit. Qui autem de muliere natus est, neque in muliere natus est. Ecce enim Christus de muliere quidem natus est. Quãtum autem ad sermonem mulieris natus hic: & in muliere natus, qui ante mulierem erat. Ergo qui mulieris natus est, de muliere nascitur: nõ tamen omnis qui de muliere nascitur, mulieris natus est. Ideo ergo non dixit, Inter natos de mulieribus, ne & se cum illis misceret. Scriptura quidem non dicit Ioannem maiorem esse cæteris sanctis, sed cæteros sanctos non esse maiores Ioanne. Coæquauit eum cæteris, non præposuit. Sed cum tanta sit iustitiæ altitudo, vt in illa nemo possit esse perfectus, nisi solus Deus: puto quòd omnes sancti, quantum ad subtilitatem diuini iudicij, inuicem sibi aut inferiores sunt, aut priores. Ex quo intelligimus, quoniam qui maiorem non se habet, omnibus maior est. Hoc denique sequens sermo demonstrat, dicens: Qui autem minor est in regno cœlorum, maior est in eo. Quis autem est minor & maior? Christus videlicet minor in corpore, maior in spiritu. Vide ergo quia omnibus sanctis est maior, cui solus Christus est prior, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Ioannes cæteris sanctis æqualis.

HOMIL. XXVIII. EX CAP. XI.

In illo tempore, respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi domine Pater cœli & terræ, quia abscõdisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et reliqua. Postquam improperauit ciuitatibus, magis autem ciuibus, quòd totiẽs seminati sunt in doctrina, & nunquam germinauerunt in fide, qui virtutes & miracula Christi non quasi ædificamenta spiritualia, sed quasi delectamenta carnalia susceperunt: respondens ait, quasi ad sensum discipulorum secundùm Lucam exponentium: Confiteor tibi domine Pater cœli & terræ. Considerãdum est, quoniam Lucas sic introducit hunc sensum. In illa hora exultauit in spiritu Iesus, & dixit: Confiteor tibi Pater. Iste autem sic dicit: Respondens Iesus ait: Sicut ex diuersis itineribus venientes ad vnam mansionem contendunt: sic & euangelistis ex diuersis occasionibus loquentes in vnum sensum ingrediuntur. Ille ergo sic introducit: Postquam reuersi sunt discipuli, gratias agẽtes, & dicentes: Domine, in nomine tuo etiam dæmonia nobis obediunt: Videns gratias discipulorum Christus, quomodo in consummatione commissi mysterij fuerint fideles, quomodo in gratiarum actionibus erant deuoti, quasi congaudens discipulis suis exultauit, & dixit: Confiteor tibi Pater. Iste autem postquam implacabiles animos Iudæorum, & duras mentes ostendit, quos tot miracula ad fidem flectere non potuerunt: respondit excitatus discipulorum suorũ suasu, illorum bonas imprecationes suscipiens, ad quorum nuncium bonum respondit. Alterum, duritia compulsus Iudæorum. Ergo ille gratias agit, quia illuminati sunt rustici & simplices homines, qui totum quicquid fecerint boni imputant authori. Iste autem gratias agit, non solùm quia illuminati sunt paruuli, sed quia excæcati sunt litterati & sapientes Iudæorum, & qui omnem gratiam Dei imputant sibi. Confiteor tibi domine Pater cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Quantùm ad propositum quidem Christi in hoc loco loquentis, talis est intellectus verborum istorum. Postquam improperauit incredulis ciuitatibus, occasionem accipiens ab incredulitate earum, iustam dispositionem Dei introducit in medium, gratias agens dicit. Quia placuit enim Deo Iudæos quidem repellere, qui prius sapientibus dabantur in eloquiis Dei, cùm essent insipientes (Sapientia quidem est, non eloquia Dei scire, sed secundùm eloquia Dei viuere.) & recipere Gentes, qui paruuli erant in sciẽtia Dei, & paruuli per ignorantiam, non per cõtumaciam. Tu autem ad quascũque volueris personas, potes dilatare tractatum, quoniam & ab omnibus sapientibus qui secundùm sensum carnis sunt sapientes, & non secundùm spiritum cordis, abscondit Deus semper mysterium veritatis, & paruulis illud reuelat, qui paruuli malitia sunt. Qui sunt sapiẽtes? Antiqui philosophi, & oratores, qui naturali sapientia litterarum exercitatione exacuminati, de Dei natura quærere contendebant, non Deum inuenire desiderantes, sed altissima disserere cupientes, victi sunt ingenio, defecerunt sermone: in vltimo nihil se amplius inuenire potuisse confessi sunt, nisi quia Deus incognoscibilis est. Et vt quid ergo tantum laborasti, si ignorans es postquam requisisti, quemadmodum fueras antequam quæreres? Sicut enim qui innauigabilem Oceanum nauigare se vsurpat, dum non potest eum transire, necesse est vt per eandem viam reuertatur, vnde ingressus est: sic & illi ab ignorantia cœperunt, & in ignorantia finierunt. O homo sapiens, magis autem insipiens, Deus inuisibilis est, & quis eum potest videre, nisi ipse se videat? Serua ergo mandata Dei, sanctifica cor tuum, ita vt inhabitet Deus in te, & videas Deum. Magis autem non tu vides, sed Deus qui est in te, ipse videt te. Deus incomprehensibilis est. Quis enim potest comprehendere eũ, nisi ipse se comprehẽdat? Serua ergo mandata Dei, sanctifica cor tuum, ita vt Deus habitet in te, & quotidie magis ac magis inuenies Deum. Non ergo tu Deum, sed Deus inuenit te. Qui sunt paruuli? Christiani, qui nihil possunt amplius æstimare de Christo, nisi quod vident in eo, & nihil amplius credere possunt, nisi quod audiunt in libris de ipso. Talis est enim natura infantiũ, cùm viderint rem aliquam, animus eorum simplex nihil potest amplius considerare de ea, quàm quod oculi eorum vident: & quod audierint ab aliquo, nihil amplius in sermonibus exponentis intelligunt, neque possunt discutere rem auditam, sed quicquid audierint, credunt. Si bonum, toto corde lætantur: si malum, sine consolatione tristantur. † [Sic & infideles, si audierint Christum dicentem, Non sum solus, sed qui misit me pater, mecum est: non possunt intelligere, putantes quia non vnus est Deus, pater & filius. Si enim esset vnus, nunquam diceret, non sum solus. Qui enim vnus est, & solus est: qui autem solus non est, nec vnus est.] Si videmus Christum in cruce pendentem, non possumus intelligere ex nobis, quia homo purus est ille qui pendet. Nam recessisse maiestatem Dei de corpore nec vidimus, nec audiuimus. Sed fortè dicis, Quomodo ergo clamabat in cruce, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti: si non esset corpus derelictum? Et non audisti quomodo ad latronem dicebat, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso? Homo purus qui se derelictum dolebat, sicut tu dicis, quomodo ad paradisum ducatum præstabat? Clamabat ergo Filius ad Patrem, vt se ex infirmitate corporis pati probaret hominibus: non vt corpus à diuinitate derelictum ostenderet. Item qui sunt sapiẽtes, à quibus mysterium Christi absconditum est Sacerdotes, Scribæ & Pharisæi, qui congregati in

Luc. 10.

Ibidem.

(hæc in quodam exemplari desunt. Ioan. 8.

Infr. 27. & Psal. 21. Luc. 23.

Universidad de Deusto
Biblioteca

templo dicebant. Quousque animam nostram tollis? Dic nobis palam, si tu es Christus. Quibus respondit: Et dixi vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine patris mei, ipsa testificantur de me. Et tulerunt lapides, vt lapidarent eum, dicētes: Propter bonum opus non lapidamus te, sed propter blasphemiā: quia tu cum sis homo, facis teipsum Deum. Qui sunt paruuli, quibus est reuelatus? Quos Dominus interrogat, dicens: Vos autem quem me esse dicitis? Respondentes dixerunt: Tu es Christus filius Dei viui. Si ergo quod Iudæi quotidie meditantes legem Dei inuenire non potuerūt, piscatores & rustici inuenerunt, quotidie tractantes retia in manibus suis: (*Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Non dicit qua ratione sic ei placuit, sed tantùm gratias agit Patri, quia sic ei placuit.) Ita & tu nunquam discutias consilia Dei in operibus eius quid fecit, aut qua ratione sic fecit: sed quomodocunque sic voluit rem suam ordinare, gratias agens sufficiat tibi ad testimonium ipsa Dei natura: quia Deus sine ratione & sine iustitia nihil facit. Non enim ad discussionem suam, sed ad honorem suum creauit te. Nec iudicem te esse voluit actuum suorum, sed seruum præceptorum suorum. Boni enim domini est omnia prouidere, quæ ad vtilitatem pertinent serui. Boni autem serui est, fideliter operari, & non discutere domini sui actus. *Omnia mihi tradita sunt à patre meo.* A quo illi tradita sunt, si vnus est pater & filius? Aut quare habere non poterat, nisi tradita illi fuissent, si per omnia patri suo erat æqualis? Nam significatio traditionis, tam vnitatis rationem, quàm æqualitatis excludit. Nam nec qui accipit, vnus est cum dante: nec qui traditum acceperit, æqualis est ei qui tradidit. Tradita sunt ei secundùm quod minoratus est paulominus ab angelis. Nam secundùm illud quod nō rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, cum eo Deus vnus & æqualis est qui tradidit omnia. *Omnia mihi tradita sunt, cœlestia, terrestria, & infernalia.* Cœlestia quidem, vt iam nunquam sint rebellantia: nec dicat aliquis eorum, Ponam sedem meam in nube, & ero similis altissimo. Terrestria, vt relinquentes idola & peccata credant in me, & obaudiant meis mandatis. Infernalia, vt vocentur ad vitam, vt in nomine meo omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: Cœlestia, vt sint in adiutorio terrestribus: Terrestria autem, vt fiant imitatores cœlestium. Infernalia, vt iam non expugnatione hominum proficiant, sed ad probationē sanctorum. Et vide, non dixit, omnes homines mihi traditi sunt: vt tantummodo de hominibus crediturus, sed etiam & de rebus omnibus, quæ ad gloriam eius fuerāt conuertendæ, cùm essent aduersæ, diabolo subuertente: Vtputa omnia ei tradita sunt, cœlum & terra, sol, luna, stellæ, aër, & ignis, aquæ, flumina, infernus & mors, vt iam nemo hæc omnia deos esse, aut ingenita esse, suggerente diabolo arbitretur, sed omnes Christi esse opera, sancto Spiritu docente cognoscant & fateantur. Non ergo tradita sunt, vt modò Christi secūdùm naturam fiant, quæ semper eius fuerant, sed vt modò eius esse credantur, & modò ad eius gloriam conuertantur: sicut & homini semper extitit Deus, sed vsque tunc cognitus non erat. Nunc autem traditi sunt ei absolutè, vt cognoscant eum suum factorem Deum, sicut scriptum est: Sicut dedisti mihi potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti mihi, dem eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te vnum & verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Mihi tradita est vita & mors, vt nec vita ad peccatum sit hominum, nec mors ad pœnam: sed vt qui viuunt, lucrum iustitiæ benè viuentes faciant, & qui mortui fuerint, melius viuant, mecum regnantes in cœlo. Mihi traditæ sunt diuitiæ, & paupertas. Vsque nūc enim paupertas blasphemiare cogebat, furtum committere suadebat. Diuitiæ autem inflabant, nocendi virtutem præstabant. Nunc autem mihi traditæ sunt, vt paupertas dum magnanimiter sustinetur, ad gloriam Dei proficiat: & diuitiæ dum misericorditer dispensantur, ad gloriam Dei proficiant: mihi traditi sunt serui & reges, vt nec serui in suo seruitio erubescant, sed in me domino glorientur: & reges non in sua potentia extollantur, sed mihi gēnua curuent: *Et nemo nouit Filium, nisi Pater: neque Patrē quis nouit, nisi Filius: & cui voluerit Filius reuelare.* Ita intelligendum est, nemo ex se potest cognoscere quenquam illorum, nisi Patrem Filius reuelauerit & Filium Pater. Nam de Patris quidē persona Christus ipse dixit, quia nemo scit Patrem, nisi Filius reuelauerit: De Filij autem persona ideo non dixit, nisi Pater reuelauerit, quia iam superius dixerat: Cōfiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, scilicet hæc eadem quæ dispensata sunt in aduentu meo de me. Nam & ad Petrum confitentem se dixit: Non caro & sanguis reuelauit tibi, sed pater meus. Et Esaias dixit: Ego dominus sanctus vester, qui ostēdi Israēl regem vestrum. Aut certè ita, secundùm plenitudinem Patris: Patrem nemo cognoscit, nisi Filius. Et secundùm plenitudinem Filij. Filium nemo cognoscit, nisi Pater: quia incōprehensibilem naturam comprehendere non potest comprehensibilis creatura. Quoniam etsi de Patre Filius reuelet, aut de Filio Pater, tamen reuelat non quantum sunt, sed quantum ille cui reuelatur potest capere. Aut certè sic datur intelligi ex his quæ præcedunt, quoniam dicit: Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et ex his quæ sequūtur, quoniam dicit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis. Puto quòd secundùm hoc nemo cognoscit Filium, secundùm quod ei omnia tradita sunt, vt omne genu in nomine eius flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus est in gloria Dei patris. Quæ omnia futura erant, tunc adhuc nemo sciebat. Et secūdùm hoc nemo cognoscit Patrem, eo quòd statuit in Filio suo omnibus dare salutem. Vnde Apostolus dicebat: Mysterij temporibus æternis taciti, manifestati autem nunc, &c. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis.* Qui sunt qui laborant? Qui legis iustitiam operātur. Et qui sunt qui onerati sunt? Ipsi Iudæi, quibus post idololatriam vituli talia legis mandata imposuit Moses, in quibus nunquam se explicarent. De quibus & Petrus ait: Quid tentatis Deum, & vultis imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri potuimus portare? Sed per gratiam domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos fieri. Ideo sic dicit: Qui laboratis, id est, qui contenditis iusti esse, & non potestis: quia præceptum legis dum expleri non potest, semper conscientiam facit obnoxiam. Et apud Iudæos quidem erat lex leuis & iusta, id est, decalogus, quem ante idololatriam acceperunt, sed sine gratia inueniebatur grauis. Sine gratiæ enim auxilio omnis iustitia hominibus grauis est. Quia lex præceptum est nudum, gratia autem virtus est Dei. Lex in libro conscribitur, gratia autem in corde plantatur. Ideo lex insufferribile pondus est, gratia autem delectatio cordis est, dicente Domino per Salomonem: Transite ad me omnes qui concupiscitis me, spiritus meus super mel dulcis. Ergo lex non solùm ideo grauis est, quia grauia præcipit obseruationis mandata: sed & quia præcipit fieri, & faciendi non præstat auxilium. Nec ideo solum gratia leuis est, quia leuia ponit mandata: sed quod fieri præcepit, & ipsa in nobis faciendi operatur virtutem. Ecce enim lex præcipit: Diliges amicum tuum, & odio habebis

Ioan.10.
Infr.16.& Luc.9.& Ioan.6.
Esa.14.
Phil.2.
Luc.10.
Inf.16. Esa.49.
Luc.14.
Phil.2.
Rom.16.
Act.15.
Eccl.14.
Ioan.17.
Leuit.19.

habebis inimicum tuum: gratia autem iubet, Diligite inimicos vestros. Nónne grauius est gratię mandatum, quàm legis? Et tamen facilius est nobis per gratiam hæc impossibilia adimplere, quàm Iudæis per legem illa possibilia, quia in gratia Dei totum possumus, sine gratia autem nihil, dicente Apostolo: Omnia possum in eo qui me confortat. Adhuc autem dico: Et si impleuerit quis omnem iustitiam legis, viuit quidem in ea, non tamen iustificatus est. Vnde adolescenti Dominus sic respondit, dicens: Hæc fac & viues. Non dixit, & iustus eris, quoniam lex abstinentiam mandat malorum, vtputa non occides, & cætera. Non iustitiæ opus iniungit, sicut gratia, vt non irascaris sine causa, nec concupiscas. Qui autem abstinet se à malis, innocens quidem est: iustus autem non est, nisi & iustitiæ opus impleuerit. Non quidem morietur, tamen nec gloriam habebit. Propterea dicebat Apostolus: Qui erat filius Abrahæ, qui conuersatus fuerat in lege sine reprehensione. Nos inquit, Iudæi, & non de gentibus peccatores, scientes quia in lege nemo iustificatur, credimus Iesum Christum, vt ex fide Christi iustificemur. Omnis autem qui contendit iustitiam facere, & non iustificatur, laborat in opere, quia fructu laboris sui non fruitur: qui autem & contendit, & iustificatur, non laborat, sed delectatur in opere suo, quia operis sui fruitur fructu. Deinde quis nescit, quia minor est iustitia legis, quàm gratiæ? Vtputa, non occides, non adulterabis: hoc facilius est, quàm non irasci, aut non concupiscere. Ab hoc enim multi se abstinent, etiam qui non timent Deum. Ab ira autem vel concupiscentia vix etiam spirituales viri: tamen difficilior & onerosior inuenitur lex, quia opera quærit, non voluntatem. Iustitia autem gratię licet maior sit, tamen facilior inuenitur, quia voluntatem non opera quærit: Vtputa si quis non iratus, sed propter disciplinam palmam alicui dederit, & euentu occiderit, sicut fieri solet, quantùm ad gratiam innocens est, quia voluntatem, non opus requirit: quantùm autem ad legem reus est, quia opera quærit. Item si in persecutione prostituta fuerit virgo, in lege quasi non virgo iam repellitur, quia opus aspicit, non voluntatem. In gratia autem quasi virgo suscipitur, quia non opera quærit, sed voluntatem. Vides quia iniusta est lex, & onerosa? Ideo homines de sub pondere Iudaicæ legis hortatur Christus exire, & ad delectabilem gratiam peruenire, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerasti estis, & ego reficiam vos.* id est, repausabo. Et vide quomodo dicit, qui laboratis. Quis est qui laborat? Qui festinat adimplere iustitiam, & non prævalet. Qui autem non vult facere iustitiam, ille non laborat sub pondere legis: Vtputa si ante te videris aliquem ponderis fascem: siquidem contendisti eum tollere super te, & non potes, laboras: si autem nec tentas, nullum sentis laborem de pondere. Ergo non illos vocabat Christus ad se, qui omnino non concupiscebant facere iustitiam, sed qui festinabant, & qui laborabant, & prævalere non poterant. Adhuc etiam sermonibus istis etiam Christianos peccatorum pondere prægrauatos, ad requiem pœnitentiæ vocat. Putas quod peccatores istius mundi non laborant? Verè enim maiores labores & solicitudines habent, quàm serui Dei, dicente propheta: Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt. Item ex persona peccatorum pœnitentiam agentium dicit Salomon: Ergo errauimus à via veritatis, & lumen iustitiæ non luxit nobis, & sol non ortus est nobis: lassati sumus in iniquitatis via & perditionis, ambulauimus solitudines desertas, difficiles autem vias Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia nostra, aut quid diuitiarum iactatio contulit nobis? Tran-

Sup.5.
Phil.4. Gala.3.
Luc.10.
Phil.3. Gal.2.
Exo.20.
Psal.13.
Sap.5.

sierunt omnia illa tanquam vmbra. Ergo laborāt multum, & conteruntur in sæculo, sed laborem non sentiunt: Spiritus enim qui seducit eos, ipse delectat in malo. Sicut enim qui suscipiunt iugum Christi, Christus eos delectat in spiritu, ne fatigentur in bonis operibus: sic & qui iugum suscipiunt diaboli, diabolus eos delectat & decipit, ne discedāt à malo impij vsque ad mortem suam. Ideo dicit Christus: *Iugū enim meum suaue est & onus meum leue.* Nam etsi corpore non grauantur peccatores, nec laborant, animæ tamen eorum grauatæ sunt, & laborant, dicente propheta de onere peccatorum: Quoniam iniquitates meæ superposuerunt caput meum, sicut onus graue grauatæ sunt super me. Et iterum Zacharias iniquitatem super talentum plumbi sedere conscribit. *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* O gratissimum pondus, quod magis confortat portantes. Nam pōdus terrestrium dominorum atterit paulatim ministrantium vires: pondus autem Christi magis adiuuat baiulātem, quia non nos portamus gratiam, sed gratia nos. Nec nos ad auxilium gratiæ dati sumus, sed gratia magis ad nostrum. *Iugū enim meum suaue est, & onus meum leue.* Suscipite iugum meum: & à me discite: ideò, ex ipso iugo meo, quia suaue est, & ex ipso onere meo, quia leue est, experimentum accipite, quia mitis sum, & humilis corde. Consequenter & propheta dicit de Christo: Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. Inexpertis enim grauis est iustitia Christi, expertis autem suauis est. Ergo lex immitis fuit, quia quicquid mandauit, in ira sua mandauit post idolum fabricatum, non vt saluet, sed vt puniat eos secundùm duritiam cordis eorum. Christus autem mitis est, quoniam quicquid mandat, propter misericordiam suam mandat, non vt puniat, sed vt saluet. Item lex superba est. Vetat enim omnem hominem accedere ad sancta, præter pontificem. Item mulieres menstruatas, vel vitium in fluxu seminis, vetat intrare in tēplum. Luscum, vel leprosum, vel aliquo membro debilem, vetat sacerdotio fungi. Vides quomodo superba est lex? Christus autem humilis, qui nihil aliud quærit, nisi fidem integram, & conscientiam mundam. *Et inuenietis,* inquit, *requiem animabus vestris.* Non dixit, inuenietis requiem, & tacuit: sed addidit, animabus vestris: quoniam mandata Christi in hoc sæculo animarum requies sunt, non corporum: quoniam etsi laborant & tristantur in corpore, animæ eorum requiescunt, & gaudent in spiritu, & in spe. Ideo alibi dicit: Hæc autem locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis, in hoc autem mundo tribulationes.

Psal.37.
Zach.5.
Psal.33.
Leu.16. Ibid.12.& seq.
Ioan.16.

HOMILIA XXIX. EX CAP. XII.

Deest initium duodecimi capitis.

TVNC *oblatus est Iesu dæmonium habens, cæcus & mutus, &c.* Tunc quid est? quando egressus est de synagoga (in mysterio contempsit synagogam Iudæorum) tunc oblatus est ei in vno homine totus mundus, cæcus & mutus, qui neque videbat, neque loquebatur: id est, qui neque cognoscebat factorem suum, neque gratias illi agebat, vt quod visibiliter in vno homine agebatur, hoc inuisibiliter fieri intelligeretur in omnibus. Nam verè nisi Iudæam Dominus reliquisset, adhuc omnes gentes in potestate diaboli cæci & muti manerent. Legimus in scripturis & derelictam Iudæam, & non derelictam. Derelictam quidem, sicut Esaias dicit: Et derelinquetur filia Sion, sicut vmbraculum in vinea. Non derelictam autem, sicut Dauid dicit: Quia non repellet Dominus plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet. Hanc quæ-

Esa.1.
Psal.93.& 94.
Rom.9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stionem soluit nobis Apostolus, dicens: Non excidit A verbum Dei. Non omnes qui sunt ex Israël, hi sunt Israëlitæ: neque qui sunt semen Abrahæ, omnes filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen. Ergo non qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui filij promissionis, æstimantur semen. Vides ergo quia illa Iudæa derelicta est, quæ secundùm carnem erat Iudæa: quæ autem secundùm spiritum fuit Iudæa, non solùm derelicta non est, sed magis electa est. Nam sicut in homine duplex est homo: est enim homo exterior carnalis & corrumpendus, & est homo spiritualis incorruptibilis. Et sicut in lege duplex est circuncisio, à foris quidem carnalis, & rescindenda: ab intus autem & spiritualis, & adimplenda. Vtputa hoc reciſum est in lege, quod erat à foris membrum: illud autem quod fuit ab intus, vt circuncideretur cor, non est reciſum. Sic & in Iudæa, duplex est Iudæa. Et à foris quidem Iudæa videtur, qui ex carne Abrahæ nati sunt. Ergo populus in populo erat clausus. Ideo & Dominus ingressus synagogam, id est, quasi in populum, saluauit virum spiritualis populi Iudaici figuram habentem. Et ingressus in populum, vt de medio populi populum liberaret, id est, de synagoga. Populus enim ille spiritualis manum habebat aridam, id est, boni homines, qui erant inter Iudæos, aridas manus habebant sub lege contractas, quia opera iustitiæ facere non poterant. Rom.3. Quia ex operibus legis nemo iustificatur. Vtputa amicum diligere secundum legem, & ei benefacere, non est hoc benefacere, sed malè nō facere. Non enim omnino malè non facere, iustitiam facere est. Itaque sanauit manus iustorum Christus per gratiam, vt non solùm amicos, sed etiam inimicos ament, bene omnibus facientes. Vides quia laxata est manus eorum, quasi accipiens gratiæ netuos? Ideo autem prius arida manus sanata est, postea illuminatus cæcus, quia per opera iustitiæ venitur ad perfectam cognitionem Dei. Nisi enim quis secundùm Deum cœperit ambulare, vel conuersari, nunquam potest Deum perfectè cognoscere. C bona enim conuersatio ad cognoscendum Deum aperit oculos mentis. Per verbum enim quasi modicus gustus Dei datur hominibus, per conuersationem autem bonam venitur ad perfectam fidem. Vnde scriptum est: Matt.5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et ne aliquis putet, quia sufficiat homini fideli cognoscere Deum, sed necessarium est & confiteri Deum, ideo cæcum & mutum sanauit: oculos ad cognoscendum Deum, os ad confitendum Deum. Qui ergo cognoscit, & non confitetur: ille etsi oculos mentis habeat curatos, tamen adhuc mutus est. Qui ergo videns non videt Deum, id est, cognoscens non cognoscit Deum, cæcus est, quia non facit præcepta Dei. Et qui loquens non loquitur Deum, mutus est, quia loquens non loquitur Dei laudem, aut gratiam: sed si quidem ea quę diabolus iussit, ille etsi loquatur & videat. quantum tamen ad Deum mutus & cæcus est. Non enim ille videt Deum qui scit Deum, sed qui timet & diligit Deum. Qui au- D tem timet & nō diligit, nomen Dei cognoscit, non potestatem. Et qui orat & psallit, & non facit quæ laudat, ille corpore loquitur, animo autem tacet. *Stupebant autem turbæ, dicētes: Nunquid hic est filius Dauid?* Quàm propriè dixit, stupebant: quia ipsum nondum sciebant. Nemo enim potest verè iudicare de opere aliquo, nisi personam operātis cognouerit quis est: Vtputa si magnum opus facit discipulus alicuius artificis, miramur, quia discipulus alicuius constitutus tale opus potuit consummare. Si autem fecerit illud ipse magister, non satis miramur. Quod enim magnum est, vt exercitatissimus magister faciat opus magnum? Ita & Deus qualecunque opus fecerit, minus est quàm potestas ipsius. Ideo faciens filius Dei miraculum, non stuporem debuit excitare, sed fidem. Vis scire quia eum non cognouerunt, ideo stupebant, audi quid dicunt: Nūquid hic est filius Dauid? Si enim cognouissent eum, nunquam dicerent, Hic est filius Dauid: sed dicerent, Hic est filius Dei. *Pharisæi autem audientes, dixerunt: Hic non eiicit dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Videamus: Dixerunt hoc Pharisæi, aut cogitauerunt? Causa autem quæstionis ex eo est, quoniam hic quidem dicit: Pharisęi autem audientes, dixerunt. In sequenti autē dicitur ita, Sciens Iesus cogitationes eorum: & non dixit, audiens dicta eorum. Quid ergo est? forsitan quidam dixerunt, sed ex mala cogitatione dixerunt. Frequenter enim dicunt homines de aliquo quod non est verum, non autem dicunt ex mala cogitatione, vt derogent ei, sed dicunt nescientes rei veritatem. Hi autem Pharisæi ex mala cogitatione dixerunt falsum de Christo, non ignorantes rei veritatem, sed vt derogatoriis sermonibus istis B populum à fide Christi auerterent. Videbant enim turbam stupentem, ac dicentem: Nónne hic est filius Dauid? Quæ verba appropinquantium erant ad fidem. Ideo Pharisęi excitati in zelo, ne viso miraculo eius crederent in eum, dixerunt: Quid stupore nimio mouemini ô viri, quid superflua dicitis verba, putantes ne filius sit Dauid? Nos manifestè cognoscimus, quoniam hic non eiicit dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. Quoniam ergo ita dixerunt, non ignorantes rei veritatem: sciebant enim quod spiritus satanæ non huiusmodi miraculum operatur: sed ex mala cogitatione, & ex inuido proposito, vt auerterent populum à fide Christi. Ideo dicitur, *Sciens autem Iesus cogitationes eorum, dixit eis.* Aut certè sicut simpliciter sermo demonstrat, hęc Pharisæi non dixerunt, sed cogitauerunt. Mala autem eorum cùm essent abscondita, quid nocere poterant gloriæ Christi? nihil. Qui enim malum cogitat, se perdit, alterum non grauat. Sed vide misericordiam Christi. Si illi hoc apertè dixissent, & iste è contra respondisset: diceremus forsitan, quia ideo contra verba illorum respondit, vt confunderet malitiam eorum. Nunc autem manifestum est, quia ideo respondit, non vt confunderet malitiam eorum, sed vt sanaret vulneratam conscientiam ipsorum, vt videntes cogitationes suas in verbis eius, vel sic intelligant, quia non est homo, qui corda cognoscit. Tāquam si ita dicat ad eos: Puta quia dæmonia cum potuit sanare Beelzebub, nunquid potest Beelzebub occulta cordis aspicere? *Omne regnum aduersum se diuisum, desolabitur.* Aliud est impossibile, aliud falsum. Impossibile est, quod fieri non potest. falsum autem, quod fieri quidem potest, factum autem non est. Quod ergo Iudęi aduersus Christum dicebant, possibile quidem erat, verum autem non erat. Quomodo non erat verum? Quia Christus quidem in Beelzebub non eiecerat dæmonia: fieri autem poterat, vt in spiritu diaboli dæmones expellerentur. Nunquid Pharisæi homines docti in malo, hoc aduersus Dominum blasphemassent, nisi cognouissent fieri posse? Nam falsum quidem dicere, hominum est malignorum: quia falsa res si bene continuata fuerit, vera & credibilis æstimatur. Rem autem impossibilem dicere, insensatorum hominum est, non malorum: quia quod impossibile est, defensione nō indiget, quia impossibilitas rei seipsam defendit. Quòd dæmones diximus à Beelzebub posse expelli, quantum ad primam faciem diximus posse, secundùm quod multi seductores videntur expellere: reuera autem impossibile est, vt in Beelzebub dæmones expellantur: quia expellens dæmonem, non propter odium ipsius dęmonis, neque propter salutem hominis ipsius eiicit eum, sed vt viden-

vt videntes perdat deceptos, quicunque crediderint A fideres. Omne enim malum voluit Deus posse latere ei vel ministris eius, quod possit eiicere dæmones. Nam eiiciens eum, non eiicit eum, sed concludit cum eo, vt inter præcipientem dæmonem, & alterum obedientem seducantur videntes. Ideo & Dominus sciens quia in schemate eiiciuntur, non in veritate: non ad schema, sed ad ipsam veritatem respondit, dicens: *Omne regnum in seipsum diuisum, desolabitur.* Id est, sicut nō potest fieri, vt quis se persequatur: sic non est possibile, vt diabolus diabolum eiiciat. Regnū diaboli est omne malum, regnum autem Dei omne bonum. Ergo diabolus rex mali: si bonum faciat, ipse destruet regnū suum, quia aduersus se agit. Sicut enim malum aduersus bonum contrarium est & nociuum, sic bonum aduersus malum contrarium est & nociuum. Eiiciens itaque diabolus diabolum, deluforiè nō bonum facit, sed malum, id est, non aduersus se agit, sed pro se: quia non eiiciendorum dæmonum gratia eiicit dæmones, sed seducendorum hominum causa. Nam expedit & ipsis dæmoni- B bus obaudire sibi inuicem in schemate, & exire de corpore. Melius est enim ei exire de corpore, & animam occupare: vnum dimittere, & plurimos possidere. Quia si non exierit de corpore, corpus hominis tantummodo possidet, anima autem vexati hominis innocens vadit ad Deum. Si autem de corpore exierit, quantos homines seducere potuerit, tantorum animas perdit. Deinde dic mihi, si soli serui Dei possunt dæmonia eiicere, an etiam ministri diaboli? Et si dixeris, soli serui Dei, quantum ad rem quidem verum dicis: quantum autem ad speciem & illi eiiciunt, sicut testatur Dominus in euangelio. Sup.7. Nam cùm dixisset, Attendite vobis à falsis prophetis: postmodum addidit, Multi dicent mihi in illa die, Domine, nos in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus. Tunc iurabo illis, quia nescio qui estis. Si ergo serui Dei tantummodo eiecerunt dęmonia, iustè seducebaris, vt quemcumque videris dæmonia expellentem, existimes eum sanC ctum: nunc autem cùm legas & ministros diaboli eadem facientes, qua ratione seduceris, vt quemcunque videris dæmonia expellentem, existimes eum sanctum? Nam eiicere dæmones commune est opus inter ministros Dei, & ministros diaboli: veritatem autem confiteri, & iustitiam facere, priuatum opus est tantummodo sanctorum. Ideo quem videris dæmonia eiicientem, si non est confessio veritatis in ore eius, nec iustitia in manibus eius, non est homo Dei. Si autem videris veritatem confitentem, & iustitiam facientem, etsi dæmonia non eiicit, homo Dei est. Ecce si tu & vicinus tuus habeatis simile signum vnusquisque in equo suo, & perierunt ambo, & inuentus fuerit vnus ex eis, nunquid curris, & dicis: Meus est equus, quia hoc signum habet? Dicit enim tibi vicinus. Et meus equus hoc signum habuit. Quid ergo? Necesse habes aliud signum priuatum ostendere, quod vicinus tuus non habet in suo. Si ergo in cognoscendis animalibus sic sapis, quo- D modo in cognoscēdis seruis Dei sic non intelligis? Sed per illud signum vis cognoscere seruos Dei, quod habent & serui diaboli: cum magis deberes aspicere, quod habent soli serui Dei. Sed dicis: Vt quid talem potestatem Deus diabolo dedit ad seductionem humanam? Si enim ille seductionis potestatem non accepisset, tu probationis mercedem habere non poteras. Nisi enim infideles relicti fuerint, non eliguntur fideles. Nisi aliquorum facta fuerit refutatio, aliorum non potest fieri electio. Omnis enim seductio non potest esse seductio, nisi habuerit boni colorem, per quod videatur bonum esse quod malum est: & tunc non tantum speciem primam rerum bonarum aspicias, sed causam rerum con-

sub colore boni, & omne bonum voluit esse sub caligine obscuritatis, vt tu nec bonum sine labore inuenias, nec malum sine labore euites: negligens autem nec bonum inueniat, nec malum euadat. Omnia Deus posuit in labore, vt in omni re mercedem præparet, sicut ait Salomon: Quoniam Deus distensionem ma- Eccl.3. gnam dedit hominibus, vt distendantur in ea. Et Iob: Omnis vita nostra tentatio est. Aliud testimonium dat, Iob.7. quia non in Beelzebub eiicit dæmonia. *Si ergo*, inquit, *ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt?* Filios eorum Apostolos dicit, qui erāt ex illis, quos superius misit ad prædicandum, dans illis potestatem spirituum immundorum, vt eiicerent eos. Qui credentes, Sup. 10. dixerunt: Domine, in nomine tuo etiam dæmonia nobis subiecta sunt. Id est, interrogate filios vestros, in quo eiiciunt dæmonia. Si illi in nomine meo eiiciunt dæmonia, dicētes, In nomine Iesu Christi præcipio tibi exire ab illo: verum est, quia non ego in Beelzebub eiicio dæmonia. Nam quia qui talis est homo, vt in Beelzebub eiiciat dæmonia, nomen eius non potest sic honorificatum esse, sic terribile, vt in homine eius etiam ab aliis dæmonia expellantur. *Ideo ipsi iudices vestri erūt.* Quando? Cùm sederint super duodecim thronos, iu- Infr.19. dicantes duodecim tribus Israël. Tunc sine dubio dicetis in iudicio meo: Ideo tibi non credidimus dæmonia expellenti, quia putauimus te in Beelzebub eiicere dæmonia. Respondebunt contra vos filij vestri, & dicent: Si considerassetis nos, quia in illius nomine dæmonia expellebamus: & intelligere poteratis, quia ille non habuit spiritum Beelzebub, in cuius nomine tanta erat virtutis potestas. *Si autē in spiritu Dei eiicio dæmonia: appropinquabit in vos regnum Dei.* Regnū Dei, scipsum dicit. Sed ideo quasi de altera re dicebat, quia infidelibus loquebatur, ne fortè & alteram occasionem iactantiæ inuenientes in Christo, quem non cognoscebant, additamentum facerent blasphemiæ. Hoc ergo videtur dicere: Si ego in spiritu Dei eiicio dæmonia, regnum Dei appropinquat in vobis: si autem in spiritu Beelzebub eiicio dæmonia, regnum Beelzebub appropinquat in vobis. Corrige sermonem, & manifestius declarabitur mysterium verbi Dei. Id est, si regnum Dei appropinquat, in Spiritu sancto eiiciuntur dæmonia, & virtutes multæ fiunt: quando autem appropinquat regnum Antichristi, in spiritu diaboli eiiciuntur dæmonia, & virtutes multæ fiunt. Illud ergo quod dixit Christus: Si ego in spiritu Dei eiicio dęmonia: appropinquat in vos regnum Dei, ad consolationem illorum hominum pertinet, qui tunc fuerunt. Hoc autem quid significat, quod iactando regnum Antichristi appropinquat? in spiritu Antichristi eiiciuntur dæmonia. Ad nostram admonitionem pertinet, vt sciamus quia sicut in aduentu Christi ante illum prophetæ & cum illo Apostoli in Spiritu sancto faciebant virtutes: sic & in aduentu Antichristi pseudochristiani, & ante illum, & cum illo in spiritu maligno facient virtutes. Qualis enim res mota fuerit, talis odor procedit. Accenso enim thymiamate, suauis flagratio exit: commoto autem stercore, putredo grauis prodit. Ante lucem aurora exit, ante noctem obscuritas. Quidam autem hoc sub alio intellectu interpretantur. Id est, si ego, inquit, in spiritu Dei eiicio dæmonia, sicut & est verum, vos autem dicitis me in spiritu Beezebub eiicere dæmonia, rei estis iudicij. Propter quòd appropinquat in vos regnum Dei iustum, vt secundùm blasphemias vestras iudicemini. *Quomodo potest quis intrare in domū eius, qui fortis est, & vasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem?* Hucusque ostēdit quo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo intelligeretur, si vellent: quia non in spiritu Beelzebub, sed in spiritu Dei dæmonia expellebat. Primùm quia satanas satanam non expellit, ne ipse sibi aduersarius sit, destruens proprium regnum: sed Dei spiritus est, qui dæmones expellit. Deinde, si ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt? Id est, nunquid non in me, aut in meo nomine? Si enim filij vestri in nomine meo expellunt: multò magis possum ego in nomine meo expellere. Et quod habet opus in spiritu Beelzebub, nunc dat rationem quare dæmones expellantur, vt expulsis eis omnes credant in Christum, id est, quia alligatus est à me malitiæ princeps. Nec enim potest quis fortis vasa diripere, nisi prius alligauerit fortem. Quomodo enim poterant homines ad libertatem intellectus sui venire, & ad Deum conuerti, nisi prius alligatus fuisset, qui mentes hominum erroribus occupatas tenebat? Et hoc ergo intelligimus, quia quos eiiciebat dæmones visibiliter, inuisibiliter alligabat. Quomodo, aut vbi, B nec hominis est posse exponere, nec intelligere. Sed non tantos visibiliter eiiciebat, quantos inuisibiliter alligabat. Eiiciebat enim paucos, alligabat autem omnes, vt per paucos eiectos visibiliter ostenderet: quia sic omnes spiritus inuisibiliter de sensibus hominum credentium expellebat, & quasi de magna multitudine eiectorum dæmonum, modicam probationem ostendebat in paucis. Et cùm multos eiiciebat dæmones, quomodo vnum alligare se promittit? Sed dicit principem omnium, de cuius virtute omnes dæmones valent, id est, potestatem habent. Nam sicut satana dominante omnes dæmones erant fortes: sic eo alligato, omnes sunt impediti. Nam omnes de illius veneno malitiæ virtutem accipiunt, & sunt vnum in eo. Fortem autem dicit aduersarium nostrum, quantum ad nostram infirmitatem, non quantum ad suam virtutem. Deinde fortem dicit, non vt nos terreat: sed vt magis nos faciat esse solicitos. nec enim hostem debent timere fortem, qui habent principem fortiorem, sed vt vigilemus & laboremus, vt ne in fiducia principis fortioris contemnamus aduersarium fortem. Nam si contendimus contra eum, manifestum est, quia fortiores illo sumus: si autem negligimus, ille fortior inuenitur. Nam quamuis sit infirmus, tamen fortior est homine negligenti. Fortem enim diabolum nostra negligentia facit, non illius potentia. Vide deinde quomodo sapienter, postquam dixit fortem, postea ostendit ligatum, vt si te audita fortitudo terruerit, ligatio eius nunciata confortet. Iam quali opprobrio dignus est, magis autem tormento, qui aduersarium suum ligatum non vincit? Vis scire quia ligatus est aduersarius tuus? Considera naturam carnis & spiritus, & intelliges. Quomodo poteras homo carnalis spiritum vincere, nisi eum Dominus alligasset? Alligauit eum, vt nos eum conculcemus: illum humiliauit propter malitiam eius, nos autem exaltauit D super eum propter misericordiam suam: vt & ille victus amplius confundatur, quia spiritus constitutus, à carnalibus conculcatus est: & nos vincentes eum amplius glorificemur, quàm victores: quia carnales constituti, spiritum vincimus. Ergo labor eius & fortitudo ligatus est, nostra autem tantummodo sine labore victoria. Qui enim solutum ligare potuit, nunquid non poterat soluto eo vasa eius diripere? Poterat quidem, sed non per iustitiam, sed per potestatem. Si enim per vocationem solam vellet vasa eius diripere, solutus diabolus iterum reduceret ad se. Item si per potentiam diriperet, diceret aduersus Christum diabolus: Siquidem ad virtutem, tu fortior es quàm ego: si A autem ad amorem, ego amabilior quàm tu. Si ergo vis illos tollere, potes: si autem dimittis eos in suo arbitrio, potius me sequuntur quàm te. Nam diabolus quidem facere iustitiam non acquiescit, obiicere autem scit. Quales sunt omnes, in quibus diabolus est. In seruis enim Dei etiam leues arguunt culpas, in se autem nec crimina recognoscunt. Propterea ipsum quidem ligauit, vasa autem eius & diripuit, & dimisit ea in domo eius. Diripuit quidem, ex eo quòd traxit ea ad notitiam veritatis: dimisit autem ea in mundo, quia sub seductione mundi istius esse nos voluit. Tanquam si ita dicat ad diabolum: Ecce alligo te, ut appareant homines, qui secuti fuerint te sua voluntate, & qui coactè. Qui enim te diligunt, etiam ligatum te non dimittent: qui autem te dereliquerint ligatum, manifestum est quia non sua voluntate fuerunt apud te, sed coactè. Ergo non interficio te, neque expello de mundo, ne fortè in voluntate non habeant quem sequantur, sed alligo te, B ne nolentibus violentiam facias. Ergo manifestum est, quòd qui modò diabolum sequitur, non cogitur à diabolo: ligatus est enim, sed ipse diligit diabolum. Si enim solutus esset diabolus, nullus homo ei resistere poterat, aut pauci, sicut nec anteà restiterunt, nisi pauci electi. Nunc autem cùm videas quosdam quidem homines sequentes eum, quosdam autem recedentes ab eo, intelligere debes, quia non est virtus cogentis diaboli, sed voluntas sequentium hominum. Si autem dicis, quia fortis est diabolus, & non prævaleo contra eum: stat aduersum te scriptura hæc, dicit quia mentiris, quoniam ligatus est aduersarius tuus. Ligatus est enim. Malum quidem consilium suadere potest, cogere autem non potest. Quæ est domus illius? Mundus iste. Et vasa illius? peccatores & infideles, habitantes in eo. Audiens ergo mundum domum esse diaboli, fuge mundum, ne diutius habitans in domo diaboli, iterum fiat seruus ipsius. Sicut enim in domo C Dei malum non est, ita in domo diaboli non inuenitur bonum. Nam sicut Deus in domo sua non vult videre malum, sustinere autem videtur pro tempore malum: non quia delectatur in malo, sed vt conuertat eum ad bonum: sic & diabolus in domo sua non vult videre bonum, sustinere verò videtur bonum: non quia delectatur in bono, sed vt suadeat eum in malum. Et Deus quidem per suam beneuolentiam vocat malum ad bonum, vt non necessitate, sed voluntate corrigatur ad bonum. Diabolus autem per suam violentiam persequitur bonum, vt etsi non voluntate, vel ex necessitate cogatur ad malum. Fuge autem mundum, conuersatione, non corpore. Nam & ipse mundus non natura diaboli est, sed corruptione. Nec ab initio fecit hunc mundum diabolus, sed Deus: postea corruptione factus est diaboli. Ergo mundus quidem ipse, Dei est: corruptio autem mundi, diaboli est. Si ergo de mala conuersatione recesseris, etsi corpore sis in mundo, recessisse videris de mundo diaboli, & esse in mundo. Nunc quòd viuimus, in Dei mundo viuimus: quòd autem peccamus, in diaboli mundo peccamus. Fuge ergo de mundo, id est de voluptatibus mundi, ne fortè diutius viuens in possessione operum eius, fias proprius seruus ipsius. Sicut ingenuus homo si diutius in possessione vel domo potentis alicuius & violenti fuerit commoratus per possessionem longi temporis vsucapit eum in seruitute: sic & homo si diutius fuerit in possessione diaboli, vsu longi temporis vendicat sibi dominum super eum, ita vt nemo se possit à dominatione diaboli liberare, nisi sola potentia Dei. *Qui non est mecum, aduersum me est.* Diaboli voluntas quæ est? rerum malarum. Mea autem quæ

Mundus dei, & mundus diaboli.

est? rerum bonarum. Vide ergo, quia cùm non sim cum A diabolo, aduersus diabolum sum. Sicut enim bonum non est cum malo, sed semper aduersus malum: sic non sunt secum, sed aduersus se, quibus & voluntas contraria est, & opus. Ille prædicat fornicationem, ego castitatem. Et ideo repellit ille castos, & congregat lasciuos: ego autem repello lasciuos, & congrego castos: ille docet discordiam, ego pacem: ille seditionarios congregat & turbatos, ego autem vnanimes & mansuetos. vide ergo quia non congrego cum illo, sed dispergo. Minus dicit, vt amplius significet. Si enim qui mecum non est, aduersum me est: quantò magis qui aduersum me est, mecum non est? Mecum non est, quia non facit ea quæ ego. Aduersum me est, quia contraria facit: Vtputa, ædifico, si quis non adiuuat, etiam si non destruat, mecum non est, sed aduersus me: quia cùm possit adiuuare, non adiuuat. Si hæc specialiter destruit, quantò magis aduersum me est? Sic & diabolo mala volente vel faciente, & si bona non prædicarem: non B eram cum illo, quia non prædico mala quæ vult ille. Cùm autem è contrario bona prædicem, quantò magis non sum cum illo, sed aduersus illum? Audiant regulam Christiani, qui putant hæreticos Christianos esse, quia sic credunt quomodo nos: tamen quia non sunt nobiscum, aduersus nos sunt. Et quia non congregant nobiscum, spargunt. Si ergo quia non sunt nobiscum, aduersum nos sunt, & quia non congregant nobiscum, spargere videntur: quantò magis qui & voluntate, & verbis, & actibus contra nos sunt, non sunt nobiscum? Et qui manifestè spargunt, non videntur congregare nobiscum.

HOMILIA XXX. EX CAP. XII.

IN illo tempore, accesserunt ad Iesum Scribæ & Pharisæi dicētes. Magister, volumus à te signum videre. Et reliqua. Curato dæmoniaco, quidam adstantium Iudæorum blasphe- C mauerunt eum, dicentes: Hic non eiicit

Sup. 12.

dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. Alij autem tentantes eum, dixerunt: Magister, volumus à à te signum videre de cœlo. Diuersæ quidem species, peruersitas autem omnium vna. Nam sicut opera filij Dei diabolo applicare, blasphemare est filium Dei, vel Spiritum sanctum: sic signum diuinitatis eius petere à filio Dei, iniuriam est facere filio Dei: quoniam nihil est aliud signum diuinitatis eius petere ab eo, nisi non credere verbis eius, quasi falsa dicentis de se, nisi signorum ostenderit probamenta. Quoniam autem curato dæmoniaco, Iudæi Dei virtutem ad diaboli potentiam non porrexerunt, & non ædificati miraculo, sed destructi inuidia, pro gloria blasphemiam obtulerunt Domino, dicentes: Hic non eiicit dæmonia, nisi in Beelzebub. Dixit eis Dominus: Omne peccatum remittitur, spiritus autem blasphemiæ non remittitur. Quod audientes quidem Iudæi, non quidem timentes, sed ti- D mere se fingentes, neque veritatem de Christo quærentes, sed malitiam suam sub colore ignorantiæ abscondere cupientes, interrogauerunt eum: Magister, volumus à te signum videre, ideſt, quia blasphemia irremediabile peccatum est: sed etsi blasphemamus, ideo blasphemamus, quia te filium Dei ignoramus. Ideo opera tua diabolo applicamus, quia Spiritum sanctum in te esse nescimus. Si ergo tu es filius Dei, ostende nobis signum, & adorabimus te, & iam non blasphemabimus. Vt autem scias, quod volumus à te discere veritatem, ecce etiam magistrum te appellamus. O malitia, quomodo sapere nescit? Dum volunt malitiam suam abscondere, magis eam manifestant. Nam cùm multa signa vidissent, tanquam si nullum vidissent, ita signum petebant. Verè enim nullum viderunt, quia corporali aspectu viderunt, non spirituali affectu. Nam mens sine oculis videt aliquando, oculi autem sine mente nunquam viderunt. Similis est natura infidelitatis terræ arenosæ, quæ quanuis pluuiam susceperit, tamen quia nullos in se tenet humores, semper adhuc aret. Talis est conditio febrium. Quantumuis biberint febricitantes, calore totum consummante quod biberint, semper adhuc sitiunt. Sic & maligni homines, quicquid boni viderint, aut audierint, infidelitate totum consummante quod vident, aut audiunt: semper vacui sunt, tanquam qui nihil viderint, aut audierint. Ecce si quis exponat tibi res quas non libenter audis, si tota die audieris, nihil eorum retines quæ audisti. Aut ambulans in via, si mens tua aliquo cogitatu fuerit occupata, quanuis omnes videas transeuntes, tamen neminem vides. Sic & Iudæi frequenter signa videntes, adhuc signum petebant, quia hoc videbant, quod videre nolebant. Nam sicut semper discere, signum est nihil posse proficere: sic signum semper petere, testimonium est nunquam velle credere. *Iesus autem respondens ait illis: Generatio mala & adultera signum quærit.* Esaias dicit: O quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis Sion. Esa. 1.
Anima autem hominis fidelis, sponsa est Christi: quæ autem infidelis est, meretrix est. In Osee dicit: Sponsabo te in fide, & cognosces Deum. Item, Filij in quibus non est fides in illis, ipsi in zelum compulerunt me in non Deum, & ego in zelum expellam eos in non gentem. Sicut meretrix vxor virum suum se fingit amare, verè autem amat adulterum, & in facie istius quidem est, in corde autem alterius: sic & Iudæi videbantur esse Dei cultores, erant autem diaboli amatores. Ideo malam & adulteram generationem eos appellat. Mala quidem erat, propter opera eorum mala: adultera autem, quia relicto viro qui est verus Deus, idolis subdebantur. Signum vultis videre? Vbi eratis quando dæ- Osee 2.
mones castigati à me, non flagello, sed verbo, clamabant: Quid nobis & tibi Iesu Nazarene, venisti ante tempus torquere nos? Scimus te, quia es filius Dei. Dæmones virtutē meam senserunt, & vos quomodo signū operum meorum non aspexistis? Vbi eratis quando cæci secus viam sedentes clamabant, Iesu fili Dauid, miserere nobis, vt videamus? Tu es virga florens de radice Iesse, & flos de radice eius ascendens, & super te requieseent septem spiritus Dei. Septem spiritus Beelzebub adorant, & fugiunt à te. Cæci me non videntes viderunt, & vos videntes me, non vidistis? Percurre si vis & cætera mirabilia eius. *Et signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ.* Quod est signum Ionæ? Scandalū Crucis. Ionæ. 2.
Vt non discussores rationis saluentur, sed creditores doctrinæ. Quia crux Christi discutientibus quidem rationem, scandalum est, credentibus autem salus: cuius• expositionis testis est Paulus: Nos autem prædicamus 1. Cor. 1.
Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis verò vocatis Iudæis atque Græcis, Christum Dei virtutē & Dei sapiētiam. Quare Iudæi signa petunt, Græci sapientiam quærunt? Placuit enim Deo signum scandali Crucis, tam Iudæis, quàm Græcis gentibus prædicari, vt qui non per fidem, sed per sapientiam Christum inuenire volunt, incidentes in scandalum stultitiæ pereant. Et qui per demonstrationem signorum filium Dei cognoscere volunt, non per fidem, incidentes in scandalum mortis eius, in sua incredulitate permaneant. Nihil mirum, si Iudæi considerantes mortem Christi, hominem illum putauerūt, quando & Christiani, vt sibi videntur, & non sunt, propter eius mortem, vnigenitam maiestatem crucifi-

Sup. 8. & Luc. 8.

Inf. 20. & Luc. 18. Esa. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

zam timent cõfiteri. Quos interrogamus, vbi est scandalum crucis in Christo? Quis nos scandalizat, si purus homo mortuus prædicetur? Sic ergo infideles intelligendo pereunt, si Deus fuit, non potuit mori: si autem potuit mori, non fuit Deus. Fideles autem sic intelligendo saluantur, quia Christus non incidit in mortem propter infirmitatem naturæ, qua homo: sed ipse traxit in se mortẽ propter potẽtiam, quasi Deus: vt non absorbeatur à morte, sed vt ipse absorberet mortem. Ergo non Christum mortuum in cruce credimus, sed mortem mortuam in Christo, sicut scriptum est quia destruxit quidem mortem, illuminauit autem vitam.
2. Tim. 1. Nam sicut propter mortem homo visus est, sic propter destructionem mortis Deus apparuit. Ergo infideles mortem Christi considerantes, scandalizantur, immortalitatis beneficium perdũt: fideles autem resurrectionem eius intelligẽtes damnationem mortis effugiunt. *Sicut fuit Ionas triduo in vẽtre ceti, sic erit filius hominis in corde terræ.* Vt per mysteriũ similitudinis huius, & per Christum Ionas propheta fuisse consideraretur, & per Ionam Christus Dei filius esse demõstraretur. Quid est quod dico? Nisi Christus venisset in mundum, & ea quæ dicta à prophetis fuerãt, adimplesset, non erat certum de illis quia verè prophetæ sunt. Nam & illi qui futura dicere æstimantur, non statim diuinatores putantur, sed tunc quando ea quę dicta sunt, fuerint consummata. Itaq; Christus post prophetas quidem natus est, sed antè ille prophetis beneficium præstitit, & postea ille ab illis accepit. Ideo autem Christus illos factis prophetas ostendit, quoniam illi istum in verbis filium Dei ostendunt. Nam in Syrach libro aduentum Christi sic deprecatur: Domine, in nomine tuo prophetæ prophetauerunt. Da mercedem seruis tuis, vt prophetæ tui fideles inueniantur. Nisi enim iste illos prophetas demonstrasset, Christum credere non poterant. Quomodo enim potest de alio testimoniũ dare, priusquam ipse idoneus demonstraretur? *Viri Niniuitæ surgent in iudicio.* Quia illi prophetam receperunt, isti Christum dominum illorum prophetarum repulerunt. Illi neque lege instructi, neque à prophetis, neque ab Apostolis admoniti, ad Dominum conuersi sunt, cognoscentes peccatum suum: isti tot præceptis eruditi legis & prophetarum, à Domino recesserunt. Illi qui semper fuerunt populus diaboli, intra dies tres facti sunt populus Dei: isti qui semper videbantur populus Dei, intra dies tres crucifixo Christo facti sunt populus satanæ. Et illi quidem personam ignorantes, & rem incredibilẽ audientes, & conuersionis suæ signa & virtutes quærere debuerunt ab eo, quibus & persona idonea prædicãtis, & prædicationis indubitabilis veritas monstraretur: sed nihil horum audientes, nihil videntes, sola fide saluati sunt: isti autem tot signa facientem testificãtia cœlestem naturam viderunt, & non solùm à prædicatione
Ionæ 3. eius recesserunt, sed in mortem illius conuersi sunt. Illi cum luctu & lamentatione nimia pœnitentiam agentes, peccatorum suorum indulgentiam acceperunt: isti autem nec sine pœnitentia oblatam sibi remissionem peccatorum accipere voluerunt, quia sine pœnitentia sunt donationes, & vocatio Christi. *Regina Austri surget in iudicio, & cõdemnabit generationem hanc.* Quæ cùm esset gentilis & mulier, tantam longitudinem itineris conficere propter infirmitatem sexus non est impedita. Concupiscentia enim sapientiæ, infirmitati dabat virtutem. Isti autem viri & sacerdotes, quorum proprium esse debuerat amare sapientiam, ante oculos suos & in medio gremio sapientiam positam contemperunt. Illa ad hominem cucurrit, isti à Deo recesserũt. Illa vt semel nuda verba audieret, isti quotidie diuinitatis opera ipsa videntes blasphemabant. Illa famam tantummodo de Salomone audiens cõcupiuit, isti autem veritatem de Christo videntes abierunt. Illa munera multa obtulit, vt audiret eum: isti autem nec præmia regni cœlorum accipere volunt, vt credant. Quid esset illa facturæ, si audisset mortuos resurgere, cæcos videre? Quomodo cucurrisset si etiam claudos currere vidisset? Nõ dixit illa, cui commẽdo gubernationem regalium necessitatum, ne forte dum vado, & redeo tãto spatio, aliqua contra imperium meum aduersa nascãtur. Nam paupertas semper secura est, summa autem potestas sine timore periculi nunquam est. Isti nec hoc cogitauerunt, quia dixerunt: Nescimus quidem vnde
Ioan. 9. sit ille Iesus, tamen facta illius bona sunt, & verba illius iusta. Et si natura eius ex hominibus, tamen prædicatio eius ex Deo est. Etsi non illum timemus quasi filiũ Dei, saltem diligamus illum vt hominem bonum. Etsi non est dignus vt adoretur, tamen non est meritus vt interficiatur. Siue Niniuitæ, siue regina Austri exurgentes in iudicio, quomodo condemnabũt generationem Iudæorum incredulorum? Non ipsi iudicantes eos, sed ex comprobatione sua vincunt eos. Et talia dicentes aduersus eos, qualia diximus suprà: quis fidelior est quàm Ionas, sapientior quàm Salomon? Non solùm tunc inter homines docebat, sed etiam nunc in Ecclesia quotidie docet per sanctos Euangelistas & Apostolos suos. Hæc verba non solùm tunc ad Iudæos dixit, sed etiam nunc ad omnes Christianos inobedientes similiter dicit. Quomodo viri Niniuitæ exurgent in iudicio cum inobediẽtibus Christianis, & condẽnabunt eos? Quoniam illi pœnitentiam egerunt prædicante Iona, isti à peccatis propriis non recedunt, Domino illis quotidie prædicante: Agite pœnitentiam appropinquabit regnum cœlorum. Regina Austri surget in iudicio cum Supra 5.
Christianis istis, & condemnabit eos, quia ab vltimis partibus terræ venit audire sapientiam Salomonis: & isti de domibus suis vel plateis, in quibus sedent nihil agentes, nolunt venire, & audire sapientiam Christi in Scripturis. Et quid dico de domibus suis nolũt venire? multi enim & de ecclesia ipsa in qua loquitur Christus, exeunt, & solùm relinquunt docentẽ. *Cùm autem immũdus spiritus exierit ab homine, perãbulat loca arida, quærẽs requiem, & non inuenit.* Exit autem spiritus immundus ab homine, cum per fidem baptizatus in nomine Christi desierit esse diaboli, & factus fuerit Dei. Eiectus autem spiritus ille, perambulabat homines aridos, qui nõdum pluuiam euangelicæ doctrinæ susceperunt in se, aut aquam baptismatis accipere meruerũt, & propterea aut sunt Gentiles, aut catechumeni, secundũ rationẽ quam diximus aridi. Per eos enim immundi spiritus vagantur, & plurimam dominationem habent in eis. Quanuis enim Gentilis suscepto fidei verbo, liberari tamen ab immundo spiritu non potest, nisi fuerit baptizatus in nomine Christi. Vnde exorcizamus catechumenos, qui sunt baptizandi. Non autem inuenit requiẽ sibi, quoniam necesse est, vt Gentili veniente ad fidem, & catechumeno ad baptismum, cùm aridi esse desierint, iam ab ipsis immũdus ipse spiritus expellatur. Nec mihi dicas, quia nec omnis catechumenus ad baptismum, alioquin nec ad omnem baptizatum & liberatum à spiritu immundo reuertitur spiritus immundus, nisi qui vacuus fuerit à Spiritu sancto. Nec apud Gẽtilem catechumenum inuenit requiem sibi, quia ad fidem vel baptismum venit. Cogitans ergo spiritus ille, & dicens: *Reuertar in domum meam priorem.* Et si inuenerit Gẽtilem catechumenum vacuum à Spiritu sancto, sine dubio prævalebit reuerti in eum. Reuertens autem, quoniam inuenit scopis, id est, verbis fidei & veritatis, ab infidelitate

delitate & ignorantia mũdatum: quum videt eum præceptis euangelicis adornatum, quasi animosior factus assumit secum alios septem spiritus nequiores se dicẽs. septem, aut plures dicit, aut omnes spiritus vitiorum. Sicut enim ex parte Dei, quãuis plures sint spiritus virtutum, tamen septem dicuntur, quia ex illis septem omnes spiritus virtutum procedũt: quos spiritus enume-
Prou. 9. rat Esaias, & Salomon signat, dicens: Sapientia ędificauit sibi domum, & subdidit colũnas septem. Sic ex parte diaboli quanuis multi sint spiritus vitiorum, tamen septem dicuntur, quoniam ex illis principalibus vitiis, vitia vniuersa nascuntur. *Et erunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* De hoc enim ipso, vel ipsarum rerum experimẽta nos docẽt: quomodo Christianus si malus euaserit, peior fit quàm si fuisset Gentilis. Hęc parabola melius intelligitur de Iudæis & Gẽtilibus: ex eo enim quòd finita parabola, vel exemplo, sequitur dicens: Sic erit generationi huic pessimæ: compellitur ad populum Iudæorum referre parabolam, vt intellectus loci non B vagus aut instabilis in diuerso flexu, atq; contradictionibus aliquorum turbetur, sed firmus & stabilis, vel ad priora, vel ad posteriora respõdeat. Verè enim immundus spiritus à Iudæis exiuit, quoniã facta est portio domini populus ipsius Iacob, funiculus hæreditatis eius Israël: vel quoniam acceperunt legem. Expulsus autẽ à Iudæis, ambulauit per aridas Gẽtes, sed requiem sibi nõ potuit inuenire in eis: quoniam secundum propositum vocationis Dei erat, vt omnes Gẽtes venirẽt ad fidem. Non inueniens autem requiem in Gentibus, dixit: *Reuertar in domũ meam vnde exiui.* Habeo Iudęos, quos antè dimiseram. Et veniens inuenit vacuam, quoniã iam Dominus non erat in eis, sed nec spiritus, secundùm
Luc. 13. quod dictum fuerat de eis: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Videns autẽ eos diabolus mũdatos verbis scientiæ Dei ab ignorantia quasi quibusdã spiritualibus scopis, ornatos autem obseruationibus Legis: propterea assumens secum septem spiritus nequiores C se, secundùm quod supra tradidimus, habitauit in eis. Et facta sunt posteriora populi illius peiora prioribus. Nam si prius, etsi cultores Dei non erant, tamen nec interfectores erant: & prius quanuis peccabant in eum, tamẽ populus dicebatur Dei: postea autem, sicut testa-
Apoc. 2. tur Ioannes, synagoga facti sunt satanæ. Accedẽtes autem possumus ædificationis gratia etiam ad hæreticos transferre sermonem. Immundus enim spiritus, qui in eis antè habitauerat quando Gentiles erant, eiectus est quando facti sunt Christiani: qui perambulans Gentiles cæteros, & non inueniẽs apud eos requiem, credentibus videlicet secundũ tempora etiam ex ipsis in Christo, reuersus est in eos, quos possederat antè. Inueniens autẽ eos vacuos à Spiritu sancto, vacuos à timore Dei, & operibus bonis, (quoniã spiritus quidem immundus exierat ab eis propter nomen Christi, Spiritus autẽ sanctus non superuenerat eis, propter malum propositum cordis eorum, & opera mala) inueniens eos mundatos D scopis, qualibus diximus suprà, & ornatos institutionibus apostolicis: assumpsit secum alios septem spiritus nequiores, & inhabitauit in eis, & facta sunt nouissima hæreticorum peiora prioribus. Hæreticos Gẽtibus esse peiores dubitat nemo. Primùm, quia Gentiles per ignorantiam Christum blasphemant, hæretici autem scientes Christi laniant veritatem. Deinde quia in illis vel spes fidei est, in istis autem incessabilis pugna & discordia. *Adhuc eo loquente, ecce mater & frater eius, &c.*
Luc. 11. Videns diabolus quia persuadebat populis Christus, esse se filium Dei, dicens: Et ecce plus quàm Ionas hic, & plus quàm Salomon hic: timuit enim ne si Dei filius cognoscatur ille qui putabatur homo, ipse derelin-

quatur ab omnibus. Ad conuincendos sermones eius, subintroduxit parentes eius carnales, vt per illorũ contemplationem, diuinitatis eius obscuraret naturam. Ideóque venit aliquis quasi diaboli aduocatus, qui humano ore verba diabolica loqueretur, dicens: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, volentes loqui tecum.* ac si dicat: Quid gloriaris Iesu de cœlo dicens descendisse, qui radices habes in terra? Ecce mater tua, & fratres tui. Non potest esse filius Dei, quem homines genuerunt. Non potes illum abscondere, quem natura conuincit. Tunc Iesus quasi hominem quidem aspiciebat, tamen verè diabolus loquebatur. *Et quis est mater mea, & fratres mei?* Nescio parentes in mundo, qui ante mundi constitutionem mundum creaui. Nescio principium ex car- Photini hæresis.
ne: sicut Fotinus existimabat, qui iam in principio eram apud Deum. Nam quod hominem me videtis, vestimentum meum est, non natura. *Et extendit cautè manus suas super apostolos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei.* Nõ spernens generationem carnalem, neque erubescens humanam susceptionem, tale dedit responsum: sed volens ostendere quia præponenda est cognatio spiritualis carnali. Nam carnalis cognatio, non volentibus nobis, neque sciẽtibus contingit. Non enim vnusquisque vestrum consuetus est cogitare quorum erit filius, aut quorum cognatus. Spiritualem autem cognationem ex proposito vnusquisque per fidem sibi acquirit. Voluntaria enim est obauditio, per quam quicunque voluerit voluntatem Patris facere, efficitur filius Dei, & frater Christi. Vnde sapienter superinduxit: *Quicunque fecerit voluntatem patris mei, ille mater mea & frater est.* In qua cognatione spirituali nihilominus est hæc Maria, quæ non per coitum carnis, sed per gratiam fidei credendo facta est mater Christi. Deinde matrem & fratres Christi, facientes voluntatem Dei intelligimus, non synagogam, quæ secundum corpus peperit Christum, cæterósque Iudæos: sed illam synagogam intelligimus matrem, quæ saluata est credens in Christum, non crucifigens eum. Similiter est intelligendum & de fratribus, qui secundùm spiritum erant Iudæi, non secundum corpus, qui Christi erant facientes voluntatem.

HOMILIA XXXI. EX CAP. XIII.

Deest initium de cimiterrij capitis.

ECCE *exiit qui seminat, seminare: & dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, & venerunt volucres, & comederũt ea, &c.* Sicut gaudet medicus quando ad eum ægrotãtium multitudo prosequitur. Sicut lætatur rex, quando eum magni exercitus manus armata circundat: sic exultat sacerdos, quando cum audientium populus magnus auscultat. Et ideo ascendit in nauem, vt audiret eum populus, & videret, & visus delectaret auditum, & auditus visum. Et docebat in parabolis, dicens: Exiit seminator seminare, non de loco ad locum transmutans, sed voluntate. Nec enim venit vbi non erat, nec relinquit vnde egressus est: quia Deus vbique D est, præter vbi esse noluerit. Aut certè ideo exiuit, quia ibi est Deus, vbi iustitia eius colitur: vbi autem iustitia eius non est, nec ipse est ibi. Et qui intra iustitiam suam sunt, intus sunt: qui autem extra iustitiam eius sunt, foris habentur. Propterea quandiu fuit in cœlis vbi omnes sunt iusti, intus erat: veniens autem in Mundum, qui totus extra iustitiam erat Dei, foras exiuit, vt ipsum faceret intus. Quoniam ergo omnes gentes, Dei iustitiam contemnentes, degebant sub potestate diaboli: ideo exiuit, vt plantaret iustitiam in Mundo, vbi non erat prius propter peccata ipsorum. Exiit qui seminat, seminare. Non sufficit ei dicere, Seminare exiuit: sed addidit, Exiit qui seminat, semina-

Universidad de Deusto
Biblioteca

re: vt ostenderet, quia non erat nouus seminator, nec A modò ad hoc opus primum accesserat: sed hoc semper habuit in natura, vt semper seminaret. Ipse enim à principio generis humani totius scientiæ semina ipsa seminauit in natura. Ipse est qui per Mosem semina præceptorum legis seminauit in populo. Ipse est qui loquens in prophetis, non solùm præsentium seminauit correctiones, sed etiam notitiam futurorũ. Ipse exiuit, vt in corpore constitutus, & per scipsum diuiniora seminaret præcepta. *Et quædam ceciderunt secus viam.* Quę est via? Mundus iste per quem omnes transeunt, qui nascuntur. Via enim, & peregrinatio, & transitus est omnibus, qui & à Deo exierunt, & ad Deum festinant,
Psal. 38. Vnde & Propheta dicebat: Quoniam incola sum apud te in terra, & peregrinus sicut patres mei. Sicut ergo viator in via nihil solicitus est, nisi quod necessarium habet ad vsum: ita & homo in hoc transitu mundi nihil debet esse solicitus, nisi quod opus habet ad vsum. Qui autem suam spem ponit in mundo, & delectatur B in eo, est similis homini desperato, qui non habet neque patriam, neque domum, neque familiam, ad quam festinet: sed in quocunque loco inuentus fuerit, ipse locus domus eius est. Quæ est ergo terra secus viam? Homo secundùm istum mundum viuens, qui omnia ea sapit quæ mundi sunt, & nihil quod Dei est: sed hoc solùm diebus ac noctibus cogitat, hoc concupiscit, quod pertinet ad bene manducandum & bibendum, & spurcitiam corporis exercendam. Ex his enim omnia mala nascuntur. Propter cibum enim & potum auaritiæ fiunt, furta, violentiæ, periuria: ex auaritia autem inuidiæ & contentiones: ex inuidia autem maliloquia & detractiones, inimicitiæ & impostura: ex inimicitiis manifesta ira, rixæ, cædes, homicidia, iudicia: ex libidine autẽ fornicationes, adulteria, masculorum concubitus, fœminarum inuasiones. Talibus si loqui voluerio de spiritualibus rebus, non intelligũt verbum, nec sentiunt verbi dulcedinem. Nec enim est possibile, C vt inter tantas amaritudines vitiorum sentiatur dulcedo sermonum. Sicut qui in magno vase aceti modicam guttam mellis immisceat, etiam mel perdit, & acerbitas aceti non mutatur: Sic homini in hac malorum multitudine constituto, si collocutus fueris iustitiæ verbum, & verbum perdis, & ille non temperatur in concupiscentia mundialium rerum. Nec enim habet bonum in se. Nam homo illud concupiscit, quod iam habet exceptum in se, & scit esse bonum. Ecce si ostendis leoni viridem herbam, aut campum bene florẽtem, non excitat eum in cõcupiscentia, quia non habet hoc in natura, vt herbas manducet: & econtrà si ostendas boui carnes, non concupiscit, quia non est bouis natura, vt manducet carnem: Sic & homini mundiali, si de bono cœlesti loquaris, non excitatur in cõcupiscentia boni. Sed quemadmodum si pluuia super lapidem cadat, desuper quidem sudat, ab intus autem siccus est, quia non descendit humor in eum: sic & tali homini D quando loqueris verbum Dei, tantummodo sonus verbi desuper percutit aures eius carnales, in cor autem eius nihil descendit. Et meritò, iacentia super lapidem semina verbi rapiunt volatiles dæmones. Dic mihi, cuius culpa est, rapientium dæmonum semina, aut hominum durorum non abscõdentium ea in sulcis pectoris suis? Puto non esse culpam rapientium dæmonum. Ille enim latro qui parietem perforat, in secreta domus parte ingreditur: qui autem inuenit foris impositum & proiectũ, quomodo quasi latro culpetur? Sic & diabolus si poterat introire in secreta pectoris tui, vt à te nolente raperet verbum, bene culparetur: nunc autem quod à te neglectum est, & contemptũ, hoc ille diripit.

Denique sciens Propheta hominum abscondentiũ esse culpam, dicebat: In corde meo abscondi eloquia tua, Psal. 118. vt non peccem tibi. Si ergo abscõderis verbum in sulco pectoris tui, germinat tibi timorem, timor liberat te à peccato. Si autem foris eum in superficie carnalium aurium dimiseris, quomodo timor tibi germinatur? Si autem timor in te natus non fuerit, quomodo saluus fies, cùm sit scriptum: Timor Domini expellit peccatũ? Qui Eccl. 1. autem fine timore est, nõ potest iustificari. *Quædam autem ceciderunt super petrosam.* Petra autem in se duas habet proprietates naturæ, fortitudinis & duritiæ. Ideo homines aut propter constantiam fidei petra dicuntur, aut propter duritiã cordis. Ideo Propheta dicit: Et auferam ab illis cor lapideũ. Quid ergo terra? intellectus Ezec. 36. carnalis, & non rationabilis super animam duram & fidelem. Nam intellectum bonum multi habent secundùm naturam, animam autem fidelem non multi: quia intellectus hominis est ex Deo, anima autem fidelis ex voluntate. Sunt ergo homines, quibus si locutus fueris de gloria sanctorum, & de beatitudine gloriæ regni cœlestis, statim gaudent, & audientes delectantur: quoniam sapientes secundùm naturam etiam facilè suscipiunt verbum, sed ne credas gaudio eorum: carnaliter enim gaudent, & carnaliter delectantur. Sciunt enim naturaliter, quia bonum est regnum vel lumen. Ideo cùm audierint lumen sanctorum, quasi de lumine gaudent. Sciunt etiam naturaliter, quia bonum est regnum cœleste, quasi de audito regno lætantur: & non ideo credunt, quia sic est quomodo lætatur, anima autem eorum non credit. Sed dicis, quomodo gaudere poterant, nisi crederent? Hoc ipso enim quod gaudent, credunt, ideo credũt. Non est ita: omnis enim qui credit, verũ est quod gaudet, non tamẽ omnis, qui gaudet, credit. Nam quod gaudet in nobis, sensus est rationabilis: quod autem credit, spiritus animæ, qui non in gaudio, sed in solicitudine & compunctione cordis cognoscitur. Quoniam non omnis qui gaudet & credit, tuo te docebo exemplo. Ecce cùm tibi exposuero de gloria sanctorum, de iocunditate paradisi, gaudes & exultas, si tamen non habes etiam carnalem intellectum iam captum & induratum in malis, & quasi terra secus viam. Sed si dixero tibi. Vide qualis est iocũditas sanctorum: ergo vende omnia tua quæ habes, & da Mar. 10. & Luc. 18. pauperibus, & hæc omnia possidebis. Ecce non facis, sed tristis recedis, sicut adolescens ille à Christo: non ergo credidisti firmiter de quibus gaudebas. Ecce cuncti homines quanta pondera auri dant, vt comparent dignitatem, & cum gaudio magno dant: & sine dubitatione dant, vt comparẽt, & multum sibi quæstum putant, si inuenerint cui dant, & putant se iam inuenisse cui dederunt. Et amplius dico, si suam pecuniam nõ habuerint, aliunde mutuum tollunt, & cum gaudio dant. Quare? Quia credunt omnino dupliciter se inuenturos esse quod dederunt. Etsi verè credis futura quæ audis, quare non dabas simplum in terra, vt centuplum inuenires in cœlo? Quomodo non dabas temporalia, vt inuenires æterna? Si dixero tibi, Abstine te à deliciis, & ieiuna: non facis, quia non credis. Si tædianti, id est, ægrotanti tibi medicus dixerit, Abstine te ab hoc, subaudis, quia credis te sanandum, si seruaueris: & frequenter illud amplius amas quod amarum, manducãsque vteris, & vincis desideriũ vẽtris ob desiderium sanitatis: multò magis ieiunare poteris, si credideris iocunditatẽ illam futuram. Tu ergo qui propter Deum quomodocunque viuere contentus non es, si euenerit res, de qua iocundè viuere non poteris: quomodo propter Deum poteris corporales sustinere dolores? qui nec eleemosynas de rebus tuis dare contentus es, quo

modo

modo amissionem substantiæ tuæ propter fidem poteris sustinere? Ideo facta tribulatione aut persecutione propter verbũ Dei, scandalizaris. Nam non solũ in persecutionis tribulatione prorsus tu scandalizatus es in Christo, sed etiã in tribulatione omniũ aduersitatum: Vtputa, si tibi amissio charorum, aut damnũ rerum aut corporalis infirmitas contigit: statim scãdalizaris, & dicis, quod Propheta ad tuam consolationem dixit, vt &
Psal. 72. nec tu scandalizatus sic dicas: Ecce ipsi peccatores & abundantes in sæculo obtinuerunt sibi diuitias: & dixi: Ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas, quoniam cùm meliora suscipere debui, tunc contigerunt peiora. Ille & ille in omnibus iniquitatibus voluitur, & floret in filiis, & abundat in rebus, & lætatur in sanitate. Et qualis est iustitia Dei? Et non consideras: quod qui ad bellum transmittitur, ad gloriam paratur: & cui tentatio imponitur, correctio ostenditur ei. Si videris aut mortalitatem frequenter fieri super terram, aut famem, aut gladium, B statim scandalizaris, & dicis: Patres nostri idola coluerunt, & semper in bonis fuerunt, & nos ex quo Christum colere cepimus, nunquam nos bona sequuntur. Et non consideras, quia illorum prosperitas non fuit remuneratio Dei, sed contemptio? At nostra aduersitas non est ira Dei, sed admonitio. De illis enim
Psal. 91. dictum est: Vir insipiens non cognoscit, & stultus non intelligit, cum exurẽtur peccatores sicut fœnũ. Et quid addidit? vt intereant in sæculum sæculi. De suis autem
Psal. 88. quid dicit? Visitabo in virga iniquitates eorum, misericordiam verò meam non dispergam ab eis. Si videris aliquem tumultum Ecclesiæ tuæ, statim scandalizatus dicis: Ne fortè non sit hæc vera Ecclesia apud hæreticos, sed illic sit veritas, vbi floret potestas. Et non intelligis, quod à Deo diligitur, hoc à diabolo expugnatur: quod autem à Deo contẽnitur, hoc à diabolo quasi proprium in pace custoditur. Iudæa quandiu fuit Dei hæreditas, nec diabolus cessabat eam expugnare sua- C dendo ad idola, nec Deus cessabat eam castigando, & reuocando ab idolis custodire: postquã contempta est, quasi pars diaboli facta manet in requie. Quoniam ergo multi non solùm propter persecutiones, sed etiam extra persecutiones scandalizantur de verbo: ideo suprà non solùm dixit, Facta autem persecutione: sed etiam, in tribulatione. *Alia ceciderunt in spinas.* Primùm dicam, quomodo colitur, vt bene intelligatur, quomodo à vicinis suffocatur seminatum in te verbum. Colis, assiduè audiendo Scripturas, & traditiones doctorum. Per hoc enim confirmatur in te verbum Dei, & crescit, & satisfacis tibi, quia ita est per omnia, quẽadmodum
Verbi dei duplex fructus. credis. Fructus autem verbi Dei est duplex, in operibus bonis, & in confessione fidei. Sed fructus boni operis gratiosior est apud Deum in pace, quàm in persecutione: fructus autem cõfessionis in persecutione gratiosior est, quàm in pace: quia in persecutione nemo te discutit, quomodo viuis, sed quomodo credis. Item in pace D non est labor bene credere, sed bene viuere: quia pax ipsa corruptrix est pietatis. Vide iam, quod solicitudo diuitiarum frequentare te Ecclesiam non permittit, vt audias Scripturas & traditiones doctorũ, vt nutriatur verbum quod accepisti. Et si venis in corpore, nõ venis in mente. Et si audis auribus, non audis in corde. Totus autem animus tuus in illis est, de quibus solicitus es. Opera bona cupiditas diuitiarum te facere nõ sinit. Quomodo autem sinat te tua fœnerare, quæ compellit te aliena colligere? Item si verbum Dei venerit in periculum, tu propter voluptatẽ diuitiarum, aut quia times perdere quæ habes, aut quæ non habes concupiscis acquirere, veritatem fidei tuæ palàm non confiteris. Vides quomodo solicitudo & voluptas diuitiarum suffocant verbum, & fructificare non sinunt? *Quædam super terram bonam.* Terra autem bona, sunt qui abstinent se à diuitiis malis, & secundùm vires suas faciunt bona, & est fructus eorum trigesimus. Si autem omnia bona sua contemnant, & accedant ad seruiendum Deo, habent sexagesimum. Si autem & infirmitas corporis eis cõtigerit, & fideliter sustinuerint, habẽt centesimum, & terra bona est. Nam & Iob ante tentationem trigesimum Iob. 1. & habuit in facultatibus suis iustè viuendo: post damna seq. substãtiæ & filiorum, sexagesimum: post plagam autem corporis, centesimum fecit. Qui centesimum habet, in se sexagesimum & trigesimũ habet. Et qui trigesimum habet, sexagesimum non habet. Et qui sexagesimũ habet, non etiam cẽtesimum habet. Semper enim maius, quod minus est in se habet inclusum, illud autem quod minus est, maius in se non habet: Vtputa, præfectoria potestas habet in se vicariam & consulariã potestatem: consularia autem potestas, neque vicariam, neq; præfectoriam habet in se potestatẽ: Vtputa, qui talem fidem habet, vt possit mori pro Christo, ille sine dubio & omnia bona mundi contẽnere potest. Nam quomodo sua non contemnat, qui scipsum cõtemnit? nam & ille centesimum habet. Nam qui se & sua cõtemnit, multò magis aliena nõ tollit, multoq; facilius de facultatibus suis partẽ dat, qui totas facultates suas nihil existimat. Item qui sexagesimũ habet, id est qui diuitias potest contemnere, in ieiunio permanere, castè viuere, corporales iniurias sustinere, sine dubio & trigesimum habet. Et qui sciunt solicitudines sæculi, & voluptates diuitiarũ, clarius eas contemnere possunt. Qui autem trigesimum habet, id est qui malum nõ facit, sed quãtum potest benefacit, hoc est enim trigesimum: ille non omnimodo & sexagesimum habet, id est non omnino potest omnia bona sua contemnere, & omnibus diebus vitę suæ ieiunare, aut in castitate viuere, aut corporales iniurias pati. Hoc enim est sexagesimũ. Ideo Dominus apostolis quidem qui sexagesimum poterant, sic dicit: Vẽdite quæ habetis, & date eleemosynam. Istis autem qui non poterant sexagesimum, iniungit eis trigesimum, dicẽs: Omni petenti te, da. Et qui mutuum petit, non auertas Ibid. 6. ab eo. Item qui sexagesimum potest, nõ omnino & cẽtesimum potest. Quanti sunt, qui & bona sua dimittere possunt, & amissionem rerum suarũ patiuntur, & castè viuere possunt, & corporales iniurias sufferre: & illud quod est centesimum timẽt sustinere? Quot enim confessores post multas iniurias mori timentes lapsi sunt? Sic & homo qui secus viam est, omnia mala in se habet, & lapidosus est, & spinosus. Ille autem qui spinosus est, non omnino lapidosus est. Et ille qui lapidosus est non omnino secus viam est: Vtputa, qui fornicarius est, qui auarus est, qui periurus est, qui fur est, omnino si illi persecutio aut tribulatio venerit propter verbum, sine dubio quãtum ad hominem scandalizatur, & præuaricatur. Qui enim ante tentationem fidem Deo non seruat, quomodo in ipsa tentatione erit fidelis? Item qui lapidosus est, & spinosus, id est qui ex corde non credit, & est infidelis & vacuus, ita vt nec persecutione, aut tribulatione scandalum patiatur: multò magis nec solicitudines seculares poterit euitare, aut voluptates carnales. Qui enim illic scandalizatur & præuaricatur, vbi intelligit se perire, si fuerit scandalizatus quantò magis solicitudines diuitiarum, & voluptates non est contentus repellere, in quibus se grauari intelligit, non perire? Nam solicitudines diuitiarum, & voluptates, profectum impediunt, non faciunt peccatorem. Qui autem scandalizatur in Christo, cadit à Christo. Qui ergo & cadere potest, multò magis im-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pòdimentum pati contentus est. Qui autem spinosus est, non omnino & lapidosus est. Sunt enim qui tantam quidem fidem non habent, vt diuitias suas & voluptates pro nihilo putent, & solicitudinem earum contemnant, & magis diligant cœlestia quàm terrena: tamen si tentatio venerit, non recedũt à Christo propter timorem perditionis. Nam etsi mundum contemnere non fuerint contenti, vel quia non qui antè desiderabant magnificari apud Deum, tamen à Christo recedere non sunt ausi, quia timẽt perire. Ideo si necessitas venerit, frequenter & bona sua dimittunt, quorum solicitudine antè fuerant obligati. Nam multò magis laboriosum est in securitate concupiscentias vincere, quàm in periculo diuitias posse contemnere. Ipse enim timor periculi adiuuat animam, & facilè vincitur delectatio corporalis. Quot sunt enim, qui in securitate non fuerunt contenti pauperes esse: & cum viderunt persecutionẽ, magis contẽti fuerunt bona sua dimittere, quàm perire propter illa? Præsciens Deus frequenter præcidit diuitias eorum, vt à solicitudinibus releuati, securius & melius permaneant cum Deo. Itẽ qui lapidosus est, non omnino & secus viam est. Multò enim fideliores sunt, qui in persecutionibus forsitan possunt scandalizari, tamen in iniquitatibus non se omnino obligãt: quia cum gaudio accipiunt verbum, & diligunt bonum, sed vincuntur in tribulatione. Et eos forsitan propter misericordiam suam Deus frequẽter saluans, non adducit super eos tentationem, vnde vincantur: quoniam nemo nostrum idoneus est, si nos iubet Deus orare: Et ne nos inducas in tentationem. Qui autem secus viam est, in omnibus malis obrutus est. *Et accedentes ad eum discipuli eius dixerũt: Quare in parabolis loqueris illis?* Vide beneuolentiam virorum, vide misericordes discipulos benigni magistri. Dolebant quia populus non intellexit, & quia talium verborum ædificatione fraudati sunt, quia perdiderunt audiẽdi laborem & tempus. Nam qui non intelligit quod audit, perdit quod audit. Et considera quod est beneuolentius, quòd non primũ interrogauerunt de intellectu parabolæ, sed mox dixerũt: Quare in parabolis loqueris illis? quia magis de aliorũ salute solliciti erant quàm de sua, sicut ait Apostolus: Non quę sua Phil. 2. sunt singuli cogitantes, sed quæ aliorum. Hæc est enim perfecta charitatis gratia, qui amplius festinat aliis vtilis & lucrosus esse quàm sibi. *At ille respondens ait illis: Quia vobis datum est nosse mysterium regni cælorum.* Quoniam multi ex his verbis culpam negligentiæ suæ imputant Deo, dicentes: Quia non est mea culpa si nescio, quod mihi Deus scire non præstitit. Et ista dicunt non verè dolẽtes quia non intelligunt aliquid circa Deum, sed peccatorum suorum excusationem quærentes. De Psal. 140. talibus dicit Propheta: Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem. Ideo de isto loco modico manifestius loquamur. Omnis quidem intellectus de Spiritu sancto est, & gratia Dei est: tamen alia est gratia, quam Deus omnibus hominibus creãdo donauit: alia est quam non omnibus hominibus, sed dignioribus & excellentioribus, & electioribus donat. Sicut paterfamiliãs multa mancipia habens, omnibus quidem mediocrem vestem dat, mediocrem annonam dat pro debito dominij sui: quia nec potest esse seruus eius, nisi ab illo vestitus fuerit, & nutritus: quibusdam autem fidelioribus circa se, dat meliorem vestem, & delicatiorem annonam, nõ propter debitum dominij sui, sed propter bonos mores eorũ: Sic & dominus generalem gratiam, id est, intellectum boni & mali omnibus dat pro necessitate naturæ: quia nec videmur esse homines ad imaginem Dei creati, nisi habuerimus diuinum intellectũ. Dignioribus autem dat specialem gratiam, vtputa cognoscendi mysteria, non pro necessitate naturæ, sed pro remuneratione bonæ voluntatis, aut bonorum operum. Vide ergo quomodo dicit: Vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum. Non dixit, Vobis datũ est, alicui qui habeat scientiam boni & mali. Si ergo est aliquis, qui non habet gratiam scientiæ boni & mali, non culpa hominis est non habentis, sed Dei non dantis. Si autem omnes homines intelligunt bonum & malum, non tamen omnes habent gratiam cognoscendi mysterium regni, non est culpa Dei non dantis, sed hominis non quærentis, nec festinantis, nec laborantis vt mereatur accipere. Si enim illam generalem scientiam boni & mali transegisses: id est, si bene vsus fuisses: iustè mereberis hanc specialem cognoscendi mysterij scientiam. Si autem illam generalem abscondisti in terram, quæ datur pro necessitate naturæ: quomodo mereberis hanc specialem, quæ pro remuneratione bonæ voluntatis aut operum datur? Et hoc est quod alius euangelista dicit de seruo malo, qui talentum suum abscondit in terram, & nullum fecit fructum de illo. Dominus Infr. 25. eius non solùm talentum tulit de eo, sed adhuc iussit eum puniri: id est, quasi non fructificantem iussit puniri reum. Vide quia paratus fuit & alteram gratiam ei donare, si fructum fecisset de prima. Qui enim habet, Luc. 8. dabitur ei, & abundabit. Vt habenti quidem addatur possibile est: impossibile autem vt auferatur ab eo qui non habet. Quomodo procedit? Si enim tollitur ab eo quod † non habuit: si autem non habuit, quid tollitur ab eo? Sed ita procedit: Qui habet aliquem intellectum, & non facit cum illo iustitiam pertinentem ad gloriam Dei, sed econtrà circa res terrenas occupat eum, habens non videtur habere: quia quantum ad eum, videns, cæcus, dicitur esse. Non habet, qui Deo nihil fert. Sicut homo cuius oculi iniquitatem vident, non æquitatem: quantùm ad Deum videns, cæcus dicitur esse, sicut scriptum est: Sinite eos, cæci sunt, & Infr. 15. duces cæcorum: quia diabolo vident, non Deo. Sicut qui peccatis viuens mortuus dicitur, sicut scriptum est: Et vos cum essetis mortui in peccatis vestris: quia ille Ephes. 2. & Colos. 2. talis non Deo, sed diabolo viuit: Sicut qui habet intellectum, & bonum non operatur cum eo, quantum ad Deum, nec habet. Et ideo tollitur ab eo & ipsum quod habet, vt nec intelligat quod est bonum, & iam vt cæcus ducatur à dæmonibus per omnia mala opera. Quando ergo videris hominem qui etsi non facit opera bona, tamen vel delectatur in audiendo bono: infructuosus est quidem, tamen adhuc non tulit Deus ab illo hoc ipsum quod habebat, sed expectat illum vt conuertatur ad pœnitentiam, & faciat bonum. Cùm autem videris hominem, qui non solùm bonum non facit, sed nec delectatur in ipso audito bono: intellige quia iam tulit ab illo Deus hoc ipsum quod habebat vt intelligeret bonum, & quantùm ad Deum mortuus est. Nam non potest reuiuiscere, nisi fortè quantum ad Deum, qui potest etiam mortuos suscitare. Ille ergo qui habendo non vult, sicut diximus, quod habet quidem naturæ est: quod autem non habet, voluntatis: qui habet quidem, sed nõ vult habere. Iudæi verò qui habuerunt legem, & vixerunt secundum legem, addita est eis notitia Christi. Qui enim legem habentes quasi non habuerunt, quia non vixerunt secundùm legem, ablata est ab eis etiam ipsa lex, quam habebant. Et nihil apud eos de lege remansit, nisi sola scriptura librorum, omni legis obseruãtia pereunte. Sic enim & Christianis euenit. Qui enim verè habent Christum, viuentes secundùm Christi præcepta, dabitur illis regnum, vt iam non credant

credant absentem Christum, sed videant præsentẽ. Qui autem habẽtes Christum, quasi non habẽt, quia non viuunt secundùm Christi præcepta: tollitur ab illis etiam hoc ipsum quod videntur agnoscere Christum, vt credant Antichristo. Aut certè vt condemnati in die iudicij, separati de parte Christianorum, etiam hoc ipsum perdant, quod vidẽtur esse Christiani, cum infidelibus deputati. Sic & hæresibus factũ est, quod habentes fidei veritatem, illam non habuerunt, non viuẽtes secũdum eam, ablata est ab eis, vt crederent pro veritate mendaciis. Tales sunt & qui quotidie transeunt ad perfidiam, quoniam habentes fidem malè ea vtũtur. Tollet eam Deus ab eis, & ad perfidiam trãsibunt, & proiiciet, 2. The. 2. Luc. 8. eos, & impletur in eis quod Apostolus dicit: Eo quod charitatem veritatis non receperunt, dabit eis Deus opera erroris, vt credant mẽdacio, & iudicentur. Ideo in parabolis loquor illis, quia videntes non vident. Si dixisset, ideo in parabolis loquor illis, vt videntes non videant: forsitan non esset culpa non intelligentium Iudæorum, sed Christi qui sic loquebatur, vt non intelligeretur ab eis. Nunc autem dicit: Ideo in parabolis loquor illis, quia videntes non vident. Intelligitis ergo, quia non est culpa Christi nolentis dicere manifestè, sed eorum qui audientes nolebant audire non enim quia Christus in parabolis loquebatur, ideo illi vidẽtes non videbant: sed quia videntes non videbant, ideo illis Christus in parabolis loquebatur. Ecce viderunt mirabilia Mosi: nunquid verè viderũt? Si enim verè vidissent, vtiq; & timuissent Deum miraculorum factorem. Ecce audierunt doctorẽ legis: nunquid verè audierũt? Si enim verè audissent eum, vtique & vixissent secundũ legem, & credidissent in eum quem prophetabat lex. Viderunt & ea mirabilia, sed videntes non viderunt. Si autem vidissent ea, & profecissẽt in eis. Cùm sit ergo facilius videntes cognoscere quod vident, quàm intelligentes intelligere quod audierunt: quomodo poterant illi audientes mysteria intelligere, qui videntes mirabilia non cognouerunt? Quia consueti erãt Iudæi videntes non videre, & audientes non audire: ideo non dedit eis Deus oculos fidei, vt videant diuina miracula Christi, nec audiant viua verba eius, nec similiter contemnant Christum, cognoscentes eum, quemadmodum contempserunt & legem habẽtes eam: ideo & prophetа illis dicebat: Auditu auditis, & non intelligitis. Videamus cuius rei intellectum denegat illis propheta. Non illum generalem qui datus est ad vsum naturæ, sine quo viuere nemo potest, sed hunc spiritualem ad cognoscendum mysterium Christi, quod datur ad remunerationem iustitiæ. Esa. 6.

HOMILIA XXXII. EX CAP. XIX.

Reliquũ huius ca. deest. simi liter. 14. 15. 16. 17. & 18. cap. desideran tur. animo.

Et factum est cùm consummasset Iesus sermones istos, migrauit à Galilæa, & venit in fines Iudææ trans Iordanem, & secutæ sunt eum turbæ multæ, & curauit eos ibi. Et reliqua. Quantumcunque gratuitum & vtile sit bonum ecclesiasticæ pacis, quàm flagranti & solicito amore † quærendum sit exponam, vt quilibet inuentor exponere possit. Legite inquam fidelissimi hortor fratres, legite vobiscum, crescite in fide, vt vobiscũ corpore absens, efficiar in Christo vobiscum præsens in fide. Incipimus ergo exponere bona de bono. Prosequar quod dicit euangelista: Et factum est cum consummasset Iesus sermones istos. Quos istos? quos superius est prolocutus. Quomodo de camino ignis mortiferi carnalium passionum super † pectus apostolorum zeli scintilla ceciderat, & modica quidẽ iam tantum conflabatur: sed Dominus qui de longe sentit malorum vaporem, citò

Quomodo dicam in huiusmodi mortiferis

per humilitatis doctrinam, quasi cum aliquo fonte atq; largissimo titionem priusquam accenderetur, restinxit, dicens: *Amen dico vobis: nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut pueri, non intrabitis in regnum cælorũ, &c.* & illos tunc solicitos reddidit, & totũ mũdum de periculo huius incendij liberauit. Et illi quidem leuiter tacti sunt, nos autem fortiter sumus muniti. Et momẽtaneæ inuidiæ eorum occasio æternum mundo humilitatis refrigerium introduxit. Hos ergo sermones cùm consummasset Iesus, transtulit se de Galilæa in Iudæam, quasi iustus Dominus omnium, qui sic diligit alios seruos, vt alios non contẽnat. Nam sicut omnes illi debẽt gloriã, quasi Domino: sic ille debet omnibus misericordiã, quasi seruis. Nam si semper eum vnus teneat locus, iam non est possessor omnium hominum, sed aliquorum. *Reliquit Galilæam, & venit in fines Iudææ.* Galilæam patriam suam, de qua natus fuerat, quasi sol altius ascendens, reliquit orientem, & venit in Iudæam, quasi ad Occasum vbi fuerat obiturus, in pace passionis occumbẽs, vt iterum nobis aliunde nouum ortum sua resurrectione ostẽderet, vt dicamus cum Apostolo: Vetera trãsierunt, ecce facta 2. Cor. 5. sunt omnia noua. *Et secutæ sunt eum turbæ multæ.* Quasi testimonia salutaris doctrinæ eius, quasi oues pastorem in manu ipsius genitæ & nutritæ sequebãtur eum, quasi paruuli filij patrem peregrè longè proficiscentem: & quasi pater proficiscẽs bona pignora charitatis illis relinquens, peregit debilibus remedia sanitatum. *Et sanauit eos.* Ibi apparet, quia parati erant populi sequi eum etiam in fines Iudææ: sed ne quis existimet Iudæorum, sicut erant detractores, quod ad commendationem opinionis suæ, & ad testimonium virtutum suarũ, iactantię causa, trahat secum multitudinem infirmorum, ideo sanauit eos ibi, & dimisit eos: maximè cum sufficerent & ipsi ad gloriam, & hominibus ad salutem, testimonia in suo loco nascentia. *Et accesserunt ad eum Pharisæi, tentantes eum, & dicentes ei: Si licet homini quacunque ex causa vxorem suam dimittere?* Viro casto qualiscunq; vxor bona videtur: quia perfecta charitas vitia non sentit. Qui diligit vxorem, de soluendo matrimonio legem necessariam non habet. Vbi autem de soluendo matrimonio lex requiritur, illic iam odium demõstratur: vbi odium inuenitur, illic fornicatio esse cognoscitur. Quemadmodum si videas hominẽ assiduè amicitias medicorum colentem, ex ipsa re statim intelligis, quia infirmus est: Sic & cum videas siue virum, siue mulierẽ de dimittendis vxoribus aut viris legem interrogantes, cognosce quia vir ille lasciuus est, & mulier illa meretrix est. Sic & Iudæi erant homines fornicarij & contaminati, qui habentes vxores, habere non videbãtur: quia vxor illis non erat quasi iucunda possessio castitatis, sed quasi desertum æstus libidinis illic religatę. Nam in matrimonio mox castitas delectatur, libido autẽ quasi vinculo coniugij colligata torquetur. Et non sit nouum quod dicimus, quia castitas in matrimonio delectatur. Nam primus est gradus castitatis syncera virginitas: secundus autem, fidele coniugium. Ergo species secunda virginitatis, est matrimonij casta dilectio. Audierunt ergo Iesum tentantes vt viderent, si voluntatis eorum † amicus esset, an castitatis patronus: vt si quidem diceret, quia licet dimittere, laudarent eum: si autem non, contradicerent ei: & hoc est propriè tentare. Qui autem verè interrogat, quicquid audierit conquiescit. Si licet homini vxorem suam dimittere quacunque ex causa? O effrænata lasciuia. Sciebant quia nullam causam idoneam habebant circa dimittendas vxores, præter solam turpitudinem, alias atque alias sibi iungebant: ideo timuerunt interrogare, ex quibus causis? ne seipsos intra angustias certarum causarum constringerent.

carnaliũ passionũ. Super.

al. eius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed interrogauerunt,si ex omnibus causis licet, scientes quia modum nescit libido : sed quantò exercetur, tantò magis accenditur,non leuiter,nec intra terminos vnius coniugij capit libido. *Ille respondens ait eis : Non legistis, quia qui fecit homines ab initio, masculum & fœminã fecit eos?* Id est legistis quidem, sed noluistis facere quod legistis. Conscientiam illorum ad testimonium prouocat,vt ostendat eis quia ideo interrogant,non vt firmiter discant quod dubitant, sed vt excusabiliter faciant quod inexcusabiliter peccent. Masculum & fœminam. Non masculum & multas fœminas, vt vni masculo liceat plures fœminas possidere: neque masculos & fœminam,vt vni fœminæ liceat plures viros accipere: sed masculum & fœminam,vt vna fœmina nullum masculum putet factum esse in sæculo præter vnum : vt vnus masculus nullam putet fœminam esse factam in sæculo, nisi vnam. Non enim duas aut tres costas detulit de latere viri, & duas aut tres fecit mulieres. Cùm ergo secunda aut tertia vxor steterit ante faciem tuam, sicut tunc Eua ante Adam, quomodo illis dicas, Hoc nunc os de ossibus meis ? Nam etsi verè costa est illa mulier, non tamen tua. Si ergo non illi dixeris, non illam confirmes esse coniugem tuam : si autem dixeris, mentiris. Si ergo Deus ad hoc masculum & fœminam ex vno creauit, vt sint vnum : quare ergo & de cætero vir & mulier non ex vno vtero nascantur,sicut volatilia quædam? Quia Deus quanuis masculum & fœminam quidem creauit propter necessitatem filiorum generandorum: tamen semper castitatis fuit amator, & continentiæ author. Ideo illum typum non seruauit in hominibus,vt si quidem vult homo nubere secundùm primam dispositionem creationis humanæ, intelligat quid est vir & vxor. Si autem noluerit nubere,non habet necessitatem nubendi propter cõiunctionem natiuitatis, ne fortè videatur per suam continentiam alterum perdere,quem nolebat † esse in continentia : quomodo dicemus post coniunctum matrimonium, ne alter altero nolente se separaret. *Propter quod relinquet homo patrem suum & matrẽ suam, & adhærebit vxori suæ.* Propter quid? Quia ex viro est vxor, & ex vna carne sunt ambo. Ergo nunc maior charitas debet esse inter fratres & sorores: quia isti quidem coniuges ex eisdem parentibus exeũt, illi autem ex diuersis. Sed hoc magnum est nimis, quia fortior est Dei constitutio, quàm virtus naturæ. Non enim præcepta Dei naturæ subiecta sunt, sed natura præceptis obtemperat. Deinde fratres licet ex vno nascantur,tamen ideo nascuntur, vt diuersas vias petant. Vir autem & vxor licet ex diuersis nascantur, tamen ideo nascuntur,vt in vnum conueniant. Ergo hi,quanuis sunt ex vno, tamen non ita sunt quasi ex vno : quia ad hoc creati sunt, vt non sint vnum. Illi autem quanuis non sunt ex vno, tamen ita sunt quasi ex vno : quia ad hoc creati sunt, vt sint vnum. Vides ergo,quia non seipsum loquitur ordo naturæ? sed ordinationem Dei ex teipso considera. Quod enim est in herbis aut in arboribus humor,hoc est in hominibus amor. Sicut herbæ ex humore nascuntur & crescunt, sic homines per amorem incipiunt & augẽtur. Humor quidem de radicibus ascendit in herbam, de herba autem non reuertitur ad radices, sed sursum transmittitur in semen : Sic & charitas de parentibus ascendit in filios, de filiis autem non reuertitur ad parentes. Ideo parentes quidem filios diligunt, sed non sic diliguntur à filiis : quia sicut herba non deorsum, sed sursum ad semen transmittit humorem : sic & homo nõ ad parẽtes,sed ad procreandos filios transmittit affectum. *Et erunt duo in carne vna.* Sicut qui spiritualiter se diliguntur,multorũ animæ quasi vna anima esse dicuntur, dicente Scriptura : Omnium credentium erat cor vnum & anima vna : Sic & vir & vxor, qui carnaliter se diligunt,vna caro dicuntur. *Dicunt illi : Quid ergo Moses mandauit dare libellum repudij & dimitti?* Displicet peccatoribus doctrina iustitiæ, grauis est fornicantibus interpretatio castitatis. Si contra rationem quidem respondere non possunt, veritati tamen credere non acquiescunt. Quid ergo? Conferunt se ad patrocinium viri sanctissimi Mosi, cuius personam verebantur omnes & timebant, vt doctrinam Christi, quam ratione vincere non poterant, per authoritatem validioris personæ destruerent : vt dum Moses irreprehensibilis reprehendi timetur, veritatis interpretatio taceatur: sicut solent homines facere malam causam habentes, confugiunt ad potentes viros, vt si per iustitiam non possunt, vincant per personam. Tanquam si ita inuidiosè respondeant : Quid ergo? Moses præcepit in lege, qui fuit quasi visibilis lingua inuisibilis Dei, qui incorruptibilem gloriam corruptibilibus oculis vidit, & testimonium diuinitatis in vultum suscipiens portauit ad populum. Tu autem homo vilissimus fabri lignarij filius, quomodo destruis quod ille constituit? Si filius Dei es, sicut dicis, quare confundis tuum ministrum? Si homo es similis nostri, quomodo reprehendis tuum authorem ? Si malum est, quare præcepit ? Si bonum est, quare destruis ? *Tunc ait Iesus : Moses*, inquit, *propter duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras.* Frequẽter vobis Moses propter duritiam vestram iniustitiam quasi iustitiam præcepit, vt in eremo hostias offerre Deo. Et quomodo dicit Propheta ? Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Sed quia patres vestri egressi erant de Ægypto, corpore, tamen non animo: nam totam Ægyptum secum in moribus baiulabãt: videns itaque Moses propter dilectionem carnalem circa studia sacrificiorum eos esse inclinatos, si mandasset eos recedere à sacrificiis, non fuerat audiendus. Quia annosa passio medicamento momẽtaneo non curatur. Iussit eos sacrificare quidem, sed iam non dæmonibus, sicut in Ægypto, sed Deo uno. Dimidiũ mali permisit, ne totum perderet bonum. Hac ratione permisit vos dare libellũ repudij, quia melius iudicauit permittente lege matrimonia solui, quàm odio compellẽte homicidium fieri. Permisit vobis mala facere, ne faceretis peiora. Ergo hæc vobis permittendo, non vobis iustitiam Dei demõstrauit, sed à peccato abstulit culpam peccãdi, vt quasi secũdùm legem agentibus vobis peccatum, vestrum non videatur esse peccatum. Vtputa, si quis habeat seruum, qui furatur & inebriat, se considerans dominus, quia si vtrunque sibi insimul mandauerit obseruare, nihil proficit : mandat illi quidem, vt bibat quantum vult, sed publicè bibat, vt hoc quidem quod bibit sit secum nouum bonum, vt paulatim discat obedire præceptis. Sic permissum est dari repudium, malum quidem, tamẽ licitum à creatione. Et apostoli præceperunt secundas adire nuptias propter incontinentiam hominũ. Nam secundam quidem accipere, secundum præceptum Apostoli est : secũdum autem veritatis rationem, verè fornicatio est, sed dum permittente Deo publicè & licenter committitur, fit honesta fornicatio. Propterea bene dixit, quia Moses hoc permisit, non præcepit. Aliud est præcipere, aliud est permittere. Quod enim præcipimus, semper placet: quod autem permittimus, nolentes præcipimus : quia malam voluntatem hominũ ad plenum prohibere non possumus. *Amẽ dico vobis, quicũque dimiserit vxorem suam, nisi fornicationis causa, mœchatur.* Omnis res per quas causas nascitur, per ipsas absoluitur. Matrimoniũ enim non facit coitus, sed voluntas : & ideo illud non soluit separatio corporis, sed separatio voluntatis. Ideo qui dimittit

Gen. 1.

Gen. 2.

al. volebat.

πάντοτε etiam fratres dicũtur.

Act. 4.

Exo. 34.

1. Tim. 5.

mittit cõiugem suam, & aliam non accipit, adhuc maritus est. Nam etsi corpore iam separatus est, tamen adhuc voluntate coniunctus est. Cùm ergo aliam acceperit, tunc plenè dimittit. Non ergo qui dimittit mœchatur, sed qui alteram ducit. Sicut autẽ crudelis est & iniquus, qui castam dimittit: sic fatuus est & iniustus, qui retinet meretricem. Nam patronus turpitudinis eius est, qui crimen celat vxoris. Imitatores ergo debemus esse Dei, vt sicut ille agit cum Ecclesia : sic nos agamus cum cõiuge. Ille enim nunquam derelinquet populum, nisi ad gentilitatem vel ad hæresim voluntariè trãsierit: aliàs autem peccantem castigat quidem, tamen misereri non cessat, dicente propheta : Si dereliquerint filij eius legem meam, visitabo in virga iniustitias eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Sic & vir meretricem quidem dimittat, aliàs autem malè morigeratã castiget & teneat. Quomodo ? Tribus modis. Primum docendo secundùm Deum. Si autem contemserit † timorem Dei, improperando, vt vel homines erubescat. Si nec pudorem sentit frequenter confusa, faciat illi quod præcepit Salomon : Cor durum baculo percute. Ergo primum admone, quia multũ proficit doctrina iustitiæ. Deinde confunde, quia frequenter & pudor frænum est vitiorum. Tertiò iustum est, vt castigetur quasi ancilla, quæ erubescere nescit vt libera. Aliter: de Galilæa turbæ in mysterium gentium secutæ sunt Dominum in fines Iudææ, ibique curatæ sunt. Iustè in fines transierunt Iudææ, nec enim potuissent curari, nisi relictis finibus suis in fines transissent Iudææ, sicut scriptum est in Esaia: Et venient omnes gentes, & dicent : Venite, ascendamus in montem Domini, & in domum Dei Iacob, & annunciabit nobis viam suam, & ambulabimus in ea. Et curatæ sunt gentes in finibus Iudeorum ad confusionem ipsorum, quia gentes quidem & in aliena secutæ sunt Christum: Iudæi autem in finibus suis constitutum tentauerunt & repulerunt : & in fornicationibus suis corporalibus fornicationem suam confessi sunt spiritualem, dicentes : Si licet viro dimittere vxorem suam quacunque ex causa ? Quia non potest animo esse castus, qui corpore est lasciuus : hoc est, non potest Deo esse fidelis, qui vxori suæ perfidus est: sicut nec ex diuerso cõscientiam seruat, qui Deo fidem non seruat, sed altera alterius fornicationis est accusatrix. Nam etsi interim non prœuaricatur lasciuus, tamen iam in eo statutus est vt prœuaricetur, si corruptio persuasionis accesserit. Et illi quidem secundùm carnẽ interrogabant, quæ pati merebantur secundum spiritum: Si licet dimittere vxorem quacunque ex causa ? Christus autem respõdit eis, quod facere eos nõ decebat, dicens: Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur. Sicut enim vxorem quocunq; modo contra voluntatem viri agentem, dignũ est repellere, non est autem iustũ quantum ad grauitatẽ viri, nisi ob causam fornicationis : Sic & Ecclesia quocunque modo contra voluntatẽ egerit Christi, digna est abiici : non autem abiicitur propter longanimitatem Christi, nisi sola causa transgressionis. Sicut enim si Christus prius dimisisset Ecclesiã Iudæorum non eis subministrans per Scripturas notitiam suæ diuinitatis, ipse faciebat eam adulterã cum diis extraneis, quoniam natura rationabilis & subdita Deo creata, sine Deo non potest esse: sic Christo semper eis sciẽtiam suæ diuinitatis subministrante, quoniam synagoga spernens transibat ad idola, inexcusabilis adultera reperta est. Propter quod repulit Christum, non repulit eam Christus: non quacunque ex causa, sed propter causam fornicationis ipsius: quia non solũ relicto Christo diabolo se coniunxit, sed etiam interfecit, pro quo mori debuerat. Ab initio enim Deus genuit Christum: deinde creauit hominem, rationabilem naturam angelorum & animarum, quasi coniugem & potẽtem suscipere verbũ ipsius. Ideo clamat, *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Et multis quidem modis homo separat quod coniũxit Deus. Quando enim quis audet † dicere aut facere aliquid, per quod scandalizati homines recedant à Christo : homo separat quod Deus coniunxit. Sed & si nullus alter hoc faciat, ipse autem homo peccans à Deo recedat, repellẽs sanctũ † eius à se, homo videtur separasse quod Deus coniunxit. *Dicunt ei discipuli: Si ita est causa viri cum vxore, non expedit nubere.* Audientes cogitabant apud se: Mulier bona difficilè inuenitur, protestante Salomone: In mille virum bonum inuenies : in omnibus autem his mulierem non inuenies. Quid autem est aliud mulier, nisi amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, necessariũ malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura, boni colore depicta? Ergo si dimittere illam peccatum est, tenere autem verè tormentum est : necesse est, vt aut dimittentes adulterium alterum faciamus, aut tenentes quotidianas pugnas & amaritudines habeamus. Ideo responderunt: Si ita est viri causa cum vxore, non expedit nubere. Tunc Dominus non dixit, quia expedit, sed magis consensit, quia non expedit: sed infirmitatem carnis aspiciens, dixit: *Non omnes capiunt verbũ istud, sed quibus datũ est.* Non dixit, non omnes possunt : sed, non omnes capiunt : id est, omnes quidem capere possunt, sed non tamen omnes capere volunt. Palma proposita est. Qui concupiscit gloriam, non cogitat de labore. Nemo vinceret, si omnes periculum pugnę timerent. Ex eo quod quidam non possunt, & à proposito continentiæ cadũt, non debemus circa virtutem castitatis fieri pigriores. Si enim quidam in pugna cadentes non exanimant cęteros, sed dicunt illis sic datum fuisse, rem non applicant pugnæ, sed homini: quantò magis nos cadentium negligentiæ imputare debemus, non difficultati virginitatis? Quod autem dicit, Quibus datum est: nõ hoc significat, quoniam quibusdam datur, quibusdam non datur: sed illud ostendit, quia nisi auxilium gratię acceperimus, nihil ex nobis valemus. Quoniam autem volentibus gratia non denegatur, in euangelio Dominus dicit: Petite, & dabitur vobis : quærite, & inuenietis : pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit : & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Debet autem voluntas præcedere, & sic sequitur gratia. Nam nec gratia sine voluntate aliquid operatur, nec volũtas sine gratia potest. Nam & terra nõ germinat, nisi pluuiam susceperit, nec pluuia fructificat sine terra. *Sunt eunuchi, qui sic nati sunt ex vtero matris suæ: & sunt eunuchi, qui ab hominibus fiunt: & sunt eunuchi, qui seipsos eunuchos fecerunt propter regnum cælorum.* Tanquã si dicat aliquis: Quid dicis Domine: Si ex quacunq; causa cõtigerit homini vxorem nõ habere: an continentiæ habebit mercedem? Non semper. Sicut enim peccatũ sine volũtate opus non facit, ita iustitia ex opere non consummatur, nisi & volũtas affuerit. Multi enim corpore quidẽ castitati studeant, adulterium autem voluntate committunt. Nisi enim ex voluntate sola fornicatio consummaretur, nũquam Dominus diceret : Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, mœchatus est eam in corde suo. Ergo voluntas sine corpore † frequenter peccat. Illa est gloriosa continentia : non quam trãsgredi non potest necessitas debilitatis corporis, sed quam complectitur voluntas sancti propositi. Ideo dicit: Sunt eunuchi qui sic nascuntur ex vtero matris suæ: sunt eunuchi qui ab hominibus fiunt: sed illos tenet necessitas, hunc autem tertium coronat

præsumit.

spiritum.

Eccl. 7.

Mulieris malæ descriptio.

Prou. 10.

Esa. 2.

Sup. 7. & Luc. 11.

Matt. 5.

opere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

voluntas. Quòd autē sic nascuntur, à creatione fit: quomodo nascuntur & sex digitos habentes, aut quatuor, & similia. Si enim Deus, sicut ab initio constituit, vnāquamque naturam sic dimitteret, illam immutabiliter semper in suo ordine permanere, in obliuionem deduceretur coram hominibus operatio Dei. Nam æstimaretur natura rerum ipsa se regere: vt puta cōstituit Deus naturaliter, vt in hyeme frigora sint, calor autem in æstate, vt terra fructum proferat, vt pluuia descendat de cœlo. Si hæc sicut ab initio constituta sunt, ita in suo statu immutabiliter perseuerarent, inueniretur Deus ab initio quidem constituisse, & de cætero omnem naturam in sua potestate reliquisse, & per hoc fieret vt iam creatura necessarium non haberet factorem. Ideo ergo natura rerum conuertitur contra naturam suam interdum vt semper Deus naturarum opifex in memoriam reducatur, & semper necessarius sit factor suæ naturæ: & non solùm semel, sed quotidie opera sua facere videatur. Propterea in euangelio de cæco, qui sic natus fuerat, Dominus dicit: Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestētur opera Dei. Non solùm simpliciter intelligendum est, sicut multi putant, vt cæco sanato Dei potētia cognoscatur, id est operās Deus. Alioqui omnibus infirmitatibus sanatis, Dei potentia cognoscitur: sed ideo in illius persona hoc dicit, quia contra regulam naturæ sine oculis erat creatus, vt in transuersione naturæ opus Dei intelligatur dum emendatur natura. *Tunc oblati sunt ei pueri, vt manus eis imponeret, & oraret.* Tunc, scilicet quando Dominus de castitate sermonem faciebat, & beatos pronunciabat eunuchos. De gloria enim continentiæ Domino referente atque dicente, Sunt qui se eunuchisant propter regnum cœlorum: audientes quidam obtulerunt ei infantes, pueros castitate mundissimos. Putabāt enim, quia Dominus corpore mundos tantum laudaret, non & voluntate: nescientes quia Dominus non illos beatificauit eunuchos, quos puericiæ necessitas facit castos, sed continentiæ virtus. *Discipuli autem vetebant eos.* O caro amica rerum malarum, & non amica rerum bonarum: quia non delectatur in bono, ideo facilè obliuiscitur bonum: malum autem quicquid audierit, quasi naturaliter in corde suo plantatum, sic retinet semper. Nam nunquam potest aliquis obliuisci quod diligit, nec retinere quod odit. Ante enim modicum Christus accipiens puerum dixerat: Nisi facti fueritis sicut puer iste, non intrabitis in regnum cœlorum. Et ecce statim obliti discipuli puerilis innocentiæ, vetebant ad Christum pueros quasi indignos accedere, ad quorum similitudinem ipsi fuerant inuitati. Nam quis mereatur appropinquare Christo, si repellitur ab eo infantia simplex? Putabant enim se honorem facere Christo, damnum facientes gloriæ eius. Nam quemadmodum damnum est medico, si subtrahantur infirmi: sic damnum est Christo, non habere quos saluet. Si enim expectans Samaritanos peccatores, de quibus ipse mandauit quasi de indignis, In ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: tamen sic de aduentu eorum gaudebat, vt diceret: Escam habeo manducare, quam vos nescitis: putas quantò magis esuriebat salutem innocentium puerorum? Ideo dixit: *Nolite vetare pueros.* Nam si sancti futuri sunt, quid vetatis filios ad patrem venire? Si autem peccatores futuri sunt, vt quid sententiam condemnationis profertis antequam culpam videatis? *Talium est enim regnum cœlorum.* Talium, nō omnium. Nam quales modò sunt, meum est: quales autem posteà futuri sunt, ipsorum. Quod ergo meum est, honorate: quod autem ipsorum fuerit, miseremini. Talium est enim regnum cœlorum, qui casti sunt ex virtute, sicut pueri ex ætate. Talium est, qui simplices oculos habent sicut pueri, & non cognoscūt differentias personarum. Ecce enim puer, si viderit hominem, nihil aliud videt in eo, nisi hoc solùm quia homo est: non dignitatem eius intelligit, non considerat vestem ipsius. Vir autem perfectus, cùm hominem viderit, non aspicit quia homo est: sed statim cogitat de dignitate illius, & æstimat vestimenta ipsius. Vides ergo, quia sapientior est imperfectus puer, quàm perfectus vir? Vir enim non hominem aspicit, quem Deus fecit dominus: sed ornatum, quem diabolus adinuenit. Puer autem non ornatum aspicit quem diabolus adinuenit, sed hominem quem Deus creauit. Priusquam puer veneno diabolico mundialis maliciæ repletus fuerit, cognoscit opus factoris: cùm verò inebriatus fuerit mundi spiritu iam non aspicit opus factoris, sed illecebras corruptoris. Præsens locus instruit omnes parentes, vt filios suos indesinenter sacerdotibus offerant: quia si sacerdotibus offerunt, offerunt Christo. Non enim sacerdos manus imponit, sed Christus, in cuius nomine manus imponitur. Si enim qui escas suas per orationem non offert Deo, coinquinatas eas manducat, secundùm quod de illis ait Apostolus: Quoniam omnis creatura Dei bona, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. Dicens enim, sanctificatur per verbum Dei & orationem: ostendit, quia maculata est, nisi per orationem fuerit omnis esca mundata & sanctificata: quātò magis pueros offerri Deo & sanctificari necesse est? Causa autem sanctificandarum escarum hæc est, quoniam mundus totus in maligno positus est. Ergo & omnis res corporalis, quoniam mundi est pars, in maligno est posita, & ipsam propterea oportet sanctificari. Consequenter & infantes quando nascuntur, & ipsi quantum ad carnem in maligno sunt positi: quoniam & omnis caro quasi pars mundi, in maligno posita est. Propterea necesse est offerri pueros, vt assiduè super eos oratio fiat: quoniam escam semel sanctificari necesse est. Manducamus enim eam, & transit: hominem autem quem indesinenter, aduersarius persequitur & sordidat, semper sanctificari necesse est. Aliter: Conuenienter confutatis Iudęis tentatoribus & lasciuis, offeruntur pueri Christo in mysterium Gentium in fide paruulorum, & lactis adhuc solius capientium escam, quos obtulerunt Christo patres eorum: sicut ordinis est intelligere, posita sunt euangelia Gentium singularum, quod discipuli in figura principum Iudaici populi prohibebant: quoniam semper Iudæi omnia faciebant, ne Gentes saluarentur introductæ ad fidem.

Qui de causa cōtra cursum naturæ aliqua interdum euenjant.

Ioan. 9.

Sup. 17.

Sup. 10. Luc. 10. Ioan. 4.

HOMILIA XXXIII. EX CAP. XIX.

Et ecce vir vnus accessit ad eum, & ait: Magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? Et reliqua. Non sine ratione quærendum est in hoc loco, cur hic de isto adolescente Christum interrogante, Magister bone, quid boni faciam, vt vitam æternam possideam: cùm dominus impleuisset narrationem, in fine sic addidit: Multi enim erunt, inquit, primi nouissimi, & nouissimi primi. Quod de Iudæis & Gentibus dictum esse dubitat nemo. Ne fortè ergo hic adolescens in mysterio introducitur Iudaici populi semper adolescentuli, semper gloriantis & leuis. Sic enim facere solet Christus plerunque, quando de mysterio alicuius rei est locuturus, antè introducit corporaliter facientem id ipsum, vt ex eo occasionem inueniens, corporalem narrationem mysterij, quam rei propositū exequatur: Vtputa,

Luc. 14. Vtputa, cum de compescenda iactantia Pharisæorum apud Lucam locuturus fuisset, introducit primò hydropicum, & sanauit, vt in corporali tumore hydropici, iactantiæ Pharisæorum pungeretur * inflatio. Sic & hic cùm de refutatione Iudęorum, & electione Gentium mysterium exponere voluisset, ex eo verbo quod dicit ad Petrum, Et omnis qui reliquerit patrem & matrem, &c. vsque ad parabolam subsequentem de mercenariis conductis in vineam, hora prima, tertia, sexta, & nona, & vndecima, quomodo Gentes præponendæ erant Iudæis: introduxit istum adolescentem gloriantem, & leuem, & amantem amplius bona sua carnalia, quàm cœlestia Christi promissa: vt passione corporali adolescentis istius, Iudaici populi spiritualis passio demonstraretur: propter quam Christo non credidit: id est propter placentia sibi, propter iactantiam vanam, propter quæstus quos capiebat ex lege, remansit in lege. Propterea quæcunque dicuntur de adolescentulo isto, sic sunt accipienda, quasi de populo Iudaico dicta. Iudaicus ergo populus erat adolescens, non ætate, sed leuitate: moribus immaturus, non annis. Nam omnia quidem vitia carnalia, iuuenilia sunt, 2. Tim. 2. sicut dixit Apostolus. Iuuenilia enim desideria fuge, sectare iustitiam, misericordiam, pietatem, &c. Præcipuum autem vitium iuuenile, est gloriatio, quæ amplius vult videri, quàm est: aut in toto vult videri non esse qualis est. Nam sic * populum Iudaicum fuisse cognouimus in Scripturis, sicut & Dominus dicit de illis: Faciunt omnia, vt ab hominibus videantur. Item: Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui diligitis primas cathedras in synagogis, &c. Item: Vę vobis qui iustificatis vosipsos, Deus autem cognoscit corda vestra. Propter quod & ficus dicti sunt, habentes folia sine fructu, id est speciem sanctitatis, non ipsam sanctitatem, quam æstimatione quidem iustitiæ sectabantur, opera autem abhorrebant. Et vide quomodo in exordio ipso narrationis populi Iudaici mores significat. Dicit enim: *Magister bone, quid boni faciam, vt vitam æternam possideam?* Quia semper Iudæi interrogatores Dei fuerunt, & non obauditores: laudatores sanctorum, & non imitatores: auditores legis, & non factores: semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes: gloriantes in lege, & per præuaricationem legis dominum Deum inhonorantes. Adhuc & illud considera, quia nihil de actione Dei interrogat quid credat, aut quomodo credat: sed hoc, Quid faciendo vitam æternam possideat: quia omnis spes salutis apud Rom. 9. Iudæos in operibus erat, non in fide, sicut dicit Apostolus de illis & Gentibus. Quoniam gentes quæ non sectabantur iustitiam, in legis iustitiam peruenerunt: quia non ex operibus, sed ex fide: Israël autem sectando legis iustitiam, in legem iustitiæ non peruenit: quia non ex fide, sed ex operibus. Prima autem iustitia est cognoscere Deum patrem, & Christum eius: nouissima autem iustitia, est facere opera bona: sicut cùm Ioan. 6. Dominus dixisset quibusdam Iudæis: Operamini cibum, qui non perit, sed qui permanet. Interrogantibus eis: Quid faciemus, vt operemur opus Dei? Respondit: hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem ille misit. Illi autem opus agnitionis Dei negligentes, quod est præcipuum Christiani opus, semper ad diabolum transibant, & de operibus iustitiæ requirebant. Propterea Dei agnitionem perdiderunt, & opera iustitiæ nunquam impleuerunt: quia virtus faciendæ iustitiæ, agnitio Dei est. *Dicit ei Iesus: Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi vnus Deus.* Nunquid non erat ipse bonus, cùm esset filius Dei Deus? Nam quemadmodum cùm ipse sit filius Dei, & ipse Deus est, quasi filius: sic cùm sit bonus Deus, & ipse filius Dei sine dubio bonus est, quasi filius boni. Sicque Iudaicus populus vnius Dei habens agnitionem, Christum nec filium Dei, nec Deum cognoscere volebat. Hac ratione laudem sibi oblatam ab eo repulit, quia non quasi Deum bonum, sed quasi hominem bonum eum dicebat. Quod non feciſſet, si ille quasi Deum bonum, bonum cum dixisset. Et verè quantum ad Iudæos, qui vnum Deum colebant, & Christum Dei filium non cognoscebant, nemo erat bonus, nisi vnus Deus: apud fideles verò, sicut vnus Deus pater est bonus, sic & vnigenitus Deus nihilominus bonus est. Puto autem, si dixisset ei, Magister sancte, aut etiam iuste, similiter respondisset: Quid me dicis sanctum, aut iustum? Nemo sanctus, nisi vnus Deus: nemo iustus, nisi vnus Deus. Ex quibus omnibus discimus, quoniam sicut tunc Christus laudem eius repulit, quia non cognoscebat eum, sic semper repellit laudes omnium ignorantium: consequenter nec Pater suscipit laudes eorum qui non cognoscunt eum secundùm quod est. Nunquid gentes non cognoscebant Deum & honorabant, * secundùm quod Athenienſibus dicebat Apostolus: Perambulās enim simulachra vestra, inueni aram ignoti Dei. Quem ergo vos ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis. Sed non suscipiebat culturam eorum, quia non cognoscebant eum secundùm quod ipse cognosci volebat. Si autem nec Christus suscipiebat laudes Iudæorum, nec Deus Pater Gentium: quia nō cognoscebant eum secundùm quod decebat cognoscere eos sine dubio nec hæreticorum suscipiunt laudem, vel Pater, vel Filius, quoniam nec ipsi cognoscunt quis Pater, quis Filius, errantes de ambobus, * & confundentes vtrunque: quoniam qui filium cognoscit, ille & Patrem cognoscit. Quòd si laudes eorum non suscipiunt, consequenter nec opera, quanuis videantur iusta. Propterea cùm dixerint, Nos in nomine tuo prophetauimus, & Sup. 7. in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus: dixit eis Iesus, Discedite à me, nescio qui estis. *Si vis venire in vitam, serua mandata.* Quàm sapienter ait, serua. Ille enim interrogauerat, quid boni faciam? iste contra illi respondit, serua. Non dixit, discemandata, quia Deus docuerat eum, factor naturæ rationabilis: sed serua, quia non seruabat. Nam in hoc quod admonetur seruare, ostenditur non seruasse. Nam non est ille bonus, qui interrogat de bono, sed qui facit quod bonum est. *Non occides.* In persona quidem loquens vnius illius quicunque fuerit, conuenienter loquitur personæ populi Iudæorum. Quæcunque enim sciebat, quasi Deus, populum Iudaicum esse facturum, vel in se, vel in discipulos, vel iam facere: anticipans eadem ipsa, præmonet eos, & dicit? Si vis intrare in vitam, non occidas. Sed occiderunt & ipsum, & discipulos eius. *Ne adultereris.* Sed adulterati sunt recedentes à Deo suo, & viro animarum suarum, cum diabolo corruptore. *Ne furtum facias.* Sed fecerunt, furantes quidem fidem diuinitatis eius ex opere, & dicentes: Hic non eiicit dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum: ne per opus illud crederent Christo. Item furati sunt veritatem resurrectionis eius de toto mundo, quantum ad se, dantes pecuniam multam militibus, vt dicerent, quia nobis dormientibus, nocte venerunt discipuli eius, & furati sunt corpus eius. *Non falsum testimonium dices.* Sed dixerunt contra Scripturas, hunc scimus vnde est. Deinde falsum testimonium protulerunt, dicentes: Nos audiuimus eum dicentem, quoniam ego dissoluam templum hoc manu factum, & in triduo reædificabo illud. Similia & in Stephanum dixerunt. *Honora patrem tuum &*

al. vult videri, & nō esse: sicut populum, &c. Inf. 23. Luc. 16.

non colebant eum, & ignorabant. Act. 17.

de substantia amborum.

Sap. 12. Luc. 11. Inf. 27.

Inf. 7. Ibid. 2.

Act. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

matrem tuam. Sed non honorauerunt neque patrem A suum Deum, qui seminauerat eos, neque matrem suam Ecclesiam patriarcharum & prophetarum cœlestem: sed tanquam genimina viperarum ruperunt eos, & exierunt ab eis. *Et diliges proximum tuum sicut teipsum.* Sed non dilexerunt Christum factum sibi proximum, secundùm carnis cognationem. Quoniam ergo & olim per Mosen hæc eis seruare præcepit, & posteà per seipsum: illi autem non seruauerunt, ideo non intrauerunt in vitam, id est in agnitionem Dei Patris & Christi. *Et respondit: Hæc omnia seruaui à iuuentute mea.* Natiuitas Iudaici populi fuit ex tempore Abrahæ, vsque ad exitum eius de Ægypto. Tunc enim quasi infans
Ezec.16. fuit populus ille, sicut Deus apud Ezechielem prophetam testatur, dicens ad Hierusalem: In qua die nata es, non est præcisus tuus vmbilicus, & non alligauerunt mamillas tuas: & etiam in aqua non es lota in salutem, neque oleo vncta es, neque sale salita, neque pannis inuoluta es: neque pepercit oculus meus in te, B vt facerem tibi vnum ex istis omnibus, vt pararetur aliquid super te, & proiecta es in faciem campi, & in prauitate animæ tuæ, in qua die nata es. Et transiui ad te, & vidi te conspersam in sanguine tuo, & dixi tibi: De sanguine tuo bibes. Et multiplicaui te: sicut hortum agri dedi te, & multiplicata es, & magnificata es, & intrasti in ciuitates ciuitatum. Iuuentus autem eius fuit ex tempore Mosi, vsque ad reges. Virilitas autem eius ex tempore regum eius, vsque ad transmigrationem Babylonis. Senectus autem eius à transmigratione Babylonis vsque ad Christum, quando est mortuus populus ille, propriam interficiens vitam. De istis autem ætatibus suis etiam per Prophetam testatur populus il-
Psal. 70. le, & dicit: Domine, memorabor iustitiæ tuæ solus: domine, quam docuisti me ex iuuentute mea, id est ex tempore Mosi, quando legem ad eruditionem suam accepit. Et vsque nunc pronunciabo mirabilia tua: quod est in tempore regum. Et vsque ad senectam & C senium Deus ne derelinquas me, donec annunciem brachium tuum generationi omni quæ ventura est: quod factum est in tempore Christi, quando qui digni fuerunt ex eis credere in Christum, brachium Domini annunciauerunt omni generationi Gentium, postmodum credenti in Christo. Quàm congruum autem populus ille Iudaicus dedit responsum, qui tamen corde nunquam credebat, semper ore commendabat se dicens: Hæc omnia seruaui à iuuentute mea. Quod non erat verum. Nam & prophetas occidit, cùmque idolis semper adulteratus est, & furtum veritatis Scripturarum semper commisit, sicut etiam Do-
Sup.15. minus dicit de illis: Quia irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Et falsa testimonia dixit in interfectoribus prophetarum, maximè in E-
Esa.1. saiam, apud regem Manassen, dicens: Quia principes vestros, Sodomitas appellat: & populum Israëliticum, Gomorrheos, Dominum sabaoth se vidisse blasphe- D
cõfirmat. Exo.33. mat, * cùm dicat Deus: Nemo videbit faciem meam, & viuet: propter quod & serratus est lignea serra. Sed omnia illa specialiter conuincere Christus omittens, quasi ex aliis argumentis vult populum Iudaicum ostendere nihil horum vnquam seruasse, dicens, *Respondit Iesus: Adhuc tibi restat vnum, Vade & vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me.* Ac si dicat, Scio quidem quia mentitus es, & interim accipio hæc quasi vera. Si ergo omnia ista seruasti à iuuentute tua, vt fias perfectus, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me. Quæ sunt quæ possidebat Iudaicus populus? Puto quòd illa quæ dicit Lucas hoc modo: Ad horam autem cœnæ misit Luc.14. inuitatos vocare: illi autem recusauerunt, & vnus dixit: Villam emi, & vado videre illam: & alius, Iuga boum emi quinque, & vado probare ea: alius autem, vxorem duxi, & ideo non possum venire. Quorum omnium interpretatio spiritualis facta est in proprio loco. Hic autem hoc dicimus tantùm, quia ex quibus causis illic ponuntur Iudæi non venisse ad Christum, ex ipsis causis carnalibus, & terrenis intelligitur populus recessisse à Christo, Tantùm * differentia in hoc est, quòd il- al.tamen.
lic Iudæi ponuntur non venisse ad Christum: quia amore carnalium rerum & terrenarum occupati, nec permanserunt in Christo, nec consideranerunt opera eius, nec audierunt sapientiam eius: propterea non cognouerunt eum filium Dei, nec venerunt ad eum. Hic autem illum populum Iudæorum demonstrat, qui vel ex prophetis, vel ex operibus, vel doctrinis eius cognouerunt filium Dei: & concupiscentia lucrorum carnalium, vel bonorum quæ consequebantur ex lege carnali, propter auaritiam recesserũt à Christo, non ignorantes diuinitatem eius, sed non sustinentes veram iustitiam eius. Quæ sunt ergo bona Iudaici populi, quæ vendere, & Pauperibus dare mandantur? Primum quidem agnitio Dei vnius, lex, templum, sacerdotium, leuitica & diuersa genera sacrificiorum, quibus omnibus carnaliter vtens populus ille, quasi possessiones fructiferas possidebat. Quæ quantùm ad æstimationem quidem Iudæorum magna videbantur, & multa: quantùm autem ad Christi promissa, pauca, & nimis exigua. Quæ omnia mandantur dari Gentibus, specialiter pauperibus, & nihil horum habentibus, in quibus populus ille Iudæorum fuerat diues. De hoc enim populo Iu- al. cõtem-
dæorum diuite & contemnendo, * & de populo Gen- nente.
tium paupere & ditando dicit Maria in Euãgelio: Pau- Luc.1.
peres impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Hoc ergo dicit Dominus ad populum Iudæorum, suadens eis, C quod melius est vnius Dei agnitionem vẽdere: vade, & trade eam gentibus pauperibus, & non habẽtibus Dei vnius & veri agnitionem: tu autem ascende ad maius, veni & sequere etiam me, vt cognoscas quoniam hæc est vita æterna, cognoscere nõ solùm verum Deum, sed etiam Christum Iesum, quem misit ipse. Possides templum: trade id gentibus pauperibus, & non habentibus templum Dei, & in primis venientibus ad agnitionem Dei, & veni sequere me, vt & ipse efficiaris templum Dei. Nam imperfectorum, & incipientium est habere templum Dei: perfectorum est templum Dei esse. Possides legem: trade eam pauperibus gentibus, & non habentibus legem: tu autem veni, sequere me, & eris in gratia sciens, quia lex non est posita iustis, sed impiis peccatoribus: gratia autem perfectionis est præmium. Possides legis diuersa mandata, vtputa habes hoc mandatum: Audi Israël, dominus Deus tuus, Deus Deut.6.
vnus est: trade ea pauperibus gentibus, non habenti- D
bus vnum Deum. Habes, non facies idolum: trade hoc Leui.26.
pauperibus gentibus, & per ignorantiam idola multa colentibus: tu autem sequere me, vt habeas vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscas v- Ioan.17.
num Deum verum, & Iesum Christum, quem misit. Habes, Non occides: trade hoc gentibus homicidia mul- Exo.20. &
ta facientibus: tu autem sequere me, vt non irascaris. Deut.5. &
Habes, Ne adulteretis: trade hoc gentibus lasciuis, vt Rom.13.
discant non adulterari: tu autem sequere me, vt ne concupiscas. Habes, Non periurabis: trade hoc gentibus, vt discant non periurare: tu autem sequere me, vt non iures. Habes, Oculum pro oculo, dentem pro dente: Exo.21.
trade hoc gentibus, vt nihil mali patientes inferant mala: tu autem sequere me, vt qui te percusserit in maxillam

Leuit.19. & Matt.5. maxillam vnam, præbeas illi & alteram. Habes, vt odias A inimicos, & vt diligas amicos: da hoc pauperibus gentibus absque omni iustitia qui nec amicis suis bonam conscientiam seruabant: tu autem sequere me, vt etiam inimicos diligas: quoniam hæc omnia pauperes debent habere, vt consoletur vita eorum in ipsis. Incipientium sunt omnia illa, non perfectorum. Si ergo hæc omnia tradideris pauperibus gentibus, & secutus me fueris, per hæc maiora quæ dixi, manifestum est, quia omnia illa à iuuentute seruasti, & proficiens in senectute tua, quæ iuuenum erant euacuasti. Si autem per hæc maiora me sequi nolueris, manifestum est quoniam omnia illa non solùm à iuuentute tua non custodisti, sed nec modò etiam in senectute tua conseruas. Quomodo autem potest fieri, vt sterilis eius sit senectus, cuius fœcunda fuit iuuentus? Nec est possibile, vt non crescat in illo bono, qui cœpit ab ipso bono. Nam non stat eum in suo statu
*Nam nõ stat sibi in suo statu priori. peiorem fieri, * sed necesse est, vt exercitatus semper crescat ad melius. *Ille autẽ his auditis, tristis abiit: erat enim ha-* B *bens multas possessiones.* Nam verè propter duas causas Iudaicus populus recessit à Christo. Aut propter peccata sua, quia nunquam seruauerat Dei mandata, sicut Do-
Matt.5. minus ad Nicodemum loquens testatur, dicẽs: Qui autem non credit in filium Dei, iam iudicatus est. Hoc autem iudicium est, quoniam lux venit in hunc mundum, & homines magis amauerunt tenebras quàm lumen. e-
Ioan.3. rant enim opera eorum mala. Omnis enim qui malum agit, non venit ad lumen, ne manifestentur opera eius. Aut propter lucra carnalia, quæ conferebant ei consue-
Infr.12. & Luc.14. tudines legis: sicut ostendit parabola, in qua se inuitati excusauerunt propter villam, propter boues, id est propter lucra carnalia. Nam sacerdotes quidem non venerunt ad Christum, ne sacrificiorum lucra amitterent: populus autem, quia per sacrificia (vt putabant) delebantur peccata eorum. Qualis autem emundatio fit in eo, qui in sanguine animalium veniam cõsequitur pec-
Psal.50. catorum? Quantum enim dolet de occisione animali- C um, tantum & emũdatur populus. Propterea dicit Propheta: Si voluisses, sacrificium dedissem, vtique holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, &c. Quomodo autem populus Iudaicus tristis secundùm animam abiit à Christo, intelligit qui cõsiderat quæ est lætitia spiritualis. Lætitia enim cordis est bonam conscientiam habere ad Deum, & spiritualiter esse gaudentem, ac propter hoc non desperãtem. Quomodo autem poterat populus ille habere bonam conscientiam ad Deum, & spiritualiter esse gaudens, qui intelligens Christum per opera eius esse filium Dei, propter peccata sua, aut propter lucra carnalia legis contemnens Christum, maluit esse in corporalibus possessionibus legis, quàm in gratia Christi? Ideo autem & abeunte illo Dominus dicit: *Quàm difficile diues intrabit in regnum cœlorum. Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* Quoniam facilius gentes, quæ fuerant tortuoso animo, intraturæ fu- D
erant per angustum ostium regni cœlestis, quàm Iudæi qui diuites videbantur. Diuites autem erant Iudæi in lege, in prophetis, cæterisque patriarchis, in scripturis diuites, in tẽplo, in sacerdotibus, in leuitis, in sacrificiis, cæterisque dispositionibus ad religionem pertinẽtibus: quæ omnia non illos ædificauerunt in sanctitate, sed inflauerunt superbia. Apud se quidem delectabantur seruire diabolo, coram aliis autem volebant apparere Dei cultores. Gentium autem animæ assimilatæ sunt tortuosis camelis, in quibus gibbus idololatriæ ipsorum erat: quoniam cognitio Dei erectio est animarum. Vnde & homines quia acceperant à Deo scientiam Dei, erecti creati sunt: animalia autem, quoniam non habent scien-

tiam Dei, in natura sunt fracta, id est * incuruata. Sic & * in natu-
idololatria, quæ videtur esse erectio corũ, id est religio, ra prona
potius depressio est animarum. Nam sicut præ omni iu- sunt facta.
stitia operum maior est iustitia cognoscere Deum: sic præ omni peccato maius peccatum est idola adorare. Sicut ergo gibbus cameli, qui videtur esse erectio sublimitatis corporis eius, ipse est magis depressio eius, & deformitas: ideo nec collum eius sursum erigere potest gibbo depressus: sic idololatria Gentium, quæ videtur illis esse maxima res, spiritualis iustitiæ religiositas, & erectio animarum illorum: ipsa est magis iniquitas, & incuruatio, & depressio animarũ ipsorum. Ideo enim nec caput animarum ipsorum sursum erigere possunt ad Deum, nec ad Dei notitiam peruenire, depressi idololatria sua. Et quemadmodum supra dorsum omnium iumentorum non stat sarcina, nisi fortiter fuerit colligata ad ipsum: supra camelum autem etiam sine recollectione repausat: (nam ipse gibbus sarcinam tenet in se, aptus est enim ad pondera baiulanda) ita in cæteris qui-
dem peccatoribus non * cognoscentibus Deum, O- * tamen.
mnes enim peccatores iumẽta dicuntur, sic dictum est: Homines & iumenta saluabis Domine: non stat sarcina Psal.35.
peccatorum in corde ipsorum, nisi cum magna violentia, & virtute diabolus tenuerit in corde ipsorum, alligans eam delectationibus. Ipsa enim cognitio Dei excutit à se pondera peccatorum, nisi hoc modo quo diximus fuerint colligata. In gẽtibus autem sine labore diabolus tenet peccata: quia non est illis cognitio Dei, quæ excutiat pondera peccatorum, sed idololatria ipsa, quasi gibbus retinet in se vniuersa peccata: apta est enim ad baiulanda pondera peccatorum. Dum enim sciunt Gẽtes idola sua neque videre, neque audire, neque intelligere quæ aguntur, neque irasci, neque vindicare posse: non solùm non se abstinent ab idololatria, & non se cõuertunt ad verum Deum, sed quotidie magis addunt peccata, sicut ait Salomon: Peccator adijciat ad peccan- Eccl.3.
dum. Deinde omnia animalia quanuis libenter terram aspiciant, semper tamen quando volunt, possunt tollere collum suum ad cœlum: solus camelus autem nunquam potest sursum tollere collum suum gibbo depressus. Sic omnes peccatores libenter quidem semper terrena a-
* al.adeũt. spiciunt, * tamen quandocunque volunt, possunt conuertere se ad cœlestem iustitiam: gentes autem nullo modo possunt explicare se, & ad diuina cõuertere, idololatria sua curuati, & excæcati. Ideo sicut camelus neque deorsum recto collo aspicere potest, sicut cætera animalia: neque sursum recto collo aspicere potest sicut homo, sed inter sursum & deorsum caput eius pendet in medio: ita & Gentiles neque animalibus assimilantur ad plenum, neque hominibus similes sunt. Propter humanum & rationalem intellectum suum hominibus non sunt similes, quia nunquam cœlestia, sed terrena semper attendunt. Deinde sicut omnia animalia æqualia habent crura corporis sui: (quantum enim habet altitudinis corpus vniuscuiusque animalis, tãtum pene altitudinis habent & pedes eorum, aut modicè amplius: præ omnibus autem animalibus multo amplius camelus altiores habet pedes quàm corpus, homo autem æquales habet corpori suo pedes:) sic omnes viri iusti, secundùm quod sunt, talia proposita habent, cogitationes & actus. Pedes autem sunt proposita, quibus de
Psal.130. re transeunt ad rem: Vnde & Propheta dicebat: Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. Item Apostolus: Parco autem ne 2.Cor.12.
quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Peccatores autem maiora proponunt, quàm sunt: proposita sua, & cogitationes, & actus

Universidad de Deusto
Biblioteca

maiores faciunt, quàm habent virtutes, vt semper maiores videantur esse quàm sunt: maximè autem Gentiles, qui super istam iactantiam, quam habent omnes homines peccatores, & mundiales, etiam ad secreta cœlestia extenderunt proposita sua, & cogitationes, & actus, volentes se ostendere supra quam erat natura ipsorum humana. Adhuc & alia ratione Gentes assimilantur camelo, quoniam nec camelus ad plenum immundus est, nec ad plenum mundus. Mundus quidem est, quia reuocat & ruminat: immundus autem, quia non habet duas vngulas fissas. Sic & Gentes, quoniam vacuæ sunt, nec mundæ ad plenum. Mundæ quidem fuerunt, quia & tractabant quæ Dei erant: id est, ruminabant, & conuersabantur rationabiliter penè secundùm Deum: sed conuersationem quæ pes est, non habent diuisam in duo, id est & in fidem, & in opera, sed habent opera tantum. Et sicut cameli pes ambulantis non dissipat terram, sed cum sit mollis, concordat ei, & complectitur eam: sic & conuersatio Gentium, quanuis non esset bona, non erat dissipàs terram, hoc est carnalem naturam, sed conueniens erat naturæ carnali, & secundùm voluntatem ipsius erat. Vt autem manifestum fiat quod dicimus, accipiamus exemplum quod dicitur apud Iob de intelligibili equo & bellatore, hoc modo: Qui in iracundia, inquit, demolitur terram. Qui ergo intelligibilis & bellator equus Christi est, ipsum in se portans sessorem, omne opus bonum & spirituale quod agit, in iracundia agit naturæ suæ irascens carnali, in eo quod displicet ei maleuolentia carnis: & aduersans ei, in destructionem carnis suæ agit, quod agit, & dissipat carnem suam. Nam si quis spirituales virtutes exequitur, propria mortificat membra: quantò magis & dissipat, id est demolitur terram? Gentiles autem etsi bona opera faciebant, tamen quia non propter Deum faciebant, sed aut propter æstimationem humanam, aut propter futuram nominis memoriam, aut propter hoc solùm, quia bonum facere, bonum est: ipsa conuersatio ipsorum non dissipabat naturam carnalem, quia hoc ipsum bonum quod propter vanum aliquid fit, & non propter Deum, secundùm carnem est, & secundùm voluntatem naturæ carnalis, & non est contrarium naturæ carnali, propter quod nec dissipat eam. Acus autem est verbum Dei, quod est filius Dei ipse: cuius prima pars subtilis est, atque acuta. Subtilis, secundùm causam diuinitatis ipsius, acuta autē secundùm causam incarnationis eius. Tota recta, & nullam habens deflexionem, aut scrupulum, per cuius vulnus passionis Gentes iam ingressæ sunt vitam æternam, qui vulnera consuere solus potest, à quo cōsuta est immortalitatis tunica, quæ olim consciſſa erat super Adam. Ipsa est acus quæ spiritui consuit carnem, vlterius separare se non potentem. Hæc acus Iudaicum populum iunxit simul & Gentium, de quo dicit Apostolus: Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Hæc est acus, quæ diruptam amicitiam angelorum & hominum copulauit. Hæc est acus: quæ configit & pertrāsit, & vulnus non facit. Et vt quid difficile populus Iudaicus intrat in regnum cœlorum? Primùm, sicut diximus, propter carnales vsus: quoniam lex corporalia habet lucra, & præsentia: Christus autem spiritualia promittit & futura. Apud carnales autem homines semper præsentia præponuntur futuris, & spiritualibus corporalia. Et non solùm sacrificiorum vsus erat carnalis, sed & omnis promissio legis corporalis erat, & terrena. Si enim Christianis suadere nō possumus diuitias contemnere oportere: dicunt enim nobis, Si noluisset Deus homines habere diuitias, non creasset eas in mundo: quantò magis difficile erat populo Iudaico diuiti secundùm homines persuaderi, vt derelinqueret diuitias legis, & totius Iudaici cultus, quas à Deo susceperat? Dicebant enim: Si Deus voluisset legē contemni & templum, illa omnia cum tanta ratione & diligentia non tradidisset. Populum autem Gentium, id est camelum, facilè erat per foramen acus transire, id est per angustum ostium de quo scriptum est: Contendite intrare per angustum ostium. Quare? quia omnis cultura Gentium vana & irrationabilis erat. A cultura autem irrationabili homines rationabiles non erat magni laboris ad cultum Dei viui conuertere. Et si Gentes cum tanto labore ab irrationabilibus deorum suorum diuelluntur culturis: quantò magis Iudæi difficilius euelluntur à rationabilibus Dei culturis? Ideo dixit, Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnū cœlorum. *Turbati autem sunt discipuli eius, dicentes: Et quis potest saluus fieri? Quibus respondit: Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Et verè quantum ad homines & incredibile & impossibile fuit populum Iudæorum posse saluari, qui post tot peccata actuum iniquorum, post tantas idololatrias, post tot prophetarū occisiones, nouissimè etiam ipsum dominum cœli & terræ quantum ad se occiderunt: sed apud Deum possibile factum est. Quoniam autem possibile fuit Deo saluare Iudaicum populum, multas in lege diuitias possidentem, credentium Iudæorum multitudo testatur, siue per ipsum Christū, siue per apostolos eius: vt bonitatis illius inuestigabile pelagus humana æstimatio non apprehendat, sed victa miretur. Tamen quia dixit Dominus, Apud homines hoc impossibile est, quantum ad humanam naturam, apud Deum autem possibile: ecce subito excitatur Petrus vnus de populo diuite, & ex persona difficile credentium Iudæorum, & clamat quasi testis potentiæ Dei factus, & confirmat Christi promissionem, & dicit: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Quoniam autem & ipse Petrus, & omnes apostoli & cæteri credentium Iudæorum contra possibilitatem humanam per Dei potentiam crediderunt in Christum, ipse testatur dicens ad Petrum: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Sermo iste conuenit ad omnes, vt singulis quibuscunque dicatur: quoniam beatus es tu, quia non reuelauit caro & sanguis tibi, sed pater meus qui in cœlis est. *Iesus autem dixit eis: Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Futurum autem erat, vt in die iudicij responderent Iudæi: Domine, non te cognouimus filium Dei in corpore constitutum. Quis enim hominum videre poterat thesaurum in terra absconditum? Solem in nube celatum? Quis suspicabatur stellam matutinam nasci super terram? Quis putabat mulierem quæ clausit paradisum, vt nemo intraret in eum, vt ipsa fieret prima porta paradisi, vt per illam lux prodiret per quam tenebræ intrauerunt? Ergo in iniuriam tuam non nos impulit contumacia cordis, sed decepit consideratio carnis. Vos respondebitis eis: Et nos homines fuimus sicut & vos, similem habentes animam, eandémque carnis naturam, & in vno viximus mundo, eisdem factionibus mundialium spirituum periclitātes, ipsis protectionibus Dei adiuti: in hoc etiam vos meliores fuistis nobis, quoniam nos fuimus homines peccatores & rustici, & obscuri in plebe, vos autem sacerdotes & scribæ, & principes populi. Nos illum cognoscere potuimus homines peccatores & rustici: & vos eum cognoscere non potuistis sacerdotes & scribæ, qui habebatis scripturas præ oculis vestris quasi lampades & semitas? Nos antequam mirabilia eius videremus, intelleximus

Iob 39.

Ephes. 2.

Luc. 13.

Infr. 16.

Matt. 25.

Universidad de Deusto
Biblioteca

aut fratrum, aut filiorum, aut possessionum relinquat A Christum, manens in perfidia sua priori, sed propter fidem Christi displiceant omnia illa, & sequatur Christum, centuplum accipiet. Sed hoc videamus, qui reliquerit omnia, centuplum in hoc sæculo quo modo recipere potest? Hæc autem difficultas contingit, quia Marc.10. & Luc.18. in hoc sæculo recepturos dicit alter Euangelista, aliquin in illo sæculo non est difficile. Ergo secundùm sanam doctrinam ita nos conuenit intelligere quod dicit, Centuplum accipiet: non vt ipsam rem quam dimittit, centuplam accipiat. Nec enim possibile est, quòd patrem aut matrem relinquens, centum patres aut matres recipiat: sed ita, tantam gloriam, tantam gratiam, tantam mirificam beatitudinem consequetur, vt centuplum valeat illi, quam res fuit quam dimisit. Ecce qui reliquerit patrem, & elegerit sibi patrem Deum, imò ei plus quàm centuplum constat recepisse quàm pater carnalis, vt illi obsequatur diebus ac noctibus, illius faciat voluntatem, illius expectet hæreditatem, qui post- B quam substantiam suam tradiderit suis, nunquam moritur: sed nec relinquet filios suos orphanos: sed & filij quasi perfecti viri possident diuitias eius, & pater semper illos sic tutatur, sic protegit, quasi semper infantes. Qui matrem relinquit, vt diligat magis matrem Ecclesiam: nónne ei plus est centuplum quam mater carnalis? Illa enim carnem eius peperit corporalem, hæc autem animam eius regenerauit æternam. Qualis caro, talis & mater carnalis. Cùm enim mortua fuerit caro, perit generatio carnis eius, & soluitur generationis affectus. Ex illo enim nec ille illi filius, nec illa illi mater: quia anima nec generat, nec generatur, & nullum cognoscit patrem, nisi eum cuius voluntate creata est: nullam cognoscit matrem, nisi Ecclesiam, quæ illam regenerauit in fide, quæ dedit ei mandata diuina ex duobus testamentis, quasi escam salutarem dulcissimi lactis, ex duabus mamillis quæ illi de aqua & spiritu texuit tunicam immortalem, quæ illum ad perfectum sanctitatis C adduxit, vt dignus fieret patris sui substantiam possidere. Qui reliquerit fratrem, vt habent Christum fratrem: nónne melior est ei, quàm cetum fratres? Qui fratribus suis non inuidet, qui super hæreditate non certat, qui propter lucrum non rumpit fraternitatis affectus, qui non solùm omnia sua, sed etiam seipsum dare paratus est: qui cùm omnia dederit, nihil ei minuitur. Nam humana substantia semper pauper est, & quãtumuis homo habuerit, nihil se putat habere. Illa autem substantia sola vera est, quæ omne desiderium satiat, & adhuc superabundat. Qui relinquit sorores, statim eum suscipiunt gratiæ Dei, quasi charissimę sorores. Non enim vlla soror sic dulciter complectitur fratrem suum, quomodo gratiæ Dei complectuntur animã sanctam. Nam quotiens gratiæ Dei in sensibus nostris hærent & delectant nos, quotiẽs animas nostras complectuntur, quasi osculari videntur. Si filios dimiserit, prouidet illi Deus filios spirituales quos doceat, quos erudiat, & quibus di- D

1.Cor.4. cat apostolica voce: Nam in Christo Iesu per euangeliũ ego vos genui: qui patris mortem non expectant. Nam filij carnales, si modicum pater eorum fuerit senex, tẽdiantur de vita ipsius; desiderant eum mori: & si citò mortuus non fuerit, cõtemnunt eum quasi delirum. Filij autem spirituales quantò perfectiores fuerint in fide, tantò amplius diligunt doctorem suum. Si dimittit substantiã, ab omnibus diligitur, ab omnibus honoratur, à quibusdam autẽ & timetur. Nam ipse Deus cui se tradidit, dat ei gratiam coram omnibus. Nónne melius est ei hoc, quàm vniuersa terra? Aut quæ substantia præstat homini tantam gloriam super terram, quanta est opinio sanctitatis? Adhuc pro substantia terrena datur ei substantia spiritualis, quàm iunior filius & lasciuus accepit à patre suo, & consumpsit viuendo luxuriosè, id est sapientiam, sciẽtiam, cæteráque virtutes innumerabiles, quas consequuntur qui relictis facultatibus mundialibus se tradiderunt Deo. *Multi enim erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.* Prima enim synagoga vocata fuerat ad salutem, sed illa infidelitatis vitio ægrotante, in domo patris sui, id est legis, Ecclesia surgens de infirmitate peccatorum suorum cucurrit ad Christum, vincens fide languorem, & sic transmissam gratiam synagogæ præripuit. Synagoga autem videns Ecclesiam non solùm ab infirmitate sua sanatam, sed etiam accepto Spiritu sancto filiam Dei factam, accessit & ipsa ad Christum, magis zelo vrgente quàm fide: sicut dicit Apostolus, Sed eorum delicta salus Gentibus vt illos æmulentur. Rom.11. Sic synagoga quæ primo loco vocata est, secundo credidit. Ecclesia quæ secundo vocabatur, salutis primitias obtinuit apud Deum.

Homil. xxxiiii. ex cap. xx.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamiliâs, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conuentione autem facta cum operario ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, & dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa horam sextam & nonam, & fecit similiter. Circa vndecimam verò exiit, & inuenit alios stantes, & dicit illis: Quid hìc statis tota die otiosi? Dicunt ei, Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam. Cùm sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis vsque ad primos. Cùm venissent ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati sunt quòd plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes, murmurabant aduersus patremfamiliâs, dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus? At ille respondens vni eorum, dixit: Amice, nõ facio tibi iniuriam: Nónne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade. Volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. Aut non licet mihi, quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erũt nouissimi primi, & primi nouissimi. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Homo paterfamiliâs Christus est, cui cœli & terra quasi vna est domus: familia autem quasi cœlestium & terrestrium multitudo creaturarum, qui quasi tristegam domum ædificauit, id est inferos, cœlũ & terram: vt super terram habitarent certãtes, in inferno autem victi, in cœlo victores. Vt & nos in medio cõstituti, non contendamus ad eos descendere, qui sunt in inferno, sed ad eos ascendere, qui sunt in cœlo. Et ne fortè nescias quid debeas fugere, aut quid debeas sequi, vtriusque dedit tibi quasi modicum gestum inter lumen & tenebras habitãti. Noctem de inferno, lumen de cœlo. Nox tibi referat de tenebris inferorum, & lux tibi referat de splendore cœlesti. *Conducere operarios in vineam suam.* Quæ est vinea Dei hîc? non homines, sicut alibi: homines enim vineæ cultores dicuntur. Vinea enim iustitia est, in qua diuersæ species iustitiarum positæ sunt, quasi vites: Vtputa mansuetudo, castitas, patientia, longanimitas, cæteráque innumerabilia bona, quæ omnia generaliter iustitiæ appellantur. Attendamus ergo cum quali studio cœlestem vineam colamus. Adam enim positus est in paradiso colere & operari eam: sed quia neglexit eam, proiectus est de ea. Et nos positi sumus super colendam iustitiam, si neglexerimus, proiiciemur

Psal.68. proiiciemur de ea, sicut & Iudæi proiecti sunt: De qui- A bus scriptum est: Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, vt non intrent in tuam iustitiam. Ruina precedentium admonitio debet esse sequentium. Si autem & nos sequentes ceciderimus in ipsam, magis veniam merentur illi qui primi ceciderunt, quàm nos qui secundi. Sicut autem mercenarius positus in vinea, si neglexerit eam, non solùm mercedem suam perdet, sed etiam desertæ vineæ exigetur ab eo damnum: sic & nos, si neglexerimus iustitiam nobis commissam, non solùm nullam mercedem habebimus, sed etiam dissipatæ iustitiæ dabimus rationem. Vinea enim Dei non extra nos, sed in nobis ipsis plantata est. Ideo qui peccatum facit, dissipat in se iustitiam Dei: qui autem bona opera facit, colit eam in se. Bene autem culta iustitia Dei in sensibus tuis generat botryonem, id est Christum. Nam qui

Galat.4. operantur iustitiam, Christum formant in se, sicut scriptum est: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Et quia qui vineam consignat B alicui operandam, non tantum propter illius vtilitatem consignat, quantum propter suam. Deus autem iustitiam suam dans in sensibus nostris, non propter suam vtilitatem dedit eam, sed propter nostram. Nec enim Deus opera hominum necesse habet, sed vt nos operantes iustitiam, viuamus propter eam. Si ergo ille, qui propter suam vtilitatem vineam commisit alicui, talem illam quærit recipere, qualem illam commisit: quomodo non à nobis sic immaculata iustitia requirenda est, quomodo eam creauit in nobis: quibus non propter se dedit eam, sed propter nostram salutem? Scitote quia mercenarij sumus conducti. Si ergo mercenarij sumus, cognoscere debemus quæ sunt opera nostra. Mercenarius enim sine opere non potest esse. Opera autem nostra sunt opera iustitiæ: non vt agros nostros colamus, & vineas: non vt diuitias acquiramus, & congregemus honores: sed vt proximis prosimus. Et quanuis hæc sine peccato facere possumus, tamen non sunt opera no- C stra, sed diaria nostra. Sicut ergo nemo ideo sic conducit mercenarium, vt hoc solùm faciat, quod manducet: sic & nos non ideo vocati sumus à Christo, vt hæc sola operemur, quæ ad nostrum pertinent vsum, sed ad gloriam Dei. Et sicut mercenarius, qui hoc solùm facit quod manducat, sine causa ambulat in domo: sic & nos si sola hæc facimus, quæ ad nostram pertinent vtilitatem, sine causa viuimus super terram. Et sicut mercenarius prius aspicit opus suum, deinde diaria sua: sic & nos si mercenarij Christi sumus, primùm debemus aspicere quæ ad gloriam Dei pertinent, proximíque profectum. (Quia charitas & verus amor erga Deum non quærunt quæ sua, sed ad libitum amati cuncta desiderat perficere) deinde quæ ad nostram vtilitatem. Et sicut mercenarius totum diem circa Domini opus impendit, vnam autem horam circa suum cibum: sic & nos omne tempus vitæ nostræ debemus impẽdere circa opus gloriæ Dei, modicam autem partem circa vsus nostros ter- D renos. Et sicut si mercenarius, qua die opus non fecerit, erubescit intrare domum, & petere sibi panem: quomodo tu non confunderis intrare in Ecclesiam, & stare ante conspectum Dei, quando nil boni in conspectu Dei gessisti? Exiit primo mane, & vocauit Adam, & qui cum eo fuerunt. Hora tertia Noë, & qui cum eo fuerunt. Hora sexta Abraham, & qui cum eo fuerunt. Hora nona Mosen, & qui cum eo fuerunt: aut Dauid, & qui cum eo fuerunt. Nam ad istos posuit testamenta. Hora vndecima Gentes intellige, quia iam nos in nouissima mundi margine stamus, sicut & Ioannes in epistola

1.Ioan.2. sua testatur, dicens: Filioli, iam nouissima hora est. Apostolus autem dicit iam aliquam partem duodeci-

mæ horæ transisse, sic: Nunc enim propior est nostra Rom.13. salus, quàm cùm credidimus. Puta erat vndecima hora. Nostro tempore iam si non est duodecima hora integra, sed sine dubio modicum restat. In duodecima hora sumus. Vnde putas, quia candor iustitiæ iam recessit de mundo, & sol radios gratiarum suarum in se colligens reuocauit, & totam terram nigredo iniquitatum vel mendaciorum quasi nox fusca cooperuit, nisi quia iam & ipsa duodecima hora finiatur? Vbique tenebras vides, & dubitas diem transisse? Prius etenim in vallibus fit obscuritas, die declinante ad occasum. Quando ergo colles videris obscurari, quis dubitat quin iam nox est? Sic primùm in secularibus & laicis Christianis incipit prætualere obscuritas peccatorum. Nunc autem quando iam vides, quòd sacerdotes positos in summo vertice spiritualium dignitatum, qui montes & colles dicuntur, apprehenderit iniquitas tenebrosa: quomodo dubitetur quia finis est mundi? *Item exiit circa tertiam, & vidit alios stantes in foro otiosos.* Videamus qui sunt otiosi. Non peccatores illi enim mortui dicuntur, non otiosi. Sicut enim surdus apud Deum dicitur, qui non audit quæ Dei sunt, sed quæ diaboli: sicut cæcus dicitur, qui non corporaliter cæcus est, sed per cuius oculos diabolus videt, & non Deus: sic qui diabolo viuit, mortuus est apud Deum. Quis est ergo otiosus? Qui opus Dei non operatur. Puta si a- Otiosus quis. lienas res tollis, non es otiosus, sed mortuus. Si autem aliena quidem non tollis, tamen nec de tuis rebus impotentibus das, tunc otiosus es. Nam quia aliena non tollis, non quidem peccas, tamen nec iustitiam, nec misericordiam operaris. Vis non esse otiosus? Nec aliena tollas, & de tuis des, & operatus es in vinea Domini, & coluisti misericordiæ vitem. Inebriaris, in de- 2.Tim.5. liciis es, non es otiosus: sed sicut ait Apostolus, viuens mortuus es. Si autem mensuratè manducas & bibis, non quidem peccas, quia non malè manducas, tamen C otiosus es, quia nullam ieiunij operaris virtutem, * † Vis * vitem. ergo non esse otiosus? Ieiuna, & quod manducaturus fueras diurno, da impotenti, & coluisti ieiunij vitem. Item fornicaris, mortuus es, non ociosus. Si autem tuam habes vxorem, non quidem peccas, nec tamen castitatis operaris vitem. Vísque esse non otiosus? Sine vxore es, ne quæsieris vxorem. Si vidua es, noli transire ad secundas & tertias nuptias, & operata es castitatis vitem. Sed fortè dicis, Sine vxore esse non possum. Ostendo tibi, vt vxorem habeas, & castitatis vitem colas. Abstine te à menstruata, abstine te à prægnante, erubesce facere quod animalia non faciunt. Omne animal conceptionis suæ seruat honorem, & tempus: homo autem solus contemnit. Quando dies festus est, aut dies ieiunij, serua vt impleas Apostolicum præceptum: No- 1.Cor.7. lite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu, vt vacetis ieiunio & orationi. Item si inuides meliori, mortuus es, non otiosus: si autem nec inuides, nec congaudes, otiosus es. Non solùm ergo non inuideas, sed etiam congaudeas meliori, & beneuolentiæ vitem colis. *In foro.* Forum est iste mundus, vbi omnia venalia sunt. Sicut enim proprium est fori, vt omnia illic venundentur, & emantur, & inuicem se circunueniant ementes & vendentes: sic in hoc mundo omnes vendendo & emendo viuunt, & inuicem sibi fraudem facientes, vitam suam sustentant. Inter emptores autem, & venditores accipe tibi omnes diuitias & honores sæculi huius, quæ & ipsæ nihilominus & venduntur & emuntur, & omnis quæstus eorum in vẽditione seu mercatione consistit. Fuge ergo forum, vt nec patiaris fraudem, nec facias. Si autẽ passus fueris, ipsa res te compellit & facere. Nam si iniuriam passus fueris, si nocitus fueris, difficile est, vt &

Universidad de Deusto Biblioteca

tu adinuicem non noceas. Prima ergo laus est Christiano, alienum esse à foro, nullam causam habere cum illo, sicut ait Apostolus: Rogo autem vos, studium habere quietis & silentij, ac negotij proprij operando manibus vestris: & nullius vestrum desiderium sit ad eos qui foris sunt. Si enim in foro permanseris, & quod habes, perdes: si autem in vinea assiduus fueris, & quod non habes, acquires. *Item exiens circa sextam & nonam.* Ideo iunxit sextam & nonam, quia in sexta & nona generatione vocauit Iudæos, & frequentauit cum hominibus disponere testamenta, quasi definito salutis omnium tempore iam propinquante. Nam post Noë ad neminem legimus Deum locutum fuisse, nisi primùm ad Abraham, post eum confestim ad Isaac & Iacob. Deinde non post multum temporis ad Mosen, cui & legem dedit, Post eum ad Iesum Naue. Trãsacto autem non multo pòst tempore, ad Samuelem & Dauid, & in singulis quibusque generationibus ad multos prophetas, cum singulis testamenta disponens. Sicut enim quis in itinere constitutus, aut in opere quodam, ante sextam quidem non operatur, aut vrgetur, aut ambulat, sciens quia longus ei adhuc supereſt dies: transacta autem sexta, cùm cœperit esse octaua, aut nona, incipit properantius agere, vt opus suum vel iter tempore definito concludat: sic & Deus vsque ad Abraham qui fuit in sexta hora, venit ad homines disponere testamentum: post Abraham autem vsque ad transmigrationem frequenter properans, vt aduentum suum in hunc mundum, & vocationem gentium definito tempore consummaret quasi vespere iam propinquante. *Item exiit circa horam vndecimam, & dixit: Quid hic statis tota die otiosi?* Vide quia vbique otiosos vocat, non peccatores. Denique considera, seruus ille qui acceperat à domino suo vnam mnam, vt quid audiuit, serue nequam? vt quid missus est in tenebras? quia perdidit mnam suam? aut quia nihil est lucratus de ea? sine dubio quia nihil lucratus est de ea. Qui autem peccat, perdit gratiam quam accepit. Si ergo ille non est impunis in die iudicij, qui otiosus stetit in foro, & nullam iniustitiam operatus est: quid faciet illi in die iudicij qui peccauit, & mnam suam perdidit? Quid hîc statis tota die otiosi? An nescitis, quia qui non operatur in hoc sęculo, non manducat in illo? Et qui aliis manducantibus & bibentibus in hoc sæculo operatur, in illo sæculo aliis iciunantibus ipse non iciunabit, sed recumbet cum Abraham, & manducabit de prandio vitæ. Qui autem hic aliis operantibus stat otiosus, aliis recumbentibus in illo sæculo ipse expelletur foras. Dies enim iste, dies operationis est: dies autem ille, qui sequitur, dies est feriarum. *At illi dixerunt: Nemo nos conduxit.* Quæ est conductio nostra, & quæ conductionis merces? Promissio vitæ æternæ. Quid est, nemo nos conduxit? Id est, nemo nos docuit. Quia hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Nemo nos conduxit, dicens: Quicunque reliquerit domum, aut villam, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, centuplum accipiet in hoc mundo, & in futuro vitam æternam possidebit. Nemo nos conduxit, dicens: Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam, & habebitis thesaurum in cœlo. Et nota, quoniam illi qui aut in prima hora vocati sunt, aut in tertia, vel in sexta, vel in nona, non responderunt, quia nemo nos conduxit. Omnes enim illi conducti fuerunt, & habuerunt notitiam Dei, & sciuerunt Dei promissa. Gentes autem solæ neque Deum sciebant, neque Dei promissa, ideo excusabiliter responderunt, Nemo nos conduxit, *Et dixit eis: Ite & vos in vineam meam, & quod iustũ fuerit, dabo vobis.* Nota quia cum primis solis conuenit specialiter dare denarium, istos autem omnes sub incerto pacto conduxit, id est quod iustum fuerit. Sciens enim Dominus, quia præuaricaturus erat Adam, & omnes postmodum in diluuio fuerant perituri, certum pactum fecit ad eum, ne quando dicant ideo se neglexisse iustitiam, quia nesciebant quæ præmia fuerant recepturi. Istis autem non fecit pactum. Benignus enim paterfamiliãs sciebat largitatem suam, quia tantùm paratus est retribuere, quantum mercenarij recipere non sperabant. De dato enim eius nemo iustè murmurat, quia amplius dat, quàm omnis homo desiderat. *Cùm autem sero factum fuisset, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis vsque ad primos.* Considera quia sero, non autem mane reddit mercedem. Ergo adhuc stante sæculo isto, iudicium est futurum, & vnicuique merces sua reddenda. Propter duas rationes iudicium in hoc sæculo fit. Primùm, quia illic ipsa beatitudo ventura, ipsa est merces iustitiæ. Ideo non in illo sæculo fit iudicium, sed ante illud. Deinde, ante aduentum dici illius præmittitur iudicium, ne videant peccatores beatitudinem dei illius, dicẽte propheta: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Dicit procuratori suo. Cui procuratori? Sine dubio filius dicit Spiritui sancto. Et si voluerit, concedo tibi vt Pater Filio dicat. † [Non quæro vtrum Filius sit Patris procurator, aut Spiritus sanctus Filij: sed hoc dico, quia procurator domus, & paterfamiliãs, nec eiusdem substantiæ possunt esse, nec vna persona esse, nec æqualis dignitas. Si ergo alter paterfamiliãs, alter procurator patrisfamilias, quomodo locum habeat ternitas tua? Si autem eiusdem substantiæ iste est, & est minor, iniuriam facit substantiæ: si verò non æqualis dignitas, vbi est vna substantia?] Incipiens à nouissimis vsque ad primos. Quare non à primis vsque ad nouissimos, sed primùm à nouissimis? Attende, naturalis est ratio. Omnes nanque qui ante aduentum Christi fuerunt, quasi ex operibus suis facti sunt sancti, Gentes autem ex gratia Christi. Semper libentius aliquid damus his, quibus pro solo honore nostro donamus. Ergo omnibus sanctis Deus reddens mercedem, iustus ostenditur, Gentibus autem dat misericordiam, dicente Apostolo: Gentes autem super misericordia honorare Deum. Aut certè propter demonstrandam immensam misericordiam suam, sicut est ibi, vbi ait Apostolus: Et nos qui viuimus, qui remanſimus, non præueniemus eos qui dormierunt. Magis enim secundùm rem erat, vt prius viuentes immutarentur, postea mortui resurgerent incorrupti. Sed quia in conuertendis viuentibus vna est virtus, hoc solùm quod ad immortalitatem mutantur: quòd autem mortui incorrupti resurgant, duo sunt opera: primò, quia resurgunt: secundò, quia incorrupti resurgunt. Ergo vt ostendat Deus inæstimabilem potentiam suam, quando quod difficillimum est, mortuos suscitat incorruptos, postea viuentes immutat. Sic & in hoc loco secundùm rem quidem erat, vt primi priores acciperent suam mercedem: sed vt ostendat Deus ineffabilem misericordiam suam, primùm nouissimis & indignioribus reddit mercedem, postea primis: Sicut illic potentia immutandorum hominum exclusit ordinem, ita & hic nimia misericordia ordinem non aspexit. *Cùm venissent autem qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denarios.* Non iniustè. Nam & qui in prima parte sæculi natus est, non amplius vixit quàm statutũ tempus vitæ suæ. Et quid illi nocuit, si post illius exitum stetit mundus? Et qui circa finem nascuntur, non minus viuunt, nisi quanti dies numerati sunt eis. Et quid illis prodest ad compendium laboris, si citò

2. Thes. 5.

Luc. 19.

Ioan. 17.

Esa. 26.

(hæc in quodam exemplari desunt: quare attẽte lege.

Rom. 15.

1. Thes. 4.

si citò mundus finitur, cùm ipsum pẽsum vitæ suæ compleant ante mundum? Deinde si in hominis esset potentia quando nasceretur, prius aut postea: iusta ratione primam habebit mercedem, qui prius nasci voluit, secundam autem qui postea venit ad vitam: nunc autem cùm in Dei sit potestate, quando hominem producat in mũdum, nec ille sibi priorem honorem defendere debet qui prius natus est, nec ille contemptibilior debet esse, qui postea. Dicit enim: Et si me prius creasset, prior eram. *Accipientes autem murmurauerunt aduersus patremfamiliãs, dicentes: Quoniã hi nouissimi vna tantùm hora fecerunt, & æquales illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus?* Si verum est quod diximus, quia & illi suũ tempus vixerunt, & non amplius: & isti suum tempus, & non minus: & vnicuique mors sua consummatio est ipsius: quid est quod dicunt, Totius dici pondus portauimus, & æstus? Quia magna nobis est virtus ad faciendam iustitiam, cognoscere nos oportet propè esse finem mundi. Vnde armans nos Christus, dicebat: Appropinquabit regnum cœlorum. Item Apostolus: Præterit enim figura huius mundi, volo vos sine solicitudine esse. Si ergo nobis virtus est scire propinquum esse finem, nam quamuis vsque ad finem illius vita nostra forsitan non extendatur, tamen quasi accendimur, & præparamur ad suscipiendum finem: consequenter & illis infirmatio * erat cognoscere mundi spacia esse longinqua. Et quanuis ante finem mundi in manu Dei essent ituri, tamen quodammodo negligentes eos faciebat circa iustitiam, & refrigescere faciebat animas eorum expectatio sæculi longioris. Ideo ergo quanuis non per omne sæculum vixerint, tamen totius sæculi grauamina, & impedimenta pertulisse videntur. Item tunc mundus in iuuentute constitutus omnibus bonis prosperabatur, & fœlix erat: nunc autem mundus senescens, omnibus aduersitatibus premitur, & ideo concupiscibilis non est. Qui ergo tunc fuerunt homines, cum maiori difficultate & labore iustitiam seruauerunt: quia ipsa fœlicitas mundialium rerum, satis impedimentum est animæ ad iustitiam faciendam. Nunc autem facilius homines iustitiam facere possunt, quia ipsa aduersitas, & angustia mundialium rerum, adiuuat animam ad iustitiam faciendam. Sicut facilius est homini pauperi, & in angustiis constituto disciplinam tenere, diuiti autem & abundanti difficile: sic illis inter gaudia mundi difficile fuit tenere iustitiam: nobis autem inter tribulationes mundi facile. Multùm ergo tunc bonus erat, & fortis in fide, qui poterat euadere vanitatem, nunc autem multum iniustus. Et modò multum malus est, & miser in fide, qui se non stringit ad Deum. Ergo põdus, quod dicit, opus iustitiæ significat: quia graue est homini carnali amare iustitiam. Æstum autem dicit, concupiscẽtias sæculi, quas tunc patiebantur mundo iuuentute florẽte. Ergo etsi non per omnem mundum vixerũt, tamen totius mundi impugnationem passi sunt: quia totius vitæ virtus in iuuentute ostenditur. Aut pondus diei dicit, onerosa legis mandata, propter quæ & alibi Dominus hortatur Iudæos, & dicit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vobis requiem dabo. Æstum autem dicit, vel vrentem tentationem errorum, quam conflabant spiritus maligni in eos, ad æmulationem Gentium eos irritãtes: à quibus omnibus Gentes liberæ extiterunt Christo credentes, & per compendium gratiæ ad plenam salutem reuertentes. Nam neque legis onera portauerunt, sicut Iudęi: nec seductiones passæ sunt diuersorum errorum, quemadmodum illi. *At ille respondens vni eorum, dixit. Amice, non facio tibi iniuriam.* Ergo illi non dolebãt, quasi fraudati de mercede sua: sed quia illi amplius quã

Matt. 3. 4. 10. & Marc. 1. 1. Cor. 7.

* infrigidatio.

Supr. 11.

merebantur, acceperant. Hoc est enim proprium inuidiæ, quando alteri aliquid additur: sic dolent inuidi, quasi illis sit aliquid subductum, quod illi est additum: Vtputa, si viderit fieri aliquem ditiorem, putat inuidus se pauperem factum. Si alter sapientior fuerit factus, ita dolet quasi ipse sit insipiens factus. Intelligis quia ex vana gloria nascitur inuidia? Nam ideo dolet esse secundus, quia desiderat esse prior. *Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Postquã superius de Iudæis & Gentibus hanc ipsam dixisset sententiam, & qui erũt primi nouissimi, & nouissimi primi: videlicet quia Iudæi & in primo loco vocati sunt ante Gentes, in secundo autem saluati sunt post Gentes, introducit parabolam istam. Et vt cognoscamus quia ad manifestationem præcedentium verborum hanc parabolam introduxit, ideo in fine eius eam ipsam sententiam repetiit, quam suprà dixerat. Aut ideo primos dicit nouissimos futuros, & nouissimos primos: nõ vt nouissimi digniores sint quàm primi, sed vt cœquentur. Dicit enim propheta Esdras, † volens omnium sanctorum vnam ostendere vocationem, & nullam inter eos esse differentiam temporis causa, dicit omnium sanctorum numerum * esse quasi coronam. Sicut enim in corona cùm sit rotunda, nihil inuenies quod videatur esse initium aut finis: sic inter sanctos, quantùm ad tempus in illo sæculo, nemo nouissimus dicitur, nemo primus. Ideo ergo quibus datum est primum nasci, nouissimè remunerantur. Et quia sancti quasi corona erunt æquales, qui nouissimè nati sunt, primi remunerantur, vt illi illam gloriam † habentes, isti per hanc coæquentur. Quòd autem dicit, Multi sunt vocati, pauci verò electi: non ad superiores sanctos pertinet, sed ad Gentes: quoniam ex ipsis Gentibus, qui multi vocati sunt, pauci sunt eligendi.

Esaiæ. Esa. 28. & 62.

* meritũ.

gratiam.

Homil. xxxv. ex cap. xx.

Et ascendens Iesus Hierosolymam, assumpsit duodecim discipulos secretò, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei, Quid vis? Ait illi, Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Iesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. Iesus autem vocauit eos ad se, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos? Non ita erit inter vos. Sed quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester minister. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus, Sicut filius hominis nõ venit, ministrari, sed ministrare: & dare animã suam in redẽptionẽ pro multis. Et reliqua. Omnis gloria Dei, & omnis salus hominum in Christi morte posita est. Nulla enim est res, quæ amplius ad salutem hominũ pertineat, quã mors ipsius. Nec est aliquid aliud, propter quod magis Deo gratias agere debeamus, quàm propter mortẽ ipsius. Ideo cùm turba plurima fidelium eum sequeretur in via, duodecim Apostolos solos tulit in secreto, & illis tantummodo mortis suæ annunciauit mysterium: quia semper preciosior thesaurus in melioribus vasis includitur. Multi quidem viri erant cum eo, sed propter modicitatem fidei suæ infirmi. Multæ mulieres, etsi in

fide fortes infirmæ tamen in sexu: si audissent quia id-eo Christus ascendebat Hierosolymam, vt interficeretur, & viri forsitan turbarentur propter infirmitatem fidei, & mulieres propter molliciē suæ naturæ. Nam propriè animus mulieris mollis est, & in tali negocio citius excitatur in lachrymas. Non recordamur, quòd superius cùm de morte Christi Petrus audisset, dolore cōmotus non timuit ipsum Dominum increpare, dicēs:
Sup. 16. Propitius esto tibi, & hoc tibi non erit. Si ergo Petrus in morte Christi turbatus est, cuius alterius fides posset sustinere tanti mali dolorem? Si petra immobilis pene commota est, quomodo terra sufferret impetum tempestatis? *Ecce ascendimus Hierosolymam.* Ecce, contestantis
præsentiæ. est sermo, vt memoriam præscietiæ † huius in cordibus suis recondant. Tanquam si dicat, Ecce nunc iam tertia vice prædico vobis mysterium passionis meæ futuræ: vt altius insideat mentibus vestris, frequentius repetitum.
Quare Christus discipulis passione suam prænūciauit. Et quare illis prædicit passionis suæ mysterium? Quia omnis aduersitas quæ subitò euenit hominibus extra B spem, nimium grauis est: quàm verò antè cognoscimus, & præparamus nos contra eam, cùm superuenerit expectantibus nobis, leuior inuenitur, quàm esset futura si repentina venisset. Ideo ergo nunciat illis de sua morte futura, vt cùm dies ille passionis aduenerit, non illos turbet cognoscētes, quia omnino erant vētura. Si enim totiens prænoniti apostoli de morte eius futura, tamen quando comprehensus est, scandalizati sunt omnes, & reliquerunt eum: quantò magis scandalizandi fuerant, si prænoniti non fuissent? Nunquid non se præparauerunt, num statuerunt in animo suo vt non expauescerent? Si enim se non præparassent, non promisissent vnà
Marc. 14. cum Petro dicentes: Parati sumus tecum ire vsque ad mortem. Sed in illa hora fides eorum defecit, & præparationem animæ absorbuit timor carnalis. Vel ideo prædicit eis futurum, vt ab exitu cognoscatur præscien-
præscientia. tia * eius. Ex præscientia † autem eius intelligatur diuinitas eius: consideratio autem diuinitatis eius, confor- C tet fidem ipsorum in tempore passionis eius: vt totum illud quod patiebatur dispensationi voluntatis eius applicarent non necessitati naturæ. Ecce ascendimus. Ac si dicat, Videte quia voluntariè vado ad mortem. Nemo me vocat Hierosolymam, nemo me admonet, nullius potestatis præceptum timeo, nullius violentiæ necessitate compellor. Cùm ergo venerit tenebrarum potestas, cùm videritis me in cruce pendētem, ne æstimetis me hominem esse tantùm. Nam etsi posse mori: hominis est: tamen velle mori, hominis non est. Vt quid putas, ab itinere declinauit seorsum? Nunquid non poterat in itinere constitutus hæc eadem eis loqui, cùm sint pauciſſima verba? Sed declinauit seorsum ab itinere, forsitan sciens quòd ventura erat mater filiorum Zebedæi cum filiis suis vt peterent ea quæ petierunt, & audirent ea quæ audierunt, vt præpararet eis locum ad eundum, ad petendum, & ad audiendum. Forsitan enim & applicuerunt ibi, donec mu- D lieres retrò venientes occurrerent. Nec enim credibile est, mixtas cum ipso ambulasse mulieres, sed longo interuallo de longè mulieres sequentes, & longo interuallo separati inter se ambulabant. Christus enim & discipuli sui primi, sequentes autem de longè mulieres. Sine dubio ergo nulla alia causa Iesus seorsum secessit, nisi vt illa adeundi licentiam inueniret. Sciebat enim cogitationes eorum, & consilia eorum quæ facere cupiebant: & non solum prædicens discipulis suis de sua pas-
petituræ. sione futura, sed etiam aptans petituræ † mulieri locum, præscientia sua diuinitatem ostendit. Aliter: *Ecce ascendimus Hierosolymā, & filius hominis tradetur principibus sacerdotū, & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad deludēdum & crucifigendum, & tertia die resurget.* Ne putes quòd tunc tantummodo Christus traditus est sacerdotibus & scribis, & condemnauerunt eum morte, & tradiderunt eum Gentibus ad deludendum & crucifigendum: sed & nunc traditur, & morte dānatur. E traditur Gentibus ad deludendum & crucifigendum. Christus enim verbum est veritatis. Sicut enim tunc tradidit Deus Christum sacerdotibus & scribis, ad manifestandam fidem sanctorum, & perfidiam iniquorum. Fidem quidem sanctorum, si fortè fideles videntes eum quasi hominem pati, non recedant, neque scandalizentur à fide diuinitatis ipsius. Ad manifestandam autem perfidiam iniquorum, si intelligentes eum esse Dei filium secundùm testimonia scripturarum, non timeant, sed ausi sint eum interficere quasi hominem: sic & modò tradit Deus verbum veritatis sacerdotibus & scribis, id est sapientibus scripturarum, ad manifestandam fidem sanctorum, & perfidiam iniquorum. Fidem quidem sanctorum, si fortè videntes verbum veritatis à mendacio opprimi, quasi mendacium, non cadant neque scandalizentur à fide veritatis ipsius. Ad manifestandam autem perfidiam iniquorum, si fortè intelligētes verbum veritatis, quia verè verbum est veritatis secundùm testimonia scripturarum, ausi sint interficere eum cruce verbis mendacibus. Quando enim vides scripturas prophetarum, & euangelij, & apostolorum traditas esse in manus falsorum sacerdotum, & scribarum: num intelligis quia verbum veritatis traditum est principibus iniquis, & scribis? Et sicut tunc sacerdotes, vel propter vanam gloriam, vel propter auaritiam condemnauerunt Christum morte, cogitantes quoniam si tenuerint Christum, ipsi sacerdotes esse non poterunt secundùm legem, nec solemnia illa lucra percipere: ita nunc impij sacerdotes & scribæ verbum veritatis dignum iudicant interire, cogitātes quia si verbum veritatis tenuerint, ipsi sacerdotes esse nō possunt, nec sacerdotalia lucra percipere. Propterea tradunt eum gentibus, id est populis ineruditis, & indisciplinatis, & barbaris, qui nec quærunt, nec audiunt eum cum iudicio, qui nomen habent Christianorum, mores autem Gentilium. Tradunt autem veritatis verbum peruersis expositionibus suis ad deludendum & crucifigendum. Deludunt enim verbum veritatis, quando simulant se sequi Christum, & disputant de eo sine Dei timore: non proposito inueniendæ veritatis, sed studio subuertendæ. Hoc autem modo deludunt verbum veritatis, non colunt. Crucifigunt autem eum, & interficiunt, quando falsa confessione mendacij, verbum veritatis suffocant, & occidunt in se. Et sicut tunc sacerdotes illi nullam culpam idoneam inuenientes in Christo, falsam accusationem detulerunt aduersus eum: sic modò nullam rationem idoneam habentes dicere contra verbum veritatis, falsa interpretantur de illo, & falsa proferunt testimonia prophetarum, aduersum verbum veritatis. Sicut enim tunc falsos testes subornauerunt aduersus Christum, & sicut tunc sacerdotes quidem & scribæ cognoscentes cum, quia verè Christus est, quasi hominem illum maleficum Gentibus tradiderunt, Gentes autem non cognoscentes eum esse Christum, deluserunt, & crucifixerunt eum, quasi hominem maleficum: sic & modò sacerdotes, & scribæ hæreticorum cognoscentes, quia verbum est veritatis secundùm scripturas quas legunt: tradunt eum, sicut diximus, populis & Gentibus ad deludendum, & crucifigendum. Populi autem per ignorantiam verbum veritatis deludunt, & crucifigunt, quasi mendacium. Sed ignorantia eorum non eos excusat, quoniam si vellent cum iudicio quærere, inuenire poterant

terant veritatem: sicut nec illos excusauit Gentiles, A quoniam & ipsi si quærere voluissent, poterant inuenire: quoniam non erat homo tantum, sed & Deus Christus: quoniam sicut tunc per signa virtutum suarum manifestabatur Christus, sic modo per signa operationum suarum verbum veritatis ostenditur. Christus leprosos mundabat, cæcos illuminabat, surdos audire faciebat, mortuos suscitabat: ita modò, qui vult cognocere vbi sit verbum veritatis, operum eius signa consideret. Vbi enim verbum veritatis est viuum, vnitum, atque diuinum: ibi mundantur assiduè homines à lepra peccati, & fit salutis eorum testimonium conuersatio ipsorum, atque mens eorum. Qui audiunt verbum veritatis, illuminantur ad intelligenda diuina mysteria: aures eorum interiores aperiuntur, vt libenter suscipiant diuina præcepta. Quos hodie vides mortuos in peccatis, cras resurgunt in pœnitentia, viuificati per verbum Dei. Vbi autem non viuum verbum veritatis, sed mortuum mendacium prædicatur inter eos, nihil horum fi- B eri vides, sicut dat de illis testimonium vita ipsorum. Sed & post tres dies resurget in animabus credentium sibi, cùm tres dies fuerint consummati in eis. Prima dies Pater, Secunda dies Filius, secundùm quod dictum
Psal. 95. est in Propheta: Annunciate de die in diem salutare eius. Quis est autem dies alius de die, nisi genitus Deus de ingenito Deo? Consequenter & Spiritus sanctus tertia dies est, quoniam his tribus illuminantur corda credentium. In quibus ergo trium istorum scientiæ fuerint consummatæ, in eis veritatis verbum resurgit, & viuit & operatur. Sed nec resurgent, nisi qui ieiunantes à malo, & flentes sunt propter eum, & desiderant resurrectionem eius videre in anima sua: sicut & Apostoli ieiunantes & flentes fuerunt Domino crucifixo, vsque ad diem resurrectionis ipsius. *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo.* Hæc est Salome, cuius apud alterum Euāgelistam ponitur nomen, verè pacifica, secundùm interpretatio- C nem: quæ filium genuit pacis. Non solùm autem ex
Marc. 10. Marco Euangelista, qui manifestè ipsos fratres exponit accessisse ad Iesum, & hæc eadem postulasse intelligere possumus: quoniam à filiis suis erat summissa, sed etiam ex præsentibus Christi sermonibus quibus non quasi ad mulierem ipsam se petentem, sed quasi ad filios summittentes respōdit: *Nescitis quid petatis.* Æstimo enim, quòd fratres cùm audissent Dominum de passione & resurrectione sua prophetantem, cœperunt dicere intra se, cùm essent fideles: Ecce rex cœlestis descendit ad regna tartarea, vt regem quidem mortis destruat, ipsam autem mortem diuinitatis suæ potētia calcet, & sic vinculo tenebrarum soluto, captiuas animas ad sua regna perducat. Nec innumerabilis militia dæmonum resistere poterit contra eum. Quem enim in corpore constitutum timuerunt, dicentes: Quid nobis & tibi Iesu fili
Matth. 8. Dei excelsi, venisti ante tempus torquere nos? quomodo nudam ipsam diuinitatem contra se descendentem D poterunt sustinere? Ecce post tres dies mortis suæ reuertetur ab inferis, quasi victor de bello. Nam cùm victoria fuerit consummata, quid aliud restat, nisi vt regni gloria subsequatur? Ergo faciamus, fratres, quomodo possumus regni illius fieri participes. Scimus quia inuidus non est. Qui enim seipsum donauit hominibus, quomodo regni sui societatem non donabit? Petentis negligentia reprehenditur, vbi de dantis misericordia non dubitatur. Si nos rogamus magistrum, forsitan cæterorum fratrum corda concutiemus: & dum nobis duobus volumus prouidere, inter omnes scandalum excitabimus. Nam etsi sancti sint, tamen homines sunt. Etsi vinci à carne non possunt, quasi iam spirituales, ta- men percuti possunt, quasi adhuc carnales. Vt quid ergo vel leues occasiones demus, quibus improba carnis natura tranquillas eorum animas inquietet? Summittamus ergo matrem nostram, vt suo nomine deprecetur pro nobis, & fiunt duo bona. Si enim res ipsa reprehensibilis inuenta fuerit, facilè meretur veniam, quasi mulier. Ipse enim sexus excusat errorem. Si autem non fuerit importuna, facilius impetrabit mater pro filiis suis rogans. Ipse enim Dominus, qui maternos animos filiorum miseratione impleuit, facilius exaudiet maternū affectum. Magna laus mulieris huius ex hoc loco colligitur. Primùm, quia non solùm illi reliquerant patrem, sed etiam ipsa reliquerat virum suum, & secuta fuerat Christum. Et illi ostenderunt, quia filij erant huiusmodi matris, & ipsa ostendit, quia mater erat talium filiorum. Quoniam autem viuum reliquerat virum sermo demonstrat, qui de vocatione eorum scriptus est, dicēs:
Supra 4. Illi autem reliquerunt patrem suum Zebedæum in naui cum mercenariis, & secuti sunt Iesum. Nisi fortè quis dicat, quia Christus plusquam triennio docuit, & intra tempus vocationis Apostolorum & passionis Christi mortuus est Zebedæus, & sic illa secuta est: Iesum tamen secuta est. Qualis radix, talia & germina. Et qualis terra, talis & fructus. Non eam vicit, sicut cæteras mulieres, maritalis affectus: quia ille temporalis erat maritus, iste autem perfectus sponsus. Illius amor deceptio erat carnalis, istius autem dilectio incorruptibilis vitæ. Non illam tenuit miseratio senectutis eius, quia ille sine ista viuere poterat, ista autem sine Christo salua esse nō poterat. Cogitauit enim, quoniam amplius proderit viro suo, si propter Deum reliquerit virum, quàm si propter virum reliquerit Deum. Propterea sexu fragili, & iam ætate defecta, Christi vestigia sequebatur: quia fides nunquam senescit, & religio fatigationem non sentit. Deinde quia non sentit illa, sicut cæteræ matres, quę corpus natorum suorum amant, animam autem contemnunt. Desiderant enim illos valere in sæculo isto, & non curant quid passuri sint in alio. Alij militias filiis suis prouident, alij honores, & nemo filiis suis prouidet Deum. Perditionem illorum cum magno pretio comparant, & salutem illorum nec dono accipere volunt. Si viderint illos pauperes, tristantur, & suspirant: si autem viderint illos peccantes, nemo tristatur: vt ostendant quia corporum sunt parentes, non animarum. *Accessit ergo ad Iesum, rogans & petens aliquid ab eo.* Audacem enim fecerat eam natorum affectus, & reuerentiam forsitan spiritualem vicerat amor carnalis. *Dicit ei Iesus: Quid vis?* Non interrogat quasi nesciēs, vt audiret quid vellet: sed vt illa exponente, manifestam faceret irrationabilem petitionem ipsorum: quoniam petebant quidem quasi religiosi, & cœlestis glorię amatores, non quasi scientiam habentes inutilium postulationum, & nociuarum. Nam frequenter Dominus patitur discipulos suos aliquid non rectè aut dicere, aut agere, aut cogitare, vt ex illorum culpa occasiones inueniat docendi, & exponendi regulam pietatis, sciens quia & ipse error eorum non nocet presente magistro, & omnes non solùm in præsenti, sed etiam in futuro doctrina eius ædificat. *At illa dixit, Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dextram tuam, & alius ad sinistram tuam in regno tuo.* Non dicimus, quia rectè petiit: sed hoc dicimus, quia non terrena, sed cœlestia filiis suis optabat. Tunc Dominus occultorum cognitor, non ad verba intercedentis mulieris respondit, sed ad consilia suggerentium filiorum respondit, dicens: *Nescitis quid petatis.* Concupiscentia enim carnalis omnem in vobis spiritualem considerationem excluſit. Non audistis me referētem,
Infra 25. cùm venerit filius hominis in maiestate sua, ponet oues

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad dexteram, hædos autem ad sinistram: & dicet eis, A qui ad sinistram sunt: Discedite à me maledicti in ignē æternum? Quomodo vos vultis, vt vnus sedeat ad dexteram, & alius ad sinistram? Ego vos vocaui ad partem dexteram de sinistra, & vos vestro consilio curritis ad sinistram. Ideo forsitan & per mulierem res agebatur. Vidit enim diabolus, quia per illos ipsos aduersus eos agere non valebat, contulit se ad consueta arma mulierum: vt sicut Adam per mulierem spoliauit, ita & istos separareț per matrem. Nam etsi mater erat, tamen mulier erat. Propter quod etsi affectus eius dulcis erat erga filios quasi matris, intellectus tamen eius nociuus erat quasi mulieris. Sed iam non poterat per mulierem peritio introire in sanctos, ex quo de muliere salus cunctorum processit. Intelligere ergo debemus & nos, vt non illud à Deo petamus, quod nos bonum esse iudicamus, sed orantes in eius potestate ponamus, vt nos illud petentes exaudiat, quod ipse nobis expedire cognoscit. Nescitis quid petatis. Bonum quidem desi- B derium, sed inconsiderata petitio. Ideo etsi impetrare non debebat simplicitas petitionis eorum, tamen confundi non merebatur, quia de amore Domini nascebatur. Propterea non voluntatem, neque propositum eorum culpat, sed solam ignorantiam reprehendit, dicens: Nescitis quid petatis. Quis autem athleta idoneus, ante certamen de præmio pactum facit? Si enim certamen bene processerit, iudex postea potest secundùm meritum certaminis præmium mẽsurare, & æstimare. Si autem præmium antè fuerit constitutum, non omnimodo secundùm qualitatem præmij potest exitum habere
quasi. certamen: quia † quale præmium detur, in potestate est munerantis: qualem autem exitum habeat vnumquodque certamen, non est in potestate certantis. Nescitis ergo quid petatis. Desideratis quidem bonum, sed non intelligitis quid est bonum. Si autem intelligeretis, illud petere debebatis, dicentes quoniam in hoc mundo periculosissimo viuimus, quasi in pelago, vbi nunquam C est minor tempestas. Etsi tempestas interdum non fuerit, tamen semper timor est tempestatis. Sic & in hoc mundo viuentibus, nunquam est minor tentatio: etsi tentatio interdum facta non fuerit, tamen timor tentationis semper est. Ideo da nobis auxilium gratiæ tuæ, vt non vincamur à malo, sed ipsi omne malum vincamus. Sicut enim in seculari bello videmus, quia qui vadens ad pugnam de præda victoriæ cogitat, difficile vincit: qui autem vadens sic vadit, quasi ad mortem, ille facilè superat: Sic & nos in hoc certamine spirituali viuentes, non debemus cogitare qualem gloriam consequamur, sed quomodo euadamus ruinam peccati. Qui autem de gloria cogitat, & non magis timet de casu, ille nec infirmitatem carnis suæ cognoscit, nec versutias considerat diaboli, nec intelligit quòd ait Apostolus: Non est no-
Ephes. 6. bis colluctatio cum carne & sanguine, sed aduersus principatus & potestates, aduersus rectores huius mundi tenebrarum. Propterea sumite omnia arma Dei. Sic- D ut enim miles, si toto corpore fuerit armis vestitus, & vnam partem habuerit nudam: nihil ei prodest, quod totus fuerit ferro vestitus, si per illam vnam partem eum sagitta percusserit, sed sic cadit, quemadmodum si totus fuisset nudus: Sic & Christianus, quamuis omnem iustitiam fecerit, si in vno peccauerit: similiter peccator statuitur, quemadmodum si semper peccasset. Sicut ait
Iacob. 2. Iacobus: Si omnem legem adimpleas, & in vno transgrediaris, similiter præuaricator es legis. Ideo & Dominus illis respondit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Aut baptismate, quo ego baptizor, baptizari?* Nunquid nesciebat Dominus, quia passionem ipsius poterãt imitari? Sed ideo eis dicit, vt Domino interrogante, & eis respondentibus, omnes nos audiamus: quia nemo potest cum Christo regnare, nisi passionem Christi fuerit imitatus, sicut ait Apostolus: Si commortui sumus, & 2. Tim. 2.
cõuiuemus: si sustinemus, & conregnabimus. Res enim pretiosa vili pretio non comparatur. Magnum laborem necesse est nobis impendere, si volumus ad regna cœlestia peruenire. Passionem autem Domini dicimus suscipere nos debere, non omnimodo persecutionem Gentilium, sed omnem laborem, & molestiam, quam patimur in corpore contra peccata certantes. Nam si Gentiles defecerint, qui persequebantur: nunquid ideo prompta volũtas fidelium debet sine fructu sterilis permanere? Ideo & si Gẽtes non habes, quæ te persequantur, habes principem gentium diabolum, qui hominem persequi nunquam cessat. Si enim principem potueris vincere in peccato, non est magnum superare ministros eius in corpore tuo. Ecce ostendo tibi magnam & insuperabilem persecutionem in corpore tuo. Incipe resi-
B stere desideriis tuis, & tũc intelliges quàm fortes sunt spiritus desideriorum malorum, qui te persequuntur. Hæc est enim pugna periculosa, & hæc est gloriosa victoria: qui potuerit odire quod amat, & amare quod odit. Aut ideo dixit eis: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dominus enim cognouerat propositum istud petentium fratrum, quia non primatum sibi petebant secundùm mundiales honores: quem si ex duobus vel tribus vnus acceperit, necesse est cæteros fieri eo inferiores: sed perfectionem pietatis petebant in regno cœlesti, quam & multi consequi possunt: & cùm fuerint consecuti, alterius perfectio, alterius perfectione non minuitur: Vtputa, sedere ad dexteram Christi, vel ad sinistram: nunquid duorum est tantum? Innumerabiles enim possunt sedere ad dexteram Christi, vel ad sinistram: tamen alter alterum à perfectionis ordine nõ excludit, quoniam hanc perfectionem pietatis nemo potest consequi, nisi qui legitimè certauerit vsque ad
C mortem. Ideo interrogat eos, Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? vt illis respondentibus, quia possumus: audiant cæteri condiscipuli, & conquiescãt, intelligentes quoniam & ipsi si parati sunt mori cum Christo, nihilominus possunt iuxta Christum sedere, per illorum sessionem nequaquam exclusi, sicut ipse dicit per Prophetam in Psalmo: Oculi mei semper ad fi- Psal. 100.
deles terræ, vt sedeant hi mecum. Non enim locus sedendi maior & minor est iuxta Christum, sed fides patiendi cum Christo. Non est calix & baptismum vnum. Calix enim passio est, baptismum autem ipsa mors. Dictum est autem baptismum secundùm similitudinem lanæ intinctę. Sicut enim lana intingitur naturalem habens colorem, vt coloretur purpurea, aut alicuius coloris accipiat dignitatem: sic & nos in mortem descendimus corporales, & resurgimus spirituales, sicut ait Apostolus: Seminamur in infirmitate, surgimus in virtute: 1. Cor. 15.
seminamur in ignobilitate, resurgimus in gloria: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Omnis quidem mors habet in se passionem, non habet in se omnis passio & mortem. Multi enim fuerunt, qui passi sunt, & non sunt occisi, quales sunt confessores. Illi omnes calicem quidem Domini biberunt, baptismo autem eius baptizati non sunt. *Dicunt ei possumus.* Non tantum confidentia cordis sui, quantùm ignorantia tentationis hæc responderunt. Nescientibus enim desiderabile est bellum, sicut & inexpertis leuis videtur esse tentatio passionis & mortis. Si enim Dominus cùm in tentationem passionis venisset, dicebat: Pater, si potest Matt. 26. & Luc. 22. Ioan. 5.
fieri, trãseat à me calix iste: quantò magis discipuli non fuerant dicturi, quia possumus, si scissent qualis est tentatio mortis? Magnum quidem dolorem habet passio, tamen

tamen mors habet maiorem timorem. Et dicit eis: *Calicem quidem meum bibetis, & baptismo quo ego baptizor, baptizabimini: sedere autem ad dexteram meam, aut ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo.* Nunquid non habebat potestatem præstare cui volebat, cùm sit scriptum: Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius? Sed ideo non refutauit petitionem eorum, ne exanimaret eos, & pusillanimes faceret. Nam non facilè de cætero resumit sperandi virtutem, qui semel de eo quod sperauerat, cadit. Noluit autem suscipere petitionem eorum, ne cæteros omnes tristaret. Nam necesse erat, quòd vel talia cogitarent, adhuc sine auxilio Spiritus sancti constituti. Si semel istis duobus totius regni illius societas diuidenda est, si vnus sessurus est ad dexteram, alter ad sinistram eius: ergo nos quid sumus facturi, aut quid fieri iam speramus? Ideo eum secuti sumus, vt illis electis de medio nostrũ nos inueniamur relicti. In omni labore similes eis fuimus, & nunc inuenti sumus in honore dissimiles. Nam B necesse erat, vt carnalia cogitarent, qui necdum facti fuerant spirituales. Si enim petitio eorum suscepta non est, & omnes conturbati sunt, quare vel hoc ipsum petere ausi sunt: quantò magis fuerant conturbandi, si petitio eorum suscepta fuisset? Ideo neque dixit, non sedebitis, ne duos confunderet: neque dixit, sedebitis, ne cæteros irritaret. Sed quid? *Hoc non est meum dare vobis, sed Patris.* Tanquam benignus & prouidus pater sic omnia disponit & ordinat, vt inter fratres vnanimes, fraternitatis charitas non rumpatur. Videte quomodo & nullum ex eis turbauit, & omnes fecit sperare, dicens, Non est meum dare vobis, sed Patris. Nam quod vni aut duobus specialiter non promittitur, à cunctis speratur. Quid ergo, mentitus est Christus, dicens: Non est meum? Non. Omnis enim qui habet potestatem, si acceptam habet ab alio, illius est verè qui dedit. Nam quid habebat filius proprium, cùm ipse non esset suus,
(Cautè hæc lege, quæ in quodam exemplari deerãt. sed Patris? † [Ergo inter eum cuius nõ est, & inter eum C cuius est, nec persona vna est, nec æqualis potestas. Si enim vnus Deus & Pater, & Filius, aut certè potest, aut certè non potest. Quis vidit talem vnum Deum cœlestem colere, qui in dimidio potẽs est, & in dimidio impotens? Aut quis illos putet æquales, quorum non est æqualis potestas?] Audiamus hæc, & intelligamus nos Christiani, vt quando aliquid petimus à Deo, & non impetramus, non frangatur fiducia nostra, neque cadat spes nostra à Deo, vt de cætero desperemus de misericordia eius: quia nec fratrum istorum fracta est fiducia, aut cecidit spes, cùm non impetrassent. Quid enim, si non expedit nobis accipere quod petimus, sicut nec illis expediebat? Quamuis autem putas te spiritualem rem petere secundùm Deum, & dignam impetratione: tamen si non impetraueris, grauiter ferre non debes. Nam Iacobus & Ioannes rem spiritualem, & dignam Deo se petere æstimabant: tamen reprobata est petitio eorum, & inutilis iudicata. Non enim omne quod apud D homines iustum videtur, iam etiam apud Deum similiter iustum est: quantò maior est Deus homine, tantò profundiora sunt Dei iudicia quàm hominis. Nunquid digniores esse possumus Iacobo & Ioanne, vt non impetrantes quod petimus, doleamus, cùm nec illi de non impetrato beneficio sunt contristati? *Et audientes decem, contristati sunt de duobus fratribus.* Quemadmodum isti carnaliter petierunt, sic & illi carnaliter contristati sunt. nã sicut isti si spiritualiter sapuissent, nõ fuerãt petituri, vt essent super omnes: sic & illi si spiritualiter intellexissent, non fuerant contristaturi esse aliquos ante se. Nam velle quidem esse super omnes, vituperabile est: sustinere autem alterum supra se, nimis est glorioſum. O error A salutaris, qui totius mundi soluit errorem. Si enim Apostoli nõ sic errassent, vnde nos cognoscere potemus: quia non omne quod videtur bonum, desiderare bonũ est, quia malum? Putabamus quia malum desiderare, malum est, vt auaritiam aut furtum: nunc autem scimus, quia aliud est opus bonum, aliud est primatus honoris. Et opus quidem bonum desiderare, bonum est: primatum autem honoris concupiscere, vanitas est: quoniam bonum opus implere, nostræ voluntatis, & nostri operis est, & laboris, propter quod & nostra est merces: primatum autem consequi, iudicij Dei est, propter quod ex primatu honoris nescio si aliquam mercedem iustitiæ adipiscimur. Nam desiderium primatus ex iactantia nascitur cordis: qui autem humilis est corde, & indigniorem se aliis arbitratur, secundùm illud præceptum apostolicum, quod ait: Alter alterum ęstimans su- Rom 12. & Phil. 2.
periorem se, nunquam desiderat superior apparere. Primatus enim fugientem se desiderat, desiderantem se odit. Videns autem Dominus alienum spiritum in cordibus discipulorum, quasi hostem in suis castris vagãtem, non eos increpauit, nõn proiecit à facie sua, & istos malè petentes, & illos non bene tristantes. Si enim rex terrenus videret, quòd ciuitatem illius occupatam teneat hostis, quid facere potest? Nihil, nisi vt ponat arietes, circumducat exercitum, & destruat muros, quos fortè ipse ædificauit, vt tantummodo hostem expellat. Sed videamus sapientiam nostri regis. Postquam vidit sua castra occupata à spiritu alieno, sic hostem expulit, vt castra sua non læderet, † dicens: *Scitis, quòd principes* deleret.
gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos? Non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, erit omnium minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Fructum humilitatis terrestris, posuit primatum cœlestem: & primatus terrestris fructum posuit confusionem cœlestem. Quicunque ergo desiderat primatum cœlestem, sequa-
C tur humilitatem terrestrem: quicunque autem desiderat primatum in terra, inueniet confusionem in cœlo: vt iam inter seruos Christi nõ sit de primatu certamen: nec festinet vnusquisque eorum, quomodo aliis maior appareat, sed quomodo omnibus inferior videatur: quoniam non qui maior fuerit in honore, ille est iustior, sed qui iustior fuerit, ille est maior. Conuersatio ergo melior est desideranda, non dignior gradus. Volens certè Dominus & duorum fratrum ambitionem extinguere, & decem discipulorum inuidiam, introduxit differentiam inter principes mundiales & ecclesiasticos: ostendens, quia primatus in Christo nec ab aliquo appetendus est non habente, nec alteri est inuidendus habenti: quoniam principes mundi ideo fiunt, vt dominentur minoribus suis, vt seruificent eos, & spolient eos, & comedant, & vsque ad mortem abutantur vita eorum ad suas vtilitates & glorias. Principes autem Ecclesiæ fiunt, vt seruiant minoribus suis, & ministrent eis quæcunque acceperunt à Christo, vt suas vtilitates negligant, & illorum procurent: vt si opus fuerit, neque mori recusent pro salute inferiorum suorum, sicut Apo-
stolus dicit: Ego autem impendar, & superimpendar i- 1. Cor. 12.
pse pro animabus vestris. Si hæc ergo ita se habent, secularem quidem primatum desiderare, & si ratio non est, vel causa est: quia etsi iustum non est, vel vtile est. Primatum autem ecclesiasticum concupiscere, neque ratio est, neque causa: quia neque iustum est, neque vtile. Quis enim sapiens vltrò se subiicere festinat seruituti, labori, dolori, & quod maius est periculo tali, vt det rationem pro omni Ecclesia apud iustum iudicem, nisi fortè qui nec credit iudicium Dei, nec timet vti abutẽs primatu suo ecclesiastico seculariter, conuertat cum in

Universidad de Deusto
Biblioteca

secularem? Sed ne fortè qui talis est in appetendo primatum, profectum pietatis piè prætendat, dico: Nunquid qui in ordine prior est, iam & meritis est melior? Quamuis quidem differentiam esse inter sanctos denegare non possumus, tamen vt cognoscat vnusquisque si melior, aut deterior sit, nemini est concessum. Ideo prudenter Apostolus membris corporis assimilauit sanctos Ecclesiæ. Sicut enim homo quidem intelligit, quod membrum honorabile habet in corpore suo, quod inhonestum: vnumquodque autem membrum non se cognoscit ipsum, si honorabilius sit, aut cõtemptibilius: alioquin & quæ honorabiliora sunt, gratularentur: † & quæ contemptibiliora sunt tristarentur, & per hoc fieret inter ea scissura: sic differentiam inter sanctum & sanctum Christus solus cognoscit, cuius membra nos omnes sumus. Ipsis autem sanctis non est concessum, vt cognoscant differentiam suam adinuicem, vt non meliores superbiant cõtra deteriores, & deteriores tristentur cõtra meliores, & per hoc soluta charitate, inter eos discordia nascatur, maximè in hoc sæculo facinoroso, † in quo occasiones iugiter quærit diabolus odiorum seminandorum. Quòd autem in hoc sæculo differentia dignitatis facta est inter sanctos, dignitatis dico, nõ sanctitatis, vt alter quidem sit Apostolus, alter autem episcopus, vel minister, vel laicus: contumacia carnis coëgit, vt peruersitas mundi, & occulta operatio inimici coërceatur: quoniam diabolus imperans carni & mundo, in multam indisciplinationem excitat homines, quandiu sunt in carne, & in mundo subdito ei, alios in lasciuiam, alios in delicias, alios in inuidiam, alios in auaritiam, alios in iram & superbiam, nisi ergo sint quos timeant, soluitur disciplina. Denique ipsi honores in Christo in prima quidem facie videtur honores, reuera autem non sunt honores diuersi, sed sunt diuersa ministeria: vtputa, honor oculi videtur, quia illuminat corpus: sed ipse honor illuminãdi non est ei honor, sed ministerium eius. Et pedum humilitas esse videtur, quia baiulant corpus: sed ipsa humilitas baiulationis non est eorum contemptio, sed ministerium eorum. Propterea Dominus corporis, scilicet homo, nec oculum suum amplius honorat quam pedem: nec pedem magis contemnit, quam oculum: quia nec oculus pro aliquo suo merito honoratus est, vt oculus sit, sed ad hoc ministerium creatus est: nec pes pro sua culpa contemptus est, vt sit pes, sed ad hoc ministerium est creatus. Propterea vnumquodque membrorum nil minus se habere intelligens, secundùm ministerium ad quod est creatum, nec amplius: nec inuidet alteri membro, quasi plus habenti, nec spernit alterum membrum, quasi minus habens. Sic est & inter sanctos: Vniuscuiusque sancti honor, nõ est honor eius, sed actus ipsius: Vtputa Apostoli, apostolatus putatur à nobis honor esse ipsius Apostoli: verè autem non est honor eius, sed ministerium eius. Vnde Paulus de apostolatu suo dicebat: Nam si euangelizem, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi, si non euangelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est. Similiter & diaconatus, diaconi contemptibilitas videtur à nobis, verè autem non est contemptibilitas eius, sed actus ipsius. Propter quod Deus nec Apostolum amplius diligit, quam diaconum, quia Apostolus est: nec diaconum minus quam Apostolum, quia diaconus est: quia nec Apostolus pro merito suo antecedẽti honoratus est, vt esset Apostolus: sed ad hoc ministerium aptus est iudicatus secundùm motum animæ suæ: † [Nec diaconus pro merito suo antecedenti contemptus est, vt esset diaconus: sed ad hoc ministerium aptus est iudicatus secundùm motum animæ suæ.]

superbirent.

Deus solus scit differentiam inter sanctos.

fastidioso. al. factioso.

1. Cor. 9.

(hoc in quodam exemplari deest.

A Propter quod neque Apostolus laudem habebit apud Deum, quia Apostolus fuit, sed si opus apostolatus sui bene impleuit: neque diaconus exprobrandus est, quia diaconus fuit, sed si opus suum neglexit. In nullo ergo hominis est honor, nisi in quo bene impleuit opus suum: & nulla contemptio eius est, nisi in quo neglexit proprium opus. Vnde sicut pes libenter seruit oculo, quasi sibi seruienti, sciens quia nisi oculus suo ministerio fuerit vsus, nec ipse suo poterit vti: & oculus libenter seruit pedi, quasi sibi seruiẽti, sciens quia nisi pes suo officio fuerit vsus, nec ipse suo poterit vti: Sic & sancti inuicem sibi debent esse subiecti, vt minor maiori non inuideat, quasi maiori: sed libenter ei obsequatur, quasi sibi seruienti, in eo ipso quod maior est: & maior non contemnat minorem, quia maior est, sed libenter ei obsequatur quasi sibi seruienti. Hæc omnia tractauimus propter duos fratres, qui petierunt sibi primatum, cùm non debuissent: & decem Apostoli indignati sunt contra eos, cùm non debuissent. *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare: & dare animam suam in redemptionem pro multis.* Ad hoc enim ad imaginem Christi facti sumus, vt imitatores efficiamur voluntatis eius & conuersationis. Nunquid ad similitudinem maiestatis eius sumus creati? Nam ille quidem nostram carnem imitari potuit, nos autem illius diuinitatem imitari non possumus: sed in hoc sumus imago eius, vt quod ei bonum videtur, & apud nos sit bonum: & quod ei malum videtur, & apud nos sit malum. Quicunque autem Domino humilitati studente, iactantiæ studet, non est imago Christi. Et qui Domino paupertatem amante, diuitiarum amator est in hoc sæculo, repellit à se Christi similitudinem. Non est verus discipulus, qui non imitatur magistrum: nec est vera imago, quæ similis non est author.

B

C

D

Homilia xxxvi. ex cap. xx.

Et *egredientibus eis ab Hiericho, secuta est eum turba multa, &c.* Testimonium studiosi agricolæ, est messis fœcunda: assidui autem doctoris documẽtum, Ecclesia plena: negociatoris prosperata fœlicitas, apotheca multiplex. Neminem labor itineris impediuit, quia amor spiritualis fatigationem non sentit. Neminem sexus muliebris retinuit, quia inter virum & mulierem, corporis quidem differentia est, gratia autem vna est, & vna conditio in omnibus. Illic ergo differentia sexus requiritur, vbi causa carnalis est, & vbi caro non spiritus operatur. Neminem possessionum suarum solicitudo † retraxit, quia ingrediebantur in possessionem regni cœlestis. Verè enim nõ habet super terram quod amet, qui bonum cœleste in veritate gustauerit. Sicut enim qui precioſum gustauerit cibum, postmodum ei hæc esca communis ingrata videtur: sic & qui semel de dulcedine Christi bene gustauerit, terrenorum bonorum de cætero non multum sentit saporem. Quis non desideret illum, aut quis non sequatur eum, quem etiã duo cæci, antequam corporaliter viderẽt, spiritualiter aspexerunt: & antequam audirent, crediderunt? Nimirum hæc est illa rosa in campis Hiericho, de qua Sapientia loquitur per Salomonem: Sicut palma exaltata sum in Cades, & sicut plantatio rosæ in Hiericho. Ergo hæc est illa speciosissima rosa sanctitate iustitiæ candida, & passionis sanguine rubicunda. Sicut enim rosa antequam videatur, sentitur: & antequam inueniatur, tenetur in odoribus suis: sic & Dominum transeuntem de longe, duo cæci antequam viderent, diuinitatis eius fragrantiam senserunt. *Et ecce duo cæci.* Ecce, dicendo, opportunitatem ostendit: hoc est, opportunè oblati sunt ante faciem

recordatio.

Ecclı. 24.

faciem Christi, vt apertis oculis, quasi testes virtutis A eius, ascenderent cum eo in Hierusalem: quia futurum erat, vt sacerdotes repleti inuidia, dicerent contra eum, In qua potestate facis hæc? vt videlicet cæci respondeant, etsi non voce, tamen ipsa re: Ecce nos cæci fuimus, & videmus. Quid ergo de potestate requiritis, qui videtis virtutem? Erubescite carnales oculi, qui ante vos Christum stantem non aspicitis, quem etiam crediderunt duo cæci sedentes secus viam, non in via. Duo cæci, duo populi sunt, Iudaicus, & Gentilis. Aut sicut quidam interpretantur, ambo Gentium, vnus ex Cham, alius ex Iaphet. Ideo autem cæci, quia nondum eis apparuerat vnigenita lux: *Secus viam:* Id est, iuxta veritatem conuersabantur, sed veritatem inuenire non poterant, quia via veritatis certior adhuc demonstrata non fuerat: vel secundùm rationem verbi degentes, non autem in ipsa ratione verbi consistentes: quia notitiam verbi nondum acceperant. Sicut enim qui in tenebris ambulat, si semel viam perdiderit, interdum tota nocte B ambulat iuxta viam errans, & non inuenit viam, donec superueniat dies: sic & homines ambulantes in erroribus vel peccatis, postquam Dei cognitionem semel perdiderunt, ad perfectam notitiam veritatis redire nõ poterant, nisi dies, scilicet Christus veniſſet, quamuis circa veritatem viuebant. Quomodo iuxta veritatem vel rationem verbi Gentes conuersabantur? Leges rationabiles proponebant, syncera iudicia iudicabant, dicente Apostolo: Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt. Ergo quasi iustitiam quidem faciebant, sed iustitiam tenere non poterant, non intelligentes quomodo oporteat scire: quia qui Deum diligit, hic cognitus est à Deo. Iudei autem quomodo erant cæci? quia legem sectantes, legis iustitiam non inuenerunt: quia ex operibus, & non ex fide iusti erant. Dicit enim Paulus: Testimonium illis perhibeo, quia æmulationem Dei habent, sed non secundùm scientiam. Nam volentes iustitiam suam sta- C tuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. *Audierunt quod Iesus transiret, & clamauerunt, dicentes: Miserere nobis Domine fili Dauid.* Currentium strepitum audiebant, & personas non videbant. Vndique festinantibus cunctis, soli sedebant indissolubili tenebrarum catena ligati, nihil solutum habentes de toto corpore, præter vocem. Et ideo quia pedibus cum sequi non poterant, voce tenebant † dicentes: Miserere nobis Domine fili Dauid. O tenebræ omni lumine clariores. O acutissimus cæcitatis aspectus. Puta quanti homines sani, & iuxta Iesum, qui via est, ambulantes, hominem illum putabant: & duo cæci, & longè sedentes Deum prospexerunt. Audierunt enim Gentes de transitu Iesu, secundùm testimonium Prophetarum annunciantibus sibi Apostolis. Audierunt enim aduentum eius in mundum, & passionem eius, & resurrectionem, & ascẽsionem † eius in cœlum: audierunt de transitu eius, cùm iam egressus fuisset ab Hiericho, id est de hoc mundo. *Turba autem increpabat* D *eos, vt tacerent.* Videbant sordidas vestes, & non considerabant conscientiæ claritatem. Ideo vetabant eos, non inuidentes eis, sed honorantes Christũ. Indignum enim eis videbatur vt tales homines vociferarent ad eum. Ecce fatua sapientia hominum. Existimabant iniuriam pati magnos viros, si à pauperibus honorarentur. Quis enim pauper ausus est diuitem publicè salutare? Mox indignatur, quasi iniuriam passus. Aut hi qui vetabant, in mysterio † Iudæorum vetabãt, quia omnia faciebant, ne Gentes in Christum credentes saluarentur. *At illi magis clamabant, dicentes: Miserere nobis Domine fili Dauid.* Inuitabantur vetiti, magis quam compescebantur. Talis est enim natura fidei, quantò magis vexatur, eò magis accenditur. Propter quod & serui Dei in persecutionibus non vincuntur, sed quantò magis afflicti fuerint, tantò amplius accenduntur. Virtus ergo fidei in periculis secura est, & in securitate periclitatur. Quid enim aliud sic vigorem fidei in hominibus laxat, † quam longa tranquillitas? Ergo vetantes eos, addebant eis & alteram causam doloris. Primùm, ne clamarent, quia cæci erant: secundò, quia vetabantur ad lumen venire. *Et stans Iesus vocauit eos, & ait: Quid vultis vt faciam vobis? Dicunt ei: Domine, vt aperiantur oculi nostri.* O Domine quid interrogas, quod ipse oculis vides? Infirmitas clamat, & vt quid vocem perquiris? Non quæro propter passionem, sed propter fidem. Non cupio audire quid dolent, sed volo cognoscere quid de me sentiunt. Tu Domine occultorum es cognitor, & nescis quid de te sentiunt? Etiam scio, sed volo vt procedant ad medium populi, & cunctis audientibus dicant quod volunt: & dum cæci me Dei filium confitentur, confundantur videntes, qui me hominem tantum putant. Dominum me vocant, & verum dicunt: sed dum filium Dauid dicunt, dissipant quod bene confessi sunt. Nam abusiuè & homines Domini dicuntur, verè autem nemo Dominus est, nisi Deus. Si ergo dicunt, Domine fili Dauid, abusiuè secundùm hominem me honorant: si autem solummodo Dominum, secundùm deitatis diuinitatem me confitentur. Quia vnus Deus ex quo omnia, & vnus Dominus, per quem o- 1. Cor. 8. mnia. Filius enim Dauid cæcos illuminare non potest, filius autem Dei potest: ideo interrogat, quid vultis? Tunc illi iam non dixerunt, Domine fili Dauid: sed tantum, Domine, vt aperiantur oculi nostri. *Misertus est autem eis Iesus, & tetigit oculos illorum: & confestim viderunt.* Quandiu ergo dixerunt, Domine fili Dauid, suspensa est sanitas, mox autem vt dixerunt tantummodo, Domine: infusa est sanitas super eos. Tetigit ergo oculos eorum. Tetigit homo carnaliter, nam verbo sanauit vt C Deus: tetigit, quia Dauid filium eum dixerunt: sanauit eos, quia crediderunt potentiæ eius, vt vna cadémque operatio sanitatis & fidem eorum remuneret, & infidelitatem castiget. Bonum munus obtulerunt Christo sananti. Quale? Secuti sunt eum. Nam quid homo in vicem reddat Deo dignè pro beneficiis eius, nisi id quod ipse admonet per Prophetam? O homo Mich. 6. quid quærit Deus à te, nisi vt facias iudicium & misericordiam, & paratus sis ire cum Domino Deo tuo? Consequenter & gentium oculos mentis tetigit Dominus Iesus, dans eis gratiam Spiritus sancti. Tangere enim Christi, est dare gratiam Spiritus sancti. Quæ gentes eum fuissent illuminatæ, secutæ sunt eum operibus bonis, nunquam postmodum relinquentes eum, sicut aliquando Iudæi fecerunt.

Infra 21. & Luc. 20.

vexat.

Rom. 2.

Ibid. 12.

sequebantur.

reditionem.

ministerio.

Homilia xxxvii. ex cap. xxi.

Et *cum appropinquasset Iesus Hierosolymis, &c.* Puto res ipsa exigit, vt quæramus. Frequenter quidem Iesus venit in Hierusalem, sicut Ioannes testatur, nunquam tamen sibi adhibuit ministeria iumẽtorum, nec ramorum circa se virentia constituit ornamẽta, nec ad terribilem laudem suæ diuinitatis animos populi excitauit: nisi modò quando, vt pateretur, ascendit. Ideo ergo cum tanta gloria est ingressus, vt amplius eorum aduersus se excitaret inuidiam, quia iam tempus passionis eius instabat, & non mors eum vrgebat, sed ipse magis aduersus se compellat mortem. Quotiens enim de manibus sacerdotum elapsus euasit, cum esset inuisibilis factus? Quando Iudæi Christum voluerunt occidere, tangere eum non potuerunt. Quando autem ipse se-

Universidad de Deusto Biblioteca

cutus est mortem, parcere ei Iudæi non potuerunt. Ergo si Christus eos prouocauit, fortè ne de morte sua fecit eos innoxios? Absit. Excitauit eos, non vt facerent quod antè noluerant, sed vt possint facere quod prius volebant: facultas eis data est, non mutata voluntas. *Tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est, & confestim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea. Soluite, & adducite mihi.* Asina & pullus eius Iudæi sunt & Gentes. Iudæa enim secundùm Deum mater est Gentium. Sic enim dicit ad eam Deus Esa.1. per Esaiam Prophetam: Et constituam principes tuos sicut antea, & consiliarios tuos sicut ab initio. Et tunc vocaberis ciuitas iustitiæ, & mater ciuitatum, id est Ecclesiarum, fidelis Sion. Propter quasdam tales similitudines, animalibus his assimilati sunt homines, Deum vel Dei filium non cognoscentes. Est enim animal hoc immundum, & præ cæteris pene iumentis magis irrationabile & stultum, & infirmum, & ignobile, & oneriferum magis: sic fuerunt & homines ante Christi aduentum idololatræ, passionibus diuersis immundi, & irrationabiles, verbi ratione carentes, quantum ad Deum stulti. Quid autem stultius quam factorem contemnere, quàm facturam & opus manuum suarum adorare, quasi factorem? Erant enim infirmi secundùm animam & ignobiles, non valentes resistere passionibus suis, & obliti generationem suam cœlestem, facti fuerant serui passionum suarum & dæmonum, quibus resistere non valebant. Et quicunque dæmonum vel philosophorum cuiusque erroris vel dogmatis alicuius sarcinam eis voluisset imponere, sufferebant: & omnia non bona patientia supportabant, nec resistebant. Propter quæ omnia & Apostolus ad Corinthios dicit: 1.Cor.1. Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi fortes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia, & contemptibilia mundi elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret. At vbi Christus super eos ascẽdit, & induxit in templum, lauati per baptismum, facti sunt de immundis animalibus homines sancti. Percepta enim verbi ratione, sapientia Dei facti sunt rationabiles, & prudentes: & inuenta est irrationabilitas eorum esse simplicitas, & stultitia eorum mansuetudo. Nam simplicitas sine ratione verbi, hominis irrationabilitas est: & mansuetudo si non sit propter Deum, stultitia est. Adhuc autem accepta gratia, & recognita regeneratione sua cœlesti, facti sunt de infirmis & de ignobilibus fortes & nobiles: & quæ videbatur infirmitas, innocentia est inuenta in eis, ignobilitas autem humilitas. Nam innocentia sine Deo infirmitas æstimatur, & humilitas non propter Deum ignobilitas iudicatur. Item reiicientes à se onera dæmonum, suscipientes super se iugum Christi suaue, & onus eius leue, & ipsum sessorem in cordibus suis suscipientes, facti sunt patientes. Nam patientia irrationabilis onerifera æstimatur & ligata, id est diabolici erroris vinculo impedita, vt nõ haberet libertatem ire quò vellet. Nam omnes homines antequam peccemus, liberum quidem habemus arbitrium, si volumus sequi voluntatem diaboli, an non. Quòd si semel peccantes obligauerimus nos operibus eius, iam nostra virtute euadere non possumus. Sed sicut nauis fracto gubernaculo illuc ducitur, vbi tempestas voluerit: sic & homo diuinæ gratiæ auxilio perdito per peccatum, agit quod non vult, sed quod diabolus vult. Et nisi Deus valida manu misericordiæ suæ soluerit eum, vsque ad mortem in peccatorum suorum vinculis permanebit. Ergo nostra quidem voluntate & negligẽtia alligamur, sed per Dei misericordiam absoluimur. Sicut enim videmus in istis mundialibus regnis, quomodo in primis quidem nemo potest facere seipsum regem, sed populus creat sibi regem quem elegerit: cùm rex ille fuerit factus & confirmatus in regno, iam habet potestatem in hominibus, & nõ potest populus iugum eius de ceruice sua repellere: Nam primum quidem in potestate populi est facere sibi regem quem vult, factum autem de regno repellere iam non est in potestate eius, & sic voluntas populi posteà in necessitatem conuertitur: Sic & homo priusquam peccet, liberum habet arbitrium vtrum velit sub regno esse diaboli: cùm autem peccando se tradiderit sub regno ipsius, iam non potest de potestate eius exire: & sic prima voluntas eius in necessitatem conuertitur. Et hoc est quod homines seculares & peccatores dicere solent: Nunquid nolumus esse sancti? Et quis non vult esse iustus? Sed non possumus. Verum quidem est quod dicunt, sed non habent excusationem: quia primùm potuerunt non esse sub potestate diaboli, si voluissent. Postquam verò posuerint thronum diaboli in cordibus suis, iam nemo potest eos de potestate diaboli eripere, nisi solus Deus. *Soluite,* inquit. Quomodo? Per doctrinam vestram, per miracula vestra: quia omnes Iudæi & Gentes per Apostolos sunt liberati. *Adducite mihi.* Per ministerium, id est ad gloriam corrigite illos. Duos autem misit Apostolos, quia per duo generalia mãdata omne genus hominum de peccato absoluitur. Qualia? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum. Deut.6. In his duobus mandatis omne peccatum expellitur, & omnis iustitia consummatur. Aut certè alia duo, Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris. Item, Quod vultis vt faciant vobis homines, facite & vos similiter. Supra 7. Quidam autem istos duos Petrum & Philippum Apostolos exponit intelligi oportere: quoniam hi primùm transgredientes Iudaicos fines, Gentes adduxerunt ad Christum: Philippus quidem Samariam, quam ipsam Samariam asinam esse interpretatur: Petrus autem Gentes, accipiens Cornelium ex Gentibus, quasi Samariæ pullum. *Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite: Dominus operam eorum desiderat.* Ne dicatis, Dominus tuus: neque, Dominus noster: neque, Dominus iumentorum: vt intelligant omnes, quia ego solus Dominus, non solùm animalium, neque solùm eorum qui mihi subditi sunt, sed omnium hominum etiã qui mihi contrarij sunt. Nam & peccatores conditione quidem mei sunt, voluntate autem sua diaboli. Meus est enim orbis Psal.23. terræ & plenitudo eius. Dominus operam eorum desiderat. Iustum est, vt aliquãdo creatura seruiat suo creatori. Gentes enim Deus in potestate diaboli pro tempore reliquit vt tentet, non in æternum contempsit vt perdat. Necesse est autem vt fiat quod scriptum est: Homines & iumenta saluabis Domine. Psal.35. *Confestim autem remittet eos.* Animal quidem postquam ingressum est in Hierusalem Iudææ, ad Dominum suum remissum est, animalis autem prophetia in Iudæa remansit. Nam de animali illo non hoc quod videbatur necessarium erat Christo, sed illud quod intelligebatur, id est non caro, sed ratio: ideóque caro remissa est, ratio autem retenta est. Aut ita, Non dixit, & iterum remittet eos ad te: sed tantùm, remittet eos, vt ne mysterium præcederet rationem. Nam puto in primis homines non sermone nudo vocauit Apostolorum, sed per virtutem Spiritus sancti soluit pariter & adduxit. Postquam autem adduxit, iterum dimisit eos in arbitrio, vt labore suo comitante gratia iustificentur. Nam quòd vocati sumus, Dei est, quòd autem dignè post vocationem viuimus, nostrum pariter est & Dei. Hoc est quod ait, Iterum remittet eos

tet eos

tet eos, non ad diabolum qui prius tenebat eos, sed in Zach. 6. arbitrio suo adiuuante gratiæ scilicet dono. *Hoc autem totum factum est, vt impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium iumenti.* Dominus noster ascendens ad mortem Hierosolymam, magnam gratiam pacis & concordiæ mundo vniuerso quasi in testamento reliquit. In mysterium enim Gentium futurarum sedens super asinam & pullum eius intrauit in templum, & sic Gentes Iudæis coniunxit. Sciens autem Propheta malitiam Iudæorum, quia contradicturi fuerant Christo ascendenti in templum, ideo præmonuit, vt per hoc signum cognoscerent regem suum Iudæi, dicens: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum eius. Ecce, ostendentis verbum est: id est, non corporali aspectu, sed spirituali intellectu opera virtutum eius aspicite, non schema visionum eius. Si enim schema eius aspexeritis, deiiciendi estis in natura humana: si autem opus eius consideraueritis, saluandi estis in virtute diuina. Ante tempora autem multa constitutus Propheta, videns eum spirituali aspectu, qui nondum natus fuerat, ideo dicebat: Ecce, vt ostenderet quia ille de quo loquebatur, antequam nasceretur iam erat. Cùm ergo videritis eum in templo ô Iudæi, nolite superbè agere contra eum dicentes: Luc.20. In qua potestate hæc facis? quia ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam. Nolite considerare in qua potestate facit, sed considerate tantùm si facere potest: quoniam hoc credere est, illud autem tentare. Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam. Luc.19. Nolite dicere: Nos non habemus regem, nisi tantummodo Cæsarem. Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam. Si intellexeris, venit tibi: si non intellexeris, veniet contra te: Id est, si intellexeris, veniet vt saluet te, & sub pedibus tuis subiiciat Psal.46. gentes, & dicas per Prophetam gaudens: Quoniam Deus excelsus terribilis, & rex magnus super omnem terram: subiecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris. Elegit nos in hæreditatem sibi, speciem Iacob quem dilexit. Si autem non intellexeris, veniet vt perdat te, & de templo sanctitatis expellat, & aliam sponsam de gentibus castiorem inducat in cubiculum sanctitatis, vt tu proiecta & in tenebris constituta dicas per Cant.1. Salomonem: Ne aspexeritis me, quoniam ego sum denigrata, quoniam despexit me sol. Vis cognoscere mãsuetudinem venientis? considera speciem aduentus eius. Non sedet in curru aureo, preciosa purpura fulgẽs: nec ascendit super feruidum equum discordiæ amatorem & litis, qui gloriæ iactantia pectus habet repletum, qui de longè odorat bellum, & gaudet ad vocem tubæ, & cùm viderit sanguineam pugnam, dicit in corde suo, bene est factum: Sed sedet super asinam tranquillitatis, & pacis amicam. Non autẽ vides in circuitu eius splendentes gladios, aut cætera ornamenta terribilium armorum. Sed quid? Ramos frondentes testimonia pietatis. Venit ergo mansuetus, non vt propter potentiam timeretur, sed vt propter mansuetudinem amaretur. *Sedens super asinam & pullum eius.* Super matrem sedebat. Nunquid & super pullum sedebat? Tamen etsi corporaliter fieri non poterat, vt super animal vtrunque sederet, spiritualiter poterat, cùm esset Deus, vt & in Iudæis sederet, & in Gentibus simul. Sedere autem super iumenta, est in præcordiis eorum habitare, vt dicat illis Sap.11. Christus: Tollite onus meum super vos, & videte, quia mitis sum & humilis corde. Mansueti enim mansuetum debent portare: qui vocauit eos sessor est, non vt illos puniat propter peccata eorum, sed vt ipse requiescat in eis propter mansuetudinem eorum. Nam sicut hoc genus iumenti, si quid errat, in simplicitate errat, & non in asperitate: ita & homines qui crediderunt in Iesum Christum, siue ex Iudæis, siue ex Gentibus, ante Christum non in malitia, sed in ignorantia peccauerunt. Ideo se deridebant non puniri sub graui sessore. Nam sicut peccatores equi sunt diaboli, ita & sancti equi dicuntur Christi: quia diabolus in peccatoribus sedens, instigat eos per deserta facinorum: id est per fornicationes, per auaritias, & cætera. Christus sedens in sanctis, dirigit eos per plana iustitiæ, id est in castitate, in humilitate. Ergo equitatus diaboli, perditio est: equitatus autem Christi, salus, sicut Habacuc dicit in canticis suis ad ipsum Christum: Qui ascendis super equos tuos, Habac.3. & equitatus tuus sanitas est. Ergo induxit pullum in templum, vt Gentes Iudæis coniungat, vt adimpleat quod Iacob benedicens filium suum Iudam Prophetauit: Alligans, inquit, ad vitem pullum suum. Quæ est illa vitis? Iudæa quæ de Ægypto translata est, & in Ori- Gen.49. ente plantata. Et sicut prophetauit Noë de filiis suis, dicens: Benedictus filius meus Sem, dilatet Deus Iaphet, Ibid. 9. & inhabitabit in tabernaculo Sem. Sem enim pater fuit Iudæorum, Iaphet autem pater gentium, quæ per Christum ingressæ sunt in tabernacula Iudæorum. *Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præceperat eis Iesus, & adduxerunt asinam & pullum.* Quoniam euntes Apostoli soluerunt asinam alienam, ministerium quidem fuit eorum, virtus autem & authoritas Christi. Nec enim potuissent tollere iumẽtum alienum ab illo Domino, qui eos non cognoscebat vnde essent, nisi præueniens spiritus Christi cor Domini eius præparasset ad dandum. Sic quòd Apostoli soluerunt Iudæos, vel Gentes de vinculo inimici: in prima quidem facie eorum videbatur opus, re vera autem fuit virtus & gratia Christi. Nec enim à Christo duodecim constituti totum mundum ligatum sub potestate diaboli soluere potuissent, nisi gratia Christi confregisset virtutem inimici. *Et imposuerunt super eum vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerũt.* Vestimenta sunt præcepta diuina, & gratia spiritualis. Sicut enim turpitudo nuditatis vestimento tegitur, sic naturalia mala carnis nostræ præceptis & gratia diuina teguntur. Omnis enim homo naturaliter non solùm peccator est, sed etiam totum peccatum, dicente Apostolo: Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri. Vnde & Ephes.2. Adam ideo se vidit nudum, id est peccatorem: & ideo foliis fici, id est mandatis asperæ legis cooperuit nuditatem suam. Et alibi promittens Deus iustitias suas, & gratias ablaturum de gente Iudæa, sicut dicit Dominus per Osee Prophetam: Et auferam vestimenta mea, & Osee 2. linteamina, & ostendam gentibus turpitudinem tuam. Ergo imposuerunt vestimẽta sua, super eos, id est, mandata & gratias quas ipsi acceperunt à Christo: super Iudæos & Gentiles imposuerunt, id est tradiderunt, nec enim requiescere in eis potuisset Christus, nisi mandata eius fuissent in eis. *Plurima autem turba vestimenta sua sternebant. Alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via.* Videlicet vt eo veniente calcarentur à iumento. Vestimenta sunt mandata, sicut diximus: frondes autem, speciem tenent pietatis. Quoniam ergo & mandata legis, & species Iudaicæ religionis à Christianis fuerant conculcanda in via, id est in Christo: ideo tunc illa sub pedibus iumenti sternebant in via. Et vide quoniam super iumentum quidem Apostoli posuerunt vestimenta sua, sub pedibus autem iumenti cętera turba Iudaica: quoniam mandatis Apostolorum sternuntur quidem Christiani & adornantur, legis autem mandata conculcant. Quotiescunque enim circumcisionem spernimus, sacrificia Iudæorum pro nihilo æstimamus, & cæteras consuetudines Iudaicas reprobamus. Vesti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

menta Iudæorum quibus ipſi induebantur, nos qui ſumus ex Gentibus, ſub pedibus noſtris conculcamus. Alius autem ſic: Qui veſtimenta, inquit, depoſuerunt ſuper aſinam, Apoſtoli ſunt, cæteríque doctores: veſtimenta autem ſunt decus & ſchema gloriæ. Gloriam ergo quam Chriſtus accepit à Patre, dedit diſcipulis ſuis: diſcipuli autem accipientes eam à Chriſto, dederunt eam gentibus, vt delectabiliter Chriſtus ſederet in eis, Ioan.7. ſicut ipſe dicit: Et ego gloriam quam mihi dediſti dedi eis, vt ſint vnum ſicut & nos vnum ſumus. Turbę autem quæ veſtimenta ſternebant in via, credentes erant ex circumciſione, qui gloriam quam habebant ex lege, videntes Chriſtum deiecerunt in terram: ſemetipſos hu- Philip.3. miliantes, & cum Apoſtolo Paulo dicentes: Secundum iuſtitiam quæ ex lege eſt conuerſatus ſum ſine querela, ſed quæ fuerunt mihi lucra, hęc æſtimaui propter Chriſtum detrimenta, & arbitror ſtercora eſſe, vt Chriſtum lucrifaciam. Quid eſt autem aliud, quàm iuſtitiam legis terræ coæquare, ante ſublimem gloriam Chriſti? Qui autem ramos de arboribus præcidebant frondentes, ipſi erant credentes & eruditi doctores, qui ex Prophetis accipientes exempla viua de Chriſto, quaſi de arboribus ſemper virentibus, & nunquam folia verborum ſuorum deiicientibus, ramos frondentes ante pedes ſubiugalis populi ſternebāt, & per ea exempla quaſi per ramos frondentes, virentes ſine offendiculo ambularent per viam vitæ iſtius, donec introirent in ſanctuarium Dei. *Turba autem quæ præcedebat, & quæ ſequebatur, clamabat, dicens: Hoſianna filio Dauid, &c.* Memores populi mirabilium eius, quæ oſtēdit eis, & ſanitatum quas præſtitit eis, exultātibus cordibus ſuis, ante & retrò clamabant, Hoſianna filio Dauid. Qui præcedebant ſeniores erant, id eſt Patriarchæ, Prophetæ, cæteríque ſancti, qui ante aduentum Chriſti de aduentu eius & prędixerunt, & cognouerunt. Sequentes autem iuniores, id eſt, Apoſtoli, martyres, cæteríque doctores, qui poſt aſcenſum Chriſti de reſurrectione eius & aſcenſione vel operibus prædicauerunt & prædicant: & licet diuerſis quidem temporibus fuerunt, tamen in omnibus vnus exultationis ſpiritus fuit. Et illi quidem prophetantes de Chriſto venturo clamauerunt: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hi autem laudantes clamant de aduentu Chriſti Hoſianna. iam impleto, Hoſianna filio Dauid. Hoſianna autem quidam interpretantur gloriam, alij redemptionem, alij ſaluifica, ſiue ſaluum fac. Nam & gloria illi debetur, & redemptio illi conuenit, qui omnes redemit, & precioſi ſanguinis effuſione ſaluauit.

HOMILIA XXXVIII. EX CAP. XXI.

ET *cùm intraſſet Ieſus Hieroſolymam, commota eſt vniuerſa ciuitas, dicens: Quis eſt hic, &c.* Meritò commouebantur videntes rem mirabilem: homo enim laudabatur quaſi Deus, ſed Deus laudabatur in homine. Dicebant enim, Hoſianna filio Dauid. Puto autem quòd nec ipſi qui laudabant, ſciebant quid laudabant, ſed ſpiritus ſubitò ingreſſus in eos, neſciente animo veritatis verba fundebat. *Et intrauit Ieſus in templum Dei.* Hoc erat proprium boni filij, vt & veniens ad domum curreret Patris, & illi honorem redderet, qui genuit eum, vt tu imitator Chriſti factus, cùm in aliquam ingreſſus fueris ciuitatem, primùm ante omnem actum ad Eccleſiam curras. Hoc erat boni medici vt ingreſſus ad infirmam ciuitatem ſaluādam, primùm ad originem paſſionis intēderet. Nam ſicut de templo omne bonum egreditur, ſic & de templo omne malum procedit. Quemadmodum medicus quando primò ingreditur ad infirmum, ſtatim de ſtomacho eius interrogat, & cum componere primùm feſtinat: quia ſi ſtomachus ſanus fuerit, totum corpus validum eſt: ſi autem diſſipatus fuerit, totum corpus infirmum eſt. Ita ſi ſacerdotium integrum fuerit, tota Eccleſia floret: ſi autem corruptum fuerit, omnium fides marcida eſt. Cor autem & ſtomachus ſacerdotes intelliguntur, quia in rebus ſpiritualibus per eos totus populus gubernatur. Et ſicut cor ſapientiæ locus eſt, ita ſacerdotes ſunt receptacula ſapientiæ ſpiritualis, Eſaia dicente: de regibus quidem, Omne caput in dolore: de ſacerdotio autem, Omne cor Eſa.1. Ibidem. in triſtitia. Sicut enim ſtomachus accipiens cibum, coquit eum in ſeipſo, & per totum corpus diſpergit: ſic & ſacerdotes accipiunt ſcientiam ſermonis per ſcripturas ex Deo, & excoquentes eam in ſe: id eſt, tractantes & meditantes apud ſe, vniuerſo populo ſubminiſtrant. Et ſicut ſtomacho ſubminiſtrante, vnumquodque membrum ſuſcipit nutrimentum, & conuertit ipſum in ſe, ſecundùm ſuam naturam: vtputa quod ſuſcipit iecur, totum fit ſanguis: quod autem ſuſcipit fel, bilis efficitur totum: quod verò aſcendit in pulmonem, phlegmata fiunt: quod autem in mamillas, totum efficitur lac. Sic ſacerdotibus in Eccleſia loquentibus, verbum omnes ſuſcipiunt, vnuſquiſque autem conuertit illud ſecundùm proprium cor, ita vt vnum idipſum verbum in cordibus quidem rectis procedat ad vitam, in cordibus autem peruerſis ſuſcitet iracundiam, quaſi bilis: in aliis autem operatur dilectionem dulciſſimam, quaſi lac: in aliis autem odia, quaſi phlegma nociuum & expuendum. Videte ergo ſacerdotes quomodo vos componatis in verbo & opere. Quoniam ſicut in corpore, ſi aliquod infirmatum fuerit membrum, non omnino languet & ſtomachus: ſi autem ſtomachus languerit, omnia membra inueniuntur infirma. Sic ſi aliquis Chriſtianorum peccauerit, non omnino peccant & ſacerdotes: ſi autem & ſacerdotes fuerint in peccatis, totus populus conuertitur ad peccandum. Ideo vnuſquiſque Chriſtianorum pro ſuo peccato reddet rationem: ſacerdotes autem non ſolùm pro ſuis, ſed & pro omnium peccatis redditurі ſunt rationem. Vidit arborem pal- Heb.13. lentibus foliis marcidam, & intellexit ſtudioſus agricola, quia læſuram in radicibus haberet. Nam verè quemadmodum cùm videris arborem pallentibus foliis, marcidam intelligis, quia aliquam culpam habet circa radicem: ita cùm videris populum indiſciplinatum & irreligioſum, ſine dubio cognoſce, quia ſacerdotium eius non eſt ſanum. *Et eiiciebat vendentes & ementes de templo.* Significans quia homo mercator vix aut nunquam poteſt Deo placere. Et ideo nullus Chriſtianus debet eſſe mercator: aut ſi voluerit eſſe, proiiciatur de Eccleſia Dei, dicente Propheta: Quia non cognoui Pſal.70. negotiationes, introibo in potentias Domini. Quemadmodum enim qui ambulat inter duos inimicos, ambobus placere volēs, & ſe commēdare, ſine maliloquio non poteſt eſſe: neceſſe eſt enim vt & iſti malè loquatur de illo, & illi malè loquatur de iſto: ſic qui emit & vendit, ſine mendacio & periurio eſſe non poteſt: neceſſe eſt enim vt negotiatoribus hic iuret, quia non tantùm valet res, quantùm comparat eam, & ille iuret quia plus valet res, quàm vendit. Sed eſt nec ſtabilis ſubſtantia eorum. Talium enim ſubſtantia aut ipſis viuentibus peritura eſt, aut à malis hęredibus diſſipanda eſt, aut ad extraneos & inimicos hæreditas ipſorum vētura eſt. Non poteſt ad bonum proficere, quod congregatur de malo. Quemadmodum ſi triticum, aut aliquam blādi ſpeciem cernas in cribro, dum huc illúcque iactas eum, grana omnia paulatim deorſum cadunt, & in fine in cribro nihil remanet, niſi ſtercus ſolùm: & ſubſtantia negotiatorum, dum vadūt, & veniunt inter emptionem & venditionem,

venditionem, minuitur, & in nouiſſimo nihil illis remanet, niſi ſolùm peccatum. Ergo oſtende nobis quis eſt negotiator? omnes enim homines videntur negotia- ſegetes. tores. Ecce qui arat, comparat boues vt ſpicas * vendat: & qui operatur lignum, comparat lignum, vt vtenſilia vendat: & linteonarius comparat linteamina, vt vendat & oſtendat: & fœnerator mutuat pecuniam, vt tollat vſuras. Et quomodo antiqui Iudæi & Apoſtoli artificia laudauerunt? quia magis ſunt ſine peccato. Sicut & Act.8. ad Tit.3. Paulus fuit ſutor tabernaculorum, & ipſe mandat, dicens: Curent & noſtri bonis operibus præeſſe. Et Apoſtoli quidem, ſicut legimus, piſcatores fuerunt. Ego Supra 4. oſtendam qui non eſt negotiator, vt qui ſecundùm regulam iſtam non fuerint, intelligas omnes negotiatores eſſe: id eſt, quicunque rem comparat, non vt ipſam immaculatam. rem integram & immutatam † vendat, ſed vt opus faciat ex ea, ille non eſt negotiator: quia qui materiam operandi ſibi cōparat vnde faciat opus, ille non rem ipſam vendit, ſed magis artificium ſuum, id eſt, qui rem vēdit, cuius æſtimatio non eſt in ea ipſa re, ſed in artificio operis, illa non eſt mercatio: Vtputa, faber cōparat ferrum, & facit ferramentum: ſed ferramentū illud non tantum habet ferri quantum valet, ſed ſecundùm opus ferramenti appretiatur. Qui autem comparat rem, vt illam ipſam integram & immutatam dando lucretur, ille eſt mercator, qui de templo Dei eiicitur. Vnde ſuper omnes mercatores plus maledictus eſt vſurarius. Si enim qui rem comparatam vendit, mercator eſt & maledictus: quantò magis maledictus erit, qui non comparatam pecuniam, ſed à Deo donatam ſibi dat ad vſuram? Secundò, quia mercator dat rem, vt iam illam non repetat: iſte autem poſtquam fœnerauerit, & ſua iterum repetit, & aliena tollit cum ſuis. Adhuc dicit aliquis: Qui agrum locat, vt agrariam recipiat: aut domum, vt penſiones recipiat: num eſt ſimilis ei qui pecuniam dat ad vſuram? Abſit. Primùm quidem, quoniam pecunia non ad aliquem vſum diſpoſita eſt, ſicut ager, vel domus, ſed ad pretium emendi vel vendendi. Secundò, quoniam qui agrum habet, arat eum, & fructum accipit ex eo: ſimiliter: & qui domum habet, vſum manſionis capit ex ea. Ideo qui locat agrum, vel domum, vſum dare videtur, & pecuniam accipere, & quodammodo quaſi commutare videtur lucrum cum lucro: pecuniam autem ſi repoſitam in ſacculo teneas apud te, nullum vſum capis ex ea. Tertiò, ager vel domus vtendo veteraſcit: pecunia autem cùm fuerit mutuata, nec minuitur, nec veteraſcit. *Et menſas numulariorum ſubuertit.* Pecunia ſpiritualiter homines intelliguntur: quia ſicut numus habet charagma Cæſaris, ſic homo habet charagma Dei. Et quemadmodum ſolidus qui non habet charagma Cæſaris, reprobus eſt: ita & homo qui non oſtendit in ſe imaginem Dei, reprobus æſtimatur. Vn- Eſa.1. de Eſaias dicebat ad Hieruſalem: Pecunia tua reproba eſt, caupones tui miſcent vinum aqua, & cætera. Ideo ergo menſas numulariorum euertit, ſignificans quia in templo Dei non debent eſſe numi, niſi ſpirituales, id eſt qui Dei imaginem habent: & non illi numi, id eſt non illi homines, qui terreni regis imaginem portant, id eſt diaboli. Nam ſicut homo bonus in ſe imaginem Dei oſtendit, ſic & homo malus imaginem diaboli habet. Aut certè menſas ſpiritualiter dicit ſcripturas numulariorum, id eſt ſacerdotum. Verè enim ſacerdotum illorum ſcripturæ euerſæ ſunt, vt iam nemo eorum paſcatur in eis, ſuccedente nouo teſtamento priori. *Et cathedras vendentium columbas euertit.* Loquens etſi non ſermone, tamen ipſo facto: quid faciunt in templo multæ columbæ venales, ex quo vna columba gratuita deſcendit in templum corporis mei? id eſt Spiritus ſanctus repleuit Eccleſiam meam. Non enim in ſacrificio columbarum poſtmodum placiturum eſt Deo templum, id eſt Eccleſia, ſed in Spiritu ſancto. Dixi enim vobis per Prophetam: Non accipiam de domo tua vi- Pſal.49. tulos, neque de gregibus tuis hircos: quoniam meæ ſunt omnes feræ ſyluarum, iumenta in montibus & boues: cognoui omnia volatilia cœli. Immola Deo ſacrificium laudis, quia non hoſtias volo, ſed corda: non ſacrificia, ſed fidem. Item dixi vobis per eundem Prophetam: Afferte Domino gloriam & honorem. Et ſi Ibid.28. verè vultis in templo Dei conſiſtere, tollite hoſtias, & ſic introite in atria eius ſancta. Tollite tauros de templo, quia vnus taurus eſt offerēdus pro grege vniuerſo: de quo Iacob dicebat accuſans Leuitas, id eſt ſacerdotes: quia in ira ſua occiderunt hominem, & in furore ſuo ſubneruauerunt taurum. Tollite oues de templo, quoniam vnus agnus occidetur. Quoniam ergo per Prophetas admonuerat eos, vbi hoſtias de templo tollerent animalium, & corda ſua contribulata & humiliata offerrēt, illi autem non obaudierunt: iuſtè nunc tanquam iratus ſuper inobedientia eorum, propria virtute expellit eos, † oſtendens per hæc, quoniam ipſe eſt qui al. manu expellit ea. tunc per Prophetas admonuerat eos de hoſtiis expellendis. *Scriptum eſt enim: Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Eſa.56. Tēplum autem Dei ſpeluncam facit latronum, qui lucra terrena & illicita, nō etiam ſpiritualia in animarum ſalutem ſectatur. Cultúſque religionis eo modo non tam cultus Dei eſt, quàm iniquę negociationis occaſio, Nam quotidie ingreditur Ieſus in templum ſuum, id eſt in ſanctam Eccleſiam, & eiicit omnes vēdentes gratiam Dei de Eccleſia, epiſcopos, presbyteros, diaconos, omnéſque eccleſiaſticos, necnon & laicos: quia vnius criminis habentur, pariter Dei dona vendentes & ementes: quia ſcriptum eſt, Gratis accepiſtis, gratis date. Colum- Supra 10. bas quoque vendētium cathedras euertit, vt quòd honor ſacerdotalis debet auferri ab eis, doceret, qui pro terrena mercede opus Dei faciendum exiſtimāt. Quod igitur de eccleſiaſticis diximus, hoc vnuſquiſque de ſe intelligat. Dicit enim Apoſtolus: Vos eſtis templum 1.Cor.3. Dei viui, & Spiritus ſanctus habitat in vobis. Non ſit igitur in domo pectoris tui negotiatio illicita. Nihil boni quod facimus, vel facere poſſumus adiuuante Domino, appetitu iactantiæ faciamus, non terreni lucri concupiſcentia, non malarum cupiditate rerum, ne ingrediatur Ieſus iratus & rigidus, & non aliter emundet templum ſuum, niſi flagello adhibito: id eſt, correctione grauiſſima: & de ſpelunca latronum, id eſt, de habitaculo dæmonum per vſum iniquæ cupiditatis: & de domo negotiationis, id eſt, de corde terreni lucri inhiante, ſuę faciat domum habitationis. Vnde quia paucorum eſt tam ſolida fortitudo, cruciantur delicti ſanandis vulneribus, quibus humana fragilitas ſauciatur. Diligens eſt adhibēda curatio. Vnde dicit ſcriptura: Quis Prou.20. enim gloriabitur caſtum ſe habere cor, mundum à peccato? Omnes igitur intelligant delictorum indulgentiam, & reparationis ſuæ neceſſariam ſibi eſſe medicinam. Nemo enim eſt tanta firmitate ſuffultus, vt de iuſtificatione ſua debeat eſſe ſecurus. Vtamur igitur dilectiſſimi, ſaluberrimi temporis venerabilibus inſtitutis, & ſolertiori cura noſtras maculas tergamus. Quantumlibet enim caſtè & ſobriè mortalis hæc vita ducatur, quodam tamen puluere terrenæ conuerſationis aſpergitur, & nitor mentium ad Dei imaginem conditarum, non ita à fumo totius vanitatis eſt alienus, vt nulla poſſit ſorde fuſcari, & non ſemper indigeat expoliri. Quod ſi etiam caſtiſſimis animis neceſſarium eſt, quantò magis eſt expetendum, qui tota fortè anni ſpa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cia aut secularius, aut negligentius transierunt? Quos charitate debita commonemus, vt confugiant omnes ad præsentem vbique Dei misericordiam, & digna se confessione cum obseruantia mãdatorum Dei cunctorum corda sanctificẽt. Miteſcat sæuitia, iracundia mansuescat. Remittant sibi omnes culpas inuicem suas. Nec exactor sit vindictę, qui petitor est venię. Dicẽtes enim,
Matth. 6. Dimitte nobis debita, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: durissimis nos vinculis colligamus, nisi quod profitemur impleamus. Clementes autem & mites animos largitas deorum.* Nihil enim est dignius,
Eclipsis. quàm vt homo sit authoris sui imitator, & secundùm modum propriæ facultatis diuini operis sit executor. Nam cùm aluntur esurientes, vestiuntur nudi, nónne auxilium Dei manus explet ministri? Et benignitas serui, munus est Domini. Et meritò Deo gratię referuntur de pietatis officiis, cuius opera videntur in famulis. Pro-
Supra 5. pterea ipse Dominus discipulis suis ait: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. *Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanauit eos omnes.* Vt quod illi verbis clamabant, iste factis ostenderet. Quasi testis vocis eorum sanauit cæcos, vt cæci videntes, cæcos aspicientes viderent & ipsi: vt istorum illuminatio corporalis, fieret illis spiritualis lucerna cordis. Curauit & claudos, vt claudicantes Iudæi in fide currerent ad Christum, vt meliores pedes illi acciperent videntes quàm isti. *Videntes autem principes sacerdotum, & scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hosianna filio Dauid: indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt?* Quibus ipse poterat dicere: Et vos videtis quid ego facio? Illos loquentes attenditis, & me facientem non consideratis. Ego enim factis interpretor voces illorum. Quemadmodum columna in templo, si steterit recta, accepto pondere amplius cõfirmatur: si autem modicè obliqua fuerit, susceptо pondere, non solùm non confirmatur, sed amplius C vadit ad latus: sic & cor hominis si rectum fuerit, videns opera alicuius viri iusti, aut audiens, per doctrinam sapientiæ eius amplius confirmatur: si autem fuerit peruersum cor, videns opera alicuius viri iusti, aut audiens: non solùm non confirmatur, sed magis ad inuidiam excitatur, & magis peruertitur. Hoc modo & sacerdotes videntes sanitates ægrotantium, & audientes laudem puerorum, non solùm non crediderunt in Christum, sed magis excitati sunt contra eum, dicentes: Audis quid isti dicunt? Vtinam vos audiretis quid dicunt. Hæ enim sanitates ægrotantium de vocibus clamantium testimonium dant, quia vera sunt quæ dicuntur. Item voces clamantium de sanitatibus ægrotantium testimonium reddunt, quia magna sunt quæ fiunt. Si sanitates ægrotantium mentiuntur de Christo, interrogate voces clamantium. Si voces clamantium mentiuntur, interrogate ægrotantium sanitates. Et vt quid quasi reum arguitis, quem tanti testes defendunt? Si iustè clamant, consentite clamantibus, & credite in Christum: si autem iniustè dicunt, reprehendite illos magis iniustè, dicentes: Et vt quid Christum culpatis? Quid enim
al. non intell. Psal. 8. culpant Christum, si † intelligunt illi quid dicunt? *Iesus autem dixit eis: Vtique nunquam legistis, Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?* Tanquam si dicat, esto istud mea culpa est, quia isti clamant: nunquid mea culpa est, quia ante tot millia annorum hoc futurum Propheta prædixit? Si recordamur quomodo superius dixit, Turba autem quæ præcedebat, & quæ sequebatur clamabat: intelligimus quia infantes dicebantur, non ætate, sed simplicitate cordis. Infantes autem lactentes, nec intelligere aliquid, nec laudare possunt. Lactentes autem dicebantur, quoniam quasi lactis suauitate, ita mirabilium delectatione excitati clamabant, sicut scriptum est: Sic exaltaui animam meam, sicut ablactatus Psal. 130. super matrem suam. Lac enim dicitur opus miraculorum, panis autem doctrina perfectæ iustitiæ, sicut ait Apostolus: Et verbum meum, & prædicatio mea non in 1. Cor. 2. persuasione sapientiæ verbi, sed in ostensione spiritus & virtutis. Item post modicum sic dicit: Et ego non Ibid. 3. potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: quasi paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Omnis prima inductio fidei, id est simplex doctrina, lac dicitur: quoniam sicut lac sine labore, & sine opere dentium manducatur, & manducantem suauitate sua delectat: sic & mirabilia nullum laborem videntibus ponunt, sed videntes admiratione delectant, & ad fidem molliter inuitant. Panis autem perfectioris doctrinam iustitiæ significat, quam accipere non possunt, nisi exercitati sensus circa res spirituales: quoniam B qui audit, necesse habet intra se tractatibus quibusdam discutere & meditari: quasi quibusdam dentibus spiritualibus molere. Vnde & lex ruminantia animalia vo- Deut. 14. luit esse munda. Illa enim esca doctrinæ non tantum carnalibus suauis est, quantum spiritualibus vtilis est ad salutem. Sicut enim infanti si dederis fragmentum panis, quoniam angustas habet fauces, offocatur magis quam nutritur: sic & hominis imperfecto in fide, & puero sensibus, si altiora mysteria sapientiæ volueris dicere, angustam habens fidem & sensum, magis scandalizatur, quàm ædificatur. Et quemadmodum viro perfecto si dederis lac, fauces quidem eius delectat, membra autem eius non confortat. De pane enim scriptum Psal. 130. est, non de lacte, quia confortat cor. Si autem panem manducet, non tantum fauces eius delectat, quantum præstat ei virtutem: sic & viro perfecto in fide, & maturo sensibus, si miracula ostenderis, delectatur quidem aspectu, nihil autem proficit ei ad ædificationem sensus, aut notitiam veritatis: si autem verbum sapientiæ exposueris ei, & ratione delectatur, & ædificatur in fide. *Et relictis eis abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, & mansit ibi.* vt recedendo compesceret, quos respondendo non potuit: quia malitia non compescitur sermonibus, sed excitatur. Malum enim hominem melius locum dando potes vincere, quàm respondendo. Nam si contendis irrationabilem ratione placare, & illum non placas, & teipsum subuertis. *Et mansit ibi.* Noluit manere in Hierusalem, de qua iam voluntate recesserat, quæ in mortem Domini sui iam manus armatas tenebat, seipsam magis occisura quàm Dominum, sed mansit apud Lazarum & sorores eius, vt illic requiesceret corporaliter, vbi & spiritualiter repausabat. Nam sanctorum virorum est non ibi quærere mansionem, vbi clariores sunt viri, sed vbi fideliores: nec gaudent vbi epulæ largæ sunt, sed vbi sanctitas floret.

Homilia xxxix. ex cap. xxi.

D

MANE *autem reuertens in ciuitatem, esuriit: & videns sici arborem vnam secus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea nisi folia tantum, & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, &c.* Non quasi homo cibum, sed quasi Deus salutem humanam: non quasi indigens quærit nostram iustitiam, sed quasi misericors desiderat nostram salutem. Si autem quasi homo esuriisset cibum, nunquam manè esuriisset: sed ideo ad hoc manè esuriit, quia semper esuriit, qui iustitiam illorum esuriit, aut aliorum salutem. Meritò ergo veniens ad gentem Iudæam Christus, manè esuriebat, cùm per tot millia annorũ nullum iustitiæ suæ desiderat cibum.

Manè autem.

Manè autem. id est, initium duodecimæ horæ, de qua supra locuti sumus. Vides ergo quia mutationes istæ sæculi huius, & horæ dicuntur & dies: & si consideres per singula sæcula, quasi & mane inuenies fieri & vesperе. Ecce factum est mane super Adam, quãdo creauit eum Dominus, & dedit ei mandatum iustitiæ quasi lucem. Deinde magis atque magis hominũ iniquitate crescente, & quasi nocte veniente, iustitia quasi lux recessit ab eis. Iterum factum est alterum mane, quãdo Dominus veniẽs ad Noë propter reparationem sæculi, ad eum & ad filios eius posuit iustitiæ testamentum, quasi lumen. Iterum crescẽte hominum iniquitate, quasi nocte præualente, recessit ab eis sol, id est Dominus cum luce iustitiæ suæ. Iterum reuertẽs reduxit tertium mane, eligẽs Abraham, & ostendens ei quasi lumen animæ notitiam veritatis, ponens testamentum in eo circumcisionis & fidei. Item præualente iniquitate quasi nocte veniente, recessit ab eis quando filij Israël secundùm idola Ægyptiorum viuebant. Nunquam enim afflixissent eos Æ- B gyptij, si quantum ad primam faciem lux fuisset in eis. Item rediens quarto mane apparuit Mosi, & educens Israël de Ægypto lucem legis ostẽdit eis. Item crescente iniquitate quasi nocte nouissima deducti sunt in captiuitatem filij Israël. Reuertens iterum Dominus reduxit quintum mane, reuocans filios Israël de captiuitate, restaurans plebem per Zorobabel, & per Iesum filium Iosedech, de cætero reparans legem per Esdram Prophetam. Iterum crescẽte iniquitate quasi nocte veniente, subtraxit ab eis Dominus misericordiam suam quasi lucem, & facti sunt iterum sub Romanorum potestate. Sexto autem mane reuersus est Christus ad Iudæos & Gentes, & dedit eis seipsum manifestissimum lumen. Etiam modò sicut videtis Christianorum iniquitate crescente, quasi nocte veniente, recedet à nobis, & auferet gratiæ suæ lumen à nobis, sicut ipse testatur, dicens: Putas cùm venerit filius hominis,
Luc. 18. inueniet fidem super terram? Septimum autem lumen C daturus est nobis, cùm venerit reddere singulis secundùm opera eorum. Et quotiescunque peccata hominum prævalentia excludunt à se misericordiam Dei, illud tempus nox dicitur: quotiescunque autem misericordia Dei prævalens, non aspicit peccata nostra, sed visitat homines in bono, dies dicitur visitatio eius. Vt scias autem de nocte, quæ fit ante Christi aduentum
Psal. 29. priorem, dicit Propheta: Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. De nocte autem con-
Supra 20. summationis futuræ ipse Dominus dicit: Cùm sero factum esset, vocauit operarios, & reddidit eis mercedem. Ergo per istos sex dies & noctes, laborauit Dominus vadens à nobis, & reuertens ad nos. Vadens propter peccata nostra, & rediens propter misericordiam suam. Cùm autem factum fuerit septimum mane, tunc requiescet in septimo die, quia postmodum hominibus viuentibus sine successione peccatorum lux iustitiæ est permansura, & semper sol Christus erit nobis- D
1. Thes. 4. cum, dicente Apostolo: Rapiemur in nubibus obuiam Domino in aëra, & sic semper cum Domino erimus. Ideo ergo manè reuertens, esuriit: quod mysterium intelligitur ex tempore resurrectionis eius, quando relicta est synagoga, & suscepta est Ecclesia. *Et videns sici arborem vnam secus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea, nisi folia tantum.* Arbor fici, est synagoga. Nam synagoga propter multitudinem multorum granorum sub vno cortice habitãtium dicta est ficus, quasi multorum
Psal. 67. hominum fidelium habitantium in vna domo, sicut scriptum est: Deus qui inhabitare facit vnanimes in vna domo. Denique vide ipsa folia fici, quomodo secundùm similitudinem manus formata sunt. Folia autem viriditatis, sunt species tantummodo sanctitatis in homine, aut sine fructu operum verba religiosa. Quicunque ergo homo religiosus, id est, arbor rationabilis, profitetur se esse Dei, & iustitiam non operatur: arbor est tantummodo, folia sine fructu portans, quales
2. Tim. 3. sumus nos, de quibus prophetauit Apostolus: Erunt, inquit, in nouissimis diebus homines seipsos amantes, cupidi pecuniarum, elati, superbi, parentibus non obedientes, voluntatis suæ amatores magis quàm Dei, speciem quidem pietatis habẽtes, virtutem autem eius abnegantes, quos in finem maledicturus est Dominus, vt nunquam ex illis fructus nascatur, sicut maledixit Iudæis, & aruerunt. Secus autem viam, est iuxta mundum. Ideo ergo nullum in Iudęis fructum Christus potuit inuenire, quia iuxta mundum viuentes erant, id est, secundùm mundum. Mundus enim via est communis, per quam omnes transeunt qui nascuntur, sicut exposuimus in parabola seminantis. Quicunque ergo homo fidelis, id est, arbor rationabilis, iuxta mundum viuens, nunquam potest in se fructum iustitiæ
2. Tim. 2. tenere. Vnde Paulus dicebat ad Timotheum: Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, vt ei placeat cui se probauit. Vt quid non potest fructus suos tenere? Transeuntes enim & retranseuntes dæmones, vel ministri ipsius per viam, id est, vagantes per mundum suum, excutiunt eos. Sicut enim irrationabilis terra, quæ secus viam posita est, semper conculcatur, & dura est, & semina doctrinæ in sulcos sensus sui non recipit, sed volatiles spiritus rapiunt ea: sic & omnis arbor rationabilis iuxta viam posita nunquam potest esse fructifera, id est, homo secundùm mundum viuens, nunquam potest euadere à peccato, vt sit iustus. Frequenter enim transeuntes spiritus, ipsas gemmas iustitiæ excutiunt de ramis eius antequam aperiantur in flores. Interdum autem ipsos flores iam apertos excutiunt, interdum verò etiam poma ipsa formata deponunt. Rami enim sunt animæ sensus ipsius, de quibus omnia bona procedunt. Gemmæ autem sunt bonæ cogitationes cohærentes in sensibus. Aperti autem flores, sunt bonæ voluntates. Sicut enim de gemmis flores procedunt, ita de bonis cogitationibus nascuntur bonæ voluntates. Sicut autem flores non possunt procedere, nisi fuerit gemma: sic bona voluntas nasci non potest, nisi præcesserit in homine cogitatio bona. Bona enim cogitantes, incipimus desiderare quæ bona sunt apud Deum. Nam voluntates bonæ sic suaues sunt apud Deum, quemadmodum odoriferi flores. Vnde Salomon dicebat: Fili, serua te à cogitationibus quæ Sap. 1. sunt sine intellectu. Poma autem sunt opera iustitiæ perfectæ. Sicut enim ex floribus poma formantur, ita ex bonis voluntatibus opera perfecta nascuntur. Sicut autem ante pomum flos præcedit, ita ante opus bonum, bona voluntas. Omnis itaque homo qui iam nec cogitat aliquando quæ bona sunt, ipsas gemmas iustitiæ de ramis, id est, de sensibus eius, transeuntes dæmones excusserunt. Qui autem cogitat quidem bona, & proponit in corde suo facere quod bonum, est: puta aut eleemosynas facere, aut ieiunare, aut continens esse, & tamen concupiscentia sæculi victus, aut ex quacunque occasione mutauerit voluntatem suam: de illius sensu iam apertos flores dæmones excusserunt. Qui autem cogitauit bona, & proposuit, & perfecit quod proposuit: ille poma produxit. Quòd si iterum peccauerit, & propter peccata sequentia iustitiæ opera priora perdiderit, de illis sensibus dæmones iam perfecta poma excusserunt. Sicut ergo difficile est arborem iuxta viam positam, fructus suos vsque ad maturitatem seruare: sic difficile est virum fidelem iuxta istum mundum

Universidad de Deusto
Biblioteca

viuentem, id est, in actibus eius iustitiam immaculatam A
vsque in finem seruare. Si vis ergo fructus iustitiæ vsque
in finem tenere, recede de via, & plantare in loco secreto, vt nec mundus tecum aliquid habeat commune, nec
tu cum mundo. *Et ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* Non quia maledixit arborem, ideo fructus non dedit, sed quia non dabat, ideo maledixit ei,
vt nec folia ipsa proferret: id est, non ideo Iudæi perdiderunt iustitiam, quia Deus eos dereliquit, sed ideo eos
Deus dereliquit, quia iustitiam non afferebant, vt nec
ipsa species pietatis esset in eis, aut sermo. Et verè sicut
melius est vt non sit arbor, quàm vt sit quidem, & secundùm genus suum fructum non faciat: sic melius est
vt nec sit homo Dei, quàm vt sit quidem, & conuersationem non habeat secundùm Deum. Qui enim tuus
non est, si tibi non obaudit, non doles: de illo autem
grauiter doles qui tuus est, & te contemnit, & aliis seruit: Sic Deus non tantùm de alieno, & apertè diabolo
seruienti irascitur, quantùm de suo diaboli faciente vo- B
luntatem. Ideo in fine sęculi ipse Deus mittet operationem erroris in tales, sicut & quotidie fieri videmus vt
credant mendacio, qui non crediderunt veritati, sed
consenserunt iniquitati, vt iudicentur omnes. Non vult
enim vt videantur esse ipsius, qui verè non sunt eius. Vxor meretrix melius est vt nec sit viri sui, quàm vt ipsa
illius malè ambulando excitet eum in zelo. *Et arefacta est continuò ficulnea. Et videntes discipuli, mirati sunt dicentes: Quomodo continuò aruit ficulnea?* Mirati sunt, quia
sermo eius quasi flamma descendit ad radices ipsius. O
Ioan.11. Apostoli, qui vidistis Lazarum sepultum, & putridum
iterum venientem ad vitam solo sermone: quid miramini, si videtis arborem solo sermone siccatam? Qui enim potest vitam donare, ille potest & vitam auferre:
qui autem vitam auferre nō potest, nec vitam dare potest. *Respondens autem Iesus, ait illis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solùm de ficulnea facietis: sed & si monti huic dixeritis, tolle te, & iacta te in* C
mare, fiet. Mons ille inuisibilis, qui arbores infructuosas
producit, vbi loca petrosa & aspera, vbi præcipitia pendentia, & cauernæ, non hominibus ad habitandum aptæ, sed bestiis, vbi nulla est planities ad requiescendum in pace, sed ascensionibus & descensionibus plenus est. Quicunque enim diabolo stant, aliàs ascendunt, aliàs descendunt. Qui mons est dictus, non propter altitudinem dignitatis, sicut Angeli sancti, sed propter inflationem superbiæ, non propter firmitatem virtutis, sed propter immobilem & incorrigibilem malitiam suam. Istum montem tollite de medio sanctorum,
vbi fides, vbi spes, vbi charitas, vbi planities pacis, vbi
speciosi fontes doctorum, vbi prata florentia rore gratiarum, vbi volucres sancti, assiduè vernantes cantibus
delectant. Et mitte te in mare: id est, in istum mundum,
vbi aquæ sunt salsæ, & non procedentes ad vsum, id est,
populi iniqui, non proficientes ad gloriam Dei, in quos
omnia dulcia flumina spiritualium gratiarum currunt, D
& salsitatem eorum mutare non possunt, sed magis illorum salsitas corrumpit in se dulcedinem venientium
fluminum in mare huius mundi, vbi semper dominantur potestates, & diuersorum spirituum periculosa certamina. Sicut enim assidua est in mari tempestas, sic in
isto mundo persecutio satanæ, vbi nunquam tranquillitas est, sed ascendentibus vndis, id est, tentationibus
impellentibus & impulsis, inuicem se percutiunt aquæ,
& inuicem se frangunt & confringuntur, & inuicem
se confringentes quendam irrationabilem sonum dāt.
Sic seipsos homines occasionibus huius mundi ex ipso
mundo nascentibus, quasi vndis se inuicem comedunt,
& impugnant, & ex se quasi insanas voces pelagi di-

mittunt. Vnde dicebat Apostolus: Omnis clamor & Ephes.4.
ira tollatur à vobis. *Mitte te in mare.* Vbi sonus confusus, vbi inconstantia æterna, vbi infatigabilis contentio vndarum, vbi timor est, & semper mortis fluit imago. *Et omne quodcunque petieritis in oratione, credentes accipietis.* Gratiam quidem fidei Deus donat, tamen homines eam nutriunt, & faciunt fortem: fides autem facit abstinentiam rerum malarum, & opus bonarum. Quantò magis te abstinueris à malo, & secutus fueris bonum: tantò amplius fidem tuam fortem facis. Quantò autem minus abstinueris à malo, & negligentius feceris bonum: tantò magis fidem infirmam habes. *Et cùm venisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum, & seniores populi, dicentes: In qua potestate hæc facis? & quis tibi dedit hanc potestatem?* Quoniam autem vnum diem viderant sacerdotes Christum cum magna gloria introëuntem in templum, ita
vt populus vndique voce angelica clamaret: Hosian- Hîc sup.
na filio Dauid. Qui ingrediebatur vt homo, laudabatur vt Deus. Qui celabatur in carne, demonstrabatur in voce: quem malitia sacerdotum quasi hominem
blasphemabat, hunc innocentia paruulorum quasi Deum exaltabat. Quantùm autem ille glorificabatur, tantùm sacerdotes inuidia torquebantur, & illius honor illis fiebat in tormentum. Sic enim est res, vt
quando boni in sua virtute laudantur, mali autem
in sua inuidia cruciantur. Itaque non sufferentes in
pectore suo inuidiæ stimulantis ardorem, prorumpunt in vocem. *In qua potestate hæc facis?* O inuidia, quæ
sibi semper est inimica. Nam qui inuidet, sibi quidem
ignominiam facit, illi autem cui inuidet, gloriam parat. Ipse vituperabilis inuenitur de sua inuidia, ille
aurem laudabilis demonstratur de sua virtute. Ergo
inuidia sibi soli nociua est. Alterum autem non solùm
non grauat, sed adhuc magis commendat. Venerunt
ergo ad eum quasi ad peccantem in templo, & dum
non inueniunt culpam, criminantur beneficium, di- C
centes: In qua potestate facis hæc? Corpus sanum aliquoriens percutitur, & non facilè vulneratur: corpus autem debile ab intus tacitam habet læsuram, etiamsi modicè tactum fuerit, citius dissipatur. Sic animal liberum & integrum non facilè offenditur: animal verò inuidia vulneratum, non solùm causa idonea,
sed etiam leuis occasio excitat in dolorem. Sic & sacerdotes Iudæorum inuidentes Christo, dum iustas
causas accusandi non inueniunt circa eum, etiam de
bono eius turbantur, dicentes: In qua potestate facis
hæc? Cogitabant in dolore apud se: Nos fuimus columnæ templi, & ecce super illum recumbit tota Ecclesia, & nos inuenti sumus siue causa erecti, quia ministerium perdidimus, & nomen vacuum possidemus.
Nos fuimus tacentium scripturarum quasi lingua visibilis, & ecce ille resonat in medio templi, & nos contempti tacuimus quasi cithara dissipata. Nos fuimus
patres populi, & ille quotidie generat filios, nos autem steriles sumus inuenti. Ideo non ferentes dicebant: In qua potestate facis hæc? Dicendo: Quis tibi
dedit hanc potestatem, ostendunt illi quasdam esse
personas, quæ dant hominibus potestatem, siue corporalem, siue spiritualem. Tanquam si ita dicant: De
sacerdotali familia genitus non es, senatus tibi hoc
non concessit, Cæsar non donauit. Si autem credidissent quòd omnis potestas ex Deo est, nunquam interrogassent, Quis tibi dedit hanc potestatem? Scientes Iacob. 1. Ioan. 3.
quia omne datum perfectum desursum est, descendens
à patre luminū. Et, quia nemo potest accipere aliquid,
nisi datum fuerit ei de cœlo. Omnis homo secundùm se
æstimat alterum, nec potest ipse melius sentire de alio,

quàm

quàm ipse senserit de se. Ecce fornicarius neminem æ- A
stimat castum. Item castus non facilè de fornicario
suspicatur. Superbus neminem putat humilem, humilis neminem credit esse superbum. Sic qui non est ex
Deo sacerdos, nullius sacerdotium putat ex Deo. Vnde
autem putas fieri, vt inuicem se sacerdotes contemnant
& persequantur, nisi quia per ambitionem facti sacerdotes, omnes tales æstimant, quales sunt & ipsi? Sacerdos autem qui est secundùm Deum, omnem sacerdotem timet offendere: quia omnes ex Deo fieri arbitratur, quamuis ex hominibus sit factus. Ecce enim
Dauid quamuis manifestum sciret Saul non esse regem
secundùm Deum, tamen frequenter sibi traditum nolebat occidere, dicens: Non iniiciam manum meam
1.Reg. 24. in vnctum Domini. Item cùm Paulus maledixisset sacerdotem Ananiam, & audisset quoniam erat sacerdos,
Act. 23. pœnitentia ductus respondit: Nesciebam fratres, quia
princeps erat sacerdotum. Aut certè scientes sacerdotes, quoniam multi quidem faciunt signa, non ex pote- B
state Dei, sed ex potestate contraria, sicut in multis exposuimus locis: ideo blasphemantes interrogabant, In
Luc. 11. qua potestate facis hæc? in spiritu Dei, an in spiritu Beelzebub? Sicut alibi blasphemantes dicebant de eo,
Quia hic non eiicit dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. *Respondens autem Iesus, dixit: Interrogabo vos vnum verbum, quod si dixeritis mihi, & ego vobis dico in qua potestate hæc facio: Baptisma Ioannis vnde erat, de cælo, an ex hominibus?* Sciens Dominus inconuertibilem eorum malitiam, proposuit eis quæstionem
vndique catenatam, vt non respondentes audiant, sed
vt impediti non interrogent. Quia præceperat: Nolite
Supra 7. sanctum dare canibus. Et non decebat, vt transgrederetur præceptum, quod ipse proposuit. Deinde etiam si
dixisset, nihil profecisset: quia non potest sentire quæ
lucis sunt tenebrosa voluntas. Quid prodest, si cæco a- C
liquam pulchritudinem monstras? Cæcitas autem spiritualis est malitia cordis. Sicut enim cæcus non potest
aspicere in splendorem luminis, sic non potest intelligere homo malignus mysteria pietatis. Sicut enim cautus venator, bestiam comprehendere volens: cùm viderit ex vna parte illius præcipitem locum, ex altera
parte erigit retia, vt ex quacunque parte exilierit, aut
in retia incidat, aut in præcipitium cadat. Sic & Dominus illis simplici interrogatione laqueum posuit, vt
si quidem de cœlo dicerent, in laqueum reprehensionis inciderent. Diceret enim eis: Quare ergo non creditis ei? Si autem de terra dicerent, quasi in præcipitium, sic in periculùm mortis incurrerent apud populum, vt lapidarentur. Interrogantem enim oportet
docere, tentantem autem quocunque modo retundere, & obiectionis illius astutiam rationabili percussione confundere, & non veritatem eius mysterij publicare. Sic enim alibi Dominus diabolo fecit, cum protulisset aduersus eum exemplum Scripturæ, quam non
Psal. 90. & Luc. 4. intellexerat, dicens: Scriptum est enim: Angelis suis D
mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Non ei dixit, non sic intelligitur scriptura illa, sed sic dimisit eum in ignorantia. Et altero eum manifestiori confudit exemplo, vt &
audaciam eius cōfunderet, & prophetica mysteria non
reuelaret. *Et respondentes dixerunt Iesu: Nescimus. Et ipse ait eis: Nec ego vobis dico in qua potestate hæc facio.* Non dixit, nec ego scio. O vos scitis vt homines, & denegatis
vt mali: ego autem scio vt Deus, & non dico quasi iustus indignis. Nam mendacia si non habent quem decipiant, ipsa sibi mentiuntur. Sic & veritas si non inuenit quem saluet, ipsa se sibi conseruat immaculatam.
Quid autem vobis videtur? Quos reos proponit in cau-

sa, ipsos & iudices petit, vt à nullo mereantur absolui, A
qui seipsos condemnant. Magna est fiducia iustitiæ, vbi
causa aduersario ipsi committitur, reddi veritatis exitum non timet. In parabolis figurat personas eorum, vt
quia non intelligunt, ipsi aduersus se sententiam dicant.
Sic & aliquando cùm Dauid in peccatum incidisset, 2.Reg.12.
quasi stupore alicuius somnij vigilabat: nam quamuis
peccauerat, tamen adhuc Dauid erat sanctissimus. Itaque à Natan parabolarum retibus comprehensus, coëgit vt ipse aduersus se iudicium mortis proferret. Et circumuentio quidem tunc talis, sed circumuentionis exitus modò non talis: ille enim comprehensus ad pœnitentiam flexus est, isti autem magis ad malitiam sunt
excitati: hæc est enim proprietas bonorum hominum
& malorum. Bonus enim comprehensus in peccato,
ingemiscit, quia peccauit: malus autem comprehensus, fremit, non quia peccauit, sed quia comprehensus
est in peccato. Vtputa domesticum animal, si aliquanto
tempore extra domum errando fuerit euagatum, cùm B
venerit in manibus Domini sui, quasi in recordationem naturæ suæ redactum, citò iterum mansuescit: animal autem syluestre, cùm fuerit comprehensum, aut
morsibus appetit, aut calcibus repugnat. Sic & malus
homo correptus, non solùm pœnitentiam non agit,
sed adhuc aduersus corripientem magis irascitur.

HOMILIA XL. EX CAP. XXI.

HOMO *quidam habebat duos filios, & accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie operari in vineam meam. Ille autem respondens, ait: Nolo. Postèa autem pœnitentia motus, abijt. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait, Eo domine: & non iuit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Iesus, Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedunt vos in regno dei. Venit enim ad vos Ioannes in via iustitiæ, & non credidistis ei: Publicani autem & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis, postea vt crederetis ei.* Quis est ille, nisi Deus,
qui omnes homines creauit, paterno affectu diligit: qui
cum sit natura Dominus, tamen magis vult diligi quasi pater, quàm timeri vt Dominus? Propterea in principio mandatorum legis non dixit, Timebis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: sed, Diliges. Di- Deut. 6.
lectionem enim ab hominibus exigere, non est dominij, sed paternitatis: *Qui duos filios habuit.* Vnum quidem Gentium populum, alterum Iudæorum: quorum
maior filius erat Gentium populus, minor autem populus Iudæorum, quoniam Gentes quidem erant ex
patre Noë, Iudæi autem ex Abraham. *Et accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie operari in vinea mea.* Hodie, id est, in tempore sæculi huius. Quomodo locutus
est filiis suis? Non in facie vt homo, sed in corde vt Deus. Homo in auribus verbum sonans, sed Deus in mentibus suggerit intellectum. Quoniam autem sic loquitur Deus, ipse signat dicens Heliæ: Descende in Sarre- 3.Reg.17.
ptam Sidoniæ, & illic mandabo viduæ, vt pascat te.
Quomodo putas mandauit viduæ? Non sermone, sed
in spiritu, nec enim legitur specialiter ei Deus mandasse. Quis autem non intelligat, Deum inuisibiliter in
corde ei locutum? Quando enim venit ad eam Helias,
illa colligebat hastellas, vt sibi quidem & filiis suis, non
autem vt Heliæ cibum pararet, sed repentè magnanimiter obtulit admonenti, quod antè cum extrema desperatione parauerat. Quando enim modicam habebat farinam in capsa, sed magnam fidem habebat in
corde, quam esuriebat Helias: reges quidem esuriebant, vidua autem pascebat: quia in illa tentatione

Universidad de Deusto
Biblioteca

horrea quidem defecerunt, capsa autem exuberabat, A
Psal. 53. vt impleretur quod fuerat scriptum: Diuites egerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominum, non deficient omni bono. Quid est operari in vinea? iustitiam facere. Vineam enim iustitiam diximus suprà, quam generaliter quidem in natura omnium hominum Deus plantauit, specialiter autem dedit eam in libro Iudæis: cuius diuersæ vites, sunt diuersæ species iustitiarum: in qua vinea vnusquisque secundùm proprias vires, aut paucas vites operatur, aut multas. Nescio autem si totam vineam quis hominum sufficiat operari. *At ille dixit: Nolo.* Quomodo dixit, nolo? in cogitatu. Qui enim habens intellectum boni & mali, relinquit bonum, & sequitur malum: in cogitationibus suis contra Dominum respondere videtur, quia nolo, id est contra intellectum suum creatum sibi à Deo. Nisi enim dixerit in corde suo, nolo: non po-
Psal. 35. test fieri vt aliquando peccet, dicente Propheta: Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso. Gentes enim à B principio relinquentes Deum & iustitiam eius, & transeuntes ad idola & peccata: in cogitationibus suis respondere videntur, nolumus facere iustitiam, quam scimus ex nobis. *Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo domine, & non iuit.* Iudaicus enim populus, id est minor filius interrogatus, & per Mosem, & per Ioannem quasi à Deo per eos loquente, spopondit se omnia facturum quæcunque præceperat Dominus: posteà autem auersi, mentiti sunt
Psal. 17. Deo, sicut de illis dicit Propheta: Filij alieni mentiti sunt mihi. *Quis ex duobus fecit patris voluntatem? At illi responderunt: Primus.* Vide quomodo sicut iam diximus suprà, attracti parabolæ veritate, ipsi aduersum se sententiam protulerunt, dicentes, priorem filium patris voluntatem fecisse, id est, populum gentium: quia melius est non promittere, & facere iustitiam Dei, quàm promittere, & mentiri. Quorum iudicium abundanter confirmans addidit, & dicit: *Amen dico vobis,* C *quia publicani & meretrices præcedunt vos in regnum Dei.* Ac si dicat: Non solùm populus Gentium melior est vobis Iudæis, sicut iudicastis & ipsi, sed etiam Publicani & meretrices, qui sunt inter vos manifestè turpissimam profitentes vitam, præcedunt vos in regnum Dei: quantò magis populus Gentium? Puto quòd ex persona omnium virorum peccatorum publicani ponuntur, & ex persona omnium mulierum peccantium meretrices: quoniam quamuis multa sint peccata in viris & mulieribus præter ista, tamen præcipuè in viris auaritia abundat, fornicatio autem in mulieribus: Vtputa, mulier quamuis potest esse auara aut superba, tamen non facilè per auaritiam, aut superbiam peccat: quoniam non habet facilè honores, pro quibus auaritiam exerceat: aut sit superba inter eos, cum quibus conuersatur, vt in superbia peccet, quæ in domo sua sedet inclusa. Ideo autem facilè peccatum fornicationis incurrit,
Fornicatio otiosis peculiare crimen. maximè quia hoc vitium facilè ex vacantia & otio na- D scitur. Nam qui solicitudinibus animum habet occupatum, non facilè fornicationi operam dat. Nam definitio amoris hæc est, animæ vacantis passio. Vir autem
Amorum definitio. quoniam in actibus rerum diuersarum est assiduè, in auaritiæ peccatum incurrit: in fornicationem autem non facilè, nisi fortè multum sit lasciuus. Nam occupatio virilium sollicitudinum, suggestionum voluptates plurimum excludit. Vnde proprium est hoc adolescentium nihil agentium. Nunc exponit causam, propter quam publicani & meretrices præcedunt eos, dicens: *Venit ad vos Ioannes in via iustitiæ, & non credidistis ei, publicani autem & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes, nec pœnitentiam egistis posteà, nec credidistis.* Ac si dicat: Etsi non venisset ad vos Ioannes in via iustitiæ, sed tantùm baptismum pœnitentiæ prædicasset: vos quasi sacerdotes & prudentes, quasi iudices non personarum, sed rerum, debueratis ei credere, etsi non quasi iusto, tamen quasi iusta dicenti. Quid enim pertinet ad auditorem vita prædicatoris? Si enim malè viuit, illius est damnum solius: si autem bene docet, omnium audientium lucrum est. Nunc autem venit ad vos in via iustitiæ sic manifesta, vt conuersatio eius venerabilis & angelica vita etiam publicanorum & meretricum corda concuteret, & percussa pauore flecteret ad credendum, & vestra corda non tetigit. Videtis quia iustè publicani & meretrices præcedunt vos in regnum Dei? Considera autem, quomodo conuersatio bona prædicatoris, prædicationi suæ præstat virtutem, vt etiam indomabilia domet corda. Et ipsa quidem prædicatio iusta, vnam ex se habet virtutem: duplicem autem habet, quando & prædicatio iusta est, & ipse qui prædicat iustus. Sic dicit: Vos autem nec pœnitentiam egistis, quasi publicani & meretrices credentes Ioanni: illi fecerunt * quod maius est, isti autem neque pœnitentiam egerunt, quod est minus. Nunquid publicani & meretrices credentes in Christum, sine pœnitentia crediderunt? Neque enim possibile erat credere in eum sine pœnitentia, qui baptismum pœnitentiæ prædicabat. Quod ergo vult dicere, tale est: Debueratis vos quidem sacerdotes quasi iustitiam scripturarum habentes, quasi populi præcessores ante populares credere Ioanni, vt omnes illi vestrum sequerentur exemplum: & non solùm hoc non fecistis, sed nec postquam vidistis publicanos & meretrices credentes, nec tunc confusi estis, aut compuncti: quia publicani & meretrices crediderunt, qui credere non sperabantur: vos autem in duritia permansistis, qui videbamini totius iustitiæ sectatores, & ne tunc quidem pœnitentiam egistis, vt crederetis, vt vel illorum exemplum sequeremini, quibus debueratis ipsi esse exemplum. Nunquid vos magis sine peccato eratis quàm illi, vt illis credentibus ei, vos non crederetis Christo? Non, sed magis contemptores Dei, magis superbi, & vanæ gloriæ amatores, & duri, qui nec præcedere illos voluistis in fide, nec sequi. Et verè magna confusio est sacerdotum, & omnium clericorum, quando laici inueniuntur fideliores eis, aut iustiores. Quomodo autem non sit confusio esse illos inferiores laicis, quos etiam æquales esse confusio est? Per hanc ergo parabolam eis prophetabat, quia Gentes quidem quasi meliores fuerant eligendæ, quæ in primis quidem contumaciam ostenderunt, posteà autem obedientiam exhibuerunt: & Iudæi quasi deteriores abiiciendi, qui in primis quidem professi sunt obedientiam, postea autem inuenti sunt contumaces: quia melius est apud Deum non promittere & facere, quàm promittere, & mentiri. Tamen in figuratione Iudæorum & Gentilium, quam expositimus, multorum traditionem sequentes, aliquid mihi videtur esse contrarium. Si enim verè hi duo filij Iudæi & Gentiles essent intelligendi, postquam sacerdotes interrogati responderunt, priorem filium voluntatem patris fecisse, concludens Christus parabolam, sic debuit dicere: Amen dico vobis, quia Gentes præcedunt vos in regnum Dei: nunc autem dicit, quia publicani & meretrices præcedunt vos in regnum Dei. Quòd magis prophanorum hominum conditionem ostendit, quam Gentium statum: nisi fortè sic intelligamus, vt suprà iam diximus: quia ex hac narrationis causa publicanos introduxit & meretrices, pro eo vt dicat, sic Gentium populus magis placès est Deo quam vos, vt etiam publicani ipsi & meretrices acceptabiliores

credide-runt.

liores sunt apud Deum propter conuersationem suam, A
quam vos propter promissionem vestram mendacem.
Si ergo placet propter hanc rationem traditio illa, be-
Matth. 21. ne: sin autem, potest & altera esse traditio talis. Cùm sacerdotes non discendi causa, sed terrendi interrogarent, in qua potestate facis hæc? audierant frequenter, sicut exponit Ioannes, quando dicebat, vt vnum pro-
Ioan. 5. & 14. feram de multis exemplum: Dixi vobis, & non credidistis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa
Ibid. 10. testificantur de me. Item, Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. quòd si facio, etsi mihi non vultis credere, vel operibus credite, vt sciatis & credatis, quia ego in Patre, & Pater in me est. Hoc enim non erat manifestè pronunciare, quia in potestate Dei hæc faciebat. Quoniam ergo hæc eo dicente, ex populis multi in eum crediderunt, sacerdotes autem iuxta quod non crediderant, sed adhuc frequenter insurrexerant super eum, introduxit parabolam duorum filiorum: ostendens eis per eam, quoniam meliores sunt B
populares, qui à principio secularem & carnalem profitentur vitam, quàm sacerdotes, qui ab initio profitentur se Deo seruire: quoniam populares quidem, vel satiati actibus suis malis, aliquando compuncti conuertuntur ad Deum, & incipiunt operari iustitiam Dei: sacerdotes autem impœnitibiles constituti, nunquam desinunt peccare in Deum. Duos ergo filios, dicit laicorum conditionem, & ordinem sacerdotum. Quis est prior filius? populus. Prior enim populus creatus est, deinde sacerdotes qui regunt populum. Alioquin antè creati rectores, quem regerent? Non enim populus propter sacerdotes creatus est, sed sacerdotes propter populum. Nam & mundum Deus antè creauit, & posteà hominem qui regeret mundum. Denique populus Dei ex tempore Abrahæ cœpit, sacerdotes autem ex tempore Aaron. *Et dixit vni eorum: Fili, vade hodie operari in vineam meam. At ille respondit, nolo. Posteà autem pœnitentia motus, iuit. Et accedens ad alterum, dixit similiter. At* C *ille respondens, ait: Eo domine: & non iuit.* Nam sicut omnes Iudæi quamuis interrogati, & per Mosem, & per Iesum, quasi à Deo per eos loquente, spoponderunt omnia se facturos, quæ præceperat eis Deus, & non fecerunt: Gentes autem quamuis non promiserint prius, tamen posteà obediētiam Deo dederunt. Ita enim & populares per hoc ipsum, quòd secularem suscipiūt vitam, denegare videntur obedientiam Deo: sacerdotes autem magis videntur obedientiam promittere Deo, præcipuè per hoc ipsum quòd specialiter in ministerio Dei constituuntur. Nam qui doctor populi constituitur, sine dubio profitetur se talem fore, qualem esse oportet doctorem. Sicut enim qui sutoriam, verbi causa, aut quamcunque alteram profitetur artem, etsi specialiter non spōdeat: tamen per hoc ipsum quòd sutoriam professus est artem, & opificium vel magisterium eius artis aperuit, videtur tacitè omnibus spopondisse, vt sine reprehensione impleat quam professus est artem: Sic sa- D
cerdos, & omnis clericus, etsi specialiter non promittat: tamen per hoc ipsum quòd doctor constituitur aliorum, tacitè promittere Deo videtur in omnibus obauditurum se Deo. Quæ sit autem vinea, vel quomodo Deus loquatur ad homines, diximus suprà. *Quis è duobus fecit voluntatem patris? At illi responderunt, primus.* Et verum est, quia melior est laicus qui in prima facie secularem * vitam profitetur, reuera autem cōplectitur spiritualem: quàm sacerdos, qui in prima quidē facie profitetur vitam spiritualem, reuera autem amplectitur vitam carnalem. Et melior est laicus ante Deum pœnitentiam agens quam clericus permanens in peccatis. Laicus enim in die iudicij stolam sacerdotalem accipi-

carna-em.

et, & à Deo christmate vngetur in sacerdotium: sacerdos autem peccator spoliabitur sacerdotij dignitate, quam habuit, & erit inter fideles & hypocritas, dicēte Domino de malo dispensatore: Si autem cœperit sedere ser- Luc. 12.
uus māducare & bibere cum ebriosis, veniet Dominus eius die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partémque eius ponet cum hypocritis & infidelibus. Vnde & modò sic inuenies rem. Secularis homo post peccatum facilè ad pœnitentiam venit: nam occupatus negligentia seculari, dum scripturis non satis attendit, semper ei quæ in scripturis posita sunt, noua videntur: ideóque cùm audit aliquid de gloria sanctorum, aut de pœna peccatorum, quasi nouum aliquid audiens, expauescit: dúmque aut bona concupiscit, aut mala timet compunctus, ad pœnitentiam citò decurrit. Nihil autem impossibilius, quàm illum corrigere, qui omnia scit & tamen contemnens bonum, diligit malum. Omnia enim quæcunque sunt in scriptu-
ris, propter quotidianam meditationem ante oculos B
eius inueterata, & vilia æstimantur. Nam quicquid illic terribile est, vsu vilescit. Propterea clericus qui semper meditatur scripturas, aut omnino obseruaturus est, & erit perfectus: aut si semel cœperit illas contemnere, nunquam excitatur in illis, vt timeat. Quis aliquando vidit clericum citò pœnitentiam agentem? Sed et-
si deprehensus humiliauerit se, non ideo dolet quia Marc. 9. & Luc. 14.
peccauit, sed confunditur quia perdidit gloriam suam. Putásne Dominus quasi crudelis, clericis pœnitentiam denegauit, dicens: Si sal infatuatum fuerit, in quo condietur? Sed quasi naturalem rem esse considerans, quia non est qui doceat illum errantem, qui errātes alios corrigebat: ideo addidit, & dicit: *Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedunt vos in regnum Dei.* Id est, non dico populares, qui secūdùm rationem verbi vitam suam dispensant: sed publicani & meretrices, qui desideriis mundialibus & voluptatibus carnalibus C
seipsos mancipauerunt, præcedunt vos in regnum Dei, quia illi conuersi desiderant esse quod non erant: vos autem denegatis in opere quod videmini profiteri in verbo, & estis tanquam arbores folia sine fructu habentes, non pascentes dominum suum, sed deludentes. Et vide quòd non dixit, aut quia publicani & meretrices introibunt in regnum Dei, vos autem repellemini longè: aut quocunque alio verbo significante non eos intraturos in regnum Dei: sed ita, præcedunt vos in regno. Vbi alius præcedit in cœlesti regno, alter sequitur, qui etiam lætatur: etsi in secundo loco, tamen nihilominus erit in regno. Adhuc autem vide, quia non dixit quasi de futuro, præcedent vos: sed quasi de præsenti, præcedunt vos. Secundum hæc igitur verba & sacerdotes significabantur ingressuri in regno Dei, id est, crediturі in Christo. Sed quia credentibus publicanis & meretricibus Ioanni, & baptizatis ab eo sacerdotes æstimantes se iustos, neque credere voluerunt ei, post publicanos & meretrices intraturi annunciantur, sicut & factum est. Post ascensionem autem Domini multi eorum per Apostolos crediderunt in Christo, sicut testantur Actus Apostolorum, Act. 6.
dicentes: Et multa turba sacerdotum obediebat fidei. Et qui sunt publicani & meretrices, qui præcesserunt eos in regno? Matthæus publicanus, & Zachæus princeps publicanorum, & cæteri publicani, qui cum ipsis & propter ipsos crediderunt in Christo. Et quæ meretrices? Quas exponunt Euangelistæ nuper testantes, quia publicani & meretrices crediderunt Christo adhuc in mundo hoc degenti. Sacerdotes autem post ascensum illius per Apostolos crediderunt. Ergo propter misericordiam quidem Dei ingressi sunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

& ipsi in regno, propter elationem autẽ cordis sui post publicanos & meretrices ingressi sunt, vt fieret eis pro pœna superbiæ præcessio meretricum & publicanorum. Vt per hoc cognoscamus, quia nihil sic impedit fidem quàm elatio cordis: vnde dicebat ad eos, Vos qui Luc.16. iustificatis vosmetipsos, Deus nouit corda vestra: quia quod hominibus elatum est, abominatio est ante Deũ. *Audite & aliam parabolam.* ac si dicat: Iterum vos vulnero, vt aliquando sentiatis dolorem: nam aspera medicina citius sanat, vbi tamen sanabilis morbus est. *Homo erat paterfamiliàs.* Homo nomine, non natura: similitudine, non veritate. Si quis autem existimat Christum hac causa etiam tantùm animam habuisse humanam, quia dictus est homo, audiat & Deum Patrem hominem dictum. Præscius Dei filius, quoniam per appellationem humani nominis, quasi homo purus fuerat blasphemandus: etiam Deum patrem inuisibilem constitutum hominem appellauit, vt dum & Pater homo dicitur, Filius de hæreticorum blasphemiis liberetur. Paterfamiliàs est, cui cœlum & terra quasi vna sunt domus, qui angelorum & hominum natura Dominus est, benevolentia pater. Qui ideo se patrem omnium voluit dici, vt omnes considerantes bonitatem eius, non sub specie simulata ei seruiant, quasi mali serui Domino: sed in veritate, quasi boni filij genitori. *Qui plantauit vineam.* Quam vineam? Quam de Ægypto transtulit. Quomodo plantauit vineam illam? Quomodo vinitor studiosus, qui primùm omnes in circuitu infructuosas syluas excidit, & sic posteà plantat, ne fortè arbores lasciuientes, dum huc & illuc per longa spatia ramos suos exporrigunt, adhuc tenerum effocent malleolum. Sic Deus gentes sine fructu iustitiæ constitutas occidit, & sic collocauit Israël, ne fortè gentes indisciplinatæ dum in longum terminum suæ dominationis extendunt, affligant populum Dei nouitium. *Et sepem circumdedit ei, & torcular fodit in ea, & ædificauit turrim.* Quid est sepis, nisi angeli in circuitu, custodientes populum Dei, ne in vineam Christi inuisibiles latrones irrumpant? Angelos enim præesse hominibus 1. Cor.11. & Apostolus dicit: Mulier velamen debet habere su- Infra 18. per caput propter Angelos. Item Dominus: Amen dico vobis, quia Angeli eorum quotidie vident faciem Patris mei. Et in Actibus Apostolorum dicitur ad puellam nunciantem de Petro, ne fortè Angelus eius sit. Act. 12. Quid est torcular, nisi Ecclesia? Sicut enim area Ecclesia intelligitur, quia in ea per multam triturationem & ventilationem triticum separatur à paleis: sic rationabiliter Ecclesia torcular est intelligenda, in qua omnes fructus vineæ, id est opera seruorum Dei, & fides roborata ad Dei gloriam transmittuntur. Ecclesia autem torcular est, habens in se verbum Dei, quo non delectatur natura carnalis, adquiescit autem ei contorta propter timorem iudicij, vel amorem præmij, vt non al. deest non. †tantum ipsa Ecclesia torcular videatur, quantum ipsum verbum Dei quod traditum est in ea fossum. Si enim verbum noui testamenti, quod leue est, cruciat hominem, contradicente carnis natura: quantò magis verbum veteris testamenti quod importabile erat? Vbi ergo verbum Dei positum erat in lege, modum viuendi constituens, torcular erat fossum: vbi autem de fide Dei prophetabatur, turris ædificata erat. Nam sicut in turri consistentes duo bona consequuntur, & hostium irruptionem ipsi facilè non patiuntur, & hostes de turri facilè conterunt: sic & qui in fide Christi consistunt, vel in lege Dei, & dæmones super se irruere non sinunt, & spiritualibus bonorum operum sagittis eos facilè vulnerant: & dæmones super illos irruere nequeunt, & à spiritualibus malorum operum sagittis A non facilè vulnerantur. Aut ita, Sepis meritum est & custodia patrum iustorum, qui tanquam murus factus est populo Israëli. Nam propter promissionem factam à Deo, sic possidebantur ab eo, etiam contra meritum suum, septi meritis patrum suorum. *Torcular autem fodit in ea.* Prophetas, ex quibus quasi ex torcularibus gratia Spiritus sancti decurrebat vt mustum. Ex quibus nonnunquam potati filij Israël, musti admirabantur virtutem. *Aedificauit turrim.* Hoc est legis fiduciam & altitudinem, ex qua sacerdotes velut speculatores Christum specularentur venturum. *Et locauit eam colonis.* Qui sunt coloni, quibus locatus est populus, id est vinea, nisi sacerdotes? Plantatus est autem populus primùm in Abraham, quando in primis locutus est ad eum Deus, dicens: Exi de terra tua, & de cognatione Gen.15. tua, &c. Ex eo enim facta est vocatio seminis eius. Locatus est colonis tempore Mosi, quãdo per legem constituti sunt Sacerdotes & Leuitæ, & procurationem re- B gendi populi susceperunt ad magnam suam gloriam, & ad grande periculum. Ad gloriam quidem, si diligenter tractauerint populum Dei: ad periculum autem, si negligenter. Si enim ille pro negligentia debet timere periculum, qui procurationem suscepit terrenarum rerum de manu alicuius hominis potentis: quantò magis sacerdotes, qui de manu Dei susceperunt animarum procurationem sanctarum? Plantatus quidem legitur populus in terra repromissionis: secundùm quod scriptum Psal. 79. est: Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti Gentes, & plantasti eam. Sed illam plantationem hîc intelligere non oportet, ne prius locatam eam colonis inueniamur exponere, quàm plantatam. Quoniam autem diximus sacerdotes populum Dei colere, Deum autem reddere mercedem vitæ: nemo sacerdos existimet, quoniam iustè pro merito operum suorum accipiet à Deo mercedem, & non potius propter gratiam & misericordiam Dei. Non enim sacerdotes præstant Deo do- C centes populum eius, sed Deus sacerdotibus committendo eis populum suum in spiritu. Nos autem doctrinæ mercedem acquirere nõ poteramus, nisi nobis procuratio populi commissa fuisset. Ergo coloni sunt sacerdotes, qui colentes populum quasi vineam, cum acutissimo ferro sermonis faciunt eos bonos fructus iustitiæ Domino exhibere. Sicut autem duram terram ferrum emollit, sic & verbum duritiam cordis relaxat. Sicut rastro ferreo herbæ radicitus euelluntur à vinea, sic & acri sermone vitia de populo resecantur. Vt sicut colonus quamuis de suo munera obtulerit Domino, nõ sic eum placat, quomodo si de vinea eius reditus ei obtulerit: sic & sacerdos non tantum propter suam iustitiam placet Domino, quomodo si populum Dei in sanctitate docuerit, quoniam ipsius iustitia vna est, populi autẽ multiplex. *Cùm autem tempus appropinquasset fructuum, misit seruos suos ad colonos, vt acciperent de fructibus suis. Et apprehendentes coloni seruos eius, vnum cæciderunt, alium autem occiderunt, alium verò lapidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt eis similiter. Nouissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum.* D Seruos suos dicit Prophetas, quos per singulas generationes misit ad populum Iudæorum. Cõsidera quomodo per singulos gradus misericordiæ diuinæ malitia Iudæorum crescebat, & quomodo per singulos gradus Iudaicæ malitiæ Dei misericordia addebatur, & contra clementiam Dei malignitas humana certabat. Ecce qualisvis * amicus alicuius fuerit homo, si semel ab illo quamuis, fuerit passus iniuriam, quantumcunque frangitur eius affectus: si iterum passus fuerit, iterum magis minuitur: & si iterum amplius non minuitur amicitia eius, certè tamen non additur. Dei autem misericordia

quantò

quantò magis à Iudæis offendebatur, tantò amplius ad- A quòd iustè iudicauerunt, sed ipsius causæ. Est enim causa veritatis, quæ quasi violentiam illis fecit, vt non possent eam celare. Sicut Sole in nubibus constituto, hoc quod est dies, non est nubium permittentium eum apparere super terram: sed virtus Solis, quæ pertransiens nubes, etiam impedientibus eis apparet: sic iustè pronũciauit Iudæorum non placata, sed apposita malignitas. Errauerunt benè dicendo. Nam mendaces quantum ad se tunc mentiuntur, quando dixerint veritatem: sed in hoc sæculo vbi licet hominibus aliud sentire in corde, & aliud dicere in sermone, tamen ita veritate Christi circundantur homines & tenentur, vt ipsi aduersus se iudices fiant. Putas quomodo in die iudicij cõuincendi sunt peccatores in suis peccatis, ita vt nullum colorem excusationis inueniant? vbi ipsa opera statuentur Psal.49. ante oculos peccatoris, dicente Propheta: Arguam te, & statuam cõtra faciem tuam peccata tua: vbi animam ipsæ cogitationes cordis accusant, & è contra excitatur conscientia quasi domestica testis, dicente Apostolo: B Cogitationibus se inuicem accusantibus, aut etiam de- Rom.2. fendẽtibus in die cùm iudicabit Dominus occulta hominũ. Sic & sacerdotes, vineæ spiritualis cultores, qui populum non ad Dei gloriam exercebant, sed ad suum lucrum fructificabant: ita eos Dominus suis parabolis circunclusit, vt ipsi se sua sententia cõdemnarent. Quis illum defendet, qui seipsum accusat? Aut quis eum existimet innocentem, qui seipsum pronunciat reum? Væ animæ, quæ sibi defensionẽ conscientiæ non præparat in die iudicij. Datur enim nobis exemplum, vt per hoc iudicium, consideremus futurum iudicium Christi. Sciendum est autem, quia Lucas quidem Euangelista sic dicit: Adduxerunt eum extra vineam, & occiderũt: Luc.20. cùm ergo venerit Dominus, malos illos malè perdet: & responderunt sacerdotes, Absit: intellexerunt enim, quòd de ipsis diceret. Secundùm Lucam ergo sacerdotes contradicunt sententiæ Christi: secundùm Matthæũ autem suscipiunt & confirmant. In prima quidem facie C videntur esse contraria, reuera autẽ non sunt contraria, sed diuersa ratione sunt dicta. Ille enim secũdùm responsionem sermonis illorum exposuit, iste autem secũdùm responsionem cordis. Nam verè visibiliter quidem in facie contradixerunt, dicentes, Absit: in corde autem & in conscientia sua susceperunt, dicentes, Malos malè perdet. Quid est quod dicimus? Omnis homo & malũ cognoscit, & bonum: & intelligit quod est iustum, & iniustum. Posuit enim Deus quendam spiritum scientiæ boni & mali in hominibus, vt quotienscunque peccamus, ille in silentio quasi factum nostrum accuset: & in conscientia tacitè ad animam loquitur, dicens: Malum est hoc, & hoc bonum est. Propterea si fecerit homo malum, & deprehensus fuerit in eo, verbis quidem denegat, & excusat: ab intus autem conscientia eius recognoscit, & sibi ipsa discussa, per spiritum confitetur quod fecit. Vnde scriptum est: In cogitationibus im- Sap.1. pij interrogatio erit. Ecce si seruum tuum deprehende- D ris in furto, & volueris eum castigare, verbis quidem denegat: & si interrogas eum vtrum dignus est castigari, dicit, Non: conscientia autem eius confitetur, quia dignus est cædi. Sic ergo sacerdotes malæ conscientiæ, verbis quidem dixerunt, absit: conscientia autem confessi sunt, quia malos malè perdet. Frequenter autem scripturæ cogitationes cordis ita exponunt, quasi dicta sermonis, sicut ait Iob: Dicit impius Deo, Discede à Iob 21. me, quia vias tuas noscere nolo. Item Propheta: Pupillum & aduenam occiderunt, & dixerunt: Non videbit Psal.93. Dominus, neque intelliget Deus Iacob. Item Salomõ: Omnis homo transgrediens in lecto suo dicit: Quis me Eccle.23. videt? parietes & tenebræ circundant me, quem vere-

Ec v

Universidad de Deusto
Biblioteca

bor? Non memorabitur altissimus delictorũ meorum. Alioqui quomodo potest fieri, vt qui intellexerant cõtra se dictas esse parabolas, ita vt vellent eum tenere, consentirent sententiæ eius? Denique quasi non acquiescentibus illis, ideo introducit aliud testimonium scripturæ, dicens: *Nunquam legistis*: id est, si parabolam meam non intellexistis, vel istam scripturam non cognoscitis? Quòd si non acquieuissent confiteri dignos se esse pœna, vtique non erat necesse adhuc eis aliud proferre exemplum? *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Id est, quare non intelligitis, quia vos estis ædificatores: & quomodo non cogitatis, in cuius ædificij angulo ponendus est ille lapis? Nunquid in vestro, vnde reprobatus est? Non, sed in alio. Ergo aliud ædificium est futurum. Si autem aliud ædificium est futurum, ergo vestra ædificatio contemnenda est. Ædificatores enim sunt sacerdotes, qui generationes hominum super generationem per doctrinam ædificantes, quasi lapides super lapidem ponentes, domum Dei cõponunt. Sicut enim ædificatores, nodosos lapides, & habẽtes torturas, ferro dolãt, posteà verò ponũt eos in ædificio, alioqui non dolati lapides lapidibus non cohærent: sic & Ecclesiæ doctores vitia hominum, quasi nodos acutis increpationibus primùm circuncidere debent, & sic in Ecclesiæ ædificatione collocare: alioquin vitiis manentibus, Christiani Christianis concordare non possunt. Vnde putas lites in Ecclesia, inimicitias, altercationes inuicem, nisi propter auaritiã, propter inuidiã, aut propter superbiam, propter vanos honores? Tolle hæc, & nulla discordia inuenietur in Christianis. Et sicut artifex ex omnibus lapidibus eligit meliores, & ponit à foris in facie ædificij, cæteros autem lapides qualescunque mittit intus: Sic Ecclesia meliores Christianos eligit, & ponit in facie Ecclesiæ, id est alios facit sacerdotes, alios diaconos, cæterósque ministros Ecclesiæ, ponit senes & viduas sanctam vitã habentes in Ecclesia permanentes, ponit continentes iuuenes & virgines: cæteri autem si mediocres fuerint, proficiunt in medio Ecclesię, id est, ædificij propter misericordiam Dei. Sicut ergo forani lapides nullum debent habere nodum, aut angelum, nec debent esse alter lapis intus, alter foris: quia si sic fuerint, totum ædificium deturpant: Sic & clerici senes, & viduæ continentes, & virgines nullam debent habere maculam, neque in verbo, neque in cogitatu, neque in facto, neque in opinione, quia ipsi sunt pulchritudo Ecclesiæ & virtus: & si mali fuerint, totam deturpant Ecclesiam. Sicut enim lapides qui sunt intus in ædificatione nemo aspicit, sed eos qui foris sunt considerant omnes: Sic seculariũ hominum vitia neque sic considerantur, neque sic nocent Ecclesiæ. Nam quanuis populus secularis sit & indisciplinatus, tamen si isti boni fuerint, tota Ecclesia speciosa videtur. Nam sicut forani lapides intraneos intra se tenent, & constringunt: sic totus populus istorum meritis & sanctitate saluatur. Lapis autem dicitur Christus propter duas causas. Primùm, quia suis fundamentum est forte, & neque aliqua seductione* illecebrarum soluuntur, qui super eum consistunt, neque tẽpestatibus persecutionum mouentur. Deinde, quia in Christo iniquorum est magna confractio. Sicut enim omnis res quæ percutit lapidem, ipsa quidẽ colliditur, lapidem autem non lædit: sic & omnis qui contra Christianitatem agit, se quidem corrumpit, Christianitati autem non nocet. Quia ergo magnus est lapis Christus. *Qui ceciderit super eum, confringetur: super quem autem ceciderit, comminuet eum.* Aliud est confringi, aliud est autẽ comminui. Quod confringitur, aliquid remanet de eo quod fuerit fractum: quod autem minuitur, minutatim quasi in puluerem conuertitur, & nihil inuenitur ex eo. Qui enim super lapidem cadit, non lapis eum frangit, sed ipse se frangit ad lapidem. Ideo quod cadit super lapidem, non tantum se frãgit, quantum est lapidis virtus, sed quantum fortiter ipsum ceciderit. Fortiter autẽ cadit, quod cadit, propter duas causas, aut propter pondus suum, aut propter altitudinem suam. Quod enim ponderosum est, etsi de humili loco cadit, fortiter cadit: quod autem de alto cadit, propter altitudinem spacij, etsi leue fuerit, grauiter cadit. Super quod lapis cadit, non quæritur an graue fuit quod inuentum est subtus, aut leue, nec de alto, nec de humili. Qui sunt qui super lapidem cadunt? Christiani, qui credentes in Christum stant super ipsum, quasi super proprium fundamentum. Si quis de istis peccauerit, nõ eum Christus corrumpit: sed ipse se corrumpit, offendens in Christum, & ideo Christianus peccans non tantum periit, quãtum potest perdere Christum: sed quantum seipsum secundùm opera sua perdiderit. Homo Christianus fortiter cadit in peccato, propter duas causas, aut propter magnitudinem peccati, aut propter altitudinem dignitatis: Vtputa si sit clericus, aut continens vidua, aut monachus, aut virgo, id est, qui se Deo tradidit. Propter magnitudinem autem peccati: vtputa, si quis homicidium fecerit, aut adulterium, aut aliud aliquid de grauibus peccatis: ille talis, etsi de humili loco cadit, id est, etsi laicus sit, aut secularis, fortiter perit propter pondus peccati. De alto verò cadit, vtputa clericus, cæteræque spirituales personæ. Illi etsi pondus peccati non habent, id est, etsi grande peccatum non fecerint, sed leue: tamen fortiter pereunt propter altitudinẽ dignitatis. Sicut enim quod de alto cadit grandem sonum facit, vt audiant omnes: sic & qui de alto gradu cadit, ruina illius vbique auditur. Qui sunt super quos lapis cadit? Iudæi, & Gẽtes, qui non crediderunt in Christum. Ergo illi non secundùm sua opera pereunt, neque secundum suas personas, sed tantùm pereunt, quantum potest perdere Christus. Si videris ergo infidelem hominem, ne dicas, bonus est, aut malus, iusta opera facit, aut iniusta: sed omnes equaliter ad nihilum deducuntur. Ideo dicit Propheta: Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis quem proijcit vẽtus à facie terræ. Ideo non resurgunt impij in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum. Sicut vas quod leuiter cadit, & læditur, est quidem vas sed ad vsum nõ proficit: quod autem dispersum fuerit, nec videtur esse vas: Sic Christianus peccator resurgit quidem, sed inter sanctos non ponitur, infidelis autem non resurget in iudicio. Quomodo autem resurget, super quem talis decidit lapis? Qui autem neque de alto honoris, neque de põdere grauioris peccati ceciderit super Christum, interdum neque læditur: & si læditur, non multum læditur. *Et cùm audissent principes sacerdotum, & Pharisæi parabolam eius, cognouerunt quòd de ipsis diceret, & quærebant eum tenere.* Homo qui graue fecit peccatum, dum non habet amplius quod iam speret in Deum, peiora committit, dicente Salomone: Cùm venerit impius in profundum malorum, contemnit. Sicut enim infirmus, donec mediocriter habet aliquam passionem, & sperat se posse curari, seruat se à nociuis escis: si autem intellexerit insanabilem se esse, iam non sibi parcit. Sic & homo donec mediocriter peccat, & sperat salutem, quantumcunque potest, obseruat se à malo: si autem grauiter peccando cœperit desperare, iam nihil dubitat facere: quasi qui iam peccatis suis vincit iudicium Dei: nescięs miser, quia sicut in bono gradus sunt gloriarũ, & vnusquisque secundùm mensuram boni sui accipit gloriam: sic & in malo gradus sunt pœnarum, & vnusquisque secundùm mẽsuram mali sui accipiet pœnam. Sicut enim

infinitus

Psal. 117.

Quæ de causa, lites altercationesque inter nos.

* aquis seductionũ aut illeceb.

Cadentes] super lapidem Christũ, qui.

Psal. 1.

Prou. 18.

infinitus est Deus in retributione bonorum, sic infinitus est in retributione malorum. Similiter & sacerdotes omnibus malis repleti, qui iam in Deum sperare non poterant, in ipsum Deum manus mittebant: non ignorantes eum esse filium Dei, sed sibi iam non parcentes. Et mirum tibi videtur hoc? Verè omnis homo malus, quantùm ad voluntatem suam, & manus mittit in Deũ, & occidit eum. Qui enim Deum excitare ad iracundiã non dubitat, qui præcepta eius conculcat, qui nomen eius contemnit, qui blasphemat, qui murmurat contra Deum, qui turbato vultu aspicit contra cœlum, qui in ira sua manus audacter subleuat contra eum: nónne si potuisset fieri, manus mitteret in Deum, & occideret eum, vt iam licenter peccaret? *Et respondens Iesus, iterum dixit eis in parabolis.* Domino de vinea proponenti parabolam & dicenti, quoniam iustitia Dei à Iudæis fuerat auferenda, non sunt territi, sed magis exasperati, & volebant manus mittere & tenere eum. Quod intelligens Dominus, non tacuit, sed peiorem iram Dei per aliam parabolam annunciauit eis esse venturam. Nam si illi qui timere debuerant, non timuerũt, sed magis exasperati sunt: quantò magis Christus tacere non debuit, qui timere non poterat? Illos enim malicia fecit audaces, istum autem potestas.

Homil. xli. ex cap. xxii.

SIMILE *est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo*, &c. Homo rex dicitur Deus pater, qui nunquam humanam suscepit formam: vt intelligamus quia nomẽ hominis præiudicium non facit diuinæ suæ naturæ. Sed propter causam parabolæ homo dicitur, non quia pars aliqua hominis erat in eo. Ideo quãdo audis in scripturis filium Dei hominem dici, quia si pater Deus, qui tantum Deus est, & non homo, tamen homo nominatur: quantò magis necessarium fuit, vt homo diceretur vnigenitus Dei filius, cùm non esset homo purus, qui humanam susceperit naturam? Quoniã autem nuptias nominauimus, vtile est vt breuiter ostẽdamus, prout dãt nobis sensum bonum scripturæ, quomodo animæ fideles Christo in die illo iungendæ sunt, interim * nunc desponsatæ. Omne bonum viua substãtia est, & vita est, vita autem est Christus. Omne autem malum sine substantia est, & nihil est. Ita quicquid viuum creatum est super terram, ex vita viuit. Nec enim potest esse aliquid viuum, in quo non sit spiritus vitæ. Ex malo autem nulla res esse potest. Cùm verò ipsum malum nihil sit, quomodo potest facere rem aliquam esse? Tamen perdere potest, sed non ipsum malum perdet rem: sed de illa re in qua est malum, subtrahit se bonum, propter inhabitans malum in ea: & sic bono recedente, res vadit ad nihilum. Ergo res in qua solum bonum est, viua & immortalis est: in qua autem & bonum & malum habitat, viuit quidem, tamen pro tempore propter inhabitans bonum: moritur autem, propter inhabitans malum, & est res mortalis, sicut homo. Homo autem ideo ex bono & malo creatus est, vt contempto malo, sequatur bonum, & per hoc habet electionis mercedem. Quod si contempto bono secutus fuerit malum, suscipiet eum æternus interitus. Si autem dimisso malo secutus fuerit bonum, in morte natura carnis eius soluetur ab omni malo: & cùm resurrectio facta fuerit sanctorum, tunc suscipiet eum sola vita, quæ est Christus, & mortalitatem eius in sua immortalitate absorbebit: & sicut desiderat Paulus, vt mortale hoc absorbeatur à vita, vt tunc impleatur scriptura, quam interpretatur idem Apostolus: Erũt, inquit, duo in carne vna. Christus enim cum anima, quasi vnus spiritus factus, habitabit in carne vniuersa, secundùm quod dictum est: Qui adiungit se Domino, quasi vnus spiritus est. Nunc enim quasi modicas arras futuri coniugij Spiritum sanctum accepimus, tunc autem ipsum Christum plenius in nobis habebimus. *Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias.* Ergo quando misit seruos suos, iam inuitati erant. Primùm ergo dicamus, quid sit ipsum conuiuium. Secundò, quando sunt inuitati, Tertiò, quando cœpit præparare conuiuium, & quando misit inuitatores. Prandium enim est doctrina iustitiæ, & verba cœlestium mysteriorum de filio Dei venturo. Quæ omnia mandens homo, id est, audiẽs, acquirit sibi vitam æternam. Multas enim proprietates habet sermo ad escam. Sicut enim qui mittit in os suum fragmẽtum panis, aut qualemcunque cibum, primum molit eum dentibus, & ita dimittit in stomachum: sic & cùm audimus omne verbũ, necesse est ipsum meditari in ore sensus, & quasi quibusdam dentibus, id est tractatibus molere, & videre quid est quod dicit, aut vnde dicit, aut propter quam rem dicit. Nam quemadmodum qualemcũque cibum, nisi masticauerimus dentibus, non sentimus saporem eius: ita & verbum quod audimus, nisi masticauerimus ipsum tractantes in nobis, non possumus intelligere virtutem verbi illius. Nam & manna quod edebatur in cremo, figuram habebat verbi. Ideo dicebatur manna, quod interpretatur Hebraicè, quid est hoc? vt quotiens-cunque audimus verbum, admoneat nos ipsum nomen requirere, quid est hoc quod audimus? Et sicut cibum postquam masticauerimus, dimittimus in stomachum: ita & verbum postquam benè tractauerimus, commendamus ipsum memoriæ quasi stomacho. Nam quemadmodum non prodest cibus, nisi cùm fuerit masticatus, & in stomachum descenderit: sic non proficit ad salutem verbum, nisi cùm fuerit intellectui & memoriæ traditum. Nam sicut cibus nihil prodest si manducauerimus, & iterum euomimus eum de stomacho: sic nihil in nobis prodest verbum, quod audimus, & obliuiscimur illico. Cibus qui in stomacho stat, ille confortat: & sermo qui in memoria manet, ille saluat. Vnde & apud Iudæos illa animalia sunt munda, quæ reuocant cibum, & ruminant. Ergo animal illud est mundum, quod masticat & tradit vtero, & iterum de vtero reuocat, & ruminat. Et homo ille est spiritualis & sanctus, qui audiẽs verbum, tractat: & cùm intellexerit, memoriæ quasi vtero tradit, & iterum de memoria quasi de vtero reuocat, & ruminat, & retractat. Ille autem homo immundus est ante Deum, qui non recordatur aliquando, nec retractat quod audit. Qui autem manducat de spirituali conuiuio, impletur spiritu, dilatatur sensibus, nutritur in veritate, pinguescit in fide, & sic ingreditur ad interiora, voluntatis Dei, & manens in eis acquirit sibi vitam æternam. Qui autem ab hoc conuiuio verbi longè fuerit factus, euacuatur spiritu, angustatur sensibus, deficit à veritate, distillat à fide, & sic egrediens ab omnibus voluntatibus Dei ad inferiora, nouissimè cadit in mortem. Quando sunt inuitati? in tempore Abrahæ, quando dixit ad eum Deus: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam tibi demonstrauero. Et omnem terram quamcunque tetigeris pedibus tuis, tibi dabo eam, & semini tuo in æternum. Quam terram? Terram Orientalem, fluentem lac & mel. Quod verum nõ est de terra illa Iudææ, quoniam illa terra nunquam fluxit lacte & melle, sed terram rationabilem, quam Christus suscepit. De illius enim incarnatione lac & mel processerũt. Lac enim opus est miraculorum, quoniam & sine labore dentium, & cum suauitate comeditur, per quod rudes in fide quasi pueri sustentantur. Mel autem eloquia & doctrinę dicuntur; sicut ait Propheta:

* in terris non desponſ.

1. Cor. 15.

Gen. 2. & 1. Cor. 6. Ibidem.

Deut. 18. Mann.

Leuit. 11. & Deut. 14.

Gen. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psal.118. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauuum ori meo. Ergo Christi incarnatio promittebatur, qui lacte miraculorum, & melle doctrinæ nutriturus fuerat Gentes rudes in fide. Vide ergo quoniam iam ex eo ostendebat Deus, quoniam non aliter Iudæi poterant Christo credere, nisi vt relinquerẽt Iudaismum, corpus. quod est, exi de cognatione tua: & opus † circuncisionis, quod est, exi de terra tua. Ergo ex eo iam Iudaismus relinquendus ostendebatur. Non solùm autem Iudæi, sed nullus homo potest lac & mel manducare Christi, nisi cognationem suam & terram suam reliquerit, sicut Supr.19. Luc.9. scriptum est: Nisi quis reliquerit patrem aut matrem &c. Item, Qui meus vult esse discipulus, abneget semetipsum. Relinquit ergo cognationem suam, non qui cõtemnit eam, sed qui amplius diligit Deum, quàm parentes. Relinquit terram suam, qui carnis suæ non seVoluptates. car. non exit. quitur voluntatem: † qui autem concupiscentias carnales exigit, † terram corporis sui exercet, sicut Cain. Qui verò perfectè cognationem suam & terram relinquit, hic lac & mel manducat, cùm legit mirabilia aut eloquia Christi. Quando cœpit hoc conuiuium præparari? à tempore Mosi, quando lex Domini data est irreprehensibilis, conuertens animas: quando testimonium Domini fidele datum est, sapientiam præstans paruulis: quando iustitiæ Domini rectæ lętificantes corda: quando præceptum Domini lucidum illuminans oculos: quando timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi: quando iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa: quando ex decem speciebus confectus est cibus decalogi salutaris. Sicut enim regale prãdium multis ciborum speciebus ornatur, ita & hoc cõuiuium scripturarum diuersis iustitiarum speciebus est decoratum. Ex eo etiam tempore inuitatores exierunt Prophetæ, qui homines ad nuptias futuri sponsi vocarent, id est ad fidem Christi, prophetantes eis de ipso. At illi noluerunt venire. Item misit alios seruos, dicens: *Dicite inuitatis, Ecce prandium meum paraui, tauri mei & saginata occi-* C
Matt.10. *sa sunt, & omnia iam parata, venite ad nuptias.* Qui sunt alij serui? Apostoli, quos & ille misit, dicens: In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israël. Euntes autem prædicate, dicentes, quia appropinquauit regnum cœlorum. Hoc est quod dicit prandium meum paraui: id est, ex omni lege, & ex omnibus prophetis scripturarum mẽsas ornaui. Qui sunt tauri & saginata occisa? Prophetæ qui occisi sunt pro salute populi. Sancti quoque occisi sunt pro salute eiusdem po-
1. Cor.12. 2. Tim.4. puli, quemadmodum docet nos Apostolus dicens: Ego autem impẽdar & superimpẽdar pro animabus vestris. Item alibi: Ego enim iam delibor. Hominis libatio alicui pro aliquo offertur. Deo ergo immolandus fuerat Paulus pro populo quem docebat. Sic & prophetæ occisi sunt, vnusquisque pro salute populi quem docebat. Et quoniam mors prophetarum sustentabat quidem ex
D parte salutem humanam, nõ tamen plenè saluare poterat totũ mundum: ideo nouissimè immolatus est agnus, qui totius mundi reatum innocẽtia sua detergeret. Propterea & in diebus Scenopegiæ, quę interpretatur fixio tabernaculi, diuersæ hostiæ occidebantur in figura sanctorum, nouissimè autem occidebatur & agnus. Si ergo agnum illic occisum intelligimus figuram Christi, consequenter & cæteras hostias intelligimus præcedẽ-
Psal.65. tium sanctorum occisiones. Sed & Christus de figurata sanctorum suorum immolatione, dicebat: Holocausta medullata offeram tibi cum incenso & arietibus, offeram tibi boues cum hircis. Nec enim Christus aliquando huiusmodi animalia obtulit patri. Obtulit autem rationabiles arietes, id est principes omnium Christianorum. Obtulit boues, rationabilem terrã colentes. Obtulit etiam hircos ex Gentibus, qui pro nomine Christi sunt passi. Hæc autem diximus, vt ostendamus tauros & saginata occisa, intelligi debere sanctos occisos. Omnes ergo prophetę & Christus ideo occisi sunt, vt hoc spirituale tabernaculum firmiter figeretur. Denique sicut viscera agni, ita eloquia Christi homines non manducauerunt, nisi postquam occisus est. Nam post mortem eius Euangelia prædicata sunt & credita, & in eis homines quotidie nutriuntur. Sic & viscera eius prophetarum, id est, eloquia, non sunt antè susceptа, nisi postquam occisi sunt. Quis audiuit, aut credidit verbis Esaiæ viuentis? Si enim susceptissent sermones eius, nũquam eum serrassent: sed postquam occisus est, tunc postmodum Iudæi susceperunt prophetias eius, & cœperunt legere in synagogis suis. Quis Hieremiæ verba susceptit viuentis? Si enim susceptissent verba eius, nunquam eum post multas iniurias lapidassent. Sed post-
B quam occisus est, posteà consecrauerunt prophetias eius, & cœperunt legere eas in conuentu. Et sic inuenies actum in omnibus prophetis, quia viuentes eos nemo coluit, sed post mortem. Vnde & Dominus dicit: Qui Matt.23. ędificatis sepulchra prophetarum, & dicitis, si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non fuissemus participes eorum in sanguine prophetarum. Sicut enim viuentis animalis viscera nemo manducat, ita viuentium prophetarum sermones nemo susceptit, sed post mortem ipsorum. Saginati autem sunt gratia Dei plena. Ideo dixit, & saginata, & tauros: non quia & tauri non fuerunt saginati, sed quia omnes saginati non fuerunt tauri. Ex prophetis enim omnibus quidam tantummodo prophetæ fuerunt, quidam autem prophetæ & sacerdotes sicut Hieremias, sicut Ezechiel, sicut filius Ioiadæ. Ergo saginata dicit prophetas tantummodo, qui fuerunt Spiritu sancto repleti. Tauros autem, qui & prophetæ fuerunt, & sacerdotes. Sicut enim tauri duces sunt gregis, ita sacerdotes sunt principes populi. Quosdam autem legi dicentes, tauros hic dici martyres, tunc in primis pro Christo occisos, Apostolis adhuc viuentibus: saginata autẽ paruulos, Spiritu sancto pinguificatos. Quorum omnium interfectiones, multas spiritualium gaudiorum epulas præbuerunt, & nuptias Christi adornauerunt. *Et omnia iam parata.* Quicquid quæritur ad salutem, totum iam adimpletum est in scripturis. Qui ignarus est, inueniet ibi quod discat. Qui contumax est & peccator, inueniet ibi futuri iudicij flagella, quę timeat. Qui laborat, inueniet ibi glorias & promissiones vitæ perpetuæ, quas manducãdo amplius excitetur ad opus. Qui pusillanimis est & infirmus, inueniet ibi mediocres iustitiæ cibos, qui etsi pinguem animam non faciunt, tamen mori non permittunt. Qui magnanimus est & fidelis, inueniet ibi spirituales escas continentioris vitæ, quę perducant eum propè ad angelorum naturam. Qui percussus à diabolo, & vulneratus est in peccatis, inueniet ibi medicinales cibos, qui eum per pœnitentiam reuocent ad salutem. Vt quid ibi scriptum est, Achar Iosue 7. propter furtum laminæ aureæ lapidatus, nisi vt habeant fures quod timeant? Vt quid ibi filij Israël, qui fornicati sunt cum filiabus Moabitarum, percussi refugerunt in Num.25. Exod.22. & Num. Beelphegor, nisi vt habeant fornicatores quod perhorrescant? Vt quid concupitores carnis castigati sunt 20. 2.Reg.12. in deserto, nisi vt nemo delicias concupiscat? Vt quid Iacob.2. Dauid arguit Nathan, & susceptit nisi vt adulteri & homicidæ pœnitentiæ remedium non desperent? Raab meretrix sanctificata est, vt meretricibus spes daretur. Nihil ergo minus est in hoc conuiuio, quàm quod necessarium habet salus humana. *At illi neglexerunt, & abierũt alius in villam suam, alius in negociationẽ suam.* Omnis

In vita recepti prophetæ.

actus

Actus omnis duplex. actus quem agunt homines in hoc mundo, duplex est. Aut enim villa est, aut negociatio. Et quando aliquem laborem quidem manuum nostrarum facimus, exercẽtes terram, aut aliquod opus terrenum, vtputa agrum, vel vineam, vel hortum, vel opus ligni aut ferri, villam colere videmur, id est terram. Quando autem non labore manuum nostrarum, sed aliter lucra quocunque modo consequimur, vtputa honores gerere, vt diuitiæ permaneant alicui, aut mercari, omne hoc negociatio appellatur. Duobus ergo verbis omne opus humanum
Eccl.7. conclusit, siue honestum, siue inhonestum. Honestum quidem opus est villæ cultura: sicut ait Salomon: Non oderis rusticam operationem, & agriculturam ab altis-
1.Thes.4. simò creatam. Et Apostolus hortatur: Rogo autem vos fratres studium habere quietis, & negocij proprij, & operandi manibus vestris, & nullum desiderium sit in vobis ad eos qui foris sunt: inhonestum est enim apud Deum opus negociationis, siue dignitatis, siue militiæ.
Psal.70. Vnde nihil horum antea Iudæi agebant, propter quod B dicit Propheta: Qui non cognouit negociationes, intrabit in potentias Domini: quia difficilè quis negocians intrat in regnum cœlorum. O miserrimus mundus, & miseri qui eum sequuntur. Semper enim homines mũdialia opera excluserunt à vita. Sed fortè dicis, Et villam colere peccatum est? Et si quidem impedimentum fidei, aut religionis tibi nõ facit villa, sicut fecit Iudæis, non habes peccatum: si autem vel à fide, vel à religione tibi facit impedimentum, fit peccatum. Non ergo ipse villæ cultus peccatum est, sed tu præferendo eam Deo, facis eam esse peccatum. Opera enim nostra authentica, opera sunt iustitiæ: opera autem carnalia, superoperationes dicuntur, non opera: quia iustitia ad vitam æternam pertinet veram: opus autem terrenum non ad vitam, sed ad sustentationem vitæ huius temporalis. Ideo ergo opus iustitiæ attentè facere debemus, opus autem terrenum transitoriè. Si ergo honestum opus se-
C quendo homines debitum honorem Deo non reddiderunt, talem iram merentur: putas quali ira sunt digni, qui non honesta opera, sed negociationes sequendo, non veniunt ad Deum? Aut ita: Villa est iste mundus, circa quem homines amatores mundi occupãtur quæstibus eius, quasi villæ cuiusdam reditibus delectati. Negociatio autem prædicatio legis, & procuratio templi, quàm auari sacerdotes quasi negociationem æstimant, quando lucrosam & non dispensationem diuini operis putant, & non onerosam. Ergo per operationem villæ populares significantur homines, quos mundi delectatio separauit à Christo. Per operationem autem negociationis, sacerdotes cæteríque ministri templi significantur, quos lucri obtentu venientes ad ministerium legis & templi, auaritia separauit à fide. Non dixit, malignati sunt, sed neglexerũt: quia non omnes Iudæi crucifixerunt Christum, nec audierunt doctrinam ipsius, aut consenserunt in mortem eius. Quidam enim secu-
D laribus negotiis occupati, non venerunt ad Christum, nec audierunt doctrinam ipsius, nec viderunt mirabilia eius, ideóque non crediderunt in eum. Qui ergo odio, aut inuidia crucifixerunt Christum, illi malignati sunt: qui autem negociis impediti sunt, non crediderunt: illi neglexisse dicuntur, non malignati. Nam sunt quidam homines, qui possunt & audire & credere, sed solicitudo rerum necessariarum, & delectatio mũdi separat eos à Deo, quos Dominus terram spinosam appellat. Reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumelia affectos occiderunt. De sua morte tacet, quia iam in priori parabola dixerat: sed ostendit mortem discipulorum suorum, quos post ascensum ipsius occiderunt Iudæi, maAct.7. ximè sacerdotes Stephanum lapidãtes, in Iacobi morte gaudentes. Item Iacobum Alphæi lapidantes: propter Ibid.12. quæ omnia Hierusalem destructa est à Romanis. Ideo dicit. *Audiens autem rex, iratus est: & misit exercitum suum, & perdidit homicidas illos, & ciuitates eorum succendit.* Romanus exercitus, dicitur exercitus Dei: Quia Domini est terra, & plenitudo eius. Nec enim venissent Roma- Psal.23. ni in Hierusalem, nisi Dominus eos excitasset. Quidam autem exercitum angelos dicit, & ciuitatem pro ciuibus ponit: ac si dicat: Misit angelos suos, & ciues illos misit in ignem æternum. *Et dixit seruis suis. Ite ad exitus viarum, & quoscunque inueneritis, vocate ad nuptias.* Manifestum est quidem, quia post contemptam contumaciam Iudæorum, de vocatione Gentium dicit, quod dicit, Ite ad exitus viarum. Propterea requiramus quæ sunt viæ istæ, & ad quarum exitus misit Christus discipulos suos. Puto ergo quoniam sicut generalis & publica via est Christus, quæ ducit ad vitam: & viæ dicuntur omnes Prophetæ, & omnes Apostoli: hæ enim omnes viæ ducunt ad Christum, Christus autem ad Patrem: sic generalis & publica via est diabolus, quæ ducit ad mortem, & vię sunt omnes professiones sæculi istius: Vtputa professio philosophiæ, vna est via: professio militiæ, altera est via: mundialis dignitas, altera est via: professio ludorum, altera via est mundi. Et quid plura dicam? Quantæ sunt diuersitates actuum in hoc mundo, tantæ sunt viæ, quæ omnes viæ ducunt ad diabolum, generalem viam perditionis. Ideo ergo dicit: Ite ad exitus viarum, & cuiuslibet conditionis homines vocate ad fidẽ. Adhuc sicut castitas via est quæ ducit ad Christum, & misericordia, cæteræque virtutes: sic & fornicatio via est quæ ducit ad diabolum, & auaritia, cæteræque species malæ. Iubet ergo vt cuiuscunque conuersationis homines inuitent ad fidem, quoscunque siue seruos, seu liberos. Deus enim corporalem seruitutem non contemnit, nec corporalem elegit libertatem. Omnis qui diaboli sequitur voluntatem, seruus est diaboli, etsi sit
C liber: qui autem obaudit Deo, ille verè ingenuus est, etsi fuerit seruus. Ingenuitatem enim spiritualem non fordidat seruitus corporalis, nec turpitudinem spiritualem honestat corporalis libertas. Seruitutem enim non Dei dispositio, sed humana violentia introducit. Omnis enim homo liber creatus est, quem Deus in libero arbitrio posuit, nisi ipse fecerit se seruum. Et sicut non est distantia in natura creationis hominum, sic non sit differentia in vocatione salutis eorum omnium, siue barbarorum, siue sapientum: quoniam potens est Dei gratia barbaras mẽtes corrigere ad rationabilem intellectum, qui cor Nabuchodonosor ad feralem sensum mutauit, Dan.4. & iterum feralem sensum eius ad humanum intellectũ reduxit. Potens est, inquam, mutare omnes, siue bonos, siue malos: boni ne pereant, mali, vt inexcusabiles fiãt. Nemo propter ignorãtiam pereat, nemo propter ignorantiam excusetur. Omnes videant lumen, vt appareãt, qui amant tenebras, & qui lumen. Qui enim filius est te-
D nebrarum, etsi compellas eum, non accedit ad lumen: qui autem filius est luminis, nec si repellas eum, recedit à lumine. *Intrauit autem rex, vt videret discumbentes.* Intrauit autem Deus, non quia est aliquis locus vbi non sit, sed vbi vult aspicere, ibi sit præsens: vbi autem non vult, absens videtur. Dies enim aspectionis, est dies iudicij, quando visitaturus est Christianos, qui super mẽsam scripturarum sanctarum recumbunt: id est, requiescunt in fide earum, & cœlestibus epulantur doctrinis. Aut dies aspectionis, est dies tentationis: quãdo dignatur tentare Ecclesiam suam, vt videat qui habẽt fidem, & opera digna Christi vocatione. Nuptiale vestimentum est fides vera, quæ est per Iesum Christum & iustitiam eius: de qua ait Apostolus: Expoliate vos veterem Coloss.3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hominem cum actibus suis, qui corrumpitur secundùm A concupiscentiam erroris, vestientes vos nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Quòd dicit, in iustitia: ad conuersationem pertinet: quòd autem dicit, in sanctitate veritatis: ad fidei veritatem. Vestimenta ergo veteris hominis sunt pannosa & sordida opera carnis, corruptibilia & immunda: vestimenta autem noui hominis, sunt fortia & decora opera spiritus, incorruptibilia & sancta. Quèadmodum enim si aliquis cum nigris vestimentis inueniatur in nuptiis, sordidat gloriam nuptiarum: ita & qui opera habet tenebrosa, & inter Christianos quasi vnus ex eis cõuersatur, ipsi Christianitati facit iniuriam. Homo itaque aut secundùm locum eligat vestem, aut secundùm vestem eligat locum: id est, aut secundùm opera eligat professionem, aut secundùm professionem faciat opera. Qui vult esse Christi, faciat opera Christi: qui autem non vult opera Christi facere, non veniat ad Christum: alioquin audiet in die iudicij: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* & obmutescet. B Hic enim abscondimus opera nostra, & inuicem corda nostra celamus: in illa autem die nihil est quod respondeamus, vbi cœlum, & terra, & aquæ, sol & luna, dies & noctes, & totus mũdus stabit aduersum nos in testimonium peccatorum nostrorum. Et si omnia taceant, tamen ipsæ cogitationes nostræ, & ipsa opera nostra specialiter stabunt ante oculos nostros, accusantes nos ante Deum, dicente Apostolo: Cogitationibus inuicem se accusantibus, aut etiam defendentibus in die cùm iudicabit Deus occulta hominum, per Iesum Christum dominum nostrum. *Tunc dicet rex ministris: Ligate ei manus & pedes, & mittite eum in tenebras exteriores.* Sicut est differentia gloriarum in sanctis secundùm opera, dicente Apostolo: Stella enim à stella differt in claritate, ita & resurrectio mortuorum: sic quoque differentia est tormentorum in peccatoribus. Sunt enim primæ tenebræ & exteriores, & nouissimi lacus. Ex eo autem quod C dixit, Ingressus: vt remuneraret amicos: non autem dixit, congregauit rex omnes qui venerunt ad nuptias: datur suspicio æstimandi, ne fortè dicat hoc de vindicta iudicij. Adhuc autem, quia non dixit, mittite eum in tenebras inferiores, vt eas tenebras inferiora loca inferni æstimemus: sicut ibi, Et eripuisti animam ex inferno inferiori: sed ita dicit, in tenebras exteriores. Ergo quotiescunque tentat Deus Ecclesiam suam, & vẽtilat ventilabro iudicij, ingreditur ad eam, vt videat discumbentes qui sunt, aut quales sunt: si digni sunt cœlestibus nuptiis, & conuiuio illo viuo. Et si inuenerit aliquem non habentem vestem nuptialem, secundùm ea quæ diximus, interrogat eum in cogitationibus suis: sicut scriptum est: Quia in cogitationibus impij interrogatio erit. Et interrogat eum, quæ sunt opera ista quę agis, quia non sunt opera Christiani. Vt quid factus est Christianus, si hæc opera diligebas? Ita vt non habeat quid respõdeat contra conscientiam suam. Et hunc ergo talem D cùm viderit in Ecclesia Christus, iubet ministros suos, id est, aliquos spiritus seductionum. Nam mala per malos spiritus reddet; qualis fuit spiritus erroris, quem misit Deus, vt seduceret Achab, sicut scriptum est in tertio libro Regnorũ. Vel qualis est illa operatio erroris, quã dabit eis Deus, qui charitatem Dei non acceperunt, vt credant mendacio. Et ligant manus hominis illius: id est, opera eius, quæ sunt animæ manus, quę homines rectius tollunt ad mandata Dei. Ligant & pedes eius, id est motus animæ eius, quibus anima solet incedere & transire: non de loco ad locum, sed de malo ad bonum, vel de bono ad malum: id est, obligant, & inebriant, & inuoluũt opera eius, vt quomodo nescit sic in laqueum perditionis incurrat. Et apprehendentes eum, per ipsa opera eius, mittunt eum in tenebras, id est, in errores vel Gentium, vel Iudæorum, vel hæreticorum. Et forsitan propinquiores tenebræ sunt Gentilium, exteriores Iudæorum, plus autem exteriores hæreticorum. Quoniam Gentiles veritatem spernunt, quam non audierũt: Iudæi autem, quam non crediderunt, hæretici autem, quam audierunt & didicerunt. Ipsarum quoque hæreticarum tenebrarum quædam sunt prope lucem veritatis: aliæ autem longius à veritate, & ideo nigriores: aliæ autem amplius longæ, & ideo pressiores & exteriores. Ideo dixit, *Mittite eos in tenebras exteriores.* id est, in hæreses peruersissimas. *Ibi erit fletus, & stridor dentium.* Videte quia non dixit, Ibi est fletus & stridor dentium: sed erit. Ergo modò mittuntur in illas tenebras mali, postea patientur fletus, vbi est & stridor dentium.

1.Cor.15.

Rom. 2.

1.Cor.15.

Pſal. 85.

Sapien.1.

3.Reg.21.

Homil. xlii. ex cap. xxii.

TVNC *abeuntes Pharisei, consilium inierunt, vt caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo. Non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis quid tibi videtur: licet censum dari Cæsari, aut non? Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt denarium. Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Et audientes mirati sunt, & relicto eo abierunt. In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, & interrogauerunt eum, dicentes: Magister, Moses* Deut.25. *dixit: si quis mortuus fuerit non habens filium, vt ducat frater eius vxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Erant autem apud nos septem fratres, & primus vxore ducta defunctus est, & non habens semen, reliquit vxorem suam fratri suo. Similiter secundus & tertius, vsque ad septimum. Nouissimè autem omnium & mulier defuncta est. In resurrectione ergo cuius erit de septem vxor? Omnes enim habuerunt eam. Respondens autem Iesus, ait illis: Erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo. Et de resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est à Deo, dicẽte vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac,* &c. Omnis Exod.3. quidem malitia confunditur aliquoties ratione veritatis, corrigitur autem nunquam maximè eorum qui proposito malo, & non ignorantia peccant. Sic etenim sacerdotes postquam terrere Dominum non potuerunt, dicentes: In qua potestate facis hæc? postquam parabolarum ratione constricti, sic iudicio ipsi se reos fecerunt, dicentes: Malos malè perdet, nemine contra eos dicẽte testimonium, nisi conscientia sola: nunquid compunxit eos timor peccati? Nunquid compescuit eos vel libertatis consideratio? Sed quid? *Abierunt, & consilium acceperunt vt eum caperent in sermone.* Quemadmodum si aliquis claudere voluerit aquæ currentis meatum, si vna ex parte exclusa fuerit aqua, violentia aliunde sibi semitam rumpit: sic & eorum malignitas ex vna parte confusa, aliunde sibi aditum adinuenit. Sicut enim non potest fieri, vt ligna mittendo extinguas ignem: sic non potest fieri, vt rationem dicendo places hominem malum. Sicut enim ignis quantò amplius ligna susceperit, in maiorem flammam erigitur: sic animus malus quantò magis veritatem audierit, eò amplius in malitiam excitatur. Abierunt ergo, & consilium acceperunt. Quò abierunt? Ad Herodianos. Nam ex eo quod non dicit, consiliati sunt: sed, consilium acceperunt: & ex eo quod pariter cum Herodianis venerunt, apparet, quia cum illis

Luc.20.

Supr.21.

illis eiusmodi circunuentionis consilium tractauerunt. A Homo colonus, cuius terram possidet, illius auxilio opus habet. Qui iustitiã tenet, nullius patrocinio indiget, nisi Dei. Qui in diaboli iniquitatibus ambulat, diaboli adiutorium necessariũ habet. Colonus enim Dei, diaboli auxiliũ non requirit: colonus autem diaboli, auxiliũ Dei & si quærit, non inuenit. Vidisti aliquando euntẽ ad furtum Deum orare, vt benè prosperetur in furto? Aut qui vadit ad fornicationem, nunquid sibi signum crucis ponit in fronte, vt non comprehendatur in crimine? Quod si fecerit, non solùm non adiuuatur, sed adhuc amplius traditur: quia nescit iustitia Dei patrocinium dare criminibus. Sic & isti Christum expugnare cupientes, conuenienter non ad seruos Dei, viros religiosos, sed ad Gentiles, id est Herodianos se contulerũt. Quale est consilium, tales & consiliatores. Quis autem poterat dare consilium contra Christum, nisi diabolus qui erat aduersarius Christi? Cogitabant enim apud se sacerdotes, si nos soli euntes interrogauerimus Christũ, B quanuis dixerit quia non licet dari Cæsari tributum, tamen nemo nobis credet dicentibus contra eum: iam enim omnes sciunt, quia inimici eius sumus. Inimicorum autem testimonium in iudicio, etsi verum fuerit, quasi suspectum reprobatur. Sed nec per seipsos Christum interrogare volebant, quia in magna suspicione inimicitiæ eorum fuerant apud Christum, ne fortè quasi suspecti circunuenire eum non possint. Nam inimicus manifestus melior est, quàm amicus fictus. Ille dum timetur, facilè vitatur: iste dum non agnoscitur, prævalet. *Miserunt ergo discipulos suos.* quasi adhuc minus cognitos, & minus suspectos, vt aut absconditè facilè deciperent eum, aut deprehensi minus erubescerẽt apud eum. Nam consilio malo deprehenso, tantò minor nascitur confusio, quantò fuerit persona deterior. Sed discipuli illi magistris suis ætate minores erant, malitia autem pares. Nam & pulli serpentium statura breuiores, veneno autem æquales sunt. Et catuli luporum adhuc teneri C constituti, etsi venationem exercere non possunt, iam tamen sanguine gaudent, & morsibus ludunt. *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Magistrum eum vocant & veracem: magistrum, vt quasi honoratus & laudatus, mysterium sui cordis simpliciter eis aperiat, tanquam volens eos habere discipulos. Hæc enim est hypocritarum prima potentia, simulata laudatio. Laudant enim quos perdere volunt, vt per delectationem laudis, paulatim corda hominum ad simplicitatem benignæ confessionis inclinent. Veluti si quis taurum validum viribus non potest subiugare, & vinculo flectere mollibus manibus nodosam eius fricat ceruicem, vt quem virtute tenere non potuit, per blãdimentum comprehendat: Sic & isti catenam subdolæ laudis portantes in ore, & gladium malitiæ absconditum in corde, taurum ecclesiasticum gregis dolo laudis comprehendere festinabant. De quo tauro prophetans Iacob, iam tunc increpabat Leui filium suum, quia de Leui e- D rant nascituri sacerdotes, qui interfecturi erant Christum. Simeon & Leui fratres consummauerunt iniquitates suas. In cogitationes eorum non venit anima mea, & in consilia eorum non cadant præcordia mea, quia in ira sua occiderunt virum, & in furore suo subneruauerunt taurum. De talibus dicit Propheta: Molliti sunt sermones eorum super oleum, & ipsi sunt iacula. *Quid tibi videtur? licet censum dari Cæsari, an non?* Non est iustum, vt serui summi regis terrenis regibus seruiamus. Si enim indignum est, vt ex duobus regibus homo alterius alteri obsequatur, & iniuriam facit suo, si subiacet alieno: quantò magis indignum est, vt cultores Dei humanarum potestatum grauamina cognoscamus? Cognita autem eorum nequitia Iesus, non secũdùm sermones eorum pacificos blandè respondit, sed secundùm conscientiam eorum crudelem aspera dixit: quia Deus plerũque ad animam loquitur, non ad corpus: voluntatibus respondet, non verbis. *Hypocritæ, quid me tentatis? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium.* Dicit eis Hypocritæ, vt quod ab eo audierunt in aure, apud semetipsos inueniant in corde: vt considerantes cum humanorum cordium cognitorem, quod facere cogitabant, perficere non auderent. Vide ergo, quòd Pharisæi quidem blandiebantur, vt perderent: Iesus verò confundebat, vt saluaret: quia vtilior est homini Deus iratus, quàm homo propitius. *Et ait eis: Cuius est imago hæc, & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc dixit eis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* Imago Dei non est in auro depicta, sed in hominibus figurata. Numisma Cæsaris, aurum est: numisma Dei, homo: In solidis Cæsar videtur, in hominibus Deus agnoscitur. Ideo diuitias vestras Cæsari date, Deo autem conscientiæ vestræ solam innocentiam reseruate, vbi Deus videtur. Cæsaris enim imaginem manus artificis sculpsit, & corruptibilibus literis annotauit: Dei autem imaginem in homine diuina manus decem viuis apicibus demonstrauit. Quibus? Illis quinque sensibus carnalibus, & quinque spiritualibus, per quos consideramus & apprehendimus quæ sunt vtilia vt Deus. Ideóque illibatam Deo semper imaginem suam reddamus. Non superbiæ fastu tumidam, non iracundiæ liuore marcidam, non auaritiæ facibus succensam, non gulæ illecebris deditam, non hypocrisis duplicitate contectam, non luxuriæ sordibus attaminatam, non elationis protensione leuem, non vinolentiæ tabe amentem, non diffidio mutuæ charitatis extorrem, non detractionis mordacitate pestiferam, non multiloquij vanitate inanem, sed charitate perspicuam, fide & spe certissimam, patientiæ virtute fortissimam, humilitate trãquillam, castitate purpuream, parsimonia sobriam, tranquillitate iocundam, hospitalitate deuotam. Talibus enim inscriptionibus suum Deus numisma non mallei vel incudis ictu composuit, sed prima conditione formauit. Cæsar enim suam in numo requirit imaginem, Deus verò hominem quem creauit, exquirit. Non dimittit Cæsar suum quod debetur numisma, nec Deus suam vnquam exquirendo relaxat facturam. Sicut qui suam Cæsari adulterinam imaginem reddit, flagellari tortoribus, & atrocibus iubet subiici pœnis: sic Deus omnipotens corruptores imaginis suæ morti tradit perpetuę, & infernales iubet pœnas persolui immensas. Ita qui vitare horrenda exitia cupit, incorruptam studeat authoris sui imaginem conseruare, quatenus cùm suam quam formauit requisierit Deus imaginem, saluam & immunem ab inimici infectionibus cernẽs, suo collocet gremio, angelorúmque choris admiscens, perpetuis faciat cœlorum gaudiis perfrui. *In illa die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt resurrectionem non esse.* In qua die? Quando recedebant Pharisæi, & accedebant Sadducæi. Recedebant Sadducęi, & iterum accedebant Pharisæi. Vnus dies est, & multa certamina. Frequentabant enim super eum, tali forte consilio, vt quis aut comprehendere eum posset: aut si certè eum ratione superare non possent, vel per ipsam frequentationem subuerterent sensum ipsius. Quemadmodum si inter plures hostes inueniatur vnus pugnator fortis, dum singuli viribus eum superare non possunt, circunueniunt eum omnes, vt quòd virtute non poterant superare, ipsa multitudine conuertant eum in fugam. O stulti, si quis corruptibili fonte vtatur assiduè, magis fontis illius venas laxat, & maiorem aquam infundit. Et illi de fonte viuo

Hypocritarũ mos.

Gen.49.

Pſal.54.

Universidad de Deusto
Biblioteca

aquæ salientis in vitam æternam hauriebant sermones, & putabant eum plura interrogando siccare. Circundabant ergo eum, quasi plurès canes garruli vnum leonem. De his enim dixerat per Prophetam: Quoniam circundederunt me canes multi. Et verè tanquam irrationabiles canum latratus, sic erat vox Sadducæorum. Videamus consilium inimici, quod per Sadducæos operabatur. Diabolus enim semper aduersarius Christi est, qui semper sibi thronum Domini vsurpabat, testante Propheta: Super stellas cœli ponam tribunal meum, & ero similis Altissimo. Ab initio mox vt creatus est homo, tentauit vnius Dei noticiam obscurare, & cultura multorum deorum inducere, dicens ad Euam: Et eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Sicut enim omne malum non à perfecto malo incipit, sed paulatim in primis: sic & istud tam audax malum, primùm leuiter & latenter inspirauit, id est, persuasit: non quidem vt colerent deos, sed interim fecit mentionem deorum, quos deberent colere. Adhuc enim non erat multitudo hominum pessimorum, in quibus seminaretur fallacia deorum multorum. Nam virtus diaboli est, quòd homines mali sunt. Nec enim potest aliquod malum seminare in mundo, nisi per ministros suos: quia in sanctis non inuenit locum. Crescente itaque numero hominum malorum, creuit & virtus erroris, & minuit notitiam Dei, vsque ad dies Abrahæ, quem Deus suscitauit, vt tam per eum, quàm per eius familiam, Dei notitia in mundo, tanquam lucerna luceret in tenebris. Videns itaque quia notitiam Dei omnino extinguere non potuit, aliam adinuentionem excogitauit erroris, vt etsi cognoscatur Deus virtutum, tamen nullus obediat præceptis ipsius. Nam dominus, cuius præcepto nullus obtemperat, cùm sit dominus, esse dominus non videtur: quia nomen habet tātummodo, non potestatem. Quid ergo? introduxit hæresim Sadducæorum, qui dicerent non esse resurrectionem mortuorum. Quæ res omnium propositum faciendæ iustitiæ frangit. Nam in omni re, aut actu, siue corporali, siue spirituali, agendi virtus spes est præmij futuri. Qui enim arat, arat vt metat. Qui pugnat, pugnat vt vincat. Nam cùm sit ita difficile in hoc mundo seruare iustitiæ sanctitatem, quis contentus esset, aduersus seipsum quotidie luctamina exercere, nisi ad spem aspiceret resurrectionis? Tolle ergo spem resurrectionis, & soluta est tota obseruantia pietatis. Nunquid Sadducæi credebant esse coniugia post mortem? Absit. Quomodo enim coniugia crederent fieri, quando ipsam resurrectionem negabant? Sed ad defensionem erroris sui putabāt se inuenisse acutissimam rationem, hoc modo apud se dicentes: Sicut non est possibile, vt ea mulier quæ fuit septem virorū, sit vnius vxor priuata, aut omnium communis: sic non est possibile, vt fiat resurrectio mortuorum. *Respondens autem Iesus, ait eis: Erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in cœlo.* Stulti qui sæculum illud huic sæculo simile existimabant. In hoc sæculo quia morimur, ideo morimur, quia nascimur: ideo vxores ducimus, vt quod moriendo minuitur, nascendo suppleatur. Tolle moriēdi necessitatem, & nascendi vtilitas superflua inuenitur: tolle nascendi vtilitatem, & nubendi causa soluta est. Nam iste mundus carnis est, ille autem animarum. Sicut anima in hoc mundo peregrina est, ita caro in illo extranea est. In isto mundo anima carni subiecta est, quantùm ad passiones humanas, in illo autem caro animæ. Vnaquæque res in sua patria fortior est, & dominatur. Si ergo anima sic potens claudi potest in hoc sæculo infirmo, & terreno corpori sic subdita est, vt nihil pene spiritualiter sapere, aut agere possit secundùm suam naturam: quantò magis cùm in illo sæculo caro infirma & vilis, dignitosæ animæ & potenti cœperit esse subiecta, nihil poterit carnale sapere, aut agere secundùm suam naturam? Nam hoc ipsum modicum, quod in hoc sæculo in corpore constituta anima spiritualiter sapit, nimia potestas animę hoc sibi vendicat extra ordinem, quia dominatio carnis est in hoc mundo. Quemadmodum dies peregrè profectus, si in hospitio applicuerit pauperis alicuius, quanuis non potest iubere in domo quod vult, quia hospes est, tamē magnam sibi fiduciam agendi aliquid vendicat, quia potens est: sic & anima peregrina in hoc regno carnis ingressa, quanuis non omnia spiritualiter agere potest secundùm se, quia extranea est in hoc mundo, tamen aliquid spirituale vendicat & in carne, quia nimium potens est. Et econtrariò: Sicut peregrinus pauper nihil in hospitio diuitis potest, primò quia peregrinus & hospes est, deinde quia mendicus & pauper est: sic & caro cùm in illud sæculum resuscitata migrauerit, nihil omnino sibi poterit carnale defendere: primùm, quia extranea est in illo sæculo spirituali: secūdò, quia infirma est carnis natura. Et hoc quidem diximus secundùm rationem mortalem. Alioquin in resurrectione mutanda est ipsa carnis natura, vt nihil carnis habeat in se, nisi fortè tantummodo formam, sicut scriptum est: Seminatur corpus animale, resurget autem corpus spirituale. *Respondens Iesus ait: Erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque vxores ducent, sed sunt sicut angeli Dei in cœlo.* Quare cùm de iciuniis, aut eleemosynis, cæterisque virtutibus spiritualibus locutus fuisset, nunquam angelorum similitudinem introduxit, nisi cùm de soluto viri & mulieris coitu loqueretur, dicens: Neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in cœlo. Quoniam sicut omnes actus carnales opera sunt animalium, præcipuè tamē actus libidinis opus est animalium: sic & omnes quidem virtutes spirituales, res sunt angelicæ, præcipuè tamen castitas res est angelica. Per hoc enim solùm singulariter homines angelis assimilantur, & vincitur natura virtutibus. Ideo dicit, Neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in cœlo. Sicut enim quando hoc agimus, quod animalia habent nobiscum commune, animalia esse nos profitemur: sic quando illud agimus, quod est extra naturam carnalem, naturam carnis egredimur, & angelis cœquamur. Sed quia primum quidem & naturale est animalium, vt non vnius masculi, vel vnius fœminæ lege contenta sint: proprium autem naturale est angelorum omnino separatos esse ab vsu libidinis. Qui verò vnius masculi, aut vnius fœminæ lege contentus est, mediam tenet conditionem, & est homo, id est, neque angelus, neque animal est. Angelus quidem non est, quia nec est separatus ab vsu libidinis: animal autem nō est, quia vnius lege contentus est. Qui autem omnino separatur ab vsu libidinis, supergreditur naturam humanam, quæ media est, & ad conditionem transit angelicā. Sed nunc videamus, qua ratione diximus, quod omnis quidem actus carnalis, opus est animalis, præcipuè tamen libido. Per omnem actum carnalem homo animalibus similis inuenitur, maximè autem per vsum libidinis, quoniam omnium quidem carnaliū sensuum opus non solùm ad malum proficit, sed etiam ad bonum. Est enim & secundùm Deum videre, & audire, & odorari, & gustare, & tangere. Quotiensçunque enim aspicimus multiformes species rerum, audimus varios sonos vocum, odoramus diuersas fragrationes odorū, gustamus innumerabiles suauitates gustuum, palpamus qualitates rerum innumeras, de operibus potentiæ & sapientiæ Dei diiudicamus, vt cognoscamus & colamus

Psal. 21.
Esa. 14.
Genes. 2.
Hic sup. Marc. 12. Luc. 20. Act. 23.
1. Cor. 15.

mus eiusdem creationis authorem. Ideo si tollimus à nobis vsum sensuum illorum propter malum quod fit ex illis, impeditur etiam bonum quod fieri solet per eos. Tantummodo sensus ille libidinis semper in malo est, & nunquam in bono. Propterea si repellamus à nobis libidinis vsum, nullum bonum impeditur ex illo: nec enim aliquod bonum est, quod generetur ex illo, nisi sola natiuitas carnis: quia & ipsa generatur ex malo. Ideo autem dissipata est, vt ex corruptione nascatur: quoniam & ipsa post modicum est corrumpenda. Sicut enim non est dignum, vt quod æternum est ex corruptione nascatur: sic non est dignum, vt quod ex corruptione nascitur sit æternum. Quia caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, neque corruptio incorruptelam possidebit. Item dicit Ioannes: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex carne, neque ex sanguine, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Item alia ratio. Quoniam secundùm istos sensus carnales, quos habet caro, habet econtrariò anima spiritualiter. Nam & videt anima spiritualiter, & audit, & odorat, & gustat, & tangit, sicut in multis exposuimus locis. Vnde & decachorda cithara dicitur homo. Solus autem libidinis sensus inter animam & carnem non est communis, sed solius carnis proprius & priuatus. Propterea per omnes actus carnales, qui sunt ex quinque sensibus carnalibus, homo animalibus similis inuenitur: maximè autem ex vsu libidinis, quia ad solam pertinet carnis naturam. *Nescitis Scripturas, neque virtutem Dei.* Sapienter primùm arguit stultitiam eorum, quia non legebant. Secundo ignorantiam, quia non cognoscebant Deum, quia ex diligentia lectionum nascitur scientia Dei. Ignorantia autem, negligentiæ filia est. Si enim nec omnes qui legunt cognoscunt Deum, quomodo cognoscet qui non legit? Quòd autem diximus, non omnes legentes cognoscere veritatem Dei, tunc est si nolentes inuenire, legant. Qui enim legens de Deo, vult inuenire Deum, festinet viuere Deo dignè, & ipsa cōuersatio eius bona fit, quasi lampadis lumen ante oculos cordis eius viam aperiēs veritatis: qui autem non festinat viuere dignè Deo, legens non Deum quærit ad salutem suam, sed scientiam Dei ad gloriam vanam. Ideo etsi semper legat, nunquam inuenit: Sicut nec philosophi inuenerunt, qui ipsam causam quærebant. Putas sacerdotes Sadducæorum non legebant scripturas? Sed cognoscere non poterant Deum in eis, quia nolebant viuere dignè Deo. Nec enim poterant sua verba docere, quos mala opera docebant. Talis est enim Scriptura nolenti viuere secundùm Deum, quemadmodum si aliquis agricolæ non habenti voluntatem pugnandi, exponat bellicam disciplinam: econtrariò autem viro bellatori nolenti colere terram, agriculturam exponat: si tota die audiat verba expositionis illius, nihil intelligere aut comprehendere potest, quia nec habet desiderium disciplinæ illius. Vbicunque enim fuerit desiderium hominis, illuc dirigitur & sensus ipsius. Ideo ad illud quidem quod dixit, Nescitis virtutem Dei: hoc retulit, dicēs: In resurrectione enim neque nubēt, neque nubētur. Ad illud autem quod dicit, Nescitis Scripturas: exemplum protulit, dicens: Ego sum Deus Abrahā, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Si enim Abrahā, & Isaac, & Iacob morientes periissent, nunquam diceretur Deus eorum esse, qui non erant. Diximus supra cùm de manu extēsa hominis arida tractaremus, quia calumniatoribus primū oportet in aliqua quæstione authoritatem Scripturæ proferre, deinde rationem exponere, nō prius rationē, postea authoritatem. Et causę huius ibi exposuimus rationem, quia & ibi sic fecit Christus. Hic autem interrogantibus Sadducæis, & per ignorantiam aliquid se scire æstimantibus, prius rationem exposuit, dicens: In resurrectione enim neque nubēt, neque vxores ducēt, sed erūt sicut angeli Dei in cœlo. Deinde protulit Scripturæ authoritatem dicentis: Ego sum Deus Abrahā, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Vt & nos calumniatoribus prius authoritatem Scripturæ proferamus, postea rationem reddamus. Interrogantibus autem quocunque proposito, prius rationem exponamus, postea authoritatem: vt ratione quidem eos placemus, authoritate confirmemus. Quoniam calumniatores conuincere oportet, interrogatores autem docere. Quoniam & calumniator, & si intelligit rationem, consentire rationi non acquiescit: fratribus autem, id est interrogātibus, solam exponere sufficit rationem quęstionis, quia discendi & non contradicendi propositum habēt: propter quod & audita ratione credunt. Item vide quomodo sit infirmior Iudæorum congressio contra Christum. Prima, cum terrore: vt est, In qua potestate facis hæc? Secunda, cum dolo, cùm dicunt, Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personas hominum. Non enim terrent, sed circunueniunt laudibus: quæ congressio, etsi non minus periculosa est priore, tamen minus terribilis est. Contra illam enim necessaria erat fortitudo animæ, & constantia cordis: cōtra istam autem acuta sapientia. In tertio verò loco neque cum terrore, neque cum dolo, sed ex præsumptione ignara. Satis enim fecerunt sibi Sadducæi, ita esse sicut putabant, & cum idoneo argumento existimauerunt se vincere Christum, resurrectionem annunciantem, quæ duabus præcedentibus facilior est. Hominem enim putantem se aliquid scire, cùm nesciat, facile est viro scienti circumuenire. *Contra tales enim necessaria est sola scientia Scripturarum. Hæc autem diximus, vt per seruos diaboli, actúsque eorum, habitudinem ipsius diaboli describamus: quoniam omnis operatio inimici talis est. In primis grauis & intolerabilis est impetus eius. Quòd si quis forti animo sustinuerit eum, in secundo inueniet eum infirmiorem, in tertio magis debilitatum. Et quantò plus repercussus fuerit, tantò magis frigescit & deficit. Vnde puto in persecutionibus Christianis, si in primis quando comprehēduntur non denegauerint territi, nullis poterunt postea vinci doloribus: quia diabolus non tantùm habet in se virtutis, quantùm terroris. *Pharisæi autem audientes, quod silentium imposuisset Sadducæis, conuenerunt in vnum.* Frequēter Iudæi diuersis interrogationibus Christum tentantes, sibi quidē acquisierūt interitū, nobis autē prouiderunt salutem. Nam verba Christi illis profecerunt ad confusionem, nobis autem ad ædificationem: quoniam responsis eius vincebātur, & non placabantur. Nam malitia frequenter quidem vincitur nunquam autem placatur. Pharisæi sunt omnes, qui contra veritatem contendunt: quia non veritatem defendere cupientes certant, sed subuertere festinantes. Qui enim pro veritate contendunt, & cognita veritate non † cōsentiunt veritati: manifestum est, quoniam prius nō pro veritate, sed contra veritatem † certabant. Audi ergo homo fidelis, qui contra hæreticū libēter contendis: si Pharisæi victi placati non sunt, & tu certando contra hæreticum potes eum placare, cùm viceris? Nunquid fortior Christo es, vt quos ille non placauit, tu placabis? Debuerūt quidem timere Sadducæorum exemplum, vt non similiter interrogantes confundantur, sed ardens malicia dum sauciare festinat, non aspicit exitum rei, vt tantūmodo alteri noceat, nec sibi penitus. Si neminem ante eos vicisset, forsitan iusta ratione sperassent posse eum vin-

Ibidem
Ioan. 1.
Intelligētia sacrarū litterarum non assidua acquiritur studio, sed Deo digna vita.
Exod. 3.
Conuincere.
al. deest non.
Prius non contra veritate, sed proveritate certabant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cere, à quo nullus est victus: nunc autem videntes, quoniam quotquot interrogare eum ausi sunt, omnes victi recesserunt: quid æstimandi sunt isti: nunquid fortiores quàm cæteri, qui victis omnibus vincere speraverunt? Sed impudentiores, quàm omnes, qui cõfusis omnibus ante se, similiter erubescere non timuerunt. *Conuenerunt in vnum, & interrogauit eum vnus ex eis legis doctor, tentans eum.* Conuenerunt in vnum, vt multitudine vincerent, quem ratione superare non poterãt: à veritate nudos se esse professi sunt, qui multitudine se armauerunt. Dicebant enim apud se: Vnus loquatur pro omnibus, & omnes loquamur per vnum, vt siquidẽ vicerit, omnes videamur victores: si autem victus fuerit, vel solus videatur confusus. O Pharisæi qui omnia propter homines cogitatis & facitis. Primùm quidem venientes cum vno, vincendi estis per vnum: tamẽ pone quia vno victo, homines non intelligunt omnes vos esse victos, nunquid conscientiæ vestræ consentiũt se esse cõfusas? Leuis enim est consolatio, vt qui in seipso confusus est, quod ab aliis ignoratur. *Magister, quod est mandatũ magnũ in lege?* Magistrum vocat, cuius non vult esse discipulus. Simplicissimus interrogator, & malignantissimus insidiator. De magno mandato interrogat, qui nec minimum obseruat. Ille enim debet interrogare de maiori iustitia, qui iam minorẽ compleuit. Dominus autem sic ei respondit, vt interrogationis eius fictã conscientiam statim primo responso percuteret, dicẽs: *Diliges dominũ Deum tuum ex toto corde tuo.* id est, non sicut tu, qui deuotionem ostendis in ore, & fraudem meditaris in corde. Magnum autẽ & minimum mandatum dicimus, quantùm ad dignitatem mãdatorum, non quantũ ad vtilitatem. Alioquin vtilitas omnium mãdatorum vna est, & omnia mandata quasi vnum videntur esse mandatum. quia ita sibi cohærent, vt alterum sine altero esse non possit: Vtputa, si interroget te aliquis in ædificatione domus, quæ pars est melior, dicis, fundamentum. Sed quẽadmodum ædificatio nõ potest esse, nisi fuerit fundamentum: ita nec fundamẽtum esse potest, nisi ædificatio fuerit subsecuta. Nec dicitur fundamentum, nisi sit ædificatio cuius fundamẽtum dicatur. Ergo fundamentum in ædificatione dignius est, non vtilius: sic & caput dignius est quàm membra: tamen nec membra sine capite, nec caput sine membris esse potest. Sic digniores sunt sacerdotes, quàm populus, nõ tamẽ vtiliores: quia nec populus sine sacerdotibus, nec sacerdotes sine populis esse possunt. Ita & dignius est hoc mandatũ, Diliges dominũ Deum tuum ex toto corde tuo: quàm illud, Non occides, non cõcupisces: tamẽ vtilitas vna est: nam qui diligit Deũ, ille nõ occidit, nec concupiscit: qui autem occidit, aut cõcupiscit, ille non diligit dominũ Deum suum. Esse autẽ minora mãdata Dominus manifestat, dicẽs: Si quis vnum ex minimis mãdatis istis soluerit, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Diliges, inquit: non dicit, timebis: quia diligere maius est quàm timere. Inchoatio enim culturæ Dei habet timorem, perfectio autem dilectionẽ, dicente Ioanne: Perfecta dilectio foras mittit timorẽ. Donec enim homo timet Deũ, non eum diligit: cùm autẽ diligere cœperit, iam non eum tantummodo timet, sed etiam amplius diligit. Timere enim seruorum est, diligere autem filiorũ: timor sub necessitate est, dilectio in libertate. Qui in timore seruit Deo, pœnam quidem euadit, mercedem autem iustitiæ non habet, quia inuitus facit bonum propter timorem. Non vult ergo Deus, vt timeatur ab hominibus, quasi dominus: sed vt diligatur quasi pater, qui adoptionis spiritum donauit hominibus. Nam si consideremus ab initio creati hominis causam, intelligimus quia Deus magis se patrem voluit esse hominũ, quàm dominum. Non enim dixit tãtummodo, faciamus hominem: sed, faciamus hominem secundum imaginem & similitudinem nostram. Similare autem filiis cõuenit ad patres suos, non etiam seruis ad dominos suos. Quid est diligere Deum ex toto corde? Id est, vt cor tuum non sit inclinatum ad vllius rei dilectionem amplius quàm ad Dei: nec delecteris in aliqua specie mundi amplius quã in Deo, non in honoribus, non in auro, vel in argento, non in possessionibus aut vineis, non in animalibus aut mancipiis, non in ornamentis aut vestibus, non in filiis aut parentibus, aut amicis, sed hæc omnia existimes tibi esse in Deo, vt præ his omnibus Deum ames. Si autem in aliquo horum amor cordis tui fuerit occupatus, iam ex toto corde non amas Deum: pro quanta enim parte cor tuum fuerit ad aliquam rem amandam inclinatum, pro tanta parte minus est ad Deum. Ecce si vir habeat vxorem, quomodo cognoscitur vxoris plena dilectio? Vxor neminem debet sapientiorem reputare, quàm virum suum: etsi sit alter sapientior, tamen illa sapientiorem esse alterum intelligere non debet. Vxor neminem fortiorem debet putare, quàm virum suum: etsi alter fortior sit, tamen illa intelligere non debet alterum fortiorem. Vxor neminem formosiorem debet putare, quàm virum suum: etsi sit alter formosior, tamen coram oculis eius alter formosior non debet apparere. Perfectum enim odium, & perfectus amor iudicium rerum non cognoscit: vtputa, si perfectè odias aliquem, qualiacunque fuerint apud illum, omnia tibi displicẽt, siue quæ dicit, siue quæ agit: etsi verè bona sunt, tamen tibi mala videtur. Sic & si perfectè aliquem amas, quæcunque sunt apud eum placent tibi, siue quæ loquitur, siue quæ agit: etsi mala sunt, tamen tibi bona videntur. Ergo & vxor si vidẽs aliquem, dixerit, quàm sapiens vir, vtinam vir meus talis esset, iam amor eius minus habet de perfecto amore: & pro quanta parte amplius aliquid laudauerit in altero viro, quàm in suo, tantò, dilectio eius minor est ad virum suum. Sic ergo & omnis anima Christiana, quæ sponsa est Christi, ita diligere debet Deum, vt nihil lit in mundo, quod amplius amet quàm eum, aut intantum. Pro quanta autem parte plus aliquid amauerit, pro tanta parte minus amat Deum. Quid est in tota anima diligere Deum? Id est certissimum animum habere in veritate, & firmum esse in fide. Alius est enim amor cordis, & alius est amor animæ. Amor cordis quodammodo carnalis est, vt etiam carnaliter Deum amemus: quòd facere non possumus, nisi recesserimus ab amore mundialium rerum. Sicut enim casta mulier quæ virum suum amat, nullum amat alium: si autem alterum amauerit, iam non amat virum suum: ita & homo, si Deum amat, mundum non amat: si autem mundum amauerit, iam Deum ex toto còrde non amat. Ergo cordis amor non intelligitur, sed sentitur in corde, quia quodammodo carnalis est. Amor autem animæ non sentitur in corde, sed intelligitur, quia amor animæ iudicium eius est. Puta si didicisti vnum Deum ex quo omnia, & vnum Deum per quem omnia: si iterum intellectus tuus per alicuius doctrinæ seductionem percussus, cœperit dubitare de substantia Dei, in tota anima nõ diligis Deum. Item qui putat incantationes aliquid posse, aut auguria aliquid intelligere, aut diuinationes aliquid nunciare, non ille in tota anima diligit Deum. Quis autẽ diligit Deũ? qui omne bonum credit apud Deum, & omne bonum credit esse Deum, & extra Deum non credit esse bonum: Qui omnem virtutem & sapiẽtiam credit esse Deum, & extra Deum nõ credit esse aliquam sapientiã neque virtutẽ.

Diligere Deum ex toto corde, quid.

Ex tota anima diligere Deũ, quid.

Sup. 5.

1. Ioan. 4.

Qui

Qui credit Deum omnia facere, & sine Deo nihil fieri posse, ille tota anima diligit Deum. Quid est, in tota mente diligere Deum? Id est, vt omnes sensus tui qui pertinent ad te, Deo vacent, cuius intellectus Deo ministrat, & cuius sapientia circa Deum est, cuius cogitatio ea quæ sunt Dei tractat, cuius memoria quæ sunt bona recordatur: tota mente diligit Deum, sicut ait Apostolus: Psallam spiritu, psallam & mẽte. Cuius autem intellectus quæ sunt Dei non intelligit, aut non secundùm Deum sapit, aut scientia illius vana est & sęcularis, singularis autem recordatio eius non est bona, aut cogitatio displicẽs Deo: ille non tota mẽte diligit Deum. *Hoc est primum & maximum mandatum: secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Videtur Christus non ad interrogationem respondere. Ille enim interrogauit, quod est magnum mandatum? puta dixit, diliges Dominum. Si voluit & alterum mandatum inducere, debuit minimum dicere, non secundum. Nam contra magnum minimum est, non secũdum. Secundum autem ad primum respicit. Sed vide quid voluit ostendere. Diliges Dominum, & magnum est: diliges autem & proximum, magnum quidem est, primum autem non est: & ideo dixit, Simile est. Considera ergo mysterium. Quis est proximus noster? Christus, qui suscipiens carnem nostram, factus est proximus nobis, sicut in parabola illa Christus ostendit, cum interrogat Pharisæus: Et quis est meus proximus? Introducit hominem vulneratum à latronibus, & à sacerdotibus despectũ, à Samaritanis autẽ receptum, qui est ipse Christus. Ergo primum mandatum est magnum, Deum patrem diligere: secundum autem & simile est, Dei filium diligere, id est cognoscere: ergo filius Dei magnus est, sicut Pater. Quicquid enim Pater potest, & Filius potest. Pater enim diligit Filium, & omnia dedit in manu eius. Sed quia omnia Filius dante Patre potest sicut Pater, ideo Pater magnus Deus & primus. Filius autẽ magnus Deus quidem, non tamen primus, sicut ait Apostolus: Expectantes aduentum magni Dei & saluatoris nostri Iesu Christi. Vt autem simpliciter intelligamus proximum nostrum omnem hominem esse fidelem, qui hominem amat fidelem, simile est sicut qui amat Deum, quia imago Dei est homo. Sicut in imagine sua rex honoratur vel contemnitur, sic & Deus in homine vel diligitur vel oditur. Non potest hominem odire, qui Deum amat: nec potest Deum amare, qui hominem odit, sicut ait Ioannes apostolus: Qui dicit se Deum diligere, fratrem autem non diligit, mentitur. Si enim fratrem quem vides non diligis, Deum quem non vides, quomodo potes diligere? Quis enim honorat regem, & contemnit imaginem eius? Aut quis honorat imaginem, & authorẽ contemnit imaginis? aut ita: quoniam Pharisæi quidem sciebant quod esset magnum mandatum in lege, sed tentantes interrogabant: volens eis ostẽdere, quia non sufficiebãt eis solius Dei patris agnitio ad salutem, ideò non solùm dixit, Diliges dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua: sed addidit, diliges proximum tuum sicut teipsum, qui erat ipse. Alioqui si ad solam interrogationem eorum respondisset, sufficeret dicere, diliges dominum Deum: & nõ addere, & proximum tuum sicut teipsum: secundum quod & alibi dicitur: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Et vide quia non dixit, Cognosces dominum Deum tuum, sed diliges: quoniam cognoscere vnum Deum, penè proprium est humanæ naturæ: diligere autem Deum, religiosi cordis, & recti. Et quicunque dilexerit Deum ex toto corde, non est possibile vt non perueniat ad filij eius agnitionem, id est proximi.

Deum diligere ex tota mẽte, quid sit.

1. Cor. 14.

2. Tit. 2.

1. Ioan. 4.

Proximus noster, quis.

Luc. 10.

Ioan. 17.

Chrysost. tom. 2.

A Ipsa enim dilectio Dei, quæ in eo habetur, illuminans eum, præstat ei ducatum, vt post Patrem cognoscat & Filium. *In his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ.* Qui proximum suum diligit, nec falsum testimonium dicit de eo quem diligit, nec occidit, nec mentitur illi quem diligit, nec concupiscit rem illius quem diligit, nec mulierem eius inuadit. Sicut odium omne malum suggerit, sic dilectio omne bonum. Vnde ait Apostolus: Est fides quæ per charitatẽ operatur. Aut ita: Quoniam de Patre & Filio omnis prophetarum & legis prędicatio existebat, per quos prophetas agnoscens quis proximum suum, hoc est filium Dei, ad primũ vel maximum mandatum perueniebat, vt diligeret dominum Deum, melius cognoscens eum per ipsum. *Congregatis autem Pharisæis interrogauit eos Iesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Respondernnt, Dauid. Et dixit eis. Quomodo ergo Dauid in spiritu Dominum eum vocat, si filius eius est?* Iudæi æstimantes hominem Christum tentabant: nec enim tentassent eum, si eum filium Dei credidissent. Volens ergo eis Christus ostendere, quia cognoscebat fallaciam cordis eorum, & quia non erat homo qui tentabatur, sed Deus quem nemo poterat tentare. Nec dicere poterat manifestè veritatem de se, nec tacere. Dicere enim non poterat, ne maiorem occasionem blasphemiæ inuenientes Iudæi, insanirent amplius. Tacere autem non poterat veritatem, qui ad hoc venerat vt veritatem annunciaret. Ideo talem interrogationem eis proposuit, vt eo tacente, ipsa eius interrogatio ostẽderet eis, quia non erat homo, sed Deus, dicens: Et quomodo Dauid eum in spiritu Dominum vocat? Nunquid poterat dominus eius esse, qui ex eo fuerat nasciturus? Puto hanc interrogationem non solùm contra Pharisæos, sed etiam contra hæreticos posuit. Nam secundum carnem filius erat Dauid, Dominus autem secundùm diuinitatem. Si ergo secundum carnem dixerunt Christum, dominum Dauid, aut secundùm carnem iussus est sedere ad Patris dexteram, sicut hæretici putant, æqualitatis mendacium componere festinantes: nunquid Christus Dauid se filium denegasset, nisi quia post Dauid futurus esset? Nam filius potest nobis esse, qui post nos futurus est. Dominus autem non potest esse, nisi qui aut nobiscum est, aut ante nos est. Christus ergo secundùm carnem post Dauid est, secundùm diuinitatem autem ante Dauid. Ergo illum significabat dominum suum, illum significabat iubendum sedere, qui iam tunc erat vnigenitus Dei. *Et nemo poterat respondere ei verbum, neque ausus est quisquam ex illa hora eum amplius interrogare.* Confusio multorum, facta fuerat disciplina cunctorum. Nam si credimus, quia omnia ibi secundum Dei prouidentiam agebantur & dicebantur, intelligimus quoniam non illis desinentibus interrogare, Christus desiit docere: sed quia Christus desierat eos iam vlterius velle docere, ideo & illi desierunt ausi esse interrogare. Nam qui mari terminum posuit, ipse audaciæ diaboli aduersus se agentis, quando voluit, tunc finem posuit.

Galat. 5.

B

C

D

HOMILIA XLIII. EX CAP. XXIII.

MVNC *Iesus locutus est ad turbas, & ad discipulos suos dicens: Super cathedram Mosi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundum opera verò eorum nolite facere. Dicũt enim, & non faciunt: alligant autem onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolũt ea mouere. Omnia verò opera sua faciũt, vt videãtur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua, & magnificãt fimbrias: amant autẽ primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, &*

Universidad de Deusto
Biblioteca

salutationes in foro, & vocari ab hominibus rabbi. Vos autem A *nolite vocari rabbi. Vnus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram, vnus enim est pater vester qui in cœlis est. Nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus. Qui maior est vestrum, erit minister vester. Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur.* Postquam Dominus impios sacerdotes super se irruentes, quasi feroces bestias, quodam venabulo acutissimæ responsionis prostrauit, & incorrigibilem conditionem eorum ostendit. Nam laici delinquentes facilè emendantur, clerici autem si mali fuerint, inemendabiles sunt. Tunc conuertit sermonem suum ad Apostolos, & ad populum, dicens: *Super cathedram Moſi sederunt Scribæ & Pharisæi.* Vt illorum confusio, istorum fieret disciplina. Infructuosum namque est verbum, in quo sic alter confunditur, vt alter non erudiatur. Nam

Castigat Deus in terra malos, vt excitentur boni.

& Deus nō propter malos castigationem super terram transmittit, sed propter bonos. Scit enim, quia malos B flagella non corrigunt. Sed malos castigat, vt corrigat bonos: quia bonus nisi admonitus fuerit, per negligentiam euanescit. Sic & Christus, nunquid non potuit eorum interrogationes contemnere? Sed voluit indignos indignè docere, & dignos dignè ædificare. Sicut in secularibus in eo quod alter pauperescit, alter ditatur: & nisi alter descenderet, alter non ascenderet: sic & in spiritualibus, in eo quod alter confunditur, alter emendatur. Quid ergo dicit de sacerdotibus? Super cathedram Moysi sederunt Scribę & Pharisæi, id est multi sacerdotes, & pauci sacerdotes. Multi nomine, pauci opere: Videte ergo, quomodo sedeatis super eam: quia cathedra non facit sacerdotem, sed sacerdos cathedrā: non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Non omnis sacerdos sanctus est, sed omnis sanctus sacerdos. Qui benè sederit super cathedram, honorem accipiet ab illa: qui malè sederit, iniuriam facit cathedræ. Ideóque malus sacerdos, de sacerdotio suo crimen acquirit, C non dignitatem. In iudicio enim sedens, siquidem benè vixeris, & benè docueris, omnium iudex es: si autem benè docueris, & malè vixeris, tui solius condemnator es. Nam benè viuendo, & benè docendo, populum instruis quomodo debeat viuere: benè autem docendo, & malè viuendo, Deum instruis quomodo te debeat condemnare. Ad populum autem quid? *Omnia quæcūque dixerint vobis, seruate, & facite: secundùm verò facta eorum nolite facere.* Id est, vos qui sedetis in Ecclesia, quasi iudices sacerdotum, & non auditores: aliena discutientes, & propria non considerantes, ex vobisipsis iudicate de sacerdotibus. Sicut vos omnes auditis, & non omnes facitis quod auditis: sic & sacerdotes omnes docēt, sed non omnes faciunt quod docent. Nam in hominibus dignitas quidem diuersa est, omnium autem natura vna est. Homines enim ab initio creati sunt propter se, postea autem ordinati sunt propter vos. † Propterea

nos.

ergo natura eorum, ipsorum est: ordinatio autem eorū, D

nostra.

vestra. † Si bene vixerint, eorum est lucrum: si bene do-

nostrum.

cuerint, vestrū. † Accipite ergo quod vestrum est, & nolite discutere quod alienum est. Sicut enim sacerdotes etiam infideles docent propter fideles, melius iudicantes propter bonos etiam malos fouere, quàm propter malos etiam bonos negligere: sic ergo & vos propter bonos sacerdotes etiā malos honorate, ne propter malos etiā bonos contēnatis. Melius est enim malis iusta præstare, quàm bonis iusta subtrahere. Frequēter enim & de homine malo bona doctrina procedit. Ecce enim & vilis terra precioſum aurum producit. Nūquid propter terrā vilē, precioſum aurū contemnitur? Non: sed sicut aurum eligitur & terra relinquitur, sic & vos doctrinam accipite, & mores relinquite. Nā vt apibus herbæ necessariæ nō sunt, sed flores herbarum: flores enim illæ colligunt, herbas verò relinquunt: Sic & vos flores doctrinæ colligite, & conuersationem relinquite, vt quasi inutilis herba arescat. Fidem prædicant, & infideliter agunt. Pacem aliis dant, & sibi non habent. Veritatem laudant, & mendacia diligunt. Auaritiam castigant, & auaritiam exercent. Quia ergo scire bonum & malum, in natura positum est, facere autem in voluntate: ideo benedicere, omnium est: bene autem facere, paucorum. Legi aliquem sic interpretantem hunc locum: Quoniam, inquit, super cathedram Mosi id est, in honore & gradu, in quo fuerat Moses, paulatim ad peius redacti, constituti sunt cōtra meritum suum Scribæ & Pharisæi indigni, qui legem prophetantem de Christo venturo prædicabant quidem aliis, ipsi autem non recipiebant præsentem: propter hoc hortabatur populum audire Legem, quam prædicabant, & facere, id est credere in Christum prædicatum à Lege, & non imitari Scribas & Pharisæos incredulos, prædicantes, in Lege de Christo, & non credentes in eum. Et reddit causam, vt quid prædicabant quidem in Lege Christum venturum, & non credebant in eum: quia omnia opera sua faciebant, vt ab hominibus viderentur. Id est, quia non verè prædicabant Christum venturum, desiderantes ipsius Christi aduentum, quem prædicabant: sed propter hoc solùm, vt prædicatores & traditores esse Legis ab hominibus viderentur. Simile propositū habent omnes, qui iustitiā Dei docent, & non faciunt: quia non docent verè ipsam iustitiam Dei, nō amantes quam docent: sed propter hoc solùm vt doctores esse iustitiæ Dei ab hominibus videantur. Nunquam audistis aliquem de consummatione Mundi, & de futuro Christi iudicio eleganter tradentem Scripturas? Et si consideres vitam eius, intelliges quia sicut latro non desiderat aspicere faciem iudicis terreni, sic nec ille desiderat ad Christi venire iudicium. *Alligant autem onera grauia & importabilia, & imponunt super humeros hominum ipsi autem digito suo nolunt ea mouere.* Quantùm ad Pharisæos quidem & Scribas, de quibus loquitur, onera grauia & importabilia, dicit Legis mandata, maximè quæ dederat eis Deus propter peccatū vituli adorati, quæ Scribæ & Pharisæi docebant, suadentes populo secundū mandata viuere Legis, & non venire ad facilem & delectabilem gratiam Christi. De quibus onerosis mandatis & Dominus suprà dicebat, exhortans populum Iudæorum: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego vobis requiem dabo. Et Petrus in Actibus Apostolorū dicit: Et vos quid tentatis Deum, & vultis imponere iugum super ceruices discipulorū, quod neq; nos, neque patres nostri portare potuimus? sed per gratiam Christi credimus salui fieri. Erant enim quidā qui onera Legis quibusdam rationibus fabulosis cōmendantes auditoribus suis, quasi vincula super humeros cordis eorū alligabant: vt quasi rationis vinculo constricti, nō reiicerēt ea à se: ipsi autem nec ex modica parte ea implebant: id est, non dicam plena opere suo, sed nec modico tactu, hoc est digito. Secundum consequentiam autem, tales sunt etiam nūc sacerdotes, qui omnem iustitiam populo mandant, & ipsi nec modicè seruant, videlicet non vt facientes sint iusti, sed vt docentes appareant iusti. Tales sunt & qui graue pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt, qui dicunt & non faciunt: & sic dum pœna pœnitentiæ præsentis fugitur, contemnitur pœna peccati futuri. Si enim fascem super humeros adolescentis, quam nō potest baiulare, posueris: necesse habet vt aut fascem reiiciat, aut sub pondere confringatur: Sic & homini, cui

Sup. 11.

Act. 15.

graue

graue pondus pœnitentiæ ponis: necesse est, vt aut pœ- A nitentiam tuam reiiciat: aut suscipiens, dum sufferre non potest scandalizatus amplius peccet. Deinde & si erramus, modicam pœnitentiam imponentes: nónne melius est propter misericordiam rationem dare, quàm propter crudelitatem? Vbi enim paterfamiliās largus est, dispensator nō debet esse tenax. Si Deus benignus est, vt quid sacerdos eius austerus? Vis apparere sanctus? circa tuam vitam esto austerus, circa alienam autem benignus. Audiant te homines parua mandantem, & grandia videant facientem. Talis est autem sacerdos, qui sibi indulget, & ab aliis grauia exigit: quemadmodum malus descriptor tributi in ciuitate, qui se releuat, & onerat impotentes. *Omnia autem opera sua faciunt, vt ab hominibus videantur.* Postquam suprà sacerdotum, & Pharisæorum, & Saducæorum contentionibus vexatus est: in suis autem responsionibus non auditus, conuertens se sicut audiuimus, docuit tales doctores audiendos esse non imitandos. Nunc autem vult ostendere B causam, propter quam nō poterāt credere Christo: hoc est, quia omnia faciebant, vt ab hominibus videantur. Impossibile est enim, vt credāt Christo cœlestia prædicanti, qui gloriam hominum concupiscunt terrenam, sicut alibi ipse dicit: Quomodo potestis credere, gloriā

Ioan. 15.

quærentes ab inuicem, & gloriam quæ à solo deo est nō quæritis? In omni re, ex ipsa re nascitur quod exterminet rem: vtputa in ligno, ex ipso ligno nascitur vermis, qui exterminat lignum. Ex vestimento nascitur tinea, quæ comedit vestimentum. Ex oleribus nascitur vermis, qui olera vniuersa corrūpit: Sic & in spiritualibus, ex ipso proposito eorum spirituali accipit occasionem inimicus, vnde eis retia texit: quia à seipso nihil agere potest, nisi occasionem à nobis acceperit. Ideo vnumquenque hominē aggreditur secundū conditionem & statum, quem inuenerit circa eum: Vtputa inter bellatores nascitur de virtute contentio: in dignitosis, de ambitione honoris surgit inuidia: inter diuites, de C acquisitione fit zelus. Quid dicam? inter ipsos thymelicos, qui exercent vana ludibria, de ipsis ludibriis sibi inuicē aduersantur, vt qui peius deridetur, melior existimetur. Ideo & sacerdotes qui positi sunt ad ornamentū populi, & ad ædificationem sanctitatis, ex ipso ministerio eorum accipit colorem diabolus, & corrumpit bonum ministeriū eorum, vt hoc ipsum bonum, dum propter homines fit, fiat malum. Tolle ergo hoc vitium de clero, ne velint hominibus placere, & sine labore omnia vitia resecantur. Ex hoc vitio nascitur, vt ne velint inter se meliorem habere, sicut Iudæi Christum. Non enim nescientes eum Dei filium esse occiderūt, sed habere eum talem non sustinentes, sicut & prophetat de

Sap. 2.

illis Salomon. Venite circūueniamus iustum, quia inutilis est nobis, & improperat nobis peccata Legis. Ex hoc vitio nascitur, vt clerici peccantes, difficilè pœnitentiam agant. Erubescit enim aliquando reus videri, qui semper fuerat iudex. *Dilatant enim phylacteria sua,* D *& magnificant fimbriam vestimentorum suorū.* Puto quod illorum tunc scribarum & Pharisæorum exemplo, & nunc multi aliqua nomina Hebraica angelorum confingunt, & scribunt, & alligant sibi, quæ non intelligētibus linguam Hebraicam quasi metuenda videntur. Sic ergo & isti vani sunt, sicut illi fuerunt: quoniam persona illorum de Mundo recesserunt, non mores. De hominibus itaque nostri temporis exponentes, de illis videmur exponere. Ergo sacerdotes ex eo quod ab hominibus volunt videri iusti: phylacteria alligant circa collum, quidam verò partem aliquam Euangelij scriptam. Dic sacerdos insipiēs, nónne quotidie Euangelium in Ecclesia legitur, & auditur ab homini-

Euāgelij virtus vbi.

bus? Cui ergo in auribus posita euangelia nihil prosunt, quomodo eum poterunt circa collum suspensa saluare? Deinde vbi est virtus euangelij, in figuris litterarum, an in intellectu sensuum? Si in figuris, bene circa collum suspendis: si in intellectu, ergo melius in corde posita prosunt, quàm circa collum suspensa. Alij autem qui sanctiores se ostendere volunt hominibus, partem fimbriæ aut capillorum suorum alligant, & suspendunt. O impietas, maiorem sanctitatem in suis vestimentis volunt ostendere, quam in corpore Christi: vt qui corpus eius manducans sanatus non fuerit, fimbriæ eius sanctitate saluetur, vt desperans de misericordia Dei, confidat in veste hominis. Et quid Paulus? non dabat suda- Act. 19.
ria sua, & semicinctia sua, vt saluarentur infirmi? Etiam antequam Dei noticia in hominibus esset, ratio erat vt per sanctitatem hominum, Dei potentia cognosceretur: nunc autem insania est. Nam postquam Dei potentiam cognouerimus, quid necessarium est, vt homi- B num potentiam cognoscamus? Nam qui necessarium non habet, vt Deum ostendat per suam sanctitatem, & hoc facit: sine dubio se festinat ostendere, non Deum. Alius autem sic interpretatur hunc locum: Quia per obseruationes, inquit, quorundam dierum dilatant verba sua, quasi phylacteria: & ostendunt populo ea assiduè prædicantes, quasi conseruatoria Legis & salutis eorum: quales erant de quibus Christus dicebat: Matt. 15.
Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominū. Fimbrias autem vestimentorum magnificatas, dicit supereminentias eorundem mandatorum magnificatas. Quando enim per minimas illas, & superfluas obseruationes iustitiarum suarum laudant eximias, & valde Deo placētes, fimbrias vestimentorū suorum magnificant. *Amant enim primos recubitus in cōuiuiis.* Hæc si spiritualiter intelligantur, ædificant: si verò corporaliter, non solùm non ædificant, sed adhuc magis destruunt. Quomodo? Pone aliquem esse cor- C de iactantem, audientem laudabile esse in vltimo loco discumbere, discumbit post omnes: & non solùm tunc iactantiam cordis non dimittit, sed adhuc aliam iactātiam humilitatis acquirit: vt qui vult videri iustus, etiā humilis videatur ab aliis. Quanti enim sunt superbi, qui corpore quidem in nouissimo recumbunt, cordis autem elatione videntur sibi in cornu recumbere? Et quanti sunt humiles in cornu recumbentes, & conscientia se existimant in vltimo esse? Quid ergo? Deus spiritus est, non ad carnem loquitur, sed ad spiritum. Caro enim spiritualia non intelligit, dicente Apostolo: Ioan. 4.
Si quis spiritualis est inter vos, cognoscat quæ scribo 1. Cor. 14.
vobis, quia Domini sunt mandata. Si ergo spiritus ad spiritum dicit, spiritualiter non carnaliter dicit. Non enim tantum curat Deus, vbi corpus hominis iaceat, sed in qua parte mens conscientiæ sit collocata. Ergo quod iubet nobis in vltimo loco Dominus recumbere: non solùm sic iubet, vt corpore in nouissimo iaceamus, sed etiam animo, vt nouissimos nos esse omnium D iudicemus. Nam sine causa loco se humiliat, qui corde se præfert. Vnde non vituperat eos qui in primo loco recumbunt: sed eos qui amant primos discubitus: ad voluntatem vituperationem referens, non ad factum. *Et salutationes in foro.* Primas salutationes non solùm in tempore, sed etiam in voce: non solùm in voce, sed etiam in corpore: non solùm in corpore, sed etiam in loco: id est, non solùm exigunt, vt prius illos salutemus, sed etiam cum voce clamantes, Aue rabbi: non solùm hoc, sed etiam vt flexis capitibus, ac nudatis, & in publico ad genua eorum nos incuruemus. *Et vocari ab hominibus rabbi.* Id est, vocari volunt, non esse: nomen appetunt, & officium

Universidad de Deusto
Biblioteca

negligunt. Quomodo enim potest esse magister, qui discipulum non habet? Da ergo operam, & inuenies fructum: acquire discipulum, & esto magister. *Vos autem nolite vocari rabbi.* Ne quod Deo debetur, vobis sumatis. Nolite & alios vocare rabbi, ne diuinum honorem hominibus deferatis. Vnus est enim magister omnium, qui omnes homines naturaliter docet. Si enim homo hominem erudiret, omnes homines discerent, qui habent doctores: nunc autem quia homo non docet, sed Deus, multi quidem docentur, pauci autem discunt. Homo enim non intellectum homini præstat docendo, sed à Deo præstitum per admonitionem exercet. Doctrina enim cotis habet officium. Sicut enim cos non facit ferrum, sed acuit: & sicut sine causa ferrum acutum acuitur, ita sine causa homo sensatus docetur. Maximè vos qui spirituales estis, quomodo vocatis vobis terrenum magistrum? Nûquid carnalis doctrina disciplinam generat spiritualem? Scriptum est enim:
Psal. 93. Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. *Et patrẽ nolite vocare vobis super terram,* quia non estis filij terreni. Ex quo enim cœlestem te esse professus es, ex quo patrem tibi vocasti de cœlo, dicens: Pater noster qui es in cœlis, ac ex quo te cœlestem esse professus es, patrem vocando Deum: turpe est, vt iterum te profitearis terrenum, patrem tibi vocando super terram. Ecce enim in arbore, quanuis plurimos ramos producat, tamen omnium ramorum vna dicitur radix: sic & in mũdo, quanuis homo hominem generet, tamen vnus est pater qui omnes creauit. Nam & nos filij fratres sumus patrum nostrorum, quia non ab ipsis nati sumus, sed per ipsos: id est, non initium vitæ ex eis habemus, sed transitum vitæ per eos accepimus. *Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur.* In conuiuio enim hoc nuptiali, id est in hac Dei vocatione primos discubitus sibi defendebant Iudæi: humiliati autem facti sunt post gentes nouissimi, & gentes quę contra meritum suum se vocatas intelligebant, factæ sunt ante Iudæos, qui illis quidem erant in tempore primi: quia non prima vocatio est consideranda, sed dignitosior. Illi enim ad prandium mediocre inuitati sunt, isti autem ad cœnam magnam. Illorum inuitatores prophetæ fuerunt, istorum autem ipse filius, qui erat causa conuiuij. Illorum delectio apud deum ex patribus erat, istorum autem ex fide
Luc. 14. ipsorum. Ideo alibi tangens Iudæos dicebat: Tu autem cùm vocatus fueris ad nuptias (id est, ad nuptias Christi) noli recumbere in loco priori.

HOMILIA XLIIII. EX CAP. XXIII.

Væ vobis autem Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui deuoratis domos viduarum, &c. Sexus mulierum incautus & mollis est. Incautus quidem, quia non omnia quæ videt aut audit, cum sapientia & ratione considerat: mollis autem, quia facilè flectitur, vel de malo ad bonum, vel de bono ad malum. Virilis autem sexus cautior est & durior. Cautior quidem, quia omnia quæ videt discutit ratione: durior autem, quia nec de malo facilè inclinatur ad bonum, nec de bono facilè reuocatur ad malum: nam sequitur rationem. Ideo autem durior, quia rationabilior. Hæc autem præmisimus, vt ostendamus mulieres incautas & faciles. Propterea impostores sanctitatis circa mulieres facilè se constringunt, quia nec intelligere impostoras eorum facilè possunt mulieres, cùm sint incautæ: & ad dilectionem eorum religionis gratia facilè inclinãtur, cum sint molles corde. Maximè tamen permanent cum viduis mulieribus, propter duas causas. Primùm, quia virita mulier nec facilè decipitur, habens consiliatorem virum: deinde nec facilè de facultatibus suis aliquid eis dat, cùm sit in potestate viri: viduæ autem facilè decipiuntur, non habentes consiliatorem virum, & facilè de rebus suis talibus præstant, cùm sint nullius potestati subiectæ. Propterea ergo dum Iudaicos sacerdotes confundit, Christianos monet, vt non cum viduis mulieribus amplius permaneant, quàm cum cæteris: quia etsi voluntas permanendi mala non fuerit, tamen suspitio est mala. *Væ vobis, qui deuoratis domos viduarum, oratione longa orantes.* Qui auaritiam vestram religionis colore depingitis, & quasi diabolo Christi arma præstatis, vt ametur iniquitas dum pietas æstimatur, qui longis orationibus quasi magnis retibus viduarum facultates piscatis. Ob id dupliciter rei. Primùm quidem pro eo quod estis iniqui: alterum, pro eo quod figmentum assumitis sanctitatis. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines.* Vult enim Dominus ostendere sacerdotes Iudæorum omnia auaritiæ causa facere, qui per Scripturas quidem Christi cognoscebant aduentum. Considerabant autem, quoniam & si Christus creditus fuisset, consuetudo sacrificiorum offerendorum fuerat extinguenda, & sacrificium iustitiæ valiturum: sicut de vtrisque propheta testatur, dicens: Afferte domino gloriam & honorem. Psal. 28.
Tollite hostias, & introite in atria eius. Ideo peruersa interpretatione ante conspectum populi claudebant ianuam legis & prophetarum, qui de aduentu Christi manifestissimè prædixerunt, vt à fide Christi homines separarent, timentes ne fortè credito Christo, ipsi sacrificiorum oblationibus fraudarentur. Magis enim cupiebant, vt lege manente, in vsu essent sacrificia, quibus ipsi ditabantur, non Deus: quàm lege cessante, sacrificium iustitiæ veniret in vsum quo Deus delectatur, & homines iustificabantur. Regnum enim cœlo- Regnum cœlorum dicuntur Scripturæ.
rum dicuntur Scripturæ, quia in illis infertum est regnum cœlorum. Ianua eorum, intellectus earum. Vel regnum est beatitudo cœlestis, ianua autem eius est Scriptura, per quem introitur ad eam. Clauicularij autem sunt sacerdotes, quibus creditum est verbum docendi, & interpretãdi Scripturas. Clauis autem est verbum scientiæ Scripturarum, per quam aperitur hominibus ianua veritatis. Adapertio autem est interpretatio vera. Videte quia non dixit, Væ vobis, qui non aperitis regnum cœlorum: sed, qui clauditis. Ergo non sunt Scripturæ clausæ, sed obscuræ quidem, vt cum labore inueniantur: non autem clausæ, vt nullo modo inueniantur. Propterea dicit Petrus in epistola sua, de 2. Pet. 1.
Scripturarum obscuritate: quia non sicut voluit homo, locutus est spiritus: sed sicut voluit spiritus, ita locutus est homo. Ratio autem obscuritatis multiplex est, tamen satisfactionis causas dicimus duas. Primùm, quia Deus alios voluit esse doctores, alios discipulos. Si au- Scripturæ sacræ quare obscuræ.
tem omnes omnia scirent, doctor necessarius non erat, & ideo esset rerum ordo cofusus. Nam ad eos quidem quos voluit esse doctores, sic Deus dicit per Esaiam Esa. 40.
prophetam: Loquimini sacerdotes in cordibus populi. Ad eos autem quos voluit discendo cognoscere mysteria veritatis, sic dicit in Cantico: Interroga patrem Deut. 32.
tuum, & dicet tibi: presbyteros tuos, & annunciabunt tibi. Et sicut sacerdotes, nisi omnem veritatem manifestauerint in populo, dabunt rationem in die iudicij, sicut dicit Dominus ad Ezechielem: Ecce speculato- Exec. 3.
rem te posui domui Israël, si non dixeris impio, vt à viis suis prauis discedat, ipse quidem in suis peccatis morietur, animam autem eius de manu tua requiram. Sic & populus à sacerdotibus nisi didicerit & cognouerit veritatem, dabit rationem in die iudicij. Sic enim dicit

Prou. 1. dicit sapientia ad populum, Et extendebam sermones meos, & non audiebatis, ideo & ego in vestra perditione ridebo. Sicut enim paterfamiliãs cellarium, aut vestiariũ suum non habet expositum cũctis, sed alios quidem habet in domo qui dant, alios autem qui accipiũt: sic & in domo dei alij sunt qui docent, alij qui discunt. Deinde obscurata est notitia veritatis, ne nó tam vtilis inueniatur, quàm cõtemptibilis. Contemptibilis enim est, si ab illis intelligatur, à quibus nec amatur, nec custoditur. Non ergo absconditа est in Scripturis veritas, sed obscura: non vt non inueniant eam qui quærunt eam, sed vt non inueniant eam, qui quærere eam nolũt: vt ad illorum quidem gloriam pertineat, qui inueniunt eam, quia desiderauerunt eam, & quęsierunt, & inuenerunt: ad illorum autem condemnationem qui non inueniunt eam, quia nec desiderauerunt eam, nec quæsierunt, nec inuenerunt. Nec potest eis esse excusatio condemnationis ignorantia veritatis, quibus fuit inueniendi facultas, si fuisset quærendi voluntas. Nam si veri- B
tas, salus, & vita est cognoscẽtium se, magis debet quæri quàm quærere. Quomodo claudebant Scripturas sacerdotes? Aliud pro alio interpretantes, vtputa dicit
Esa. 35. Esaias: Ipse veniet Dominus, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, & lingua mortuorum diserta erit: Hæc signa erunt aduentus Christi. Quando ergo Dominus mutum sanauit, & surdum, Iudęi peruersa adinuẽtione dicebant: Hic non
Sup. 12. & Luc. 11. eiicit dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum, vt auerterẽt populum à fide ipsius. Aut certè claudebant ianuam veritatis, quando posuerunt decretum, vt si quis diceret eum filium Dei, fieret extra synagogam, sic & modò hæretici sacerdotes claudunt ianuam veritatis. Sciunt enim quoniam si manifestata fuerit veritas, eorum Ecclesia est relinquenda, & ipsi de sacerdotali dignitate ad humilitatem venient popularem. Ideo quando legunt in populo suo aliquid tale, Qui me misit, maior me est: peruersa interpretatione clau- C
dunt ianuam veritatis, dicẽtes Filium minorem Patre, cùm secundum dispensationem carnis dicatur minor. Et nec ipsi intrant in veritatem Scripturæ, propter auaritiam: neque alios intrare permittũt, propter ignorantiam. Quid ergo? ignorans populus excusabilis erit? Absit. Si enim vestimenta empturus, gyras vnum negotiatorem & alterum, & vbi meliores vestes inueneris, & precio viliori, ab illo comparas: quomodo non oportet populum circuire omnes doctores, & inquirere vbi syncera veritas Christi venundatur, & vbi corrupta, & omnium confessiones cognoscere, & veriorem eligere
2. Thes. 5. plus quàm vestimentum? Dicit Apostolus, Omnia probate, & quod bonum est tenete. Aut si propter vtilitatem aliquam, vel necessitatem mũdialem, proficisci volueris ad aliquem locum, cuius viam ignoras, nunquid propter ignorantiam vię, discedis à profectione proposita? Non, sed experiris nunc istam viam, nunc illam: & D
quos interroges, quæris: & cum inueneris, rogas, & postulas vt semitam discas. Et si velles Scripturarũ ingredi veritatem, nunc peteres orationibus, nunc quæreres in Scripturis, nunc pulsares bonis operibus, nunc interrogares sacerdotes, nunc istos, nunc illos, non inuestigas qui veri sint clauiculatij Scripturarũ, qui falsi. Sed ista non fiũt, quia verbum Dei non creditur: quia nec promissio beatitutudinis eius desideratur, nec iudicium comminationis eius timetur. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare & aridã, vt faciatis vnũ proselytũ: & cùm fuerit factus, facitis eum filiũ gehennæ duplo, quàm vos estis.* Iudæi enim vbicunq; videbant Gentiles, proposita quæstione de veritate vnius Dei, & de vanitate idolorum facilè disputantes vincebãt. Non enim labor est contra vanitatem idolorum manifestam, vtius Dei dicere veritatem, cùm ille qui dicit magis adiuuetur ab ea quàm adiuuet eam: tamen corrigebãt eum fortè, sed non propter gloriam Dei, vt additis cultoribus honoretur Deus: nec propter misericordiã volentes eum saluare quem docebant, sed aut propter auaritiam, vt additis in synagoga Iudæis, sacrificiorum adderetur oblatio: aut propter vanam gloriam, propter hoc ipsum vt videantur Gẽtilem corrigere potuisse: sicut & nunc faciunt hæretici sacerdotes, aut promissionibus corrumpunt, aut minis terrẽt: non propter gloriam Dei, neque de ignorantia hominum dolentes, sed aut propter auaritiam, aut gloriam vanam, vt videãtur aliquos potuisse corrigere. Sed qui propter Deum aliquem vult corrigere, aut qui propter vanitatem, ex ipsis actibus docentis ostenditur. Quando enim ipse in sanctitate conuersatur, cognoscе, quoniam errãtem propter Deum corrigere vult: si autem ipse in malis versatur, quomodo alterum propter Deum corrigere valet ad bonum? Nunquid magis misericors potest esse aliquis alteri, quam sibi? Aut qui seipsum mergit in gurgitem peccatorum, quomodo alterum de peccatis valet eripere? *Facitis autem eum filium gehennæ duplo, quàm vos estis.* Nam qui fortè sub cultura idolorum constitutus, vel propter alios homines iustitiam seruabat, factus sub Deo: malorum magistrorum prouocatus exemplo, fit peior magistris, & sic impietas discipulorum imputatur magistris. Aut sic, omnis Gentilis in simplo est filius gehẽnæ, quia idolorum est cultor. Item Iudæi in simplo erant filij gehennæ, quia non credebant in Christum. Quicunque ergo ex Gentibus adiungebatur Iudæis, non solùm non iustificabatur: nec enim iustificabatur aliquis, nisi per fidem Christi, maximè post aduentum ipsius: sed adhuc instruebatur exemplo Scribarum & Pharisæorum discredere Christo, & blasphemare eum, quemadmodum, & illi: & sic fiebat duplo filius gehennæ. Primum qui- C
dem, quia idolorum fuerat cultor. Deinde, quia factus fuerat blasphemator Christi, & interfector. Sicut & nunc, qui transit ad hæreses? duplo fit filius gehennæ. Primum quidem, quia veritatem quam tenebat, reliquit. Deinde quia factus est aduersarius veritatis. Qui enim in erroribus natus est, & in erroribus permanet, in simplo est filius gehennæ: qui autem natus in veritate, propter aliquam causam mundialem ad perfidiam migrat, duplo fit filius gehennæ. *Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicunque iurauerit per templum, nihil est: qui autem iurauerit per aurum templi, debet.* Templum enim vel altare ad gloriam Dei pertinet, & ad hominum spiritualium salutem: aurum autem quod est in templo, vel donum quod est super altare, ad gloriam quidem Dei pertinet: & ipsum tamen aurum, vel donum magis ad delectationem hominum, & ad vtilitatem sacerdotum offertur super altare. Iudęi ergo aurum, quo ipsi delectabantur, & dona quibus ipsi pascebantur, sanctiora dicebant esse, quàm ipsum templum & altare: vt homines promptiores fierent ad offerenda dona, quàm ad preces fundendas in templo, aut iustitias faciendas. Multa enim & modò Christiani simpliciter, & insipienter sic intelligũt. Ecce enim si aliqua fuerit causa, modicum videtur facere, qui iurat per Deũ: qui autẽ iurat per euãgelium, magis aliquid feciſſe videtur: quibus similiter dicẽdum est: stulti, scripturæ sanctæ propter Deum sunt, nõ Deus propter scripturas. Maior est enim Deus, qui sanctificat euãgelium, quàm euangeliũ quod sanctificatur à Deo, *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mẽthã, & anethum, & cyminũ, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudiciũ, & misericordiã, & fidẽ.* Quoniã Scribarũ & Pharisæorum ad quos loquebatur, quidam erãt sacerdotes,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quidam autem populares: non incongruum existimo, A si duplicem huius loci faciamus traditionẽ: vt vna quidem pertineat ad populares, qui decimas dant: altera autem ad sacerdotes, qui decimas accipiunt. Etenim ipse sermo dubius est, qui dicit: Væ vobis, qui decimatis. Nam & qui accipit decimas, rectè decimare videtur, & qui dat. Scribæ ergo & Pharisæi minimorum olerum decimas dabant, vt per hoc videntes eos, dicerent omnes: Putas quomodo omnium rerum suarum decimas offerre non prætermittunt: quia etiam contemptibilium olerum decimas dare non negligũt? Putas quomodo secundùm omnia Dei præcepta, vita eorum est consummata, vt ne in modicis his negligere acquiescant? Quod nõ erat verum. Nam minimarum quidem rerum decimas offerebãt, ostẽdendę religionis gratia, in iudiciis autem erant iniusti, in fratres sine misericordia, in Deum semper increduli. Quas simulationes eorum arguens dominus, hæc dicit & adiungit: *Hypocritæ liquantes culicem, camelum autem glutientes.* Quoniam à B modicis quidem delictis se abstinebant, quę fieri solent ex decimis non oblatis: magna autem mala alacriter committebant: qualia sunt, iniustum iudicium iudicare, in proximos suos odia exercere, in Deum incredulum esse. In causa autem Scribarum & Pharisæorum illorum cadunt multi. Et nunc qui videntur quidem Ecclesiam honorare, pauperes consolari, in iudicio autem sedentes, aut secundùm personarum acceptionem iudicant, aut secundùm differẽtiam munerum: inter seipsos lites quotidianas exercent, & odia sine fine, præponentes semper auaritiam charitati. In fide autem semper infirmi sunt, quia inter Christianos & hæreticos nullam differentiam arbitrantur: sicut & meretrix mulier adulterum idipsum putat & virum. Et ipsi ergo hypocritæ sunt, & culicem liquant, modicũ repellentes peccatum: & camelum glutiunt, maxima & pessima committẽtes. Nunc veniamus ad sacerdotes. Scimus quia seruare iustitiam, & facere misericordiam, & habere fidem, propter gloriam suam Deus mandauit: decimas autem offerre Deo, propter vtilitatem sacerdotum: vt sacerdotes quidem populo in spiritualibus obsequantur, populi autem in carnalibus sacerdotibus subministrarent. Sacerdotũ auaritia notatur. cerdotes ergo auaritia pleni, si quis de populo decimas non obtulisset, ita eum corripiebãt, quasi magnum crimen feciſſet, quia decimam alicuius rei vel saltem minimæ non obtulisset: si quis autem de populo in Deum peccabat, aut lædebat aliquem, aut aliquid tale faciebat, nemo curabat corripere eum, quasi nullam culpam feciſſet, quia in Deum peccabat. Et de suo quidẽ lucro solicitè agebant, de gloria autem Dei, & salute Dominum negligebant. Ideo dicit de eis: Væ vobis qui decimas etiam rerũ minimarũ exigitis à populo, & misericordiam & iustitiã non faciẽtes populum nõ admonetis. Sic enim & modo fit. Ecce enim episcopus, si debitum honoris non acceperit à presbytero, aut presbyter si non acceperit à diacono, aut diaconus à lectore, ira- D scitur, & turbatur: si autem viderit aut episcopus presbyterum, aut presbyter diaconum, circa Ecclesiæ obsequium non permanẽtem, aut aliàs peccantẽ in Deum, neque irascitur ei, neque curat: quia omnes quidem de suo honore soliciti sunt, de honore autẽ Dei nullus. Et portiones quisq; suas secundũ dignitatẽ suam vigilanter aspiciunt, & defendũt, & secundùm dignitatẽ suam curam impendere circa obsequium Ecclesiæ non attẽdunt. Si populus decimas non obtulerit, murmurant omnes: & si peccantẽ populũ viderint, nemo murmurat eos. contra eum. † Quàm compendiosè in tribus his cõplexus est, & conditiones hominum, & quæ necessaria sunt hominibus ad salutem? Omnes enim homines aut iudices sunt, siue spirituales, siue mundiales, aut sub iudicibus sunt: & omnibus generaliter hominibus tam iudicibus, quàm his qui iudicantur, duo hæc necessaria sunt ad salutem, fides vera, & opera bona. Dicens ergo Iudicium: tetigit eos qui iudicant, siue mundiales iudices, qui præsunt mundo: siue spirituales, qui præsident Ecclesiis, vt iustum iudiciũ iudicent. Hæc est enim eorum prima iustitia, vt si verè, aut iudices mundiales loquuntur iustitiam, aut iudices spirituales. Si verò loquuntur iustitiam in Ecclesia, per hoc ostenditur si iustè iudicarint, dicente Propheta: Si verè vtique iusti- Psal. 57. tiam loquimini, iustè iudicate filij hominum. Si autem non iudicauerint iustum iudicium, non in veritate loquuntur iustitiam, sed in labiis tantum. Dicens autem, Fidem: admonet omnes in fide viuere Dei. Dicens verò, Misericordiam: conuersationem bonam omnibus prædicauit. Nam siue abstinentia à malis, siue opus bonarum rerum per misericordiam conseruatur. Nam & non facere homini quæ pati non vult & facere quæ sibi fieri vult, vtrunque misericordiæ est. *Duces cæci, liquantes culicem, camelum autem glutientes.* Omnes ergo sacerdotes, qui propter non oblatas populi decimas curant, & docent populum, & corripiunt, & alia peiora eorum peccata videntes, tacent: ipsi sunt qui docent populum suo exemplo liquare culicẽ, & camelum glutire: id est, à modico quidem peccato se abstinere, maiora autem committere. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui emundatis quod foris est calicis & paropsidis.* Quoniam in specie calicis & paropsidis homines dicit, manifestum est ex eo quod addidit, dicens: *Ab intus autem pleni estis rapinâ & iniquitate.* Iudæi enim quotienscunque ingrediebãtur in templum, aut sacrificia oblaturi per dies festos, & seipsos, & vestimenta sua, & vtensilia lauabant, & à peccatis nemo seipsum purgabat, cùm Deus neque corporis mundiciam laudet, neque sordes condemnet. Pone tamen, quia Deus odit sordes corporum, & re- C rum & vasorum. Si ergo rerum sordes odit, & aut vis, aut non vis, necesse est vt ipso vsu sordidentur: quantò magis Deus sordes conscientię horret? quàm si volumus, semper mũdam seruamus. Non ergo vasa lauanda sunt aquis, sed conscientiæ precibus. *O Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis & paropsidis, vt fiat id quod foris est mundum.* Non ergo sensus est, si catinus ab intus mũdatur, à foris verò mundatus non fuerit, mũdus est: sed homo, si ab intus peccatis non fuerit sordidatus, & si nunquam tetigerit aquam, mundus est ante Deum: si autem peccauerit, & si toto pelago, & cunctis fluminibus se lauerit, sordidus & niger est ante Deum.

HOMILIA XLV. EX CAP. XXIII.

VÆ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, &c. Meritò iustorum corpora templa dicũtur, quia anima in corpore iusti dominatur, & regnat, quasi Deus in templo. Vel certè, quia ipse Deus in corporibus habitat iustis. Corpora autem peccatorum sepulchra dicuntur mortuorum, quia anima mortua est in corpore peccatoris. Nec enim viuens putanda est, quæ nihil viuum, aut spirituale agit in corpore. Vel quia mors ipsa habitat in corporibus peccatorum. Sicut ergo sepulchrum quandiu quidem clausum est, pulchrum videtur à foris: si verò fuerit apertum horribile est: Sic & simulatores bonorum quandiu quidem non cognoscuntur, laudabiles sunt: cùm autem cogniti fuerint, inueniuntur abominabiles. Dicito mihi ô hypocrita, si bonum est esse bonum, vt quid non vis esse, quod vis apparere? Si verò malum est esse malum, vt quid vis esse, quod non vis apparere? Nam quod

quod turpe est apparere, turpius est esse: quod autem A formosum est apparere, formosius est esse. Ergo aut esto quod appares, aut appare quod es: quia manifestum malum à sapientibus non facilè reprehenditur, dum insania æstimatur. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum.* Omne bonũ quod fit propter Deum, in omnibus rebus æqualiter obseruatur. Vbi autem in omnibus rebus non æqualiter obseruatur, bonum illud propter homines fit, sicut res ipsa præsens demonstrat. Ecce enim qui martyria ędificãt, Ecclesias ornant, bonũ opus faeere videtur: sed si quidem & aliàs iustitiã Dei custodiant, si de bonis eorum pauperes gaudent, si aliorum bona per violentiam non faciunt sua: scito quia ad gloriam Dei ædificant. Si autẽ aliàs iustitiã Dei non seruãt, si de bonis eorum pauperes nũquam gaudẽt: si aliorum bona faciunt sua aut per violentiam, aut per fraudem: quis tam insensatus est, vt non intelligat quia non ad gloriam Dei faciũt ædificia illa, sed propter æstimatio- B nem humanam? Et iustè ædificãt martyria, vt pauperes violentiam passi ab eis interpellent contra eos. Non enim gaudent martyres, quando ex illis pecuniis honorantur pro quibus pauperes plorant. Qualis est virtus illa iustitiæ, munerare mortuos, & expoliare viuentes? de sanguine miserorum tollere, & Deo offerre? illud non est Deo offerre, sed velle violentiæ suæ socium facere Deum: vt cùm oblatam sibi pecuniam de peccato libenter acceperit, consentiat in peccato. Vis do- Quomodo domus Dei ædificanda. mum Dei ædificare? da fidelibus pauperibus vnde viuant, & ædificasti rationabilẽ domum Dei. In ædificiis enim homines habitãt, Deus autem in hominibus sanctis. Quales ergo illi sunt, qui homines expoliant, & ædificia martyrum faciũt? habitationes hominum componunt, & habitationem Dei destirpant? Iam ergo ex antiquis temporibus morbus iste in hominibus habebatur. Dicebant enim apud se: Si bene fecerimus pauperibus, quis illud videt? Et si viderint, non multi vi- C dent: & si multi viderint, pro tempore vident. Transit enim tempus, & trãsit cum tempore benefacti memoria. Nónne ergo melius ædificia facimus, quæ omnes aspiciũt, non solùm hoc tempore, sed etiã in posterum? Nam quandiu ædificium permanet, tandiu ædificantis memoria nominatur. O insipiens homo, quid tibi prodest post mortem ista memoria, si vbi es, torqueris: & vbi non es, laudaris? Ergo dum Iudæos castigat Dominus, Christianos docet: Quoniam si iuxta alia bona, ædificia sancta fecit homo, additamentum est bonis: si autem sine aliis bonis operibus, passio est gloriæ secularis. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum.* Qui considerat consequentia tunc Pharisæorum, & modò intelliget: quia hæc non solùm illis dixit Pharisæis, sed & omnibus postmodum nascituris. Nam & si ad illos solos dixisset hæc, dicta fuissent tantùm, & non etiam scripta. Nunc autem & dicta sunt, & scripta. Dicta vi- D delicet propter illos, scripta autem propter istos. Nam etsi patres Iudęorum mortui sunt, tamen filij eorum viuunt, qui prophetas quidem & martyres colunt: filios autem prophetarum & martyrum persequuntur, mortuorum sanctorum cultores, & viuorum persecutores. hæc al. desunt. † [Si verò Trinitatem eiusdem substantiæ confitentes, martyres passi sunt: quare eos quasi sanctos colunt, qui vnum ingenitũ, & vnum vnigenitum, & vnũ Spiritum sanctum crediderunt? Si autem martyres colunt, quasi qui veram confessi sunt fidem: quare persequuntur eos, qui fidem eorundem prophetarum & martyrum confitentur? Pharisæi ergo hæretici sunt, qui à vera fide præcisi sunt.] Pharisæi enim præcisè intelliguntur ipsi, qui sepulchra ædificant prophetarum, & martyrum nomina colunt, & præcepta blasphemant: memoriam honorãt, & fidem contemnunt. *Et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, nõ fuissemus socij eorum in sanguine prophetarum.* Semper Iudæi præteritorum sanctorum cultores fuerunt, & præsentium contemptores, magis autem & persecutores, & inimici viuentium, & amici mortuorum. Non enim sustinentes increpationes prophetarum suorum persequebantur eos, & occidebant. Nam volentibus malè viuere, semper contraria videtur esse correptio: dicente Salomone: Argue sapientem, & Prou. 9. amabit te: insipientem verò, & odiet te. Posteà autẽ nascentes filij intelligebãt culpas patrum suorum, & ideo quasi de morte innocentium prophetarum dolentes, ædificabant monumenta eorum, & ipsi tamen similiter persequebantur, & interficiebant suos prophetas, increpantes eos propter peccata. Nam alter alterius culpam citò intelligit, suam autem difficilè: quia homo in causa alterius trãquillum cor habet, in sua autem turbatum. Perturbatio autem cordis nõ permittit hominem considerare quod bonum est. Sic ergo per singulas generationes Iudæi colebant illos quasi sanctos, quos patres eorum quasi malos occiderant. Hoc autem fiebat, non vt vnaquæque generatio suam innocentiam ostenderet, sed vt inuicem se domestico filiorum iudicio condemnarent. Quis enim existimare potest innocentes, qui à filiis suis quasi rei damnantur? Sic & Iudæi qui fuerunt in tempore Christi, prophetas quidem colebant, & Dominum persequebãtur: seruos honorabant, & dominum contemnebant. Naturalem consuetudinem omnium malorum hominum Christus exponit. Nam Iudæi corripiuntur à Iudæis: sed pene in omnibus hominibus malum hoc inuenitur, vt alios quidem culpent errantes, & ipsi in eosdem currant errores. Ecce si tu audias aliquem de antiquis episcopis loqui, quia ille (nescio quis sit) peccantem populum liberè increpabat: sic personas diuitum non aspiciebat, sed vnicuique verum dicebat, statim collaudas eum, & beatificas, & dicis, quia talis debet esse in populo doctor. Et si audias, quia aliquis extitit increpatus, & fecit illi iniuriam, vituperas & dicis: Quare illum non sustinuit increpantem? Ego si essem, & me aliquis pro mea culpa corriperet, non solùm non irascerer, sed magis gauderem. Sicut enim familia sine flagello non regitur, sic & populus sine increpationibus non gubernatur. Ecce si quis de tuis doctoribus voluerit te increpare propter peccatum tuum, & dicere tibi quod verum est, statim irasceris, & blasphemas: sic & Iudæi suos quidem prophetas non sustinebant, antiquos autem quasi sanctos colebant. Non ergo ille est bonus, qui quod malum est reprehendere potest, & bonum laudare: sed qui reprehensus in malo, bono animo suscipit reprehensionem. In alterius causa facilè possumus omnes iusti iudices esse: ille autem verè bonus, & iustus, & sapiens est, qui sibi ipsi iudex fieri potest. Cùm audieris aliquem beatificantem antiquos doctores, proba illum qualis est circa suos doctores. Si enim illos sustinet, & honorat cum quibus viuit, sine dubio & illos honoraturus fuerat, si cum illis vixisset. Si autem suos contemnit, verè & illos contempturus fuerat, si cum illis vixisset. Nam omnis correctio similis est cæteris tentationibus. Sicut ergo omnis tentatio, fideles quidem ędificat magis, infideles autem destruit amplius: sic & omnis increpatio disciplinæ religiosum hominem, & Deum timentẽ, meliorem facit: irreligiosum autem & malum cõturbat, & ad deterius ire compellit. Sicut ergo vas figuli igne probatur, sic & bonum cor increpatione cognoscitur. *Et dicitis: Si in diebus patrum*

Universidad de Deusto Biblioteca

noſtrorum fuiſſemus, non fuiſſemus ſocij eorum in ſanguine prophetarum. Non quia Iudæi ſpecialiter omnino talia loquebantur, ſed quia talia cogitabant & faciebant, cogitationibus ſuis hæc loquebantur & factis. Qando enim colebant filij quos patres occiderant, condemnare videbantur homicidia patrum ſuorum, & ſe ab illorum conſortio ſeparare. Sic & hæretici quando colunt prophetas, & apoſtolos, & martyres, qui à patribus eorum, id eſt à Iudæis, vel à Gẽtilibus perſecutionem paſſi ſunt, & occiſi, cõdemnare videntur acta patrum ſuorum, id eſt Iudæorum, atque Gentilium: & dicere, quia ſi fuiſſemus in diebus illorum, non fuiſſemus ſocij eorum in ſanguine prophetarum, apoſtolorum, & martyrum. *Itaque teſtimonium redditis vobis, quia filij eſtis illorum qui occiderunt prophetas.* Naturæ regula dicit, quia non poteſt fieri, vt de bonis parentibus mali naſcantur: aut de malis, boni: ſed quales fuerunt parentes, tales erunt & nati. Quia ſicut arbor in fructu cognoſcitur, & fructus per arborẽ demonſtratur: ſic parentes cognoſcuntur in filiis, & filij per parentes. Nónne hoc ante Chriſtum Propheta prædixit, Quoniam Deus in generatione iuſta eſt? Item, Generatio rectorum benedicetur? Ergo dant teſtimonia de filiis, mores parentum.

Pſal. 13.
Ibid. 111.

Quòd ſi pater fuerit bonus, & mater mala: aut ſi mater fuerit bona, & pater malus: interdum filij patrem ſequuntur, interdum matrem, interdum omnes filij patrẽ, interdum omnes matrem: tamen frequentius eſt, vt nati patrem ſequantur. Si autem ambo fuerint æquales, aliquando fit, vt de bonis parentibus mali exeant filij, aut de malis boni, ſed rarò. Ecce enim regula eſt humanæ naturæ, vt omnis homo naſcatur duos oculos habens, & qui nos digitos: aliquando tamen vt manifeſtentur opera Dei, naſcitur homo aut ſex digitos habẽs, aut oculos omnino non habens: ſicut in euangelio ſcriptum eſt.

Ioan. 9.

Sicut ergo extra regulam naturæ rarò euenit, vt deformis naſcatur: ſic & homo extra regulam naturæ rarò procedit vt diſſimilis naſcatur filius parentibus ſuis.

Vxor, qualis ducenda.

Tu itaque iuuenis quando vxorem ducere vis, ſi virgo, aut ſi puella nuptui tradatur, noli quærere diuitem, ſed bene morigeratam: quia mores boni, diuitias frequenter acquirunt, diuitiæ autem mores nunquam fecerunt. Et glorioſior eſt paupertas fidelium, quàm diuitiæ peccatorum.

Prou. 11.

Noli quærere ſpeciem, quia ſcriptum eſt: Sicut inaures aureæ in naribus porci, ita mulieris malè morigeratæ ſpecies. Quia in ſpecie, meretrices placẽt: in moribus autem, matronæ. Cùm autem requiris, aut neceſſarium habes matronæ mores diſcere, conſidera quales habet parentes, & ſine labore cognoſces de illa. Si ergo ambo fuerint boni, fiducialiter pone pedem tuum in domo illius: ſi autem ambo fuerint mali, fuge familiam illam. Crede enim teſtimonio Chriſti, quòd verum eſt: & non mentitur. Si autem diſſimiles fuerint parentes illius, dubium inde habes euentum, quomodo nauta, qui in mare tradit animam ſuam, neſciens vtrum pereat aut euadat. Aut ita: Non quia aut de iuſtis parentibus iuſti naſcantur, aut de iniquis iniqui, ſecundùm ea quæ diximus: ſed ſi de parentibus iuſtis iuſti naſcantur, per hoc ipſum quod ſimiles ſunt parẽtibus ſuis, ſibiipſis teſtimonium perhibent, quia ſunt filij eorum: ſi autem de iuſtis iniqui naſcãtur, per hoc ipſum quod diſſimiles ſũt parentibus ſuis, perhibent teſtimonium ſibi, quia non ſunt filij eorum. Et econtrà, ſi de iniquis parentibus iniqui naſcantur, ſicut homicidæ Iudæi de homicidis Iudæis, de quibus præſens loquitur ſermo, per hoc ipſum quod ſimiles ſunt parentibus ſuis iniquis, ſibiipſis teſtimonium perhibent, quia filij ſunt eorum. Si autẽ de iniquis naſcantur iuſti, ipſi ſibi perhibent teſtimonium, per hoc quod diſſimiles ſunt parentibus ſuis, quia non ſunt

A

filij eorum. Secundùm hoc ergo & hæretici ipſi ſibi teſtimonium dant, quoniam filij ſunt Iudæorum, atque Gẽtilium, qui perſecuti ſunt prophetas, & apoſtolos, & martyres. Quomodo? eadem ipſa opera facientes in Chriſtianos, quę fecerunt Iudæi atque Gentiles in prophetas, & apoſtolos, & martyres. Nunquid prophetæ aut Apoſtoli, & martyres, perſequentium volebant aliquid fieri ſuum? Nunquid terroribus carnalibus, aut promiſſionibus mundialibus aliquem credere ſuadebãt? Nec enim eſt fides, quæ ex neceſſitate timoris procedit, aut deſiderio muneris alicuius terreni: ſed bene docentes, & melius viuentes, vt & verbis docerent; & factis. Et non minas proponebant carnales, ſed futurum Dei iudicium exponebant. Non mundialia bona, ſed regna cœleſtia hominibus promittebant. Si hæc faciunt hæretici, verè filij ſunt prophetarum, & apoſtolorum, & martyrum, qui ita fecerunt: ſi autem alios perſequuntur, alios terrent, aliis promittunt, aliorum

B

bona diripiunt, aliis autem donant, ſine dubio ipſi de ſe teſtimonium dant, quia ipſi filij non ſunt prophetarum, & apoſtolorum, & martyrum. *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum.* Prophetat illis futurum, vt quemadmodum patres eorum interfecerunt prophetas, ſic & ipſi interficiant Chriſtum, & apoſtolos, & martyres, cæteróſque ſanctos. Non iubet illis vt faciant quæ facturi non erant, niſi iuſſiſſet: ſed oſtẽdit eis, quia ſciebat quod eſſent facturi: Vtputa, ſi cõtra aliquem litiges aduerſariũ, & ſcis quod aliquid cogitat aduerſus te, dicis illi: Fac mihi quòd facturus es. Non iubes illi vt faciat, ſed oſtendis te intelligere quod cogitat facere. Sic & Dominus ad Iudam dicebat: Quod facis, fac citius.

Ioan. 13.

Et quàm bene dixit, Implete: & non, ſuperimplete. Quantum ad veritatẽ, exceſſerunt menſurã patrum ſuorũ. Illi enim homines occiderunt, iſti Deum crucifixerunt. Illi miniſtros, iſti regem. Sed quia voluntate ſua deſcendit in mortem, non imputabat illis ſuæ mortis peccatum:

C

ſicut & in cruce petebat pro illis: Pater, remitte eis, quia neſciunt quid faciũt.

Luc. 23.

Imputat autem illis apoſtolorum mortem, cæterorumq; ſanctorum, qui nolentes occiſi ſunt. Ideo dicit, Implete: & non, ſuperimplete. Nam benigni & iuſti iudicis eſt, ſuas iniurias contẽnere, & aliorum iniurias vindicare. Qui autem ſuas vindicat, quanuis iuſtè vindicet, nunquã tamen iudex iuſtus eſſe putatur. † [Conſequenter & hæreticis dicitur hoc.

hæc al. deſunt: quare attentè lege.

Quando enim vides hæreticos, tres per omnia ęquales dicentes, eiuſdem eſſe ſubſtantiæ, eiuſdem eſſe authoritatis, ſine principio omnes, hos aliqua parte diſtãtes à ſe, non mireris: implent enim menſuram patrum ſuorũ Gẽtilium, quoniam & illi ſimiliter multos deos colebant. Quãdo vides eos, tres vnam perſonam dicentes, & ipſam eſſe Deum patrem, ipſam Deum filium, ipſam Deum ſpiritum ſanctum, non mireris: Iudęorum enim patrum ſuorum implent menſuram. Sic enim & illi ſemper vnum Deum patrem colebant, Filium non cõfitentes Deum

D

poſt Patrem. Quando vides eos confitentes, ac dicentes, quia filius de ipſa patris ſubſtantia proceſſit: ſicut & omnis filius corporalis de corporẽ patris, & actum carnalem applicant ſpiritui impaſſibili & inuiſibili: cognoſce quia menſuram implent patrum ſuorum Gẽtilium. Et illi enim tales deos colebant, qui ſecundùm carnem & generabantur, & generabant. Quando vides eos dicentes, purum hominem crucifixum & anima, & corpore: nõ Deum in corpore ſolùm, in quo nulla eſſet diuinitas: ſcito quoniam implent menſuram Iudæorũ patrum ſuorum. Nam & illi hominẽ purum ſe crucifixiſſe credentes, dicebãt ad apoſtolos: Ecce enim impleuiſtis Hieruſalem doctrina veſtra, & vultis inducere ſuper nos ſanguinem iſtius hominis.

Act. 5.

Si enim homo purus eſt paſſus,

paſſus, dimitto: quia nos mors hominis, non Dei ſaluauit. Sed dico, Iudæi tale peccatum fecerunt, quale facit qui hominem occidit, non Deum. Quando vides eos perſequentes, & facientes omnia quæ diximus, non mireris: implent enim menſuram Iudæorum & Gentilium patrum ſuorum.] *Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?* Sicut enim ſerpẽtes præ omnibus animalibus aſtutiores ſunt, & aſtutia eorum non eſt in bono, ſed in malo: hoc enim ſemper aſpiciunt, quomodo aliquem mordeant: & cum momorderint, quomodo ſe occultent: Sic & omnes hypocritæ aſtutiores ſunt cæteris hominibus ſimpliciter viuentes, & in aſtutia ſua cogitant quomodo aliquẽ lędant: & cùm læſerint, ita ſimpliciter ambulãt, quaſi neminem nocuerint. *Genimina viperarum.* Superius diximus de Iudæis, quoniam per ſingulas generationes inuicem ſua facta condemnabãt, & ſemper patres reprehendebantur à filiis ſuis. Item filij reprehendebantur à patribus * ſuis.

al. filiis.
Viperarũ natura.

Ideo ergo eos omnes viperæ ſimilauit: quoniam talis eſt viperarum natura, quando conceperint in vtero matres, nati earum rumpunt vterum matris, & ſic procedunt. Item ipſi nati, quando conceperint, ſic patiuntur à ſuo fœtu. Sic ergo viperæ ſemper parentes comedunt, & comeduntur à pullis ſuis: ſic & Iudæi ſemper patres condemnant, & condemnantur à filiis ſuis. *Quomodo fugietis à iudicio gehennæ?* Nunquid ſepulchra ſanctorum ædificantes, an potius à malicia corda veſtra mundantes? Nunquid ſic iudicat Deus, quomodo iudicat homo? Homo hominem iudicat in opere, Deus autem in corde. Quæ eſt autem iſta iuſtitia, ſanctos colere, & contemnere ſanctitatem?

Pietatis gradus duo.

Primus gradus pietatis eſt, ſanctitatem diligere: deinde ſanctos: quia non ſancti ante ſanctitatem fuerunt, ſed ſanctitas ante ſanctos. Sine cauſa ergo iuſtos honorat, qui iuſtitiam ſpernit. Quomodo fugietis? Nunquid liberabunt vos ſancti, quorum monumenta ornatis? Non poſſunt ſancti amici eſſe illorum, quibus Deus eſt inimicus. Nunquid poteſt eſſe pacata familia, domino aduerſante? Quomodo fugietis? An forſitan nomen vacuum vos liberabit, quia videmini eſſe populus Dei? Quid prodeſt meretrici, ſi nomen habeat caſtum? ſic nihil prodeſt peccatori, ſi ſeruus Dei dicatur. Ne puteris quia melior eſt Chriſtianus impiè agens, quàm infidelis impius. Denique quis peíor eſt tibi, inimicus apertus, an qui ſe fingit amicum, & eſt inimicus? Putò quòd melior eſt inimicus apertus, quàm amicus falſus. Sic & apud Deum odibilior eſt, qui ſeruum Dei ſe dicit, & mãdata diaboli facit. Serpẽtes genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Serpentes enim ſunt & omnes hæretici, prudentes in malo, & ſtulti in bono.

Hæretici ſerpẽtibus cõparati.

Et ſicut ſerpentes varij ſunt in corpore ſuo, ſic hæretici varij ſunt in erroribus ſuis, & multiplices in malignitate: qui depoſuerunt imaginem Dei, quæ eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis: & ſuſcipientes imaginem ſerpentis, quæ eſt in malicia & ſchemate veritatis, facti ſunt ſerpentes, filij ſerpentis illius, ad quem Dominus in perſona Eccleſiæ & diaboli dicit: Ecce pono inimicitias inter te & mulierem, & inter ſemen tuum, & ſemen illius.

Gen. 3.

Super ventrem tuum, & ſuper pectus tuum repes, & terram manducabis omnibus diebus tuis. Propter quam ſentẽtiam Domini, inter hæreticos & Chriſtianos pax non poteſt eſſe. Si ergo filios Eccleſiæ non perſequuntur hæretici, neque aduerſantur, & ipſi filij ſunt Eccleſiæ: ſi autem perſequuntur, ſemen ſunt ſerpentis illius, cuius ſemen inimicitias exercet aduerſus ſemen Eccleſiæ. Nam & iſti, qui genimina ſunt ſerpentis, ſimiliter ſicut & illi ſuper ventrem ſuum: &

A

ſuper pectus repunt, & ſemper manducant terram. Super ventrem quidem, & pectus repunt, quoniam quicquid faciunt, propter ventrem ſuum faciunt, & propter vanam gloriam pectoris ſui. Terram autem manducãt, quoniam neminem lucrantur, aut capiunt in perfidia ſua, niſi illos qui in terra ſunt: id eſt, carnales homines. Spirituales autem viros ſeductio non conſumit. * Manducare enim eſt lucrari, vel acquirere, ſiue ad vitã, ſiue ad mortem.

ſeductione conſumunt.

Non ſolùm autem ſerpentes ſunt, ſed & viperæ, quarum natura eſt, vt rumpentes viſcera matrum, naſcantur: ſic & authores hęreſum, rumpentes fidem matris Eccleſiæ, proceſſerunt ad principatum. *Quomodo fugietis à iudicio gehennæ?* Eccleſias ædificantes, non eccleſiaſticæ veritatis fidem tenentes: Scripturas legentes, non Scripturis credentes: prophetas, & apoſtolos, & martyres nominantes, non opera martyrum imitantes, nec confeſſionem eorum ſequentes. Nec audiſtis eum qui dicit: Non omnes qui dicunt mi-

Sup. 7.

B

hi, domine domine, intrabunt in regnum cœlorum, ſed qui faciunt voluntatem patris mei? Sicut enim non omnes qui dominum vocant, domini ſunt, ſed qui faciũt domini volũtatem: ſic non omnes qui in locis ſuis prædicant apoſtolos, & prophetas, & martyres, iam per hoc ſunt cultores eorum: ſed qui opera eorum imitantur, & fidem ſequuntur.

HOMILIA XLVI. EX CAP. XXIII.

IDEO, *ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex ipſis occidetis, & crucifigetis,* &c. Prophetas, & ſapientes, & ſcribas apoſtolos dicit. Prophetæ enim erant, quia prophetico ſpiritu erant repleti. Sapientes autem erant corde, ſicut Propheta dicit de eis: Et eruditos corde in ſapientia.

Pſal. 89.

Scribę autem erant corde, quia de theſauris ſuis noua & vetera proferebant. Sed primùm videamus, qua cauſa dicit: Ideo, ecce

C

ego mitto ad vos. Superius dixerat, Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum, & dicitis: Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine prophetarum: id eſt, quoniam ædificatis ſepulchra prophetarum, & per hoc non ſolùm verbis, ſed & ipſis ædificationibus dicitis, ſi in diebus patrum noſtrorum fuiſſemus, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine prophetarum: volentes vos iuſtificare coram hominibus, qui ſecundùm viſionem operum iudicant, & non coram Deo, qui corda cognoſcit: quod eſt hypocritarum.

Hic ſup.

Ideo dixit Ieſus turbis Iudæorum, & principibus ſacerdotum: *Ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex ipſis occidetis, & crucifigetis, & perſequemini de ciuitate in ciuitatem, vt menſuram homicidarum patrum veſtrorum non bene plenam impleatis.* Peiora facientes patribus veſtris. Quoniam illi quidem prophetas occiderũt, vos autem

D

ipſum dominum prophetarum. Illi enim eos qui annunciabant venturum filium Dei: vos autem eos, qui cum iam aduenisſe teſtantur, vt ſic per ipſa opera veſtra homicidialia teſtimonium vobis reddatis, quia filij eſtis patrum homicidarum: vt non ſolùm ſanguis iſtorum ſanctorum, verum etiam propter iſtorum ſanguinem, omnis ſanguis præcedentium ſanctorum veniat ſuper vos. Nunc virtutem ipſorum verborum videamus. Oſtendit eis, quia intelligit corda ipſorum, quia tales ſunt, vt faciant quod fecerunt patres eorum. Nam apud Deum, qui hominem occidere diſponit, antequam occidat, quaſi homicida habetur. Et qui adulterium committere auſus eſt, antequam committat, iam adulter eſt ante Deum. Et qui periurare

Universidad de Deusto
Biblioteca

paratus est, antequam periuret, iam periurus videtur:
quia Deus non ex operibus iudicat, sed ex cogitatio-
Rom.2.5. nibus cordis, dicente Apostolo: Testimonium reddente conscientia eorum, etiam cogitationibus inuicem accusantibus se, aut etiam defendentibus se in die cum iudicabit Dominus occulta hominum. Voluntas est enim, quæ aut remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo: opera autem testimonia sunt voluntatis. Vt quid ergo expectat opera, qui conscientias nouit? Nunquid & tu in aliquo negocio testimonia quæris, cùm tibi res ipsa fuerit manifesta? Sed dicis: Si secundùm voluntatem iudicat, & opera non expectat, non misisset ad illos prophetas & sapientes. Ideo expectat vt duo bona fierent misericordiæ, vt & Iudæi secundùm conscientias solas suas condemnarentur, & iusti homines non occiderentur. Et quis scit, quia aut malus iustè damnatus sit propter maliciam suam, aut bonus propter beneuolentiam suam iustè remuneratus sit, nisi voluntas demonstraretur in opere? Quale est enim illud iudicium iustum, cuius iustitiam nemo cognoscit? Non ergo Deus quærit opera propter se, vt sciat quomodo iudicet, sed propter alios, vt omnes intelligant, quia iustus est Deus. Nam Deus est, qui omnium corda cognoscit, & hominum, & angelorum, & spirituum cæterorum. Cor autem Dei nemo cognoscit, neque homines, neque angeli. Ideo ergo & malis dat occasionem, per quam in operibus ostendatur propositum voluntatis suæ malæ: sicut dedit Scribis & Pharisæis, mittens ad eos prophetas, & sapientes, & scribas: & bonis præbet occasionem, per quam ostendant propositum voluntatis suæ bonæ, sicut prophetis, & sapientibus, & scribis suis præbuit, excitans super eos persecutionem Scribarum & Pharisæorum, vt non sine causa quantùm ad homines coronarentur. Et sicut homo habens benefaciendi propositum, certè iustum est, vt Deus prouideat ei occasiones, per quas faciat bona. Vt quid pinguis terra iaceat sine fructu? Sic iustum est, vt homini malam voluntatem habenti, prouideat causas, per quas faciat mala, dicente Salomone: Ad prauos prauas vias mit-
Psal. 118. tit Dominus. Vnde Dauid rogat, dicens: Viam iniquitatis amoue à me, legem tuam, &c. Nam & de be-
Psal. 124. neuolis alibi Propheta sic dicit: Quia non dimittit virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas: Id est, non dat potestatem dæmonibus super iustos, ne quando contra voluntatem suam malum facere compellantur
Ibidem. ab illis. De maleuolis autem statim sic dicit: Declinantes autem ad suffocationem, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: Id est, qui declinatus est ad malefaciendum, sociat illum cum operantibus mala. Vtputa volenti tibi eleemosynas facere, occurrit ante faciem tuam captiuus, aut desolata vidua, aut mi-
eũ misit. serabilis orphanus, non tantùm te * misit ad vtilitatem illius, quantum illum transmisit ad vtilitatem tuam: id est, non tantum præstitit illi per te, quantum per illum tibi. Nam quod per te illi præstitit, temporale est, & terrenum: quod autem tibi præstitit per illum, perpetuum est, & cœleste. Ne putes quia propter vtilitatem pauperum Deus diuitem fecit, quos & sine diuitibus poterat sustentare: sed propter vtilitatem diuitum pauperes fecit qui infructuosi & steriles erant futuri, nisi pauperes facti fuissent. Si ergo bene facere volentibus, quando prouidet causas benefaciendi, iustus est Deus: sine dubio & quando malefacere paratis malefaciendi prouidet causas, non est iniustus. Sicut enim bonus rogat, ne occasionem peccandi incurrat, di-
Psal. 118. cens: Viam iniquitatis amoue à me: sic & malus optat, vt inueniat occasionem nocendi. Ideo ergo dicit Dominus: *Ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes & scribas, & ex ipsis occidetis, & crucifigetis, & flagellabitis, vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effunditur super terrã.* Ergo Deus occasionem prouidet peccandi? Etiam, sed non vt peccare faciat, sed vt peccatorem ostendat. Ecce enim si tu vitiosum compares seruum, & voueris mores suos scire, nónne pones ante illum sacculos cum solidis, aut aliquem concupiscibilem cibum: & si quidem seruus ille incontinens fuerit, & sine timore, porrigat manum suam, & accipiat inde, nũquid malè fecisti? Aut nunquid tu coëgisti illum vt faceret malè? Non, sed propalasti maliciam eius. Sic & Deus dans hominibus occasionẽ peccandi, si peccare voluerint, non illos facit peccare, sed manifestat pertinaciam cordis eorũ. *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare.* Id est, non tantùm super Iudæos, qui iam non sunt, sed super vos malos homicidas. Nam in tempore Abel Iudæi quidem non fuerunt, mali autem fuerunt. Nam quantùm ad homines multæ generationes sunt secundùm diuersitates terrarum: quantùm autem ad Deum, duæ generationes sunt: Vtputa per singulas generationes sanctis suis bona promittens Deus per prophetas, ad consolationẽ eorum Christũ eis pro-
Esa.62. phetauit venturũ, vtputa: Constituam iudices tuos sicut prius, tunc vocaberis ciuitas iustitiæ, &c. Ergo promisit quidem, non autem præstitit: præstitit autem nouissimis sanctis. Sicut & per singulas generationes peccantibus mala promittens Deus ad terrorẽ eorum hũc eis propheticè minabatur interitum, quem Iudæi sunt
Esa.1. passi, vtputa, Terra vestra deserta, &c. Ergo minatus est omnibus, non autem reddidit, sed reddidit generationi nouissimæ. Sicut ergo omnia bona, quæ in singulis generationibus à constitutione mundi omnes sancti merebantur, illis nouissimè sunt donata, qui receperunt Christum: sic omnia mala, quę in singulis generationibus à constitutione mundi pati meruerunt omnes iniqui, & sanctorum interfectores, super nouissimos Iudæos venerunt, qui Christum repulerũt. Aut ita: Nunquam ab initio mũdi antè talis gratia Dei donata est hominibus, qualis in Christo: aut talis interitus venit super impios, qualis venit super Iudæos Christo repulso. Exempla corporalia dico, quæ passi sunt à Romanis. Quid enim melius esse potest, quàm Deum in corpore venientẽ susc̃ipere? Aut quid peius contingere potest, quàm Deũ cum tãta humilitate & misericordia venientem ad se non solùm non susc̃ipere, sed adhuc interficere, & tali modo interficere? Pone ergo Deum dicere ad illos, qui receperunt Christum: Ecce ego mitto ad vos filium meum in corpore velatum, & discipulos eius in nomine ipsius: & recipietis eos, & credetis in eum, vt veniat super vos omnis iustitia, quæ facta est ab Abel vsque ad Zachariam. Nónne verum dicit? Verè enim, quantùm ad magnitudinem gratiæ, quæ data est hominibus in Christo, non dicam omnem iustitiam præcedentium sanctorum, quæ ab initio venit super illos: sed puto; quòd omnium sanctorum iustitię tãtum mereri non potuerunt, quantum illis donatũ est. Sic & super Iudæos, qui crucifixerunt Christum, & persecuti sunt discipulos eius venientes ad se: quantum ad magnitudinem iræ quæ effusa est super eos, nõ dicam quia omnium impiorũ pręcedentiũ peccata venerũt super illos, sed magis omnium impiorum peccata tantum mali non meruerunt, quantum venit super illos, vt talia paterentur, qualia passi sunt à Romanis: & sic postmodum omnes generationes eorum vsque

vsque in finem sæculi proiicerentur à Deo, & ludibriũ
fierent gentibus vniuersis: Sic & modò fit in omnes gentes & ciuitates. Vel ita: Omnis gens vel ciuitas non cùm peccauerint, statim punit eas Deus: sed expectat per multas generationes, & modò mandat, modò minatur, interdum ex parte castigat: vt quãtò magis diutius eos expectauerit, tantò amplius & Dei iudicium iustius sit, & illorum dignior pœna. Quando autem placuerit Deo perdere ciuitatem illam, aut gentem, videtur omnium generationum præcedentium peccata reddere illis: quoniam quæ illæ omnes generationes merebantur, hæc sola passa est. Quid ergo? Iniustus est Deus, qui aliorum peccata vindicauit in istis? Absit. Sed quoniam quæ illi merebantur, isti sunt passi, & soli passi sunt talia, cum non soli peccassent: propterea quæ aliorum erant, dicuntur isti perpessi. Res enim ista moralis est, & sic omnes homines quotidie facimus. Ecce enim cùm serui tui peccant, expolias vnum, & iterum parcis ei, dicens: Nisi obseruaueris, hoc passurus es: similiter facis & alteri. Non meliorantibus verò eis, si incurrerit vnus, castigatur secundum suum peccatum, & videtur quidem pro omnibus ille solus castigatus: quia quod aliis est promissum, illi est redditum. Reuera autem non pro aliis castigatus est, sed pro se: quia secundùm meritum culpæ suæ castigatus est. Ille enim pro aliis dicitur castigari, qui aliis peccantibus, ipse castigatur non peccans: qui autem peccans castigatur, non pro aliis, sed pro se castigatur: Sic & generatio ista pro patribus quidem suis videtur punita, quia illi territi sunt, isti puniti. Verè autem nõ pro aliis, sed pro se condemnati sunt: quia sic peccantes, iustè damnati sunt. Hæc eadem ad hæreticos conuenit dicere Christum: *Ideo, ecce ego mitto ad vos sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effunditur super terram.* Verè enim missi sunt sapientes aduersus hæreticos, scilicet patres vestros. Sapientes autem non literati, quorum sapientia non est in sensibus carnalibus posita, & in lingua acquisita per exercitationem carnalem, sed sapientes circa Dei timorem, sapientes circa Dei notitiam: sapientes animo, non corpore: corde, non ore: fide, non verbis, de quibus dicit Propheta:
Psal. 89. Dexteram tuam sic notam fac mihi, & eruditos corde in sapientia. Misit scribas, id est presbyteros, & diaconos, & fecerunt eis qualia fecerunt prophetis, & apostolis, & martyribus patres eorum. Quanta passi sunt ab hæreticis patres nostri, nullus ignorat, recedente de medio testimonio scribarum. Ipse enim actus hominũ per singulas generationes decurrens, sufficit ad testimonium veritatis, qui sunt filij prophetarum, & apostolorum, & martyrum, persecutionem patiẽtium semper, & qui sunt filij Iudæorum atque gentilium persequentium semper. Quid opus est verbis ad probationem generis vestri, cum res ipsa loquatur? Quod autem dicit, Vt veniat super vos omnis sanguis iustus à sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ: non ita est intelligendum, vt omnium generationum præcedentium & persequentium merita, generatio vna persoluat. Nec enim iustum est, vt alter pro alterius puniatur peccatis,
vindictæ. sed cùm in die *† iudicij vnaquæque generatio punita pro peccatis suis fuerit, de hac vna & ipsa generatione videbitur esse iudicatum. Omnium enim iniquorum, & persecutorum, & homicidarum à Cain vsque ad finem vna generatio est: etsi non sint omnes in tempore vno, omnes tamen filij sunt persecutoris & homi-
Infr.24. cidæ illius Cain. Ideo & alibi dicit: Amen dico vobis, non transibit generatio hæc donec omnia fiant: id est, donec impleatur omne mysterium vocationis sanctorum: Vtputa Cain fuit persecutor Abel, & mortuus est: facti sunt gigantes persequentes filios Seth. Ecce Cain transiit, sed generatio ipsa stetit. Perierunt gigantes in diluuio, sed nati sunt ex Chan * Cananæi, Canaan & cæteræ gentes persequentes filios Sem. Gigantes transierunt, sed generatio ista stetit. Secundùm animam enim Cananæi de generatione erant eorum iniquorum, qui fuerunt ante diluuium. Interempti sunt Cananæi ex parte à filiis Israël, sicut legimus, & ex eis facti sunt alienigenæ, qui persequerentur Iudæos. Ecce & illi transierunt, sed generatio eorum stetit. Postmodum conuersæ sunt gentes quædam ad Christum, surrexerunt perfidi Iudæi post Christum, aduersus Christianos, ipsa vice habentes ipsam generationem quantum ad animam, quam habuerũt gentes illæ, quæ prius persequebantur Iudæos. Deinde gentiles quidem crediderunt omnes, Iudæi autem defecerunt, qui persequebantur Ecclesiam: & ex ipsa Ecclesia surrexerunt hæretici, qui persequebantur Ecclesiam, sed generatio ipsa stetit. Ecce Iudæi & gentes persecutores transierunt, sed generatio ipsa stat. Nam de generatione impiorum Iudæorum, & gentilium sunt hæretici isti. Ideo & mores, & perfidiam sequuntur eorum, sicut diximus suprà. Postmodum autem & hæretici transituri sunt, vt non sint secundùm quod modò esse videtur, & futuri sunt gentiles & populi Antichristi, & transeuntibus istis, generatio iustorum stabit in illis. De generatione enim iustorum erant etiam illi qui fuerunt, & impletur quod dictum est: Non transibit generatio ista, donec omnia fiant. *Hierusalem Hierusalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te mittuntur.* Omnia futura antè prospiciens Dominus, præuidit etiam ruinam ciuitatis Hierusalem, & plagam, quæ à Romanis ventura erat super populum illum: ideo extollens lamentum lugebat eam dicens, Hierusalem Hierusalem. Recordabatur quidem sanguinem sanctorum suorum, qui effusus erat ab illis, & qui adhuc postmodum fuerat effundẽdus. Sed non tamen dolebat de iniuria sanctorum suorum, sciẽs qualem illis gloriam præparauerat pro morte temporali: sed de illorum interitu flebat, quibus & in isto sęculo mala ventura fuerant, & in illo peiora. Sicut enim benefacientes, non Deo præstamus, sed nobis: Deus autem gaudet, non de suo lucro, sed de nostra salute: sic nos peccantes non Deo nocemus, sed nobis. Deus autem tristatur, non de sua iniuria, sed de nostra perditione. Sicut rex benignus audiens criminosas personas, lege quidem compellente ipse mortis sententiam dictat aduersus eos, tamen misericordia instigante lachrymas fundit super illos, & vult eos adiuuare, & non potest, contradicente sibi iustitia: quoniam misericordia tunc vera est misericordia, si sic facta fuerit: vt iustitia per eam non contemnatur: si autem contempta iustitia misericordia obseruetur, ipsa misericordia non est misericordia, sed fatuitas. Nam iustitia non est vera iustitia, nisi habuerit in se & misericordiam: sic & misericordia non est vera misericordia, nisi habuerit in se iustitiam. Iniustè agentibus ac malefactoribus misericordiam exhibere, nec eos punire, ipsa misericordia non est misericordia, sed fatuitas: Sic & Dominus ipse quidem mortis sententiam dictabat super Iudæos, dicens: Ecce ego mitto ad vos prophetas, & ex ipsis occidetis: vt veniat super vos omnis sanguis iustus. Ecce ipse eos miserabili lamentatione plãgebat, dicens: Hierusalem Hierusalem. Nam Deus inuitus compellitur cum magno dolore peccatores damnare. Non enim sic dolet, quia ipse ab eis offenditur, sed quia quasi violenter cogi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur perdere aliquem, qui omnes cupit saluare. Nam quemadmodum in nobis contra naturam est bene facere, sic & Deo contra naturam est malè facere, aut perdere. Sed dicet aliquis: Cùm in potestate habeat Deus perdere & saluare, quis eum inuitum compellit condemnare, si non vult? Tu qui non desideras misericordiam Dei. Nam sicut qui desideranti misericordiam Dei denegat, crudelis est: sic qui non desideranti misericordiam præstat, iniustus est. Sed dicis: Quis est homo, qui non desiderat misericordiam Dei? Tu qui permanes in peccatis. Desiderare autem misericordiam Dei, est conuerti ad eum. Ille enim desiderat misericordiam Dei, qui timet iram eius: qui autem non timet iram eius, non desiderat misericordiam eius: sed contemnit. *Hierusalem Hierusalem*, quæ vsque nunc luctata es contra misericordiam meam tuis peccatis, nunc autem ipsam superasti. Volo enim in te misereri, sed vires misericordiæ faciendæ non habeo, nec possunt te amplius iam sufferre. Incessabilibus enim iniquitatibus tuis misericordia mea quasi iam lassata, à proposito suo defecit. *Quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te.* Misi ad te Esaiam, & serrasti eum: misi ad te Hieremiam, & lapidasti eum: misi Ezechielem, & tractum super lapides excerebrasti eum. Quomodo sanaberis, quæ nullum ad te medicum venire permittis? Quomodo curabo infirmitatem tuam, quæ omnem medicinam conculcas? Sanctis meis non peperci, vt tibi parcerem peccatrici. Illorum vitam neglexi, ne tuam mortem viderem. Omnes medici spirituales in te defecerunt, & tu curata non es. Insanabilis est passio tua, vicit enim artem diuinam. Si de morte tua gauisus fuissem, nunquam ad te misissem prophetas. Si te perdere voluissem, nunquam ad te ego ipse venissem. Ego tibi quid faciam, si tu ipsa viuere non vis? *Quoties volui cõgregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos, & noluisti?* Cùm te in Ægypto quasi sanguinarius accipiter persequebatur Pharao, misi super te Mosem & Aaron, quasi duas mollissimas pennas misericordiæ meæ, & liberatos vos de vnguibus eius rapui in desertum, & noluistis sequi me, facientes vobis vitulum in Horeb, vt seruiretis potius idolo mortuo, quam Deo viuenti. Quotiès volui congregare filios tuos, sicut gallina pullos suos, & noluisti? Percurre, si vis, iudicium: * quotiens peccauerunt & tradidit illos Deus, & iterum liberauit? Gallinam, Ecclesiæ ponit similitudinem. Sicut enim pulli gallinarum pastum suum quærentes, per diuersa vagantur, & maternis vocibus congregantur ad ipsam, & iterum similiter pascentes disperguntur, & iterum maternis vocibus congregantur: Sic & populus Dei carnalem voluptatem, & mundialem concupiscentiam sequentes, per diuersos vagantur errores, quos Ecclesia mater per sacerdotes, modò increpationibus, modò blandimentis, quasi quibusdam vocibus congregare & allectare festinat. Et quemadmodum gallina habens pullos vocando illos non cessat, vt assidua voce vagositatem corrigat pullorum suorum: sic & sacerdotes in doctrina cessare non debent, vt studio & assiduitate doctrinarum suarum negligentiam populi errantis emendent. Et quemadmodum gallina habens pullos, non solùm suos calefacit, sed etiam cuiuscunque volatilis filios exclusos à se diligit quasi suos: ita & Ecclesia non solùm suos Christianos studet vocare, sed siue Gentiles, siue Iudæi, si suppositi illi fuerint, omnes fidei suæ calore viuificat, & in baptismo generat, & in sermone nutrit, & materna diligit charitate. Vt autem & hæreticis hæc eadem coaptemus, Hierusalem hic semper Ecclesiam intelMisericordiam Dei desiderare, quid.

Exod. 4. & 5.

Ibid. 32.

Iudicum. librum.

lige, quæ dicitur ciuitas pacis, cuius fundamenta posita sunt super montes Scripturarum. Sicut ergo illi Iudæi, qui fuerant Hierusalem spiritualis, ingressi crediderunt in Christum: illi autem qui erant Hierusalem corporalis manentes in corporali Iudaismo, persequebantur spirituales Iudæos, id est apostolos, cæteróque ex circuncisione credentes: Sic & de ista noua Hierusalem, id est de Ecclesia, qui spirituales Christiani fuerunt, relicta corporali Ecclesia, quàm perfidi occupauerant violentia, exierunt ab illis. Magis autem illi exierunt à nobis, sicut Ioannes exponit. Non enim ille de Ecclesia exire videtur, qui corporaliter exit, sed qui spiritualiter veritatis ecclesiasticæ fundamenta relinquit. Nos enim ab illis exiuimus corpore, illi autem à nobis animo. Nos ab illis exiuimus loco, illi à nobis fide. Nos apud illos reliquimus fundamenta parietum, illi apud nos reliquerunt fundamenta Scripturarum. Nos ab illis egressi sumus secundùm aspectum hominum, illi autem à nobis secundùm iudicium Dei. Ideo & illi corporales Christiani persequuntur nostros spirituales, specie colorata, varietate fundata. Propterea quę superius Dominus commemorauerat, ad illam Hierusalem corporalem dicta esse videntur: Hierusalem Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te mittuntur. Non dixit, quæ occidisti, & lapidasti: sed quæ occidis & lapidas: id est, quæ hoc proprium, & quasi naturalem consuetudinem habes, vt occidas & lapides sanctos. Non enim occidit aut lapidauit sanctos ante Christum, & cessauit facere post Christum quæ fecit aliquando prophetis, sed eadem ipsa facit apostolis, quæ fecit aliquando prophetis. Sic & hæreticorum ecclesia, non solùm persecuta est patres nostros, & persequi iam cessauit: sed eadem filij eorum faciunt nobis, quæ patribus nostris fecerunt patres eorum. Mittuntur enim ad illos viri fideles, quotienscunque inter illos & fideles certamen fidei commouetur, non ex ebrietate vini, sicut fieri solet frequenter, sed ex aliqua causa religionis. Mittuntur ad illos, sicut mittebantur prophetæ & Apostoli ad Iudæos, non ad salutem eorum, insanabiles enim sunt: sed ad præiudicium ipsorum, vt sine excusatione ignorantiæ iudicentur. Item aliter: Hæretici prophetas, & apostolos, & martyres occidunt, qui modò sunt apud nos: sine dubio occidunt in verbis suis, & actibus. Quotiens enim leguntur in Ecclesiis nostris verba & acta prophetarum & apostolorum, prophetæ & apostoli missi nihilominus loquuntur ad nos, quos omnes missos ad se, hæretici dum legunt, & malè interpretantur, occidunt & lapidant eos. Vt autem manifestè cognoscas, quomodo prophetæ & Apostoli ab hæreticis occiduntur & lapidantur: primùm intellige, quomodo nascitur Christus in nobis, & quomodo occiditur. Quando enim credimus in Christum, Christum generamus & formamus in nobis, sicut dicebat Apostolus Galatis: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Consequenter & quãdo perdimus fidem Christi, Christum occidimus in nobis, sicut & prophetæ apud hæreticos occiduntur. Quando enim fidem & veritatem verborum eorum praua interpretatione subuertunt, prophetas & Apostolos occidũt in se. Ipsius enim verbi quasi sanguis veritas est, quę viuificat verbum. Omne enim verbum, quod nõ habet in se veritatem Dei, mortuum est, quemadmodum sine sanguine corpus. Propterea omnia verba diuina, quanuis rustica sint & incomposita, viua sunt: quoniam intus in sensibus suis habent positam veritatem Dei, quasi sanguinem in venis inclusum, & ideo viuificant audientem, sicut testatur

1. Ioan. 2. Exire de ecclesia quis dicatur.

Gala. 4.

Verba Dei quanuis incomposita, tamẽ viua. Sup. 6.

Verba sæcularia et si tersa, tamẽ mortua. veritate.

statur Petrus ad Christum, dicens: Quò ibimus? verba viua habes. Omnia autem verba sæcularia, quoniam non habent in se virtutem * Dei, & quanuis sint composita & ingeniosa, mortua sunt: quoniam in venis sensuum suorum non habent virtutem * Dei: propterea nec audientem saluant. Secundùm hæc iam intelligis quomodo hæretici occidunt & lapidant prophetas & Apostolos missos ad se. Quotiens enim veritatem verborum eorum gladio maligni spiritus, & verbi peruersi corrumpunt, occidunt prophetas & Apostolos, & sanguinem verborum eorum, id est veritatem effundunt in terram: totiens aliud intelligentes in verbis prophetarum & apostolorum, & aliud proloquuntur in populo, blasphemias suas quasi lapides quosdam iactant super Apostolos & prophetas. *Quotiens volui congregare filios tuos*, &c. Quotienscunque enim, sicut diximus, inter hæreticos & fideles fidei mouetur certamen, euidenter vult illos Dominus congregare sub veritate alarum suarum, id est duorum testamentorum, quotienscunque leguntur apud eos verba prophetarum & Apostolorum: illi autem non quasi domestici pulli gallinæ, quæ est Ecclesia, sed quasi syluestres pulli sanguinarij vulturis, aut accipitris, non solùm ad veritatem duorum testamentorum venire non acquiescunt, sed adhuc irruunt super ipsam gallinam, id est Ecclesiam, & diripiunt, & dispergunt pullos eius, & euellicant eam: totiens vult eos congregare, illi autem nolunt. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Id est, ecce nunc tempore instanti. Cùm ego fuero crucifixus, scindetur velum templi, & secreta mysteria sanctitatis eius publicabuntur, & recedet ab eo spiritus Dei. Et sicut corpus anima recedente prius quidem frigescit, deinde putrescit, & soluitur: sic & templum vestrum, Dei spiritu recedente ab eo, prius quidem seditionibus, & indisciplinationibus replebitur tyrannicis, quasi Deo iam illud non gubernante, deinde veniet ad ruinam. Sicut enim ante mortem hominis, insanabilis præcedit infirmitas: sic & ante ruinam aut hominis, aut loci alicuius, aut ciuitatis, inemendabilia præcedunt peccata. Sicut enim pulli frequenter à matre vocati, cùm non obaudierint, neque secuti fuerint matrem, matre lõgius abeunte, aut venit accipiter, & diripit eos, aut longius euagantur, vt pereant: sic & Domino frequenter Iudæos vocante, quoniam non obaudierunt, neque secuti sunt eum, recedente illo ab eis, ad Gentes venit quasi accipiter rex Romanus, & patrem quidem eorum comedit fames & gladius, alij autem per singulas prouincias dispersi sunt, vt perirent. *Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine domini.* Præcessores nostri exponunt, circa ipsum diem iudicij & resurrectionis quosdam Iudæorum credituros in Christum. Quod & Apostolus significare videtur, dicens: Ex parte cæcitas contigit in Israël, donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret. Et sequens lectio illa tota hoc dicere velle videtur. Si quis autem mysterium hoc per illos putat impletum, qui in actibus apostolorum leguntur, Petro prædicante, aut aliis apostolis crediderunt: intelligat propter tres causas non esse verum quod dicit. Primùm, quia tunc pars modica secundùm electionem credidit, non totus Israël. Secundò, quòd illi ante Gentes crediderunt, non post Gentes. Plenitudo autem Gentium tunc adhuc non introierat, sed inchoauerat hoc. Tertiò, quia quando hæc futura prædicebat Apostolus, Gentes iam credidérant, & Iudæi qui fuerant credituri: & tamen Apostolus adhuc credituros significat Iudæos, dicens ad gentes: Sicut enim vos aliquando non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis, propter illorum incredulitatem: ita & illi nunc non crediderunt in vestra miseratione, vt & ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus omnes in incredulitate, vt omnibus misereatur. Dicens ergo, Amodo non me videbitis, donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini: hoc dicere vult, donec veniat tempus, in quo credentes dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini. Spiritualiter enim videre Christum, est ipsum in fide cognoscere. Sicut autem ad illam Hierusalem dictum est, Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta: scilicet cùm occideritis filium Dei apud vos, cùm de illo templo corporali templum exierit spirituale, quod fuerunt sancti, qui ex circuncisione crediderunt in Christum. Sic & ad Ecclesiam omnium hæresum dictum esse videtur, Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, ex quo filium Dei occidistis: id est, ex quo viuum verbum veritatis illius, mendacis verbi gladio, veritate effusa, mortuum fecistis: sicut superius diximus, spiritualiter prophetas suscipi aut occidi. Qui enim credunt secundùm veritatem verbis prophetarum, suscipiunt prophetas: qui autem corrumpunt veritatem ipsorum, occidunt verba eorum, & eos ipsos in verbis ipsorum. Sic & Christus aut susciputur, aut occiditur apud nos. Si enim credimus verbis eius, susscipimus eum, & generamus in nobis: si autem non credimus, & adhuc veritatem verborum eius corrumpimus, repellimus eum, & occidimus apud nos. Vnde fit, vt quotidie Christus apud fideles quidem susciputur, atque nascatur, apud hæreticos autem repellatur. Relicta est autem & deserta, ex quo de illa corporali Ecclesia spiritualis exiuit: id est, de populo suo qui videbatur Christianus, & non erat, populus iste exiuit qui non videbatur, & erat: & magis autem secundùm quod diximus, illi à nobis exierunt, quàm nos ab illis. Sicut autem membrum à corpore præcisum viuere non potest, neque ramus arboris viridis esse: sic & omnes hæretici præcisi à corpore vnius Ecclesiæ, nec vitam Christi in se habere possunt, nec viriditatem gratiæ spiritualis, sed est Ecclesia eorum deserta: non ab hominibus, abundat enim peruersis hominibus, quomodo semper malorum maior est copia quàm bonorum: sed deserta est à sanctis, deserta à sanctitate, à fide, à veritate, à gratia, à spiritu. Deserta denique ab ipso Deo, & à bonis omnibus quæ sunt Dei. Sicut enim homo qui Dei non est, mortuus dicitur esse, quamuis viuat: quia non Deo, sed diabolo viuit: sic omnis Ecclesia, quamuis abundet hominibus, tamen si ab illis bonis quæ dicta sunt defuerit, deserta est: quia non Deo, sed diabolo plena est. Dico enim vobis: Non me videbitis amodo, donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine domini. Vere enim ex tempore perditionis suæ hæretici nunquam Christum viderunt. Vident enim cum fide, non oculis, qui secundùm veritatem eius credunt in eum: qui autem non credunt, cæci sunt corde, non corpore: non necessitate, sed voluntate. Cogniturí sunt autem eum in die iudicij nolentes, quando videbunt eum in maiestate Patris, quando videbunt eum etiam omnes iniqui, & dominum eum cõfitebuntur nolentes. Domine domine, nos in nomine tuo dæmonia eiecimus, &c. sed nihil illis proderit tarda confessio. Tunc & isti dicturi sunt Christo: Nos in nomine tuo docuimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus. Dicet autem ad eos: Nunquid in virtute mea? nunquid in spiritu meo? In nomine enim meo aliquid agere, seductorum est: sed in virtute mea, & in spiritu meo, sanctorum. Di-

Ibidem

Rom. 11.

Rom. 11.

Credẽdo generamus Christum, fide verò abiiciendo, apud nos occidimus.

Hæreticorũ Ecclesia derelicta à Deo ac omnibus sanctis.

Sup. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

secdite à me, nescio qui estis. Sicut enim vos cognoscentes me, cognoscere noluistis, non propter difficultates veritatis meæ, sed propter iniquitates maliciæ vestræ: sic & ego cognoscens vos, nolo cognoscere, non propter extraneas personas vestras, sed propter odibiles malicias vestras.

HOMILIA XLVII. EX CAP. XXIIII.

EGRESSVS *Iesus de templo, ibat: & accesserũt discipuli eius, vt ostenderent ei ædificationes templi.* Superius ingressus est Dominus templum, quærẽs sanctitatem templi: sed cùm in templo nihil inueniret propriũ templi, egressus de templo ibat: quia ædificium quidem stabat quod erexerunt homines, sanctitas verò ceciderat, quam cõstituerat Deus. Nam templum hominum, est ædificatio lapidum pulchrè composita: templum autem Dei, est congregatio electorum religiosè cõuersantium. Ibat de templo foras, id est, de Iudæis ad Gentes. Ibat non solùm corpore, sed voluntate recedens in spiritualibus. Ecce si pars aliqua domus fuerit decisa, cum labore tamen possibile est vt reparetur: si autem ipsum fundamentum fuerit conquassatum, quid faciat paterfamiliâs, nisi fortè in aliquo loco noua faciat fundamenta, & lapides de priori domo transuectans, aliam sibi ædificet domum? Sic & in spiritualibus, siquidem populares peccauerint, per pœnitentiam corriguntur: si autem sacerdotium ipsum fuerit diffipatum, quod est populi fundamentum, quid faciat Deus? Hac ratione gentem Iudęam relinquens, in alio loco id est in medio gentium vniuersarum, noua posuit fundamenta, id est apostolos suos, & omnes bonos transferens, qui fuerint ex Iudęis, dicente Propheta: Conuertantur ad me, qui timent te. Nouam sibi fecit Ecclesiam, & admonuit illam, vt sicut mutauit locum, mutet & mores, dicens per Prophetam: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum. Ibat enim nunquam ad illud templum iterum reuersurus: iam enim maledixerat ei, dicens: Nunquam ex te fructus nascatur. Hæc enim synagoga erat illa siculnea ornata foliis, & fructibus vacua: quæ arbor videbatur, non autem erat nisi figuralis, sed erat synagoga realis: sicut & Iudæa, quæ verba sanctitatis portabat, & opera pietatis non habebat: quę videbatur populus Dei, non autem erat, ad quam venit Christus esuriens. Christus enim si esurit, quomodo satiatur? Satiatur in fide hominum, esurit autem in infidelitate eorum. Et desuper Samaritanum puteum gaudẽs sedebat, quoniam fides Samaritanorum offerenda ei fuerat, tanquam optimus cibus. Hìc autem in templo nullam escam humanę sanctitatis inueniens, egressus de templo, tristiter ibat. Et verè meritò tristabatur, & erat quod iraſceretur. Apud Samaritanos in peregrè satiatus est, apud Iudæos in domo propria mansit ieiunus. Nam ibat: per hoc quod hìc dicitur, ibat: hoc significat, quasi offensus ibat. Alioqui sufficeret dicere, Cùm egressus fuisset de templo, accesserunt ad eum. Quemadmodum homo, si vadat alicubi, existimans inuenire responsum: si non inuenerit, confusus egreditur, quasi qui perdidit aliquid, quia quod sperabat non inuenit. Ideo & Apostolis quasi dolore repletus, respondit: *Amen dico vobis, non stabit hic lapis super lapidẽ, qui non destruatur.* Non potest pacifica loqui, qui cor habet turbatum. *Et accesserunt ad eum discipuli eius, vt ostenderẽt ei structuram templi.* Adhuc apostoli carnales constituti, spirituales oculos nondum bene apertos habebant, & ideo spiritualiter adhuc vinere non poterant. Ecce enim totum templum iacebat spiritualiter dissipatum, & illi quasi mirabilẽ compositionem templi Christo monstrabant, non intelligentes quia homo quidem in ædificatione parietum delectatur, Deus autem in conuersatione sanctorum, dicente propheta: Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Quem decorem? Non quem diuersitas splendentium marmorum facit, sed quem præstat varietas viuentium gratiarum. Ille decor carnem delectat, iste viuificat animam: ille pro tempore decipit oculos & deludit, iste autem in perpetuum ædificat intellectum. *Iesus autem respondens eis, ait: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* Apostoli vnã rem ostendere voluerunt, & ipsam inutilem: Christus autem eis duarum rerum salutarium dedit viuam responsionem. Nam & de futuro eos admonet, quasi præscius Deus, & de præsenti eos docuit, quasi benignus magister. Illi aspiciunt illa, quæ in hoc sæculo viua seruant: ipse autem monet de his, quæ in futuro sæculo æterna perdurant. Nam quæ videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. Quid mirum, si hæc sunt peritura, quæ manus humana construxit? sciamus etiam illa esse soluenda, quæ manus diuina creauit. Quia initio tu terram fundasti Domine, & opera manuum tuarum sunt cœli: ipsi peribunt, tu autem permanes in æternũ. Quicquid enim videtur, carnis est mysterium: quicquid non videtur animarum. Cùm ergo caro transierit, necesse est vt & visibilia vniuersa pertranseant: quia non est fas, vt cùm rerum visibilium domina caro transierit, mysteria quasi dignitosiora remaneant. Si ciuitas aliqua regi suo terreno fuerit facta rebellis, nónne tollit ab ea ius ciuitatis, & milites suos transmittit vt fiat deserta, vt qui potestatem regis sui non cognouit in bono, cognoscat in malo, & ipsa desertio testificetur, quid ei profuerit anteà propiciatio regis? Hæc autem gens mihi regi cœlesti rebellis effecta est, legem meam corrupit, præcepta mea contempsit, ministros meos occidit, super meipsum iam impias manus erexit, & adhuc interficere me cogitat, nisi me defenderet immortalis natura. Ideo tollam ex ea pignora veritatis meæ, id est Spiritum sanctum. Tollam exercitum meum, id est angelos qui custodiebant eam, vt non stet hìc lapis super lapidem. Cùm ergo salus ab ea recesserit, necesse est vt perditio dominetur.

HOMILIA XLVIII. EX CAP. XXIIII.

SEDENTE *autem eo super montẽ Olieti, accesserũt ad eũ discipuli secretò, dicẽtes: Dic nobis quãdo hæc erũt, & quod signum aduẽtus tui, & cõsummationis sæculi.* Id est, quãdo hæc erũt, vt nõ stet in tẽplo lapis super lapidẽ, sicut dicis? Et addũt interrogationibus suis & alterũ, scilicet vt significet eis etiã sæculi finẽ, cuius Christus nõ fecerat mentionẽ. Sed illud primũ interrogãt ex se & propter se, hoc autẽ secundũ ex nobis & propter nos. Nam neque nos tẽpli illius dirutionẽ aspeximus, neque illi sæculi finem: ideo illis expediebat audire signa diruptionis illius, nobis autem expedit consummationis agnoscere signa. Omnibus enim laborantibus dulcis est finis. Viator libenter interrogat, vbi est mansio: mercenarius frequenter computat, quando annus completur: agricola semper tempus messis expectat: negociator die ac nocte thecæ suæ discutit rationem: mulier prægnans semper de decimo mense cogitat: Sic & serui Dei libenter de consummatione sæculi requirunt. Scriptum est enim: Vbi erit thesaurus tuus, ibi erit & cor

cor tuum. Ecce si solidorum aliquam quantitatem habeas in arca repositam, quotiensçunque veniẽs de platea, domum tuam ingrederis, ante omnia illum locum oculi tui respiciunt, vbi solidos habes: sic & sancti illum locum respiciunt, vbi repositam habẽt coronam. Nam vtile est tempus consummationis cognoscere: quia & homo in itinere constitutus, quantò magis appropinquauerit mansioni, tantò amplius incipit festinare. Nam in longa via etiam veloces homines pigriter ambulant: quando autem via fuerit breuiata, etiam pigri velóciter ambulant. Hac ratione & Paulus exhortans dicit: Nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus. Quia appropinquata spes excitat magnanimitatis virtutem. Ideo quantò magis laudabiles sunt sancti, qui ante Christum fuerunt: tantò nos vituperabiles, qui post Christum sumus, & adhuc de sæculo recedere nolumus. Illi quidem sciebant finem esse futurum: quando autem, nesciebant. Nos autem Domino demonstrante, quotidie sæculum finiri videmus, & tanquam mali serui, iam albescit aurora, & adhuc dormimus. Nam peccatores homines nunquam putãt sæculi finem esse futurum. Et quid mirum, si quod audiunt non credunt: cùm nec illud credunt, quod quotidie vident? Nam quotidie manibus suis efferunt mortuos, & mortales se esse non putant. *Et respondens dixit eis: Videte ne quis vos seducat.* In primis hoc æstimo prætermitti non oportere, vt consideremus quid interrogant Apostoli, & sic melius intelligemus quid Christus respondit. Interrogant enim hæc duo Apostoli, Quod signum erit destructionis Hierusalem, & quod signum consummationis mundi. In consummatione enim gentis Iudææ Hierusalem destructa est, quæ tamen videbatur esse Hierusalem, non autem vera erat. In cõsummatione autem mũdi, Ecclesia aut desolata aut desolanda est: adhuc tamen illa quæ videbatur Ecclesia, non autem quæ vera erat, aut est: Dominus autem non separatim dixit, quæ signa pertineant ad destructionem Hierusalem, & quæ ad consummationem mundi, videlicet vt eadem signa pertinere videantur & ad manifestationem destructionis Hierusalem, & ad manifestationem consummationis mundi: quia non quasi historiam per ordinem exposuit eis quomodo res erant agendæ, sed prophetico more prædixit eis, quæ res erant agendæ. Prophetia autem semper per mysterium dicitur, & per mysterium intelligitur. Quid igitur? hæc signa de fame, de bellis, & de terræmotu, si ad plenum spiritualiter voluerimus intelligere, non possunt pertinere ad manifestationem destructionis Hierusalem: quia tunc spiritualiter gens contra gentem non surrexit: id est, hæresis contra hæresim. Nam tempore Apostolorum tantummodo seminatæ sunt hæreses, tempore autem regis Christiani germinauerunt: nostris autem temporibus maturauerunt & prævaluerunt. Tunc enim fames non erat spiritualis, sed magna vbertas, de qua propheta dicebat: Visitasti terram, & inebriasti eam, multiplicasti ditare eam. Item si voluerimus hæc signa tantùm corporaliter intelligere, non proficiunt ad manifestationem consummationis mundi. Nam & bella hæc corporalia semper fuerunt, & semper erunt. Et fames, aut terræmotus carnales semper fuerunt. Non potest autem esse in signum alicuius rei futuræ, quod semper fuit in vsu: sed quando nouum fit, illud dicitur signum. Sicut ergo fuit Hierusalem illa corporalis, quæ iam expugnata est in figura: est autem altera Hierusalem spiritualis, scilicet Ecclesia Christi, quæ in finem mundi etiam tentanda est, & adhuc tentatur: sic & signa illa quæ Dominus dicit, & spiritualiter intelligenda sunt, & carnaliter. vt carnaliter intellecta, significent destructionem illius Hierusalem: spiritualiter autem intellecta, significent tentationem Ecclesiæ in consummatione futura. Ergo ad vtrunque tempus porrige mentem qui audis, & ad illud quod fuit antequam Hierusalem caperetur, & ad illud quod fiet antequam tentetur Ecclesia Christi. *Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent.* Hoc & Apostolus dixit his, qui fuerunt antequam caperetur Hierusalem, quia prius venturi fuerant pseudochristi. Etenim hoc erat signum primum destructionis Hierusalem: quod verè factum est. Venerunt enim Dositheus, & Simon, & Cleonius, & Varisuas in nomine Christi, & alij multi, quos Apostolus in epistolis suis tangit. Hoc & patribus nostris dixerunt, qui fuerunt prius antequam tentaretur Ecclesia, quia ventura fuerant hæresum multa verba mẽdacia, dicentia: Ego sum verbum Dei, Christus. Et hoc signum fuit expugnationis Ecclesiæ, quod & factum est. Verè enim priusquam ex tempore Theodosij, præuaricantibus multis, expugnaretur Ecclesia, multa dogmata præcesserunt ex tempore Constantini, dicẽtia, hoc est verbum Dei: per quæ signa intelligere potuerunt periclitaturam esse Ecclesiam Christi, si prophetia Christi ante exitum intelligi potuisset. *Multi venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus.* Venient in nomine sponsi, vt sponsæ castitas tentata probetur. Nam sicut omnis mulier quandiu non admonetur à malis hominibus, non bene cognoscitur vtrum sit casta: si verò admonita, cõscientiam vel fidem viro seruauerit, tunc meritò casta laudatur: Sic Ecclesiæ fides non bene cognoscitur, nisi Antichristi venerint ad eam: siue de illis pseudochristis, qui præcesserunt antequam tẽtaretur Ecclesia, hoc conuenit dicere. Quoniam sicut cùm domus incendio comprehenditur, omnes latrones consurgunt, quærentes vnusquisque quod rapiat: sic quando casus specialiter tũc Iudæorum, aut generaliter, aut modicum Christianorum fieri cœperit, omnes dæmones spirituales latrones insurrexerunt, per suos ministros quærentes vnusquisque quem perdant. Non audistis Prophetam dicentem, quomodo in nocte omnes bestiæ circuierũt militantes, hoc modo? posuit tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ, &c. Sic & dæmones spirituales bestiæ, quandiu lux iustitiæ est super terram, in cubilibus suis latẽt, id est in cordibus impiorum, & non se ostendunt: cùm autem tenebras impietatis aspexerint dominari, tunc dæmones procedunt, aut ministri eorum de latibulis suis, quærentes quem valeant deuorare. Ideo videte ne quis vos seducat. Homo circa mortem phantasias videt: sic & mundus in exitu suo multos patietur errores. Hoc puto, quod ad omnes Christianos dicebat, siue tunc, siue modò, præcipuè tamen ad sacerdotes, Videte ne quis vos seducat: Vos estis luminaria, verbum vitæ continentes, quasi candelabra lucentia, facilè vobis extinctis Ecclesia à latronibus prędam patietur in tenebris. Quomodo autem stet ædificatio domus, si columnæ ceciderint? Et ne putes, quia corporaliter iubet eos aspicere, cùm dicit, videte: sed spiritualiter mente considerare. Mente autem potest considerare, qui per bonam conuersationem mentem habet illuminatam. Qui ergo bene conuersatur, lucidam habet mentem, & intelligit qui sunt doctores: qui autem peccat, sensus eius cùm sit tenebrosus, non intelligit qui sunt serui Dei, & qui ministri diaboli. Sicut enim qui corporaliter oculos habet acutos, de longè prospicit venientem, an amicus eius est, an aduersarius: qui autem oculos habet infirmos, quamuis intenderit, non cognoscit an amicus sit, an inimicus: Sic qui mentem à peccatis possi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

det mundum, de longè considerat, homo Dei est ille qui venit, aut homo diaboli: in nomine Christi venit, aut in spiritu Christi. Aut putamus quod semper venturi fuerant noui Christi? Absit. Quod ergo dicebat, Multi venient in nomine meo: ad tempus Apostolorum pertinet. Tunc enim sciens diabolus, quia adhuc nouus erat Christus in mundo, quia veritas Euangelij eius adhuc erat ignota, quia Apostoli eius multis incerti; multos introducebant Christos in mundum, vt homines volentes venire ad Christum, per similitudinem nominis eius errantes, transeant ad diabolum, & volentes ab eo exire, impingant in eum. Quemadmodum si rex in bello victus atque fugatus ab alio rege, induceret indumentum regis illius victoris, & in parte sua erigat simile signum signo regis illius, vt ille populus victoris schema sui regis aspiciens, & signum partis ipsius, dum putat se ad proprium currere regem, incurrat in manus aduersarij sui: sic & diabolus subornat ministros suos sub nomine Christi, vt volentes homines ire ad Christum, similitudine nominis tenebricati ad diabolum vadant. Postquam verò noticia Christi in toto mundo prævaluit, & veritas euangelij eius facta est manifesta, mandata discipulorum eius implicare iam non poterat, sed submittere Christos. Neque aliquid agit etiam si submittat: quoniam omnibus manifestus est Christus, & euangelium eius, & Apostoli eius: sed alio modo submittit Christos, vt verba diuersorum hæreticorum introducta, vnumquodque eorum dicat, quia ego sum Christus vnigenitum verbum Dei. *Audietis prælia, & opiniones præliorum.* Tunc quidem corporaliter ea dicebat prælia audienda, quæ contra Iudæam præparabat imperator Romanus. Nam sicut solet fieri in præparatione belli, dum eliguntur principes, dum deputatur & congregatur exercitus, auditio currit, maximè ad eos, aduersus quos præparatur. Sed postquam ingressus est exercitus Iudæam, sicut exponit Iosephus, non statim ad Hierusalem applicauit, sed ad ciuitates singulas regionis illius, & diuersa prius gesta sunt bella, & plurimæ ciuitates captæ, & sic nouissimè Hierusalem obsedit exercitus. Ideo mandabat Apostolis, Videte ne turbemini, sed opus prædicationis vestræ implete. Illius Hierusalem corporalis typum gerit Hierusalem spiritualis Ecclesia. Nam nisi templum illud destructum fuisset, obseruantia legis non facilè fuerat compescenda. Ideo autem destructum est, vt etiam si velint Iudæi postmodum legem seruare, non possint, aut de Pascha, aut de sacrificiis, aut de cæteris festiuitatibus. Ceciderunt ergo corporalia & figuralia, vt surgerent spiritualia & vera mysteria. Postea autem spiritualiter hæresum annunciabat fore certamina, quæ impiorum princeps Antichristus contra Christianos fuerat operaturus in fide. Nam excitans diabolus errorum scandala, non statim oppressit Ecclesiam, sed prius per varia loca schismata excitauit: vtputa audiebatur quomodo in illa ciuitate Fotinus hoc prædicet. Item in illa alia ciuitate Acholutus presbyter hoc sapere cœpit. Sic audiebantur à Christianis schismata, & opiniones schismatum, donec omnium hæresum dux vna eligeretur peruersio omnibus. Sed in illis non opus erat Christianis turbari, quia oportebat fieri illa. Quòd autem oportebat, docet Apostolus dicēs: Oportet inter vos hæreses esse, vt probati manifesti fiant. Et sicut in illis tunc auditionibus præliorum non fuit finis gentis Iudææ, sed posteà & Hierusalem debellata est, & Iudei quidam in gladio perierunt, quidam à bestiis, quidam in seruitute venditi sunt, quidam per singulas Gentes dispersi sunt: sic in illis auditionibus schismatum, tempore patrum nostrorum non est factus finis, sed postmodùm Ecclesia debellata est, multis ad prævaricationem aut seductis, aut coactis: modo iam restat vt fiat finis. Bene ergo ait, Vos nolite turbari. Siue enim tunc in auditione corporalium præliorum, siue modo in auditione spiritualium præliorum, nostri inturbabiles manent: quia ea quæ fiunt in mundo, non possunt nocere eis qui sunt extra mundum: & quæ fiunt carnaliter, nō possunt nocere eis qui sunt extra carnem: nec mendacia lædunt eum, in quo habitat Spiritus sanctus: sed mundus mundialibus nocet, & mendaces seducunt mendacia. Quemadmodum si quis in campo quodam, tabernaculo circundatus sit, si aliqua surrexerit tempestas ventorum, sonum quidem tempestatis audit, vexationes syluarum videt, ipse autem flatum non sentit: sic qui intra iustitiam sedet inclusus, quando mundus concutitur, rumores turbationum audit, secularium miserias aspicit, ipsum autem concussio mundi non mouet. *Insurget enim gens super gentem, & regnum super regnum.* In tempore illo omnes gentes, & omnia regna quæ videbantur esse sub imperio Romanorum, super gentem Iudæam sunt congregatæ. Et omnia pene regna super regnum ipsorum. Nec enim poterat aliquis parcere eis, quibus Deus irascebatur. Spiritualiter autem ita insurgit hæresis super hæresim, & episcopatus super episcopatum. Sicut enim tunc insurgens gens super gentem, & regnum super regnum, signum erat destructionis Hierusalem: sic posteà insurgens hæresis super hæresim, & episcopatus super episcopatum, signum fuit expugnationis Ecclesiæ. Et verè quod dicit, Insurget gens super gentem, & regnum super regnum: plus conuenit vt spiritualiter intelligamus nunc de hæresibus, quàm corporaliter tunc de gentibus. Tunc enim non gens super gentem insurrexerunt, nec regnum aduersus regnum, cùm pene omnes illæ gentes & regna super vnam excitatæ sunt gentem Iudæam. Tunc enim gens super gentem, & regnum aduersus regnum insurgere rectè dicitur, quando inuicem sibi gentes non sunt subiectæ, sed aduersantur. Nunc autem hæresis super hæresim insurrexit, & episcopatus super episcopatum. Nam omnis hæresis impia aduersus eas hæreses videtur insurgere, quæ non sapiunt similiter, vtputa hæresis Fotini non solùm Christi Ecclesiæ aduersatur, sed omnibus hæresibus aliter sapientibus. Hæresis Homoousianorum, non solùm Christi Ecclesiæ aduersatur, sed & omnibus hæresibus non similiter sapientibus. Ideo dicit: Insurget gens super gentem, & regnum super regnum. Magis autem omnis hæresis super Ecclesiam veritatis. Quoniam sicut tunc omnes gentes, quanuis non essent eiusdem generis, aut eiusdem moris, tamen non sibi aduersabantur, sed vnam debellabant Iudæam: sic diuersæ hæreses, quanuis non sint eiusdem prauitatis, tamen non sibi aduersantur, sed omnes vnam debellant Ecclesiam veritatis. Et quid? putas ideo diabolum multas hæreses induxisse, vt inuicem se mendacia eius expugnent? Absit. Sed multiformes causas erroris induxit, vt multis modis Christi circunueniatur Ecclesia, vt pars pereat per illam sapientiam, pars per istam. Sicut qui multas etiam venationes prætendit, cogitans quia necesse est aut in hæc, aut in illa retia venatio cadat. *Et erunt fames, & pestilentiæ & terræmotus per loca.* Quales pestilentiæ, & qualis fames, & terræmotus præcesserunt Iudæam antequam Hierusalem caperetur, cognoscere potest qui Iosephum legit. Spiritualiter autem ita priusquam expoliaretur Ecclesia, sine dubio præcesserunt in populo Christiano fames spiritualis verbi, pestilentię diuersorum carnalium vitiorum, terræmotus spirituales turbationum populi Christiani. Nec enim

1.Cor.11.

nata fuissent tam multa schismata in populo Christiano, nisi fuisset in eis fames verbi. Pestilentiæ, id est morbi carnalium passionum, nisi fuissent in eis cōmotiones turbationum, sicut significat Dominus in illa parabola, quam de seminandis zizaniis ab homine malo proponit, dicens: Cùm dormirent autem homines, id est cùm negligerent in peccatis, venit inimicus homo, & seminauit zizania. Qui autem satiati sunt pane verbi diuini, qui sani sunt à pestilentia passionum carnalium, qui stabiles sunt in fide & iustitia, apud eos schismata non inueniuntur dogmatum. Omnia autem hæc initia sunt parturitionis, id est pseudochristi venientis, & auditiones præliorum, & insurgens gens super gentem, & fames, & pestilentiæ, & terræmotus. Sicut hæc cùm corporaliter intellecta, initia fuerunt malorum Iudæis, incrementum autem desolatio fuit Hierusalem: sic spiritualiter hæc intellecta, initia fuerunt Christianis, incrementum autem oppressio fuit Ecclesiæ. Sicut ergo certamina hæresum initia fuerunt parturitionis: quomodo non intelligimus, quia ex quo hæreses natæ sunt, & discessio facta est multorum, ex eo consummatio cœpit? *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.* Æstimo quòd hîc iam deficit expositio corporalis, vt de tempore illo dicamus, quo Hierusalem capta est à Romanis. Ex eo quod dicit, Tunc tradēt in tribulationem, quoniam Apostoli & cæteri Christiani tunc cœperunt pati persecutionem, quando illa omnia cœperunt præparari contra Hierusalem, & nō potius ab initio, ex quo Christus ascendit, sicut Actus Apostolorum testantur. Planè igitur spiritualiter intelligere conuenit quia quando hæc omnia cœperunt fieri contra Ecclesiam Christi, id est, quando cœperunt esse dogmata falsa, quasi pseudochristi: quando cœperunt auditiones fieri, quando cœpit insurgere hæresis super hæresim, & episcopatus super episcopatum, quādo facta est fames verbi in populo Christiano, quādo comprehenderunt eos pestilentiæ vitiorum multorum, quando facti sunt eis terræmotus turbationum de rebus diuinis: tunc traditi sunt patres nostri in multas tribulationes persecutionum in toto mundo, & occisi sunt, & quidam odio habiti sunt omnibus gentibus, id est omnibus hæresibus. Nam si hoc, sicut dixi, non cōuenit de tempore apostolorum, quando erant adhuc multæ gentes non cognoscentes Deum: sed de isto tempore dicitur quando hæreses factæ sunt, cōsequenter hæ gentes quibus odio facti sunt patres nostri, hæreses sunt intelligendæ: quia quādo Ecclesia cœpit periclitari, nescio si erat in circuitu aliqua gens quæ non cognosceret Deum, cui odio esset. Qua autem ratione gentes hæreses appellentur, attende. Sic enim aliquando destructa turre, filij Noë dispersi sunt, & in tot partes diuisi, & super singulas quasque gentes præpositi sunt principes secundùm propositum ipsorum, angeli maligni: sola autem gens Iudæa in portione facta est Dei, sicut in Deuteronomij cantico scriptum est: Cùm diuideret, inquit, Excelsus gentes, quando dispersit filios Adam: statuit fines gentium secundùm numerum angelorum Dei, & facta est portio Domini populus ipsius Iacob. Nunquam enim diceret quia gens Iudæorum facta est portio Domini, nisi omnes gentes extra portionem factæ fuissent. Postquam ergo venit filius Dei in mundum, quod nulla fæcula nec sperare potuerunt, nec promereri, ne tali misericordia gens aliqua fraudaretur, vocatæ sunt omnes gentes ad fidem, mixti boni & mali. Boni, vt saluentur: mali, vt inexcusabiles fiant. Quando ergo Ecclesia ex mixtis voluntatibus erat repleta, sicut retia quæ dicuntur in Euangelio, repleta de piscibus mixtis: necesse erat vt purgaretur Ecclesia, vt boni quidem pisces mitterentur in vasis, mali autē proiicerentur foras. Ideo concessa est diabolo erroris seminādi licentia, & sic dispersæ sunt per plurimas hæreses, vnusquisque secundùm propositum suum, remansit autem vna fides tātummodo apud Deum. Ideo ergo dicunt Euangelistæ, hæreses gentes esse: quoniam sicut tunc cùm omnes homines essent vna gens & lingua, diuisi sunt per plurimas gētes: ita & modo cùm esset totus populus Christianus vna Ecclesia, & vna fides, diuisi sunt per multas hæreses. Et sicut tunc omnes gentes factæ sunt sub principatu principum malignorum, vna autem gens sub principatu Michaēlis: sic & modo omnes hæreses factæ sunt sub dæmonum principatu, vna autem sub principatu Christi remansit, de qua dicit propter Ecclesiam: Vna est colūba mea, perfecta mea. *Et tunc scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebūt inuicem.* Etiam ex his verbis ostenditur quomodo hæc non dicuntur de temporibus apostolorum, quandiu Hierusalem fuerat capienda: quoniam tunc pauci scandalizabantur, pauci Christiani inuicem se tradebāt, quia nec odiebant inuicem, sed erat omnium credentium cor vnum, & anima vna: sed de nostris dicit, in quibus plures scandalizati sunt, & scandalizantur à fide, quàm confirmentur in fide. Nunc alterutrum & tradiderunt, & tradunt, quomodo & odiunt se alteruttrum, ita vt nec in duobus synceram inuenias charitatem, non dicam in multis. *Et multi pseudoprophetæ exurgent, & seducent multos.* Prophetæ dicuntur, non solùm qui de Christo annunciauerunt, nec qui omnino futura loquuntur: sed doctores dicuntur prophetæ. Ergo pseudoprophetas, pseudodoctores appellat hæresum diuersarum, aut illos quos modò videmus diuersis argumentis religionis speciem prætendentes. Alij enim se dicunt neque manducare, neque dormire, neque algere, neque æstuare, sed semper pendere in aëre. Alij autem vestiti ciliciis, aut circundati catenis socia sibi dæmonia commouentes: & quia gratiam Dei non habent, patrocinia dæmonum cōmendant. Sed & hæc talia rursum sunt, etsi insensatos fallunt, per hæc tamen non seducuntur sapientes. Alij autem sunt, qui vehementer seducunt: quoniam etsi mendaciter, tamen Christum prædicant, fidem annunciant: quoniam sic Ecclesias habent, sic ordines clericorum, sic fideles, sic lectiones legunt diuinas, eadem dare videntur baptismata, eadem sacramenta corporis & sanguinis Christi: similiter Apostolos & martyres colunt. Per hæc ergo valde tenebrescere faciunt mentes, non solùm mediocrium hominum, sed etiam prudentum. Quem ex parte non moueat Antichristus faciens opera Christi, & ante Christianos officia vniuersa explens Christianorum? nisi fortè illum qui considerat quod Apostolus ait: Cùm enim ipse satanas transfiguret se in angelum lucis: quid magnum est si & ministri eius transfigurentur, sicut ministri iustitiæ, quorum finis erit secundùm opera eorum, non secundùm schemata Christianitatis eorum? Multos, inquit, seducent, non omnes: quia non est seducentium virtus, sed negligentia seductorum. Si autem seducentium esset virtus, omnes seducerent: nunc autē ex eo quòd non omnes seducūtur, apparet quia seductorum negligentia est, non seducentium virtus. Nam sicut veritas allicit fideles ad se, & amicos veritatis: sic & mendacium infideles rapit ad se, & amicos mendacij, non veritatis. Et veritas quidem interdum aut infideles trahit ad se, aut inexcusabiles facit eos. Mendacium autem nullo modo potest flectere ad se fideles: quoniam veritas habet in se & rationem manifestam, & firmam virtutem: mendacium autem nec rationem habet manifestam, nec virtutem

Supr.13.

Hæreses, Gentes dicuntur.

Cant.6.

Act.4.

1.Cor.11.

Deut.32.

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliquam. Deinde quia veritas & in sensu fidelium dominatur, mendacium autem in sensu fidelium nihil habet. *Qui autem perseuerauerit in finem, hic saluus erit.* Miror quomodo de Deo hæretici hæc intelligant: aut enim legentes hæc, quomodo ausi sunt perscrutationes facere: aut perscrutationes facientes, quomodo hæc legere non erubescunt? Quibus dicitur: Qui perseuerauerit vsque in finem? Nunquid persequentibus seductis Christianis? nunquid seductoribus prophetis? Non. Sicut enim non sanis, sed infirmis apponitur medicina, sic & consolatio non periculum facientibus, sed periclitantibus datur. *Et prædicabitur hoc euangelium in vniuerso orbe.* Marcus manifestius addit: Primùm, inquit, prædicabitur euangelium. Quando autem illa bella corporalia mouebantur contra Hierusalem, adhuc initiabatur euangelium. Nondum prædicatum erat in toto orbe. Ante hæreses autem consummatum est euãgelium. Nam vsque ad tempus Christiani regis, prędicantibus quibusdam, aut de gente in gentem noticia Christi currẽte peruenit ad omnes. Vis scire, quia tunc completa est noticia Christi? considera quia ex ea hæresum bella cœperunt, vt fieret electio meliorum. Nam quandiu vocatio est, non potest esse electio: & quandiu electio est, non potest facilis esse vocatio. Nam sicut impedimentum est vocationi electio, sic electioni vocatio.

Marc.13.

HOMIL. XLIX. EX CAP. XXIIII.

Dan.9.

CVM *ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta stantem in loco sancto, qui legit intelligat,* &c. Quidam dicunt abominationem desolationis esse imaginem Cæsaris, quàm Pilatus posuit in templo. Verius autem quid sit abominatio desolationis, Lucas Euangelista interpretatur. Nam in quo loco Marcus & præsens Matthæus ponunt, Cùm videritis abominationem desolationis: in ipso loco Lucas sic ponit, Cùm videritis circundari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote quia propinquauit desolatio eius. Et sic dicit, qui in Iudæa sunt: videlicet vt per alteram similitudinem expositionis eiusdem loci ostendat, quid sit abominatio desolationis stans in loco sancto. Fuit enim exercitus alienigenarum, & Romani imperatoris stans circa Hierusalem, quæ vsque tunc fuerat sancta. Hoc & Petrus apud Clementem exponit. Denique hanc esse abominationem desolationis & ipse textus ostendit. Quasi enim replicans illa omnia quæ superius dixit, breuiter comprehendit, & dicit: *Cùm ergo videritis abominationem desolationis stãtem.* Hoc est, cùm videritis ea ipsa prælia iam stantia circa Hierusalem, quæ antè audiebatis. Similiter & in fine mundi, & in Antichristo intelligendum est spiritualiter, quando & hæreses, & fames, & pestilentiæ, & illa omnia antè præcesserunt: nouissimè autem abominatio desolationis stetit in loco sancto, id est exercitus Antichristi. Exercitus autem Antichristi sunt omnes hæreses, præcipuè ista quæ obtinuit ecclesiæ locum, & stetit in loco sancto, ita vt videatur quasi verbum veritatis stetisse, cùm non sit verbum veritatis, sed abominatio desolationis, id est, exercitus Antichristi, qui multorum animas reddidit desolatas à Deo. Et hoc est fortè, quod Apostolus dicit: Qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei quasi Deus sedeat, ostendens se quasi sit Deus. Et sic omnia illa mala hæresum diuersarum, quæ anteà audiebantur tantùm, postèà steterunt in loco sancto desolantia Ecclesiam Christi. Ex quo data sibi licentia, cœperunt omnes publicè habere Ecclesias. Et nos quidem exposuimus hîc auditiones præliorum, & fames, & terræmotus, & pestilentias, auditiones hæresum, & inopias verbi, & concussiones Christianorum, & corruptiones morum, quæ antè præcesserunt à tempore Constantini, vsque ad tempus Theodosij. Abominationem autem desolationis diximus esse hanc ipsam hæresim, quæ occupauit sanctæ Ecclesiæ loca, & multos desolauit à fide, & ipsum exercitum Antichristi, & cæteras hæreses, quæ cœperunt publicè habere Ecclesias, locum obtinentes Ecclesiæ sanctum. Si quis autem auditiones quidem præliorum, fames, & tumultus, & pestilentias intelligat esse omnia hæc mala spiritualia, quæ facta sunt tempore Constantini simul & Theodosij vsque nunc: abominationem autẽ desolationis intelligat esse ipsum Antichristum, qui postmodum venire speratur, & obtinere loca Ecclesiarum sancta sub specie Christi, & multos fidelium desolare, non irrationabiliter dicit. Nam siue ista hæresis, quæ iam tenuit, siue populus ille, qui postmodum cum ipso Antichristo est futurus: rectè exercitus intelligitur esse Antichristi. Et sic prophetæ verba significant magis de consummatione mũdi: prophetia tamen, sicut docet Christus, ad vtrumque est dicta. Sunt autem verba illa sic: In dimidio septimi anni auferetur iuge sacrificium, & abominatio desolationis stabit in loco sancto, vsque ad consummationem temporis, & consummatio dabitur super solitudinem. Illic exercitus Romanus dictus est abominatio desolationis, quia ad desolationem reducturus fuerat Iudaicum cultum: hîc autem Antichristus dicitur abominatio desolationis, quia multorum Christianorum animas facturus est desolatas à Deo. Nam antequam caperent Romani Hierusalem, in dimidio hebdomadis Christus per suam doctrinam tulit de medio iuge sacrificium Iudæorum. Nam dicitur tribus annis & sex mensibus docuisse, qui numerus facit dimidium septem annorum, vt illud sacrificium quod iugiter fuerat in vsu, tolleretur de medio, & offerretur sacrificium laudis in voce, & sacrificium iustitiæ in operibus, & sacrificium pacis per Eucharistiam. Vsque ad finem autem sæculi tumultus est, quia Iudaica consuetudo de sacrificiis offerendis nunquam est reparanda. Item in dimidio hebdomadis, hoc est tribus annis & sex mensibus, hoc sacrificium Christianorum tollendum est ab Antichristo, confugientibus Christianis ante eum per loca deserta, non erit qui aut in Ecclesiam intret, aut oblationem offerat Deo. Quoniam autẽ tribus annis & sex mensibus protendendum est Antichristi regnum, multæ scripturæ significant, maximè tamen in reuelatione sua Ioannes. Et solitudinem illam consummatio occupauit. Nam vsque in finem tenebit Antichristus, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. De hoc enim & Apostolus ait, dicens: Nemo vos conturbet: quia nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius interitus, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in tẽplo Dei quasi Deus sedeat, & addidit: Iam enim mysterium iniquitatis operatur. Legi quẽdam sic exponẽtem, Quoniam omnia, inquit, quæcunque exposuit suprà, signa fuerunt præcedentia diruptionem ciuitatis illius & templi: hoc autem quod dicit, Cùm videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, & omnia quæ dicuntur deinceps, signa sunt consummationis futuræ, & venturi filij Dei, qui & in abominationem desolationis ipsum tradidit Antichristum. Quòd autẽ staturus sit in loco sancto, dicit hoc modo: Reædificaturus est (inquit) sanctuarium, quod fuit in Hierosolymis quondam, & ibi staturus: vt vidẽtes Iudæi credant in eum, non solùm propter signa eius,

Marc.13. Luc.21.

2.Thess.2.

Dan.9.

eius, sed etiam propter reparationem templi ipsius, æstimantes prophetas in tempore illo esse impletos, qui de reparatione Hierusalem prophetauerunt: non intelligentes quomodo Propheta de reparatione templi spiritualis locutus est, quam Christus impleuit, nõ de corporali quã Antichristus est impleturus. Et tunc (inquit) implebitur ibi, quod prophetauit Hieremias in Iuda. Quando non crediderint, inquit, veritati in tempore illo loquetur populo huic & Hierusalem in spiritu seductionis. Hic excitabit tribulationem super sanctos, pro eo quòd non glorificabũt eum, & multos occidet. Sed hoc de hac interpretatione dubitabile mihi videtur, si locus templi illius, ex quo dirutum est iam à Deo, postmodum sanctus vocatur, secundùm quod & hîc dicit: *Cùm videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendant tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertentur retrò tollere tunicam suam.* Tunc quando viderimus abominationem desolationis stantem in loco sancto, quibus mandat fugere? non solùm illis qui tunc fuerunt ante captiuitatem Hierusalem, sed etiam nobis qui videmus abominationem desolationis iam stantem in loco sancto: id est, populum Antichristi in locis Ecclesię. Illi autem visibilem hostem fugerunt pedibus, nos autem inuisibilem hostem fugiamus actibus bonis. Quanuis enim diabolus sit spiritus, & homo corpus: tamen nunquam illos diabolus potest comprehẽdere, qui fugiunt eum per opera bona. Sine causa autem fugit ante eum pedibus, qui sequitur eum peccatis. Sed vt sapienter intelligamus hæc quæ prophetice sunt dicta à Christo, breuiter cognoscendum est, qualis est consuetudo prophetarum. Frequenter ex occasione carnali incipiebant, & sic miscebant prophetiam: vtputa, Dauid cùm fugeret à facie Absalon, ex occasione suę tribulationis incipiens, dixit: Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? Et introducens prophetiam dominicæ passionis, addidit ita: Ego dormiui & soporatus sum, & exurrexi, quoniam Dominus suscepit me. Illa ergo quæ dixit, Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me, & cætera quæ præcedunt, secundùm historiam intelligamus. Hæc autem quæ dixit, Ego dormiui, & soporatus sum: si secundùm historiam velis intelligere, nullum habent saporem, vt dicamus, Dauid cùm pateretur à filio, dormiuit & surrexit. Quomodo enim dormiuit, vt surgeret? Quid ergo? Necesse habemus relinquere ordinem historiæ, & spiritualiter intelligere de Christo. Tale est quod Petrus dicit in Actibus, interpretans, Et non dabis sanctum tuum videre corruptionem: quia non poterat hoc intelligere de Dauid, sed de Christo: quia Dauid vidit corruptionem, Christus autem tertia die resurgens, non vidit corruptionem. Sic intelligenda est & hæc Christi prophetia. Cœpit ex occasione corporalis fugæ, & quæ facta est tempore illo in Hierusalem, & prophetia magis de spirituali. Ecce enim hoc quod dicit, Qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: corporaliter secundùm historiam, & si vis intelligere, possibile est in tempore Romanorũ: in tempore autem Antichristi, de Iudæa ad montes fugere corporaliter, non proderit. Primùm, quia nec erit Antichristus tantummodo in terra Iudæa, nec Iudæi futuri sunt ante illum, sed vbicunque fuerint Christiani, ab illo aut à ministris eius persecutionẽ passuri sunt: nec ciuitas alia tunc est circuncidẽda, sed vbique Christianus populus indagandus. Hoc autem quod dicit, Qui super tectum est, non descendat tollere aliquid de domo: siue in tempore Romanorum, siue in tempore Antichristi, nõ potest habere corporalem intellectum: quia in tempore captiuitatis, aut persecutionis, quid prodest homini, si sedeat super tectum, & non descendat deorsum? sine dubio enim, aut quando non vult deponitur, aut cum ipsa domo succenditur. Quid ergo? Spiritualiter hæc omnia magis sunt intelligenda hoc modo. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes. *Tunc cùm videritis abominationem desolationis stãtem in loco sancto.* Id est, cùm videritis hæresim impiam, quæ est exercitus Antichristi, stantem in locis sanctis Ecclesiæ, in illo tempore qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: id est, qui sunt in Christianitate, conferant se ad scripturas. Sicut enim verus Iudæus est Christianus, dicente Apostolo, non qui in manifesto Iudæus est, sed qui in occulto: sic vera Iudæa Christianitas est, cuius nomen intelligitur confessio. Montes autem sunt scripturę apostolorum, aut prophetarum, de quibus dictum est: Illuminas tu mirabiliter à montibus æternis. Et iterum de Ecclesia dicit? Fundamenta eius in montibus sanctis. Et quare iubet in hoc tempore omnes Christianos cõferre se ad scripturas? Quia in tempore hoc, ex quo obtinuit hæresis illas Ecclesias, nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, neque refugium potest esse Christianorum aliud, volentium cognoscere fidei veritatem, nisi scripturæ diuinæ. Anteà enim multis modis ostendebatur, quæ esset Ecclesia Christi, & quæ gentilitas: nunc autem nullo modo cognoscitur, volentibus cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodo per scripturas. Quare? quia omnia hæc quæ sunt propriè Christi in veritate, habẽt & hæreses illæ in schismate: similiter Ecclesias, similiter & ipsas scripturas diuinas, similiter episcopos, cæterósque ordines clericorum, similiter baptismum, aliter Eucharistiam, & cætera omnia, denique ipsum Christum. Volens ergo quis cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, vnde cognoscat in tantæ confusione similitudinis, nisi tantummodo per scripturas? Item antea & per signa cognoscebãtur, qui erant veri Christiani, & qui falsi. Quomodo? Falsi quidem aut non poterant facere, sicut veri Christiani: aut talia non poterant, qualia veri Christiani: sed faciebant vacua, admirationem quidem facientia, vtilitatem autem nullam habentia: sicut frequenter exposuimus. Christiani autem faciebant plena, non solùm admirationem facientia, sed etiam omnem vtilitatem habentia. Et per hæc cognoscebantur qui erant veri Christiani, qui falsi. Nunc autem signorum operatio omnino leuata est: magis autem & apud eos inuenitur, qui falsi sunt Christiani, fieri ficta. Sicut autem Petrus apud Clementem exponit, Antichristo etiam plenorum signorum faciẽdorum est danda potestas. Item ex moribus ipsis prius intelligebatur Ecclesia Christi, quãdo conuersatio Christianorum, aut omnium, aut multorum erat sancta, quæ apud impios non erat. Nunc autem aut tales, aut peiores facti sunt Christiani, quales sunt hæretici aut Gentiles. Adhuc autem & maior continentia apud illos inuenitur, quanuis in schismate sint, quàm apud Christianos. Qui ergo vult cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, vnde cognoscat, nisi tantummodo per scripturas? Sciens ergo Dominus tantam confusionem rerum in nouissimis diebus esse futuram: ideo mandat, vt Christiani qui sunt in Christianitate, volentes firmitatem accipere fidei veræ, ad nullam rem fugiant, nisi ad scripturas. Alioqui si ad alia respexerint, scandalizabuntur, & peribunt, non intelligentes quæ sit vera Ecclesia. Et per hoc incident in abominationem desolationis, quæ stat in sanctis Ecclesiæ locis. *Et qui super tectum est, in tempore illo non descendat tollere aliquid de domo sua.* Domus nostra, est corpus nostrum. Superiora eius, sunt cor, aut caput, quæ intelliguntur domus tecta. Inferiora autem sunt venter, aut

Pſal.3. Ibidem.

Act.2. & Pſal.15.

2.Theſſ.2. Ibidem.

Dan.9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cætera occultabilia membra. Tamen vt melius intelligamus, quæ sunt tecta domus, historiam de Raab proferamus. Hæc suscepit legatos Iesu Naue, & in superiori parte domus absconditur, ne inueniret rex Hiericho. Hæc est Ecclesia, quæ aliquando meretrix fuit, quæ legatos Iesu Christi, id est Apostolos & Prophetas, hoc est scripta eorum susceptit: & in superiori parte corporis sui absondit: id est in sensu, in memoria, & in corde, vt non inueniat eos rex mundi diabolus, vt confidenter dicere possit: In corde meo absconditi eloquia tua, vt non peccem tibi. Quid ergo? Quicunque in tempore illo fuerit super tectum, id est in rebus spiritualibus viuens, quæ sunt aut in capite, aut in corde: quæ tecta dicuntur corporis nostri, & fastigia prima: non descendat ad inferiores corporis sui partes, vnde aliquid tollat: id est, non descendat ad aliquas res carnales, vt desideret aliquid quod est corporale. Alioqui comprehendet eum abominatio desolationis. Et vide quia quotquot pereunt de Christianis, propter aliquam corporalem causam pereunt constitutam deorsum. Alij propter auaritiam, vt ne perdant quod habent, aut inueniant quod non habent. Alij pereunt propter gulam, paupertate coacti: alij propter vxores, aut propter maritos: alij propter alias causas carnales quæ omnia pertinent ad inferiores corporis partes. Sicut enim viuentes in carne, relinquere videmur carnem, relinquentes opera carnis, & transimus ad spiritum, facientes opera spiritus, vt rectè dicatur de nobis: Vos autem non estis in carne, sed in spiritu: Sic relinquere videmur inferiora corporis nostri, opera relinquentes carnis, & ascendimus ad cor & caput, viuentes secundùm illas virtutes, quæ sunt in capite, aut in corde, aut in spiritu: quæ omnia tecta domus nostræ dicuntur. Mandat ergo fidelibus viuentibus in sanctitate, ne aliquid concupiscat carnale, quod est descendere, ne fortè per occasionem desiderij illius, diabolus inueniat locum, & trahat ad abominationem desolationis, & pereant. Item, qui est in agro: id est, aut in scripturis, aut in Ecclesiis, aut in Christo, non reuertatur retrò tollere tunicam suam, id est aut cõuersationem, aut cultum priorem: Vtputa, Iudæus fuisti, & factus es Christianus: in agro es, ne ad Iudaicum reuertaris cultum. Gentilis fuisti, & factus es Christianus: ne aliquid quod est gentilitatis resumas, ne per illas occasiones incidas in errores abominationis illius, quoniam hæreses illæ, si vis Iudaismum, habent in se: si vis gentilitatem, inuenies apud eos. Propterea facilè cadunt in illas, qui non fuerint cauti secundùm mãdata Domini hæc præmonentis. *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.* Quia aut ventris, aut gremij põdere prægrauati, non possunt expediti esse ad fugam. Si enim dimiserint infantes suos, viuentium viscerum suorum patientur separationem: si autem baiulauerint, suscipient vitæ periculum. Puto hoc melius intelligi posse spiritualiter ad tempus Antichristi, quæ sunt spirituales prægnantes, & nutrientes Ecclesiæ Christi in singulis quibusque gentibus constitutæ. Ecclesię, quando prædicant verbum veritatis, credentes in fide concipiunt, & habent eos in gremio suo, quasi in vtero, donec formentur catechizati per singula membra pietatis & fidei. Cùm autem formati fuerint sic, pariunt eos in baptismo: postquam autem pepererint, necesse eos habent lactare doctrinis assiduis. Sed primùm videamus, quomodo Deo formant in vtero Ecclesiæ hominem conceptum in fide: Vtputa legis iustitia est abstinere à malis operibus tantùm, non etiam facere bona opera: Christi autem iustitia non est abstinere à malis operibus tantùm, sed etiam facere bona opera. Item legis iustitia prima & salutaris, decem habet mãdata, quasi decem menses. Primum, cognoscere vnum Deum: secundum, abstinere ab idolis: tertium, non periurare: quartum, colere sabbatum spirituale: quintum, honorare patrem & matrem: sextum, non occidere: septimum, non adulterari: octauum, non furtum facere: nonum, non falsum testimonium dicere: decimum, nullam rem proximi concupiscere: videlicet secundùm mysterium nominis Iesu Christi, quod est in litera, iota: id est, perfectionis indicio. Omnis ergo Ecclesia, quæ concipit hominem in vtero suo per verbum in fide, prius debet eum formare omnibus his mandatis, quasi mensibus decem, vt discat prius abstinere ab omnibus malis, & sic eum maturum in baptismum parere Deo. Alioquin antequam discat ab his omnibus abstinere, si baptizauerit eum, nõ parit, sed immaturum proiicit: sicut mulier, nisi completis nouem mensibus, & decimum tangens peperit, abortum facit. Propter quod nec est homo ille vitalis. Sicut & modò pene omnes non parit Ecclesia secundùm ea quæ diximus, sed abortos facit. Propter quod nec baptizantur in veritate à Spiritu sancto. Differt enim Deus dare eis baptismum Spiritus sancti, donec dignos se præbuerint illo tali baptismate. Sed & eum formatum in decem illis supradictis mandatis, & abstinentem à vitiis baptizans bene parit: tamen adhuc paruulus est ille qui baptizatus natus est Ecclesiæ filius, & tenerè adhuc duorum testamentorum, quasi duarum mamillarum modica iustitia est nutriendus, quasi tenero lacte secundùm angustias faucium fidei suæ, quam ipse cepit carnis natura, quam etiam gentes volentes laudabiliter viuere seruant. Cùm autem sic enutritur, paulatim incipit posse suscipere fortiora, & spiritualia Christi mandata, quasi nutritorios & vitios panes: id est, in lege scriptum est, Non occides: ego autem dico, Nec irascaris: In lege scriptum est, Non adulteraberis: ego autem dico, Nec vsque ad oculum concupiscas. In lege scriptum est, Non periurabis: ego autem dico, Nõ iures omnino. In lege scriptum est, Oculum pro oculo: ego autem dico, Non resistere malo omnino. In lege scriptum est. Amabis amicum, & odies inimicum: ego autem dico, Diligite inimicos vestros. Item, Beati pauperes, beati mansueti, beati qui lugent, beati qui esuriũt & sitiunt iustitiam, beati misericordes, beati mundo corde, beati pacifici, beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Nam adolescenti cuidam interroganti, Quid faciam, vt viuam? sic primum ei secundum legem mandauit, Non occides, non adulterabis, &c. Cùm autem ille dixisset, Hæc omnia seruaui à iuuentute mea, secundùm ætatem carnalem, quam nos verum dicimus: sic ei supermandatur: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me. Qui ergo talis est, neque mori potest quasi abortiuus, nec seduci quasi insipiens, nec vinci quasi infirmus, nec perire quasi paruulus: sed est vir perfectus, & aduersus omnia inuincibilis filius Dei. Qui autem paruuli sunt, scandalizabiles sunt. De quibus dicit Dominus in Euangelio: Amen dico vobis, quicunque scandalizauerit vnum de pusillis istis credẽtibus in me, expedit ei, vt mola asinaria suspendatur in collo eius, & demergatur in profundum maris. Et si paruuli in Ecclesia scandalizabiles sunt, quantò magis abortiui non sunt vitales? Si ergo hæc ita se habent, quare non dixit, Væ his qui in vtero habẽtur, & væ his qui nutriuntur adhuc: sed, væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus? quia quando huiusmodi abortiui abstracti ab vtero Ecclesiæ, aut paruuli tales, nesciunt quid patiuntur: quando enim non sentiunt, sic pereunt. Adhuc autem vt de proprietate loquar paruulorũ, gaudent seducti, ad interitum ducũtur, & rident

Ioste 2. & 6.

Psal. 118.

Rom. 8.

Iota.

Exod. 20. & Deut. 5. & Matt. 5.
Exod. 21. & Matt. 5.
Leuit. 19. & Matt. 5. Luc. 6.

Marc. 9.

& rident illecti. Ideo dicit, Væ prægnantibus Ecclesiis, & nutrientibus, quando ipsæ de perditione illorum talium lamentabuntur & plangent. Ecce quantos videmus de Ecclesia huiusmodi abortiuos, & paruulos ductos ad præuaricationis interitum. Nunquid aliquis eorum lachrymauit? Nunquid aliquis tristatus est? sed adhuc ex diuerso abierunt gaudentes. Sed Ecclesię dolorem perditionis eorum ipsæ lamentantur & plangunt. Ideo dicit, Væ Ecclesiis prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Et si quidem negligentia Ecclesiarum aut immaturi fuerint nati, aut paruuli, non habentes qui aut informaret eos, aut postmodum cõsummaret in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi: dupliciter væ Ecclesiis prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus: quia & in hoc sæculo dolorem patientur perditionis eorum, & in die iudicij damnabuntur, propter negligẽtiam & eruditionem eorum. Si autem Ecclesiæ quidem competenter circa eos diligentiam impẽderunt, illi autem nec audierunt, nec ante baptismum informati acquieuerunt, elongantes se à conuentu & ab omni auditu scripturarum, & ab omni verbo doctrinæ alloquentium sacerdotum, neque post baptismum proficere voluerunt: Ecclesiis quidem væ, quia siue hoc, siue illo modo patientur dolorem perditionis eorum: illis autem multipliciter væ, quia omnis causa perditionis eorum ab illis solis requiretur in die iudicij. Quoniam corporis quidem profectus non est in potestate hominis, sed Dei: animæ autem profectus, voluntarius est. Videamus ergo, ne nos imperfectos inueniat aut nunc hæreticorum dominatio, aut tunc ipsius Antichristi. Quoniam sicut opera bona in die tentationis præstant spei virtutem: sic opera mala desperationis operantur infirmitatem. *Orate autem, vt non fiat fuga vestra hyeme, vel sabbato.* Et carnaliter, & spiritualiter legitur. Fugientibus enim & in via manere necesse est, & in syluis latere, & per deserta vagari. Fuga autem vestem portare non sinit, domum intrare non permittit, ignem accendere non concedit. In hyeme autem quid faciat fugiens? Necesse est ergo aut fugiens frigore pereat, aut manens gladio moriatur: Similiter in sabbato non licebat amplius ambulare, nisi certum spacium viæ. Vnde dictum est in Actibus apostolorũ, sabbati habens iter. Quid ergo faciet fugiens Iudæus in sabbato? necesse est vt aut legem prætereat fugiens, aut mortem suscipiat manens. Spiritualiter autem de Christianis talem habent interpretationem. Hyemem dicunt frigus infidelitatis spirituale. Qui enim non habet in corde suo ignem, de quo Dominus dicit: Ignem veni mittere in terram, id est verbum diuinum, de quo calefiat in fide: ille semper in hyeme est, etsi fuerit in media æstate: quia dubitationum incursus, quasi quasdam tempestates de fide Christi patitur anima eius, & alget. Aut in hyeme est, qui in persecutione est, & tempestatem patitur impiorum. Et ideo frigida fit fides omniũ, & ad plenum gelat, nisi iterum calefecerit eos Spiritus sanctus. Item est corporale sabbatum secundùm literas legis, quod Iudæi intelligebant, & conseruabant dum à corporali opere abstinerent, non à corporalibus malis. Et est spirituale, secundùm quod gratia Christi manifestauit: quod intelligunt Christiani & obseruant, abstinentes se non ab opere corporali, sed à corporalibus malis. Qui ergo vacat ab opere malo faciens opera bona: laudabiliter sabbatizat, & sanctè secundum spiritum, & Dei consilium: qui autem recedit ab opere bono, faciens opera mala, culpabitur, & impiè sabbatizat. De hoc itaque non bono sabbato loquitur Dominus in hoc loco admonens, vt ne dies ille inueniat eos in peccatis. Ideo ergo dicit, Ne fuga vestra hyeme vel sabbato fiat, quia quicunque in hyeme infidelitatis inuentus fuerit, aut in deliciis huius mundi sabbatizans, & otiãs ab opere bono: necesse est vt tribulationum tempore superatus, pereat credendo Antichristo, quoniam sicut diximus, opera bona in persecutionibus ad fidem spei præstant virtutem. Quoniam autem de deliciis & peccatis loquitur locus iste, manifestius adaperit euangelista Lucas. Cùm enim locum istum exponeret, ita subiunxit: Videte ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate. Ex duabus ergo parabolis superioribus prior quidem docet vt festinemus perfecti esse in fide Christi: quod possumus adimplere, si scripturis & doctrinæ sacerdotum assidui fuerimus. Quoniam qui in fide Christi, & operibus bonis sunt imperfecti, ipsi sunt qui adhuc in vtero habentur, aut adhuc paruuli sunt, qui facilè periclitantur in tempore persecutionis, & pereunt, quia dubij sunt de fide Christi. Sequens autem docet, vt ne vacui inueniamur ab operibus bonis, & ab exercitationibus virtutum: quia qui sic inuenti fuerint, ipsi sunt paruuli qui in die persecutionis citò periclitantur à fide Christi: quia non habent opera bona confortantia eos in spe, nec exercitationem virtutum in sufferentia aduersorum. Similiter & ex duabus parabolis sequentibus, Prior quidem admonet, ne imperfecti inueniamur in fide. Ipsi sunt quidem, qui dubitationis hyemem patiuntur. Sequens autem, vt ne fine bonis operibus inueniamur in tempore illo, sabbatizantes ab opere bono. *Erit enim tribulatio magna, qualis non fuit ab initio sæculi vsque modo.* Quoniam dixit, Væ prægnantibus & nutrientibus: &, videte ne fuga vestra hyeme aut sabbato fiat. nunc exponit quare, id est quia erit tribulatio magna. Vsque ad Christum enim Iudæi etsi peccatores fuerunt, tamen filij erant, non hostes: & ideo omnis ira quæ veniebat super eos, castigatio erat de misericordia veniens, non condemnatio de ira descendens. Crucifixo autem Domino desierunt esse filij, & sunt facti hostes. Propterea iam non castigatio venit corrigens, sed condemnatio eradicans. Capta est enim Hierusalem ab Assyriis, & iterum reparata est. Destructa est ab Antiocho, & iterum reædificata est. Inuasa est tertio à Pompeio, & iterum reparata est. Sicut enim homo priusquam dies mortis eius adueniat, languere quidem potest, mori autem non potest: sic & Iudæa ante Christum vexata est quidem, perdita autem non est. Postquam verò horrendum patricidium commiserunt, crucifigentes filij patrem, mortem inferentes, à quo acceperunt vitam: & quod maius est, occidentes serui dominum, homines Deum, tali eos plaga percussit, vt nunquam sanentur. Sicut illi tale facinus commiserunt, quale nunquam commissum est, nec est committendum: sic & super illos talis sententia venit, qualis nunquam venit, nec veniet. Hæc aptius est de consummatione mundi suscipere, cuius figura fuit tribulatio illa. Tunc verè talis erit tribulatio, qualis nunquam fuit. Tunc dicent homines, Aperiat se terra, & glutiat nos. Vsque tunc enim omnis ira quæ fit à Deo, ideo fit, vt fideles quidem tẽtet, infideles autem emendet: cùm autem Antichristus venerit, talis veniet ira, vt & infideles omnino pereant, & fideles plenius coronentur. Cùm enim multi Christianorum credentes Antichristo, signum nominis eius in manu dextera, & in fronte susceperint: tunc exibunt angeli cum igneis curribus volantes per aëra: & inuisibili manu signabunt omnes fideles, in quibus tamen inuentum non fuerit signum Antichristi. Ex illo iam plagæ, quæ venturæ sunt super terram, in quibus & finiendus est mundus, iam nõ tangẽt fideles qui signati sunt, sed illos percutient, super quos Antichristi inuẽtum fuerit signum,

Act. 1.

Luc. 12.

Luc. 21.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Erit enim tribulatio magna, qualis nũquam fuit. Nónne maior fuit tribulatio in diluuio, quando ab omni creatura nihil remansit, nisi solus Noë cum familia sua? Gen.7.
Hic autem etsi multi occiduntur, tamen multi euadent. Sed in hoc peior erit tribulatio ista, quia illic corporalis fuit perditio, hîc autem spiritualis. Quis autem illic tormentis astrictus est, quia coluit Deum? sed econtrario puniti sunt quia noluerunt colere Deum. Hîc autem tormentis afficiendi sunt, qui non transeunt ad diabolum, relinquentes Deum. Nónne maior fuit tribulatio Gen.19.
in Sodomis, vbi nullus euasit ab igne, nisi solus Lot? Sed illic fuit aduersus peccatores iusta Dei vindicta, hîc autem erit aduersus sanctos crudelis diaboli violentia. Quantò ergo preciosior anima, quàm corpus: tantò miserabilior perditio animarum, quàm corporum. Illic perditis iniquis, euaserunt iusti: hîc autem punitis aut fugatis iustis, iniqui gaudebunt. Sed & si qui prudentes sunt, cum considerant non corporalem huius mundi
B statum, qui adhuc quodammodo stare videtur, quanuis & ipse sit minoratus, sed spiritualem totius Christianitatis statum subuersum: intelligunt quia nunquam talis fuit tribulatio spiritualis, qualis facta est nunc ex tempore hæresum corrumpentium vniuersa. Perierunt, sicut diximus, omnes in diluuio, sed corporaliter perierunt. Perierunt omnes spiritualiter ante Christum, præter Iudæos, sed ignorantia perierunt: nunc autem in scientia perierunt, & pereunt. Multum enim interest inter illos qui in ignorantia sunt, & in ignorantia perierunt: & inter istos qui in veritate quidem nati sunt, propter aliquid autem mundiale, scientes ad mendacia transierunt, & perierunt in eis, & pereunt. Illi enim forsitan aliquo modo habebunt remissionem, isti autem nullam remissionem habebunt, neque in hoc sæculo, neque in futuro: quoniam ipsi sunt qui blasphemauerunt, & blasphemant in Spiritum sanctum. Illi enim iudicandi sunt, quia veritatem non quæsierunt: isti autem
C condemnandi, quia spreuerunt. Leuior enim culpa est veritatem non apprehendere, quàm cõtemnere apprehensam. *Et nisi Deus breuiasset dies illos, nõ fieret salua omnis caro.* Abbreuiabuntur dies, vt atrocitas tribulationum breuiata compendio temperetur. Breuiatos autem dies intelligimus, non mensura, sed numero. Sicut enim
Psal.92. longitudinem dierum, quàm dicit Propheta: Domum tuam decet sanctitas in longitudinem dierum: non per lõgos dies intelligimus, sed multos: sic & breuiati dies, non breues dies sunt intelligendi, sed pauci. *Omnis caro.*
Deut.10. Frequenter enim scripturæ pro hominibus animas ponunt: sicut ibi, Septuaginta animæ intrauerunt in Ægyptum. Frequenter pro hominibus dicitur caro: sicut
Psal.64. ibi: Orationem meam exaudi, ad te omnis caro veniet. Quando ergo & animas appellat, spirituales & perfectos homines vult ostendere: vbicunque autem carnem, carnales homines, & infirmos. Ergo dicendo, non fieret salua omnis caro: vult nobis ostendere, quia non
D solùm spirituales homines & perfecti, sed etiam mediocres homines & infirmi de illo persecutionis periculo sunt liberandi, non virtute fidei, aut merito operum suorum, sed velociter subueniente Christi aduentu. Non enim propter peccatores dimittit diutius, vt etiam electi periclitentur, sed propter electos festinaturus est, vt neque mediocres deficiant: quia promptior est Deus ad liberandos bonos, quàm ad perdendos malos. Nam & aurifex, si inuenerit aurum sordibus mixtum, non propter sordes etiam aurum contemnit, sed propter modicum aurum cõtentus est etiam sordes accipere. Sed & semper dies mali sanctorum abbreuiãtur. De iniquis scriptum est: Viri sanguinum & dolosi
Psal.54. Ibidem. non dimidiabunt dies suos. De iustis autem: Non dabit

A in æternum fluctuationem iusto. Accipe autem mihi ad documentum ipsa tempora anni: ab æquinoctio vernali duodecimi mensis incipiunt paulatim tepescere aëres per singulos dies, vsque ad mensem tertium, & dies fieri noctibus longiores. Item ab æquinoctio autumnali mensis septimi incipiunt paulatim iterum frigescere aëres per singulos dies, & noctes fieri longiores diebus vsque ad mensem nonum, quando celebratur Christi natalis: & sic inueniuntur nouem quidem mensibus aëres quidem temperati, & dies prolixiores, tribus autem mensibus aëres glaciales, & dies breues. Vides quomodo Deus misericorditer dispensauit, vt dies quidem mali inueniantur & pauci, boni autem plures, & longi. Si ergo statum mundi huius, qui ad vsum omnium hominum communis habetur, sic Deus misericorditer dispensauit: quantò magis statum vitæ eorum, cum maiori dispensat misericordia, vt & voluntas eorũ in malis tentata clarescat, & virtus voluntatis eorum
B velociter Deo subueniente non patiatur defectionem, secundùm quod & Apostolus dicit: Tentatio vos non 1.Cor.10.
apprehendat, nisi humana. Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis sustinere, sed faciet cum tentatione etiam prouentum, vt possitis euadere. *Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hîc est Christus, ecce illic, nolite credere.* Qua ratione supra quidem, priusquam de abominatione desolationis exponeret, sic dicit: Vi- Hic sup. & Marc. 13.
dete ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum Christus. Hîc autem postquam de abominatione desolationis statura in loco sancto locutus est, ita dicit: Tunc si quis vobis dixerit, ecce hîc est Christus, ecce illic, nolite credere. Si memor es quia abominationem desolationis interpretati sumus staturam in loco sancto, hanc impiam hæresim occupaturam loca Christianorum, intelligis quoniam eleganter est dictum. Per hanc enim significabat quomodo & priusquam hæresis ista abomina-
C tionis loca sancta obtineret, & priusquam diuersarum hæresum constituerentur Ecclesiæ, seductio quorundam erat futura: sicut & factum est. Et postquam obtinuisset, & hæresum diuersarum Ecclesiæ constitutæ fuissent, eo amplius seductio quorundam erat futura: sicut & fit. Nam prius nudi dogmatum sermones faciebant errorem, nunc autem multarum hæresum ipsæ Ecclesiæ constitutæ. Ideo tunc vniuscuiusque dogmatis nudum verbum dicebant: Ego sum verbum veritatis, Ego sum Christus. Nunc autem singulatim professores hæresum diuersarum dicunt, Ecce hîc est Christus, id est Ecclesia. Et illic, id est Ecclesia. Quia iam non audiendo dogmatum verba, sed videndo eorum Ecclesias, Christiani scandalizantur infirmi. Adhuc autem de Antichristo ostendit per hæc verba, quia in illo tempore sancti in multis tribulationibus constituti, fortiter desiderabunt Christi aduentum, iam non sustinente carnis natura. Aliquotiens diximus, quòd
D diabolus non ingerat genus tentationis in homine, sed desiderium vniuscuiusque considerat. Et secundùm quòd viderit hominem desiderantem aliquid, ex eo accipit occasionem tentandi. Vnde & Christum cùm Sup.4. Gen.3. Infr.26.
esurientem sensisset, tentauit in fame: & Adam & Heuam cùm vidisset diuinitatis amorem habentes, diuinitatis promissione seduxit. Et Iudam cùm inuenisset auarum, pecuniæ cupiditate ad proditionem saluatoris attraxit. Sampsonem cùm inuenisset amatorem fœminarum, per mulierem præcipitauit. Sic ergo & tunc diabolus videns sanctos in angustiis constitutos, & fortiter desiderantes Christi aduentum, primùm quidem propter intolerabiles persecutiones, deinde propter repromissionem temporis illius de aductu Christi, quæ Iudic.16.

facta

facta fuerat in scripturis, ideo sub nomine Christi & A Prophetarum tentabat seducere sanctos. Et quos diuersis cruciatibus non potuit superare, victus in sua crudelitate, armabat se fraude, dicens per suos ministros: Ecce hîc est Christus, ecce illic. Nam quando aliqua rerum conturbatio fit, tunc abundant mendacia. Vnusquisque enim dum aut timet aduersa, aut desiderat prospera, ipse sibi nouas generat famas. Et ita diabolus suspensas animas hominum inuenta occasione deludit, hoc nuncians in auribus hominum, hoc ostentans ante oculos eorum, quod vnumquemque aut timere, aut desiderare cognouerit. Sicut enim ægrotus in doloribus positus omni homini ostendenti sibi aliquid ad remedium, facile credit, non diiudicans personas medicantium, neque discutiens artificia eorum: ipsa enim doloris anxietas omnia omnibus credere cogit: sic & tunc sancti in necessitate persecutionum positi, & quasi ægroti, desiderantes refrigerium Christi, omnibus referentibus aliquid de Christo, facilè credent. Ipsa enim B pressuræ necessitas credere cogit. *Exurgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna.* Non inutilia, neque vana, quæ ministri diaboli facere solent: sed magna, id est vtilia & plena, quæ sancti facere solebant. Nam in tempore quidem Apostolorum, & postmodum ministri quidem Christi vtilia & plena signa faciebant ex parte dextra: qualia sunt cæcos illuminare, & alia huiusmodi facere: ministri autem diaboli inutilia faciebant, & vana ex parte sinistra, quæ admirationem quidem videntibus excitarent, ad vtilitatem autem nullius proficerent. Et erat inter ministros Christi, & ministros diaboli ex hoc iudicare qui inutilia, & qui vtilia facerent signa. In fine autem temporis concedenda est potestas diabolo (sicut in historia Clementis Petrus exponit) vt faciat signa vtilia, & ex ea parte qua prius facere consueuerãt sancti, vt iam ministros Christi non per hoc cognoscamus, quia vtilia faciunt signa, sed quia omnino non hæc faciunt signa. Qua autem ra- C tione hoc ordinauit Deus, attende: quia non semper
Eccles.3. tempus vocationis est, sicut ait sapientia: Tempus congregandi lapides, tempus dispergendi. Tempus ergo fuit congregandorum lapidum, quando lapides viui, id est fideles ab infidelitate vocabãtur ad fidem. Tempus autem erit dispergendi lapides, quando Ecclesia tradetur ad tentationem, vt lapides id est Christiani, qui non proficiũt in ædificationem corporis Christi, foras proiiciantur. Donec ergo fuit vocatio ad fidem ex infidelitate, fecerunt signa & serui Christi: quia signa diuinæ vocationis testimonia sunt, vt prædicationis veritas miraculis commendetur: cessante autem vocatione, incipiet seductio reuocãs homines à fide ad infidelitatem. Incipiente ergo seductione, tradenda sunt seductionis adiutoria diabolo, id est potestas faciendorum signorum, vt signis & prodigiis mendacia sua pro veritate commendet. Sed fortè dicis: Si Deus concessit diabo- D lo virtutem faciendorum signorum, quomodo ipse mandat, ne seducantur sancti? Si ergo non vult vt seducantur, vt quid diabolo dat seducendi virtutem? Si autem vult vt seducantur aliqui, quare omnibus mandat ne seducantur? Audi: Concedit diabolo seducendi virtutem, vt ne mali inter bonos remaneãt apud Christum: mandat autem, vt ne boni inter malos transeant ad diabolum. Nam sicut crudele est fideles cum infidelibus perire, sic indignum est fideles cum infidelibus glorificari. *Ita vt in errorem mittant, si fieri potest, etiam electos.* Non dixit, Vt seducant, si fieri potest etiam electos, sed in errorem mittant. Frequenter enim sancti videntes aliquas operationes diaboli abscõditas sub specie pietatis, dum non possunt intelligere profundas in-

sidias inimici, conturbantur in corde suo, ac scandalizantur, & dicunt. Quid sit hoc quod ita fit? non tamen citò flectuntur, vt credant. Et si sensu vincuntur quasi homines, fide autem stant quasi inuicti. Magnitudinem autem signorum ostendere volens, ideo dicit, vt si fieri potest: quoniam quãtùm ad magnitudinem signorum illorum potest fieri vt seducantur etiam electi: sed ideo non seducuntur, quia perire non possunt, quos Deus præordinauit ad vitam. Dum ergo signorum magnitudinem prædicit, in conseruandis fidelibus, Dei potentia demonstratur. Et de tempore hæresum nihilominus conueniunt intelligi hæc. Falsi enim Christiani, sunt falsæ veritates hæresum: falsi autem Prophetæ, prædicatores veritatum falsarum. Dant autem signa, eadem facientes in simulatione, quę faciunt fideles in veritate. Nam & castitati student, & ieiunia celebrãt, & eleemosynas faciunt, & omnem ecclesiasticum canonem supplent. Aut non tibi videntur magna esse signa seductio- B nis, cùm videas diabolum facientem opera Dei? *Ecce prædixi vobis.* Contestationis verba sunt hæc, vt ne aliquis dicat, vidi eum talia facientem signa, qualia ipse Christus fecit, & ideo credidi, existimans illum esse Christum. Propterea dicit: Ecce prædixi vobis: vt excusationem ignorantiæ tollat ab hominibus, & præcedens contestatio iustam faciat pœnam sequentem. Misericordia enim est, mandatis præuenire periculum. Non enim vult quempiam perire, qui omnibus monstrat perditionis aduentum. *Si autem dixerint vobis, Ecce in solitudine est, nolite exire: ecce in domibus, nolite credere.* Hoc nunc tertium de cauẽdis seductionibus dat mandatum. Primum est, Videte ne seducaminj, multi enim venient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus. Secundum, tunc dicent vobis, Ecce hîc est Christus, ecce illic, nolite credere. Tertium, præsens, dicens: Si dixerint vobis, ecce in solitudine est, nolite exire: ecce in domibus, nolite credere: vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, vt trina denunciatio inexcusabilem faciat negligentem. Primum ergo mandatum dedit de seductionibus futuris, priusquam abominatio desolationis constitueretur in loco, & priusquam hæresum ædificarentur Ecclesiæ. Secundum autem de seductionibus pòst futuris, sicut iam diximus supra. Tertium verò manifestissimè de tempore furentis Antichristi, dicens: *Si quis vobis dixerit, ecce in solitudine est, nolite exire.* Seducere enim vos volũt. Sed dicat aliquis, Quid enim? si fideles tunc non exierint in desertum, aut non intrauerint in domos: nunquid per hoc ipsum poterunt declinare periculum, maximè cum tunc Antichristus vniuersa vbique contineat, & intus & foris, & in ciuitate & in deserto? Sed vide quoniam hæc dicens ostendit, quia tunc fideles latentes erunt in locis quibusdam secretioribus, Deo eos abscondente potius quam loco, sicut scriptum est: Abscondes in abscõdi- Psal.30.
to vultus tui à conturbatione hominum. Proteges eos
in tabernaculo tuo, à contradictione linguarum. Præmonet ergo eos, ne fortè tunc audito Christi aduentu, per homines seductores procedant ad palàm, & aut in deserto comprehendantur egressi, aut in domibus concludantur ingressi. Quid enim faciat in solitudine Christi aduentus? Nunquid magis amat solitudines locorum, quam congregationes hominum? Aut nunquid homines timet, vt in solitudine lateat? Si enim quando passurus aduenit, non timuit reges aut iudices, sed inter impios populos prædicauit pietatis sermonem: quomodo tunc timebit, cum venerit iudicare peccatores? *Si quis vobis dixerit, ecce in domibus, nolite credere.* Iniuriam enim facitis diuinitati, si in domibus illam queritis, quæ implet cœlum & terram: aut si latere putatis qui venit

Universidad de Deusto Biblioteca

ſuperbis reſiſtere, & humiles exaltare. In primo enim aduentu ideo celatus venit corpore, vt probaret fideles: in ſecundo autem aduentu veniet manifeſtus in gloria, vt remuneret fidem eorum. Ideo tunc neceſſarium erat, vt quæreretur: nunc autem non eſt quærendus vt credatur, ſed quærit ipſe à quibus creditus eſt. Spiritualiter autem de nouiſſimis temporibus hæc ita ſunt exponenda. Sunt hæreſes, quæ mendacia ſua quodammodo ſcripturarum colorant authoritatibus: quædam autem, quæ omnino ita contra ſcripturas habetur, ne colorare valeant mendacia ſua de ſcripturis diuinis. Solitudines ergo appellat hæreſes illas, quarum dogmata omnino deſerta ſunt à ſcripturis. Domus autem, hæreſes quæ ſcripturarum colorantur exemplis, quamuis non ſint domus veræ, tamen vel videntur. Aut ita: Domus dicit hæreſes, ſolitudinem autem Iudæam, ſecundùm quod ſcriptum eſt de illa: Ecce relinquetur
Supra 23. & Luc. 13. vobis domus veſtra deſerta. Aut ita: Solitudines dicit omnes hæreſes deſolatas à veritate, domus autem Eccleſias Chriſti: ac ſi dicat: Non dico, ſi dixerint vobis, ecce in hæreticis eccleſiis illis, vel in illis apparuit Chriſtus, ſed etiam ſi in ipſis veris Eccleſiis quæ & Dei ſunt, id eſt domus veſtræ, dixerint vobis Chriſtum apparuiſſe, nolite eis credere dicentibus iſta de me, quia non eſt digna diuinitatis meæ notitia hæc. Oſtendens per hæc, quomodo ex ipſis Eccleſiis veris frequenter exeunt ſeductores, propterea nec ipſis omnino credendum eſt, niſi ea dicant vel faciant, quæ conuenientia ſunt ſcripturis. Vos ergo nolite exire, nolite credere. Non mandat illis, vt ne exeant de domibus, vel ciuitatibus. Nec in domo enim, aut in ciuitate ſedentibus ſanctis, iſta dicenda ſunt: ſed nolite exire de regula veritatis, quam tradidi vobis: nolite credere: Quia ſicut fumus ante ignem præcedit, ante victoriam pugna: ſic & ante gloriam Chriſti, tentatio Antichriſti. *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vſque ad Occidentem, ita erit aduentus filij hominis.* Manifeſtum & velocem aduentum Chriſti oſtendere volens, fulguris ſimilitudinem introduxit. Sicut enim cùm exierit fulgur, non ſolùm videtur ab hominibus, ſed adhuc ſecundùm qualitatem fulgoris ſui non dignè aſpicitur: ſic & cùm venerit Chriſtus, non ſolùm eum omnes aſpicient, ſed ſecundùm menſuram gloriæ eius, neque poterunt eum ſufficiēter aſpicere. Et non ſolùm magnitudo eius omnem locum implebit, ſed adhuc magnitudine eius deficiet omnis lo-
Pſal. 99. cus, ſicut ſcriptum eſt: Ignis ante ipſum prǽcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Alluxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & commota eſt terra. Quem ergo peccatores videbunt, etiam nolētes: quomodo non videbunt eum ſancti deſiderantes? Et ſicut in ictu oculi fulgur vniuerſa pertranſit, ſic & filius Dei, non veniens adhuc, ſed etiam veniſſe videbitur. Si enim ſol, qui ad miniſterium noſtrum creatus eſt, tantam habet ſplendoris virtutem, vt in quacunque parte cœli fuerit, vbique appareat quaſi præſens: quantò magis ſol ſpiritualis Chriſtus, cum venerit, in toto videbitur mundo, magis autem mundus in eo videbitur? Apoſtolus autem ait: Quem ſuis temporibus oſtendet beatus, & ſolus, &
1. Tim. 6. potens: non dixit, Quem mittet. Chriſtus enim cum ſit vbique, non venit ab loco ad locum, ſed vbique oſtenditur, qui erat celatus vbique. *Vbi fuerit corpus, illic con-*
Iob 39. Vulturum natura. *gregabuntur aquilæ.* De vulturibus enim dicit ſcriptura in Iob, quoniam vbicunque fuerit corpus, illic inueniuntur vulturum pulli. Hoc enim naturale eſt vulturū, ſicut dicunt quidam, vt etiam tranſmarina cadauera ſentiant. Quoniam ergo turpes aues ſunt vultures, ideo vulturinis quidem moribus aptauit nomina aquilarū, vt in moribus quidem vulturum, ſanctorum congrega-

A tio oſtendatur ad Chriſti aduentum: in aquilis autem regalibus, regalis ſanctorum dignitas oſtendatur. Ideo enim ſancti aquilis aſſimilātur, quia ſicut filij aquilarum ad Solem probantur, vt ſiquidem recto aſpectu intendere potuerint contra radios Solis, intelligantur eſſe legitimi: ſi autem non potuerint, cognoſcantur adulterini: Sic & filij Dei ad Chriſti iuſtitiam comprobantur: ſi enim potuerint pleno corde iuſtitiæ verba ſuſcipere, intelliguntur eſſe legitimi: ſi autem non potuerint, cognoſcuntur de diabolo eſſe nati. *Statim autē poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo.* Patrefamiliās moriēte, tota domus eius turbatur, omnis familia plangit, & conſciſſis tunicis ſuis, nigris ſe cooperiunt veſtimentis: ſic & humano genere, propter quod fuerant omnia creata, circa exitum conſtituto, totus contriſtatur mundus, vniuerſa cœli miniſteria lugent, & candore depoſito pro veſtibus luctuoſis tenebris veſtientur.
B Nam ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum. Aut propter indignam perſecutionem ſanctorum dolentes, aut ſuper impiorum peſſima opera indignantes, aut nouiſſimam in eis Dei iracundiam demonſtrantes, vt adhuc viuētibus impiis ſuper terram, iam guſtus detur infernalium tenebrarum. Siue hoc, ſiue illo modo, meritò nox interueniens inter diem & diem, prædicet, quia poſt modicum noua dies reſurrectionis eſt naſcitura. Diuidetur enim, ne iſtius ſæculi & illius vna videatur eſſe natura. Sicut enim omnes carnales morimur, vt ſpirituales ſurgamus: ſic & illa dies tenebris interciditur quaſi quadam morte, vt noua iterum renaſcatur. Aut certè quia ſpiritualiter iniquitas nox intelligitur, iuſtitia autem dies. Ex natiuitate autem Chriſti lux orta eſt, dicente Propheta: Ad veſperum demorabitur fle- Pſal. 29.
tus, & ad matutinum lætitia. Manè Chriſti tempus vocatur. Hæc dies iuſtitiæ in exitu mundi finitur, iniquitatum & errorum tenebris obſcurata. De qua & Domi-
C nus ad Apoſtolos dicit: Ambulate dum lumen habetis, Ioan. 12.
ne vos tenebræ comprehendant. Sol obſcurabitur, id eſt, notitia Chriſti ſilebit. Luna non dabit lumen ſuum, id eſt, Eccleſia ſanctitatis ſuæ claritatem † non demon- † charitatem.
ſtrabit. Stellæ cadent de cœlo, id eſt, qui videntur ſancti tranſgredientur, & cadent de dignitate cœleſti. Nam quod de diabolo dictum eſt, quomodo cecidit Lucifer de cœlo, qui manè oriebatur: ſic interpretantur Apo- Eſa. 14.
ſtoli, vel ſancti non de altitudine cœli ad terram, ſed de angelica dignitate ad ignominiam tenebrarum. Quomodo autem multi tranſgredientur Chriſtianorum, ſignificat Daniel. Et de eruditis, inquit, cadent multi. Dan. 11.
Sicut ergo tempeſtas ſuſcitat nubila, nubila autem cooperiunt Solem: ſic impiorum perſecutio ſuſcitabit tranſgreſſionem, tranſgreſſio autem Chriſtianitatis obſcurabit candorem. Vnde Propheta dicit in alio loco: Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem: id Ioel. 2.
eſt, Eccleſia, aut propter aſſiduam occiſionē ſanctorum,
D aut quia ipſi Chriſtiani contra iuſtitiam Chriſtianitatis inter ſeipſos furentes bellabunt. Hoc & ſi de tempore hæreſis huius ſcriptum intelligatur, expoſitionem habet conuenientem. Quomodo? Ex quo obtinuit hæreſis iſta ſanctum Eccleſiæ locum, quaſi abominatio deſolationis, & Antichriſti exercitus conſtituta, Chriſti Solis veritas eſt obſcurata: Eccleſia fidei ſuæ ſplendorem non potuit dare clarum, & Chriſtiani multi, qui erant ſtellæ rationabiles, ceciderunt à firmamento ſcripturarum ſanctarum. *Tunc apparebit ſignum filij hominis in cœlo.* Quidam putant crucem Chriſti oſtendendam eſſe in cœlo: verius autem eſt, ipſum Chriſtum in corpore ſuo habentem teſtimonia paſſionis: id eſt, vulnera lanceæ & clauorum, vt impleatur illud quod dictum Apoc. 1.
eſt, Et

eſt, Et videbunt in quem pupugerunt. Denique in quo loco præſens Euangeliſta ponit, dicens: Apparebit ſignum filij hominis: alij Euangeliſtæ hoc ſolùm dixerunt: Et videbunt filium hominis venientem: videlicet
Marc. 13. & Luc. 21. Act. 1. oſtendentes ſignum Chriſti, eſſe ipſum corpus Chriſti, qui in ſigno corporis ſui cognoſcendus eſt, à quibus crucifixus eſt. Vnde in actibus ad Apoſtolos angelus ſic dicit: Hic Ieſus, qui receptus eſt à vobis, ſic veniet iterum quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. Non ſic portatus in tali nube: nec enim cum tali gloria aſcendit, cum quali venturus eſt iudicare: ſed ſic veniet, hoc eſt, ſimiliter cum hoc corpore, cum quo aſcendit. Vides ergo, quia quaſi ſignum datur Apoſtolis cor-
Ioan. 20. pus eius, dicens: Sic veniet. Vis autem ſcire quia ad ſignum paſſionis ſuæ vulnera corporis ſui ſeruauit? audi
Ibidem. poſt reſurrectionem dicentem ad Thomam: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Qui mortuum corpus ſuum ſuſcitauit, qui tulit coſtam de latere Adæ, & ſuppleuit carnem: nunquid etiam non potuit corpus ſuum ſanare, & integrum ſuſ-
Vulnera Chriſtus quare ſeruauit. citare? Sed corpus quidem ſuſcitauit, vulnera autem eius ſeruauit, vt in die iudicij proficerent ad teſtimonium paſſionis contra Iudæos, & omnes qui denegantes filium Dei crucifixum in corpore iudaizant. Propterea quaſi manifeſto ſigno conuenienter ſubiungit, dicens: *Tunc plangent ſe omnes tribus terræ.* Plangent enim ſe Iudæi videntes viuentem & viuificātem, quem quaſi hominem mortuum æſtimabant, & conuincentes ſe corpore vulnerato, ſcelus ſuum denegare non poterunt. Plangent ſe & Gentiles, qui vanis philoſophorum diſputationibus decepti, irrationabilem ſtultitiam putauerunt eſſe, Deum colere crucifixum, & detulerūt creaturæ gloriam creatoris. Lugent & Chriſtiani peccatores, qui magis dilexerunt mundum, quàm Chriſtum, cùm audierint eum hæc verba dicentem ad ſe: Ego propter vos homo factus ſum. Propter vos alligatus, & deluſus, & cæſus, & crucifixus ſum. Vbi eſt tantarum mearum iniuriarum fructus? Ecce pretium ſanguinis mei, quem dedi pro redemptione animarum veſtrarū. Vbi eſt ſeruitus veſtra, quam mihi pro pretio ſanguinis mei debetis? Ego ſuper gloriam meam vos habui, cùm eſſem Deus apparens homo, & viliorem me omnibus rebus veſtris feciſtis. Nam omnem rem viliſſimam terræ amplius dilexiſtis, quàm iuſtitiam meam & fidem. Plangent ſe hæretici, qui purum hominem crucifixum dixerunt, cum viderint ipſum eſſe iudicem, in quem compunxerunt Iudæi. Quomodo enim arguat Iudæos quaſi interfectores filij Dei, ſi non filius Dei, ſed purus homo eſt crucifixus? Et tunc plangent ſe omnes tribus terræ, quia nec reſiſtendi virtus eſt contra eum, & fugiendi nulla facultas ante faciem eius, nec pœnitentię locus: ex anguſtia omnium rerum nihil eis remanet præter luctum. Meritò plangent ſe, quia tunc neque pecuniæ diuitibus proſunt ad eleemoſynam faciendam, neque parentes iuſti pro parentibus intercedunt, neque ipſi angeli pro hominibus, ſicut ſolebant, faciunt verbū: quia non recipit natura iudicij miſericordiam, ſicut nec
Pſal. 101. tempus miſericordiæ iudicium, dicente Propheta: Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Miſericordia in priori aduentu, iudicium in ſecundo. In priori aduentu volentibus Apoſtolis ignem de cœlo depo-
Luc. 9. Supra 16. nere, dixit: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis. Filius enim hominis non venit iudicare mundum, ſed ſaluare. De ſecundo autem ſic dicit: Nam filius hominis veniet in maieſtate patris ſui, & tūc reddet vnicuique ſecundùm opera eius. *Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute & gloria multa: & mittet angelos ſuos*

A *cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis.* Si quando rex terrenus proceſſum aliquem, aut expeditionem mandat in populo, dignitates omnes mouentur: & exercitus exercitatur, tota ciuitas feruet: quantò magis rege cœleſti exurgente iudicare viuos & mortuos, virtutes angelicæ commouentur? Terribiles miniſtri terribiliorem Dominum præcedentes: Cherubin & Seraphin præparentur ad ſedem vnius, & rationabilis thronus viuam ſapiētiam portaturus. Nec enim poteſt eſſe res mortua, quæ baiulat vitam. Ante ipſum pro candelabris fulgura viua præcedent, & pro tubis horrenda tonitrua. Qualis rex, talis & præparatio regis. Verè magna vox tubæ terribilis, cui omnia obaudiunt elementa, quæ petras ſcindit, inferos aperit, clauſuras tenebrarum pertranſit, portas æreas conterit, vectes adamantinos & ferreos confringet, vincula mortis dirumpet, & de profundo abyſſi animas liberatas, corporibus ſuis aſſignat. Hæc omnia citius conſumet in ope-
B re, quàm ſagitta tranſit in aëre, dicēte Apoſtolo: In mo- 1. Cor. 15.
mento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba. Tuba enim canet, & mortui reſurgent incorrupti. In illa voce puluis iam diſſolutus corporum mortuorum in noua membra conſtringitur. In illa voce quaſi vna perſona obnoxia totum mare diſcutitur, vt ſi quid apud ſe retinet de humanis oſſibus, ſine contradictione reſtituat. In illa voce à quatuor partibus mundi ſpiritus congregatur, qui reſuſcitet populum dormientem. *A ficu autem diſcite parabolam.* Quare non ex aliis arboribus, ſed potius de ficu ſumit ſimilitudinem æſtatis? Quia poſtquam aliæ arbores vernare cœperint, frequenter euenit vt accedens frigus præcidat æſtatem, & iterum arbores indureſcunt: ficus autem, quia pene poſt omnes arbores vernat, difficilè poſt ficum frigus interuenit. Ideo ergo ſic comparata eſt Eccleſia illi tempori, propter indubitabilem ſæculi noui aduentum. Sed quæ eſt iſta aſſimilatio rei, videamus. Ficus bono verni temporis tēperamento
C molleſcit ad folia, Eccleſia autem miſerabili perſecutione afflicta compellitur ad mortem. Sed Dominus hanc aſſimilationem iocunditatis ex ficu, non ad afflictionem corporalem retulit, ſed ad ſpiritualem profectum animarum. Nam quando carnalia hominis affliguntur, tunc ſpiritualia eius florent, ſic ait Apoſtolus: Et 1. Theſſ. 1.
vos ſuſcepiſtis verbum Dei in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus ſancti. Sicut enim vernali flatu arbores laxantur in folia, & fructus: ſic perſecutionibus excitantur animæ ad virtutem. Ideo autem ſemper ficus Eccleſiæ ſimilatur: quia ſicut ficus ſub vno cortice plurima grana intra viſcera dulcedinis incluſa conſtringit: ſic Eccleſia ſub vno corpore multos Chriſtianos intra viſcera ſuæ charitatis congregatos complectitur. Deinde & alia ratione: Omnis arbor pene in vno tempore fructum præbet. Nam intra paucos dies & matureſcunt, & cadunt: ficus autem ex quo cœperit fructus afferre, vſque ad hyemem fructificare non ceſſat. Nam alij colli-
D guntur maturi, & alij hinc procedunt. Sic Eccleſia ex quo cœperit ſanctos offerre, vſque ad finem ſæculi non ceſſabit. Nam per ſingula tēpora alij dormiunt, alij autem naſcuntur. De hac autem ficu ſub alia ſpecie interpretationem fecimus apud Marcum, æſtimantes vbique quod verum eſt, non affirmantes: vt ſecundùm quod viſum fuerit vnicuique, hoc probetur. *Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.* Res dubia ſemper facit hominem negligentem. Nam quod ſine dubio venturum nobis eſſe cognoſcimus, ad id noſmetipſos magnanimiter confortamus. Ne ergo audientes Apoſtoli certum periculum pro incerto ſuſcipiant, & dubitantes de eius aduētu, ſemetipſos in negligentia ponant, ideo ſermonem ſuum iuramēto con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

firmans, dicit: Amen dico vobis, non transibit genera- A tio hæc, donec omnia fiant. Quia contra magnum periculum magna præparatio est necessaria: magna autem præparatio assiduam admonitionem requirit, & cautam. Et sciendum est, quia non illud vult Christus Apostolis suis ostendere, quia iam incontinenti futura est tentatio illa, sed quia omnino futura est. Ergo non illos homines dicit, qui illo in tempore fuerant nati, sed familiam gentis ipsius. *Generatio ista.* Id est, aut facientium hanc tentationem, aut patientium, aut peccatorum hominum, aut dæmonum, qui operantur in eis. Nam vtrique non cessabunt esse in sæculo, donec consummatio fiat, vt dicat illis, Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Necesse est enim, vt quandiu fides tentatur, tentatio reseruetur. Aut certè Christianorum generationem dicit, id est, generatio ista mortalis non transibit ad immortalitatem: donec, id est, nisi hæc fuerint consummata, vt postea immortalis & impassibilis fiat. *Cœlum & terra* B *transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Quia cœlum & terra ad ministerium vestrum creata sunt, verba autem mea ad gubernationem vestram disposita. Cœlum & terra vanitati subiecta sunt, dicente Apostolo: Vanitati enim creatura subiecta est. Naturaliter autem veritas nescit mentiri, nec potest aliquando perire.

Infra 25.

Rom. 8.

HOMILIA L. EX CAP. XXIIII.

DE die autem illa & hora nemo scit, neque angeli cœlorum, neque filius, nisi solus pater. Sicut enim in diebus Noë, ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem quo intrauit Noë in arcam, & nō cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes, ita erit & aduentus filij hominis. Vsque nunc exposuit signa consummationis præcedentia ante consummationem: nunc docet, quia subitus veniet nouissimus mun- C di interitus hominibus nihil adhuc tale fieri suspicantibus, secundùm quod dicit & Apostolus: Cùm dixerint

1. Thess. 5.

pax & securitas, tunc repentinus illis superueniet interitus. Et de die illo incerto ad cumulum etiam seipsum ponit, dicens: *De die autem illa & hora nemo scit.* Id est, non solùm aliquis hominum, sed neque angelorum quisquam, nec ipse filius, nisi solus Pater: vt nemo ferat molestè, quia diem illum Deus posuit in incerto, cùm de ipso sit filius incertus. Simile aliquid scriptum est & in Actibus Apostolorum. Nā cùm interrogassent eum

Act. 1.

discipuli eius, Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël, respondit eis: Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate. Opportunè ex hoc loco cōuenit admonere, cùm multi homines, maximè qui videntur docti, cùm interrogati fuerint aliquam quæstionem, si contingeret eos ignorare quod quæritur: erubescentes ne videantur aliquid ignorare, quia totum scire putantur, colorant falsa pro D veris, & dicunt aliis, quod nō audierunt à Christo. Propterea considerantes hunc locum, non deberent erubescere aliquid mysteriorum Dei se ignorare, cùm legant ipsum Christum non erubescentem suam ignorantiam confiteri ad respondendum: quia de die illa & hora nemo scit, neque Angeli, neque Filius: maximè cum sit mysteriorum Dei multa profunditas: nec tamen mentitur, quando ipsum quod scit, à Patre accepit. Meritò suam scientiam denegat, quæ non ex eo: sicut & alibi cùm esset bonus, bonum se denegauit, quia

Marc. 10.

bonitas eius erat ex Patre. Et ne propter dispēsationem humanam æstimetur scire se negasse, non dixit, neque filius hominis: quia secundùm diuinitatem dixisset, nō secundùm humanam naturam. Nam inter filium Dei, & filium hominis nihil interest. Ecce senectutis signa cognoscimus, diem autem vltimum ignoramus: sic & labentis signa scimus, finem eius nō agnoscimus. Sicut enim quando videmus hominem senem, scimus quia propemodum moriturus est, quando autem, nescimus: sic & mundum quādo perturbatum videmus, casurum cognoscimus, diem autem ignoramus. Mysterium Dei scire expedit quidem hominibus. Nam & seruus fidior fit circa obsequium Domini sui, cùm cœperit secreta sua committere. Sed illud scire bonum est, quod proficit ad ædificationem scienti: hoc autem scire quod nihil nobis prodest, magis nocet, & superfluum est. Deus ergo, quia non omnia mysteria dicit hominibus, non inuidet scientiæ nostræ: sed quia non omnium mysteriorum scientia nobis prodest. *Sicut enim in diebus Noë, sic erit & aduentus filij hominis. Sicut erant in diebus ante diluuium manducantes & bibentes, & nubentes, & nuptui tradentes.* Quod dicit, Sicut fuit in diebus Noë, manducabant & bibebant, nubebant & nuptui tradebant: non vetat manducare, aut bibere, aut nubere. Nec enim fas est vt destruat quod ipse constituit: sed iubet nos, vt quod carnaliter facimus, ad Dei gloriam facientes, spiritualiter faciamus, vt carnalia nostra propter spirituale propositum spiritualia fiant. Quis est qui ad gloriam Dei māducat & bibit? Qui de manu Dei accepisse æstimat quòd manducat & bibit. Quis autem de manu Dei se accepisse æstimat? Qui operatur iustitiam, & Deum timet offendere. Nam & seruus ille, quasi seruus fidelis manducat in domo, qui cōsiderat ideo accepisse à Domino, vt opus Domini operetur. Nam qui Deum non timet offendere, ille sine dubio non æstimat à Deo se accepisse quod bibit: sed propter hoc solùm manducat, quia caro est. Quis autem est, qui ad gloriam Dei nubit? Qui nubit aut propter desiderium bonorum filiorum, aut periculum peccati timens. Quis est, qui pro- C pter desiderium bonorum filiorum nubit? Qui postquàm habuerit filios, circa Dei disciplinam continet eos. Alioquin qui filios negligit, ille non desiderauit Deo generare, sed diabolo. Quis est, qui propter periculum peccati nubit? Qui postquam nupserit, matrimonium castè conseruat. Qui autem propter matrimonium indifferēter abutitur amoribus suis, ille non propter tutelam animæ nupsit, sed propter abundantem lasciuiam carnis. Qui ergo sic manducat & bibit, non tantùm manducare & bibere videtur, quantùm Dei gloriam operari: quia non sibi seruit, sed Deo. Et qui sic nubit, non tantùm videtur nubere, quantùm Dei gloriam operari: quando non sibi, sed Deo multiplicat, & sine peccato conseruat. Hoc ergo dicere vult: Sicut ante diluuium recedente ab hominibus Dei timore, nihil faciebant homines ad gloriam Dei, sed omnia propter solam carnem: siue enim manducabant aut bibebant, non ad gloriam Dei manducabant aut bibebant, sicut mandat Apostolus: sed propter solam voluptatem car- 1. Cor. 10.

nalem, sic erit circa sæculi finem. Sicut enim homines, qui in totum carni subiecti sunt, quamuis habeant animam, tamen solummodo carnes dicuntur, testante scriptura. Nō permanebit spiritus meus in hominibus istis, Genes. 6.

quoniam sunt carnes. In quibus autem pars animę præualet, quamuis sint carnales, spirituales dicuntur, sicut dicit Apostolus: Vos autem nō estis in carne, sed in spi- Rom. 8.

ritu, si tamen spiritus Dei habitet in vobis. Sic opera hominum, quamuis sint spiritualia, si facta fuerint propter causam carnis, vtputa, si quis opus bonum propter homines faciat, inuenitur esse carnale: & quamuis sit carnale, si propter causam spiritualem fuerit factum, id est propter gloriam Dei, inuenitur spirituale esse propter causam

pter causam spiritualem. *Sicut fuit in diebus Noë.* Id A

Genes. 7.

est, sic erit generalis interitus, sic subitaneus. Sicut tunc omnis creatura deleta est, sola autem arca, euasit de trabibus quadratis facta, octo animas baiulans: ita & in consummatione omnes hæreses interibunt, vna tantummodo arca saluabitur, id est Ecclesia Christi, de iustis hominibus congregata. Sicut tunc quicquid fuit extra arcam, periit: sic & in fine, quicunque fuerit extra vnam Ecclesiam veritatis, peribit. Quæ Ecclesia habet octo rectores: septem spiritus, quos enumerat

Prou. 6.

Esaias, & vnigenitus Deus, sic & Salomon dicit: Sapientia ædificauit sibi domum, & suffulsit columnis septem. Et ipse qui suffulsit, octauus. Subitaneus autem, non antè nunciatus, siue ab vllo creditus. Et quid mirum, si periturum mundum audiunt & non credunt? Ecce morituros se esse quotidie audiunt homines, quotidie alios mortuos vident, & tamen non credunt se morituros. Si autem se crederent morituros, non facerent ea pro quibus moriuntur, id est morte digna B non facerent. Si ergo illud quod quotidie fieri vident in aliis, de se futurum esse non credunt, quomodo illud credent futurum, quod adhuc nunquam factum est? *Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, & alter relinquetur.* Æstimo neminem dubitare sensatum, hæc præcipuè in parabolis esse dicta, & spiritualiter ea intelligi oportere. Et prima quidem parabola posita est de popularibus iustis, & peccatoribus. Secunda de doctoribus piis & impiis, quando omnes homines aut

Luc. 17.

discentes sunt, aut docentes. Et Lucas quidem Euangelista exponit de duobus in lecto, & de duobus ad molam: præsens autem Matthæus de duobus in agro, & de duobus ad molam. Vbi enim Lucas posuit duo in lecto, ibi Matthæus posuit duo in agro. Ex quo intelligere nobis datur, quoniam lectum & agrum ambo Euangelistæ id ipsum intelligere voluerunt: quoniam qui in corpore sunt, & in mundo sunt: & qui in mundo sunt, in corpore sunt. Mundus enim nihil aliud C intelligitur, nisi homo, propter quod agrum intelligere conuenit mundum hunc, sicut Dominus interpretatus est suprà in parabola zizaniorum seminatorum in agro. Duo ergo in agro, omnes Christiani in mundo viuentes eodem, non tamen iisdem actibus conuersantes. Et iusti quidem assumentur, peccatores autem derelinquentur. Omnes iusti in vno homine figurantur, & omnes peccatores in vno. *Duæ molentes ad molam, vna assumetur, & vna relinquetur.* Quæ sunt istæ mulieres molentes? Puto Ecclesiæ, quarum vna

Supra 13.

est de qua Dominus dicit: Simile est regnum cœlorum fermento, quod accipiens mulier miscuit in tribus fermenti mensuris. Sicut enim quamuis multi sint iusti, & peccatores, tamen quoniam omnium duæ sunt partes, in duabus ponuntur personis: sic & Ecclesiæ hæresum quamuis multæ sint, tamen omnium hæresum vna Ecclesia dicitur, & vna Christianorum. Vna ergo mulier molens, est Ecclesia Christi. Mola est D orbis terrarum, propter rotunditatem suam, sicut scriptum est de ea: Vox tonitrui tui in rota. Lapis superior, est verbum veritatis quod descendit de cœlo, vt terrena omnia complectatur, & protegat simul, & premat, & molat. Dicitur autem lapis propter fortitudinem suam. Subterior autem lapis, est omne verbum impietatis, quod lapis dicitur propter duritiam suam, quod de spiritu mundi à deorsum ascendit, vt suscipiat omnia desursum venientia grana, & aduersetur verbo veritatis. Hæc ergo Ecclesia molens, id est, prædicans, circumducit verbum veritatis, id est, superiorem lapidem cœlestem: & circumducit per orbem terrarum, & circumducit super omne genus humanum, vt quotiēscunque sub gremio verbi desuper miserit Deus, molat eos, id est catechizet, & cogat eos deponere corticem veteris hominis inutilem & insuauem: vt exuti fiant pura medulla & spiritus, id est, vt iam non sint caro, sed spiritus: & fiat similago mundissima, & digna ad sacrificium Dei, secundùm quod admonebat Apostolus, dicens: Exuite vos veterem hominem, qui Coloss. 3. Ephes. 4.

corrumpitur in concupiscentiis, renouamini autem spiritu sensus vestri. Sicut ergo grana in cortice nisi molita fuerint, & deposuerint cortices, & furfures, & processerint secundùm quod sunt abintus: quamuis aquam acceperint, non coniunguntur ad alterutrum, vt fiat ex omnibus vnus panis, quamuis & fermentatum acceperint, non fermentantur: Sic & homines nisi moliti fuerint sub verbo, id est catechizati, vt depositis corporibus, spirituales efficiantur, quamuis & aquam baptismatis acceperint, quamuis verbum fidei fuerit missum in eos, sicut fermentum: non conueniunt in idipsum, nec possunt sapere vnum, vt vnum corpus efficiantur, quia moliti non sunt. Sicut ergo inter duos lapides molares teritur triticum, & separatur à cortice suo, & fit similago munda: sic fideles in medio desuper quidem vrgente se verbo Dei ad fidem & iustitiam, inde autem verbo impio se compellente ad infidelitatem atque peccatum, conteruntur, & carnalia sua vniuersa deponunt, & spirituales efficiuntur. Sed & illa mulier videtur molere, & verbum mendacij leue & fragile circumducit: propterea neque molet, quia non habet virtutem diuinam verbum eorum, nec est lapis superior. Quomodo enim mendacium mendacio aduersatur, aut iniquitas iniquitati, vt molatur aliquis inter eas? Propterea populus eorum molitus non est. Considera autem & intelliges. Si deponunt carnalia, fiunt spirituales, & moliti sunt. Si sunt in idipsum fidei, omnes moliti sunt. Si autem secundùm veterem hominem sunt, si altera iterum sapiunt, quomodo moliti sunt? Desuper enim verbum veritatis non compellit eos ad fidem, quasi lapis superior, nec enim habent eum: desubtus autem verbum impietatis non tribulat eos, quia volentes requiescunt in eo. Quomodo ergo molantur, quando non stringit subterius verbum, nec premit superius? Hæc ergo sumetur, quæ & videtur Ecclesia, & est: illa autem relinquetur, quæ videtur & non est. Quidam autem & hoc modo exponit: Molentes sunt filij Israël, mola autem est verbum legis: quod voluunt & molunt, sunt Dei mandata in lege, quæ quasi tritici grana minutatim quidem molentes, id est, quantùm ad se diligenter mandata Dei tractantes, nunquam tamen ex eis panem nutritorium proferentes. Panis autem nutritorius, est vnigenitus Deus ver- Christus panis nutritorius.

bum, qui intus in mandatis Dei habetur secundùm prophetiam inclusus, quem filij Israël carnaliter interpretantes nunquam proferebant ad manifestum. Filiorum autem Israël molentium, vna videtur quidem esse D synagoga, verè autem duæ sunt. Vna quidem iniquorum, & secundùm carnem Iudæorum: altera autem sanctorum, & secundùm spiritum Iudæorum. Hanc ergo sanctorum Iudæorum & spiritualium synagogam molentem, & superuacuam, & sine profectu molam legis trahentem, assumet Deus in fine sæculi huius iam occumbentis, & liberabit eam de mola: illam autem alteram secundùm meritum infidelitatis & peruersitatis eius relinquet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HOMILIA LI. EX CAP. XXIIII.

VIGILATE *ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit, &c.* Qua enim ratione homini absconditus est dies mortis ipsius? Videlicet, vt semper benefaciat, semper mortem suam sperans. Eadem ratione & ab omnibus hominibus absconditus est dies aduentus Christi, videlicet vt non vna generatio saluetur, sciens aduentum ipsius, sed omnes dum in singulis quibusque generationibus Christi aduentus speratur. Ideo & interrogantibus se discipulis suis, Domine, si in
Act. 1. tempore hoc restitues regnum Israël? respondit: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. *Illud autem scitote, quia si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam.* Paterfamilias est vnusquisque secundùm animam in domo Patris sui, fur autem diabolus est: domus autem, nostra corpora: ianuæ sunt, os & aures: fenestræ autem, oculi. Sicut ergo per ianuas & fenestras citò ingreditur latro, & spoliat patrem familias: sic per os & aures, & oculos hominis, facilè inuenit diabolus occasionem ad animam, & facit eam ca-
Hier. 9. ptiuam: sicut & in Hieremia tale aliquid scriptum est, Quia mors intrauit per fenestras nostras. Si vis ergo esse securus, pone seram ianuæ tuæ, id est legem diuini ti-
Psal. 38. moris ori tuo, vt dicas cum Propheta: Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori
Eccl. 28. meo custodiam. Item sapientia docet: Obstrue aures tuas spinis, ne audias verba maligna. Sed quoniam fragiles sunt nostræ seræ, nisi Deus illas seruauerit: quia nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilat qui
Psal. 126. custodit eam: Rogemus Deum pariter cum Propheta:
Ibid. 140. Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. Non declines cor meum in verba
Iob 31. malitiæ. Pone seras super fenestras oculorum tuorum, vt dicas cum castissimo Iob: Posui testamentum oculis meis, vt non sentirem in virginem. Item si concupiui agrum proximi mei, ego seminem, & alij metent. Item quia fragiles sunt seræ fenestrarum nostrarum,
Psal. 118. Dominum inuocemus cum Propheta dicentes: Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Quid ergo? nescit anima quando per istos introitus fur ingreditur super eam? Verè nescit. Et quidem quando ducitur ad peccatum, scit: quando autem ingreditur, nescit. Ideo vigilare debet, & claudere omnes istos introitus. Os quidem narrationibus sanctis, aures auditionibus piis, oculos consideratione mirandorum operum Dei, mentem cogitationibus occupare cœlestibus. Non enim sufficit, vt non loquatur, vel audiat, vel videat, vel cogitet mala. Qui enim hæc agit, clausit introitus suos, & impleuit, & oppilauit malis aduersus bona, vt ne locum habeat introeundi bonus spiritus: qui autem mala quidem deponit ab eis, bona autem non suscipit, ille dici-
D tur apertos habere introitus. Propterea vacãtes eos inueniens inimicus, intrat ad animam. Propter quod opus est, vt iusti introitus non solùm vacent à malis, sed etiam vt sint clausi, & pleni, & oppilati bonis aduersus mala, vt malus non inueniat locum introeundi. Vnde & sapienter Petrus dicit apud Clementem, quomodo debet quis incessanter quæ Dei sunt cogitare & loqui: quoniam si meris fuerit in his occupata, malus non inuenit locum ad mentem. Consequenter Propheta non
Psal. 1. dixit tantum: Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit: sed addidit, Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.

A Et Paulus cùm diceret, Non est vobis colluctatio ad- Ephes. 6.
uersus carnem & sanguinem. Non dixit tantùm, depo- Ibidem.
nite mala: sed, suscipite omnem armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo: id est, omnia opera bona facite. Sicut enim vas quandiu plenum est de aliquo, non recipit supermissum: si autem vacuum fuerit, recipit omne quod mittitur: Sic homo quandiu occupatus est malis, non recipit bonum: & si occupatus fuerit bonis, repellit malum: si autem nec isto, nec illo se occupauerit: id est, si neque bonis, neque malis intenderit, omnis spiritus intrat in eum. Intrans autem non statim ducit eum ad peccatum, sed primùm delectat eum in malis, & sensum desideriis carnalibus alligat, & postea ducit ad peccatum, quando iam etsi intelligit malum esse quod facit, non potest resistere contra malum. Si ergo te negligente domum corporis hoc modo seruare, ingressus fuerit fur diabolus, & furatus fuerit vestimenta iustitiarum, quibus te renatum in baptismo induit Deus: si furatus fuerit aurum intellectus tui, si di-
B uinorum eloquiorum argentum, quod forsitan cum multo fabricasti labore: si linteamina gratiarum, quæ tibi dedit Deus, cùm te adoptaret in filium, cæteràsque diuitias spirituales tollens te dormiente, fecerítque te
Genes. 3. mendicum & nudum, sicut serpens Adam: Quid facies? Quomodo nudus ante conspectum Domini tui accedes? Et ille quidem nudatus abscondit se inter ligna paradisi: tu autem sub qua scissura petrarum te abscondes à facie Domini, cùm venerit confringere terram? Et Adam quidem à Deo quæsitus est & inuentus, tu autem abiicieris & peribis. Quia ille ignorans serpentis versutiam, per simplicitatem nudatus est suam: tu autem sciens, tot scripturis admonitus, per negligentiam factus es nudus. Propter quod ille quidem mortalitate vestitus est ad tempus, tu autem in æternum ipse tradendus es morti, maximè si te comprehenderit finis priusquam tibi per pœnitentiam altera texas vestimen-
C ta. Nam prima gratis præstatur à Deo: secunda autem vix, & cum nimio reparatur labore & luctu, quomodo hæc parabola est. Veniamus itaque ad ipsam parabolæ causam. Omnis homo, si sciret quando dies Domini venturus est super eum sicut fur (sed insperatè veniens sicut fur) præueniret, & non sineret perfodi domum suam. Non dico quia repelleret à se furem, sed faceret iustitiam, vt veniente sententia Dei, non perfoderetur quasi ignorans, sed vocaretur quasi iam præparatus ad exitum. Quando animę peccatrices delectantur in corpore: & tanquam in suo proprio domicilio gaudent, veniens cum sententia Dei angelus mortis perfodit corpus, & animam violenter diuellit ab eo: animæ autem iustæ, quæ non delectantur in corpore, sed quasi in exilio sunt, in cas veniente sententia non perfodiuntur, sed vocantur gaudentes. *Quis enim fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus eius super familiam suam, vt det illis cibum in tempore?* Cùm de vigilante & non vigi-
D lante super domum suam Dominus loqueretur, sciens quoniam plerunque sacerdotes mali populum obdormire faciunt in peccatis: boni autem excitant à negligentiæ somno, & faciunt vigilare in operibus bonis, quasi assidua tuba doctrinæ suæ excitans ad bona opera animas auditorum, consequenter de bonis & iustis sacerdotibus introducit sermonem, dicens: Quis est fidelis seruus & prudens? Si enim paterfamilias super possessionem suam villicum ponit, vt non cum singulis colonis habeat causam, sed de solo villico omnium exigat rationem. Si ergo inter colonos aliqua indisciplinatio fuerit fœda, vnusquisque pro suo delicto reus efficitur, villicus autem pro omnium delictis. Et si bene redditum suum reddiderint, vnusquisque quidem pro

sua fide laudatur, villicus autem pro fide omnium re-
A muneratur: sic & Deus in populo ideo ordinat sacerdotes, vt actuum eorum ipsi discutiant rationem. Ideóque peccante populo vnusquisque quidem pro suo peccato punitur, sacerdos autem pro peccatis omnium. Et bene agente populo, vnusquisque quidem pro suo bono remuneratur, sacerdos autem pro bonis omnium. Quis est seruus fidelis & prudens? Rem quidem laudabilem proponit, rarissimam autem vt quis fidelis inueniatur & prudens. Ecce si quæras fideles, id est, Deum timentes, & ipsos quidem non multos inuenies, tamen adhuc facilè in uenis. Item si prudẽtes quæras, inuenies multos: fidelis autem & prudens difficilè inuenitur. Quomodo qui fideles sunt, id est, Deum timentes, difficilè sunt & prudentes: & qui prudentes inueniuntur, difficilè sunt & Deum timentes. Quantò ergo rarior inuenitur fidelis & prudens, tantò qui inuentus fuerit, beatior est. Prudentem autem dico, non scientem & doctum, sed sensatum & mente acutum, qui
B potest rerum ponderare naturas, & secundùm quòd potest rationabiliter omnia agere. Plerique autem sunt habentes scientiam multam, sed nec se sapiẽter regunt, nec scientiam suam sapienter dispensant. Et omnis quidem prudens potest & scientiam habere ex parte, non autem & omnis sciens sapientiam potest habere: quoniam sapientia vniuscuiusque in actu probatur, scientia autem in sermone. Fidelis quidem quæritur propter Deum, vt timeat Deum: prudens autem propter homines, vt populum Dei sapienter gubernet. Quoniam ergo Deo non tantum prudentia hominis, quãtum conscientia placet: hominibus autem non tantum conscientia, quantum sapientia prodest. Si fuerit tantùm quis fidelis, laicum quidem facit, sacerdotem autem non facit, nisi fuerit fidelis & prudens. Ergo fidelis quęritur, vt faciat priusquam dicat: prudens autem postquam fecerit dicat, & dicat intelligens cui qualis doctrina conueniat, & quando. Item fidelis quæritur, vt memor sit
C Rom. 15. pauperum, sicut Paulus: prudens autem, vt intelligat cui & quomodo debeat dispensare. Et hoc est quod dicit, dare cibos in tempore & spirituales & corporales. Spirituales quidem animabus, corporales autem corporibus. Quoniam autem in Ecclesia non solùm sunt pauperes in corporalibus rebus, sed etiam in spiritualibus multò pauperiores: vt det cibos in tempore, id est, in tempore opportuno. Quid est in tempore opportuno? quasi est aliquod tempus, quando non est opportu-
Eccles. 22. num docere, cùm dicat Salomon: Doctrina & flagella in omni tempore. Sed puto hoc intelligendum tempus
Esa. 49. opportunum doctrinæ, quomodo dicit & Propheta: Tempore acceptabili exaudiui te, & in die salutis adiui te. Quando misericordia Dei non est acceptabilis? sed præcipuè tunc est acceptabilis, quando necessitatis & angustiæ tempus est. Sicut & semper pluuia bona est, maximè tamen grata est tempore siccitatis. Et visitatio amicorum semper suauis est, multò tamen suauior in
D tempore luctus: sic doctrina & consolatio sacerdotis semper opportuna est, maximè autem in tempore persecutionis. Sciens ergo Christus sanctos suos sine tentatione nunquam futuros, ideo dicit, in tempore opportuno: quia qui semper ægrotat, semper illi ars medici opportuna videtur. Nam sicut nauis tunc prẽcipuè gubernatorem necessarium habet, quando tempestatem patitur: quando autem prosperata est, ipsa se dirigit. Et miles tunc prẽcipuè necessariam habet annonam de rege, quando bellum & periculum instat: quando autem pax est, vndecunque possunt se milites sustentare: Sic Ecclesiæ prẽcipuè in tempore persecutionis doctrinam sacerdotis necessariam habent, quasi spirituales milites spiritualem annonam: quando autem securitas est, vnicuique naturalis sufficit intellectus. Nã in persecutionibus, quãdo naturalis ille intellectus deficit in timore carnali, necessarius est sermo doctoris: vt quod deficit in timore periculi, reparetur per exhortationem doctrinæ. Sicut autem tubicen commisso bello pugnantem exercitum circuit, & bellicos cantus in tuba decantans, milites animat ad virtutem: sic & sacerdos persecutione imminente exponens in populo fortissimorum martyrum glorioſa pericula, & inenarrabiles regni cœlestis coronas vincentibus præparatas, Christianum populum ad virtutem patiẽtiæ vehementer accendit. Aut ita: In tempore opportuno, vt in persecutione magis instanter de veritate fidei doceamus, quàm de iustitia conuersationis: in pace autem magis assiduè de iustitia conuersationis, quàm de veritate fidei. Quoniam in persecutionibus quidem plus necessaria est doctrina fidei, quàm conuersationis: in pace au-
B tem plus necessaria est doctrina conuersationis, quàm fidei. Quoniam in persecutionibus, non propter conuersationem suam bonam aut malam veniunt Christiani in periculum, sed propter fidei confessionem: in pace autem non propter fidem suam veram periclitantur Christiani, sed propter conuersationem: quoniam in persecutione fides Christianorum periclitatur, in pace autem iustitia. *Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus eius, inuenerit sic facientem.* Quomodo? Sicut superius diximus in fide, in sapientia, in tempore opportuno. In fide, vt credamus sic esse sicut docemus. Ille autem credendo docet, qui facit quod docet: qui au- Credendo qui docet.
tem non facit bonum, non credit bono. Qui non credit in bono, non docet in fide: qui autem cum fide non prædicat, non solùm non est beatus ille seruus, sed multùm infœlix: quia alios quidem docet, se autem negligit. Sic prudenter, quia non semper omnia, neque omnibus omnia sunt dicenda. Frequenter illa quæ alios
C ædificant, alios destruunt. Sicut infantibus esca mutatur secundùm ætatem, sic in populo secũdùm virtutem doctrina temperatur, præmonente Apostolo: Et ego 1. Cor. 3.
fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Quasi paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. In tempore, ne importunè oblata doctrina non prosit, sed noceat, sicut esca cruciat aut extra tempus accepta. *Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.* Omnium quidem bonorum magna est gratia, inter omnes autem maxima est sacerdotalis dignitas, si quis eam immaculatè custodiat. Nam si super omnia opera sua pretiosiores existimat Deus animas hominum: quantò magis credibile est, vt super omnia bona sua constituat eum, qui confert Deo lucrum animarum? Non solùm autem omnibus bonis suis meliorem iudicat hominem, sed etiam suiipsius impassibilitati prępposuit salutem humanam. Ideo magnus est, qui bene regit hæreditatẽ eius, quam proprio sanguine acquisiuit. *Si autem dixerit malus seruus ille*
D *in corde suo, moram facit Dominus meus venire: & incipiat percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriis.* Percutere, est iniustè percutere: qui autem propter iustam causam percutit, etsi percutiat, percutere non videtur. Percutit enim, non vt suum dolorem vindicet, sed vt illius animam saluet. Si autem propter Deum percutere percussio esse videretur, nunquam diceret Deus, Qui parcit baculo, odit filium suum. Nam & alibi Prou. 13.
non absolutè dicit: Qui iratus fuerit fratri suo, reus erit Matth. 5.
iudicio: sed, qui sine causa iratus fuerit. Sicut iusta ira non est ira, sed diligentia: sic iusta percussio non est percussio, sed correctio. Manducare & bibere sic intelligendum est, sicut suprà interpretati sumus, de mandu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cantibus & bibentibus ante diluuium, id est, malè man- A
ducare & bibere. Propter quod non simpliciter dicit
manducare & bibere, sed cum ebriis: id est, cum pec-
catoribus, qui tenebrosorum actuum vitio ebrij sunt,
1. Thess. 5. de quibus & Paulus dicit: Nam qui dormiunt, nocte
dormiunt: & qui inebriantur, nocte ebrij sunt. Vides
ergo, quia manducare & bibere sacerdotibus non est
peccatum, sed cum ebriis manducare & bibere: id est,
sic manducare, quomodo ebrij illi desiderant. Non e-
nim iubet nos scriptura malorum personas abominari,
sed voluntates. Nam & Christus cum publicanis &
peccatoribus manducauit, sed non sic quomodo pu-
blicani & peccatores volebant. Nec vitium suum ali-
quis scripturæ illius authoritate defendat, quæ iubet
sacerdotem hospitalem esse debere. Hospitalitas enim
non circa delitiosos cibos & magnos ostenditur, sed
circa assiduas susceptiones impotētium peregrinorum,
vt hospitalitas nostra non ab hominibus laudetur, sed à
Deo sentiatur. Nam delitiosa conuiuia magis luxuriam B
accusant, quàm humanitatem commendāt. Dicit enim
Eccles. 37. Salomon: Ne delecteris in multa epulatione, nec in tur-
pibus & modicis. Ergo nec multum permittitur, nec
modicum & pretiosum. *Veniet Dominus eius hora qua ne-
scit, & diuidet eum, partémque eius cum hypocritis & infide-
libus ponet.* Diuidet eum, id est, de consortio Christia-
norum, vt neque cum sanctis glorificetur, neque cum
his qui mediocriter deliquerunt, mediocriter puniatur:
sed iunget eum cum hypocritis & infidelibus, vt quo-
rum imitatus est mores, ipsorū puniatur interitu. Quo-
modo sacerdos super omnem populum glorificatur, si
benefecerit, non solùm propter suam iustitiam, sed pro-
pter omnium, quia causa est ipse iustitiæ vniuersorum:
ita & peccans super omnes punitur, non solùm propter
suum peccatum, sed etiam propter omnium: quia ipse
causa fit omnibus ad peccandum. Ideo autem non so-
lùm hypocritas dixit, sed etiam infideles: quia si omnes
quidem hypocritæ infideles sunt, non tamen omnes C
infideles hypocritæ sunt. Ecce enim Gentiles infideles
quidem sunt, hypocritæ autem non sunt: quia non se
fingunt colere Christum, cùm non colant, sed manife-
stum sequuntur errorem. Hypocritæ autem sunt Iudæi
& hæretici. Illi autem, quia dicunt se Iudæos cùm non
sint, sed sunt synagoga satanæ. Isti autem quia fingunt
se esse Christianos, cùm sint antichristi, id est, contra
Christum. Item si quis videtur in Ecclesia esse, & agat
contra Ecclesiam: & ille talis hypocrita dicitur esse.

Homilia LII. ex cap. XXV.

TVNC *simile est regnum cœlorum decem virgi-
nibus.* Et reliqua. Notandum quòd prio-
rem quidem parabolam de doctoribus
dicit, hanc autem de popularibus: tamen
etsi spiritualem intellectum habeat para-
bola, nihil nocet interpretari eam etiam carnaliter. Tūc
simile erit, cùm diebus suis cōpletis solutus fuerit mun- D
dus, cùm venerit iudex omnium occultorum. Modò
autem interim omnes homines nobis inuicem menti-
mur. Alij fingunt se iustos, cùm sint iniqui: alij humi-
liant se vt peccatores, cùm sint sancti: alij autem turpes
actus suos vsque ad mortem abscondunt, amplius ho-
mines erubescentes, quàm Deum timentes, & semper
sunt in vulnere, dum pro tempore nolunt apparere vul-
nerati. Qui autem Deum timet, homines nō erubescit.
Nec enim peior potest esse timor terrenus, quàm pœna
cœlestis. Quibus simile erit? decem virginibus. Quidam
1. Cor. 7. putant hic virgines dici, de quibus Apostolus loquitur,
vt sint sanctæ & corpore & spiritu. Et sapiens quidem
virgo est, quæ & corpore & animo virgo est, vt neque
habeat virum, neque habere desideret. Quid enim si
aut parentes eius propter votum suum in virginitate
eam tenuerunt, cùm ipsa tamen post votum nubere vo-
luerit? Quid si pro aliqua occasione quæsita non est ta-
lis? Hæc si non est nupta, voluntatem tamen nubendi
habuit, corpore quidem virgo est, animo autem nupta:
quia corpus opere sordidatur, animus autem voluntate. Quamuis frequenter occasione necessitatis carnalis,
Deus præstet hominibus misericordiam spiritualem: si
tamen postea voluntas necessitati consentiant, non so-
lùm autem vt non concupiscat, sed etiam abstineat se
ab omni re mala, vt neque faciat, neque loquatur, ne-
que cogitet quod displiceat Deo: quia corpus fornica-
tur, quando cum viro coniungitur: anima autem, quan-
do diaboli voluntatibus sociatur. Quæ hæc non seruat,
fatua est ipsa virgo. Et verè fatua est, quæ per solam vir-
ginitatem corporis putat se Deo placere. Ecce enim
quemadmodum cùm manducas & bibis, non anima
manducat, sed corpus, res enim incorporalis corporali
cibo non pascitur: sic cùm vir mulieri, aut mulier viro
cōiungitur, non anima copulatur, sed corpus. Propter-
ea frequenter fit, vt nupta si aliàs non peccet, melior sit,
quàm illa quæ virgo est, & aliàs peccat. Quoniam si illa
non peccat quæ nupta est, corpore quidem nupta est,
animo autem virgo est. Quæ autem aliàs peccat, & vir-
go est: corpore quidem virgo est, animo autem fornī-
caria. Sed ne desperare faciamus etiam virgines bonas,
quia diximus per concupiscentiam animas fornicari,
sciendum est quod aliud est concupiscere, aliud velle.
Concupiscere passionis est, velle autem arbitrij. Fre-
quenter enim concupiscimus etiam quod nolumus. Si
ergo concupiscentiæ non consentit voluntas, concu-
piscentia sola non damnat, magis autem & glorioso-
rem facit virginitatis coronam. Nunc veniamus ad spi-
ritualem eius narrationem. Decem virgines omnes ho-
mines dicit, quorum vita decem sensibus sustentatur,
quinque carnalibus, & quinque spiritualibus. omnium
enim hominum duæ sunt partes. Aut enim peccatores
sunt, aut iusti. Peccatores, qui secundùm carnales am-
bulant sensus: iusti, qui secundùm spirituales. Ergo &
omne genus peccatorum in quinque diuiditur, & omne genus iustorum in quinque secūdùm numerum sen-
suum, non secundùm numerum hominum. Has autem
virgines diuidendas profert Christus, quando & iusti
ab iniustis, & sancti à peruersis per verbum suum diui-
dendi sunt: vt quinque quidem ponantur ad dexteram
iusti iudicis, hoc est sapientes: quinque autem ad sini-
stram, id est fatuæ, Secundùm autem mysterium & Mo-
ses in duabus tabulis legem suscepit decem verborum:
quinque quidem mandata in tabula vna, quinque au-
tem in tabula altera. Sicut ergo tabulæ testamenti illius
in vno quidem hærebant, tamen non poterat fieri vt
ambæ fierent ad dexteram legentis: sed necesse erat vt
vna quidem cum quinque esset ad dexteram, altera au-
tem cum quinque aliis esset ad sinistrā: sic omnes Chri-
stiani in vna tenentur vocatione. Non est autem possī-
bile, vt omnes ad dexteram fiant sedentis: sed necesse
est, vt iusti quidem fiant ad dexteram, id est quinque sa-
pientes: iniusti autem ad sinistram, id est insipiētes. Qui-
dam putant hanc parabolam ad omnes pertinere, & ad
hæreticos, & ad Iudeos, præterquam ad Gentiles: quo-
niam illi idolorum cultura corrupti sunt, & virgines di-
ci non possunt. Verè autem nec ad Iudæos pertinet, nec
ad hæreticos: quia non possunt Iudæi dici virgines, qui
proiecto & crucifixo sponso, adulterum super se diabo-
lum susceperunt. Neque hæretici virgines dici possunt,
qui & ipsi adulterino sensu corrupti sunt, & virginita-
tem veritatis Christi adulterino sermone corrumpunt.

Sed ad

Sed ad Christianum tantummodo populum pertinet, A
2. Cor. 11. de quibus scriptum est. Statui vos vni viro virginem
castam exhibere Christo. Timeo autem, ne sicut ser-
pens seduxit Heuam astutia sua, sic corrumpantur sen-
sus vestri à castitate, quæ est in Christo Iesu. Fatuæ au-
tem virgines sunt, quæ fidem quidem Christi integram
habent, opera autem iustitiæ non habent. Iudæi verò &
hæretici neque fidem habent, neque opera possunt ha-
bere. Sed & si operum oleum habeant, nihil eis pro-
dest: quia lampades fidei non habent, quas accendant.
Tunc simile erit. Bene, tunc: quia interim non apparet
quæ prudentes sint, quæ fatuæ: quousque tunc multæ
fatuæ fient prudentes, & multæ quæ videntur pruden-
tes, fatuæ efficientur. *Quæ acceperunt lampades suas.* Lam-
pas dicitur fides, quia sicut lampas illuminat domum in
qua est, sic fides illuminat animam cuius est. Accendi-
tur autem hæc lampas igne diuini verbi. Verbum enim
Luc. 12. Dei ignis est, sicut dicit Dominus: Ignem veni mittere
Rom. 10. in terram. Item dicente Apostolo: Fides ex auditu, au- B
ditus autem per verbum Dei. Accipiunt autem homi-
nes hanc lampadem, quando venientes ad Christum,
per sacerdotes accipiunt traditam sibi veritatis doctri-
nam. Aut sicut alius putat verbum Dei quod accepimus
accedentes ad Christum, lucerna est, secundùm quod
Psal. 118. scriptum est: Lucerna pedibus meis verbum tuum. O-
leum autem doctrina sacerdotum, aut cæterarum scri-
pturarum. Quoniam sicut lucerna nisi ei subministrae-
ris oleum, extinguetur: sic verbum fidei nostræ quod
credentes accepimus, nisi assiduis nutriatur doctrinis,
aut meditationibus scripturarum, extinguitur, & non
satis illuminat animam. Aut oleum dicitur opus mise-
ricordiæ. Quia sicut oleum lumen lampadis fouet, sic
opera bona subministrant confidentiam fidei, & vigo-
rem accendunt. *Et venerunt obuiam sponso & sponsæ.*
Bene ait, Venerunt, quando ex illa die qua homo cre-
dit Christo, quasi de seipso egressus, & de mundo ire
videtur obuiam Christo: quia quotidie Christi expe- C
ctat aduentum. Sicut enim qui obuiam vadit alicui, in
via stat, & expectat cum quandiu veniat: ita qui credit
in Christum, sic debet viuere in hoc sæculo, quasi pe-
regrinus: & non in suis, sed in transitu positus. Pro-
Exod. 12. pterea & Iudæi exituri de Ægypto, expediti & præcin-
cti agnum iussi sunt manducare: & ad exeundum para-
ti, ostendentes nobis, quomodo quicunque nostri a-
gni Eucharistiam manducant, ita debent semper esse
expediti, quasi quotidie exituri de mundo. Nec mire-
ris, quia dixit ire obuiam sponso & sponsæ, cùm Ec-
clesia inter nos habeatur sponsa. Sicut enim Christus
cùm sit inter nos, tamen venturus dicitur, cùm appa-
ruerit in gloria: sic & Ecclesia quanuis sit inter nos, ta-
men ventura dicitur, cùm apparuerit in gloria sua. Pro-
Coloss. 3. pterea dicit Apostolus: Mortui enim estis, & vita ve-
stra abscondita est cum Christo in Deo: cùm autem
Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis
cum ipso in gloria. *Fatuæ autem accipientes lampades su- D
as, non sumpserunt oleum secum.* Sicut lampas non ex o-
leo accenditur, sed ab igne, per oleum tamen nutritur:
& nisi oleum ei subministraueris, extinguitur: sic & fi-
des non ex operibus nutritur, vel accenditur, sed ex
verbo Dei, sicut ait Apostolus, tamen per bona opera
nutritur: & nisi subministraueris ei opera bona, defi-
cit. Sicut enim non potest in Deum sperare, nisi qui a-
liqua opera bona facit: sic non potest credere Deo, ni-
si qui facit aliquid dignum Deo. Inde est, quòd pec-
catores non credunt Deo, siue cùm de gloria sanctō-
rum quis eis loquatur, siue de pœna peccātorum. Et
dum non credunt futurum esse quod dicitur, neque de
bono futuro delectantur, neque de malo terrentur.

Chrysost. tom. 2.

Verè fatui sunt omnes homines, qui aut solùm existi- A
mant sibi posse sufficere ad salutem, quia credunt in
Christum, & Christiani dicuntur, & non festinant se-
metipsos bonis operibus commendare: nec audiunt
Iacobum dicentem, Quia fides sine operibus mortua Iacob. 2.
est. *Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes
virgines, & dormierunt.* Hoc significat sermo, quia tar-
dante consummatione non solùm peccatores, sed et-
iam iusti & spirituales ad negligentiam sunt reuoluen-
di, & relicta via virtutis, ad carnalia delectamenta sunt
aliquatenus transituri, vt & illud impleatur quod Pro-
pheta dicebat: Saluum me fac Domine, quoniam de- Psal. 11.
fecit sanctus, quoniam diminuti sunt fideles à filiis ho-
minum. Et hoc est quod Christus dicebat: Putas cùm Luc. 18.
venerit filius hominis, inueniet fidem super terram?
Nam vigilare est iustitiam facere, dormire autem ne-
gligere est eam, sicut dicit: Vigilate ergo, quia nescitis Matt. 24. & Marc. 13.
qua hora veniet Dominus. Et verè non tardat, sed
quantùm ad nostram inconstantiam tardare videtur. B
Nam si consideremus ex quo Christus in cœlum ascen-
dit, & quantùm viuebant homines ante diluuium, &
prope tantùm spatium est, quanto tempore erat vita
vniusquiusque eorum. Si quis autem oculos habet a-
pertos, intelligit quia mysterium huius verbi in nobis
impletum est. Omne enim studium spirituale relin-
quimus, & ad carnalia delectamenta transimus. Quem
enim inuenies modò, non dicam laicum, sed aut pres-
byterum, aut episcopum, qui ad perfectum contemnat
sæculi bona, credens consummationem esse propin-
quam? Vnusquisque enim dicit in corde suo, infideli-
tatis spiritu præualente: Ecce ex quo Christus fuit in
terris, semper dicitur, consummatio veniet, & ecce
nondum venit. Ne fortè non præparandi causa, sed
terrendi ista scripturæ loquuntur? Qui autem non verè
credit consummationem esse propinquam, non ex ver-
bis quæ dicit, aut audit, sed ex operibus quæ agit, co-
gnoscitur. Qui enim verè credit consummationem es- C
se propinquam, nihil curat de mundo, nec in poste-
rum aliquid seruat: quia nec peregrè exiturus aliquid
secum portat in via, nisi fortè panem quem necessari-
um habet in via. *Media nocte clamor factus est*, quasi cla-
mor præcurrentium & prætubantium angelorum. Qui
clamor? *Ecce sponsus venit, exite obuiam ei.* Vnde putas
iubet exire, de domibus, de ciuitatibus? Non, nec enim
est ratio: sed vt exeant de mundo, exeant de iniqua
carnis natura. Ex eo quod Apostolus ait, in nouissima 1. Cor. 15.
tuba mortuos suscitandos: datur nobis occasio æsti-
mandi, clamorem illum esse, de quo Dominus dicit:
Ecce clamor factus est. Æstimemus clamorem esse tu-
barum præcedentium, quas Ioannes in reuelatione sua Apoc. 1. & 4. & 8.
exposuit, quarum tubarum clamores sunt ipsa signa,
quæ fiunt ab eis. Qui ergo intelligit illa signa clamantia
sæculi finem, ille audit clamorem tubarum clamanti-
um, quia venit sponsus, quarum vocem non corporis
auris audit, sed animę intellectus. *Tunc surrexerunt omnes D
virgines illæ.* Hoc est, cùm clamor factus fuerit, non so-
lùm iusti, sed etiam peccatores de somno negligentiæ
surgent. Tunc incipient timere & festinare, tunc cre-
dent quia verè finiendus est mundus. Nam quemad-
modum securitas etiam diligentes homines, negligen-
tes facit: sic timor præsentis periculi etiam negligentes
homines, exhibet diligentes, sed nihil eis proderit dili-
gentia illa, quam generat timor, non fides. Tunc intelli-
gent, quia nihil est quod vixerunt in mūdo. Tunc inci-
pient sapere, quando nihil eis proderit sapuisse. *Et com-
posuerunt lampades suas.* Id est, tunc incipiēt omnes aspi-
cere & discutere fidem suam: tunc cōsiderabunt singuli
opera sua, qui bene fecerunt, qui malè, & interrogabūt

conscientias suas. Quemadmodum enim superuenturo A sponso festinat se sponsa componere, ne fortè ex aliqua parte displiceat sponso: ita singuli semetipsos iudicabunt apud se. Hoc est enim præparare lampades suas. Quòd si semper nos ita iudicaremus, quemadmodum tunc iudicaturi sumus, nunquam peccaremus in Deum. Sicut ergo virgo deformis & debilis sine causa se componit, sic & tunc peccatores sine causa se præparabunt. Naturalem rem loquitur. Sicut rex cum tyranno bellum facturus, si voluerit aspicere exercitum, & considerare arma illorum, iubet mitti tubam, vt fiant admoniti. Tunc omnes milites festinant arma sua aspicere, vbi sit gladius eius, vbi lorica sit posita, vbi iacet scutum: & qui securitatis tempore arma sua studuit immaculata custodire, paratus & lætus currit ad inspectionem. Et qui tempore securitatis gladium suum æruginare dimiserit, aut loricam sordescere, scutum frangi aut rumpi: cùm audierit tubam, & ipse quidem excitatus timore festinat limare gladium suum, detergere lo- B ricam, ligare aut stringere scutum, sed non poterit celare negligentiam suam: quia vrgens necessitas non permittit longi temporis opus implere. Sic & Domino absente malus seruus non aspicit opera sua, quod facit, quid non facit, aut quomodo credit: nec cogitat, quia venturus est Dominus eius, & opera perspecturus, & fidem: sed cùm viderit eum venientem de longe, tunc aspicit opera sua, tunc incipit festinare, sed nihil ei proderit festinatio eius: quia multorum dierum negligentia non potest vna hora expleri. *Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Extinguitur lampas hominis, quando fides eius deficit ac desperat. Sicut enim qui bene sibi conscius est, fiducialiter & magnanimiter agit: quemadmodum si quis infuso oleo addat lumen lucernæ, sic & ille consideratione operum bonorum suorum semetipsum confortat, & fidei suæ addit audaciam. Qui autem sibi malè conscius est, semper pusillanimis ac timi- C dus est. Et quemadmodum subducto oleo minuitur lumen lucernæ, sic & ille consideratione operum suorum malorum semetipsum confundit, & infidelitatis suæ adhuc diffidentiam addit. Ideo ergo timentes peccatores, ad sanctos dicturi sunt: Date nobis de oleo vestro: hoc est, vos sancti, qui habetis opera larga iustitiæ sufficientia vobis non solùm ad euadendam pœnam, sed etiam ad gloriam consequendam, accommodate nobis auxilium operum bonorum vestrorum: id est, intercedite pro nobis peccatoribus ad Dominum: quia iustitia vestra sufficiens est & vos glorificare, & nos excusare. *Responderunt autem prudentes, dicentes: Ne fortè nec nobis, nec vobis sufficiat.* Ostendit in his verbis, quòd ita futurum est terribile iudicium illud, vt nulla innocentia sibi confidat. Et verè quis est homo natus de muliere, qui credit iustum se esse inueniendum
Iob 25. in conspectu illius, de quo beatissimus Iob dicit: Stellæ in conspectu eius non sunt mundæ, & cœlum sine D crimine non est? Si ergo impeccabilis natura stellarum & cœli, quantum ad iustitiam Dei inuenitur esse peccatrix: quomodo ante eum homo appareat iustus, cuius & sine voluntate peccandi natura ipsa peccatum est?
Rom. 7. dicente Apostolo: Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato: quod enim operor, non intelligo: non enim quod volo, hoc ago: sed quod nolo, illud ago. & iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Tantus timor tunc erit omnium, etiam sanctorum, vt nemo speret se iustum inueniendum, sed adhuc timeat ne fortè reus existat. Quis enim potest ad perfectum diiudicare conscientiam suam, & cognoscere cor
Matt. 12. suum, cùm scriptum sit, Quia de omni verbo otioso reddituri sumus rationem? Quomodo ergo pro peccatoribus tunc intercedant sancti, cùm timeant ipsi de se? Nam sicut tempus misericordiæ iudicium non suscipit, sic & tempus iudicij misericordiam non recipit. Ideo in primo aduentu, cùm tempus esset misericordiæ, dicentibus Apostolis super inhumanitatem ciuitatis alicuius: Vis dicamus, vt descendat ignis de cœlo? Respondit Iesus: Nescitis cuius spiritus estis. Non Luc. 9. enim veni iudicare mundum, sed saluare. Ostendens, quia cùm venerit in secundo aduentu, iudicij tempus similiter locum misericordiæ non habebit. Vbi autem misericordia locum non habet, nec intercessio valet. Aut hæc ideo dicit, quoniam indignæ sunt Rom. 8. passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Si ergo maior erit gloria, quæ præparata est sanctis à Deo, quàm quod vnusquisque sanctorum meretur: quomodo sufficiat & aliis ad salutem vniuscuiusque opus eorum, cùm nec sibi soli sufficiat ad gloriam illam iusto iudicio consequendam? *Ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Venditores operum bonorum, vel doctrinæ, sacerdotes sunt, qui præcepta iustitiæ in populo dant, quasi pretium aliquod accipientes fidem ipsorum, qui peccatores per pœnitentiam soluunt, pretio confessionis eorum placati. Aut certè hoc pretium doctrinæ accipiunt, quando sic docentes eos audierit populus. Populus quidem per obedientiam suam mercatus est sibi salutem, sacerdotes autem qui docuerunt & laborauerunt circa eos, recipient à Deo doctrinæ suæ labores. Bonum ergo est consilium sanctorum ad peccatores, vt eant ad sacerdotes, & fideliter audiant eos: & cùm audierint, faciant, & habebit virtutem olei fides eorum, si tamen habuerint tempus. *Abeuntibus autem eis, ecce venit sponsus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo, & clausa est ianua.* Ostenditur nobis per hæc verba, quòd illo in tempore inter angustias diuersorum terrorum videntes se peccatores, anxiabuntur, & current huc & illuc ad sacerdotes doctrinam & pœnitentiam sibi quærentes. Alij autem interrogantes quid eos oporteat facere, sed festinante iudicio, & necessitatibus aliis super alias venientibus, cùm non sit docendi licentia, nec tempus faciendæ iustitiæ, aut agendæ pœnitentiæ, festinatio eorum vacua erit. Hoc enim & in quotidiano vsu videmus fieri. Quotidie enim sacerdotes clamant in Ecclesia: Qui peccauit, pœnitentiam agat: qui non peccauit, permaneat in Deo. Neque seducant vos honores & diuitiæ temporales: quia tempus vestrum propè est: & si consummatio vestra tardauerit, mors vestra non tardat, & nemo credit, nemo obaudit: cùm autem venerit super illos mors, festinant & anxiantur, vocant sacerdotes, pœnitentiam volunt agere, quando iam pœnitentiæ locus non est. Itaque dum exponunt peccata sua, dum accipiunt pœnitentiæ tempus, & præcepta iustitiæ, capitur anima eorum, & vadunt vacui, magis autem ligati iusto iudicio Dei: quia non propter odium peccatorum displicentes sibi volebant pœnitentiam agere, sed propter mortis timorem. Adhuc enim si viuere potuissent, non sibi displicuissent. Alius autem venditores olei, id est, boni operis, pauperes dicit. Hortantur ergo prudentes virgines fatuas, vt eant ad pauperes, si patitur eas tempus, vt facientes eis bona iustitiæ, misericordiam consequantur ab eis: quoniam per misericordias factas in eos, olei, id est misericordiæ merces acquiritur. Illæ autem dum vadunt volentes tunc aliquid boni facere, propter quod possint cum fiducia occurrere Christo, venturus est Christus repentè, & nihil eis proderit anxietas illa tunc incipientibus bene agere, cùm tempus bene agendi concluditur. *Nouissimè autem*

simè autem venerunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine aperi nobis. Nihil prodest ex necessitate repetita confessio eius, qui ex voluntate nec semel confessus est. Nam voluntaria confessio, & modica sufficit Deo: ex necessitate autem, neque magna. *At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos qui estis.* Signa spiritus mei in vobis non video. Sicut enim qui immundum Spiritum habet, bona opera facere non potest: sic qui Spiritum sanctum habet, opera non facit mala. Quare igitur vos opera non facitis bona, sed mala? Imaginem meam non cognosco in vobis. Imago autem mea, est fugere malum, & sequi bonum: vos autem econtra, fugistis bonum, & operati estis malum. Non potestis meorum militum præmia accipere, qui tyrani vexilla portatis. Non possum meos dicere, in quibus meum nihil cognosco.

HOMILIA LIII. EX CAP. XXV.

SICVT *enim homo peregrè proficiscens vocauit seruos suos, &c.* Homo peregrè profectus, B Christus est, post victoriam passionis ad patrem iturus: voluntate misericordiæ homo, non necessitate naturæ. Commendat autem Christus dilectionem suam, quam habet in sanctis. Ad regna enim cœlestia ascensurus, & ad patrem suum iturus vnde descenderat, peregrè se iturum dicit, propter charitatem sanctorum quos relinquebat in terris, cùm magis peregrè esset in mundo, sicut ipse testa-
Psal. 118. tur, dicens: Incola enim ego sum in terra apud te. Quando enim venit in mundum Iesus, adhuc peregrinus erat, neminem habens sui nominis confessorem: postquam autem venit, & discipulos acquisiuit, iam paterfamiliàs erat: & ideo proficiscens de mundo, peregrè proficiscebatur. Vis autem scire quantùm diligat fideles suos, considera quid passus est pro eis. Si enim magis quàm gloriam suam illos amauit, quasi homo moriens propter eos: quid mirum, si maiore dilectione tenebatur sanctorum quos relinquebat in terris, quàm C dilectione gloriæ, quam habebat in cœlis? *Et tradidit illis bona sua.* Non inuidens alij plus dedit, alij minus, sed considerans diuersitatem fidei eorum. Qui autem inuidus est aut parcus, omnibus est parcus & inuidus. Neque quasi acceptor personarum fecit differentiam gratiarum. Vis scire? Considera quomodo pene æqualiter remunerauit eum qui minus obtulit, & eum qui amplius. Si enim acceptor personarum fuisset, vtique non tantùm in danda gratia, quantùm in reddenda mercede esset æqualis ambobus. Manifestum est, quòd in danda gratia non personas aspexit, sed virtutem vniuscuiusque consideraut: ne supra virtutem opus iniungens, ipse occasio offensionis existeret, & non esset reus qui peccauit, si supra virtutem pondus imposuisset. Volens ergo Dominus socios nos habere in regno cœlesti, opera nobis diuersarum iustitiarum commisit: non quia non habeat potestatem & sine operibus nos glo- D rificare, sed ideo opus præmisit: quia sicut opera sine præmiis vacua sunt, sic præmia sine operibus sunt ingrata. *Statim autem abiit, qui quinque talenta acceperat, & acquisiuit alia quinque.* De talento agnitionis Christi acquisiuit vnam iustitiam bene viuendo. De presbyterio autem ipso acquisiuit iustitiam solicitè præsidendo Ecclesiæ. De verbo acquisiuit iustitiam, verbum veritatis synceriter prædicando. De baptismo lucratus est secundùm Christi regulam baptizando, & dignos filios cum iudicio Ecclesiæ acquirendo. De sacrificio acquisiuit iustitiam, tam mundum & immaculatum sacrificium populo offerendo, & pro peccatis populi exorando. *Similiter & ille qui duo talenta accepit, lucratus est alia duo.* Id est, duas iustitias. Vnam bene viuendo, quam ac-

quisiuit à fide Christi: alteram synceriter ministrando, quam fecit ex ministerio diaconatus. *Qui autem vnum accepit, abiens fodit in terram.* Primùm videamus, vt quid neque ille qui duo talenta habuit, abscondisse talenta sua proponitur, cùm multi diaconi inueniantur inutiles: neque ille qui accepit quinque, cùm multi doctores inueniantur inutiles, sed ille tantùm qui vnum accepit, id est populus? Attende, Deus secundùm præscientiam suam, licet sciat qui iusti futuri sint, & qui iniusti: tamen omnes vocat ad fidem, dans eis gratiam credendi in Christum, quod est talentum bonis quidem ad salutem, malis autem ad præiudicium, vt inexcusabiles fiant. Diaconis autem & doctoribus secundùm præuidentiam suam, illis videtur Deus iniungere ministerium diaconatus aut presbyteratus qui sunt iusti: qui autem inueniuntur iniusti, illos homines ordinasse videntur, non Deus. Ab exitu ergo rei cognoscitur qui à Deo ordinatus est, & qui ab hominibus. Qui enim ministerium suum bene consummauerit, ap- B paret quia ex Deo fuerat ordinatus: qui autem ministerium suum non bene consummauerit, ex hominibus ordinatus est. Quomodo autem quidam sacerdotes ex hominibus ordinantur, manifestè in libro octauo canonum Apostolorum dicitur. Qui autem ex hominibus ordinatus est, quantùm ad Deum non est diaconus, aut sacerdos. Ergo in sacerdotibus quidem & diaconis non est inuentus vt perdat talenta, qui secundùm præscientiam ordinatur à Deo. In popularibus autem euenit, quomodo etiam qui peccator futurus est, à Deo accepit fidei gratiam. Secundùm hæc ergo quæ diximus, si presbyter aut diaconus peccator inuentus fuerit: quoniam quantùm ad præscientiam Dei (sicut iam diximus) non ex Deo, sed ex hominibus factus videtur presbyter aut diaconus, quasi laicus inuenitur inter eos qui vnum talentum fidei acceperunt. Ac per hoc nemo ordinatus à Deo peccat, nisi vt qui vnum talentum accepit à Deo. Ideo autem gratia fidei omnibus à Deo præstatur, gratia autem clericatus non omnibus, sed dignis: quia in illa causa salutis est, in ista autem dispensatio mysterij. Nam & paterfamiliàs annonam quidem omnibus seruis præstat, negotia autem sua non omnibus committit. Abscondit au- Talentum in terram abscondere, quid. tem talentum suum in terra, qui accipiens notitiam Christi contemnit vitam spiritualem, & in terrenis actibus & deliciis conuersans obruit illud in carne sua, & solicitudinibus mundi quasi spinis suffocat fidei suæ bonum, & non facit fructum. Hoc est enim talentum in terra abscondere, quod est semen verbi inter spinas suffocare. Sciendum est autem quòd ille qui fodit gratiam suam in terram, non peccare proponit, sed iustitiam non facere. Qui enim peccat, non abscondere videtur gratiam, sed corrumpere. Si ergo in tenebras exteriores mittuntur, qui accepto verbo fidei, carnaliter viuendo, fructum iustitiæ non fecerunt: putas in quales tenebras sunt ituri, qui ipsum talentum fidei suæ peccando perdiderunt? iste qui fodit talentum suum, similis est virginibus fatuis, quæ habentes lampades, oleum non habebant. tam enim illæ, quàm istæ putauerunt sibi ad salutem hoc solùm, quòd credebant in Christum, posse sufficere. Nam verè talentum non perdidit, id est Domini sui, tamen reus est damni. Non enim propter hoc solùm vnusquisque fit Christianus, vt sit Christianus seruans talentum fidei suæ, sed vt operetur iustitiam Christo. Sicut enim qui seminandi causa accipiens semen, tempore seminationis non seminauerit, damnum facit Domino suo: etsi non perdiderit semen, est tamen tantum damnum, quantum poterat lucrum facere, si opportuno tempore seminasset;

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sic qui accipit fidem Christi, & in hoc sæculo semina-
tionis non fuerit operatus iustitiam, etsi fidem suam
non perdiderit, tamen tantùm videtur peccasse, quan-
tùm potuit iustitiam facere, si non neglexisset. *Post mul-
tum verò temporis venit Dominus seruorum illorum.* Pri-
mùm videamus quare interim Dominus ascendit in
cœlum post modicum iterum reuersurus, & semper
cum sanctis futurus? Vt videlicet absente eo fideles
gloriam sibi, & vitam æternam acquirant per fidem
& opera. Præsente enim Christo nec tentari fideles po-
terant, nec probari si essent veri fideles: quoniam si sit
præsens non creditur, sed videtur: cùm autem absens
fuerit, non videtur, sed creditur dum timetur. Christo
igitur præsente, etsi tentationem aliquam sustinerent
propter eum, aut iustitiam facerent, opus tamen eo-
rum non videbatur esse in fide, sed in oculis. Ideo nec
poterant sibi mercedem fidei per iustitiam acquirere,
nisi ascendisset ab eis. Nam seruus fidelis Domino ab-
sente probatur: præsente autem Domino quicquid fe-
cerit non est laus serui, sed Domini. Vides ergo quia
Christus propter vtilitatem nostram ascendit. non propter suam vtilitatem Christus ascendit, sed
propter nostram. Tempus autem differt largum, vt lon-
gior detur hominibus iustitiæ faciendæ licentia. *Et ac-
cedens qui quinque talenta acceperat, dixit: Domine, quin-
que talenta tradidisti mihi.* Vide, bonus seruus non qua-
si glorians in opere suo, non primùm lucri talentorum
memoriam facit, sed primùm memorat quæ accepit,
postea quæ inuenit: vt ostendat non studij sui, aut la-
boris esse quod acquisiuit, sed beneficiorum Domini
sui, quibus acquisiuit. Tanquam si dicat: Domine,
ego quantùm ad meum studium & laborem, nec mo-
dicam quidem iustitiam facere potuissem, nisi gratia
1.Cor.15. tua fuisset mecum. Sicut dicebat ille qui dicit: Sed plus
omnibus laboraui, non autem ego, sed gratia Dei me-
cum. *Ait ei Dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia
super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra
in gaudium Domini tui.* Pauca sunt admodum. Si quis
de magna massa tritici modicam dederit drachmam,
aut de magno vase vini, modicum dederit gustum: sic
de magno thesauro regni cœlestis modica nobis per
Spiritum sanctum arra præstatur. Propter quod dicebat
1.Cor.13. Apostolus: Ex parte enim cognoscimus, & ex parte
prophetamus: cùm autem venerit quod perfectum
est, destruentur ea quæ ex parte sunt. Non dixit, Intra
ad gaudium Domini tui: sed, in gaudium Domini tui,
vt possessor sit gaudij, non tantùm spectator. Et iam
non quasi minister Domini in gaudio eius, sed parti-
Ioan.17. ceps gaudiorum. Sicut & alibi ipse dicebat: Pater, vo-
lo vt vbi ego sum, & isti sint mecum, vt videant glori-
am meam, quam mihi dedisti. Quid ergo dignum fa-
cimus in hoc sæculo, vt participes Domini nostri in
regnis cœlestibus fieri mereamur? Ideo iustè dicit A-
Rom.8. postolus: Existimo enim quòd non sunt condignæ pas-
siones huius tēporis ad futuram gloriam, quæ reuela-
bitur in nobis. *Accedens autem & qui duo talenta acce-
perat, ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia
duo.* Et si minor in opere, non minor in voluntate. Vi-
dens autem Dominus quia seruo illi non voluntas ope-
randi minor fuit, sed virtus fidei: nam & ille voluit si-
militer amplius operari, sed magis desideriis eius non
suffecit modica fides: Ideo iustus iudex, etsi non simi-
lia lucra suscepit ab illo, quemadmodum ab isto, ta-
men sic beneuolentia istum suscepit, quemadmodum
& illum: quia Christus non magis operum remunera-
tor est, quàm voluntatum. Nec putet ergo diaconus
ex eo quòd diaconus est beatior erit, quàm laicus stu-
diosus. Non enim dignitas apud Deum honorabitur,
sed voluntas. Nec diacono se beatiorem debet putare

A presbyter ex eo quòd presbyter est, quàm se si fuerit
bonus diaconus: quoniã gradus ministerij ex Deo est,
perfecta autem voluntas ex nobis. Propterea non su-
mus iudicandi, quia non fecimus quod in parte nostra
non est: sed ex eo sumus iudicandi, quòd in nobis est
posse, si volumus. *Accedens autem & qui vnum talen-
tum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis
vbi non seminasti, & congregas vbi non sparsisti.* O malitia
peccatorum, quæ neque futuri iudicij terrore muta-
tur. Qui enim peccatum suum debuerat simpliciter
confiteri, vt Dominum quem malè agendo irritauerat,
simpliciter confitendo leniret: econtra non solùm non
confitetur, sed adhuc excusat. Et dum vult vnum ex-
cusare peccatum, addit & alia duo. Primùm quia pec-
cauit: secundò, quia excusat: tertiò, quia & iniuriam
Domino facit. Propterea sciens Propheta quàm mala
sit excusatio peccatorum, dicit: Non declines cor me- Psal.140.
um in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in
B peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem.
Dic ergo serue mendax, quomodo metit Christus vbi
non seminauit? Quis enim hominum est, vel gentilium
vel Iudæorum, quem non sufficienter spiritualibus &
corporalibus sensibus adornauit, cui non dedit scienti-
am boni & mali, cui non dedit posse fugere malum, &
apprehendere bonum si vult? Sicut enim nullus est ho-
mo, cui aliquid corporis membrorum minus sit ad v-
sum corporalem: sic non est, cui minus sit aliquid sen-
sus aut potentiæ ad intelligentiam boni & mali, & ad o-
mne opus bonum faciendum quodcunque voluerit.
Si igitur etiam in gentibus seminauit gratiam suam, ex
quibus nullus iustitiæ colligitur fructus: quomodo in
te metit, quod non seminauit, quem quasi aratro spi-
rituali crucis suæ verbo arauit, quem doctrina iustitiæ
seminauit, quem Spiritu sancto irrigauit? Tot semina
suscipiens gratiarum, vel vnum fructum iustitiæ non
debuisti offerre? Nam Deus hominem ex duplici cre-
C ans natura, corporis & animæ: in corpore quidem crea-
uit quinque sensus, & motus quosdam concupiscen-
tiarum, nascentium ex occasione sensuum prædicto-
rum: in anima autem creauit iudicia & virtutes, vt in-
telligat malarum rerum & bonarum discretionem, vt
possit resistere motibus suis corporalibus. Qui ergo se-
cundùm delectationes carnales viuere elegerunt, ne-
que considerant in anima sua iudicia & virtutes esse
creatas: nec enim experiuntur ea si sint, sed tantùm
sensus carnales, & motus carnales concupiscentiarum
nascentium ex occasione sensuum prædictorum exe-
quuntur, ex quo fit, vt sic arbitrentur & dicant, quia o-
mnia bona carnalia & mundialia ideo creauit Deus, vt
omnibus eis vtamur. Nam si verè non sunt creata in
nobis secundùm animam iudicia & virtutes, quibus
possumus resistere motibus concupiscentiarum no-
strarum carnalium: certum est, quia ideo creata sunt
bona carnalia, vt vtamur illis. Si autem creatum est in
D nobis, & intelligere eos, & posse resistere eis: sine du-
bio non ideo creata sunt corporalia bona & mundia-
lia, vt eis vtamur, sed vt resistentes eis, meliori studio
acquiramus nobis mercedem. Nam nec intelligere ma-
lum & bonum in nobis esset creatum, nisi prius crea-
tum fuisset & posse resistere malo. Vt quid enim homi-
ni datum fuisset intelligere, si non fuisset ei datum &
posse facere quod intelligit melius esse? Nunquid ani-
malibus Deus creauit intelligere, quod honestius &
laudabilius est? Non, quia nec creauit in eis posse face-
re aliquid quod melius est. Sic nec homini creasset in-
telligere, nisi creasset ei & quod intelligit facere posse.
*Respondens autem Dominus eius, dixit ei: Serue nequam & pi-
ger, sciebas quia meto vbi non seminaui, & congrego vbi non
sparsi: opor-*

*sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meam numula-
riis, & veniens ego recepissem eam cum vsuris.* Nequam dici-
tur, quia contumeliam reddidit domino pro honore:
piger, quia talentum non duplicauit. Et ideo pro eo
quidem quasi superbus, pro hoc autem quasi negligens
condemnatur. Verè nequam, quia largitatem domini,
quasi violentiam accusauit. Nec enim Deus ideo gra-
tiam intellectus, aut noticiam sui homini dedit, deside-
rans gloriam sibi acquiri per eum: sed vt per gratiã Dei
ipse sibi vitam æternam & gloriam mereatur, & societa-
tem cœlestis regni cum Deo. Hoc sine dubio intelligi-
tur ex ipsa præcedentium remuneratione iustorum. Si
enim propter se dedisset gratiam hominibus, nunquam
à seruis pauca suscipiens redderet multa. Sed malicia
excæcatus dum voluit sapientiam Dei fallere, maiori-
bus se iratus vinculis alligauit, dicens: Metis vbi non se-
minasti. Si enim verè talem sciuit dominum suum, eò
magis debuit festinare, vt per diligentiam suam auari-
tiam domini sui faceret, ne per negligentiam iniusti-
tiam eius magis ad iracundiam prouocaret: quia auste-
ritas non cõtemnitur, sed timetur. Qui autem timet, nõ
contemnere, sed placare festinat, sciens quomodo qui
metit vbi non seminat, magis vult metere vbi semina-
uit. *Oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis,
& veniens ego recepissem eam cum vsuris.* Quidam putant
tres istos omnes doctores esse, differentes autem gra-
tias habuisse: & hunc tertium ideo argui, quia non do-
cuit alios gratiam scientiæ quam habebat. Et quamuis
omnis homo rationalis cõstitutus numularius dici pos-
sit, tamen nescio si habeat rationem, qui sic minimus
est, vt vnius talenti gratiam habeat. Qui numularius
est, non indiget eius: si autem est qui illius magisterio o-
pus habeat, ille sine dubio numularius non est. Cauti
enim hominis est, numularium esse, qui differẽtias pen-
sat verborum. Ergo necesse est hunc tertium intelligere
popularem, sicut diximus suprà. Mensa est omnis scri-
ptura diuina, sicut & alibi exposuimus, secundùm quod
dicit Propheta de scriptura veteris testamenti Iudæis
Psal.68. scandalum facta: Fiat mensa eorum coram ipsis in la-
queum, & in retributionem, & in scandalum. Nõ enim
mensa eorum corporalis facta eis in scãdalum, sed scri-
Deut.21. ptura legis eorum. Legentes enim in lege, Maledictus
omnis qui pendet in ligno: & videntes Iesum crucifi-
xum, contra legem æstimauerunt, credere in Iesum cru-
cifixum, quem lex maledictum annunciabat: non intel-
ligentes, quia nostram maledictionem in ligno susce-
perat, vt nos liberaret à maledictione, quam suscepera-
mus per lignum: & sic facta est eis mensa eorum, id est,
scriptura legis eorum in scandalum. Item videntes eum
in sabbatis operantem, leprosos tangentem, à quibus
omnibus abstinere lex diligenter præcipiebat, scanda-
Ioan. 9. lizati sunt in eum, dicentes: Hic homo non est ex Deo,
qui sabbatum non custodit. Non intelligẽtes, quia cor-
porale quidem soluebat, spirituale autem implebat. Et
hoc modo facta est eis mensa eorum, id est, scriptura le-
gis eorum, in scandalum. Ergo mensa est omnis scriptu-
ra diuina, in qua panis verbi nutriens animas positus
est, supra quam omnes Christiani recumbunt, & epu-
lantur in spiritu. Numularij autem præsidentes mensæ
illi, sunt sacerdotes fideles & prudentes: qui cùm vide-
rint fidem & actus Christianorum, accipiunt iudicium
de scripturis, quasi de mensa, & ponderant eos, & æsti-
mant, & intelligunt si digni sunt Deo, aut non. Et si ha-
bent charagma, id est, figuram & imaginem mũdi, sunt
ipsius, & oportet eos abiicere. Huic mensæ qui commi-
serit fidem suam, quam baptizatus suscepit à Christo, vt
in Ecclesia permaneat, Scripturas aut legat, aut audiat
incessanter ex fide, vt allocutionibus sacerdotum nun-

A quam fraudetur. Impossibile enim est, vt non multipli-
cetur fides ipsius. Paulatim enim de die in diem timor
Domini generatur, sensus eius illuminatur, scientia
eius crescit, confirmatur in fide, excitatur ad desideri-
um regni cœlestis, apprehendit eum zelus antiquorum
sanctorum quos legit, excitatur & ipse plerunque ad
easdem virtutes. Vides quantam vsuram facit augmen-
tata fides, data ad mensam scripturarum sanctarum.
Sicut enim pecunia hæc corporalis quidem, si sit in sac-
culo, inclusa ipsa est semper: si autem fuerit agitata de
manu in manum, vsu ipso multiplicatur, vnde vsura
dicitur ab vsu: Sic & fides Christi, siquidem otiosa te-
neatur in corde, non solùm ipsa manet quæ fuit, sed
adhuc minoratur in otio, & torpescit, & segnis efficitur,
& paulatim per actus carnales exinanita ad nihilum va-
dit: si autem exercitata fuerit scripturis, & locutioni-
bus assiduis suscitata, operibus bonis viuificata: non
solùm dico multiplicabitur, sed nunquam desinet cre-
B scere, donec viuet homo. Nunquid nos ex nobis hoc
dicimus? Ipse denique Propheta in principio Psalmo-
rum suorum hunc annunciat esse beatum. Nam cùm
dixisset, Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum,
& in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilen-
tiæ non sedit: addit, Et in lege Domini voluntas eius,
& in lege eius meditabitur die ac nocte. Et quod sit lu-
crum meditationis huiusmodi, subinfert, dicens: Et
erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decur-
sus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo:
Et folium eius non defluet, & omnia quæcunque fa-
ciet prosperabuntur. *Tollite itaque ab eo talentum, &
date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabi-
tur, & abundabit.* Peccator agnoscens Christum, ha-
bet hanc ipsam gratiam, quòd cognoscit Christum:
sed cùm venerit in iudicium Christi, diuiditur à con-
sortio cognoscentium Christum: & sic tollitur ab eo,
quod videbatur habere, quamuis verè non habebat.
C Quomodo qui cognoscit Christum, & peccat, vide-
tur quidem habere scientiam Christi, verè autem non
habet: & ipsa notitia Christi additur homini iusto qui
habebat. Ille verè habet scientiam Christi, qui iustiti-
am facit. Et quomodo ei additur scientia Christi super
scientiam? vt qui videbat per speculum in ænigmate, 1.Cor.13.
videat facie ad faciem: & qui cognoscebat ex parte,
cognoscat sicut cognitus est. Sed & aliter intelligitur.
Qui fidem habet, & bonam in Domino volũtatem, et-
iam si quid minus in opere quasi habuerit, nihilominus
remuneratur à iudice bono: qui autem fidem non ha-
bet, aut bonam in Domino voluntatem, etiam cæteras
virtutes, quas videtur naturaliter possidere, perdit. Ele-
ganter ait, *Quod videtur habere, auferetur ab eo.* Quicquid
enim boni sine fide Christi est, non ei imputatur, qui
malè vsus est eo. Sicut sunt multi, qui videntur quidem
aut mansueti, aut humiles esse: sed quia non sunt hoc
propter Deum, licet videatur esse aliquod bonum eo-
D rum, non autem est: quia quod non est ex fide, pecca-
tum est. *Et hũc nequam seruum proiicite in tenebras exterio-
res.* Considerandum est, vt quid non dixit, Mittite eum Rom.10.
in tenebras inferiores: sed in tenebras exteriores. Qui-
dam dicunt non tãtùm esse infernum deorsum, sed ex-
tra mundum istum esse aliqua tenebrosissima loca & i-
gnea, in quibus puniuntur qui digni sunt. Fortè ergo id-
eo dixit exteriores tenebras, & nõ inferiores. Qui con-
siderat quomodo sequens parabola parabolæ huic præ-
cedenti coniuncta est, & quomodo pars est parabolæ
huius: nec enim alterius rei parabola est, nisi ipsius, non
sine ratione requirit: quia quod ait, Post multum tem- Hic sup.
poris veniens Dominus seruorum illorum, posuit cum
eis rationem: non de secundo dicit aduentu, quando

Universidad de Deusto
Biblioteca

venturus est cum maiestate: sed de aduentu, qui frequē- A
ter solet venire ad omnes Christianos, quibus gratiam
dedit suæ cognitionis: & discutit eos, & ponit ratio-
nem cum eis, vt iudicet eos, & iustos ab iniquis dis-
cernat, sicut exposuimus suprà in parabola vbi dicit:
Simile est regnum cœlorum homini regi, qui voluit
Supra 18. rationem ponere cum seruis suis. Habet autem alia pa-
rabola sic: *Cùm autem venerit filius hominis in maiestate
sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maie-
statis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes.* Ac si
dicat, Interim quidem sic veniet, sic ponet rationem
cum seruis suis, sic discutiet eos, sicut exposui in ista
parabola. Cùm autem venerit filius hominis in maie-
state patris sui cum angelis suis, tunc sedebit super se-
dem maiestatis suæ, tanquam non semper veniens cum
maiestate patris veniat, nec cum angelis suis, nec sem-
per veniens sedeat in sede maiestatis suæ, sed tunc tan-
tummodo fiet hoc. Sed & illud vide, quomodo in
hac parabola peccatorem non in ignem, nec in ali- B
quam pœnam, sed tantùm in tenebras exteriores mit-
ti præcepit: in illa autem, cùm venerit in maiestate Pa-
tris, iam non tantùm in tenebras exteriores, sed & in
ignem mittet, & pœnas. Item in hac parabola iustum
in gaudium iubet intrare, in illa autem in regnum. Ad-
huc autem quod ait, Accedens autem & qui vnum ta-
lentum acceperat, ait: Sciebam quia homo durus es,
metis quod non seminasti, & congregas quod non
sparsisti. Putas in secundo aduentu, cùm venerit sic
terribiliter cum gloria sua, stabit peccator ante eum, &
talia dicet? Absit. Maximè cùm nec æstiment viri pru-
dentes personale tunc fore iudicium, vt per singulos
homines Christus quidem interroget, peccator autem
respondeat, & gesta narrationum conficiantur: sed ve-
rius est quod ait Apostolus, quia in cogitationibus suis
Rom. 2. iudicabitur vnusquisque, dicens: Qui ostendunt opus
legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente
sibi conscientia eorum, & in se inuicem cogitationibus C
accusantibus, aut etiam defendentibus, cùm iudicabit
Deus occulta hominum secundùm Euangelium meum
per Iesum Christum. Ergo in hoc sæculo, quandiu
sunt Christiani in corporibus suis, venit Christus ad
eos, & ponit rationem cum eis inuisibiliter, & interro-
gat eos in cogitationibus eorum, & audit eos in ipsis lo-
quentes, sicut scriptum est de vtroque. De hoc quidem,
Sap. 1. Quia in cogitationibus impij interrogatio erit: de illo
Psal. 95. autem, quia cogitatio hominis confitebitur: vtputa di-
Psal. 93. cit in Psalmo: Viduam & pupillos interfecerunt, & ad-
uenam occiderunt, & dixerūt, Non videbit Dominus,
neque intelliget Deus Iacob. Nō quia talia fuerunt spe-
cialiter verba illorum, sed quia tales sunt cogitationes
hominum facientium mala. Nec enim facerēt mala, si
cogitarēt Deum aut intelligere aut videre quæ faciunt:
Sic & hic, non quia talia specialiter sint dicta hominis
iusti, aut peccatoris: sed quia tales sunt cogitationes eo-
rum, & cogitationes eorū quasi dicta ponuntur. Omnis D
enim vir iustus, qui facit opera bona solùm propter De-
um, cùm venerit in recordationem actuum suorum bo-
norum: necesse habet venire frequenter, aut Deo mo-
uente cogitationes cordis eius in eo, aut diabolo, præ-
termisso Deo: nescio tamen cùm venerit considerans
intra se & actus suos bonos, & naturam carnis suæ ma-
leuolam, sic loquitur in cogitationibus suis: Non ego
hæc feci. Nec enim credibile sine Deo naturam carnis
iniustam facere opus iustum, sed virtus gratiæ Christi,
quam dedit hominibus per fidem nominis sui. Et talis
cogitatio eius fit confessio ante Christum, audientem
tacitas cogitationum loquentium voces. Item omnis
peccator, qui fecit opera mala, cùm venerit in recor-
dationem actuum suorum malorum: necesse enim ha-
bet venire frequenter, siue ipso Christo mouente co-
gitationes cordis eius in eo, siue diabolo, Dei permis-
sione: scio tamen veniens nunquam seipsum reprehen-
dit in cogitationibus suis, nunquam seipsum accusat,
nunquam se iudicat reum, sicut solent facere si deliquе-
rint iusti. Alioquin & compunctus emendaretur, sed
excusat se semper in cogitationibus suis, & absoluere se
festinat à reatu peccatorum suorum. Aut enim natura-
libus necessitatibus imputat quod peccauit, aut plus ab
omnibus Deum exigere dicit, quàm ipsa patitur homi-
num habitudo. Non potest enim bona cogitare, qui
mala opera facit: sicut nec mala cogitare potest, qui fa-
cit bona propter Deum. Et bonus quidem forsitan in-
terdum mala cogitat: quoniam omnis homo etsi se-
cundùm voluntatem animæ bonus est, tamen secun-
dùm naturam carnis malus est. Malus autem impossibi-
le est vt cogitet bona, quoniam & secundùm naturam
carnis malus est, & secundùm animæ voluntatem per-
uersus, & talis cogitatio maligna fit. Quando enim pec-
cator nihil boni posse facere arbitratur, impediente na-
tura, nisi tantùm cognoscere Deum & Christum filiu-
eius? nónne cogitationibus suis hoc dicere videtur ad
Christum, quia nihil boni posse facere creasti
me, nisi solùm cognoscere: ecce habes beneficium tu-
um. Et hoc ipsum quasi nihil æstimans dicit, quòd
Christum cognoscit. Similiter & iudicia Christi, & oc-
culta de hominibus aut bonis, aut malis, quasi respon-
sa ponuntur: id est, non quia specialiter sic Christus re-
spondit, sed quia talia sunt iudicia Christi inuisibiliter
iudicantis. Congratulatur autem iustus apud seipsum:
primùm, quia talia opera fecit: deinde, quia nihil eo-
rum sibi imputauit, sed omnia Christo, propter quod
superadditur ei gratia Spiritus sancti, & introducit eum
in suum gaudium, vt sic gaudeat in futuræ spe gloriæ
suæ, sicut gaudet & Christus. Nam quantùm largior fu-
erit spes hominis, tantùm cordis eius gaudium plenum
est. Sicut in alio loco Dominus dicit discipulis suis:
Ioan. 15. Hæc locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit,
& gaudium vestrum impleatur, id est, spes vestra. Spes
enim plena hominis, plenum est gaudium cordis ipsi-
us. Peccator autem qualia diximus cogitans, grauiter
fert: primùm, quia mala fecit: deinde, quia ingratus
est, nullam virtutem se æstimans accepisse ad facien-
dum opera bona, nisi nudam notitiam eius. Propter
quod iubet tolli ab eo etiam hoc ipsum quòd cogno-
scat Christum, & mitti eum in tenebras exteriores. Iu-
bet autem, sicut arbitror, malignos spiritus ministrantes
sibi ad mala, qui obscurantes mentem eius, & obligan-
tes opera eius, & consilia simul, quod est manus & pe-
des, vt nihil vlterius boni aut consiliari possit, aut agere,
mittunt eum foras. Vbi foras? Extra Ecclesiam Chri-
sti, extra fidem veritatis, extra conuentum sanctorum
in hæreses tenebrosas, vbi non apparet lux veritatis, sol
iustitiæ nunquam splendet. Non enim dixit, In tene-
bras inferiores, vt infernales intelligamus: sed in te-
nebras exteriores, vt hæreses intelligamus præ cæteris
plus tenebrosas. Aut certè quandiu quidem peccator
mala operatur, aut cogitat, in tenebris est, sed in tene-
bris propinquioribus: quando autem in hæresim quan-
dam proiicitur, tunc proiicitur in tenebras exteriores.

HOMILIA

HOMILIA LIIII. EX CAP. XXV. A

CVM *autem venerit filius hominis in maiestate
sua, & omnes angeli cum eo: tunc sedebit super
sedem maiestatis suæ, &c.* Criminosas perso-
nas iudex auditurus in publico, tribunal
suum collocat in excelso, circa se constí-
tuit vexilla regalia, ante conspectum suum ponit super
mensam calliculam, vnde tribus digitis mortem homi-
num scribat aut vitam: hinc inde officiales ordinatè cō-
sistunt, in medio secretario ponuntur genera horrenda
pœnarum, quæ non solùm pati, sed & videre tormen-
tum est. Stant iuxta parati tortores, crudeliores aspectu
quàm manibus. Tota iudicij facies cuiusdam schematis
terrore vestitur. Et cùm ad medium productæ fuerint
criminosę personę, ante interrogationem iudicis ipsius,
iudicij terribili discutiuntur aspectu. Similiter & Domi-
nus se ad iudicium venturum promittit similiter cum
tremore, non cum simili terrore. Nam & bona & mala B
similiter ordinata sunt in terra sicut in cœlo, non tamen
similia. Ergo videntes in terra pœnas, & glorias, non si-
miles putare debemus in cœlo: sed cùm sint talia super
terram, multò maiora suspicari debemus in cœlo. Quā-
tùm enim Deus distat ab homine, tantùm cœleste iudi-
cium à terreno. Istius enim iudicij splendor in schema-
te, illius autem iudicij maiestas in veritate, testante Pro-
Psal. 49. pheta: Deus manifestè veniet, Deus noster & non silē-
bit: Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius
tempestas valida. Manifestè, inquit, non iam celatus in
corpore, sicut antea, vt vix eum etiam boni cognosce-
rent: sed manifestus in gloria, vt etiam mali eum confi-
teantur inuiti: vt qui contempserunt eum in humilitate,
cognoscant eum in potestate. Et qui scire noluerunt
quàm dulcis est misericordia eius, sentiant quàm grauis
est ira ipsius. Deus noster, & non silebit. Non dixit &
silebit, ostendens quia ipse quidem de se tacebit, sed
ipsa gloria eius de ipso loquatur. Aliquando transfigu- C
Matt. 17. & Marc. 9. ratum eum in monte videntes Apostoli, acceperunt
mandatum ne cui dicerent, ne videretur Christus per
potentiam subiugare sibi populum, & non per fidem.
Tunc autem iam nemo tacebit, quia non est venturus
adhuc tentare fideles, sed iam perdere infideles. Tunc
Supra 24. prædicatores necessarij non erunt. Nam etsi vox om-
nium taceat, visio ipsa clamabit, sicut ipse de secundo
suo aduentu dicit: Sicut fulgur exit ab oriente, & paret
vsque ad Occidentem, sic erit aduentus filij hominis.
Tunc sedebit super sedem maiestatis suæ. Scimus certissimè,
quia sedes Christi homines sunt. Cùm ergo de primo
aduentu & ascensu Christi dicat Propheta sedisse eum
super sedem sanctam suam, hoc modo ascendit Deus in
Psal. 46. strepitu, Dominus in voce tubæ, Deus sedet super sedē
sanctam suam: quomodo hic secundùm suum aduen-
tum exponens, dicit, Tunc sedebit super sedem gloriæ
suæ? Sed vide quia in primo aduentu sedem Christi san-
ctam dixit, in secundo autem gloriosam. Quomodo? In D
primo aduentu mundauit nos per verbum, lauit per a-
quam, sanctificauit per spiritum: in secundo autem glo-
Philip. 3. rificabit per resurrectionem, cùm transformauerit cor-
pus humilitatis nostræ, vt fiat conforme corpori gloriæ
eius: cùm seminati fuerint homines in infirmitate, &
surrexerint in gloria: cùm seminati fuerint corporales,
1. Cor. 15. & surrexerint spirituales, tunc sedebit in sede glorię suę,
cùm sedes eius hoc modo facta fuerit gloriosa. *Et con-
gregabuntur ante eum omnes gentes.* Quia omnibus genti-
bus cognitionis suæ gratiam condonauit, iudicans iustè
in vtroque, vt nec boni sine doctrina veritatis, bonita-
tis suæ fructus amittant: nec mali propter excusationem
ignorantiæ, malitiæ suæ pœnas effugiant. Nam sicut

in nocte rerum facies non apparet, sed & gemma quasi A
lapis videtur, & lapis quasi gemma existimatur: sic &
ante aduentum Christi, humanorum cordium differē-
tia non apparebat, sed & mali quasi boni sustenta-
bantur, & boni quasi mali contemnebantur. At vbi il-
luminatio Euangelij ad omnes gentes prædicata pe-
uenit, tunc manifestata est qualitas omnium voluntа-
tum, tunc omnes gentes inexcusabiles factæ sunt. Et
ideo tunc iustè ad iudicium congregabuntur omnes,
quia qui mandatum præmittit, tacitè iudicium futurum
esse denunciat. *Tunc segregabit eos ab inuicem, sicut segre-
gat pastor oues ab hædis.* Tunc enim homines mixti sunt,
& non solùm mixti, quomodo in hisdem locis simul
conuersentur iusti cum impiis: sed etiam confusi sunt,
quomodo inter iustos & impios, quantum ad homines
discretio non apparet. Sicut in tempore hyemis inter
virides & aridas arbores discretio non est, cùm autem
venerit tempus illud beatum vernale, discernuntur:
Ita nunc vnusquisque secundùm fidem suam, & secun- B
dùm opera sua manifestabitur, impiis quidem nulla
proferentibus folia: nullum ostendentibus fructum:
sancti autem & foliis vestientur vitæ æternæ, & fructi-
bus ornabuntur gloriæ. Et hoc modo segregabuntur
à Domino cœlesti pastore. Et pastor quidem corpo-
ralis segregat secundùm naturas corporum, Christus
autem secundùm genera animarum segregat homi-
nes. Oues sunt homines iusti, propter mansuetudi-
nem, quia ipsi neminem lædunt: propter patientiam,
quia cùm ab aliis læsi fuerint, sustinent. Et sicut oues
quando ligantur, aut tacent, aut in simplicitate ba-
lant: sic & sancti cùm læduntur, aut tacent, aut certè
in benignitate probati, preces transmittunt ad Deum.
Et sicut ouis ad mortem ducitur, & non clamat: vita
eius tollitur, & mansuetudo eius non immutatur: Sic
& sancti maledicuntur, & non remaledicunt: percu-
tiuntur, & non repercutiunt: bona eorum diripiuntur,
& illi non contradicunt: dolorem sentiunt, & clamo- C
rem non emittunt. Et quid opus est clamoribus, cùm
ille qui nocet, non miseretur, etiamsi clamaueris? il-
le autem qui misericors est, miseretur, etiamsi non
clamaueris, audit & videt. Hædos autem homines
peccatores dicit: quia in capris naturaliter hæc insunt
vitia: Libido præ cæteris animalibus, superbia, rixa.
Semper enim se percutientes incedunt, & modò hu-
mero pulsante, interdum cornu percutiunt. Item in-
uidi sibi alterutrò inuident: sicut significat Salomon
de inuidis, dicens: Sicut capra, sic aspicit ruinam pro- Eccl. 11.
ximi sui. Item iactantes sunt & gloriantes: sicut idem Prou. 30.
significat Salomon, dicens: Tria sunt quæ securiter
ambulant, leo inter iumenta, gallus inter gallinas, &
hircus præcedens capras. Item capræ multùm tra-
huntur concupiscentia gulæ. Propter gulam nanque
suam per saxa & præcipitia ambulant, & super præci-
pitia se suspendunt. Item clamoribus super omnia
garrulæ. In omnibus his vitiis peccatores abundant, D
& ideo hædis sunt assimilati. Adhuc quæro, quare
non eorum similes introduxit ætates, dicens: Ita se-
parabit eos, sicut oues ab hircis: aut ita, sicut agnos ab
hædis? Sed videte quomodo volens ostendere san-
ctos perfectos in omnibus, ponendos ad dexteram: &
impios omnino infructuosos, ad sinistram: ideo san-
ctos, oues: impios autem, hædos vocauit. Quomo-
do agni, etsi natura mansueti sunt, tamen non sunt om-
nino fructiferi propter ætatē: fructum enim adhuc non
habent lactis & lanæ. Itē capræ etsi malignæ sunt ex na-
tura, tamen ex aliqua parte fructiferæ sunt per ætatē, lac-
tis enim abundātiores exhibent fructus. Hædi autē &
mali sunt ex natura, & omnino infructuosi sunt ex ętate,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et statuet oues ad dexteram suam, hædos autem ad sinistram. Quando aliquis ante conspectum regis aut iudicis introducitur, ex ipso loco vbi stare iubetur, intelligit si propter bonum introductus est, aut propter malum. Si enim propter bonũ, statim vocatur in proximo: si propter malum, longè stare iubetur: Sic & istos, Deus iustos quidem ad dexteram constituet, & peccatores ad sinistram: vt vnusquisque meritorum suorum conditionem ex ipsius loci qualitate cognoscat, & ante iudicij sententiam, pœnam confusionis excipiat. Meritò iustos ad dexteram collocat, quia nunquam cognouerunt sinistram: meritò impios ad sinistram, quia nunquam cognoscere voluerunt dexteram partem. Vias enim quæ
Prou. 4. à dextris sunt nouit Dominus, peruersæ autem sunt, quæ à sinistris sunt. Ecce enim si tu consistas in publico pariter cum amico, & veniens aliquis illum salutet, & te contemnat, aut separans illum à te, cum illo loquatur, aut familiariter cum illo iocetur: nónne tu relictus solus, stas aporiatus in publico, & grauiorem existimas illam confusionem, quàm mortem? Et quomodo putas impios confundendos in die iudicij, quando ante conspectum angelorum, segregatis iustis, fuerint derelicti?
Ephes. 2. Nónne, etsi, nihil vlterius paterentur, illa sola verecundia sufficeret eis ad pœnam? Apostolus autem dicit sanctos iam collocatos esse ad dexteram virtutis per ascensionem & sessionem Domini saluatoris. Nam sicut in carne sua omnem carnem suscepit, & crucifixus omnẽ carnem crucifixit in se, & resurgens omnem resuscitauit in se: sic ascendens, & sedens ad dexteram Dei, omnes ad dexteram collocauit. Quomodo hìc dicit, quia tunc statuet oues quidem ad dexteram, hædos autem ad sinistram? Sed vide quia nũc nos collocauit ad dexteram, ad agendum ea quæ sunt dexteræ partis: postea autem statuet ad dexteram suam, ad conregnandum. *Tunc dicet illis qui ad dexteram.* Et quare non illis antè, qui sunt ad sinistram? Quia paratior est Deus semper ad benefaciendum, quàm ad malefaciendum. Nam bona bonis secundùm propositum suum præstat, quia bonus est: malis autem mala contra propositum suum facit inuitus, quia iudex est. Quicquid autem homo contra naturam suam agit, pigrius agit. Si enim Christus delectaretur in pœna peccatorum, nunquam seipsum pro peccatoribus tradidisset. *Venite,* inquit, *benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Quia dedistis quæ semper habere non poteratis, recipite quæ in perpetuum possideatis. Meritò centuplum super cœlum, qui vnum seminastis in terra. Non enim quantum iustitia hominum potest mereri, tale creatum est regnum cœlorum: sed quale Dei virtus potuit præparare. Si enim secundùm angustias humanæ iustitiæ regnum cœlorum creare voluisset, vtique post opera hominum illud creasset: nunc autem quoniam non secundùm meredem hominum, sed secundùm suam largitatem constituit meredem sanctorum: ideo antequam sanctos crearet in sæculo, regnum cœlorum præparauit in cœlo. Propterea & quos ante constitutionem mundi suos esse cognoscit, tantis eos laboribus onerat, & tamdiu laborare facit, donec digni efficiantur regno cœlesti. Quia non secundùm modicitatem hominum regnum Dei exinanitur, sed secũdùm magnitudinem regni, homines subleuantur. *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare,* & cętera quę sequuntur. Hodie si amicus tuus, aut colonus, aliquod tibi offerat munus, verbi gratia, aliquod vestimentum: tu autem despiciens illud, eo ipso vidente des illud vni ex circunstantibus tibi seruis, nónne munus vilescere facis, & confundis grauiter offerentem? Si verò susciens munus illius, statim vestieris te, & procesSeris cum ipso vestimento, magnificas munus, & nimis lætificas offerentem. Putas quanto gaudio extolluntur sancti, quando in conspectu omnium angelorum, quod fecerunt hominibus, ipse Dominus fatetur se accepisse? Iam tale videtur opus eorum, non quale datum est, sed qualis persona illius qui accepit. Tunc respondebunt ei iusti dicentes: *Domine, quando te vidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te? Quando autem te vidimus esurientem, & pauimus: aut sitientem, & potauimus? Quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te?* O humilitas, quorum nec post mortem deficiet. Homo enim malus etiam falsis laudibus delectatur, vir autem bonus etiam debitam sibi laudem fugit. Ecce si per errorem personæ veniens aliquis, pro altero alteri vano homini gratias agit pro beneficio quodam, quamuis in conscientia sua cognoscat se nihil tale feciSSe, tamen tacet & congaudet, audiens quæ non sunt sua: si verò bono alicui gratias agit, quamuis bonus ille intelligat verum esse quod de se dicitur, tamen refugit, & repellit audire etiam ea, quæ sibi debentur. Sic & sancti debitam sibi laudem tunc repellentes, dicunt: Quando te vidimus esurientem? & respondens rex, dicet eis: *Amen dico vobis, quandiu fecistis vni horum fratrum meorum minimorum, mihi fecistis.* O bonitas Christi. Esto, quandiu in corpore contemptibilis erat in mundo, fuerat verisimilis ratio, vt propter similitudinem visionis fratres suos homines appellaret: quid autem dicamus, quòd in illa gloria constitutus, adhuc contentus est eos dicere fratres, quibus sufficeret ad laudem, si bonos seruos illos vocaret? Detrahet sibi quod habet, vt illis præstet quod non habent. Ecce homo si ex humili generatur, & Deo præstante ad aliquam ascenderit dignitatem, erubescit generationem suam audire. Si quis dixerit eum illius esse filium, indignatur seipsum cõfiteri quod est, vt appareat quod non est. Et Christus adhuc gloriabitur, fratres suos dicendo, sedens in maiestate. Et meritò: quia veniens in iudicio gloriæ, non mutauit voluntatem priorem. Hoc potest intelligi & de doctoribus, qui esurientibus iustitiam dederunt cibum doctrinæ, quo nutrirentur, & pinguescerent in actibus bonis: qui sitientibus Dei agnitionem, potum veritatis ministrauerunt. Aut certè cibauerunt eos, in verbo docentes: potauerunt autem, in Spiritu sancto baptizantes animas peregrinas in mundo. Omnes enim animæ rectè peregrinæ sunt in hoc mũdo, quæ possunt dicere: Quo- Psal. 38.
niam aduena sum ego apud te in terra, & peregrinus sicut omnes patres mei. Verbum enim fidei prædicantes, colligunt animas ex dispersione alicuius erroris, & faciunt eas domesticas & ciues sanctorum. Ipsum colligunt Christum, qui nudos, & adhuc sine aliquo indumento iustitiæ docendo iustitiam vestiunt: sicut scriptũ Coloss. 3.
est. Induite vos viscera misericordię, fidem, pacem, charitatem. Aut Christum, baptizãtes eos in Christo, sicut Galat. 3.
scriptum est: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. Et qui tales infirmos, & morbo carnaliũ vitiorum languentes visitat, & medicamento curat doctrinæ, Christum curat in eis: quia sicut in integris animabus Christus integer est, sic in languentibus languet. Sed & qui venit ad eos, qui viui descenderunt in infernum, opera infernalia facientes, id est, qui sunt in carcere, & sunt iam sub custodia dæmonum, sicut dicit scriptura: Descendant in infernum viuentes: veniẽs autem Psal. 54.
per verbum educit eos de illo carcere infernali, vt liberet eos de custodia dæmonum, vt possint dicere gratias agentes: Domine Deus clamaui ad te, & sanasti me: Ibid. 29.
Domine reuocasti ab inferis animam meam: ad Christum venit in carcere. Si enim hæc omnia corporaliter corporibus ministrare debemus, & magnæ beatitudinis est

nis est, quę omnino post modicum sunt moritura: putas quantæ beatitudinis est, hæc omnia spiritualiter animabus periclitantibus ministrare, quæ viuificatæ possunt viuere in ęternum? Quantò melior est anima quàm corpus, tantò meliora sunt quæ ad salutem animarum, quàm quæ ad sustentationem corporum ministrantur. *Tunc dicet illis, qui ad sinistram sunt: discedite à me maledicti in ignem æternum.* Quasi qui non sufferat præsentiam illorum vel aspicere, sic dicit, discedite à me. Nam sicut carnales sæculi carnalem speciositatem videndo delectantur: si qua autem dissipata vel deformia videamus, quasi vulneratus est aspectus noster: Sic & Deus, qui in sanctitate delectatur animarum, peccatrices animas aspiciens, quasi grauatus non suffert. Tanquam si dicat eis: Quasi putredo & spurcitia estis, nec tandiu vos sustineo, quandiu statis in iudicio meo. Vt quid superius
Hìc sup. dicit: Venite benedicti patris mei: & hìc non dicit, discedite à me maledicti patris mei? quia benedictio quidem ex Deo est, maledictio autem ex diabolo est: sicut ostenditur in illa parabola patrisfamiliàs, qui seminauit bonum semen in agro suo, homo autem malus semina-
Supr. 13. uit zizaniam. *Esuriui & dedistis mihi manducare, & cætera quæ sequuntur.* Ex isto loco sciendum est, quòd non tantùm pro eo quòd peccauerunt homines condemnandi sunt, sed etiam pro eo quòd bene non faciunt. Si autem pro eo quòd bene non faciunt, sic condemnantur: putas quales pœnas exoluent pro eo quòd peccant? Et dignè. Deus enim ideo hominem fecit, vt benefaciat, & ad gloriam Dei pertineat: non ideo tantùm vt non peccet. Nam si non faciat bonum, nec est causa quare creatus est. Sine dubio enim & si creatus non fuisset, peccatum non fieret super terram. Nam qui intelligit mysterium diuinæ dispensationis, quare factus est homo, cognoscet quia merito quasi peccans condemnetur, qui iustitiam non facit. Ideo Deus creauit hominem corruptibilem & infirmum, quasi ad certamen contra diabolum, vt qui gloriabatur esse se similem Deo, per corruptibilem naturam euacuatus & victus, ostẽdatur non solùm non esse quasi Deus, sed omni fragilitate fragilior. Vnde cùm istud propositum suum Christus impleuerit per hominem, id est, cùm euacuauerit omnẽ principatum & potestatem, tunc tradet regnum Deo patri. Ideóque qui suo arbitrio & negligentia diabolo locum dat, confundit eum, qui propter gloriam suam contra diabolum, eum quasi in expeditione creando transmisit: & victus, ostendit diabolum potentem esse, cùm nihil possit. Quemadmodum si quis à rege suo contra hostem transmissus, colludit cum eo, & factione habita, fugam petit: prodit causam regis sui, & confundit virtutem ipsius. *Tunc respondebunt & ipsi dicentes: Domine, quando vidimus te esurientem, aut sitientem?* O inconuertibilis inobedientia peccatorum. Quis non intelligat hoc, quia omne malum facimus, non quia homines corruptibiles sumus, sed quia malum propositum possidemus? Ecce enim tunc hominum peccatorum corruptibilitas carnis mortua erit, & adhuc malitia viuet. Nunquid non audierant Dominum suprà dicentem ad iustos, Quando vni minimorum istorum feciSTis, mihi feciSTis? Et vtique intelligere debuerant, quomodo qui hominibus non facit, nec Christo facit. Sed audientes adhuc contradicunt, intelligentes fingunt se non intelligere: in iudicio stant, & adhuc peccare non cessant. Et hic consequenter & de doctoribus malis intelligi potest, qui sic esurientibus & sitientibus cibum iustitiæ, aut potum agnitionis Dei, aut Spiritus sancti non præstiterunt. Qui sic nudos non vestierunt, aut iustitiam docentes, aut in Christo baptizantes. Qui sic peregrinos in mundo non collegerunt per verbum, nec in Ecclesiæ domum per fidem introduxerunt. Qui sic infirmos non curauerũt sermonibus. Qui in tali carcere impietatis sedentes non eduxerunt per pœnitentiam. Si enim hæc corporis, corporibus non præstare tantæ impietatis est, quæ & si accipiunt ea, non possunt viuere semper: putas quantæ impietatis est, hæc omnia spiritualiter animabus periclitantibus non ministrare, quæ poterant viuere in æternum, si hæc eis ministrata fuissent? Quantò enim melior est anima quàm corpus, tantò grauius peccatum animabus laborantibus spiritales eleemosynas non præstare, quàm corporibus corporales. In Ecclesia ergo non solùm sunt pauperes corporaliter, esurientes, aut debiles corporaliter, aut peregrini secundùm corpus: sed etiam spiritualiter pauperes, sine cibo iustitiæ, sine potu agnitionis Dei, sine vestimento Christi. Maximè spiritualiter pauperes sunt, qui corporaliter videntur diuites esse: quoniam plerunque in abundantia rerum, inopia iustitiæ inuenitur. Sunt peregrini corde, sunt debiles animo, sunt mente cæci, inobedientia surdi, & cæteris passionibus spiritualibus ægrotantes, quorum animæ omnem escam spiritualem abominantur, & appropinquauerunt vsque ad portas mortis. Qui ergo non habet vnde faciat eleemosynas corporales, faciat spirituales ex gratia verbi quam accepit à Deo, & inueniet retributionem dignam à Christo: qui omnia tam corporalia quàm spiritualia data, quasi in se facta commemorat, quæcunque in hominibus facta fuerint. Hæc diximus, vt sciant doctores & quãtum beatitudinis sibi acquirant, si diligentes fuerint circa verbum Dei: & quantum damnationis, si fuerint negligentes.

Reliquorum capitum Matthæi explanatio desideratur.

HOMILIAE SEPTEM ET VIGINTI

D. Ioannis Chrysostomi Episcopi Constantinopolitani varios in Matthæum locos explanantes.

Ex capite Matthæi ij. in Epiphania Domini, homilia prima.

INCERTO INTERPRETE.

IN *illo tempore, cùm natus esset Iesus in Bethlehem Iudææ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes: Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Et reliqua. Hoc futurum & Esaias Esa. 60.
antè prædixit, dicendo: Venient ex Saba offerentes regi aurum, thus, & lapidem preciosum, & salutare Domini nunciabunt. Nunc vtique quem Magi viso signo stellæ, natum regem Iudæorum, Christum dominum nostrum nunciarunt. Omnia itaque noua, & supra modum admirationis humanæ in Domini natiuitate concurrũt. Angelus in templo Zachariæ loquitur, futurum
Luc. 1. Elizabeth filium repromittit. Non credens angelo sacerdos, obmutescit, sterilis concipit, virgo parit. Ioannes in vtero matris inspiratus, exultat: Christus Dominus natus, ab angelo nunciatur vt salus mundi sit, pastoribus prædicatur. Gaudent angeli, & exultant pastores, magna in cœlo & in terra lætitia huius admirandæ natiuitatis exoritur. Nouum signum stellæ de cœlo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Magis ostenditur, per quod Dominus cœli ac terræ, A rex Iudæorum agnoscitur natus: ille scilicet, de quo
scriptum erat: Orietur stella ex Iacob, & exurget homo
Num. 24. de Israël. vt significatione stellæ & hominis, in filio Dei,
diuinæ & humanæ naturæ coniunctio noscceretur. Vn-
Apoc. 22. de & in Apocalypsi ita de se Dominus testatur: Ego
sum radix Iesse, & genus Dauid, & stella splendida ma-
tutina. Quia per natiuitatis suæ ortum, discussa igno-
rantiæ nocte in salute mundi tanquam fulgidum sydus
emicuit. Cuius luminis splendor, etiam Magorum cor-
da penetrãs, spiritali luce perfudit, vt regem Iudæorum,
creatorem cœli, signo nascentis nouæ stellæ cognoscerent. Neque enim Christum dominum nostrum Magi
falsæ religionis authores cognoscere poterant, nisi di-
gnationis diuinæ gratiæ illustrati. Iterum ergo Dei mi-
sericordia per Christi exuberauit aduentum, vt ad o-
mne genus hominum se cognitio veritatis eius exten-
deret. Quæ idcirco antè Magis eluxit, vt manifesta Dei
pietas noscceretur, nec aliquis desperaret, posse sibi salu- B
tem credenti donari, quia iam conspiceret Magis esse
donatam. Ideo autem Magi de gentibus primi electi
sunt ad salutem, vt per eos omnibus gentibus salutis ia-
nua panderetur. Sed fortè miratur aliquis quemadmo-
dum Magi natiuitatem Saluatoris ex signo stellæ co-
gnoscere potuerunt? Primò quidem dicimus, diuinæ
dignationis fuisse hoc munus. Deinde legimus in li-
bris Mosi fuisse Balaam quendam prophetam gentium,
qui aduentum Christi, & incarnationem eius ex virgi-
ne, certis sermonibus prophetauit. Ait enim inter cæ-
tera, vt iam superius memorauimus, in sermonibus pro-
phetiæ suæ: Orietur stella ex Iacob, & exurget homo
Num. 24. ex Israël. Magi ergo isti, qui nouam stellam in Oriente
viderunt ex genere illius. Balaam prophetæ gentium
ducere originem referuntur, qui dixerat, Orietur stella
ex Iacob, & exurget homo ex Israël. Et idcirco viso no-
uo stellæ signo, crediderunt, quia authoris sui prophe-
tiam impletam nouerant. Ostendẽtes se non solùm ge- C
neris successores, sed & fidei hæredes. Balaam propheta
ipsorum stellam in spiritu vidit, isti oculis viderunt, &
crediderunt. Ille venturum Christum per prophetiam
prædicauit, isti venisse visu fidei cognouerunt. Denique
statim per rexerunt ad Herodem, dicentes: Vbi est, qui
natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in
Oriente, & venimus adorare eum. Apud eos regem Iu-
dæorum: natum Christum dominum quæsierunt, de
quorum genere Balaam hoc prophetasse cognouerant.
Sed fides ista Magorum, condemnatio Iudæorum est.
Illi vni prophetæ suo crediderũt, isti tot prophetis cre-
dere noluerunt. Illi intellexerunt per aduentum Christi
magicam artem cessaturam, isti diuinæ legis mysteria
intelligere noluerunt. Illi confitentur alienum, isti pro-
Ioan. 1. prium non agnoscunt. In sua enim propria venit, & sui
eum non receperunt. Et hæc quidem stella ab omnibus
videbatur, sed non ab omnibus intelligebatur. Sicuti
Dominus, ac saluator noster, omnibus quidem natus
est, vnus propter omnes natus est, sed non ab omnibus
susceptus est, non ab omnibus intellectus. Intellectus
est à Gentibus, non intellectus est à Iudæis. Agnitus est
ab Ecclesia, non est agnitus à synagoga. Cùm ergo Ma-
gi post longi itineris glorioſum laborem, Hierosolyma-
mam venissent, requirentes regem Iudæorum: statim,
inquit, rex Herodes, omnisque Hierosolyma, Magicæ
fidei deuotione turbati, congregantur principes sacer-
dotum, & scribæ populi, requiritur ab eis vbi Christum
nasci oporteret. Respondérunt, in Bethlehem Iudææ,
iuxta propheticam prædictionem. Sicut enim scriptum
Mich. 5. erat: Et tu Bethlehem terra Iuda, non es minima inter
principes Iuda: ex te enim exiet princeps, qui regat po-

pulum meum Israël. Herodes ergo & Hierosolymitæ
Christum dominum nostrum non ignorantes, sed sci-
entes contempserunt. Nam & requirunt ex testimonio
prophetę cùm discunt, quia in Bethlehem Christus na-
sceretur. Locus autem iste Bethlehem, vbi Dominus
natus est, prophetiæ nomẽ acceperat. Bethlehem enim
ex Hebræo in Latinũ, domus panis interpretatur, quia
hìc filium Dei nasci oportebat, qui panis est vitę, secun-
dùm quod ipse in euangelio ait: Ego sum panis viuus, Ioan. 6.
qui de cœlo descendi. Hic locus de quo dicitur alibi à
Propheta: Deus à Libano veniet, & sanctus ille de mõ-
te vmbrante condẽso. Per quæ verba situm loci ipsius,
amœnitatémque designat. Concordat denique dictum
hoc prophetæ, cum superiori dicto, vbi declaratum est,
quòd in Bethlehem Dominus esset nasciturus. Hìc di-
citur, Deus à Libano veniet: illic additur, postquam
dictum est: Ex te exiet princeps, qui regat populum
meum Israël, Et egressus eius ab initio dierum: vt non
secundùm Fotinum exinde habere Dominus initium B
putaretur, ex quo natus ex virgine est: quippe & cùm
ab initio dierum ipse fuisse monstretur, & Dominus es-
se, qui in Bethlehem natus est, manifestissimè doceat-
tur. Deinde refert euangelista: *Tunc*, inquit, *Herodes con-* Matt. 2.
*uocauit Magos, & diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ
apparuit eis: Et mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, & inter-
rogate diligenter de puero: & cùm inueneritis, renunciate mi-
hi, vt & ego veniens adorem eum. Qui cùm audissent regem,
abierunt. Et ecce stella quam viderant in Oriente, antecedebat
eos, vsque dum veniens staret suprà vbi erat puer.* Herodes
igitur rex iniquus, dum regno suo metuit, quod iniustè
tenebat, insidiator factus est regis æterni. Hic enim He-
rodes nec de tribu Iuda fuit, nec de genere Dauid, sed
regnum Iudæorum per surreptionem, fauente sibi pa-
trocinio Romanorum, more tyrannico occupauerat, &
idcirco insidiabatur dominicæ natiuitati, quem regem
Iudæorum natum à Magis agnouerat. Requirit itaque
ab eis tempus stellæ visæ, misit eos in Bethlehem, quasi C
& ipsæ cuperet adorare eum. Simulauit solicitudinem,
vt celaret deceptionem. Nec enim adorare, sed peri-
mere Dominum cogitabat. Magi interea vsque ad lo-
cum duce stella peruenium, & creatorem cœli cogno-
scunt. Non quæsierunt ducatum hominis, quia ducа-
tum stellæ de cœlo acceperant. Sed nec errare poterãt,
qui veram viam Christum dominum requirebãt: illum
vtique, qui ait: Ego sum via, veritas, & vita. Noua rerum Ioan. 14.
admiratione, stella agit iter in cœlo, & toto itinere Ma-
gos suos comes stella non deserit, & vsque Bethlehem
pari cursu conueniunt, & illic index stella consistit su-
pra dominum ac saluatorem nostrum, vnigenitum Dei
filium. Refert ergo Euangelista: *Videntes autem stellam
Magi, gauisi sunt gaudio magno valde, & intrantes domum,
inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes ado-
rauerunt eum, & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera,
aurum, thus & myrrham.* Sed videamus nunc post statum
stellæ, post Magorum cursum, natum regem quam glo- D
riosa dignitas prosequatur. Statim enim Magi Domi-
num procidentes adorant natum, & inter ipsas cunas,
oblatis muneribus venerantur pueri vagientis infantiã.
Aliud oculis corporis, aliud visu mentis aspiciunt. Hu-
militas assumpti corporis cernitur, sed diuinitas gloriæ
non celatur. Puer est qui videtur, sed Deus est qui ad-
oratur. Et hoc quam inenarrabile diuinæ dignationis
mysterium. Imperspicabilis illa & æterna natura pro
nobis carnis nostræ infirmitates non dedignatur accи-
pere. Filius Dei, qui Deus est vniuersitatis, homo in
corpore nascitur. In præsepio poni se patitur, intra quẽ
cœli sunt. Cunis continetur, quem non capit mundus,
& in voce infantiæ vagientis auditur, ad cuius vocem
tempore

tempore passionis mundus omnis intremuit. Hunc ita- A
que Deum gloriæ, & dominum maiestatis, Magi puе-
rum videntes agnoscunt, quem puerum & Deum re-
Esa. 9. gem æternum & Esaias ostendit, dicendo: Quoniam
puer natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius im-
perium factum est super humeros eius. Huic igitur Ma-
gi offerunt dona, id est, aurum, thus, & myrrham, secun-
dùm quod Spiritus sanctus per prophetam de ipsis an-
Ibid. 60. tè fuerat testatus dicendo: Ex Saba venient offerentes
aurum, thus, & lapidem preciosum, & salutare Domini
nunciabunt. Quam prophetiam Magos implesse euidẽ-
ter agnoscimus, qui & salutare Domini, natum Chri-
stum Dei filium nunciauerunt: & in oblatis muneribus
Christum & Deum, & regem, & hominem confitentur.
Nã in auro regni potestas, in thure Dei honor, in myr-
rha corporalis sepultura monstratur. & idcirco aurum,
vt regi: thus, vt Deo: myrrham, vt homini obtulerunt.
Psal. 71. Dauid quoque ita de his testatur: Reges Tharsis, & in-
sulæ munera offerent, reges Arabum, & Saba dona ad- B
ducent. & vt potissimum cui hæc dona essent danda,
monstraret, addidit in hoc eodem psalmo: Et dabitur
ei de auro Arabiæ. Idem quoque Dauid de alio psalmo
de myrrha non tacuit, cùm de passione Domini loque-
Ibid. 44. retur, dicendo: Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis
Cant. 5. tuis. De qua myrrha etiam Salomon ex persona Chri-
Eccl. 24. sti sic loquitur: Vindemiaui myrrham meam cum aro-
matibus meis. & iterum: Quasi myrrha dedit suauita-
tem odoris. In quo vtique euidenter de corporis sui se-
pultura testatur, quæ suauissimo, ac diuino odore, toto
orbe fragrauit. Denique de his Magis idem Dauid si-
Psal. 67. gnificare monstratur, cùm dicit: Venient legati ex Æ-
gypto, Æthiopia præueniet manus eius. Nam quia
mundum istum sępe scriptura diuina Ægyptum nuncu-
pat, rectè Magos illos intelligimus Ægypti legatos, qui
quasi totius mundi legati electi, in muneribus quæ ob-
tulerunt, credulitatem omnium gentium, ac fidei initia
dedicauerunt. Post oblata itaque munera, admonen- C
tur Magi, *Ne redeant ad Herodem regem: & sic per aliam
viam reuersi sunt in regionem suam.* Exemplum nobis pu-
dicitiæ, ac fidei præferentes, vt cognito semel, adorató-
que Christo rege, viam prioris itineris, id est erroris ve-
teris relinquentes, & per aliam viam, in qua nobis dux
Christus est, incedentes: ad regionem nostram, id est
paradisum, de quo Adam pulsus est, redeamus. De qua
Psal. 114. regione dicitur in psalmo: Placebo Domino in regio-
ne viuorum. Redeũt igitur Magi commoniti per aliam
viam, frustrata tyranni crudelitate, atque hoc modo per
Magos & puer rex natus agnoscitur, & Herodis tyran-
ni versutia superatur. Hunc autem triumphum Domi-
num ac saluatorem nostrum paruulum, & in ipso cor-
Esa. 8. poreo natiuitatis suæ exordio habiturum, olim Esaias
prænunciauerat, dicendo: Quoniam priusquam sciat
puer vocare patrem, vel matrem, accipiet virtutem Da-
masci, & spolia Samariæ, aduersus regem Assyriorum.
Virtutem Damasci, quam puer natus filius Dei accepit, D
aurum intelligitur, quod à Magis oblatum est. Spolia
autem Samariæ, eosdem Magos, quos de errore super-
stitionis Samariæ, hoc est, de cultura idolorum abstra-
xit. Qui cùm antè spolia diaboli essent per falsam reli-
gionem, postea spolia Dei facti sunt per Christi cogni-
tionem. Regem autem Assyriorum, Herodem signifi-
cat, vel certè diabolum, contra quem Magi ipsi aduer-
sarij extiterunt, adorando scilicet filium Dei, dominũ
& saluatorem nostrum, qui est benedictus in sæcula sæ-
culorum. Amen.

Ex cap. Matthæi ij. in festo Innocentium, homilia ij.

INCERTO INTERPRETE.

IN *illo tempore, angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi.* Et reliqua. Hunc ergo puerum accipere Ioseph iussus est, de
quo Esaias dicit: Quoniam puer natus est nobis, & fi- Esa. 9.
lius datus est nobis, cuius imperium factum est super
humerum eius. Ob hoc autem dixit, datus est nobis fi-
lius, quia Christus dominus noster puer natus, Ioseph
vel Mariæ filius deputatus est. Quòd autem ad Ægyptũ
descendit, hoc futurum idem Esaias dudum prænun- Esa. 19.
ciauerat, dicendo: Ecce Dominus sedet super nubem
leuem, & veniet in Ægyptum. Quo dicto, manifestum
sacramentum dominicæ incarnationis ostensum est.
Nam quia ipse Deus oriens ex alto, sol iustitiæ nuncu- Luc. 1.
patur: non immeritò hìc venturum eum in nube leui,
id est, in corpore sancto, quod nullo peccato potuit
prægrauari prædixit, per quod maiestatis suæ lumen
velamento corporeæ nubis obtexit. Osee quoque idi- Osee 11.
psum ostenditur significare, cùm dicit: Abiectus est
rex Israël, propter quod paruulus sit Israël, & ego dile-
xi eum. Ex Ægypto vocaui filium meum. Post Ægypti
olim graue delictum, post multiplices in eam plagas di-
uinitus irrogatas, Deus pater omnipotẽs pietate com-
motus, filium suum misit ad Ægyptum, vt quæ iamdu-
dum sub Mose debitas sceleris sui pœnas expenderat,
nunc susciпiendo Christum, spem salutis acciperet.
Quanta est Dei misericordia, quæ per aduentum filij e-
ius ostensa est? Hæc Ægyptus, quæ olim sub Pharaо-
ne in Deum contumax & rebellis extiterat, nunc susce-
ptaculum, & habitatio facta est Christi. Talis miseri-
cordia Domini circa Ægyptum, qualis & circa illos
Magos ostensa est, qui Christum dominum cognosce- C
re meruerunt. Nam cùm iamdudum sub Mose Magi di-
uinis virtutibus resistere ausi sunt, nunc Magi viso vno
tantùm signo cœlesti, Dei filio crediderunt. Et sic illos
quidem infidelitas sua perduxit ad pœnam, hos verò fi-
des prouexit ad gloriam, dum natum Dominum in
corpore crediderunt, quem illi in diuinis virtutibus a-
gnoscere noluerunt. Sed inter hæc iniquitas Iudæorum
Christum dominũ nostrum amisit, Ægyptus susceрit:
Magi adorant, & Herodes vel Iudæi nepharìè perse-
quuntur. Sequatur sermo ordinem rerum. Cùm igitur
Herodes illusum se à Magis vidisset, apertè posteà iram
quàm occultabat, effudit. Ita enim refert Euangelista:
Tunc, inquit, Herodes, vt vidit quoniam illusus est à Matt. 2.
Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pue-
ros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius
à bimatu & infrà, secundùm tempus quod exquisierat à
Magis. Tunc impletum est, quod dictum est per Here- D
miam prophetam dicentem: Vox in Rhama audita est, Hier. 31.
ploratus & vlulatus multus. Rachel plorans filios suos,
& noluit consolari, quia non sunt. Volens nanque He-
rodes, vt diximus, saluatorem mundi perimere, misit in
Bethlehem, & à bimatu & infrà, iuxta tempus, quod à
Magis cognouerat, iussit omnes infantes occidi, æsti-
mans se vsque ad ipsum authorem vitæ dominum per-
uenire. Cuius nequitiam olim præuidens Spiritus san-
ctus, per Salomonem, ex persona Ecclesiæ arguit, di-
cendo: Quis dabit tibi fratrem meum, sugentem vbe- Cant. 8.
ra matris suæ? Dicendo autem, Quis dabit tibi, ostende-
bat potestatem illum nõ habiturum aduersus eum, qui
dominus & princeps est omnium potestatum. Vnde
non immeritò etiam ipse Dominus per eundem Salo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Prou.1. monem ita de se testatus fuerat, dicens: Quærent me A mali, & non inuenient. Oderunt enim sapientiam, verbum autem Domini non assumpserunt, neque voluerunt illud. Psal.21. Nam & per Dauid ait: Quoniam tu es, qui eduxisti me de vētre: spes mea ab vberibus matris meæ: tu es protector meus. Sanctus quoque Moses, quod Christus dominus infans, adhuc lactens minimè posset occidi, his verbis testatus est, dicens: Non coques Exod.23. agnum in lacte matris suæ. Idipsum significans Christum dominum nostrum, qui verus agnus Dei est, non nisi maturo tempore pati oportere. In Bethlehem ergo omnes occidunt infantes. Qui dum innocentes pro Christo moriuntur, primi Christi martyres extiterunt. De quibus & Dauid significare monstratur, cùm dicit: Psal.8. Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum, & defensorem. In hac enim persecutione infantes adhuc paruuli, atque lactentes pro Christo occiduntur, & perfectæ laudis martyrium consequuntur. Rex iniquus Herodes B destruitur, qui aduersus regem cœlorum regnum sibi defendere vsurpabat. Vnde non immeritò infantes illi beati per omnia extiterunt, qui primi mori pro Christo meruerunt, domino ac saluatore nostro, cui est laus & gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

De natali Innocentium, homilia iij.

INCERTO INTERPRETE.

Matt.2. DEDICATVR nouus ab infantibus sermo, sanctis laudibus Christi, in gloriam domini primam vocem aperiunt Innocentes. Fiunt deserti laude, qui fuerant imperiti sermone. Offerunt Domino primitias linguæ, nouos oris immolant fructus, verborum principia libant. Infantia enim quæ per ætatem loqui non poterat, glorias Dei cum gaudio resonabat. Norunt laudare Christum, qui loqui non norunt: fiunt periti C laude, qui fuerunt imperiti sermone. Ostendunt laudibus Christum, suffragiis prædicant Christum. Fiunt interea pueri sine magistro diserti, docti sine doctore, periti sine eruditione. Agnoscunt Christum, prædicant dominum: non quem persuasio humana docuerat, sed quem diuinitas innocentibus inspirabat. Cessant enim humana, cùm diuina tractantur: quia humana ipsa prodesse non poterunt, nisi diuinorum solatio subleuentur. Necesse est enim terrena succumbere, quum cœlestia prædicantur: naturalia silere, quum virtutes loquuntur. Erigitur itaque infantium ætas in laudem, quæ delictorum non nouerat crimen: dignus à dignis laudatur, & innocens innocentium testimonio prædicatur: accipiunt enim à Christo, & reddunt: consequuntur, & referunt. Vno enim tempore & qui dederat, recipit: & qui acceperat, reddit: vno inquam tempore sua Christo redduntur, dum eius laudes illi ab infantibus referūtur. Diximus de laude infantium, quid de lactentium lau- D dibus proferemus? quorum laudem inuenire non possumus, nisi eos ipsos qui laudauerint, nouerimus. Qui sint, vbi sint: quam laudem intulerint quæro, qui loqui non norant? Neque enim illa ætas posse poterat, quod natura non dederat: aut celebrari à talibus poterat, quòd institutio denegabat. Dicunt nanque domino laudes trucidati ab Herode lactentes: loquuntur sanguine, quod lingua non possunt: passione canunt, quod sermone non norunt: occisi prædicant, quod viui non poterant. Nec nouum quid dicitur, vt innocens sanguis aut Deo referat laudes, aut suas indicet passiones, cùm Abel sanguis clamet ad cœlum, aut occisorum animæ ab altari vociferantur ad Deum. Contulit martyrium laudem, quibus negauerat natura sermonem: licuit sanguine clamare, quibus narrare non licebat voce, licuit sanguine loqui, quibus lingua non licuit: miscent cum Domino colloquia, quibus humana negata sunt verba. Sed enim occisis innocentibus istis impleta sunt Hier.31. & Matth. prophetiæ verba, dicentis: Vox in Rhama audita est 2. fletus & plorationis, Rachelis flentis filios suos, & noluit consolari, quia non sunt. Rachelem primò Ecclesiæ esse personam nemo est qui abnuat, nemo qui aliud contra veritatem defendat. Sed duo in illa diuersa conspicio, fletus, & consolationis contemptus. Si enim fleuit, cur consolari contempsit? Aut si consolari contempsit, cur fleuit? Aut quomodo competit consolari noluisse, cui competit flesse, cùm aut flere non potuit, cùm manifestum sit fletus consolatione tergi? Vel certè cur indiguit consolationis sermone? Sed, inquit Scriptura, noluit consolari, quia non sunt: id est, noluit consolari quia sunt. Si idcirco noluit consolari quia sunt, quomodo voluit flere quasi illos qui non sunt? Sed vt compendiosa diuersitatum causa reddatur, conditio à matre defletur, sed spe gloriæ consolatio humana contemnitur. Pietatis affectus in fletibus declaratur, sed occisorum gloria repudium consolationis indicitur. Pugnāt enim in matre affectus & fides, humanitas cum deuotione concertat: plangit affectus, sed fides exultat: deflet humanitas, sed deuotio consolatur. Licuit enim matri humanitus flere, cui non licuit consolatione humanitus indigere. Ideo & Dominus Christus in Lazaro fle- Ioan.11. uit, nec tamē ipse quoque cuiusquam consolatione indiguit, quia hominis fuit quod fleuit, cùm manifestè Deus sit qui Lazarum suscitauit. Sed ô beata lactentium gloria, quibus pro Christo contigit dedicare martyria. Expugnant tempore vno natiuitatem & mortem, ingressum & exitum, principium & occasum, vt ipsis posset tempore vno (vt dixi) contingere, & nascendo ingredi Mundum, & dedicare martyrio cœlum. Probat C nouos exercitus Christus, rudes milites designat legiones lactentes, victoria perpetrata coronat. Fiunt pro Christo victores, qui ætate fuerunt coæquales: fiunt, inquam, infantes sine certamine fortes, sine pugna victores: norunt vincere, qui pugnare non norant: existunt victoriæ compotes, qui fuerant ætate imbelles. Merentur pœna martyrium, gloriam sanguine comparant, æternam vitam temporali morte commutāt. Nec timuit ætas illa mortem, nec horruit: timere enim non potuit, quæ timere non nouit: trāsmittit infantes infans Christus ad cœlum, noua xenia Patri, primitias fructuū exhibet genitori. Ostendit futuram fœcundissimam messem, dum in semine tantam exhibet vbertatem. Derisit se, derisit hostilis immanitas, quæ putauit turbare posse consilium Dei, gloriam Christi, salutem necessariam mundi. Sed cōtulit infantibus multis martyrium, dum infantem quærit occidere Christum. Præstat hostis, dum nocet: beneficium tribuit, cùm occidit: inuideret enim eorum gloriæ, si amaret: sed aliæ sunt terrestres pugnæ, aliæ cœlestes victoriæ. In prælio Christi moriendo viuitur, cadendo surgitur, victoria per interitum comparatur.

Ex cap. Matth. ij. in vigil. Epiphaniæ, homil. iiij.

INCERTO INTERPRETE.

Matth.2. IN *illo tempore, Defuncto Herode, ecce apparuit angelus Domini in somnis Ioseph, dicēs: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Israël.* Et reliqua. In eo quod dixit angelus ad Ioseph, mortui sunt qui quærebant animam pueri: manifestè declarat filium Dei perfectum

fectum Deum, perfectum hominem suscepisse: id est nō A cùm mori dignatus est, non vna domo, sed omni mundo concusso, diabolum cum suis angelis vniuersis extinxit: vnigenitus scilicet Dei filius, cui est laus & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Ex cap. Matthæi iiij. Dominica prima in quadragesima, homilia v.

INCERTO INTERPRETE.

IN *illo tempore, ductus est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo.* Et reliqua. O Matt.4. incomparabilis Domini patientia, & admirandæ humilitatis exemplum. Tentari à diabolo dominus patitur, qui tentantem se in deserto iamdudum mortifero serpentium morsu percussit. Ieiunans etiam pro nobis esuriit in deserto, qui iamdudum esurientem populum suum in solitudine, per quadraginta annos cibo cœlesti refecit. Et cùm Deus secundùm incorruptam illam & beatam æternitatis suæ naturam esurire non potuerit, vt scriptum est: Esa.40. Deus æternus non esuriet, neque laborabit: tamen causa nostræ salutis, secundùm corporis assumptionem & tentari, & esurire dignatur, vt veritatem in se assumptæ carnis ostenderet. Prouocatur igitur diabolus vt tentet, & sequitur Dominus vt vincat. Huiusmodi autem tentationis certamen inimicus ita adorsus est, dicendo ad dominum: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Nesciens ergo dispensationis diuinæ mysterium, interrogat quòd ignorat. Dubitantis enim vox hæc est qua scisciatur & dicit, Si filius. Et videamus cur requirit, si ambigit: & quare interrogat, si ignorat. Audierat iam Luc.1. virgini ab angelo nunciatum, quòd esset filium Dei paritura. Viderat & Magos suos, inanis scientiæ errore depositos, natū puerum supplices adorare. Viderat & post Matth.2. Marc.1. baptismum velut columbam Spiritum sanctum descēdentem. Audierat & vocem Patris de cœlo dicentem: C Hic est filius meus. Audierat & Ioannem publica voce Matt.3. Ioan.1. testantem: Hic est qui tollit peccata mundi. Tot igitur testimoniis perturbatus, nouissimè consternatus hac voce, & inter omnia quæ audierat magis timuit: quia cum ipse mundum peccatis implesset, audit venisse qui tolleret mundi peccatum. Exterritus quidem his tot ac tantis vocibus fuerat, sed nondum plenè credebat: quia quem audierat Dei filium, interim hominem videbat, & in carne conspiciebat, quem audierat tollere mundi peccata. Vtrum ergo vera essent quæ audierat, pauidus ac tremebundus explorat. Vidit quidem Dominum quadraginta diebus & noctibus ieiunantem, sed non statim Dei filium perditus credere voluit. Recolebat enim Mosem & Heliam quadraginta diebus similiter ieiunasse, & ideo an verè ipse sit Dei filius, signo aliquo propositæ virtutis exquirit. Proponit ergo: *Si filius*, inquit, *Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Non erat quidem impossibile filio Dei in panes lapides conuertere, qui propemodum ex lapidibus Abrahæ filios suscitauit: sed fas non erat Dominum voluntati diabolicæ obtemperare. Et idcirco non illi concedit Dominus, id quòd quærebat agnoscere. Non enim dignatur ei respondere quod ipse esset Dei filius: sed celata diuinitate, solo legis responso velut quadam cum sagitta percussit, dicendo: *Scriptum est, non in solo pane viuit homo, sed in o-* Deut.8. *mni verbo Dei.* Quo responso tentationem diaboli irritam fecit. Non autem necessitate, sed voluntate Dominus esuriit, vt ad huiusmodi tētationem diabolum prouocaret. Vt quia iamdudum ipse diabolus Adam in paradiso vicerat, nūc à Domino in solitudine vinceretur. Et Adam quidem non esurientem vicit, nunc autem à Domino esuriente vincitur. His enim modis secūdum

Leuit.19. & 20. Psal.131. Ioan.10. Matt.26. & Marc. 14. Matt.20. Marc.10. Cant.5. 1.Cor.11. Iud.14. Matt.28.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Adam vincere voluit, quibus primus Adam fuerat superatus. Percussus ergo inimicus vno iam vulnere, rursum aliud argumentum tentationis excogitat. Sic enim scriptum est: *Tunc*, inquit, *assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum supra pinnaculum templi.* Et reliqua. Victus ergo iam semel in solitudine, aliud nūc certamen aggreditur. Ascendit igitur supra pinnaculum templi, inimicus, vt prouocet, & sequitur Dominus, vt triumphet. Et conscendit summitatem templi, vt eum de alto eiiceret, qui eum deiicere nitebatur. Ad omnem enim se humilitatem Dominus submisit, vt exemplum nobis patientiæ in tentatione relinqueret, & per omnia de aduersario triumpharet. Ait ergo diabolus ad Dominum: *Si filius Dei es, mitte te deorsum, scriptum est enim: Quòd angelis suis mandauit de te, vt in manibus tollant te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* O nefanda artis astutia, & damnanda temeritatis audacia. Qui viderat se à Domino, responso legis fuisse percussum, iam non tantùm nequitiæ suæ armis vtitur, in quibus inutilis repertus est, sed & ipse legis testimonium mutuatur. Et inde tentat vincere, vnde dolebat se fuisse iam victum. Audet etenim ipse dicere, scriptum est: sed non pro se, sed magis aduersum se. Scriptum quidē erat: Quoniam angelis suis mandauit de te: sed quod de suo addidit, Mitte te deorsum scriptum non erat. In quo cognoscimus antiquam eius & vsitatā versutiam, semper vt fallere possit malis suis bona miscere, & venena sua mellis dulcedine tēperare. Sic enim & Adam iamdudum, vt de suo deciperet, quasi Dei verba præmisit. Quid vtique, inquit, dictum est vobis à Deo, ab omni ligno paradisi non edetis, &c? Vt proposito Dei mandato, hominem incautum, & falsa interpretatione, & verborum adiectione deciperet. Nam & illic de suo addidit: Quid vtique dixit Deus, de omni ligno paradisi non edetis, cùm dictum à Domino fuisset: De omni ligno paradisi edetis: de ligno autem scientiæ, quod est in medio paradisi, non edetis? Mutauit ergo dicta diuina, & verbis suis quædam dicta Domini sociauit, vt facilius suaderet, & suadēdo deciperet. Immiscuit verbis diuinis verba nequitiæ suæ, vt per dulcedinem mellis venena mortis infunderet. Cùm ergo inimicus legis quidem, sed aduersum se attulisset exemplum, inutilem eius tentationem despiciens dominus: rursum eum alia legis sagitta percussit, dicendo: scriptum est, *Non tentabis dominum Deum tuum.* Quo responso diabolus iterum aliud vulnus excepit, nec tamen desiuit, gemina iam plaga percussus, iterum alia Dominum aggreditur tentatione. Et potuerat quidem Dominus statim eum prima tentatione prosternere, sed patientiam tenuit, vt ad exitium suum inimicus amplius insolescat, & ante interitum suum plaga multiplici vulneretur. Bis denique cum Domino congreditur, & victus adhuc tertiò nequitiæ suæ armare tentat audaciam. Hoc enim refert euangelista: *Et assumpsit*, inquit, *eum in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Iesus: Vade satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Mira & mirabilis Domini patientia, & diaboli singularis audacia. Prouocat igitur tertiò nunc inimicus, & ascendit in montem excelsum vt tentet, & Dominus sequi non dedignatur vt vincat. Vicit autem, non sibi, sed nobis. Neque enim magnum erat, si filius Dei diabolū vinceret: sed in hoc magnum fuit, quia in homine vicit, & nobis vicit. Ostēdit ergo, inquit, illi omnia regna mundi, & gloriam illorum, & dixit illi: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me. Regna mundi promittit ei, qui regna cœlorum credentibus præparauit. Gloriam sæculi pollicetur ei, qui dominus est gloriæ cœlestis. Spondet se vniuersa dare, qui nihil habet, ei qui omnia possidet. Ab eo se adorari vult in terra, quem angeli & archangeli adorant in cœlo. Vnde rursum Dominus alio testimonio legis insolentis inimici prosternit audaciam, dicendo: Vade satana, scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Iam igitur victor, ac dominus authoritate diuina comminatus, diabolum iussit abscedere. Vnde non immeritò principe suo iam deuicto, postea clamant dæmonia: Quid nobis & tibi fili Dei altissimi? Quid venisti ante tempus torquere nos? Non enim poterant iam Dei filium ignorare, quem Deum esse in authoris sui condemnatione cognouerāt. Huius autem futuræ tentationis certamen, etiam apud Zachariam legimus ostensum, vbi dicitur: Erat Iesus vestitus vestimento sordido, & diabolus stabat vt contradiceret ei. Quòd non vtique de illo Iesu filio Ioseph inconuenienter intelligi potest, cùm sacerdotum vestimenta sordida, hoc est, corpus ex genere peccatorum accepit. Meritò & Salomon vestigia serpentis supra petram inuenire non posse testatus est, quia serpens diabolus, in Domino qui petra dictus est, in hac tentatione peccati vestigium non reliquit. Hoc & Dauid ostendit, cùm ita de Domino loquitur, dicens: Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, quia corpori dominico nullum diabolici flagelli peccatum potuit proximare. Tentationes igitur dominus ab inimico sustinuit, vt homini quidem victoriam reportaret, diabolum verò illuderet, secundùm quod & Dauid antè prænunciauerat, dicens: Draco iste quem formasti ad illudendum ei, & iterum: Et humiliabit calumniatorem: & iterum, Tu cōfregisti caput draconis per aquam. Hunc draconem in hac tentatione illudi & decipi Dominus in libro Iob antè testatus est, dicens: Adducens autem draconem in hamo. Et videamus cur in hamo dicatur adductus. Sicut in hamo escæ præda posita pisces illudimus & decipimus, qui videntes escam, hamum non considerant, & dum auidi prædam volunt rapere, hamo capiuntur: sic & diabolo contigit, dum tantùm corpus hominis in filio Dei considerat, & Deum in corpore non agnoscit, quasi ad præparatam sibi prædam solita rapina festinat. Sed dum vult auidus prædam rapere, ipse draco vt piscis adductus in hamo, præda Domini captus efficitur. Hunc diabolum non solùm draconem hamo adduci, sed tanquam passerem ab infante illudi, idem Iob in sequentibus declarauit, dicendo: Alligabis autem tanquam auem, & illudes illi, tanquam infantes passeri. In quibus & potentia filij Dei, & infirmitas diaboli demōstrata est. Quia sicuti auem alligari facile est, & infantibus de passeribus ludere: ita filio Dei facile fuit potentem diabolum annulare, qui aduersus homines quidem semper potens fuit, sed aduersus Dominum miser, & infirmus repertus est: In hac autem tentatione Dominus specialiter nobis inimicum & certandi, & vincendi dedit exemplum. Et quanuis multæ ac diuersæ tentationes diaboli circa nos sint: in his tamen tribus tentationibus, quas aduersus Dominum habuit, etiam electos eius tentare consuevit. In eo nanque quòd post baptismum ac ieiunium tentari se ab inimico passus est, id ostensum est, quòd ad vnumquemque nostrum post lauacrum regenerationis, post sanctæ vitæ propositū, post religiosum laborem ieiunij, statim tentator diabolus accedat, vt nos aut cibi desiderio, aut per concupiscentiam corporalem à proposito religionis auertat. Sed quemadmodum huiusmodi tentationem vincere debeamus, Dominus ostendit: id est, vt desiderio eius non obtemperemus, statim nobis aduersus eam diuinæ legis proponamus exempla, vt famem corporis cibo verbi diuini

Pſal. 90.
Geneſ. 3.
Geneſ. 2.
Deut. 6.
Deut. 6. & 10.
Matth. 8.
Zach. 3.
Prou. 30.
Pſal. 90.
Pſal. 105. Ibid. 71. Ibid. 73.
Iob 40.
Iob 40.

bi diuini satiati semper optemus. Hoc enim respondēs Dominus, ad diabolum ait: scriptum est. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei. Hæc igitur prima causa in nos diabolicæ tentationis ostensa est: in qua cùm fuerit superatus, aliam fortiorem tentationem aggreditur. Denique quòd secunda tentatione diabolus in pinna templi Dominum prouocauit, id demonstratum est: quia cùm per concupiscentiam corporis decipere non potuerit aliquem, tentare nititur, vt vnūquemque nostrum post primā corporis victoriam, velut in alto iam positum, per causas spiritales præcipitare contendat, dicendo: mitte te deorsum. Non dicit mitto, ne vim facere videatur: sed, mitte te deorsum, dicit, vt ostenderet quòd vnusquisque nostrum libertate arbitrij voluntatis suæ culpa cadit in mortem. Illius est quidem suadere, sed nostrum est persuasiones eius per legis obseruātiam superare. Vnde & in eo quod dictum est propheticum, quasi ad probationem rei interpretatur dicendo, postquam ait: Mitte te deorsum, scriptum est enim: Quoniam angelis suis mandauit de te: versutia inimici monstrata est, quia scripturas diuinas prauo sensu, ac subdola fraude erat interpretaturus, & pro fide perfidiam asserturus, vt simplices & incautos per diuinæ legis testimonia: quasi per speciem bonæ confessionis, de alto præcipites daret in mortem. Sic denique multos hæreticos de altitudine catholicæ fidei in ima deiecit, sic nonnullos per aliqua opera iustitiæ, velut de turre præcipitat, cùm ab humilitate dominica separauerit, & in superbiam mentis extulerit. Tertia verò tentatione gloriam sæculi, & diuitias mundi proponit, per quas vt Apostolus refert, aliquantos à fide naufragare fecit, & à cœlesti gloria ad terrena transire. Suadet autem hominibus terrenos honores, vt auferat cœlestes: hortatur ad mūdi diuitias, vt spiritales diuitias adimat. Vnde non immeritò ita de eo in libro dicitur Iob: Omne, inquit, aurum maris sub eo est. Quia per occasionem auri, & cupiditatem diuitiarum inimicus multos illaqueare, & decipere consuevit. Ac per hoc, & in his contemnendus est, & confutandus, vt plena de tentatore possit victoria reportari: In eo autem quod consummata omni tentatione, refert euangelista angelos Domino ministrasse: filium Dei Deum & conditorem vniuersitatis manifestè cognoscimus, quia angeli ministrare non poterant, nisi domino & creatori suo vnigenito Dei filio, cui laus & gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

Deut. 8. & Matt. 4.
Pſal. 90.
1. Tim. 6.

Ex euangelio secundùm Matthæum, Cùm vidisset Iesus turbas ascendit in montem: & cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suum, docebat eos.

Matt. 5.

Homilia vj. Bernardo Brixiano interprete.

NON tantùm corpora, charissimi, Christus curabat, sed corrigebat & animas: pariterque varians vtilitatem, & doctrinæ admiscens sermonem, ex operibus probationem, & impudentia claudens hæreticorū ora, per quod vtrasque curabat substantias: ostendens quòd totius animalis est ipse creator. Et propterea multam vtrique naturæ communicabat prouidētiam: nunc quidem hanc, nunc reparans illam. Quod quidem tunc quoque faciebat: ait enim, *Cùm aperuisset os suum, docebat eos.* Et cur additum est, Cùm aperuisset os suum? Vt intelligas quod & tacens docebat, nedum loquens: sed nunc quidem os aperiens, nunc autem ex operibus emittens vocem. Cùm autem audieris quod docebat eos, ne solos ipsum putes alloqui discipulos, verum & alios quoque per illos. Quoniam enim adhuc multitudo popularis erat, & humi repentium, discipulorum instituens chorum, ad illos sermonem habet, illos alloquendo, & aliis omnibus à dictis multum deficientibus haud grauem esse faciens sapientiæ doctrinam: quod & Lucas insinuans aiebat, quod sermonem conuertit ad eos. Quin & Matthæus idem significās scribebat, quòd accesserunt ad eum discipuli eius, & ipsos docebat. Sic enim & reliqui mentem diligētius adhibere debebant, quàm si ad omnes intendisset. Vnde igitur incipit, & quæ nobis iacit nouæ conuersationis fundamenta, cum sedulitate quæ dicuntur, audiamus. Dicta namque sunt quidem ad illos, scripta verò propter omnes posteros. Propterea quippe concionans discipulis intendebat, non tamen in illis dicta concludit: sed omnes infinitè promit beatificationes. Non enim dixit, Beati vos estis, si sitis mendici: sed, beati pauperes. Licèt si etiam illis dixisset, commune tamen erat futurum cōsilium. Nam & cùm dixit, Ecce vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi: non illis promittebat solis, verùm per illos toti terrarum orbi. Et cùm illos vocat beatos persecutionem patientes, & expulsionem, & intolerabilia patientes: non illis solùm, sed & omnibus eadem obeuntibus texit coronam. Cæterum, vt & hoc manifestius reddatur, & discas, quòd & tecū multum habent prædicta participium, & cum omni humana natura, si quis modò velit aduertere, audi quomodo sermones hos admirabiles orditur: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quid est pauperes spiritu? humiles, & contriti corde. Spiritum enim hîc animam & volūtatem dixit. Quoniam enim multi sunt humiles non spontanei, sed rerum adstricti necessitate, illos omittens (nec enim hoc esset laudabile) ex voluntate semetipsos humiliantes & contrahentes, primos vocat beatos. Et quare nō dixit, humiles, sed pauperes? quoniam hoc est illo maius. Expauescentes enim hîc ait, & trementes Dei mandata. Quos & per Esaiam prophetam plurimum approbans Deus dicebat: Ad quem respiciam, nisi ad humilem & quietum, & trementem sermones meos? Multi sunt etenim humilitatis modi. Et hic quidem est mediocriter humilis, hic autem super omnem modum. Hanc & beatus propheta commendat humilitatem, non simpliciter contractam nobis mentem designans, sed nimis confractam, vbi dicit: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus nō despicies. Hanc pueri tres Deo pro sacrificio magno offerunt dicentes: Sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur. Hanc & Christus nunc beatam appellat. Quoniam enim malorum maxima, totúmque perdentia mundum ex superbia subrepserunt. Nam & diabolus, cùm non esset antea talis, ita diabolus effectus est: quod & Paulus ostendens, dicebat: Ne in superbiam elatus incidat in iudicium diaboli. Et his primus homo expectationibus à diabolo inflatus, præcipitatúsque est, factúsque mortalis: sperans enim esse Deus, & quod habebat, amisit. Quod exprobrans illi Deus, & ipsius carpens dementiam, dicebat: Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis. Et quisque sequentium hinc in impietatem delapsus est, quòd Dei affectaret æqualitatem. Quoniam igitur hæc malorū arx erat, & radix, omnísque fons nequitiæ, remedium ægritudini præparans congruum, quasi validum quoddam, tutúmque fundamentum hac legem iecit. Hac enim supposita firmitate, ædificator omnia reliqua superponit: hac autem sublata, licèt ad cœlos vsque perueniat operarius, omnia facilè subruūtur, & in malum finem conuertuntur. Siue ieiunium, siue orationem, siue eleemosynam, siue continentiam,

Deut. 8.
Luc. 6. Matt. 5.
Ibid. 28.
Ibid. 5.
Pſal. 50.
Eſa. 66.
Dan. 3.
1. Tim. 5.
Geneſ. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Luc.18. siue quid aliud boni congregaueris absque humilitate, defluit, & omnia pereunt. Quod & in Pharisæo factum fuit, postquam peruenit ad ipsum verticem, omnibus amissis descendit, quoniam bonorum matrem non habebat. Sicut superbia totius est fons nequitiæ, sic humilitas omnis sapientiæ principium. Quapropter & hinc orditur, ex audientium cordibus superbiam vellens radicitus. Inquit aliquis, quid hoc ad discipulos, qui per omnia erant humiles? nec enim vllam habebant occasionem insolentiæ, cùm piscatores essent, & pauperes, ignobiles, & idiotæ. Et si non ad discipulos ista dixit, sed ad eos, qui tunc erant præsentes, & ad eos, qui post hæc eos erant susceputi, ne propter hæc eos contemnerent: immò verò & ad discipulos. Nam etsi non tunc posterius tamen talis cautelę debebant indigere, post signa & miracula, & orbis terrarum honorem, & comparatam apud Deum fiduciam. Non enim diuitiæ, non potẽtia, non regnum tam extollere potest, quàm omnia quæ fuerant illis collata. Alioquin autem & ante signa verisimile fuit eos & tunc elatos fuisse, cernentes multitudinem, & theatrum illud circa præceptorem cõstitutum, & humanum aliquid passos. Propterea statim ipsorum reprimit sensum. Neque dicta in admonitionum loco ponit & præceptorum: sed beatificationis loco, minus molestum faciens sermonem, & omnibus aperiens doctrinæ studium. Non enim dixit, ille & ille: sed qui hæc faciunt, omnes beati. Itaque siue sis seruus, siue mendicus, siue pauper, siue hospes, siue priuatus, nihil est quod beatum esse prohibeat, si virtutem hanc fueris imitatus. Exorsus igitur vnde præsertim decebat exordiri, ad aliud procedit præceptum, quòd videtur esse cõtrarium orbis terrarum iudicio. Omnibus enim gaudẽtes imitãdos esse putantibus, miseros autem in tristitia positos, & paupertate, & luctu: hos ipse pro illis beatos vocat, dicens: *Beati qui lugent*. licèt eos omnes miseros vocent. Propterea namque præueniens signa fecit, vt talia sanciens, esset fide dignus. Et hìc verò rursum non simpliciter lugentes posuit, sed pro peccatis hoc faciẽtes: cùm sit valde diuersum, & vehementer inhibitum, circa secularium quidpiam lugere. Quod quidem & Paulus significabat, dicens: Quòd mundi quidem tristitia mortem operatur: quæ autem est secundum Deum, pœnitentiam in salutem incommutabilem operatur. Hos igitur hìc & ipse beatos appellat, qui sic contristantur. Nec simpliciter mœrentes posuit, sed cum augmento: propterea neque tristes, sed lugentes. Nam hoc insuper præceptum est omnis disciplinæ rudimentum. Nam si filios, aut vxorem, vel alium quempiam necessariorum lugentes defunctum per illud tempus doloris, non pecuniarum, non corporum trahũtur amore, non quærunt gloriam, contumeliis non irritantur, non capiuntur inuidia, nec ab alio quoquam vitio possidentur, luctus tantùm curam gerentes: multò magis sua deflentes peccata, vt est dignum lugere, hac maiorem disciplinam præstabunt. Postea, quid præmij? *Quoniam ipsi cõsolabuntur*. Vbi consolatione fruentur? & hìc, & illic. Quoniam enim hoc præceptum erat nimis onerosum, & graue, quod ipsum maximè leue facit, hoc se daturũ esse promisit. Itaque si vis consolationem habere, lugeas, nec existimes obscurum esse dictum. Cùm enim Deus consoletur, si vel innumeri tristium ingruant imbres, omnibus eris superior. Laboribus enim multò maiores dat semper Deus retributiones. Quod quidem & hìc fecit, beatos pronuncians lugentes, non iuxta rei dignitatem, sed secundùm clementiam suam: quod non ex operis merito, sed ex ipsius procedit misericordia. Lugentes enim crimina lugent: talibus autem satis est venia potiri, & purgationem assequi. Sed quoniam ipse plurimum est misericors, nec in pœnarum remissione, nec in peccatorum absolutione retributionem concludit: sed & facit beatos, & multam impartitur consolationem. Lugere verò nos non de propriis tantùm, verùm & super alienis iubet peccatis: quales erant sanctorum animæ, qualis Mosi, qualis Dauid, & Pauli: nam & omnes hi frequenter mala deflebant aliena. *Beati mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram*. Quam, quæso, terram? quidam intellectualem esse putant, sed hoc ita non est: nusquam enim in scriptura terram intellectualem inuenimus. Sed quid tandem quod dicitur? Sensibile ponit præmium, sicut & Paulus cùm enim dixisset: Honora patrem tuum, & matrem tuam: subdidit, Sic enim eris longæuus super terram. Et ipse rursum latroni: Hodie mecum eris in paradiso. Nec enim solùm à futuris suadet bonis, verùm & à præsentibus, propter auditorum crassiores, & illa quærentes ante futura. Propterea quippe progressus dicebat: Sis beneuolus aduersario tuo. Deinde talis disciplinæ præmium ponit, & dicit: Ne fortè te tradat aduersarius iudici, & iudex tortori. Vides vnde perterruit? Ex sensibilibus, ex his quæ iugiter passim accidunt. Et rursum: Quicunque dixerit fratri suo, racha, reus erit concilij. At & Paulus semper à præsentibus exhortari consueuit, & sensibilia proponere præmia, vt cùm de virginitate disserit. Nihil enim illic interim de cœlis locutus, sed ex præsentibus inducit, Propter instantem, inquiens, necessitatem. Ego autem vobis parco, volo autem vos esse sine solicitudine. Sic itaque Christus spiritalibus sensibilia commiscuit. Quoniam enim mitis existimatur omnia perdere præsentia, contrarium pollicetur inquiens, quòd hìc quidem sua possidet in tuto, qui nec audax, neque superbus est. Qui verò talis est, & paternis quidem frequenter excidit, & ipsam amittit animam. Præsertim autem, quoniam & in lege veteri Propheta sæpe dicebat: Mites enim hæreditabunt terram: ex verbis secum adultis sermonem contexit, ne semper externè loquatur. Hæc autem dicit, non præsentibus concludens retributiones, verùm cum his præbens & illa: siue nanque quidpiam spiritale dixerit, quæ sunt in præsenti vita non aufert: siue quid rursum sæculare promiserit, non hactenus promissionẽ statuit. ait enim, Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia apponentur vobis. Et iterum: Quicunque reliquerit domum, aut fratres, &c. centuplum accipiet in præsenti sæculo, & in futuro vitam æternam possidebit. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*. Quam iustitiam? generalẽne dicit virtutem, an particularem hanc auaritiæ oppositã? quoniam enim est de eleemosyna præceptum daturus, ostendens qualiter exhibere misericordiam oporteat: puta quod non ex rapina, non ex auaritia, iustitiam amplectentes beatos appellat. Et nota cum quanta ponit hoc excellẽtia. Non enim dixit, Beati qui iustitiam vendicant: sed, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Ne simpliciter, sed omni studio eam obeamus: quoniam enim hoc auaritiæ præsertim propriũ est: nec ita cibos cupimus, aut potus, aut plura possidere, & abũdare: cupiditatem hanc ad hoc ne nimium quæramus, transferre nos præcepit. Deinde rursum sensibile definit præmium, dicens: *Quoniam ipsi saturabuntur*. Quoniã enim existimatur auaritia multos reddere diuites, dicit quòd contrariũ penitus est: hoc enim efficit iustitia. Itaque iusta faciens, noli paupertatem timere, neque famẽ expauescas. Qui nanque rapiunt, hi sunt qui præsertim ab omnibus excidunt: & scilicet iustitiam diligẽs, in tuto quæ sunt omnium habet. Quòd si non aliena cupientes tanta potiũtur copia, multò magis qui sua dispergũt. *Beati misericordes*. Hìc non solos per pecunias misericordiam exhibentes mihi dicere videtur, verum & aliis in rebus.

2.Cor.7. Pſal.36. Matt.6. Ibid.19 & Marc.10.

rebus. Varius enim est eleemosynæ modus, & latissimum hoc est mandatum. Quod igitur huius præmium? *Quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Et videtur quidem esse quædam æqualis retributio, est autem meritis longè diffusior. Hi nanque miserantur vt homines, misericordiam verò capiũt ab omnium Deo. Non est autem æqualis humana diuináque misericordia, sed quantum est nequitiæ, bonitatísque discrimen, tantùm hæc distat ab illa. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Ecce rursum spiritale præmium. Puros autem hìc ait, siue generalem possidentes virtutem, & nullius sibi conscios mali, vel in continentia degentes. Nihil enim ad videndum Deum nobis tam necessarium est, quàm Heb.12. hæc virtus: quapropter & Paulus dicebat, Pacem sectamini cum omnibus, & sanctificationem, sine qua nemo videbit Deum. Visionem verò dicit hìc, quantum homo videre potest. Quoniam enim multi quidem miserentur, & non rapiunt, nec vsurpant aliena, sed fornicãtur & incontinenter viuunt: ostendens quod prius non est satis, & hoc addidit: sicut & paulus de Macedonibus testatus est ad Corinthios scribens, quod non tantum eleemosyna diuites erant, verùm & omni alia virtute. Cùm enim de ipsorum in pecuniis liberalitate dixisset, 2.Cor.8. ait: Et seipsos dederunt domino & nobis. *Beati pacifici*. Hìc non tantum eos diffidere prohibet, & inter se inimicitias exercere: verùm & aliquid maius exigit, vt & alios diffidentes conciliemus. Et rursum spiritale præmium subiungit. Quale verò? *Quoniam ipsi filij Dei vocabuntur*. Nam & vnigeniti tantum opus fuit distantia coniungere, & inimica conciliare. Deinde ne putares quod semper pax bona sit, intulit: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*: hoc est, propter virtutem, pro aliorum tutela, pro pietate. Iustitiam enim omnem animi disciplinam semper dicere consueuit. *Beati eritis, cùm vos exprobrauerint homines, & persecuti fuerint, & dixerint omne malum aduersus vos, mentientes propter me*. Gaudete & exultate, siue vos fascinatores, siue seductores, siue C pernicioſos, seu quicquid aliud vocauerint, inquit, beati eritis. Quid his mirabilius præceptis, cùm ea quæ fugiũtur ab aliis, hæc esse dicat desiderabilia: mendicare scilicet, & lugere, pati persecutionem, & malè audire? Veruntamen & dixit, & persuasit non duobus, & decem, & viginti, & centum, milléve hominibus, sed etiam toti terrarum orbi. Et audientes onerosa & grauia, multorúmque contraria consuetudini, consternabantur turbæ: tanta vis erat dicentis. Veruntamen ne cogites quòd malè simpliciter audire beatos facit, duas posuit definitiones, cùm & propter eum, & cùm falsa fuerint dicta. Quoniam si defuerint ista, non modò non erit beatus, verùm & miser malè audiens. Deinde Matt.5. rursus præmia considera: quoniam merces vestra multa est in cœlis. Tu verò licet per singulas beatitudines regnum non audias donari, noli contristari. Nam etsi retributiones differenter appellat, omnes tamen in regnum introducit: etenim dicens, Consolabuntur qui D lugent, & misericordiam consequentur misericordes, & Deum videbunt mundi corde, & filij Dei vocabuntur pacifici: nihil aliud per hæc omnia, nisi cœleste regnum insinuat. His enim potientes, illud omnino consequentur. Ne solorum itaque spiritu pauperum præmium esse censueris, verùm & esurientium iustitiam, & mitium, & aliorũ omnium similiter. Propter hoc enim in omnibus beatitudinẽ posuit, ne sensibile quicquam expectes. Nec enim beatus esset, qui coronam accideret, quæ cum præsenti vita sit resoluenda, & vmbra velocius prætercurrit. Cum verò dixit quòd merces est multa: subdidit & aliam cõsolationem, dicens: *Sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerũt ante vos*. Quoniam enim illud regni futurum erat, & in expectatione manebat: hinc eis præbet cosolationem, ex eorum qui ante ipsos passi fuerant, communicatione. Nam ne puteris quòd contraria sentientes & promulgantes hæc patiamini, vel quòd malarum sitis disciplinarum doctores, ab eis pelli debeatis. Nõ enim ex dictorum malitia, sed ex audientium vitio insidię sunt atque pericula. Vnde neque vos malè patientes calumniantur, sed illos malè agentes: & his omne superius tempus attestatur. Nec enim prophetis iniquitatem & impiam apponentes sententiam, hos quidem lapidibus obruerunt, hos expulerũt, hos innumeris inuolũere malis, ne vos hoc perturbet: ex eadem enim sententia faciunt & hæc omnia. Vides quomodo sensus eorum crexit, eos prope Mosem con- 1.Thes.2. stituens & Heliam, & similes? sic & Paulus ad Thessalonicenses scribẽs ait: Vos enim facti estis imitatores Ecclesiarum Dei quæ sunt in Iudæa. nam & vos eadẽ passi estis à propriis contribulibus, sicut & illi à Iudæis, qui & ipsum dominum interfecerunt Iesum, & proprios pro- B phetas, & vos persecuti sunt, Deo non placentes, & omnibus hominibus aduersantes, Quod quidẽ & Chri- Mat.5. stus hìc fecit, & in aliis quidem beatitudinibus dicebat: Beati pauperes & misericordes. Hìc non indefinitè ipsum posuit, sed ad ipsos sermonẽ conuertit, inquiens: *Beati eritis, cùm vos exprobrauerint homines, & dixerint omne malum verbum*. Ostẽdens quòd ipsorum hoc est potissimum peculiare, & super omnes alios dictorum hoc proprium. Simul autem & dignitatẽ suam hìc insinuat, & parem cum eo qui se genuit honorem: ait enim, Sicut illi propter Patrem, sic & vos hæc propter me patiemini. Cùm verò dicat, prophetas qui fuerunt ante vos, & ipsos quoque prophetas iam factos ostendit. Deinde declarans, quòd hoc eos maximè adiuuat, redditque splendidos: non dixit, quòd malè quidem dicẽt & persequẽtur, ego autem hoc prohibebo. Non enim in hoc quòd malè non audiatur, sed quod malè audientes generosè ferant, & ipsos conuincãt per opera, securitatem ipsis vult esse. Hoc enim illo longè maius est, sicut percussum mali nihil ferre, multò maius est quàm non percuti. Scientes itaque lucrum ex huiusmodi studio, & negligentiæ periculum: nam perditione nostra multò peius est, quòd dominus noster propter nos, vitámque nostram blasphematur: sine offensione fiamus Iudęis & Gentilibus, & Ecclesiæ Dei, vitámque præstantes Sole splendidiorem. Et si quis detrahere voluerit, non quòd malè audiamus, sed quòd iustè nobis detrahatur, dolẽtes. Nam si nequiter quidem viuamus, licet sit qui vituperet nemo, omnibus tamen erimus miseriores: si verò virtutis curam geramus, licet terrarum orbis maledicat, tunc omnibus beatiores erimus, & omnes saluari volentes attrahemus. Nec enim malorum detractionẽ, sed vitæ virtutem intuebuntur. Omni nanque tuba clarior est per opera virtutum exhibitio, & ipsa luce splendidior est munda vita, licet innumeri sint qui calumnientur. Si nanque cuncta prædicta habeamus, & mites ac humiles simus atque misericordes, mundique ac pacifici: & malè audientes non reddamus contumeliam, verùm & gaudeamus, non minus, quàm signis videntes attrahemus: & libenter omnes ad nos venient, siue bestia, siue dæmon, siue quilibet quispiam sit. Improbus enim dæmon, cùm se nihil obeuntem viderit, iam absistit, veritus ne sit nobis plurium causa coronarum. Illo autem digresso, licet aliquis scelestus sit, atq; corruptus, illa caligine sublata, virtutem agnoscet. Si verò & homines decipientur, à Deo laudem habebimus, admirationemq; maiorem, in ipso Christo domino nostro, cui gloria competit omnis, honor & adoratio, nũc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In illud Matt. Qui fecerit, & sic docuerit, maximus vocabitur in regno cælorum, homil. vij.

INCERTO INTERPRETE.

QVVM nobis pro officio competat dicere, vobis autem cõueniat pro deuotione audire: quid tam necessarium, tam pertinens poterit vtrisque cõtingere, quàm vt quod religiosè dicitur, & deuotè audiatur, & obsequiis competentibus teneatur? Nam si religiosa non tacere lucrum est, tacere dispendium: quantò potiora lucra poterunt prouenire, cùm orationibus monstratur, quicquid magisteriis cœlestibus & discitur, & tenetur? Par enim causa & discentem, & audientẽ constringit: vt vtriusque professio factorum significatione signetur. Et quamuis sit dissimile doctoris, discentisque officium, tamen vtriusque par esse debet sanctarum legum obsequium: vt iungantur factis, qui separantur officiis: copulẽtur opere, qui diuersi sunt nomine: & quos vocabula ab inuicem separant, eos obseruantia præceptorum fideliter ac deuotè coniungat. Quare sic fit, vt vtriusque sit diuersus actus, sed obseruantiæ par sit necessarius vtriusque effectus: vt factorum in ambobus conspiret assensus, quibus diuersus est in vocabulis sonus. In doctore enim molesta est causa docere nec facere: præcipere, nec obseruare: in discente verò audire velle, quod nolit implere: aures quidem auditui cõmodare, & ab opere voluntatem auertere. Etenim qui facit, quòd docet: & qui, quod imperat, complet: maximus in cœlestibus sentẽtia domini declaratur. At verò qui, quòd dicit, negligit, & qui, quòd audit, contemnit: salutis reus existit: quia obseruanda contempsit, & pericula non vitauit. Amat enim mortem, qui vitæ præcepta non seruat, & horret vitã, qui peccata morti debita, desperata mente frequẽtat. Vt enim per obseruantiam legis, vita acquiritur: ita per contemptum, mors à cõtumacibus inuenitur, dicẽte domino: Si vis in vitã venire, Matt 19. seruа mandata. Ita enim perfectus doctor liber est à discẽte, quẽ docuit: vt discipulus cõtemptor inexcusatus erit, qui facienda didicit, & contempsit. Nam & doctor econtrariò grauius affligetur, & obsequentis discipuli exemplo plectetur: qui facienda aliis tradidit, quæ ipse non fecit: vt nec à discipulis, quos docuit, potuisset edisсere: vt quibus doctrinæ tradiderat magisterium, nec ab iisdem factoribus mutuaretur exẽplum. Neq; enim perfectio in legum est notitia constituta: cùm scriptum sit. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed Rom. 2. factores legis iustificabuntur. Neque enim, inquam, is religiosus & sanctus est, qui nouit legem cessantibus factis: cum expediat facere, quàm docere nec facere: quia molestũ est docere, & non facere. Vos amici mei estis, Ioan. 15. inquit, si feceritis quæ mando vobis. O magna bonitas, cui cùm pro conditione reddere debeamus obsequia: vtpotè serui domino, famuli Deo, subiecti potenti, mãcipia redemptori: amicitiarum tamen nobis præmia repromittat, vt à nobis obsequia debita seruitutis extorqueat: vt quos sibi seruire conspicit spontè, ad beneficiorum possit promissiones inuitare: & quorum voluntates à se conspicit alienas, mentes eorum præmiorum liberalitatibus constituat suas. Nam vnde frequenter aut inuitat præmio, aut terret supplicio, nisi vt benignitatis consilio, à se formato homini consulat? Redempto prouidet: vt qui nõ terretur supplicio, inuitetur præmio: & quem metus à peccato reuocare non potest, promissionum benignitas possit. Cupit enim etiam nocẽtibus subuenire, desiderat misereri peccãtibus Si quis peccauerit, dignos fructus exhibeat pœnitẽtis. Inuitus enim Luc. 3. in reos vindicat, etiam si Dei indulgentiam miserantis conẽnant. Amat enim corrigi peccatores, qui in vitam non in mortem, à principio constituit homines. Ipse enim sibi infert interitum, qui medẽtis domini contempsit consilium. Reuertimini, inquit, ad me: & ego reuertar ad vos. & iterũ, Nolo mortem peccatoris, tantũ conuertatur, & viuat. Non vult dominus in quemquã dominari mortem: non vult in pœnam deduci hominem, quem in vita constituit. Cæterum homo ipse se dignum efficit morte, qui non paruerit legi. Odit vitam, qui diuinam contempserit disciplinam. Nam cum dominus quid vellet, quidve nollet, homini demonstraret: ea ipsa docuit, quæ obseruanti vitam, contemnenti afferunt mortem. Ita enim de contemptu vita non poterit prouenire, vt de obseruantia mors euenire non possit: vt iam homo, quòd voluerit, mereatur: & ex eo quod meruerit, iudicetur: vt hoc tantum in hominis voluntate consistat, qui sibi ex qualitate vitæ meritum, quod haberet, inuenit. Quare his solicitè perpensis, ideſt vnde salus, vnde periculum nascatur, salutis commoda de legis obseruantia teneamus: & periculorum incommoda de legis contemptu, vt prouidi, cauеamus: vt dum tenentes prospera, & pellentes aduersa, in conspectu domini inuenimur, ab ipso cum omnibus sanctis ad æterna gaudia prouehi mereamur. Amen.

Mala. 3. Ezec. 18.

Ex cap. Matth. v. in festo sanctorum Ioannis & Pauli, homil. viij.

INCERTO INTERPRETE.

IN *illo tempore, dixit Iesus discipulis suis: Auditis quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros: benefacite his qui vos oderunt.* Et reliq. Per omnia vult nos dominus in præceptis suis esse perfectos. Nam dudum in lege præceptũ est, Diliges amicos, & odies inimicos. Sed populo carnali & terreno secundùm tempus data ista præcepta sunt, sicuti & illud: Oculum pro oculo, dẽtem pro dente. Nunc autẽ euangelica populo traduntur præcepta, cœlestis ac perfectæ iustitiæ, vt inimicos diligamus, odientes amemus: pro calũniantibus, ac pro persequentibus oremus, vt verè filij Dei esse mereamur, qui pro misericordia sua indiscretè super bonos ac malos, iustos atq; iniustos, vitę præsentis beneficia cœlesti dono largitur. Ad huiusmodi præcepta euãgelica custodiẽda etiam per Esaiã hortatur nos sanctus spiritus, dicens: Audite verbum domini, qui timetis nomen eius. Dicite fratres his qui oderunt & abominantur, vt domini nomen magnificetur, & appareat illis in iucunditate eorum, & illi confundantur. Vnde non immeritò Dauid in Psalmo testatur, dicẽs: Domine Deus Psal 7. meus si feci hoc, si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Beatus quoq; Iob idipsum ita commemorat, dicens: Qui si gauisus Iob. 31. sum in delicto inimici mei, si dixi in corde meo, bene factum est, audiat auris mea maledictionẽ. Hæc autem euangelicæ gratiæ præcepta, quæ nunc ad salutem hominum data sunt, inuenimus per mandata legis in animalibus formata, cum dicitur. Si, inquit, videris bouem Exo. 23. inimici tui sub onere ruisse, non pertransibis, sed eleuabis eum. Vtinã tunc in lege Mosi vnusquisq; in animalibus disceret, quodcunq; secundum euãgelium facturus esset in homine. Et meritò sequitur: *Si diligitis eos qui vos* Matt. 5. *diligunt, quam mercedẽ habebitis? nonne & publicani hoc faciũt? Et si salutaueritis fratres vestros tantũ, quid amplius facitis? nõne Ethnici hoc faciũt? Estote ergo & vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.* Ostendit dominus meritum nos perfectæ dilectionis habere non posse, si autẽ diligamus

Matt. 5. Leui. 19.

Leui. 19.

diligamus eos, quibus vicem nobis rependi dilectionis mutuæ nouerimus, cum huiusmodi dilectionẽ etiã Gẽtibus ac peccatoribus scimus esse communẽ. Vnde vult nos Dominus communẽ legem dilectionis humanę lege dilectionis euangelicæ superare: vt non solùm circa eos, qui nos diligunt, sed etiam circa inimicos & odientes nostri amoris ostendamus affectum, vt verę bonitatis, ac pietatis paternæ in hoc imitemur exemplum. Et addidit: *Attendite, ne iustitiã vestrã faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis:* & reliqua. Ab omni iactantia inanis gloriæ, atque humanæ cupiditatis vult nos esse Dominus alienos, vt opus iustitiæ nostræ non hoc studio faciamus, quo hominibus placere velimus, sed soli Deo, à quo expectamus meriti nostri mercedem. Amittit enim meritum iustitiæ apud Deum, qui idcirco iustè vult viuere, vt gloriam humanæ laudis acquirat. Vnde Gal. 1. Apostolus ait: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Dehinc ait: *Cùm facis eleemosynam, noli tuba canere ante te:* & reliqua. In omnibus nos Dominus ad perfectæ fidei gloriam doctrina cœlesti conformat. Superius docuit opus iustitię nõ propter homines, sed propter Deum esse faciendum: nunc quoque iubemur eleemosynã facientes tuba canere non debere, ieiuniũ non promulgare quòd facimus. Non enim est deuotæ mentis in Dei rebus aliquid operari, vt gloriã humanæ laudis expectet. Pleriq; enim ideo aliquid in vsũ pauperum largiũtur, vt inanem laudem hominũ, & famã sæculi de facultate mercentur. Quos operis sui mercedẽ in hoc sæculo recepisse Dominus manifestat: quia dum hanc gloriã sæculi quærunt, mercedẽ futuræ promissionis amittũt. Et addidit dominus, dicẽs: *Vt sit eleemosyna tua in abscõso, & Pater tuus qui videt in abscõso, reddat tibi.* Volens opus misericordiæ non esse publicũ, sed occultũ: id est, vt non propter hominũ laudem, sed propter Deum tantũ operemur, à quo expectamus cœlestẽ gloriam, & futurę retributionis mercedẽ. Huius autẽ fidelis operis eleemosynæ sub religiosæ taciturnitatis silentio Salomon Ecclesiam collaudãs olim protestatus est, dicẽs: Speciosæ sunt genæ tuæ sicut turturis, propter taciturnitatem tuam. Hãc scilicet taciturnitatẽ, de qua Matt. 6. ait Dominus: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Sed nõ hîc dominus de humani corporis manibus, quibus nec videndi, nec loquẽdi vllus est sensus: sed in manu dextra aut sinistra homines significantur. Denique scriptũ legimus in libro Regum manũ homines significare, cum dicitur: Nónne decem mihi manus sunt intra hominẽ? id est, decem tribus in Israël. Vnde non dubiũ est in dextera manu homines significari iustos, in sinistra verò peccatores intelligi. Secundũ quòd Salomon Prou. 4. retulit. Partes dextræ nouit dominus. Peruersæ autem sunt, quæ sunt à sinistris. Huius autem dextræ ac sinistrę intelligẽtiam dominus in euãgelio apertissimè manifestat, cum iustos à dextris, peccatores verò à sinistris collocandos esse declarat. Hæc ergo dextra iustorũ, si quid secundùm præceptũ domini operatur, iubetur sinistra D nescire: id est, quod fideliter operamur, ac religiosè, iubet vt in conspectu sanctorum, & infidelium hominum non iactemus. Verũ si quid non humanæ laudis studio etiam corã religiosis fratribus fideliter fecerimus, non potest opus deuotionis ac fidei, fratribus iactantia iudicari ante Deum, ac saluatorẽ nostrũ, qui est benedictus in sęcula. Deinde ait: *Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ tristes.* Ad omnẽ nos iustitiæ cœlestis, ac fidei perfectionem dominus instruit. Vult enim nos sine hypocrisi, sine aliquo studio humanæ laudis esse, opus diuinæ religionis implere. Prohibemur nanque hypocritarũ more orationes nostras omnibus iactãter ostendere, ne meritum gratiæ amittamus. Dominus enim non simulatã ac

iactantẽ, sed simplicem orationem ac fidelẽ requirit. Et ideo clauso ostio: id est, intra cordis & cõscientiæ ipsius secretũ, à domino iubemur orare, vt ab eo qui secretorum & occultorum est cognitor, recipiamus orationis occultæ mercedem. Religiosæ enim mentis est, Deum non voce, vel sono vocis, sed deuotione animi, ac fide cordis orare. Secundũ quod Dauid in Psalmo testatur, dicens: Dicite in cordibus vestris, & in cubilibus vestris Psa. 4. compungimini. Inuenimus denique in libris Regũ, An- 1. Reg. 1. nam illam sanctissimã huius euangelicæ doctrinæ præcepta implentem. Nam cum sine aliquo vocis sono in cordis sui secreto, in conspectu domini fideliter orans, desiderij sui præces effunderet, statim exaudiri meruit à Domino. Sic & Danieli cum tribus pueris occultè sem- Dan. 2. 3. per oranti, interpretationem somnij, & reuelationum & 4. Act. 10. secreta dominus scire concessit. Cornelius quippe necdum præceptis euangelicis eruditus, dum in cubiculo suo secretè fideliter oraret, meruit vocem angeli sancti Ionæ 2. loquentis audire. Quid de Iona dicimus, qui non modò cubiculo, sed vtero beluæ clausus, intantum orans meruit exaudiri, vt de profundo maris, & de vẽtre tam immanis beluæ incolumis & viuus euaderet? Exauditus autem à Deo est, non quia voce, sed quia fide clamabat. Et ideo clamor vocis non est opus in oratione ad Deum, quem scimus secreta cordis intueri, sed clamor fidei, ac religiosæ mentis deuotio. Vnde nón immeritò in sequentibus dominus ait: Orãtes autem nolite multũ Matt. 6. loqui, sicut Ethnici. Ethnici enim homines putãt multiloquentia verborum facilius se à domino posse impetrare quod postulant. Sed hoc à nobis dominus nõ expectat, sed vult potius, vt orationem nostram non verbositate sermonis, sed fide cordis ac iustitiæ meritis commendemus. Et vtiq; qui melius nouit omnia quæ nobis necessaria sunt, & vniuersa quæ postulaturi sumus, antequam loquamur, agnoscit. Quantum denique distet inter multiloquacem, & humilem, ac simplicem orationẽ, in Pharisęo illo, & publicano habemus exem- Luc. 18. plum. Nam pharisæi iactãtis se multiloquentia verborũ reprobatur oratio: publicanus verò humilis, ac summissus, pro peccatis suis veniam postulans, iustificatior iactanti se pharisæo descendit. In quo completum inuenimus id quod scriptum est: Oratio humilis nubes pe- Eccl. 35. netrabit. Peruenіens ad Deum, qui orantis precem audire consueuit, qui est benedictus in sæcula. Amen.

De fugiendis iuramentis, & quòd Deo gratias agere debemus, licet in paupertate degamus. ex Matthæo cap. v. vide in vltimo tomo, ad populum Antiochenum, homilia xxviij.

De oratione dominica, homilia ix.

INCERTO INTERPRETE.

DOMINICA † oratio ex pontificali doctri- vetus exẽplar habet. Annua vobis dominica, &c. na electis ad fidem debetur. Et quia debitum ex debito à nobis exigitur, vltrò vobis reddimus ore, quæ à nobis exigitis corde. Oratio dominica ita data est credentibus, vt operibus & moribus conueniat: & ne in multiloquio incurramus peccatum, collectè voluit dominus noster Iesus Christus discipulos suos orare. Alia est enim propria oratio, alia dominica. Vos ergo qui accepistis orationem in confessione, assignandam Deo, debetis corde credere, opere perficere. Dictum Eccl. 18. est enim, Ante orationem præpara teipsum: Quid est, ante orationem præpara teipsum, nisi expoliatus cogitatione praua, sic accedas ad dominicã orationem? Sic ergo orabis, *Pater noster qui es in cælis.* Magna dignatio Matt. 6. & Patris, magna dignatio creatoris, vt creaturam captiuatam peccatis faceret liberam, ille qui ascẽdens in altum captiuã duxit captiuitatẽ, dedit dona hominibus. Luc. 11. Ephe. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ergo vide,quis rogas,quid rogas,quem rogas.quis?homo. quid?indulgẽtiam.quem?Deum.Ergo patrem nostrum dicimus Deum. Non quærit iste pater propriè seruni dare, & alij se negare: sed quomodo dicimus nostrum,sic & nos debemus effici ipsius.Qui serui eramus, facti sumus liberi:cæci,videntes:febrientes,salui. Quia ergo pater & mater carnis huius creauerunt nos,ille veniens dignatus est regenerare nos. Ergo patrem Deum habemus,ad honestatem Patris ambulate,in voluntate eius proficite, vt eius promissionem accipiatis. Indignum est enim,vt si aliquis sit adulter,bilinguis,inordinatus,subdolus,malè agens, à fide recedens, tepidus in religione, sine studio viuens, captiuatus errore, dignus sit dici filius, aut ille audeat dicere, Pater. Ergo habete charitatem Dei, vt sit in vobis cor & anima vna,vt dignè dicatus ei, Pater noster. & videte vbi vocatis patrem,vtique in cœlo. Ideo clamamus in conspectu sacrificij.Sursum corda. Vbi confessio nostra tenetur,cor
Coloss.3. quotidie ibi repræsentetur. Cùm consurrexeritis cum B
Christo,quæ sursum sunt, quærite: vbi Christus est in dextera Dei sedens,vt cum fiducia dicatis, Pater noster qui es in cœlis. Sequitur oratio. *Sanctificetur nomen tuũ.* Quæ est ista sanctificatio Dei, nisi vt sanctis moribus viuentes in nobis Deus sanctificetur? Nam quicunque puro corde & pacifico cum omnibus hominibus viuit, loquitur veritatem in corde suo,& dolosè non agit sub
Mat.5. lingua sua: in hoc videntes homines bona opera, clarificant patrem qui est in cœlis. Dixit ipse dominus noster,Sancti estote,quia ego sanctus sum. Quid est, Sanc-
Leui.19. & 20. ti estote, nisi præcepta mea implete, voluntatem meã facite,in viis meis ambulate? Cum ista feceritis, sanctificatur pater noster qui est in cœlis. Sequitur, dicens, *Adueniat regnum tuum*. Necessaria postulatio, quando fragilitatẽ carnis nostræ regit rector & creator noster. Aduenit regnum eius,sed in nobis,nõ ad iudicium, sed ad redemptionem. Nam quæ conscientia est, quæ sit præparata ad regnum illud iudicij?Et quare dicebatur. C
Psal. 142. Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens? Ergo quomodo intelligimus, Adueniat regnum tuum? AduenIbid. iat, id est, in me veniat, vt & ego efficiar rex regens limum carnis meæ, terram meam quæ fuit maledicta, spinis & tribulis plena. Ideo dictum est: Et nunc reges intelligite, erudimini omnes qui iudicatis terram. Qui iudicat terram carnis suæ, rex est carnis suæ. Sed non potest homo regere carnem suam,nisi rectus fuerit à re-
Gal.5. ctore suo. Nam quandiu concupiscit spiritus aduersus carnem,caro aduersus spiritum:quia hæc duo sibi inuicem aduersantur, vt non ea quæ volumus faciamus, nondum venit regnum Dei in nobis.Sed quando subdita est caro spiritui, aduenit regnum Dei in nobis. *Adueniat* ergo *regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*. Quæ est voluntas eius, nisi dominus Dei fi-
Ioan.5. lius,qui ait Patri, Non veni facere voluntatem meam, D
sed voluntatẽ eius qui misit me? Quæ est voluntas eius,
Ibid. 17. nisi quod Dominus cecinit Patri,Pater hoc volo,vt vbi sum ego, & isti sint mecum? Quæ est voluntas eius, nisi obedientia,charitas,humilitas,mansuetudo,benignitas, castitas,longanimitas,pudicitia,simplicitas? Hæ virtutes ex voluntate Dei descendunt. Quid est, *Fiat voluntas tua?* In anima mea, & in carne mea, in cœlo mentis meæ,fiat voluntas tua,in carne corporis mei impleatur voluntas tua. Est & alius sensus, Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra:Sicuti angelis tuis,quos fecisti in spiritu: Quia tu facis angelos tuos spiritus, & ministros
Psal.103. tuos ignem vrẽtem.Ita dona nobis spiritualiter viuere, quomodo angeli qui carnem non habẽt,vt fiat volũtas tua sicut in cœlo & in terra. *Panem nostrum quotidianũ da nobis hodie.* Magnus iste panis,qui replet mentem,& non ventrem. Iste panis & noster est & angelorum: iste panis manducatur,& non finitur:iste panis totũ mundum replet, & integer manet. De ipso comedimus, inde viuimus, inde pascimur, inde nutrimur, inde perueni-
mus. Et tamen quotidie illum quærimus, ne deficiat fides nostra: ne vires animæ nostræ in ista arcta & angusta via fatigatæ non perueniant ad patriam. Ergo domine pasce nos quotidie pane cœlesti, verbo tuo sancto, quòd carnem fieri voluisti, vt habitaret in nobis.
Luc. 24. Ipse panis est, qui fractus est illis ambulantibus in via, quem agnouerunt in fractione panis. Quid est enim frãgere panem,nisi secretum aperire, agnoscere Deum & hominẽ? Ergo domine da nobis istum panem quotidianum. Nam primò mater Ecclesia ex vberibus do-
1.Cor.3. ctrinæ suæ lacte potat, dicens, Lac vobis potum dedi, non escam:nondum enim poteratis,sed nec adhuc quidem potestis, adhuc enim estis carnales. Accipe lac, vt
Luc.2. peruenias ad panem:accipe orationem,vt peruenias ad B
perfectionem. Ergo panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Hodie Dei intelligitur,hodie Dei noctem non habet, hodie Dei lux lucis est,& fons luminis. Ergo domine illumina corda nostra, vt mereamur quotidianum panem. Hic modo versiculus qui sequitur,magnam habet conditionẽ, magnum nobis incutit timorem. Excutite ergo pigritiam de animis vestris, non est res leuis quam audituri estis,Sequitur dicens, *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quæ sunt debita?fortè cautionum debita, fortè aliquid debemus Deo. Quid debemus Deo, nisi imaginem & similitudinem eius seruare illæsam? Quid debemus Deo? honore mutuo præuenire, Sunt alia debita quæ debemus Deo. Peccauimus illi grauiter, iniustè e-
gimus,iniquitatem fecimus. Aut quis castum se gloria- Pro. 20.
tur habere cor, aut mundum se esse à peccatis? Si dixe- 1.Ioan.1.
rimus,quia peccatum nõ habemus,ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Ergo ista sunt debita, quia non est sine peccato, nec infans vnius diei natus super terram. Nam quomodo potest mundus esse de immundo conceptus semine? quia in iniquitatibus concepti Iob. 14.
sumus,& in delictis mater nostra in vtero nos aluit. Ex- Psal. 50.
inde contraximus peccata, non tantum originalia, sed & propria commissa. De ipsis debitis clamamus. Dimitte nobis debita nostra, & profitemur professionem periculosam,vt dicamus Deo, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:Ergo dimittis peccata peccanti in te,discute conscientiam tuam. Si sol non subiit cum iracundia tua, si maledicentẽ te non remaledixisti,si iniuriam passus nõ es comminatus: si ista fecisti,in errorem te non induxisti: nec enim Deũ fallere potuisti, qui est iudex conscientiæ tuæ. Ergo nõ aliqua debita attẽdenda sunt,sed peccata peccãtibus in se. Cõcludat Apostolus propositionem nostrã,ipse dixit,Nemini quicquam Rom.13.
debeatis,nisi vt inuicem diligatis. Ecce si diligendo dimisisti,vera erit confessio tua. Nam cõsidera alibi quid
Eccl.28. dicit,Homo homini seruat iram,& à Deo quærit medelam. Si vis ergo vt dimittãtur tibi à Deo,quæ cõmisisti, dimitte peccanti in te, ne si non dimiseris, dicatur tibi, Serue nequam & piger,omne debitum dimisi tibi, quia Matt.18.
rogasti me, & te non oportuit dimittere conseruo tuo? & eris non dimittendo inutilis seruus,& particeps pœnæ perpetuæ. Dimittite ergo de cordibus vestris fratri- Mar.11.
bus, vt dimittat vobis pater vester,qui est in cœlis. Vltima est ista orationis sententia, quam dicturi sumus: *Et ne patiaris induci nos in tentationem,sed libera nos à malo.* Quæ est ista tentatio, nisi illa, de qua rogat Apostolus, dicens: Fidelis est Deus,qui non vos patietur tentari su- 1.Cor.10.
prà quàm potestis ferre, sed faciet tentationem etiam cum

cum exitu, vt possitis sustinere? Tentatio grandis est, A
fratres charissimi, impatientem patientia vincere: non vinci à malo,sed vincere in bono malum:cibare inimicum, necessaria ei subministrare, orare pro illo magna tentatio,magna exagitatio est. Est alia tentatio hæreticorum, qui colloquio suo corrumpunt bonos mores. Est tentatio tertia, quando se transfert diabolus in angelum lucis, vt decipiat: vt per bonum operetur mortem, vt fiat supra modum peccator peccans per mandatum. Ista tentatio est, vbi est legis prohibitio, ibi est magna tentatio. Ideo ergo clamat Ecclesia, Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. Sed quia viribus nostris nullus potest ista implere, dicamus adiutori nostro, libera nos à malo. Quid est perfectum malum, nisi diabolus princeps huius mundi, & author operis mali? Cum ab ipso nos liberauerit, verè liberi crimus. Tenete orationem, vt non intretis in tentationem, & dicite voce illa angelica de vestra liberatione, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus B
Luc.2. bonæ voluntatis.

Ex cap. Matt. vj. feria iiij cinerum, homil. x.

INCERTO INTERPRETE.

IN *illo tempore,dixit Iesus discipulis suis:cum ieiunatis,nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Et reliqua. Sicut in superioribus præceptis, ita quoque circa ieiunij obseruationem ad perfectæ nos fidei meritum Dominus doctrinæ suæ mãdatis instituit, vt non propter humanam gloriam sicut hypocritæ tristes faciunt, sed propter futuram spem, soli Domino ieiunemus, à quo expectamus humilitatis huius deuotæ mercedem: verùm qui
Matt.9. ita ieiunant, vt magis hominibus, quàm Deo placeant habent quidem laborem de corporis afflictione,sed per inanem gloriam mercedem laboris apud Deũ habere non possunt: qui cum solummodo id causa religionis, C
ac fidei agere debeant,humanam potius laudis gloriam
Matt.6. quærere malunt,& ideo ait Dominus: *Amen dico vobis, perceperũt mercedem suam.* Et vnum quidem propositum videtur esse ieiunij, tam eius qui Deo tantum deuota mente ieiunat,quàm etiam illius qui ieiunans hominibus placere desiderat. Sed distat gratia ieiuantium, quamuis vtriusque simile propositum videatur. Atque idem ieiunij labor,non tamen idem fructus est, nec eadem retributio meritorum. Longè enim differt ille qui propter Deum ieiunat,ab eo qui propter homines ieiunare proponit:quod huic pro mercede laboris compẽsatio fit laudis humanæ, illi pro deuotione humilitatis meritum gloriæ in futuro seruatur. Sic quoque & orantium habitus, secundum propositum quidem non differre videtur,sed secundum animi fidem, & mentis affectum magna est distantia meritorum. Aliud est enim, vt superius dictum est, sub expectatione laudis orare, aliud ad hoc tantum orare,vt orationis suæ à Deo retri- D
butore expectẽt mercedem. Similis causa est circa omnem obseruantiam diuinæ religionis. Vnde non immeritò Dominus omne studium laudis,atque humanæ iactantiæ volens à nobis abesse,docet nos quemadmodũ ipsi religioso animo, ac deuota mẽte placeamus, dicẽs: *Vos autem cùm ieiunatis,vngite caput vestrum, & faciem vestrã lauate:* & reliqua. Vt,si fieri potest, opus religiosi ieiunij,& ipsius corporis atque animæ afflictionem vultus hilaritate velemus: cuius rei exempla etiam secundũ historiam præterito tempore legimus præostensa. Nam
Iudic. 9. & 13. sanctissima Iudith, cùm magno mœrore pro populo esset afflicta, post solemnitatem triduani ieiunij capite vncto,& lota facie, ita internæ afflictionis tristitiam te-

xit, vt simulato gaudio lætari hostibus videretur:ac sic dum lætitia vultus ieiunium texit,de hoste triumphum victoriæ reportauit. Similiter Hester sanctissima, dum Hester. 4. & 7.
lota facie,& capite vncto,post triduanum ieiunium intelligi à rege non potuit, Aman illum populi sui inimicum iniquissimum interemit. Quid de Daniele, ac de Dan. 1.
tribus pueris dicimus, qui in tanta abstinentia inter tot adolescentes, qui cibis regalibus pascebãtur,soli vultu cæteris gratiores inuenti sunt? Sed quia id secundum literam diximus,quid etiam secundum spiritalem intelligentiam sentiendum sit, videamus. In vnctione capitis, misericordiam significari cognoscimus. Vnde vngere caput proximo,est misericordiam facere: quæ misericordia in pauperem facta,refertur ad Deum,qui ca-
put viri secundum Apostolum intelligitur, ipso Domi- 1.Cor.11.
no dicẽte: Quandiu vni ex minimis meis fecistis, mihi Matt.25.
fecistis. In cuius misericordię vice, diuina retributione, velut quodam oleo cœlesti perfundimur,ab eo qui ait: Matt.5.
Beati misericordes,quoniã ipsis miserebitur Deus. Nouit hãc cœlestis olei in capite vnctionẽ etiã sanctus Da-
uid, cum dicit: Sicut vnguentũ quod descendit in bar- Psal.132.
bã. In facie verò lauãda, emundati corporis,ac synceræ conscientiæ puritas significata cognoscitur. Vnde lauare faciem,hoc est ab omni sorde peccatorũ,& squalore delicti faciem cordis nostri,& ipsam conscientiam mundam præferre, vt verè lætitiam cœlestis gaudij, & hilaritatem sancti Spiritus in nobis habere possimus. At sic fit, dum sub hac fidei deuotione Deo potius, quàm hominibus ieiunamus, à Deo qui occultorum est cognitor, accipimus retributionis mercedem. Hoc enim ait Dominus: *Ne pareatis hominibus ieiunantes:* & reliqua. Si ergo semper vis caput vnctum gerere,& mũdam faciem cordis habere,iuxta Domini dictum, insiste fideliter operibus misericordiæ,insiste deuotioni ieiunij,vt placere Domino merearis. Deinde ait: *Nolite,* inquit, *thesaurizare vobis thesauros in terra*: & reliqua. Prohibet nos Dominus in terra thesaurizare, vbi omnia infirma sunt & caduca. Contrarium est enim fidei ac saluti hos terrenos thesauros expetere,diuitias sęculi quærere, facultates mundi sectari, quas possunt & tineæ corrumpere, & ærugo absumere, & fures rapere, quas quicunque magis in terra thesaurizare voluerint, quàm in cœlo, thesauros illos æternæ & cœlestis vitæ habere non possunt, dicente ipso Domino: Quoniam dies difficilè intrabit in regnum cœlorum. Similiter Mat. 19.
& Apostolus: Nam qui volunt diuites effici,incidunt in 1.Tim.6.
tentationem, & muscipulam diaboli. Recordemur illius diuitis,qui omnem gloriam suam in sæculi thesauris, atque delitiarum suarum constituit: qui cùm propter affluentiam frugum, de ampliandis horreis cogi- Luc.12.
taret, atque animæ suæ delicias opum, & securitatem longæ vitæ promitteret: non dicam surripiente fure, hæc quæ congregauerat, perdidit, sed ipsam animam sub eadem nocte, qui thesaurizabat,amisit. Vnde non
Psal.38. immeritò Dauid ipse testatus est, dicens: Thesaurizat, Mat.10.
& ignorat cui cõgregabit ea. Cogitemus & illum adolescẽtem, qui cum propè omnia præcepta legis implesset, quia thesauros magis terrenos habuit, quàm cœlestes: vitæ æternæ thesaurum obtinere non potuit. Et idcirco bene Dauid ait: Diuitiæ si affluant, nolite cor ap- Psal.61.
ponere. Perire possunt, sed in cœlo reconde, vbi nulla aduersa dominantur, vbi fures non effodiunt, nec furantur, id est diabolus & angeli eius. Non tinea, nec ærugo exterminat, id est peccata quæ huic sæculo dominantur. Quemadmodum autem hunc thesaurum in cœlo reponere debeamus, ipse Dominus in euangelio manifestat,dicendo ad illum adolescẽtem: Vade,vende Mat.19.
omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis the-

Universidad de Deusto
Biblioteca

saurum in cœlo. Huiusmodi ergo thesauros, quia æterni sunt, & incorrupti, qui perire non possunt, per opera iustitiæ, per pietatis ac misericordiæ merita iubemur in cœlo recondere. In cœlo enim reconditur, quicquid secundum fidem Scripturæ, in vsum pauperum erogatur, dicente Scriptura: Qui dat pauperi, Deo fœneratur. Prou. 19. & Eccl. 29. Vnde & sub Apostolis credentes memores huius dominici præcepti, thesaurizasse sibi inuenimus in cœlo, qui venditis vniuersis rebus suis, terrenos thesauros ad regna cœlestia transtulerunt. Et ideo Matt. 6. addidit Dominus, dicens: Vbi fuerit thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Quia si in cœlo semper bonis operibus thesaurizamus, vbi omnis spes & salus nostra est, vbi nobis vita æterna reposita est: in terra licet positi, cor tamen in cœlo semper habemus. Verùm non potest cor in cœlo habere, qui cupiditate sæculi captus, thesaurizare sibi in terra maluerit. Meritò & sanctus Apostolus, etiam diuites sæculi quemadmodum hunc thesaurum cœlestem consequi possint, hortatur dicens: B 1. Tim. 6. Diuitibus huius sæculi præcipe non superbè sapere, neque ponere spem suam in incerto diuitiarum, sed in Deum viuum, qui præstat nobis abundanter omnia ad fruendum. Benefaciant, diuites sint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, thesaurizent sibi in futurum, vt apprehendant veram vitam, ab eo qui est author vitæ, & immortalitatis æternæ, cui laus & gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

Matt. 6. *De lectione euangelij, vbi dictum est: Nolite esse sicut hypocritæ pharisæi exterminantes facies suas, vt videantur ab hominibus ieiunantes, homilia xi.*

INCERTO INTERPRETE.

SERIES lectionis Euangelicæ nobis plurimum præstitit desiderium loquēdi de verbo sanctitatis, de sanctis admonitionibus, C de malorum moribus: vt & suos ædificaret, & inimicos exprobraret. Dicebat facta pharisæorum hypocritarum, & corde ficto adstantium: quomodo magis hominibus vellēt placere, quàm Deo. Increpabat illos, admonebat suos. Nam isti alieni à Christo, qui dicebantur hypocritæ & pharisæi, volebant videri ab hominibus, & non à Deo: receperunt meredem laudis humanæ, & nō vitæ æternæ. Nam isti stabant in plateis orantes, vt viderentur ab hominibus. Videte, quantus ibi fuit plausus cordis, delectatio laudis humanæ, superbiæ odiositas. Dixit enim quidam sapiens: In propria laude odiosa iactatio. Æquè dictum Pro. 27. Ioan. 5. est: Non te laudet os tuum, sed laudet te os proximi tui. Et ipse Dominus ostendens formam humilitatis, dixit: Si ego perhibeo testimonium de meipso, testimonium meum non est verum. Ergo isti stabant in plateis orantes, vt viderentur ab hominibus, etiam appetentes primos accubitus in cœnis. Tuba canebant, vt eleemosynas facerent. Quàm odiosum est, quàm peruersum est, D quàm fœdum, quàm inordinatum opus? Nolite imitari superbiam pharisaicam. Stabant ad orationem, sed non stabant. Si starent, humiles essent corde, non superbi. Multi stare se putant, qui cadere se nesciunt: nec ideo dolent casus suos, quod non videāt, quia cadunt. Multi putāt in malis operibus iustitiam se tenere, & simplex cor habere. Hodiéque sunt Christiani, qui nomen habent tantùm, opus non habent, qui propè talia agunt, qualia pharisæi. Appetunt laudes humanas, timent detractiones, gaudent lucris, contristantur damnis, mendacio numum acquirunt, impiè agunt, calūniosè multa rapiunt: nō iudicant neque viduæ, neque pupillis, sed magis opprimunt has personas: peregrinos contemnunt, nudos despiciunt, pauperes non intendunt. Isti quid spectant in futuro, nisi illam sententiam, de qua dixit dominus: Esuriui, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi bibere: nudus eram, & Matt. 25. non cooperuistis me: in tribulatione, & non estis me consolati: infirmus, & non visitastis: in carcere, & non veneristis? Isti tales vnam sententiam audituri sunt: Ite in ignem æternum, cuius non erit finis. Nam vide, scriptura sancta quid dicat: In mensura, qua mensi fueris: in eadem remetietur vobis. Æquè alio loco dicit Scriptura. Quod tibi fieri non vis: vide, alij ne feceris. Euangelium clamat, Quæ vultis vt faciant vobis homines, eadem & vos facite eis. In tantis sagittis testimoniorum, quale est cor durum, quod non doleat? In tantis compunctionibus, in tantis increpationibus clamat Dominus: nemo audit: Non tacent prophetæ, non tacent Apostoli in paginis sacris, non tacent sacerdotes in admonitionibus. Quid dicturi sunt tales in futuro? Nunquid excusabunt se de ignorantia? nunquid excusabunt se de negligentia sacordotum, de taciturnitate? Luc. 13. ibi solus fletus erit & stridor dentium. Quid facturi sumus, qui non possumus nocte surgere, facere eleemosynam, ne videamur ab hominibus? Interdiu potéstne fieri vt non videatur homo faciens eleemosynam? Tu te noli videri, & non te videt alius. Tu ad aucupandam laudem humanam hoc noli facere, & nullus te videt. Sed dic in corde tuo tempore suggestionis, tempore laudis humanæ, dic Deo tuo: Dedimus tibi de tuo: quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Nihil habemus, 1. Cor. 4. quod non acceperimus. Et si accepimus, quid gloriamur, quasi non acceperimus? Quod damus, ex donis tuis damus, non ex laboribus nostris. Ipse dedisti, vt demus. Nihil tunc agit inimicus, nisi fortè pulset cor Christianum, vt dicat: Nemo tali pietate plenus est. Iam magnum meritum habes ante Deum. Totum diuidis pauperibus, nihil tibi reseruas. Nudum vestis, egenum sine tecto inducis in domum tuam, esurientem cibas, sitientem potas, consolationem subministras tribulationem passo. Ista numerat in corde, ostentans falsa, vt vera subripiat. Sed econtrariò repellatur de corde talis suggestio: non ingrediatur in animam sanctam & Deo deditam, impugnetur, repudietur, repellatur: & dicatur, Quid retribuam Domino, pro Psal. 115. omnibus quæ retribuit mihi? Paucos dies hoc facio, & vitam æternam accipio. Pensa inimice dies meos, & vitam perpetuam, & vide si est comparatio ad hoc, quod finitur ad illam, quæ non finitur. Cum ista dixeris, tempore suggestionis, conculcatur inimicus, repellitur. Mouetur in corde pietas, merces acquiritur. Ante Deum peruenies illæsus, ingredieris in gloriam, intrabis in gaudium, requiesces cum angelis, videbis facie ad faciem Deum, sicuti est: dices in choro illo angelico, Hagios hagios hagios, sine cessatione: requiesces à laboribus, exultabis in sempiternum. Quis ad tantam promissionem non festinet? Quis ad tantum desiderium non applicetur? Quis in ista caduca vita remaneat segnis, cùm tanta sint munera Dei? Descende, vt ascendas. De cœlo descendit filius Dei, vt nos ascenderemus. Quātum se humiliauit vsque ad mortem crucis, vt totum acquireret mundum? Si ille hoc fecit indebitè: nos quare non reddimus debitum? Audite orantem prophetam & dicētem: Vouete & reddite Do- Psal. 75. mino Deo vestro. Reddite, quòd accepistis: accipite, quod non habetis. Quid est, quod dixit: reddite, quod habetis? Habes pietatem, fac pietatem. Habes numum, compara cœlum. Habes vestimentum, indue nudū vestimento. Das hospitium, accipies mansionem in cœlo. Vide si est comparatio. Das res corruptibiles, das temporales:

porales: accipis æternas. Das te dimissuras res, accipis A in æternum possidendas. *Tu autem cùm oras* (hoc sequitur euangelium) *intra in cubiculum tuum: & ostio clauso, ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Magna persuasio, magna doctrina, magnum lumen intelligentiæ. In cubiculum intras, & claritatem inuenis: taces, & audiris: gemis, & respiceris. Confiteris, & indulgentiam accipis: pulsas, & aperitur tibi: quæris, & inuenis. Cæterum quid significat, Intra in cubiculum tuum? Non intra parietes, sed in cubiculum cordis: ibi discute conscientiam tuam, ibi vide actus tuos. Considera vitam tuam, quid egisti in cogitationibus, quid in factis, quid in dictis, quid in cupiditatibus, quid in suggestionibus, quid in illusionibus, quid in phantasiis, quid in miseriis, quid in imaginationibus. Considera ista, intra in cubiculum tuum. Profer non nescienti, sed scienti, non lingua, sed gemitibus, & dic Psal. 37. Deo tuo: Ante te est omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Et ille, qui videt in B abscōdito, reddet tibi: non pro malo opere, sed pro credulitate, Eph. 6. sicut scriptum est: Si credideritis, & intelligetis. Istas sententias, quas in euangelio audiuimus, propitio Deo exponandas non tacuimus. Diximus, vt audiatis: clamauimus, vt compungamini: exposuimus, vt intelligatis. Nodos absoluimus, obscura illuminauimus, debitū reddidimus. Si audieritis nos, vos securi eritis. Si autem non audieritis, merces vestra vos manet. Damnatio non audientes subsequetur. Tenete pacem, tenete charitatem, habete humilitatem. Psallite, intelligite, spiritu & mente orate. A cogitatione terrena recedite, vt cum ista feceritis: non temporalem, sed æternam vitam inueniatis. Amen.

In illud Matthæi, Cauete à pseudoprophetis, homil. xij.

INCERTO INTERPRETE.

Matt. 7. OMNIBVS notum est clementissimi Dei C curam in hominis semper salute consistere: quippe qui semper monuerit, vt iudex: vt magister, docuerit: suos semper vt benignus instruxit. vnde nec patrem agnoscit, qui monita tanta contemnit: nec magistrum intelligit, qui documenta salubria negligit: nec ad Deum se pertinere cognoscit, qui eius benignas institutiones aspernatur ac respuit. Qui quidem contemptor ac perfidus dignè pro patre experietur vltorem: pro magistro, iudicem: sentiet pro benigno, censorem. Nec enim poterit excusari, cui nec paterna admonitio profuit, nec magistri doctrina perstitit, nec institutio diuina persuasit. Quapropter vt ingratus filius, vt contumax discipulus, & benignitatis tantæ alienus, cum profanis & externis iudicabitur. At contrà, qui patrem agnoscit, qui magistrum intelligit, qui benignum Deum salutari institutione perfenserit: obedientis filij, diuinæque benignitatis compos, munere æterno gaudebit. Quare si credi- D mus Deum prouidentem, & iustum, & prouidentis iussa seruemus, & iustitiam iudicis vereamur. Domini vox est: Cauete à pseudoprophetis, qui veniūt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Cauete, inquit, prophetas falsos, vt iubeo: cauete illos, qui interiorem sæuiciam innocentia vestitus occultant, qui ouium indumento contecti, quod profitentur, infamant: qui aliud docent, quàm faciunt: aliud agunt, quàm dicunt: aliud exhibent, quàm vocantur. Hi sunt, qui, quod execrantur, admittunt: qui quod prohibent, faciunt: & quod faciendo præcipiunt, operum simulatione dissoluunt: apud quos innocētia culpatur, & culpa pro innocentia ducitur: apud quos peccare iustum est, & iustitiam exercere nephandum: apud quos promereri delinquere est, & delicta admittere promereri est. Vbi certant facta cum dictis, dimicat doctrina cum factis: vbi alia sermonibus sonant, alia operatione confirmant: vbi studium nullum est, nisi vt innocentibus pœna, reis gloria tribuatur. Luporum genus quantò est omnibus bestiis inferius, tantò malitia & crudelitate deterius: quantò subtilius, tantò nocentius: quantò submissius, tantò peius. Et incessu humiles, sed actu nocentes: vestitu simplices, sed malitia sæuiores: aspectu mites, sed Lupo sæuior est hæreticus. immanitate crudeles. Et tamen lupi vigilante pastore, ouibus nocere non possunt: traditores verò nec ouibus, nec pastoribus parcunt. Quod uocantur, debellant: quòd profitentur, impugnant Christianos, quòd se esse nolunt, simulant, malitioſè infestant. Malunt enim dici, quod non sunt: vt in aliis damnent quod faciunt. Optant se crudeles existere: quia se non possunt innocentibus sociare. Nam si mihi scelestorum coniunctio nocere non posset, vel societas talium perniciem allatura non esset: detestaret eos, quos Domino execrabiles cernerem. Quia nunquam seruus cum inimico domini, impunè poterit habere consortium: nec miles cum imperatoris sui hoste, sine pœna potest inire cōsilium. Quiduis ex rerum natura sic se habet, vt quoties bonus malo coniungitur: non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur. Diuersitas enim rerum, nunquam potest habere consortium. Vt enim paria sui semper æqualitate iunguntur: ita contraria copulari non possunt. Amaritudo nunquam dulcedinem patitur, nec lux aliquando tenebris sociatur. Vt enim huiusmodi disparata, naturam sui conseruant: ita coniuncta amittunt, quod fuerant, dicente Domino. Non potest arbor bona fructus malos face- Matt. 7. re, neque arbor mala fructus bonos facere. Quare aut inserantur, si volunt salutares fructus afferre: aut secum soli remaneant, vt ariditates suas gehennæ ignibus dedant. Dominus suos persecutionem passuros prædixit. Beati, inquit, eritis cum persecuti vos fuerint. Si, qui Matt. 5. persecutionem patiuntur, beati sunt: qui faciunt, quid sunt? quare si persecutionem pateris, Christianus es: si persecutionem facis, inimicus & hostis. Et vnde frustra tibi Christianum nomē imponis, qui Christum in eius seruis persequeris? Affectas vocari, quod operum simulatione mentiris. Nomen tuum, Christianum sonat: sed facta Antichristum mōstrant. Sub nomine, nomen impugnas: sub lege, legem debellas. Persequeris fidem, quam te profiteri simulas: nec te iam in aliquo occultas, vt lateas: qui proditus es, quod latebas. Licuit Sodomis inter inquinatos & turpes, Loth sanctissimū habitare: Christianos verò cum traditoribus morari non licuit, Licuit Israëlitis in Ægypto legibus paternis insistere, quippe cùm nemo eos ad illicita, nemo ad prophana figmenta compulerit. Vbi enim nasci non licuit, ibi tamen vti diuinis legibus licuit. Helias sanctissimus 3. Reg. 17. viduæ ministerio pascitur: à traditoribus verò, Dei seruis victus pabula denegantur. Babylonia pueros conta- Dan. 1. minari suis cibis non patitur: at isti familias Dei sacrile- Ibid. 6. Et hoc in vos ô Lutherani lupi. gio contaminare nituntur. Danielem leones libenter hospitio susceperunt: & isti Dei seruos propriis hospitiis violenter excludunt: vt quantò in bestiis laudatur humanitas, tantò in istis crudelitas detestetur. Igitur magnum mihi compendium datum est, magna via ostensa, magna materia attributa. Ex fructibus, inquit, eorum cognoscitis eos. Spinæ, inquit, vuas non gene- Matt. 7. rant: tribuli ficus non faciūt. Actus sunt, qui hominum fructus ostendunt. Totum enim maliciæ est, quicquid in eo consistit: vt, quod est, celet: quod non sit, se esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

simulet: quem si intellexeris, vitas: quem si noueris, caues. Fur enim sic accedit, vt lateat: quoniam si agnitus fuerit, furari non poterit. Indicium enim mentis, operatio est hominis: quoniam factis ostenditur, quicquid cordis secreto concipitur. Tandiu enim latet, quod intra secreta viscerum conditur, quandiu factorum testimonio comprobetur. Adeò quicquid cogitatur, innocuum est, si careat effectu: licet cogitatio mala cogitanti iam obsit, etsi alij nocere non possit. Et tamen occultum non est, quicquid conscientia teste committitur: quia etsi alterius noticiam fallit, fallere tamen seipsum
Esa. 52. non poterit. Discedite, inquit, discedite inde: & exite de medio eorum, qui Domini vasa portatis. Discedite quotquot templum Dei iam estis. Discedite ne malorum consortio collatam vobis gratiã polluatis. Discedite, ne quod sanctificauit Christus, polluat diabolus: aut quod mundauit Deus, contaminet inimicus. Inuitate bonis actibus Deum, execramini in persecutoribus diabolum. Amet in vobis mẽtis mundiciam Chri- B stus. Puritatem cordis, cùm in vobis viderit, gratuletur omnipotens Deus. Vt possitis accipere, quod promittitur: facite quodcunque iubetur.

Dominica xviij. post Pentecosten, homilia xiij.

INCERTO INTERPRETE.

Matth. 9. IN *illo tempore, ascendens Iesus in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatẽ suam.* Christum in humanis actibus diuina gessisse mysteria, & in rebus visibilibus inuisibilia exercuisse negocia, lectio hodierna monstrauit. Ascendit, inquit, in nauiculam, & transfretauit, & venit in ciuitatem suam. Nónne ipse est qui fugatis
Exod. 14. Matt. 14. fluctibus maris profunda nudauit, vt Israëliticus populus inter stupentes vndas sicco vestigio velut montium concaua transiret? Nónne hic est qui Petri pedibus marinos vortices inclinauit, vt iter liquidum humanis C gressibus solidum præberet obsequium? Et quid est quòd ipse sibi sic maris denegat seruitutem, vt breui laci transitum sub mercede nautica transfretaret? Ascendit, inquit, in nauiculam, & transfretauit. Et quid mirum fratres? Christus venit suscipere infirmitates nostras, & sua nobis conferre remedia sanitatis: quia medicus qui non infert sanitatem, curare nescit: & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem. Christus ergo si in suis mansisset virtutibus, commune cum hominibus nihil haberet: & si non implesset carnis ordinem, carnis in illo esset ociosa susceptio. Sustinuit ergo has necessitates, vt homo verus humanis necessitatibus probaretur. Ascendit in nauiculam Christus, Ecclesiæ nauem, sæculi fluctus semper mitigaturus ascendit, vt credentes in se ad cœlestem patriam tranquilla nauigatione perducat, & municipes ciuitatis suæ faciat, quos humanitatis suæ fecit esse consortes. Non ergo naui Chri- D stus indiget, sed nauis indiget Christo: quia sine cœlesti gubernatore nauis Ecclesiæ per mundanum pelagus, & per talia & tanta discrimina ad cœlestem portum non valet peruenire. Hæc diximus fratres, quantum ad intelligentiam spiritalem, verùm ipsius historiæ ordinem prosequamur. Ascendit, inquit, in nauiculam, & transfretauit, & venit in ciuitatem suam. Creator omnium Deus postquam se propter nos nostra angustauit in carne, cœpit habere humanam patriam, cœpit ciuitatis Iudaicæ esse ciuis: parentes habere cœpit, parentum omnium ipse parens, vt inuitaret amor, attraheret charitas, vinceret affectio, suaderet humanitas, quos fugarat dominatio, metus dispersérat, & fécerat ius potestatis extortes. *Venit in ciuitatem suam, & obtulerunt ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns,* inquit, *Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, dimittũtur tibi peccata tua.* Audiuit veniam, & Matt. 9. Mar. 12. & Luc. 5. tacet paralyticus, nec ad illam respondit gratiam: quia plus ad corporis quàm animæ tendebat curam, & temporales ærumnas resoluta corporis compage sic deflebat, vt æternas pœnas resolutionis animæ non defleret, gratiorem sibi præsentem vitam iudicans, quàm futuram. Meritò Christus offerentium fidem respicit, & vecordiam respicit sic iacentis, vt fidei alienæ suffragio, paralytici anima antè curaretur, quàm corpus. Respiciens, inquit, fidem illorum. Cernitis in hoc loco fratres, Deum non quærere insipientum hominum voluntates, non expectare ignorantium fidem, nec infirmi stulta desideria perscrutari, sed ob alterius fidem subuenire.

De conuersione Matthæi, homil. xiiij.

INCERTO INTERPRÈTE.

MVLTÆ tempestates, inquietudo aëris, sed Matth. 1. desiderium concursus vestri potuit non impediri. multæ tentationes, sed laborem vestrum non dissolucrunt. Non cessat impugnari Ecclesia, non cessat insidias pati, sed in nomine Christi semper superat, semper vincit. Et quantùm alij insidiantur, tantùm ista dilatatur. Et fluctus quidem illiduntur, sed fundamentum, quod supra petram est, non quassatur. Per diem doctrina, in nocte vigiliæ. Labor vester non quærit requiem, sed coronam. Nox contra diem certat. Ibi congregatio, & hic collectio: nox per plateas Ecclesiam operata est, desiderium vestrum igne vehementius est. Non indigetis exhortatione, non quæritis monitorem: sponte properatis, voluntariè concurritis. Quis non stupeat? quis non miretur? Non solùm qui erant, perseuerarunt: sed qui non erant, adiuncti sunt. Talia quippe tentationis lucra consuerunt. Sicuti enim pluuia in terram descendens eleuat semina, sic & tribulatio animam intrans erigit desiderium. Sermo enim Dei est immobilis, quia portæ inferi non prævalebunt aduer- Matt. 16. sus eam. qui impugnat, seipsum dissoluit, & fatigat, Ecclesiam autem fortiorem ostendit: qui aduersatur, virtutem suam destruit, nobis verò per patientiam coronas operatur. Iob & ante tentationes præcipuus erat, sed postea melior apparuit, nec tantum bonus erat, sed cùm illæsum haberet corpus, sed multò melior ostensus est, cum ex corpore vermes, & sanies defluebat. Nunquam formides tentationẽ: si animam præparatam habes, non nocebit tribulatio, quia tolerantiam operabitur. Sicut enim aurum in camino non lædit, sic nec stabilem animam tribulatio non nocebit. Quid operatur caminus? aurum mundat. Quid operatur tribulatio? tolerantiam, ampliorem que patientiam. Abscindit enim desidiam, & coadunat animam, & sobriorem reddit. Vbi sunt nunc qui tribulant? Nusquam comparent. Plateas circumeo, & neminem illorum video. Folia erant, & vento flante dispersa sunt: paleæ erant, & aspirante aura raptæ sunt, & purum remãsit triticum: plumbum erant, & liquefactum est, & aurum ramansit purissimum. Quis eos pepulit? quis proturbauit? Nullus hominum, sed propria conscientia præliante. post peccatum quippe senserunt quid fecerint. Nam & in Cain Gen. 4. quando cogitabat interficere fratrem suum, ardebat animus: cùm autem consummauit fratricidium, gemens & tremens erat super terram. Quòd si conatus horum effectum non habuit, attamen voluntas in crimine

mine est: & quantùm ad malignitatem illorum, homi- A cidia perpetrarunt, sed nobis propter Dei clementiam vita concessa est. Hæc dico voluntatis vestræ desi-
Matt. 16. derium arguens, vt nunquam paueatis tentationes. Petra es, ne timeas fluctus. Super hanc petram, inquit, ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Quanuis deforis moueant bella, & deintus timorem incutiant, nauẽ Iesu submergere non possunt. Sed vt non omne tempus in illorum crimina expendamus, tradentes eos tortori cõscientiæ ipsorum, tanquam carnifici gula liuoris pulsante, vt corruant in desideriis suis, & fugiant nemine persequẽte: redeamus ad consuetum studium, & debitam apponamus mensam. Nec enim iustum est omne tempus ad inimicorum crimina occupare, & filios esurientes relinquere. Hesterna igitur die beatus nobis Paulus epulum præparauit, hodie sanctus Matthæus. Heri blasphemus, hodie raptor: heri persecutor, hodie fraudator. Sed blaB sphemus non permansit blasphemus, sed factus est apostolus. Et fraudator non permansit raptor, sed euangelista factus est. Dico & priorem conuersationem, dico & posteriorem immutationis virtutem, vt perdiscas quanta sit conuersationis vtilitas, vt & tu non desperes de tua salute. Doctores enim & tunc cùm essent peccatores, manifesti erant, & nunc blasphemus principium malignitatum. Quid enim est aliud telonium, nisi legitima rapacitas, violenta fiducia, iustitiæ legem habens patrocinante rapina? Latro deprehensus confunditur, iste rapiens fiducialiter agit. Sed hic talis & tantus publicanus, at subitò Euangelista apparuit. Sed forsitan addiscere cupis quemadmodum, & qua arte.
Matt. 9. Transiens, inquit, Iesus, vidit Matthæum sedentem in telonio, & dixit ei: Sequere me. O virtus sermonis. Quasi quiddam intro vt hamus, & captiuum militem fecit, & ex luto aurum operatus est. Venit vncinus, & statim exurgens secutus est eum. In profundo malignitatis erat, & vsque ad verticem virtutis conscendit, vt C nobis ostenderet neminem debere desperare salutem, quia naturalis malignitas non est. Liberi quippe arbitrij nos creauit Deus, vt voluntate nostra cum adiutorio Dei quod volumus faciamus. Si publicanus es, potes fieri euangelista: si blasphemus es, potes fieri apostolus: si latro es, poteris paradisi colonus effici: si magus es, poteris Dominum adorare. Nec est vlla malitia, quæ pœnitentia non soluatur. Et ideo tanquam principia malignitatum elegit Christus, vt nemo vsque in finem semetipsum despiciat. Noli mihi dicere, perij, qui iam medicum habes fortiorem te, & potentiorem, quàm infirmitas tua est. Medicum habes, voluntatem tuam, si volueris, emendantem, & potentem, & cupientem. Cùm enim non subsisteres, fecit te: & quia peruersus effectus es, multò magis emundare te poterit. Accepit enim limum terræ & plasmauit hominem. Dicito mihi, si nosti quomodo de terra carnem fecerit, quomodo neruos, quomodo ossa, quo- D modo cutem, quomodo venas, quomodo oculos, quomodo palpebras, quomodo odoratum, quomodo linguam, quomodo pectus, quomodo manus, quomodo pedes, quomodo viscera, quomodo singula membra: nónne terra erat quod iacebat? nónne vna substantia? Et introiit artificis virtus, & variam operatus est creaturam. Nunquidnam poteris dicere, quo genere curantur vulnera tua? Vt enim ignis cùm in vepres, aut spinas immissus fuerit, concremat, & comburit fragilem materiam: sic multò magis voluntas Dei nostra delet & expellit peccata, & radicitus auulsa consumit. Sed forsitan dicis: Quomodo poterit peccator similis esse sanctis? Noli requirere qua arte, noli scrutari ratione, sed crede clementiæ, & benignitati diuinæ. Sed dicis: Grandia sunt peccata mea, & immensa scelera. Et quis est sine peccato? Sed ego, inquit, pessimus, & super omnem hominem. Sufficit tibi ad placandum Deum peccare desinere, & benefacere. Dic tu, inquit, Esa. 43. prior iniquitates tuas, vt iustificeris. Recognosce, quia peccasti: & si agnoueris, initium correctionis factum est tibi: suspira, molestus esto, effunde lachrymas. Nec enim aliud quid effudit meretrix illa, sed lachrymans pœnitentiam sociauit, & ipsa comite peruenit ad fontem.

In decollatione sancti Ioannis Baptistæ, vbi tractatur de muliere mala, homil. xv.

INCERTO INTERPRETE.

HEV me quid agam? vnde sermonis exordium faciam? quid dicã? vel quid taceam? Non enim ego tantùm in stupore mentis Matt. 14. & Mar. 6. factus sum, sed omnes qui audierũt euangelij vocem, & mirantur mecum vel Ioannis constantiam, vel Herodis leuitatem, vel impiarum mulierum feruidam demẽtiam. Quid enim audiuimus? Herodes, inquit, apprehensum Ioannem posuit in custodia. Quamobrem? propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui. Et reprehendam forsitan leuitatem Herodis à miserrimis mulieribus inductam. quid enim quis dicat, & quomodo quis enarret mulierum illarum crudelem maliciam? Et quidem ego existimo nullam esse in hoc mundo bestiam comparabilem mulieri malæ. Sed nunc mihi de muliere mala sermo est, non de bona & honesta: noui enim multas bonas & honestas in omne opus bonum prõptas, quarum me vitam commemorare oportet ad ædificationem audientium, & ad honorem bonarum excitandum in mentibus singulorum. nulla ergo in hoc mundo bestia similis est mulieri malæ. Quid inter quadrupedia animalia leone fæuius? sed nihil ad hanc. Aut in serpentibus quid draconе atrocius? sed ne hoc quidem iuxta mulierem malam, & linguosam conferri potest. Nam & leo & draco in malo inferiores sunt: testificatur huic sermoni meo sapientissimus Salomon, dicens: Cohabitare leoni & Eccl. 25. draconi melius est, quàm cum muliere mala & linguosa. Et ne putes prophetam in ironia hoc dixisse, ex ipsis rebus disce manifestius. Danielem leones in lacu reue- Dan. 14. 3. Reg. 11. Ionæ 2. riti sunt, iustum verò illum Nabutem Iezabel interfecit. Cetus Ionam in ventre custodiuit, Dalida autem Iudi. 16. Samson circumuentum illecebris, raso etiam capite deformatum alienigenis tradidit. Dracones & aspides & cornutæ Ioannem Baptistam in deserto viuentem subdita feritate tremuerunt, Herodias verò ei- Matt. 3. dem caput abscidit, & tanti viri mortem in precium saltationis accepit. Heliam corui in monte pauerunt, 3. Reg. 17. & Iezabel eum post illam redditæ per ipsum terris pluuiæ gratiam persequebatur, vt pœnam mortis ei redderet, cuius orationibus depulsa generis humani fame, & ipsa licet indigna viuebat. Quid enim dixit post illud admirabile beneficium? Si tu es Helias, & ego Ibid. 19. sum Iesabel: hæc mihi faciant dij, & hæc apponant, nisi crastina hac hora ponam animam tuam, sicut vnius eorum qui interfecti sunt. Et timuit Helias, & abiit secundùm animam suam: & perrexit in desertum viam quadraginta dierum, & cœpit quasi tædians in defectione animi postulare vt moreretur, & dixit: Ibidem. Domine Deus sufficiat, iam accipe animam meam, quia non sum ego melior super patres meos. Væ mihi, quid ad hoc dicat ille tantus propheta? Timuit mulierem, qui totius mundi statum, & cœli pluuiam, agri

Universidad de Deusto
Biblioteca

speciem in linguæ potestate portauerat: qui ignem è cœlo eduxerat, & per virtutem orationis mortuos suscitauerat, hic timuit mulierem, timuit inquam. Nulla enim malicia æmulari potest mulierem malam. Attestatur iterum huic verbo meo, sapientissimus Salomon, Quia non est caput super caput serpentis, & non est malicia super maliciam mulieris. O malum summum, & acutissimum diaboli telum mulier. Per mulierē Adam in paradiso prostrauit, & de paradiso exterminauit. Per mulierem mitissimum illum Dauid vt necem militis sui innocentis Vriæ Ethei in epistola dolo mandaret, armauit. Per mulierem sapientissimum Salomonem in præuaricationis sacrilegium præcipitauit. Per mulierem fortissimum Samson rasum inductum, rasumque cæcauit: vt virtute crinili & decoris oculis spoliatus, ludibrio foret hostibus, quibus fuerat ante terrori, cum his captiuus molit, quibus dominabatur inuictus. Per mulierem castissimum Ioseph vinculis alligatum detrusit in carcerem. Per mulierem illum totius mundi lucernam Ioannem capite truncauit. Et quid dicam de hominibus? Per mulierem angelos è cœlo deposuit, id est, homines sanctos, qui ad cœlum pergebant: per mulierem cuncta omnino prosternit & iugulat, omnes interficit, omnes elidit, repletos ignominia & honore vacuatos. Mulier enim impudens nemini parcit, non leuitam honorat, non sacerdotem reueretur, non prophetæ defert. O malum omni malo peius mulier mala, siue illa pauper sit, siue diues, duplex malum est. Si habeat facultates maliciæ suæ cooperantes, duplex malum, intolerabilis vipera, immedicabile venenum. Scio ego & aspides blandimentis incantantium mitigari, & leones, & tygres, & pardos domita feritate mansuescere. Mulier mala etsi iniuriam patitur, etsi honorem accipiat, extollitur: hæc si potentis alicuius vxor sit, non cessat die ac nocte virum suum callidis stimulare sermonibus, blanda nequiter, & importuna violenter, donec mentem extrudat, vt similem sibi faciat maritum: improbis malè suadet consiliis, sicut Herodias fecit Herodi. Si verò pauperem virum habeat, ipsum quoque ad iracundias & rixas incitare non desinit. Et si vidua sit, ipsa per semetipsam omnes passim despicit, ad omnem audaciam spiritu superbiæ inflatur. Timore enim Dei non refrænat linguam suam, nec in futurum iudicium prospicit, neque ad Deum attendit, non amicitiæ iura seruare, non religionis fidem nouit vereri. Nihil est ei virum suum tradere ad mortem. Denique iustum illum Iob mulier sua ad mortem tradebat, dicens ei, Dic verbum in Domino, & morere. O malignitas ineffabilis, voluntas impia, non est miserata viro suo, cum videret omnia eius membra atque vitalia vlceribus ignitis ardentia, carnes eius inuolutas, non inflexa est ad misericordiam: videns eum totum doloribus inuolui, & duris cruciatibus cōstrictum agone funereo dimicare, & vlulatu lachrymabili dolores suos ab intentione laterum tabidorum expressis vocibus decantare: non mitigata est affectione mentis vxoris, cùm illum quem regali quondam purpura, amictum viderat, tunc cum in aggere stercoris nudato corpore iacentem videret, non recordata est pristinæ cum eo consuetudinis suæ, neque quāta per ipsum gloria in diuitiis & honoribus floruisset, sed oblita omniū bonorum, quid ait? Dic verbum ad Dominum, & morere. O gratia coniugalis, ô malagma doloribus leniendis accomodatum, ô charitatis vnanimæ constans fides. Dic mihi mulier, putásne cum quia si te in simili tribulatione positam ille vidisset, tale ad te verbum potuisset emittere, & non orationibus & benefactis passionem tuam absterfisset? Non sufficiebat illi temporalis castigatio, nisi tu doloribus & vulneribus eius grauior extiteris, quæ sempiternam illi blasphemiæ peccato adduxeris pœnam. An ignoras quòd omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: in Spiritu autem sancto blasphemanti non remittitur, neque in isto sæculo, neque in futuro? Vis videre & aliam huius maliciæ parem? Da mihi Dalidam. Nam & ipsa fortissimum illum Samson virum suum nouacula rasum, & vinctum Allophylis hostibus in prædam, & ludibrium tradidit: illum cubilis sui coniugem, cui mollissimè blandiebatur, cui simpliciter adulabatur, quem seipsa chariorem habere existimabatur, quem hesterno die vt inimica decepit, quem paulò antè callidis malè blanda palpabat illecebris, velut diligens, hunc paulò post morti tradebat, inducens. Et quid dicemus? Quibus odiorum causis displicuerat vxori? Fortè non erat speciosus. Et quis eo pulchrior sub illo tempore videbatur, qui septem crines sacrato vertice in septiformis gratiæ imaginem præferebat? An verò non erat fortis, & contemptu ignauiæ spernebatur? Et quis illo fortior, qui leonem terribilem vianti sibi obuium solus & inermis iniectis manibus strangulauit, & (vt scriptum est) sicut hædum caprarum discerpsit? Et qui vna die vetustis ossibus asini cadaueris arente maxilla Allophylos mille prostrauit: sed præterea & sanctus erat, atque intantum sanctus, vt cùm sitisset post laborem pugnæ, in loco sicco deprecatus in defectu animæ suæ Dominum, statim ex ipsa maxilla, quam in manu tenebat erumpente aqua biberit, atque inde sitis æstum ex eodē mortui pecoris osse quo vicerat, refectus extinxerit. Et hunc tantum, & talem virum & pulchritudine, & virtute, & sanctitate, vxor sua sicut inimicum decipiens, alligans Allophylis tradidit. Vnde illa mulier illi tam forti viro preualuit? vnde nisi ingenita illi simplicitate bonitatis, & suæ maliciæ calliditate? non solùm enim curiosa, sed & subdola irrepsit in præcordia mariti simplicis, & importunis obsecrationibus, atque illecebrosis blandiciis fatigatum, arcano illo virtutis suæ *martyrio spoliauit, atque ita derasis crinibus virtute nudatum funditus euertit: vt quem multa millia hostium armata non vicerant & ab inermi prostrata corruerant, hunc vna muliercula sine armis dolo maliciæ armata cōuicerit. Propterea hoc annunciat tibi propheta, & dicit, A coniuge tua custodite, ne manifestes ei cor tuum. Dic enim mihi quæ bestia contra masculum suum talia aliquando meditata est? Quæ dracæna vult masculum perdere? Vel quæ leæna marem suum iugulandum tradidit? Vides ergo quia aptè dixit Sapientia, Quoniam non est caput super caput serpentis, & non est malicia super maliciam mulieris. Et ideo quisquis habet mulierem malam, cognoscat quoniam iniquitatum suarum portat mercedem: non caret testimonio veritatis. Audi denuo Sapientiam dicentem, Mulieri malæ & iniquæ portio dabitur pro operibus malis. Sed hactenus mihi de muliere mala sermo habitus hîc habeat finem: oportet enim nunc vicissim commemorare & bonas, maximè propter eas quæ adsunt: bonæ enim fœminæ bonarum virtutes sicut proprias intuentur, & illarum castos labores, suas esse coronas existimant. Mulier bona & hospitalis beata Sunamitis, quæ virum suum deprecata, mansionem ædificauit Helisæo, vt præteriens & diuertens ad eos, quod facere consueuerat, secretum haberet refectionis locum: posuit ergo ei lecticam, vt Scriptura declarat, & lucernam & mensam. Lectum verò non vtique vacuum tegumentis, sed habentem competentia strato indumenta. Et lucernam non sine oleo, sed cum stuppa & oleo habentem lumen. Et mensam

4.Reg.1. 3.Reg.17. Eccl.25. Gen.3. 2.Reg.11. 3.Reg.11. Iudi.16. Gen.29. Mar.6. Mar.6. Iob.2. Matt.12. Iudi.16. Ibid.14. Ibid.15. Ibidem. forte mysterio. Eccl.25. Ibidem. 4.Reg.4.

mensam non sine panibus, sed ornatam cibis necessariis. Quid autem? Dignè dicimus & beatam illam viduam, quę susceperit prophetam Heliam, quam in nullo impediuit rerum inopia, diuitem bona voluntate, cui non erat neque frumentum, neque vinum, neque pulmentarium, neque aliud vllum terrestris alimoniæ genus ad paupertatis exhaustæ consolationem. Non ager illi frugifer semen panis præbebat, non vinea prædulci fluentibus vuam racemis de vite vberem ministrabat, non arbor fructum pomi suauissimum ramis fœlicibus afferebat: non ei palmo terræ ad arandum locus proprius erat, neque vel cubiti spatium administiculabatur: sed semper in tempore messis procedens in campos, & lento incuruata progressu raræ segetis absciss̄æ reliquias scrutabatur, & residuas vel caducas progressis messoribus spicas, breui gremio colligebat, in quo velut dimissa sibi æstimatione numeratam pro anni spacio reponebat annonam. Ad hanc igitur venit Helias in tempore famis, quando totus in defectu, siccitate pluuiarum penè aruerat mundus, & inopia ingenti tabefactis animantibus victum negabat: quando cœlum æstiuo igne exaruerat, terra & crassus aër nebulosis vaporibus caligabat, subductisque imbribus nubila refrenata pendebant: quando non herbæ, non flores, neque vlla germina pullulabant: quando flumina tenuata hyemis algore, aluei breuitas agebat, & fontium vberatos riuos sol diuturno ardore restinxerat. Tunc ergo Helias vir cui totus erat mundus inferior, ad illam inopem viduam venit. Nostis Fratres solitas viduarum angustias, & omissis propheta diuitibus, qui etiam in tempore famis solent panibus abundare, descendens à monte ad istam pauperem venit. Quare ergo vir ille, qui in verbo ignem de cœlo eduxerat, non similiter ipse sibi panes deposuit? Nunquid non poterat? vtique poterat. Sed non hoc facit, ne præparata ad bonum opus vidua hospitalitatis mercedibus priuaretur, vt & illam modicum pugillum farinæ, & stillicidium olei more prophetæ susceptī viduæ domus multiplicata benedictione rependeret: non enim pro sua tantum requie ad eam missus est propheta, vt ab inope pasceretur: quantum vt egentem pasceret, & vt manifestaret occultum in corde bonæ illius voluntatis affectum. Hoc fecit etiam ipse Dominus, qui potest omnes sanctos suos, qui sunt in hoc mundo per semetipsum sufficienter alere, continet tamen manum suam ab impendio ministrandi, vt ad bonum promptas mentes in tempore necessitatis de fructibus humanitatis ostendat, & animarum affectiones operum qualitate discernat. Quòd si non fuerint digni, aut volentes, qui sanctos Dei suscipiant, tunc eos Dominus, aut sicut Heliam per aues pascit in monte secretum, aut per prophetam aliunde transmissum, sicut Danielem in lacu leonum: aut per maritimum animal, sicut Ionam per cetum: aut ipse per semetipsum Deus pastor alimenta præstat, sicut patribus nostris in deserto. Cum enim non essent in solitudine, qui susciperent filios Israël, de cœlo manna esurientibus Dominus ministrabat, & de petra aquam sitientibus educebat: cum ergo in hoc mundo iusti & iniusti permixti versantur, nunc interim sanctos suos tribulationem & inopiam adeò ferre permittit: quatenus volentibus opera pietatis & humanitatis exercere, gratiam non abneget Dominus, & sibi per præsentia, & terrena beneficia thesaurizent sibi æterna & cœlestia. Abiit ergo beatus Helias ad illam viduam præsentibus facultatibus inopem, non amplius quàm pugillum farinæ habentem. Quo sumpto, esset sine dubio fame cogente cum filiis suis moritura: ad quam ait propheta, Affer mihi, vt bibam modicum aquæ in vasculo. At illa mox abeunte post tergum eius iterum clamans, ait, Affer mihi & panem in manu tua. Illa simpliciter quod habebat confessa est, dicens, Viuit Dominus, si est in repositione, nisi hoc modicum farinæ, & exiguum olei. O rem laudabilem, quòd in tanta escarū penuria ipsum modicum, quod ei residuum erat, non denegauit: ô detestanda & insatiabilis hominum auaritia. Quanti verò nunc, qui aurum & argentum velut lutum habent: cum rogantur, vt indigētibus opem præstent, vel ad tempus pro necessitate commodent, renuunt, & non habere se iurant: aut si quando per multas obsecrationes flectantur, vt præstent, scripturas & cautiones ordinant, & præiudicia quædam ferro duriora confingunt. Et illis mutuantibus manum primum callidis conscriptionibus libant, insuper fideiussores, & interuentores fœnoris commodati accipiunt. Illa autem paupercula nostra ab vna voce quod postulata est, habere non negauit, palmulam illam farinæ. Et quid ad illam propheta respondit? Festina inquit, & fac subcinericium panem, primùm mihi, & postea tibi & filiis tuis. Tentatio erat verbum prophetæ, probatio cordis, examinatio voluntatis. Et erat sicut in libra positum prophetæ, & beatæ viduæ cor. Quod in prophetici sermonis imperio, quasi quæstionis tormentorum interrogabatur, & anceps in vtrinque pendebat, qua vrget voluntatem, si sibi potius & filiis consuleret, an prophetæ imperio obediret. Verùm illa elegit se potius, & filios suos angustare, quam Dei prophetam renuere, atque illi potius de inopiæ suæ residua refectione parare. Et illa quidem necdum Christum loquentem, vt nos monentem, audierat, ita dicentem, Qui susceperit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: &, Qui potauerit sitientem calice aquæ frigidæ in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Quid est autem quod propheta ait, festina? nunquid tantum esuriebat, vt indifferenter festinatione mulieris indigeret? Non vtique. Sed doceri illam voluit prompto animo; & feruenti spiritu, & hilarem, & manu paratā ad boni operis effectum, non ex tristicia, & tanquam ex necessitate præbentem. Hilarem enim datorem diligit Deus. Festina, inquit, & fac primùm mihi. Sicut Abraham in angelorum aduentu ad boues festinauit, & vitulum ad eorum prandium detulit: & sicut Sara festinauit ad panes subcinericios faciendos, vt acciperet illum in cœlis absconditum panem: festina, & fac sicut Abraham hostias Deo. Non primùm tibi, & postea mihi: non sicut Cain & Ophni & Phinees, filij Heli sacerdotis: qui despiciebant honorem Dei, primum sibi sacrificiorum primitias eligentes ex omnibus donis, quæ Deo offerebantur. Illa ergo vidua quod imperatum est ei à propheta, festinanter effecit, & fructum suum festinanter impleuit, prouidens locupletem esse fructum operantibus in Deo repositum. Propheta verò præparationem viduæ susceperit, gustauit, locutus est, & domum eius omnibus bonis repleuit. Hæc, inquit, dicit Spiritus sanctus, Non deficiet farina hydriæ, & oleum de capsace, donec det Dominus pluuiam super terram. Et quare vsq; illud temporis finem benedictionis dedit? Necessariò vtique. Oportebat enim nouam gratiam sicut pluuiam superuenire in terram, & veterē legem accipere terminum: & consequens est opus verbo. Videtis ergo quomodo hospitalitatis mercedes benedicta vidua consequenter recepit. Bonorum enim laborum fructus glorioſus est apud Deum, & inconcussa radix prudentiæ. Audistis ô mulieres malarum mulierum pessimos actus, & bonarum glorioſos triumphos: illarum ergo facino-

Ibidem. Mar.10. Ibidem. 2.Cor.9. 3.Reg.17. Gen.18. Ibidem. 3.Reg.17. 1.Reg.17. Dan.14. Ionæ 2. 3.Reg.17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta calcate, harum verò exempla sectaminiillas execra- A
mini, has verò imitamini: vt cum sanctarū fœminarum
cursum, & vestigia consecutæ fueritis, in earum choro
atque consortio pari gratia annumerari mereamini,
gaudentes & lætantes semper cum Christo Iesu, cui
honor & gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

Mat. 14. *EIVSDEM IN DECOLLATIONE SANCTI Ioannis Baptistæ, in illud Matth. Herodes tenuit Ioannem, & alligauit eum.*

HOMILIA XVI.

HODIE nobis Ioannis virtus, Herodis feritas cùm refertur, confusa sunt viscera, corda tremuerunt, caligauit visus, hebuit intellectus, aufugit auditus. Aut quid constat in sensibus humanis, quando perdit virtutum magnitudinem, criminum magnitudo? *Herodes*, inquit, *tenuit Ioannem, & alligans posuit eum in carcerem.* Ioannes schola virtutum, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma iustitiæ virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina. Iannes maior homine, par angelis, legis summa, Euangelij satio, Apostolorum vox, filétium prophetarum, lucerna mundi, præcursor iudicis, Christi metator, Domini testis, totius medius Trinitatis: & hic tantus datur incestui, traditur adulteræ, addicitur saltatrici. Meritò ergo confusa sunt viscera, corda tremuerunt. At verò Herodes profanauit templum, sacerdotium sustulit, confudit ordinem, temerauit regnum, corrupit quicquid erat religionis, quod legis, quod. vitæ, quod morum, quod fidei, quod disciplinæ perdidit & confudit. Herodes sicarius in ciues, in nobiles latro, in socios populator, in domesticos prædo, plebis interemptor, occisor filiorum, in extraneos homicida, in proprios parricida, inebrians terram cruore, in siti sanguinis permanebat. Hinc est quòd Ioannis sanguinem pium in poculo crudelitatis absoluit. Sed ista lectio iam loquatur: *Herodes*, inquit, *tenuit Ioannem, & alligauit eum.* Qui vincula soluerat peccatorum, peccatoris vinculis alligatur, vt vincta venia locū venię non relinquat. *Aligauit eum, & posuit in carcerem.* Herodes tu adulterium facis, & in carcerem vadit Ioannes? Sic iudicat sedens in loco iudicis reus, in loco vindicis, innocentię persecutor. Rogo vbi rerum facies, vbi forma, vbi pudor, vbi existimatio publici cognitoris? Vbi Deus, vbi homo, vbi fas, vbi lex, vbi ipsius iura naturæ? Simul omnia sunt Herodes te agente, te iudicante, te viuente confusa. *Tenuit*, inquit, *Ioannem, & alligans posuit eum in carcerem.* Herodes te petit causa, te arguunt vincula, te carcer accusat, te diuulgat producta in publicum pœna. Ioannes iniuriatur, causam custodiæ qui requirit, in te inuenit quod puniat, & in Ioanne quod doleat. Ioannes orbi notus, D
famæ virtute cognitus, celebratissimus sanctitate, dum attrahit ad se inquisitores iniuriæ, facit vt tuus cunctis innotescat incestus: agit vt te habeat confusio publica, quem corrigere non valuit secreta correptio, & priuata. Herodem Ioannes monitis non accusatione pulsauit, vtpote amator castitatis, quem corrigere voluit, non perire. Sed Herodes facibus libidinis ardens, perire maluit, quam redire, & vxorem fratris illicitè possidere, & placere captiuis criminū, innocentiæ inimicis. Odiosa fit semper libertas. Nam virtus contraria vitiosis, sacrilegis exosa sanctitas, inimica castitas impudicis, corruptis integritas pœna, luxuriosis aduersa frugalitas, crudelibus dura semper misericordia, impiis

Ioannis præconiū.

Herodis feritas.

Odiosa quomodo libertas.

pietas non ferenda. Probat hoc euangelista cùm dicit: *Dicebat Ioannes, Non licet tibi accipere vxorem Philippi fratris tui.* Ecce vnde Ioannes offendit, ecce vnde Herodes furit, malos qui monet offendit, incurrit odium qui arguit criminosos. Dicebat Ioannes quod erat legis, quod iustitiæ quod erat salutis, certè quod erat non odij, sed amoris. Ecce qualem consecutus est ab impio pro pietate mercedem. *Volens*, inquit, *occidere* Mat. 14.
eum, timuit populum. Facilè deuiat à iustitia, qui in causis non Deum, sed homines formidat. Huic peccandi differt facultatem, non aufert voluntatem. Vnde etiam quos suspendit à crimine, auidiores reddit ad crimen, & æstuat animo quousque perficiat quod cogitat malum. Solus enim Dei est timor qui nocentes corrigit, fugat crimina, innocentiam seruat, perpetem tribuit facultatem. Sed audiamus ipsam Ioannis beatissimi passionem: *Die*, inquit, *natalis Herodis, saltauit Herodiadis filia in medio triclinio, & placuit Herodi, & omnibus amicis ei-* B
us: & iureiurando pollicitus est dare ei quodcunque postulasset ab eo. At illa præmonita à matre sua, Da mihi, inquit, *in disco caput Ioannis Baptistæ.* Hæc est mulier antiqua malitia, quæ Adam eiecit de paradisi deliciis. Hæc cœlestes homines fecit terrenos, hæc humanum genus mersit in infernum, hæc vitam abstulit mundo propter vnius arboris pomum. Hoc malum quod homines ducit ad mortem, hoc malum fugit Helias propheta: & 3. Reg. 19.
cuius lingua clauis facta est cœli, tanquam reus fugit à facie mulieris. Hæc inuenit verum laborem & pressuram, quæ nunc occidit Ioannem Baptistam. Deiicit pueritiam, perdit iuuentutem, illicit & inquietat mortuam senectutem. *Præmonita*, inquit, *à matre sua, Da mihi*, inquit, *in disco caput Ioannis Baptistæ.* Libidine æstuans miscetur ipsa incestui, extinguit lucernam mundi. *Tunc contristatus est rex vehementer: tamen propter iusiurandum, & recumbentes iussit dari, misitque & decollauit Ioannem, & allatum est caput eius in disco, & datum* C
puellæ: puella autem detulit matri suæ. Audistis fratres quāta nata sit de voluptate crudelitas, de libidine impietas: allatum est caput Ioannis in disco, qui salutaria monita dabat incestui, mensa migrat in caueam, in arenam vertitur domus, fiunt de pransoribus expectatores. Mutatur furore conuiuium, fit cibus cædes, vinum transit in sanguinem, finis apponitur in natali, in ortu exhibetur occasus, conuiuium mutatur in homicidium, organa vertuntur in funus, tragediæ personant sæculorum. Intrat bestia, non puella, quærit caput amputare, non saltare, discurrit fera non fœmina, aspergit iubas per ceruices non capillos, anfractibus dilatat membra, sæuitia crescit augmentis. Fit grandis crudelitate non corpore, & singularis fera vsque dum capiat prædam. Fremit ore, dentibus frendit, ferrum non suscipit, sed producit. *Præmonita*, inquit, *à matre sua.* De matris peccato dans mugitum abscidit caput, corpus reliquit truncum. Noua belua quæ contempta corporis præda, caput ipsa truncatur ac peruasit. Verùm ne quis æstimet de talibus nos velle declamare. Nos non declamare, sed voluimus clamare, vt festiuitatis vestræ cauta sint gaudia, vestrorúmque natalium lætitia teneat in exultatione mensuram. Epulis vestris interfit Christus: in facie prandeatur authoris, honestate conuiuium natura ipsa quæ nos producit honoretur, lætitia mensæ vestræ pertingat ad pauperes Christi, familia vestra innocentiæ tripudiet disciplina. Absit ebrietas, luxus absistat, fugetur effusio, saltatricum pestis, lenocinia cantorum, voluptatum fomenta, ventris onera, naufragium mentis, cum Herodiadis conuiuio abscindantur, vt præsens gaudium vestrum ad lætitiam veniat sempiternam. Fratres hodie

Mulier antiquæ malicia. Gen. 3.

O conuiuium diabolicum.

Conuiuij honestas.

sermonem

sermonem tulimus in Herodem, quia satis auditor in- A
telligit quāta sit gloria martyris, quando miseriam persecutoris audierit. Veruntamen nos conuenit scire, quia Ioannes de morte sua natus est: & de natali suo Herodes mortuus est.

De muliere Cananæa, homil. xvij.

INCERTO INTERPRETE.

Mat. 15. EXT egressus inde Iesus, venit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Cananæa à finibus illis egressa clamauit, dicens ei: *Miserere mei domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.* Miratur euangelista. Ecce mulier vetusta armatura diaboli, quæ hominem de paradiso expulit, mater peccati, initium iniquitatis, præuaricationis materia, ipsa illa mulier venit, ipsa natura. Noua B
res, & miranda. Iudæi fugiunt, & mulier sequitur. Ecce mulier à finibus illis egressa, rogabat eum, dicens: Miserere mei domine fili Dauid. O pręclara confessio Euangelista fit mulier, deitatem eius, & dispensationem annuncians. Confitetur enim & dominationem & incarnationem eius. Miserere mei. Vide philosophicam mulieris animam dicentis: Miserere mei. Non inquit, habeo conscientiam bonorum operum, nec rectæ vitæ fiduciam: ad misericordiam confugio, ad tranquillum portum peccantium: ad misericordiam confugio, vbi cessat iudicium: ad misericordiam confugio, vbi ineffabilis salus est. Dic mihi mulier, quemadmodum ausa es, cùm sis peccatrix & iniqua, accedere ad eum? Ego, inquit, noui quid agam. Vide prudētiam mulieris. Non rogat Iacobum, non obsecrat Ioannem, neque pergit ad Petrum, nec intendit apostolorū chorum, non quæsiuit mediatorem: sed pro omnibus illis pœnitentiam accepit comitem, quæ aduocati locum impleuit, & sic C
ad summum fontem perrexit. Propterea, inquit, descēdit, propterea carnem assumpsit, & homo factus est, vt & ego ei audeā loqui. Sursum in cœlis Cherubin cum tremunt, & Seraphin metuunt: & deorsum meretrix loquitur cum eo, Miserere mei. Nudus quidem sermo, sed immensitatem salutis cōtinens, Miserere mei: propterea, inquit, venisti, propterea carnem assumpsisti, propterea factus es quod ego sum. O admiranda res, sursum tremor, & deorsum fiducia. Miserere mei. Non opus habeo mediatore. Miserere mei. Quid habes opus? misericordiam, inquit, quæro. Quid pateris? Filia, inquit, mea malè à dæmonio vexatur. Egressa est aduocatrix filiæ, non affert infirmam puellam, sed defert fidem deuotam. Hæc intra semetipsam conferens, & dicens: Deus est ad quem vado. Absentia videt, occulta inspicit, omnia nouit. Miserere mei, filia mea malè à dæmonio vexatur. Fletus pessimus stimulus naturæ viscera mea disrumpit. Quid faciam misera? Vide pru- D
dentiam. Non dixit, miserere filiæ meæ: sed, miserere mei. Illa enim insensibili passione tenetur, nescit quid habet, non sentit dolorem, velatum cor habet nequissimo spiritu obducente. Miserere mei, spectatricis diurnorum malorum, quotidie cruciatus meos video. Vbi vadam? quò pergam? In cremum ire non audeo, nec illam solam relinquere: in domo sedere non possum, quia intrinsecus est inimicus. Fluctus in portu sunt, in tranquillitate tempestas est. Ex quo nomine eam vocabo, inuenire non possum. Mortuam eam dicam, sed mouetur: viuam appellem, sed nescit quid faciat. Inuenire non possum, quo eam nomine appellem. Miserere mei. Si mortua esset filia mea, non talia pateretur. Tradidissem vtique corpus in sinum terræ, & tempore euoluto obliuionem malorum haberem, & dolor conquieisceret: nunc autem mortuum habeo pertinax corpus, sine sensu viuum, spectaculum lamentabile, increscentia per momenta vulnera passionum multiplicata doloribus. Cerno enim oculos eius transuersos, aspectum sanguineum, manus intortas, crinem dissolutum, contortum collum, ora spumantia, inimicum incedentem, & non apparentem, tortorem clausum, & flagella resonantia, neminem interrogātem, & illam cum clamore loquentem: Assum sermocinatrix malorum meorum, præstò sum stimulante natura, Miserere mei. Pessima tempestas passio, & timor: passio naturæ, timor dæmonis. Accedere non possum, neque contingere. Abigit me passio, explodit timor. Miserere mei. Considera mulieris philosophiam, inspice animam generosam. Non perrexit ad diuinos, non vocauit magos, non alligaturas quæsiuit, non impostatrices mulieres adduxit illas, quæ solent dæmones prouocare, & incantationibus suis vulnus augere. Reliquit illa omnia, dimisit diaboli falsitates, omnia purgamenta contempsit, & venit ad salutarem animarum nostrarum portum. *Miserere mei domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur.* Nostis passionem, quanticunque fuistis patres, adiuuate sermonem meum, quantæcunque matres vocatę estis, non potestis interpretari tempestates, quas sustinuit mulier illa. Miserere mei, filia mea malè à dæmonio vexatur. Vidisti instantiam mulieris, vidisti virilitatem, vidisti lōganimitatem, vidisti fidem? *Ipse autem non respondit ei sermonem.* O noua rerum materies! Rogat mulier, obsecrat, deprecatur, deflet casum suum, auget tragœdiam, enarrat passionem: & amator hominum non respondit, sermo tacet, fons clausus est, medicus medicamenta retinuit. Quid nouum? quid admirabile? Alios prouocas ad sequendum, & hanc miserabilem insequentē abigis. Sed cōsidera medici sapientiam, qui non respondit ei verbum. Cur non respondit? Quia fidem illius amplius prouocabat, & animū perseuerantia exercebat, & discipulorum miserationes exercitabat. *Dicunt quippe ad eum discipuli eius. Dimitte eam, quia clamat post nos.* Vos, inquit, deforis clamare auditis, ego autem intrinsecus video: grādis quidem vox ex ore procedit, sed maior est mentis. Dimitte eam, quia clamat post nos. Alius euangelista dicit, ante nos. Diuersi siquidem sermones, sed vna sententia est: nec est mendacium in vtrisque, vtrūque enim faciebat mulier in causa doloris. Prius post tergum clamabat, & cùm vidisset, quia non respondit, antè cucurrit, quasi canis domini vestigia lambens. Dimitte, inquit, eam: theatrum nobis clamoribus excitauit, omne conuocauit vulgus. Et illi quidem quasi homines ad clamorem illius erubescebant, sed Dominus temperamētum misericordiæ suæ nouerat. Dimitte eam, quoniam clamat post nos. Ipse autem respondens, ait: *Non sum missus, nisi* B
ad oues quæ perierunt domus Israël. cùm hoc dixisset, peius eius vlcus efficit. Medicus enim erat, secans non vt diuidat, sed vt cōiungat. Hic paululum charissimi accommodate mentem vestram, thesaurum enim inuestigare volo absconditum. Non sum, inquit, missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. O Domine, hoc est totum: ideo homo factus es, ideo carnem assumpsisti, gubernantias tantas operatus es, vt vnum saluares angulum, & hoc pereūte orbis terrarū vniuersus desertus est: & Scythæ, Traces, Indi, Mauri, Cilices, Cappadoces, Syri, Phœnices, quantancunque sol respicit terram transisti, & propter Iudæos solos venisti, Gētes autem in desolatione constitutas despicis, & illos quidem contemnentes patrem tuum, & idola adorantes, & in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

censa illis offerentes, insuper & filios suos dæmonibus consecrantes: hæc omnia dissimulans, & nos miseros expectantes te, despicis. Et certè omnes prophetæ, & ipse proauus tuus Dauid secundùm carnem dicit: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et Esaias, qui te in sede maiestatis tuæ contemplatus est, dicit: Et erit radix Iesse. &, Qui exurget imperare Gentibus, in ipsum Gentes sperabunt. Et Iacob patriarcha dicit: Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de femoribus eius, donec veniat cui repositum est, & ipse erit expectatio Gentium. Malachias quoque propheta dicit: Ab ortu Solis vsque ad occasum glorificatur nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificia munda offeruntur Deo. Et ipse Dauid ita dicit: Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis: quia Deus excelsus terribilis, rex magnus super omnem terram. Ascendit Deus in voce tubæ. Et altet dicit: Lætamini gentes cum populo eius, & reliqui omnes aduentum tuum salutare gẽtibus annunciarũt. Nam & ipse in aduentu tuo magos ab Oriente vocasti, & principia gẽtilitatis per illos cessare fecisti, & euangelistas eos ad sua remisisti. Et tu quidem per stellam magos conuocasti, prophetæ autem Gẽtibus annunciãtur. Exurgẽs ab inferis, dicis discipulis tuis: Euntes docete omnes Gẽtes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et nunc cùm venisset miseranda & infœlix mulier pro filię suæ infirmitate obsecrans, & casus suos deplorãs, dicis: Non sum missus, nisi ad oues quæ perierũt domus Israël. Nam & cùm accessisset Centurio rogans pro famulo suo, dicis: Ego veniam, & curabo eum. Et latroni obsecranti respondes: Hodie mecũ eris in paradiso. Et paralytico dicis: Surge, tolle grabbatũ tuum, & vade in domũ tuam. Et Lazaro quatriduano mortuo, & iã fœtẽti, dicis: Lazare, veni foras. Et qui leprosos mundas, mortuos suscitas, paralyticos stringis, cæcos illuminas, latrones saluas, meretricem castificas, huic miseræ nihil respondes. O noua res, & admiranda. Considerate charissimi constantiam & virilitatem mulieris, & Domini benignam sapientiam, pariter & clementiam, quomodo dilatio & excusatio eius diuitias contulit obsecranti: vt & tu, si oraueris, & statim non acceperis quod rogasti, non desinas deprecando. Considera enim diligentius, charissime, legis diuinæ secretum. Quando Iudæi de Ægyptiorum dominatione & tyrannide sunt liberati, & effugientes manus Pharaonis ad eremum perrexerunt, intraturi terram Chananæorum, repletam idolorum cultibus adorantium ligna & lapides, legem acceperũt, vt cùm fuissent ingressi, non acciperent filias eorum in matrimonio, neque connubia mutuò iungerent, neque conuiuia sociarent, ne per societatem mutuam auerterent illos à mandatis Domini, & deprauarent mores eorum. Nihil tibi, inquit, & Cananæis, sed esto in finibus tuis, & in gente tua negocia exerce, & connubia iunge: quia linguam tuam habes, & legem, quæ tibi per Mosem data est, quam sicut maceriam, & sepem quandam inter vos & illos posui. Sicut enim vinea, aut hortus, maceria circundatur: sic Iudæis lex, vt transgredi non liceret. Prohibitum itaque erat à lege, vt non miscerentur Cananæis, ne vllam communionem haberent, cum illis, ne amicitiæ causa impietatis occasio fieret. Cùm ergo abominabiles Iudæis essent Cananæi, tanquam idololatræ & immundi, cum quibus nec fabulari fas erat. Et quia ista mulier de finibus erat Cananæorum egressa, accessit ad Christum, & Christus Iudæis dicebat instantibus sibi: Quis ex vobis arguet me de peccato, eo quòd præuaricauerim legem? Quomodo ergo homo erat, & omnia quæ legis sunt implebat? Et sicut iam dixi, abominabiles erant Cananæi Iudæis, qui sub lege mandante tanquam sepe erant vallati. Veniens autem Christus, hoc est, natus ex virgine, octaua circunciſus die, pro quo in templo oblatio celebrata est, & omnes ceremoniæ impletæ sunt legis: & ideo impleuit legem, ne dicerent Iudæi, non potuit implere legem: propterea soluit, prius eam complet, & postea soluit, vt omnem illis querimoniæ auferret occasionẽ. Clamabat enim, & dicebat: Quis ex vobis arguet me de peccato? Ne ergo occasione accepta dicerent Iudæi: Non credimus tibi, quia iniquè feci sti, soluens legem: quia perrexisti ad fines Cananæorum, & confabulasti cum illis: quod ne fieret, lege prohibitum est. Ideo nihil interim loquitur mulieri, sed legem custodiens, retardat salutem, & Iudæos refrænat, & hanc recreat. *Qui nõ respondit ei verbum.* Nolo mihi occasiones querimoniarũ inuenias ô Iudæe, ecce non loquor, ecce non respondeo, adest occasio benefaciendi, & pietatem meam interim differo. Ecce naufragium imminet, & gubernator quiescit, & increscente calamitate differtur sanitas propter vos, qui ingrati extitistis, vt omnis vobis auferatur occasio detrahendi. Ecce mulier multitudinem mihi clamoribus suis congregauit, & nondum accepit responsum, ne fortè dicatis, quia vobis præposui Cananæos, & transgressus sum legem, & ideo mihi non credatis. Qui non respondit ei verbum. Quomodo illis sermonem faceret, qui beneficiis eius erant ingrati? Hæc autem omnia pro ineffabili clementia sua faciebat Deus, vt illos paulatim ab infidelitate erigeret, & omnem cauillationem de animis illorum tolleret. Nam & cùm leprosum curasset, dicebat: Vade, ostende te sacerdotibus, & offer munus, quod præcepit Moses pro emundatione tua. O inauditam rem. Dominus mundat & mittit eum ad legem Mosi. Et cur hæc facit, considera: ne Iudæi videlicet redarguerent eum, tanquam præuaricatorem legis. Nam quomodo curauerit leprosum, eloqui curationis modum non inuenio. Ecce, inquit, leprosus accedẽs rogabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Iesus manum suam, tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Imperatiuo modo legendum est, non interrogatiuo: quia dixerat ille, si vis: respondit Dominus, volo. Potes, inquit, me mundare: & ipse ait, mundare. In lege non licebat tangi leprosum, quia quicunque tetigisset, immundus tota die fiebat. Nam & beatus Helisæus hoc sciens, cùm ad eum Naaman venisset leprosus alienigena, missus à rege suo, mandat illi per discipulum suum, dicens: Vade ad Iordanem fluuium, & lauare septies, & mundaberis à lepra tua. Ipse verò non fuit ausus ire, & videre lepram, vel tangere illum. Et Helisæus quidem mundauit leprosum, & Christus mundauit leprosum. Ne ergo dicerent Iudæi, quid magnum fecit Christus? hoc fecit, quod fecerat Helisæus. Sed ille quidem tangere ausus non fuit leprosum, ne contaminaretur: iste autem tetigit & mũdauit. Et ideo tetigit, vt ostenderet quoniam qui seruus est, subditus est legi: dominus autem est, qui imperat legi. Volo, mundare. Et statim mundatus est. Non inuenit euangelista verbis edicere velocitatem curationis: statim enim dicendo aliud quod diceret non inuenit. Tanta enim fuit operantis authoritas, vt in ingressu sermonis fugaretur infirmitas. Et ideo dicit: Vade, ostende te sacerdoti, & offer munus tuum pro emundatione tua, quod præcepit Moses in testimonium illis. Quibus? Iudæis, ne dicant præuaricasse me legem. Nam & occultè diuinitatem suam manifestabat illis, vt ex operibus crederent, quia filius sit Dei: &

Psal. 2. Esa. 11. Ibid. & Rom. 15. Gen. 49.
Mala. 1.
Psal. 46.
Rom. 15.
Mat. 28.
Ibid. 8. Luc. 23. Marc. 2. Ioan. 11.
Exo. 23. & Deut. 7.
Ioan. 8.
Mat. 8. & Leuit. 14.
4. Reg. 5.

Dei: & in illa die veniens leprosus coarguat eos, cui præceptum fuerat secundùm legem offerre. Et ideo multa propter Iudæos faciebat, sicut & nunc responsionem suam ad preces mulieris temperat & retardat. *Miserere*, inquit, *mei, quia filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Accedentes autẽ discipuli eius, dicunt: Dimitte eam, quia clamat post nos. Respõdit dominus: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël.* Ne fortè dicerent Iudæi: Dimisisti nos, & ad extraneos perrexisti, & ideo non credimus tibi. Ecce de gentibus veniunt, & non suscipio, vos fugientes conuoco, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & venire non vultis. Hãc repello, & recedere non vult. Verè impletur illud quod scriptum est: Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Et alibi: Apparui his, qui me non quærebãt: inuentus sum his, qui me non interrogabant, ex quibus & Cananæa erat. Dimitte, inquiunt, eam, quia clamat post nos. Videamus ergo quid dicit dominus. Nõ sum, inquit, missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. Considerate clementiam domini. Non dixit, recede à me: sed, non sum ad vos missus. Non veni propter te, sed propter Iudæos, oues perditas domus Israël. Quæ cùm audisset, *Accessit, & adorauit eum, dicens: Domine, adiuua me. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Considera precantis instantiam, & domini temperantiam. O clementia medici. In desperationem adducebat eam, vt amplius rogaret, & augmentum fidei faceret. Non est bonum, inquit, sumere panem filiorum. Quorum filiorum? Iudæorum videlicet. Et mittere canibus. Quibus? Sine dubio vobis. Hæc ad opprobrium dicebantur Iudæorum, qui filij vocati, canes effecti sunt, dicente Paulo: Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. Nos enim sumus circuncisio, Gentes verò canes appellatæ, facti sunt filij, Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Laus Iudæorum accusatio illis erat. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. *At illa dixit: Etiam domine.* O violentia mulieris, ô intentio animi, ô profectus fidei! Medicus dicit, non: hæc dicit, etiã. Dominus dicit, non: ista dicit, etiam. Non quasi procax, aut impudens reputanda est: sed laudanda magis, quia expectat salutem. Non est, inquit, bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Etiam domine, tu canem me vocas, ego te dominum voco: tu me iniurias, ego te glorifico. *Etiam domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Non respuo opprobrium, tãtùm accipiam vel escam canis. Dicit rem quæ in consuetudine est. Tu fac, quod debetur cani: quia canem me vocas, da mihi micas. O domine aduocatus meæ factus es postulationis, abnegando promittis. Etiam domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Quid ergo? Qui abnegabat, qui repellebat, qui non respondebat, qui dicebat: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus: qui dicebat, Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël: in laudes mulieris subitò erumpit, dicens: O mulier. Propterea, inquit, laudo constantiam eius, laudo fidem: quia iniuriata permansit, & ratione extorsit. Si enim ab initio dimisissem illam, nec illa paulatim erudita fuisset, nec tu scisses virtutem animi eius, nec latẽtem fidei thesaurum: & ideo suspendi donationem, vt tu agnosceres fidem. O mulier, Deus dicit, ô mulier. Audiant hæc qui iactant, & orant, & fastidiosè precantur. Quando dico charissimi, roga Deum, obsecra eum, famulare illi, dicis: Rogaui semel, secundò, & tertiò, & decies, & vigesies, & quidnam accepi, inquis? Ne recedas quousq; accipias: finis postulati acceptio deprecantis est. Tunc cessa quando acceperis, imò magis nec tunc cesses, sed tunc perseuera, agens gratias pro eo quod acceperis, vt perseueret tibi quod acceperis. Nonnulli introeuntes ecclesiam in mille versus extendunt orationẽ suam, quasi apud dominum multitudo sermonum opus sit, tanquam ignoranti quid postules, qui antequam cogites nouit. Nam & illi quidem quid dicunt, nesciunt. Labia mouentur solummodo, mens autem sine fructu est, & aures eius surdæ sunt. Tu non audis orationem tuam, & dominum vis audire precem tuã. Flexi, inquis, genua. Curuasti quidem genua intus, sed mens tua foris vagabatur: Corpus tuum intus, sed sensus foris: os quidem loquebatur, sed mens vsuras cogitabat, possessionem reditus supputabat, descriptiones domorũ videbat, amicorum verba voluebat, negligentias intuebatur famulorum, parasitorũ vrbanitates ridebat, mulierum speciem considerabat. Diabolus enim cùm sit astutus, scit quoniam in tempore orationis grandia postulemus, & sæpius impetremus, impedire festinat improuidas mẽtes. Nam aliquoties cùm resupini iacemus in lectulo, nihil tale cogitamus: sed cùm venimus ad orationem, cogitationum nos opprimunt nubes, vt nos auocent, & sine fructu efficiant. Hæc igitur sciens in orationibus fieri, imitare Cananæam vir mulierem, quę vigilanter, & cum summa sapientia rogabat dominũ & ideo meruit impetrare. Sed forsitã dices, non habeo filiam, quæ dæmone plena sit, sed habes animã peccatis refertam. Et quid dixit Cananæa? Miserere mei Domine, quia filia mea malè à dæmonio vexatur. Dicito & tu, miserere mei domine, quia anima mea malè à dæmonio vexatur: grandis enim dæmon peccatum est, & ille quidem in propatulo habẽs, velocius curari potest: qui autẽ occultat peccata sua hominibus, & pœnitere non vult, fed contemnẽs securus delinquit, & odibilis est. Et ille quidem pro ipsa vexatione veniam habebit, iste verò responsione priuabitur. Miserere mei. Modicus quidẽ sermo, sed immensum benignitatis continet pelagus. Vbi enim misericordia postulatur, ibi vniuersa comprehensa sunt bona. Quòd si foris ecclesiam es, dic tu: Miserere mei domine, non solùm labia mouens, sed mente ingemiscens: quia & tacentes audit Deus. Non quæritur locus, sed deuotio mentis. Hieremias in lacu cœni demersus erat, fideliter orans, Deum promeruit. Daniel in lacum leonũ missus, ad se Dei misericordiam inclinauit. Tres pueri in camino ardenti erant, & Deo placuerunt. Latro in cruce erat, & exauditus est, fideliter postulando. Et nihil obfuit crux, sed confessio fidei paradisum aperuit. Iob in sterquilinio erat, & per patientiam suã Deum propiciabatur. Quòd si & in balneis es, ora: vbicunq; fueris, ora. Templum Dei estis, & Spiritus sanctus habitat in vobis. Volũtas solũmodo deuotæ mentis opus. Quòd si in iudicio assistis, ora. Et cùm irascitur rex, ora. Vbiq; Deus præsens est, nõ clauditur loco: inuocanti dicit, assum. Nam cùm eduxisset Moses populum de Ægypto, & per desertum ad mare rubrũ venisset, Ægyptij post tergum insequebantur populum. Ante mare fremebãt fluctus, Moses in angustiis erat, tacebat quidem, sed mente grandia cogitabat. In medio tribulationis erat, inde Ægyptij insequentes, hinc mare intumescens. Ad dominum igitur mẽte clamabat, & vox penitus non audiebatur, ideo dominus dicit ad eum: Quid clamas ad me? cùm ore quidem non clamaret, sed corde. Et tu igitur quando adstiteris furenti iudici, ac rabido tyranno, ora Deum tuum, & orãte te fluctus mitigabũtur. Iudex ad te, tu ad Deum confugito: iudex pro te, tu Deũ inuoca, qui pro te est. Nun-

Mat. 11.
Psal. 17.
Esa. 65.
Philip. 3.
Gala. 4.
Hier. 38.
Dan. 6.
Ibid. 3. Luc. 23.
Iob. 2.
1. Cor. 3. & 6.
Exo. 14.
Ibidem.

quid lõgè est à te,vt vadas ad locum aliquem? Deus nõ A
includitur loco, sed semper in proximo est: & qui in
loco non clauditur, fide tenetur. Nam si hominem ro-
gare volueris, interrogas quid facit, & audiens dor-
mit,aut non vacat,aut certè non dignabitur respondere ministeri tibi. Ad Deum autem nihil horum opus est,
sed vbicunque fueris, aut inuocaueris, audit te. Non
ostiario,non mediatore, non ministro opus est, sed di-
Esa. 58. cito,Miserere mei,& Deus illico aderit:adhuc loquente te,dicet, assum. O sermo mansuetudine,& benignitate plenus! non expectat consummari orationem, sed
statim tribuit petitionem, Miserere mei. Hanc imitemur Cananæam. Miserere mei domine, filia mea malè à dæmonio vexatur. O mulier, magna est fides tua,
fiat tibi sicut vis. Vbi sunt hæretici?nunquid dixit, rogabo patrem meum,obsecrabo genitorem meum?Nũquid oratione eguit? Non vtique, quia author salutis
est, & vniuersalis creator, & verbum Deus, ideo dixit,
O mulier, magna est fides tua. Quamuis & pro dispen- B
satione carnis orauerit, & quia magna est fides, copiosa effusa est gratia. Vbi autem oratio necessaria est, ibi
infirmum est vas. O mulier, magna est fides tua. Non
vidisti mortuum suscitatum, nec leprosum mundatum,
nec prophetas audisti, nec legem meditata es, neque
mare in diuisionibus scindi vidisti, nihil horum contemplata es, insuper & despecta, & contempta à me
es, & non recessisti, sed perseuerasti petendo. O mulier, magna est fides tua. Mortua est mulier, & præconium eius viget. Vbicunq; ieris, audis Christum dicentem:O mulier,magna est fides tua. In Gottia, in India,
in Mauritania,quantamcunque sol respicit terram,clamat Christus,& nõ tacet verbum : O mulier, magna est
fides tua, fiat tibi sicut vis. Non dixit, sanetur filia tua:
sed,fiat sicut vis.Tu,inquit,eam cura,esto medicus,tibi
committo medicamentum,vt imponas ei,fiat tibi sicut
vis.Volũtas tua curat eam.Cananęa voluntate curauit,
& filius Dei,sicut dicunt hîc,à semetipso non curat,fiat
C tibi sicut vis:neque iussit mulier,neque imperat dæmoni, sed sola mulieris voluntas curauit filiã, dæmonemq;
fugauit. Vbi sunt qui audent Christum dicere per orationem virtutes feciſſe? Vide quid dicat: fiat tibi sicut
vis.Cõsidera sermonis germanitatẽ, patrẽ suum imita-
Gen.1. tur. Quãdo enim faciebat Deus cœlũ, dixit:Fiat cœlũ,
& factum est cœlum:fiat terra, & facta est terra: fiat sol,
fiãt astra cœli,& facta sunt vniuersa.Iussio adduxit substantiam parentelæ,sermo communionẽ ostendit naturæ.Et sanata est,inquit,filia eius ex illa hora.Ex qua hora? Nõ ex qua venit mater eius domi,sed ex qua domini sermo processit. Et cùm rediſſet domi, inuenit eam
sanæ mentis & voluntate, imò fide eius curatam. Pro
his autem omnibus gratias agamus Deo, per Christum
dominum nostrum, cum quo est Deo Patri, vnà cum
sancto Spiritu honor,gloria & potestas,per immortalia
sæcula sæculorum.Amen.

In euangelium Matthæi,Væ mundo,homilia xviij.

INCERTO INTERPRETE.

Matt.18. *Æ mundo ab scandalis. Necesse enim est vt veniant scandala:verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit.* Videtur quidem specialiter designare Iudam, quoniam necesse est vt patiatur dominus Iesus : nisi enim
passus fuisset,genus humanũ saluari non poterat. Quòd
1.Cor.1. autem passio domini scandalũ sit, Apostolus dicit:Quia crux domini scandalum est Iudæis, & stultitiam Gentibus. Videtis igitur quoniam necesse est venire domini passionem, id est, scandalum crucis. Veruntamen
A væ homini illi, per quem venit scandalum. Nunc necesse fuit & vtile vt pateretur Iesus:sed væ Iudæ per quẽ
venit nobis vtilitas.Væ mundo ab scandalis. Mundum
istum terrenum locum dicit: neque verò cœlo & terra
intelligere debemus mundum, sed mundum hîc intelligamus terrenum.Ideo quod dixit dominus: Regnum
meum non est de isto mundo: si essem de mundo,ama- Ioan.18.
ret me mundus. Et dicitur ad apostolos : Vos non estis
de mundo. Et in multis locis terrenus mundus inter- Ibid. 15.
pretatur.Væ igitur mundo,hoc est terreno loco,ab scãdalis. Necesse enim est vt veniant scandala : non quia
necesse,sed quia mũdo necesse vt veniant.Videte quod
dicimus subtile est:si necesse est vt veniant scandala,ergo absque culpa est ille,per quem venit scandalum.Sed
nos dicimus scandalum non venit,nisi in terreno mundo. Vis non tibi venire scandalum? noli esse terrenus.
Propterea dico, mundus terrenus scandalum habet,
terra ista necesse est vt habeat scandalum. Noli portare
B terrenum, sed cœlestem, & scandalum non habebis.
Veruntamen væ homini illi, per quem scandalum ve- Mat.26.
nit. Generaliter disputauit.Si autem manus tua,vel pes Ibid.18.
tuus scandalizat te, abscinde & proiice abs te : bonum
enim est tibi in vitam ingredi claudum in regnum Dei,
quàm duas manus, & duos pedes habẽtem mitti in gehennam æternã.Si autem manus tua,vel pes tuus scandalizat te. Quoniam ad apostolos loquitur, & in apostolis fundata est Ecclesia:quicquid apostolis loquitur,
Ecclesiæ loquitur: nam Ecclesia corpus vnum habet,
sed multa membra habet. Hoc loquitur & Apostolus Rom. 12.
ad Corinthios:Quia sunt prophetæ,sunt doctores,sunt & 1. Cor.
sacerdotes, sunt signa facientes,& aliæ virtutes, vbi de 12.
spiritalibus gratiis disputauit, & ibi dicit:Nunquid po- 1.Cor.12.
test dicere oculus manui,non necessariam te habeo:aut
rursus,manus dicere pedi,necessarium te non habeo?Et
hoc dicit ad exemplum, longum est enim vniuersa replicare:& hoc dicit,quia ex multis membris vnum Ec-
C clesiæ corpus efficitur. Ecclesia habet veros oculos, videlicet ecclesiasticos, atque doctores, qui vident in
Scripturis mysteria Dei, de quibus dicuntur videntes.
Isti igitur qui vident, rectè appellantur oculi Ecclesiæ.
Rursum habet & manus, facit videlicet viros, qui oculi non sunt, sed manus. Nunquid norunt mysteria
Scripturarum? tamen sunt potentes in operibus. Habet & pedes, qui nec vident nec operantur, sed habent diuersos discursus : sed propterea currit pes, vt inueniat manus quod operetur. Nec oculus contemnat
manum,nec manus contemnat pedem, nec rursum illa
tria contemnant quasi otiosum ventrem. Sæpe euenit,
vt membra quæ videntur esse verecundiora,ipsa magis
vtiliora sint. Propterea dicit & Apostolus : Verecun- Ibidem.
diora autem nostra maiorem habent honorem. Hoc
totum quare dico? Quoniam Ecclesia, hoc est corpus
domini, ex multis membris ornatur, atque completur. Si itaque venerit, vt te Ecclesiæ scandalizet ocu-
D lus, scandalizet manus, scandalizet pes: melius est te
vnam non habere virtutem, & ire cum cæteris virtutibus ad regna cœlorum : aut habere oculum caligantem, & pedem claudicantem, quàm ire in ignem æternum. Errauit episcopus, peccauit præbyter, deliquit
diaconus, noli dicere quia maior est, sed recedat oculus, recedat manus, recedat pes,vt cætera membra saluentur: hoc secundùm altiorem interpretationem dictum est. Sciendum quoniam possit & aliter interpretari.Si te scandalizat oculus, si te scandalizat manus, si
te scandalizat pes, si te charorum nomina, pater, mater,frater,filius,& cæteræ propinquitates scandalizant,
abscinde à te. Melius te est regnare sine matre, quàm
perire cum matre. Et hoc propriè loquitur ad monachos,

chos,hoc proptiè loquitur ad apostolos: monachus e- A
nim apostolicam vitam desiderat imitari. Vis ô monache esse discipulus meus, imò vis discipulorum meorũ
esse discipulus : fac tu quod fecit Petrus, quod fecit Ia-
Matt.9. & 19. Marc.8. cobus & Ioannes. Habebant oculum scandalizantem,
patrẽ & nauem,& rete,dicit eis Iesus : Venite, sequimini me. Scãdalizabat potestatem paternam oculus videlicet malus, abscindatur oculus, & insequamur Iesum.
Nemo ergo dicat,matrẽ habeo,habeo patrem,fratrem,
filium,vxorem,habeo cætera pietatis nomina charorũ.
Monachi apostolorum imitatores sunt,non ergo possumus eos imitari, nisi fecerimus quod fecerũt & apostoli. Nemo igitur monachorum dicat:habeo patrem,habeo matrem.Respondebo tibi:Habes Iesum,quid quæris ista, quæ mortua sunt? Qui habet Iesum, habet patrem,habet matrem,habet filios,habet omnem propinquitatem.Quid queris mortuos?Sequere viuum,dimit-
Matt.8. & Luc. 9. te mortuos, vt sepeliant mortuos. Dicit ad dominum
vnus discipulus : Dimitte me, vt vadam & sepeliam pa- B
trem meũ.Non dixit:dimitte me vt sim cum patre meo,
sed dimitte me vnius horæ spacium : quid ei respondit
Dominus?Et in vna hora perire potes. Vide ne dum vis
sepelire mortuum,ipse moriaris. Mortuus pater nõ exigit pietatem filij. Dico tibi monache: quid quæris patrem?quid quæris matrem?aut Christiana est mater,aut
non est Christiana:aut sancta est, aut peccatrix:de duobus vnum est,aliter esse non potest.Si sancta est,gaudet,
quia seruis Domino:si peccatrix,dimitte illam, mortua
est. Interrogo te ô mater Christiana, filius tuus seruit in
monasterio Christo, hoc est imperatori suo, signatus
est cauterio regis sui,habet scutum iciunium, habet galeam fidem,habet gladium sermonem Dei,habet loricã
vestimentum Iesum in baptismate. Sic est armatus, paratus ad pugnam, debet in campum exire, & pugnare
aduersus hostes. Tu ei dices : dimitte arma, & veni in
cubiculum. Propositum est tibi ô monache, sicut & Adam,& dicitur tibi:Ecce vita,ecce mors,elige quod vis. C
Eccl.15. Habes duos patres,spiritalem, & carnalem:vtrunque amare non potes:si spiritalis amatur, carnalis contemni-
Matt.6. Ibid.10. & Luc.14 tur.Non potestis duobus dominis seruire. Qui, inquit,
amat patrem aut matrem super me,nõ est me dignus.Si
vis sequi carnalẽ patrem,relinque spiritalem.Sine causa tergiuersaris monache,& dicis : Quid igitur si amauero
patrem aut matrem?non idcirco seruio Domino?Nónne scriptum est in lege, & in euangelio:Honora patrem
Marc.7. Exod.21. & Leuit. 20. tuum,& matrẽ tuam.&, Qui maledixerit patri, aut matri, morte moriatur? Nunquid propterea seruire Deo
debemus, vt non honoremus parentes? respondeo tibi
& ego,intantum honora parentes, inquantum non impediant ad seruitutem Domini: hoc est,imperatoris tui,
cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

De eo quod scriptum est in euangelio Matthæi cap. xviij. vbi Petrus ait ad Dominum, Domine, si peccauerit in me frater meus,quoties dimittam ei? vsque septies? Et D
Dominus ait, Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagiessepties. Homilia xix.

INCERTO INTERPRETE.

Psal.18. EXERCITIA legis animam corrigũt,mentem ædificant, peccata compungunt, ad confessionem trahunt : Quia lex immaculata est conuertens animas. Verbi ergo cõsolatio cõfert grandem salutem, compungendo, corrigendo, ad sanitatem perfectam perducendo. Nam modò cùm legeretur nobis euangelium hoc, audiuimus vbi Petrus inquirit à Domino, dicens:Domine,si peccauerit in me frater meus,quoties dimittam

ei? vsque in septies? Dicit illi Dominus, Non dico tibi
vsque in septies, sed vsque in septuagiessepties. Magna
fratres mei quæstio. Septies cùm auditis, nolite ad numerum attendere, quasi vsque in septies peccauerit frater,aut septuagiessepties.Septies ponit, id est toto tempore, quia in septenario numero venientes dies ad primum redeunt. Nam ille qui dicebat, Septies in die lau- Psal.118.
dabo te: non quod septies laudauerat, & tacuerat, sed
significabat omni tempore. Debemus ergo toto tempore debita fratribus,id est,peccata dimittere. Nunquã
iracundiam retinere, nihilominus quia Petrus hoc interrogabat in quo vniuersalis Ecclesia fundata est:ideóque cognoscimus in eadem Ecclesia toto tempore dimitti peccata. Ergo cognoscitur septies de Cain illo, Gen.4.
qui occidit fratrem suum, vt septies vindictam exolueret,qui eum occideret. Istud peccatum quod commisit
Cain, Ecclesia dimittit, ideo de septenario numero
interrogabat primus apostolus Petrus. Superaddidit
ille magister bonus,patiens & mansuetus, dicens: Non
tantùm dico vsque in septies, sed vsque in septuagiessepties. Et hoc iam demonstratur nobis de Lamech illo,
qui habuit duas vxores , qui dicebat: Audite audite Ibidem.
mulieres Lamech, occidi virum in vulnere meo. Ergo
de Cain scriptum est, Septies exoluet vindictam, qui Ibidem.
occiderit eum:de Lamech autẽ septuagiessepties. Ecce
iam fratres declarauit nobis veritas omnia peccata dimitti in Ecclesia sancta catholica. Et quamuis grauia,
quamuis criminosa, quamuis execrabilia, dimittit illa
omnia Pater bonus,qui non vult mortem moriẽtis, tã- Ezech. 18.
tùm vt reuertatur,& viuat.Ecce septies in Cain,ecce septuagiessepties in Lamech,vt ad spem reuertantur peccatores, & non desperent de granditate peccatorũ suorum,reuertentes præuaricatores ad cor: vt corde contrito & humiliato cõfessi Deo dimittatur eis omne peccatum,vsque ad nouissimam culpam. Æquè similitudinem posuit serui aliam, qui debebat decem millia talẽtorũ:id est,fuit homo iste seruus omnium malorũ, magister flagitiosus & facinorosus,impius, iniquus, perfectus erat in malis: sed tamen Deus ille miserator & misericors, longanimis & multùm patiens, & non reddens vnicuique secundũ opera sua,sustinẽs vsq; ad pœnitentiam totũ genus humanũ, dimittens peccata. Sed
vnusquisque videat quid ei dimittitur, vt & ipse fratri
suo dimittat,Cæterum si ei dimittitur,& ipse non dimiserit fratri suo, & cum iracundia manserit, videat quid
sequitur euangelium vbi ait, Amen amen dico vobis, Matt.6 & Marc.11.
quia si nõ dimiseritis fratribus vestris ex toto corde vestro, ita & vobis faciet pater meus qui in cœlis est. Ecce
fratres si timetis pœnã, quam Dominus promittit malis, corrigite, pacifici estote, nullus contemnat, nullus
negligat, tepidè nemo audiat, sed in omni alacritate ac
ardore desiderij parete iussis, vt veniatis ad quod promisit Deus, & ibi regnetis vbi Deus promisit requiem
illis,qui ei placuerunt vsque in finem.Amen.

In euangelicam dictionem,Domine,quoties in me peccabit Matt.18.
frater meus, & dimittam ei? vsque septies? Dominus autem ad eum:Non dico tibi,vsque septies, sed vsque septuagiessepties, Homilia xx. Bernardo Brixiano interprete.

MAGNVM quiddam se dicere Petrus existimauit, quam ob rem & quasi glorians intulit, vsque septies. Hoc enim, inquit, quod facere præcepisti, quoties faciam? Nam si semper quidem peccet,semper autem redargutus pœnitentiam agat,quoties hoc tolerare nos præcipis?Nam illi quidem pœnitentiã non agenti,

Universidad de Deusto
Biblioteca

neque damnanti seipsum, finem imposuisti dicens: Sit
Ibidem. tibi sicut Ethnicus & publicanus. Huic autem non itidem, sed ipsum admittere præcepisti. Quoties igitur ipsum debeo tolerare redargutum, & ad pœnitentiam redeuntem? Satin' est septies? Quid ergo Christus misericors & bonus Dominus? Nō dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies. Non hîc vllum ponēs numerū, sed infinitum innuēs, & continuè ac semper. Sicut enim millies, sæpe significat: itidem & hîc. Nam &
1. Reg. 2. sterilis peperit septem, multos intelligit Scriptura. Itaq; dimissionem numero non concluſit, sed rem ostendit perpetuam & perseuerantē. Hoc autem & in parabola posterius posita demonstrauit. Ne quibus enim graue quid, & magnum septuagies septies dixisse videretur, hanc adiūxit parabolam: simul & in id quod dixit inducens, & corripiens super hoc altum sapientem, & rem ostendens grauem non esse, sed perquàm facilem. Propterea suam in medium egit misericordiā, vt ex comparatione discas, quod licet septuagies septies parcas, & B omnia generaliter peccata proximo cōtinuè dimittas: quantum est aquæ stilla ad immēsum pelagus, tantū est, immo verò longè minus humanitas tua ad immensam Dei bonitatem, qua tibi sit opus iudicando, & rationes
Matt. 18. reddituro. Quapropter & intulit, dicens: *Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit ponere rationem cū seruis suis, & cùm cœpisset rationē ponere oblatus est ei vnus qui debebat decem millia talenta. Cùm autem nō haberet vnde redderet, iussit eum dominus eius venundari, & vxorē eius: & filios, & omnia quæ habebat. Deinde postquā misericordia potitus est, egressus conseruum sibi centū debentē denarios suffocabat. Et is cum dominū cōmouisset, iussus est in carcerē denuò trudi, donec totū exolueret.* Vidisti quantū sit in hominem & in Deum peccatorum discrimen? quantum est decem millium talentorum, & centum denariorū discrimen: immo verò & longè maius. Hoc autē fit & ex personarum differentia, & ex peccatorum continuatione. Dum enim homo videt, absistimus, & peccare vere- C mur: Deo tamen per singulos dies vidente, non abstinemus, sed omnia liberè facimus & loquimur. Nec hinc tantùm, verùm & ex beneficētia & honore, quem à Deo consecuti sumus peccata redduntur grauiora. Et si vultis intelligere quomodo sunt decem millia talenta, immo & longè quid maius, in ipsum peccata, paucis ostēdere conabor. Sed timeo ne in vitium vergētibus, & peccare iugiter amantibus, fiduciæ plus tribuam: vel mitiores in desperationem inducam, & dicant illud di-
Marc. 10. scipulorum: Quis potest saluari? Verùm & ita dicam, & animaduertētes reddam cautiores & humiliores. Nam & vitiis laborantes incurabilibus, & dolore carentes & absque sermonibus his, proprium torporem atque nequitiam non derelinquunt. Si verò maiorem hinc contemptus occasionem capiant, non dictorum culpa, sed illorum est insensibilitatis. Sicut contrahere poterunt, & compungere magis aduertentes. Et manſuetiores, cùm peccatorum viderint magnitudinem, atque pœ- D nitentiæ vim didicerint, magis ipsam amplectentur, propterea dicere necessarium. Dicam igitur, & ponam peccata, quæque contra Deum patramus, & quæ in homines. Et ponam non propria, sed communia. Propria verò tum quisque de sua coniungat conscientia. Hoc autem faciam, prius Dei ponens beneficia. Quæ sunt ergo beneficia? Nos fecit, cùm non essemus, & omnia propter nos creauit visibilia, cœlum, mare, terram, & quæ sunt in eis, omnia animalia, plantas, semina: opus est enim succidere propter immensum operum pelagus. Talem nobis animam viuentem ex omnibus quæ sunt super terram inspirauit, plantauit paradisum, adiutorium dedit, omnibus præfecit brutis, fugientes ad portus, hostiliter se gerunt. Quot enim illis rapinæ? quot vsurpationes? quot calumniæ & adulterationes? quot seruiles assentationes? Agè ergo per singula, Christi legem accommodemus. Qui dixerit fratri, fatue, reus erit gehennæ ignis. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam. Matt. 5. Ibidem. Nisi quis humiliauerit se sicut paruulus, non intrabit in Ibid. 19. regnum cœlorum. Hi verò superbiam exercent in subditos, & traditos, sèque trementes ac formidantes, se feris exhibentes magis infestos: propter Christum quidem agentes nihil, omnia verò propter ventrem, propter pecunias, propter inanem gloriam. Nunquid per verba potest actionum præuaricatio recenseri? Quis autem illorum non dixerit subsannationes, risum, intempestiuas locutiones, turpiloquia? De auaritia verò nihil dici potest. Sicut enim qui sunt in montibus monachi, neque quid tandem sit auaritia norunt: ita nec isti, sed ex contrario quàm illi. Illi quidem eo quod sint procul à vitio constituti, morbum ignorant: hi verò quòd nimis in eo sint ebrij, neque quantum sit mali sentiunt. Sic enim virtutem hoc expulit vitium, atque tyrannicè dominatur, vt nec graue crimen esse putetur ab illis furentibus. Sed vultis vt his omissis ad alios veniamus manſuetiores? Agè igitur artificum & mechanicorum genus exquiramus. Hi namque præsertim ex iustis laboribus, suisque degere videntur sudoribus: verùm & isti cùm sibi non cauerint, multa sibi inde mala congregāt. Iustorum enim operationi laborum ex emptione & uenditione iniquitatem immiscent, & iuramenta frequenter, & periuria simul atque mendacia auaritiæ contingunt: sola curant sæcularia, & terræ permanēt affixi, & modò lucrentur, omnia faciunt: vt autem pauperibus

ribus cōmunicent, nullā gerunt curam, sua semper vo- A
lentes augere. Quis referat super his conuicia, contumelias, fœnora, vsuras, contractus multæ falsitatis plenos, turpia commercia? Sed vultis & hos relinquentes, ad alios qui videntur esse iustiores, veniamus. Qui sunt igitur isti? agros possidentes, & ex terra colligentes diuitias. Et quid his quoque fuerit iniquius? Si quis enim discusserit, quomodo miseris & ærumnosis vtūtur agricolis, ipsos videbit barbaris crudeliores. Nam fame deficientibus, & per totam laborantibus vitam, continua insuper, & intolerabilia iniungunt tributa, laboriosáque præsidiunt ministeria: & velut asinis, vel mulis, immò verò quasi lapidibus, illorum corporibus vtuntur: nec minimùm quidem sinentes respirare, siue terra præbeat, siue non præbeat, similiter illos fatigant, nec veniæ quicquam illis indulgent. Quo quid sit inclementius, cùm per totam hyemem fatigati, & gelu & imbre, vigiliisque consumpti, vacuis recesserint manibus: & insuper etiam debentes, & plusquam fa- B
mem hanc naufragium procuratorum quæstiones, & inde leges, exactionésque simul & abductiones, & ineuitabilia ministeria timentes & exhorrentes? Quis dicere possit quæstus, quos ab eis negociantur, & circumuentiones quibus eos defraudant: ex eorum quidem laboribus atque sudoribus torcularia replentes & lacus, ipsos autem neque minimam partem domum referre permittentes, sed totum fructum in suæ condentes iniquitatis dolia, & paululum eis argenti pro his erogantes? Porrò nouas quoque fœnorum formas excogitant, neque Græcorum quidem legibus sanctas mutuorúmque scripta multæ maledictionis plena componunt. Nec enim quotācunque totius portionem, sed dimidiam exigere conantur: & hæc exigitur, cùm is & coniugem habeat, & alat infantes, homóque sit, & propriis areat & torcular laboribus impleat. Sed horū nihil cogitant. Propterea cum propheta dicen- C
dum est: Obstupesce cœlum, & perhorresce terra, in
quantam feritatem ebacchatū est hominū genus. Hæc autē dico, non artes, non agriculturam, aut militiā, non agros calumniās, sed nosmetipsos. Quoniam & Cornelius erat centurio, & Paulus sutor, & arte post prædicationem vsus est. Et Dauid erat rex. Et Iob agros pos-
Act 10. Ibid. 18. Iob 1. sidebat, & hinc multos capiebat prouentus, & impedimenti nihil erant hæc ad virtutem illorum alicui. Hæc igitur omnia cogitantes, & decē talentorum millia supputantes, hinc saltē ad illa pauca, viliáque proximo remittenda inducamur. Ratio namq; sit mandatorum nobis creditorū, nec omnia possumus erogare, neque si quodlibet fecerimus: propterea Deus ad exoluendum facilē, leuémque viam nobis proposuit, quæ cūcta possit illa dissoluere, iniurias scilicet vt obliuiscamur. Vt igitur hoc bene discamus, omnē progressi parabolam audiamus: ait enim, *Oblatus est ei vnus qui debebat decem millia talenta: cùm autem non haberet vnde redderet, iussit eum venundari, & vxorem & filios eius.* Quamobrē, quæ- D
so? Non ex crudelitate aut inhumanitate: nam in eū rursus damnum conuertebatur, serua siquidem erat & illa: sed ex ineffabili prouidentia. Per has enim vult minas efficere, vt in supplicationem inducatur, non vt adiungatur. Nam si propterea fecisset, ipsius petitioni non annuisset, neque gratiam concessisset. Quam ob rem igitur ante rationem positam hoc non fecit, neque remisit debitum? Volens vt disceret, quantis eum debitis liberaret, vt vel ita fieret in conseruum manſuetior. Nam si postquam debiti magnitudinem, & veniæ largitatem didicit, conseruum suffocare non desistebat, nisi talibus eum præerudisset medicamētis, ad quid non erupisset crudelitatis? Quid igitur ille? *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Dominus autem eius misericordia motus, dimisit eum, & debitum remisit ei.* Vidisti rursum misericordiæ magnitudinem nimiam? Petiit tantùm seruus temporis dilationem, ipse verò plus quàm petiit, totius mutui remissionem concessit & veniam. Volebat quidem & ab initio dare, sed nolebat donum esse tantummodo suum: verùm & huius orationis, ne sine corona recederet. Quòd enim totum ipsius erat, licet iste procedit & adorauit, causa dimissionis ostendit: misertus enim dimisit ei. Veruntamen & ita volebat apparere, quod aliquid & ille contulisset; ne nimium esset confusus, & vt in propriis eruditus ærumnis, in conseruum clementior efficeretur. Hactenus quidem hic bonus & beneplacitus: nam & confessus est, & se redditurum promisit debitum, & procidit, & supplicauit, propriáque damnauit peccata, & debiti magnitudinem agnouit. Sed sequētia sunt præcedentibus indigna. Egressus enim statim in se positum habens beneficium, ad malitiam abusus est munere, & libertate à Domino ipsi præbita. *Cùm inuenisset enim vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, suffocabat eum dicens: Redde mihi quod debes.* Vidisti clementiam domini? Vides serui crudelitatem? Audite qui propter pecunias hæc agitis: nam si pro pecuniis non oportet, multò magis pro peccatis. Quid igitur ille? *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Ille verò nec ipsa reueritus est verba, per quæ saluatus est. Nam & ipse talia dicens, à decem millibus talentorum absolutus est, neque portum per quem naufragium effugerat, agnouit: non supplicationis forma domini benignitatis memorem eum effecit, sed omnia ille propter auaritiam & crudelitatem & rancorem eiiciens, erat fera molestior, suffocans conseruum. Quid agis homo? nō animaduertis te mucronem in temetipsum agere, sententiámque & donum reuocare? Sed horum nihil cogitauit, neque sui recordatus est, neque remisit, licet non de paribus esset supplicatio. Nam ipse quidem pro decem talentorum millibus, ille verò pro centum denariis supplicabat. Et ipse quidem conseruum, ille verò dominū rogabat. Et ipse quidē perfectā accepit remissionem, ille verò dilationem petebat. *Et nec hoc ipse concedebat illúmque coniiciebat in carcerem. Videntes autem conserui, eum apud dominum accusauerūt.* Nec hominibus hoc placebat, nedum Deo. Condoluerunt qui non debebant: quid ergo dominus? *Serue nequam, omne debitū illud remisi tibi, quia rogasti me: nónne oportebat & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?* Vide rursum & hic domini manſuetudinem. Iudicatur cū eo, sèque purgat, donum suum subuersurus: quinimmo nec ipse subuertit, sed qui suscepit, propterea dicit: Serue nequam, omne debitum illud remisi tibi, quia rogasti me: nónne oportebat & te misereri conserui tui? Nam & si graue negociū esse tibi videbatur, oportebat tamen & ad factū respicere lucrum. Etsi molestum præceptum, premiū cogitare decebat. Neque quod ille cō- •
tristauit, sed quòd tu Deum quem irritasti, sola supplicatione recōciliasti. Si verò sic quoque tibi graue, tristitia authori te amicum fieri, multò grauius in gehennam decidere. Et si illi hoc oppositum esset, tunc quod hoc est illo lōgè leuius, cognouisses. Et cùm decem millia quidem talenta debebat, nequā nō appellauit, nec contumelia prosecutus est, sed misertus est: cū autem in conseruum immitis apparuit, tunc ait: Serue nequā. Audiamus auari, ad nos enim est sermo: audiamus immites & sæui, quod nō aliis, sed nobis sumus crudeles. Cū ergo vis mali memoriā habere, cogita quod in teipsū mali memoriā seruas, non in aliū: quoniā tua ligas peccata nō proximi. Nā tu quidē quocūq; illū affeceris, affece-

tis vt hominem, & in præsenti vita: hîc autem non ita, A sed re grauius vlciscetur, & illic vltione futura: ait enim, *Tradidit eum donec reddat debitum*: hoc est semper, nunquam enim redder. Postquam beneficio melior factus non es, reliquum est, vt vltione corrigaris, licet immutabiles sint gratiæ & dona, sed tantùm malicia præualuit, vt & hanc legem resoluat. Quid igitur quàm mali memorem esse peius, cùm tantam & talem Dei gratiam subuertere conspiciatur? Neque simpliciter eum tradidit, verùm & iratus. Nam cùm vendi quidem iussit, non irati sermo, propterea neque fecit, sed erat maxima clementiæ occasio: nunc autem indignationis multæ, multæ vltionis & pœnæ sententia. Quid itaque parabola significat? *Sic*, inquit, *faciet & vobis pater meus, nisi remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris peccata*. Non dicit, pater vester: sed, pater meus. Nõ enim dignum est talium patrem Deum vocari, qui tam improbi sunt, & in homines maleuoli. Duo hîc itaque requirit, & vt de peccatis nos condemnemus, & B aliis dimittamus, & illud propter hoc, vt hoc facilius reddatur. Qui namque sua cogitat, erit in conseruũ clementior: neque simpliciter dimittere iubet ex ore, sed ex corde. Ne contra nos igitur ensem agamus, malorũ memoriam retinẽtes. Qua nãque te tali affecit læsione, quæ te contristauit, quali temetipsum afficis iram reminiscens, & à Deo contra te sententiã trahẽs te damnantem? Si verò vigilaueris, & prudenter agas, in illius caput iniuriam conuertes, & ille fiet qui malũ patiatur. Si verò molestè ferens, & indignatus permaneas: tũc ipse detrimentũ patieris, nõ ab illo, sed abs temetipso. Itaq; ne dicas, Me contumeliis affecit, & calumniatus est, & innumera intulit mala. Nam quãtò plus dixeris, tantò magis ipsum ostendis benefactorẽ: abluẽdi namq; peccata præstitit occasionem. Quantò maioribus igitur affecit iniuriis, tantò tibi maiorum remissionis peccatorũ author efficitur. Si velimus enim, afficere nos iniuria poterit nemo: verùm & inimici nobis maximè prode- C runt, & quid homines dico? Quid diabolo fuerit deterius? attamen & inde multã profectus occasionẽ habemus & charitatis. Quod Iob quoque testatur, cui diabolus occasio fuit coronarum. Quid hominem horres inimicũ: Vide, quæso quantùm lucreris, inimicorum æquè ferens insolẽtias. Primùm quidẽ & maximũ, quod à peccatis absolueris. Secũdò, tolerantiã acquiris & patientiam. Tertiò, mansuetudinẽ & clementiã. Nam qui contra læd̃tes nescit irasci, multò magis se diligẽtibus facilis erit. Quartò, mentem semper ab ira sincerã, cui nihil par fuerit. Ab ira nãque sincerus, proculdubio & tristicia, quę inde oriri solet, immunis existit. Nec in vanos labores atque dolores vitam impendet. Qui nãque nescit inimicitias exercere, neque nouit tristari, sed deliciis infinitisq; fruetur bonis. Itaq; proximos odio prosequẽtes nosipsos vlciscimur, sicut beneficium conferentes nosipsos diligimus. Ad hæc omnia fies & venerabilis & ipsis aduersariis, licet etiam dæmones sint: D quinimmo nec amplius ita te gerẽs, inimicum habebis. Quod autem omnium est maximũ & primum, Dei lucraberis amicitiam, licet peccator fueris, assequere veniam: & sic correctus, maiorem fiduciam assumes. Hoc igitur prẽstemus, ne quenquã oderimus, vt & nos Deus diligat, vt licet decem millium rei simus talẽtorum, clementiam exhibeat & misereatur. Sed ab eo passus es iniuriã, itaque misereris illius, ne prosequaris odio, deste potius & luge, nec auertaris. Non enim es tu qui Deum offendisti, sed ille: tu verò & probabilis euades, si toleraueris. Cogita quod crucifigi debẽs Christus de se quidẽ ipso gaudebat, pro crucifigẽtibus autem lachrymas dabat: ita nos quoque conuenit affici. Et quantò maiores patimur iniurias, tantò magis inferentes deflere. Nam hinc nobis multa quidem bona, illis verò contraria. Sed coram omnibus contumeliam intulit & inspuit. Ergo coram omnibus seipsum confudit, & honore priuauit, & innumeris accusatoribus ora reseruit: tibique plures contexuit coronas, multósque tibi patientiæ præcones congregauit. Sed apud alios calumniatus est. Et quid hoc? cùm Deus qui omnia scit, pœnas sit exacturus, non autem illi qui audierunt: nam sibiipsi pœnæ materiam addidit. Nec tantùm de propriis, verùm & de his quæ contra te locutus est, rationem redder. Et te quidem apud homines accusauit, ipse verò apud Deum accusãtus est. Si autem hæc tibi non sufficiunt, cogita quod & Dominus accusatus est, & à satana, & ab hominibus, & apud eos qui maximè diligebantur. Et huius vnigenitus rursum eadem est passus, propterea dicebat: Si dominum domus Beelzebub vocauerunt, Matt.10. multò magis seruos eius. Nec tantùm eum improbus ille dæmon accusauit, verùm fidem fecit: nec mediocribus accusabat criminibus, sed maximis opprobriis & reatibus. Nam & eum dæmonium habere dixit & seductorem, decóque contrarium esse. Sed ab illo quem beneficiis affeceras, mala passus es. Et propterea pro illo Ioan.7. & 8. qui fecit, maximè lachrymas & dolorem impende pro Matt.27. teipso autem & gaude, quoniam Deo factus es similis, qui Solem suum facit oriri super malos & bonos. Matt.5. Sed si vires tuas excedit imitatio Dei, licet nec hoc sit vigilanti difficile, veruntamen si tibi maius hoc esse videtur, ad conseruos agè te deducamus: Ad Ioseph in- Gen.37. Exod.32. numera passum, & de fratribus optimè meritum: Ad Mosem post infinitas pro persequentibus orantem insidias: ad Paulum, nec habẽtem quomodo numeret quæ Roma.9. perpessus est ab huiusmodi, & petentem pro eis anathema fieri: Ad Stephanum lapidibus obrutum, & deprecatum vt eis hoc dimitteretur peccatum. Et his omnibus aduersis omnem iram elimina, vt & omnia nobis errata nostra Deus dimittat, gratia & benignitate domini nostri Iesu Christi, cui honor & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

In inuentione sanctæ crucis, homilia xxj.

INCERTO INTERPRETE.

IN *illo tempore, accesserunt ad Iesum Pharisæi,* Matt.19. *tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem suam quacunque ex causa.* Et reliqua. Iustus dominus omnium, qui sic diligit alios, vt alios non contemnat. Nam sicut omnes illi debent gloriam quasi Domino, sic ille debet omnibus misericordiam quasi seruis. Nam si semper eum vnus teneat locus, iam non est possessor omnium hominum, sed possessor aliquorum. Reliquit Iudæam, & venit in fines Iudææ, scilicet Galilæam patriam suam, de qua fuerat natus. Quasi Sol altius ascendens, reliquit Orientem, & venit in Iudæam quasi ad occasum, vbi fuerat obiturus: in pace passionis occumbens: iterum nobis alium diem nouiorem suæ resurrectionis ostendere volens, vt dicamus cum Apostolo: Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Et secu- 2.Cor.5. tæ sunt eum turbę multæ, quasi testimonia salutaris doctrinæ eius, quasi oues pastorem in manu ipsius genitæ & nutritæ. Producebant eum quasi paruuli filij patrem peregrè, longéque proficiscentem. Et quid pater proficiscẽs? Bona pignora charitatis eis reliquit pro exilibus remedia sanitatum. Et sanauit eos, ibi apparet, quia parati erant populi sequi eum etiam in fines Iudæę. Sed ne quis existimet Iudæorum, sicut erant detractores, quòd ad commendationem opinionis, & ad testimoniã virtutum

tutum suarum, iactantiæ causa trahat secum multitudi- A nem infirmorum, ideo sanauit eos, & dimisit maximè cùm sufficerent & ipsi ad gloriam, & hominibus ad salutem, testimonia in suo loco nascentia. Et accesserunt ad eum Pharisæi, tentantes eum, & dixerunt: Si licet homini vxorem suam quacunque ex causa dimittere? Viro casto qualiscunque vxor bona videtur: quia perfecta charitas vitia non sentit. Qui diligit vxorem, de soluendo matrimonio legis præcepta necessaria non habet: vbi autem de matrimonio soluendo lex requiritur, illic iam odium demonstratur. Vbi odium inuenitur, illic iam fornicatio esse cognoscitur. Quemadmodum si videas hominem assiduè amicitias medicorum colẽtem, ex ipsa re statim intelligis, quia infirmus est: sic & cùm videris, siue virum, siue mulierem de dimittendis vxoribus, aut viris, legem interrogantes, cognosce quia vir iste lasciuus est, & mulier illa meretrix est: sic & Iudæi homines fornicarij & contaminati, qui habentes vxores habere non videbantur: quia vxor illis non erat B quasi iucunda possessio castitatis, sed quasi desertum exilium libidinis illic relegatæ. Nam in matrimonio mox castitas delectat, libido autem quasi vinculo coniugij colligata torquetur. Et non sit nouum quod dicimus, quia castitas in matrimonio delectat. Nam primus gradus est castitatis syncera virginitas: secundus autem, fidele coniugium. Ergo species secunda virginitatis, est matrimonij casta dilectio. Adierunt ergo Iesum tentantes, vt viderent si voluntatis eorum amicus esset, an castitatis patronus: vt si quidem diceret, quia licet dimittere, laudarent eum: si autem non, contradicerent ei, & hoc est propriè tentare. Qui autem vera interrogat, quicquid audierit, conquiescit. Si licet homini dimittere vxorem suam quacunque ex causa. O effrænata lasciuia. Sciebant nanque quia nullam causam idoneam habebant circa dimittendas vxores suas propter solam turpitudinem, alias atque alias sibi cõiungebant. Ideo timuerunt interrogare ex quibus causis, ne C ipsas intra angustias certarum causarum constringeret: sed interrogauerunt si ex causis omnibus licet, scientes quia modum nescit libido: sed quantò exercetur, tantò magis accenditur, non leuiter nec intra terminos vnius coniugij se capit libido. Genes.1. *Ille respondens, ait eis: Non legistis, quia qui fecit ab initio, masculum & fœminam fecit eos?* Dicens, non legistis, id est, legistis quidem: sed noluistis facere quod legistis: conscientiam illorum ad testimonium prouocat, vt ostendat eis quoniam ideo interrogant, ne firmiter discãt quod dubitant, sed vt excusabiliter faciant, quòd inexcusabiliter peccãt. Masculum & fœminam: non masculum & multas fœminas, vt vni masculo liceat multas fœminas possidere; neque masculos & fœminam, vt vni fœminæ liceat multos viros excipere: sed masculum & fœminam, vt vna fœmina nullum masculum putet esse in sæculo, nisi vnum: & vnus masculus nullam putet fœminam esse in sæculo, præter vnam. Non enim duas aut tres costas Dominus tu- D lit de latere viri, & duas aut tres fecit mulieres. Cùm ergo secunda aut tertia vxor steterit ante faciem tuam, Ibid. 2. sicut tunc Heua ante Adam, quomodo illi dicet: Hoc nunc os de ossibus meis? Nam si vera costa est illa mulier, tamen non tua. Si ergo non illi dixeris, non illam confirmas esse tuam: si autem dixeris, mentiris. Si ergo ad hoc Deus masculum & fœminam ex vno creauit, vt sint in vnum: quare ergo & de cætero vir & mulier non ex vno vtero nascuntur, sicut volatilia quædam? Quia Deus masculum quidem & fœminam creauit propter necessitatem filiorum generandorum, tum semper castitatis fuit amator, & continentiæ author. Ideo illum typum non seruauit in omnibus, vt si qui-

dem vult homo nubere secundùm primam dispositionem creationis humanæ, intelligat quid est vir & vxor: si autem noluerit nubere, non habeat necessitatem nubendi, propter coniunctionem natiuitatis, ne fortè videatur per suam continentiam alteram perdere quę nolebat esse in continentia: quomodo dicimus post coniuncto matrimonio, ne alter altero nolente separetur: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam.* Pro- Ibidem. pter quid? Quia ex viro est vxor, & ex vna carne sunt ambo. Ergo nunc maior charitas debet esse inter fratres, & sorores: quia isti quidem ex eisdem parentibus exeunt, isti autem ex diuersis. Sed hoc magnum est nimis, quia fortior est Dei constitutio, quàm virtus naturæ. Non enim præcepta Dei naturæ sunt subiecta, sed natura præceptis obtemperat. Deinde fratres licet ex vno nascantur, tamen ideo nascuntur, vt diuersas vias petant. Vir autem & vxor licet ex diuersis, tamen ideo nascuntur, vt in vnum conueniant. Ergo hi quamuis non ex vno, ad hoc creati sunt, vt sint vnum. Vides ergo quia non seipsum sequitur ordo naturæ, sed ordinationem Dei. Ex teipso considera. Quod enim est in herbis aut in arboribus humor, hoc est in hominibus amor. Sicut herbæ ex humore nascuntur & crescunt: sic homines per amorem incipiunt & augentur. Humor quidem de radicibus ascendit in herbam, de herba autem non reuertitur ad radices, sed rursum transmittit in semen: sic & charitas de parentibus ascendit ad filios, de filiis autem non reuertitur ad parentes. Ideo parentes quidem filios diligunt, sed non diliguntur à filiis: quia sicut herba non deorsum, sed sursum ad semen transmittit humorem: sic & homo non ad parentes, sed ad procreãdos filios transmittit affectum. *Et erunt duo in carne vna.* Sicut qui spiritaliter se diligunt, multorum animæ quasi vna anima dicuntur esse, dicente scriptura: Omnium credentium erat cor Act.4. vnum, & anima vna: sic vir & vxor, quia carnaliter se diligunt, vna caro dicuntur. C *Dicunt illi: Quid ergo Moses præcepit dare libellum repudij?* Displicet peccantibus doctrina iustitiæ, grauis est fornicariis interpretatio castitatis. Sed contra rationem quod est, respondere non possunt, veritati tamen credere non acquiescunt. Quid ergo? conferunt se ad patrocinium viri sanctissimi Mosi, cuius personam verebantur omnes & timebant, vt doctrinam Christi, quam ratione vincere non poterant, per authoritatem lepidioris personæ destruerent: vt dum Moses irreprehensibilis reprehendi timetur, veritatis interpretatio taceatur: sicut solent homines facere, malam causam habentes, confugiunt ad potentes viros, vt quod iustitia non potest, vincat persona. Tanquam si ita inuidiosè respondeat: Quid ergo Moses præcepit in lege, qui fuit qua- Exod.33. & 34. si visibilis lingua inuisibilis Dei, qui incorruptibilem gloriam corruptibilibus oculis vidit: & testimonium Deitatis in vultu suscipiens portauit ad populum? Tu autem homo vilissimus, fabri lignarij filius, quomodo destrues quæ ille constituit? Si filius Dei es, sicut dicis, quare confundis ministerium tuum? Si homo es similis nostri, quomodo reprehendis authorem tuum? Si malum est, quare præcepit? Si bonum est, quare destruitur? *Tunc ait Iesus: Moses propter duriciam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras.* Frequenter vobis Moses propter duriciam vestram iniustitiam quasi iustitiam præcepit, in eremo Deo hostias offerre. Et quomodo dicit per Prophetam: Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos? Sed quia Psal.49. patres vestri egressi erant de Ægypto, corpore tamen, non animo: nõ totam Ægyptum secum in moribus baiulabãt. Vidit itaque eos Moses propter delectationem

Universidad de Deusto
Biblioteca

carnalem circa ſtudia ſacrificiorum eſſe inclinatos, ſi mandaſſet eis recedere à ſacrificiis, non fuerat audiendus: Quia annoſa paſſio medicamento momentaneo non curatur. Iuſſit eos ſacrificare quidem, ſed non iam dæmonibus, ſicut in Ægypto, ſed Deo viuo. Dimidium mali permiſit, ne totum perderet bonum. Hac ratione permiſit vos dare libellum repudij, quia melius iudicauit permittẽte lege matrimonia ſolui, quàm odio compellente homicidium fieri. Permiſit vobis mala facere, ne faceretis peiora. Ergo vobis hoc permittendo, non vobis Dei iuſtitiam demonſtrauit, ſed à peccato abſtulit culpam peccandi, vt quaſi ſecundùm legem agentibus, vobis peccatum veſtrum non videatur eſſe peccatum: vtpote ſicut habens ſeruum qui furatur, & inebriat ſe, conſiderans dominus, quia ſi vtrumque inſimul mandauerit obſeruare, nihil proficit: mandat illi vt bibat quidem quantùm vult, ſed publicè bibat, vt hoc quidem quod bibat, ſit ſecundùm modum bonum, vt paulatim diſcat obaudire præceptis: ſic permiſſum eſt B & repudium, malum quidem, ſed licitum. Hac ratione & apoſtoli permiſerunt ſecundas adire nuptias, propter incontinentiam hominum. Nam ſecundam quidem accipere, ſecundùm præceptum Apoſtoli eſt: ſecundùm veritatis autem rationem, verè fornicatio eſt. Si ſecundùm permittente Deo publicè, & licenter committitur, fit honeſta fornicatio. Propterea bene dixit, quia Moſes hoc permiſit, non præcepit. Aliud eſt enim præcipere, aliud permittere: quod enim præcipimus, ſemper erit: quod autem permittimus, nolentes permittimus: quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non poſſumus. *Amen amen dico vobis, quicunque dimiſerit vxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, mœchatur.* Omnis res per quas cauſas naſcitur, per ipſas abſoluitur. Matrimonium enim non facit coïtus, ſed voluntas: & ideo non illud ſoluit ſeparatio corporis, ſed ſeparatio voluntatis. Ideo qui dimittit coniugem ſuam, & aliam non accipit, adhuc maritus eſt. C Nam corpore iam ſeparatus eſt, tamen adhuc voluntate coniunctus eſt. Cùm ergo alteram acceperit, tunc plene dimittit. Non ergo qui dimittit, mœchatur, ſed qui alteram ducit. Sicut autem crudelis eſt & iniquus, qui caſtam dimittit, ſic fatuus eſt & iniuſtus, qui retinet meretricem. Nam patronus turpitudinis eius eſt, qui crimen celat vxoris. Imitatores ergo debemus eſſe Dei, vt ſicut ille agit cum Eccleſia, ſic nos agamus cum coniuge. Ille enim nunquam derelinquit populum, niſi ad gentilitatem vel ad hæreſim voluntate tranſierit, aliàs autem peccantem caſtigat quidem, tamen miſereri Pſal. 88. non ceſſat, dicente Propheta: Si dereliquerint filij eius legem meam, viſitabo in virga iniquitates eorum, miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis. Sic & vir meretricem quidem dimittat, aliàs autem malæ moratam caſtiget, & teneat. Quomodo? Tribus modis. Primùm, docendo ſecũdùm Deum: ſi autem timorem Dei non ſentit, improperando, vt vel homines erubeſcat. Si D nec pudorem ſentit frequenter confuſa, faciat illi quod præcepit Salomon: Duram baculo percute. Ergo primùm admone, quia multum proficit doctrina iuſtitiæ. Deinde confunde, quia frequẽter & pudor frænum eſt vitiorum, Tertiò, iuſtum eſt vt caſtigetur, quaſi ancilla quæ erubeſcere neſcit vt libera. Moraliter: de Galilæa turbę in myſterium gentium ſecutæ ſunt Dominum in fines Iudæę, ibique curatæ ſunt, iuſtæque in fines trãſierunt Iudææ: nec enim potuiſſent curari, niſi relictis finibus ſuis, in fines tranſiſſent Iudææ, ſicut ſcriptum eſt Eſa. 2. in Eſaia propheta: Et venient omnes gentes, & dicent: Venite, aſcendamus ad montem Domini, & in domum Dei Iacob, & annunciabit nobis viam ſuam, & ambulabimus in ea. Et curatæ ſunt gentes in finibus Iudææ rum, ad cõfuſionem ipſorum, quia gentes quidem & in aliena ſecutæ ſunt Chriſtum, Iudæi autem in ſuis finibus conſtitutum contempſerunt & repulerunt, & in fornicationibus ſuis corporalibus fornicationem ſuam confeſſi ſunt ſpiritalem dicẽtes: Si licet viro dimittere vxorem ſuam quacunque de cauſa? Quia in animo non poteſt eſſe caſtus, qui corpore eſt laſciuus, hoc eſt, non poteſt Deo eſſe fidelis, qui vxori ſuæ perfidus eſt. Sicut nec ex diuerſo conſcientiam ſeruat, qui Deo fidem non ſeruat, ſed altera alterius fornicationis eſt accuſatrix. Nam etſi interim non præuaricatur laſciuus, tamen iam in eo ſtatutus eſt vt præuaricaretur, ſi corruptio perſuaſionis acceſſerit. Et illi quidem ſecundùm carnem interrogabant, quæ pati merebantur ſecundùm ſpiritum: ſi licet dimittere vxorem quacunque ex cauſa. Chriſtus autem eis reſpondit, quod facere eos decebat, dicens: *Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob cauſam fornica-* *tionis, & aliam duxerit, mœchatur.* Sicut enim vxorem quocunque modo contra voluntatem viri agentem dignum eſt repellere, non autem iuſtum eſt quantùm ad grauitatem viri, niſi ob cauſam fornicationis: ſic & Eccleſia quocunque modo contra voluntatẽ egerit Chriſti, abiici digna eſt: non autem abiicitur propter longanimitatem Chriſti, niſi ſola cauſa tranſgreſſionis. Sicut enim Chriſtus ſi dimiſiſſet prius Eccleſiam Iudæorum, non eis ſubminiſtrans per ſcripturas noticiam diuinitatis ſuæ, ipſe feciſſet eam adulterare cum diis extraneis, quoniam natura rationabilis & ſubdita Deo, & à Deo creata, ſine Deo non poteſt eſſe: ſic Chriſto conſcientiam ſuæ diuinitatis ſubminiſtrante, quoniam ſynagoga tranſibat ad idola, inexcuſabilis adultera eſt reperta. Propter quod repulit eam Chriſtus. Non repulit eam quacunque ex cauſa, ſed propter fornicationis ipſius cauſam: quia non ſolùm relicto Chriſto, diabolo ſe coniunxit, ſed etiam interfecit, pro quo mori debuerat. Ab C initio enim Deus genuit Chriſtum, deinde hominẽ rationabilem, naturã angelorum & animarum quaſi coniugem potentem ſuſcipere verbum ipſius. Ideo clamat: Quod Deus cõiunxit, homo non ſeparet. Et multis quidem modis homo ſeparat, quod Deus cõiunxit. Quando enim quis aut dicit, aut facit aliquid per quod ſcãdalizati homines recedunt à Chriſto, homo ſeparat quod Deus coniunxit. Sed etſi nullus alter hoc faciat, ipſe autem ſe homo peccans à Deo præſcindat, repellens ſpiritum à ſe, homo videtur ſeparaſſe quod Deus cõiunxit. *Dicunt ei diſcipuli: Si ita eſt cauſa viro circa vxorem, nõ expedit nubere.* Audientes & apoſtoli, cogitabãt apud ſe, mulier bona difficilè inuenitur, proteſtante Salomone: In Eccleſ. 7. mille quidẽ vnum virum inueni, mulierem autem in his omnibus nõ inueni. Quid eſt autem aliud mulier, niſi amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, neceſſarium malũ, naturalis tentatio, deſiderabilis calamitas, domeſticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura, boni decore depicta? Ergo ſi dimittere illam peccatum eſt, tenere verò illam tormẽtum eſt: neceſſe eſt, vt aut dimittentes, adulterium faciamus: aut tenentes, quotidianas pugnas & amaritudines habeamus. Ideo reſpõderunt: Si ita cauſa eſt viro cum vxore, nõ expedit nubere. Tũc Dominus non dixit, quia expedit: ſed magis conſenſit, quia non expedit, ſed infirmitatẽ carnis aſpiciens, dixit: *Non omnes capiunt verbũ iſtud, ſed quibus datum eſt.* Nõ dixit. Non omnes capiunt, id eſt omnes capere poſſunt, non tamen capere volũt. Palma propoſita eſt. Qui concupiſcit gloriam, non cogitat de labore. Nemo vinceret, ſi omnes periculũ pugnæ timerent. Ex eo quòd quidam non poſſunt, & à propoſito continentiæ cadunt, non debemus circa virtutem caſtitatis fieri pigriores. Si enim

enim quidam in pugna cadentes non exanimant cæteros, ſed dicunt illis, ſi datum fuiſſet, rem non applicant pugnæ, ſed homini: quantò magis nos cadentes negligentiæ imputare debemus, non difficultati virginitatis? Quod dicit, Quibus datum eſt: non hoc ſignificat quoniam quibuſdam datur, quibuſdam non datur: ſed illud oſtendit, quia niſi auxilium gratiæ acceperimus, nihil ex nobis valemus. Quoniam autem volentibus gratia Matt. 7. non denegatur, in euangelio Dominus dicit: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulſanti aperietur. Debet autem voluntas præcedere, & ſic ſequitur gratia. Nam neque gratia ſine voluntate aliquid operatur, nec voluntas quid ſine gratia poteſt. Nam & terra non germinat, niſi pluuiam ſuſceperit, nec pluuia fructificat ſine terra.

In commemoratione ſancti Pauli, homilia xxij.

INCERTO INTERPRETE.

IN *illo tempore, dixit Simon Petrus ad Ieſum: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te,* Matt. 19. *quid ergo erit nobis?* Et reliqua. Quoniam poſſibile fuit Deo ſaluare Iudaicum populum multas in lege diuitias poſſidẽtem, credentium Iudæorum multitudo teſtatur, ſiue per ipſum Chriſtum, ſiue per apoſtolos eius, vt bonitatis illius inueſtigabile pelagus humana æſtimatio non apprehendat, ſed victa miretur tamen, quia dixit Dominus: Apud homines impoſſibile hoc eſt, quantum ad Luc. 18. naturam: apud Deum poſſibile eſt. Ecce ſubitò excitatur Petrus vnus ex populo illo diuite & difficili, ex perſona credentium Iudæorum, & clamat quaſi teſtis potentiæ Dei factus, & confirmans Chriſti promiſſionem, & dicit: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid nobis erit? Quoniam autem & ipſe Petrus, & omnes apoſtoli, cæteríque credentium Iudæorum, con- C Matt. 16. tra poſſibilitatem humanam per Dei potentiam crediderunt in Chriſtum, ipſe teſtatur dicẽs ad Petrum: Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & ſanguis nõ reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in cœlis eſt. Sermo iſte conuenit ad omnes, vt ſingulis quibuſdam dicatur: Quoniam beatus es tu, quia non caro & ſanguis reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt. Ieſus autem dixit eis: Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſedebit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël. Futurum autem erat, vt in die iudicij reſponderent Iudæi: Domine, non te cognouimus filium Dei in corpore conſtitutum. Quis enim hominum videre poterat theſaurum in terra abſcõditum, Solem nũbe celatum? Quis ſuſpicabatur ſtellam matutinam naſci ſuper terram? Quis putabat mulierem quæ clauſit paradiſum, vt nemo in eum intraret, vt ipſa fieret prima porta paradiſi, vt lux per illam procederet, per D quam tenebræ intrauerunt? Ergo in iniuriam noſtram non nos impulit contumacia cordis, ſed decepit conſideratio carnis. Vos reſpondebitis eis: Et nos fuimus homines ſicut vos, ſimilem habentes animam, eandémque naturam carnis: in vno viximus mundo, eiſdem factionibus mundialium ſpirituum periclitantes, ipſis protectionibus Dei adiuti. In hoc autem vos meliores fuiſtis nobis, quoniam nos fuimus homines piſcatores, & ruſtici, & obſcuri in plebe: vos autem ſacerdotes, & ſcribæ, & principes populi. Nos illum cognoſcere potuimus homines piſcatores & ruſtici, & vos eum cognoſcere non potuiſtis ſacerdotes & ſcribæ, qui habebatis præ oculis veſtris ſcripturas, quaſi lampades ſcientiæ? Nos antequam mirabilia eius videremus, intelleximus eum: vos autem vel poſt teſtimonia tantarum virtutum intelligere non poteratis? Quomodo potuit fieri, vt pene tota gens ignoraret, quem duodecim cognouerunt? Eſto. Quia non credidiſtis ei, neſcientes eum filium Dei: qua cauſa interfeciſtis eum, nullam culpam inuenientes in eo? Sed in nobis bona voluntas facta eſt quaſi lucerna ruſticitatis noſtræ: in vobis autẽ malicia facta eſt quaſi caligo ſcientiæ veſtræ. Adhuc autem audeo & ſubtiliorẽ introducere ſenſum, magis alterius cuiuſdam viri ſapientis referre. Exponit enim, quoniam ſicut Iudæorum populus in duodecim tribus fuit diuiſus: ſic & vniuerſus populus Chriſtianus diuiſus eſt in duodecim tribus, ſecundùm quaſdam proprietates animarum, & diuerſitates cordium, quas ſolus Deus cognoſcere & diſcernere poteſt: Vt quædam animæ ſunt de tribu Ruben, quædam autem de tribu Simeon, vel Leui, vel Iuda. Puto enim ſicut B omnes ſancti, quinque virgines prudentes eſſe dicuntur, quamuis ſint innumerabiles, propter quinque ſenſus ſpiritales: & omnes peccatores quinque virgines fatuæ, quamuis ſint innumerabiles, propter quinque ſenſus carnales. Et ſicut omnes Eccleſiæ Chriſti, Apoc. 1. ſeptem dicuntur Eccleſiæ, quamuis multæ ſint, propter ſeptem ſpiritus: omnes enim ſancti in quibus præ cæteris virtutibus abundantior eſt ſapientiæ virtus, vna habetur Eccleſia. Item in quibus præ cæteris virtutibus abundantior eſt intellectus, altera dicuntur Eccleſia: & ſic per ſingulos tractans, inuenies Eccleſias ſeptem: ſimiliter & propter gratias duodecim, qui in perſonis duodecim virginum exponit angelus in paſtore, ſi cui tamen placeat illa ſcriptura. Omnium namque Chriſtianorum inueniuntur duodecim tribus eſſe: vtpotè omnes animæ, in quibus præcellit virtus veritatis, vna eſt virtus. Nec enim gratiæ in omnibus æqualiter ſunt, ſed vnus quidem amplius præcellit in iC ſta, alius autem in illa. Omnes autem Chriſtiani, in quibus habitat Chriſtus, ſedes ſunt Chriſti. Quod ergo ait: *In regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, & vos ſedebitis ſuper duodecim thronos.* Promittit eis tempus Chriſtianitatis futurum poſt aſcenſionem ſuam, quando omnes ſuſcipient verbum apoſtolorum in ſe, ſicut verbum Chriſti. Illud enim eſt tempus regenerationis, quando homines regenerati per baptiſmum, facti ſunt ex filiis hominum, filij Dei. Illud eſt tempus, quando ſedet Chriſtus in ſede maieſtatis ſuæ, ſicut teſtatur Propheta de Gentium fide futura: Re- Pſal. 46. gnabit Deus ſuper Gentes, Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam. Quicunque enim Chriſtum in ſe ſuſcipiunt credendo, ſedes ſunt maieſtatis eius. Et vide, quia non de tempore futuri iudicij dicit, ſed de vocatione gentium vniuerſarum. Nec enim dixit: Cùm venerit filius hominis, ſedens ſuper ſedem maieſtatis ſuæ: ſed ita, cùm ſederit in ſede maieſtatis ſuæ. In ſede autem maieſtaD tis ſuæ, ex eo cœpit ſedere, ex quo gentes credere cœperunt in eum. Ex quo ergo Chriſtus ſedit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ, ex eo & apoſtoli ſederunt ſuper duodecim thronos, id eſt, in omnibus Chriſtianis, ſecundùm diuerſitates animarum, quas ſupra tetigimus. Omnis Chriſtianus qui ſuſcipit verbum Petri, thronus ſit Petri, & Petrus ſedet in eo: Sic & omnium apoſtolorum doctrinam ſuſceperunt, & tenẽt in ſe hanc interpretationem, de diuerſis tribubus populi Chriſtiani. Et de ſeſſuris apoſtolis in ſedibus commendat Propheta, dicens: Hieruſalem, quæ ædificatur vt ciuitas, Ibid. 121. cuius participatio eius inidipſum. Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini teſtimonium Iſraël. Quia illic ſederunt ſedes in iudicio. Si ergo Hieruſalem, quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

ædificatur vt ciuitas, Ecclesia sine dubio: & qui illic assenderunt, tribus Christianorum sunt: sedes & tribus qui sederunt illic, apostoli sunt. Apostoli enim sunt sedes Dei. Nec modica gloria est apostolorum, vt sermones eorum sedeant in hominibus fidelibus, sicut Christi sermones: & in sermonibus eorum vita hominum consistat, sicut in sermonibus Christi. Sic ergo sedentes apostoli in thronis Christianis, in duodecim partibus distincti, secundùm differentias animarum, iudicant duodecim tribus Israël, id est, omnes Iudæos. Quãdo enim per verbum apostolorum iudicant Iudæos, ipsi apostoli iudicare eos videntur. Sed videndum si omnes Christiani in persona quidem Christi, & apostolorum sunt sedes Christi: quare omnes Christiani in persona quidem Christi, quasi vna sedes dicuntur? Nec enim dixit, cùm sederit filius hominis super sedes suas: sed, super sedem suam. In persona autem apostolorum duodecim throni esse dicuntur, omnis populus Christianus. Vide si habet rationem ista solutio. Quoniam omnes apostoli, omnia quidem bona habuerunt: non autem omnia ad perfectum, sed vnusquisque eorum in aliquo bono priuato magis perfectior fuit, quàm alter: vtpote Petrus in fide fortior, quàm cæteri. Ioannes innocentia simplicior, quàm cæteri. Et sicut solus discernere potest Christus, qui animarum differentias nouit: ita Petrus requiescit in fide, Ioannes in innocentia, & vniuscuiusque apostoli illa virtus in thronis, in qua perfectior cæteris fuit: Christi autem omnes virtutes quasi vna est fides, quia in omni virtute æqualiter ille solus perfectus est: Nam quoniam de tribulatione in hoc mundo apostolis danda loquitur Christus, illud est testimonium, quod sequitur hoc modo, dicens: *Et omnis qui reliquerit hoc & hoc, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Id est, non solùm vos, sed & omnes qui secuti me fuerint, sicut vos. Si autem omnes in hoc sæculo centuplum recipiunt, sine dubio & apostolorum etiam in hoc sæculo merces futura promittebatur. Ait ergo Dominus: *Et omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Quoniam Petro interrogante ex persona apostolorum, cæterorúmque fidelium Iudæorum, quasi priore omnium, Christus ita promisit non soli Petro, sed apostolis omnibus, ne fortè postmodum legentes homines hæc Christi promissa æstiment apostolis tantum, aut solis Iudæis esse promissa, vtiliter addidit, dicens: Et omnis qui reliquerit, id est, siue Iudæus, siue Gentilis. Et in aliis quidem Euangelistis secundùm alium exposuimus intellectum: hîc autem & adolescentem illum, qui de vita æterna magistrum requisiuit, proposuimus in mysterio Iudaici populi esse, & ipsum Petrum interrogantem in mysterio credentium Iudæorum interpretatio conuenit, vt de Gentibus relinquentibus omnia, quæ gentilia sunt, & ad Christi fidem confugientibus, omnia ista tradamus: id est, non solùm omnis Iudæus, sed etiam Gentilis, qui reliquerit patrem suum diabolum, & matrem suam ignorãtiam, per quam assiduè diabolus ex semine interfecti, id est, interdicti erroris generat filios, aut fratres, aut sorores, videlicet eiusdem erroris socios, sociásque: aut si crediderit ille qui fuit sacerdos, relinquens idololatriam ipsam coniugem suam, per quam quotidie filios generabat, & filias, & ipsa pariter cum matre eorum relinquens: aut si alicuius professionis magister, relinquens ipsam professionem, quasi agrum fertilem credat in Christum, aut dignitatem sæcularem, quasi domum optimè se obumbrantem, despiciat propter fidem. Sed secundùm traditionem simplicem conuenit intellectus, vt cùm quis intellexerit quocũque modo filium Dei esse Christum, non propter affectus parentum suorum, aut fratrum, aut filiorum, aut facultatum relinquat Christum, manens in perfidia sua priore: sed propter fidem Christi despiciat omnia illa, & sequatur vestigia Christi. Sed hoc videamus, qui reliquerit omnia, centuplum in hoc sæculo quomodo recipere potest. Hæc autem difficultas contigit, quia in hoc sæculo recepturos dicit alter euangelista, alioquin in hoc sæculo difficile non est. Ergo secundùm sanam doctrinam ita nos cõuenit intelligere quod dicit, Centuplum recipiet: non vt ipsam rem quam dimittit, centuplum recipiat: nec enim possibile est, vt qui patrem aut matrem reliquit, centum patres, aut matres recipiat: sed ita tantam gloriam, tantam gratiam, tantam beatitudinem consequatur, vt centuplum valeat illi, quàm res fuit quam dimisit. Ecce reliquit patrem, & elegit sibi patrem Deum. Nónne plus centuplum ei cõstabit, quàm pater carnalis, vt illi obsequatur diebus ac noctibus, illius faciat voluntatem, illius hæreditatem expectet: qui postquam substantiam tradidit suis, nunquam moritur, neque relinquit orphanos filios suos, sed & filij quasi perfecti viri possident diuitias eius, & pater semper illos sic tuetur, sic protegit, quasi semper infantes? Qui matrem reliquit, vt diligat matrem Ecclesiam, nónne plus est ei centuplum, quàm mater carnalis? Illa enim carnem eius peperit corporalem, hæc autem animam eius regenerauit æternam. Qualis caro, talis & mater carnalis. Cùm enim mortua fuerit caro, perit generatio carnis, & soluitur generationis affectus. Ex illo enim nec ille illi filius, nec illa illi mater, quia anima nec generat, nec generatur: & nullum cognoscit patrem, nisi eum cuius voluntate creata est: nullam cognoscit matrem, nisi Ecclesiam, quæ illam generauit in fide, quæ dedit ei mandata diuina ex duobus testamentis, quasi escam salutarem dulcissimi lactis ex duabus mamillis, quæ illi aqua & spiritu texuit tunicam immortalem, quæ ad perfectum sanctitatis adduxit, vt digni fuerint patris sui substantiam possidere. Qui reliquerit fratrem, vt habeat Christum fratrem, nónne melius est ei, quàm centum fratres? Qui fratribus suis non inuidet, qui super hæreditatem non certat, qui propter lucrum non rupit fraternitatis affectum, qui non solùm omnia sua, sed etiam seipsum dare paratus est: qui cùm omnia dederit, nihil ei minuitur. Nam humana substantia semper pauper est, & quantumuis homo habuerit, nihil se putat habere: illa autem substantia sola est, quę omnium desiderium satiat, & adhuc superabundat. Qui reliquit sorores, statim eum recipiunt gratiæ Dei, quasi chariſſimæ sorores. Non vlla soror sic dulciter cõplectitur fratrem suum, quomodo gratiæ Dei cõplectuntur animam sanctam. Nam quoties gratiæ Dei in sensibus nostris hærent, & delectant nos: toties animas nostras complecti & osculari videntur. Si filios dimiserit, prouidet ei Deus filios spiritales, quos doceat, quos erudiat, quibus dicat apostolica voce: Nam in Christo Iesu per euangelium ego vos genui: qui patris mortem non expectent. Nam filij carnales, si modicum fuerit pater eorum senex, tædiantur de vita ipsius, desiderant eum mori, & si citò mortuus non fuerit, contemnunt eum quasi delirum: filij autem spiritales, quantò perfectiores fuerint in fide, tantò amplius diligunt suum doctorem. Si dimittit substantiam, ab omnibus diligitur, ab omnibus honoratur, à quibusdam autem & timetur. Nam ipse Deus, cui se tradit, dat ei gratiam coram hominibus. Nónne melius est ei hoc, quàm vniuersa terra? aut quæ substantia tantam gloriam præstat homini super terram, quantam opinio sanctitatis? Adhuc pro terrena substantia datur illis substantia spiritalis,

Matt. 19.

Marc. 10. & Luc. 18.

1. Cor. 4.

ritalis, quam iunior filius accepit à patre suo, & consumpsit viuendo luxuriosè, id est, sapientiam, scientiam, cæteráque virtutes innumerabiles, quas consequuntur, qui relictis facultatibus mundialibus se Deo tradiderint. Multi enim erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. Primò enim synagoga vocata fuerat ad salutem, sed illa vitio infidelitatis ægrotante in domo patris sui, id est, legis: & ex gentibus Ecclesia surgens de infirmitate peccatorum suorum cucurrit ad Christum, vincens fide languorem, & sic gratiam synagogæ transmissam præripuit. Synagoga autem videns Ecclesiam non solùm ab infirmitate sua sanatam, sed etiam accepta gratia à Spiritu sancto filiam Dei factam, accessit & ipsa ad Christum, magis zelo vrgente, quàm fide, sicut dicit Apostolus: Sed illorum delicto salus est gentibus, vt illas æmulentur. Et synagoga, quæ sic primo loco vocata est, secundo credidit: Ecclesia, quæ in secundo loco vocabatur, & primitias salutis obtinuit apud Deum.

Marc. 10.

Rom. 11.

Dominica prima aduentus Domini, homilia xxiij.

INCERTO INTERPRETE.

IN illo tempore, cùm appropinquasset Iesus Hierosolymam, & venisset Bethphage ad montem Olineti, tunc misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea. Et reliqua. Puto res ipsa exigit, vt quęramus. Frequenter quidem Iesus venit in Hierusalem, sicut Ioannes testatur, nunquam tamen sibi adhibuit ministeria iumentorum, nec ramorum virentia circa se ornamenta constituit, nec ad terribilem laudem suæ diuinitatis animos populi excitauit, nisi modò quando vt pateretur ascendit. Ideo ergo cum tanta gloria ingressus est, vt amplius illorum aduersum se excitaret inuidiam: quia iam tempus passionis eius instabat, & non mors eum vrgebat, sed ipse magis aduersùm se compellebat mortem. Quoties enim de manu sacerdotum elapsus euasit, cùm esset inuisibilis factus? Quando Iudæi Christum voluerunt occidere, tangere eum non potuerunt. Quando autem Christus secutus est mortem, parcere ei Iudæi non potuerunt. Ergo sic Christus eos prouocauit, an fortè de morte sua fecit eos innoxios? Absit, non excitauit eos, vt facerent quod ante noluerant, sed vt possent facere, quod prius volebant. Facultas eis data est, non mutata voluntas. Tunc Iesus misit duos discipulos, dicens: Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite & adducite mihi. Asina & pullus eius, Iudæi sunt & Gentes. Iudæa enim secundùm Deum mater est Gentium, sic enim dicit ad illam Deus per Esaiam Prophetam: Et constituam principes tuos sicut antea, & consiliarios tuos sicut ab initio, & tunc vocaberis ciuitas iustitiæ, & mater ciuitatum, id est, Ecclesiarum fidelis Sion. Propter quasdam tales similitudines animalibus his assimilati sunt homines Deum vel Dei filium non cognoscentes. Etenim animal hoc immundum, & præ cæteris pene iumentis magis irrationabile & stultum, infirmum & ignobile, & onoriferum magis: sic & homines fuerunt ante Christum, idololatriis, & passionibus diuersis immundi, & irrationabiles, verbi ratione carentes, & quantùm ad Deum stulti. Quid autem stultius, quàm factorem contemnere quasi facturam & opus manuum suarum adorare quasi factorem? Erant infirmi secundùm animam, & ignobiles, non valentes resistere passionibus suis, & obliti generationem suam cœlestem, facti fuerant serui passionum suarum, & dæmonum, quibus resistere non valebant. Et quicunque dæmonum, vel philosophorum cuiusque erroris vel dogmatis alicuius sarcinam eis voluisset imponere, sufferebãt, & omnia fortè cum non bona patientia supportabant. Propter quæ omnia & Apostolus ad Corinthios dicit: Videte vocationem vestrã fratres, quia non multi sapiẽtes secundùm carnem, non multi fortes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia, & contemptibilia mundi elegit Deus, & quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret. At vbi Christus super eos ascendit & induxit in templum, loti per baptismum, facti sunt de immundis animalibus homines sancti. Percepta enim verbi ratione & sapientia Dei, facti sunt homines rationabiles & prudentes: & inuenta est irrationabilitas eorum esse simplicitas, & stultitia eorum mãsuetudo. Nam simplicitas sine ratione verbi, hominis irrationabilitas est: & mãsuetudo, si non fit propter Deum, stultitia est. Adhuc autem accepta gratia, & recognita generatione sua cœlesti, facti sunt de infirmis & ignobilibus fortes & nobiles: & quæ videbatur infirmitas, innocentia inuenta est in eis, ignobilitas autem humilitas. Nam innocentia sine Deo infirmitas æstimatur & humilitas nõ propter Deum, ignobilitas iudicatur. Item reiicientes à se onera dæmonum, & suscipiẽtes super se iugum Christi suaue, & onus eius leue, & ipsum sessorem in cordibus suis suscipientes, facti sunt patientes. Nam patientia irrationabilis onerifera æstimatur, ligata, id est diaboli ci erroris vinculo impedita, vt non haberet libertatem ire quò vellet. Nam omnes homines antequam peccemus, liberum quidem habemus arbitrium, si volumus sequi voluntatem diaboli, an non. Quòd si semel peccantes obligauerimus nos operibus eius, iam nostra virtute euadere nõ possumus: sed sicut nauis fracto gubernaculo illuc ducitur, vbi tempestas voluerit: sic & homo diuinæ gratiæ auxilio perdito per peccatum, non quod vult agit, sed quod diabolus vult. Et nisi Deus valida manu misericordiæ suæ soluerit illum, vsque ad mortem in peccatorum suorum vinculis permanebit. Ergo nostra quidem voluntate & negligẽtia alligamur, sed per Dei misericordiam absoluimur. Sicut enim videmus in istis mundialibus regnis, quomodo in primis quidem nemo potest facere seipsum regem, sed populus creat sibi regem, quem eligit: sed cùm ille rex fuerit factus, & confirmatus in regno, iam habet potestatem in hominibus, & nõ potest populus iugum eius de ceruice sua repellere. Nam primùm quidem in potestate populi est facere sibi regem, quem vult: factum autem, de regno iam repellere non est in potestate eius: & sic voluntas postea in necessitatem conuertitur: Sic & homo, priusquam peccet, liberum habet arbitrium, vtrum velit sub regno esse diaboli, an non: cùm autem se, peccando tradiderit sub regno ipsius, iam non potest de potestate eius exire, & sic prima voluntas eius in necessitatem conuertitur. Et hoc est quod homines seculares & peccatores dicere solent: Nunquid nolumus esse sancti? & quis non vult esse iustus? sed non possumus. Verum quidem est quod dicunt, sed non habent excusationem: quia primum potuerunt non esse sub potestate diaboli, si voluissent: postquam verò posuerunt thronum diaboli in cordibus suis, iam nemo potest eos eripere de potestate diaboli, nisi solus Deus. *Soluite*, inquit. Quomodo? Per doctrinam vestram, & per mitacula vestra: quia omnes Iudæi & Gentes per Apostolos liberati sunt. *Adducite mihi.* Ad ministerium, id est, ad gloriam corrigite illos. Duos autem misit Apostolos, quia per duo generalia mandata omne genus humanum de peccato absoluitur. Qualia? Diliges Domi-

Matt. 21.

Luc. 4.

Esa. 1.

1. Cor. 1.

Deut. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

num Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tu-
um sicut teipsum. In his duobus omne peccatum ex-
pellitur, & omnis iustitia consummatur. Aut certè alia
Tobiæ 4. duo: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Et iterum:
Matth.7. Quod vultis vt faciant vobis homines, facite & vos il-
lis similiter. Quidam autem duos istos Petrum & Phi-
lippum Apostolos exponit intelligere oportere, quo-
niam hi primùm transgredientes Iudaicos fines, Gen-
tes adduxerunt ad Christum: Philippus quidem Sama-
riam, quam ipsam Samariam asinam esse interpretatur:
Petrus autem Gentes, accipiens Cornelium ex Gentibus, quasi Samariæ pullum. *Et si quis vobis dixerit aliquid, dicite: Dominus operam eorum desiderat.* Nec dicatis, Do-
minus tuus, neque Dominus noster, neque Dominus
iumentorum, vt intelligant omnes quia ego solus Do-
minus, non solùm animalium, neque solùm eorum, qui
mihi subditi sunt, sed omnium hominum, etiam qui mi-
hi contrarij sunt. Nam & peccatores conditione qui-
dem mei sunt, voluntate autem sua diaboli. Meus est e- B
nim orbis terræ, & plenitudo eius. Dominus operam
Psal.23. eorum desiderat. Iustum est, vt aliquando creatura ser-
uiat suo factori. Gentes enim Deus in potestate diabo-
li pro tempore reliquit, vt tentet: non in æternum con-
sumpsit, vt perdat. Necesse est autem vt fiat quod scri-
Ibid.35. ptum est: Homines & iumenta saluabis Domine. Con-
festim autem remittet eos. Animal quidem postquam
ingressum est in Hierusalem, inde ad Dominum suum
remissum est: animalis autem prophetia in Iudæa re-
mansit. Nam de animali illo non hoc quod videbatur
necessarium erat Christo, sed id quod intelligebatur: id
est, non caro, sed ratio: ideóque caro remissa est, ratio
autem retenta. Aut ita, non dixit, & iterum remittet eos
ad te: sed tantum, remittet eos: ne ministerium præce-
deret rationem. Nam puto in primis homines non ser-
mone nudo vocauit Apostolorum, sed per virtutem
Spiritus sancti soluit pariter, & adduxit. Postquam au-
tem adduxit, iterum dimisit eos in arbitrio, vt labore C
suo comitante gratia iustificetur. Nam quòd vocati su-
mus, Dei est: quòd autem digni vocatione viuimus,
nostrum pariter & Dei est. Hoc est quod ait: *Iterum remittet eos.* Non ad diabolum qui prius tenebat eos, sed
in arbitrio suo, in quo antea fuerunt, adiuuante scilicet
Esa. 61. & Zach. 9. dono gratiæ. *Hoc autem totum factum est, vt impleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium iumenti.* Dominus enim ascendens ad mor-
monte m. tem * in Hierosolymam, magnã gratiam pacis, & con-
cordiæ mundo vniuerso quasi in testamento reliquit.
In mysterium enim gentium futurarum sedens super a-
sinam & pullum eius, intrauit in templum: & sic Gentes
Iudæis coniunxit. Sciens autem Propheta malitiam Iu-
dæorum, quia contradicturi fuerant Christo ascenden-
ti in templum: ideo ante præmonuit, vt per hoc signum
cognoscerent regem suum Iudæi, dicens: Ecce rex tuus
venit tibi mansuetus, &c. Ecce, ostendentis est verbum, D
id est, videte, non carnali aspectu, sed spiritali intellectu
opera virtutum eius aspicite, non schema visionis eius.
Si enim schema tantùm eius aspexeritis, decipiẽdi estis
natura humana: si autem opus eius consideraueritis,
saluandi estis in virtute diuina. Ante tempora autem
multa constitutus Propheta, videns eum spiritali aspe-
ctu, qui nondum fuerat natus: ideo dicebat, Ecce, vt
ostenderet, quia ille de quo loquebatur, antequam na-
sceretur, iam erat. Cùm ergo videritis eum in templo ô
Matt.21. Iudæi, nolite superbè agere contra eum, dicentes: In
qua potestate facis hæc? Quia ecce rex tuus venit man-
suetus, sedens super asinam. Nolite considerare in qua
potestate facit, sed considerate tantùm si facere potest:
quoniam hoc credere est, illud autem tentare. Ecce rex
tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam. Nolite
Ioan.12. dicere: Nos non habemus regem, sed tãtummodo Cæ-
sarem. Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super
asinam. Si intellexeritis, venit tibi: si non intellexeritis,
veniet contra te: id est, si intellexeris, veniet vt saluet
te, vt sub pedibus tuis subiuget Gentes, vt gaudens per
Psal.46. Prophetam dicas: Quoniam Dominus excelsus, terri-
bilis, & rex magnus super omnem terram: subiecit po-
pulos nobis, & Gentes sub pedibus nostris: elegit nos
hæreditatem sibi speciem Iacob, quam dilexit. Si autem
non intellexeris, veniet vt perdat te, & de templo san-
ctitatis expellat, & aliam sponsam de gentibus castio-
rem ducat in cubiculum sanctitatis, vt tu proiecta, & in
Cant.1. tenebris constituta dicas per Salomonem: Ne aspexeri-
tis me, quoniam ego sum denigrata, quoniam despexit
me sol. Vis cognoscere mãsuetudinem venientis? con-
sidera speciem aduentus eius: non sedet in curru aureo,
B precisa purpura fulgens, neque ascendit super equum
feruidum, amatorem discordiæ & litis, qui iactãtia glo-
riæ pectus habet repletum, qui de longinquo odoratur
bellum, & gaudet ad vocem tubæ: & cùm viderit san-
guineam pugnam, dicit in corde suo benefactum: sed
sedet super asinam trãquillitatis & pacis amicam. Non
autem vides in circuitu eius splendentes gladios, & cæ-
tera ornamenta armorum terribilium. Sed quid? ramos
frondentes, testimonia pietatis. Venit ergo mansuetus,
vt non propter potentiã timeretur, sed vt propter man-
suetudinem amaretur. Sedens super asinam & pullum
eius. Esto, super matrem sedebat, nunquid & super pul-
lum sedebat? Tamen etsi corporaliter fieri non poterat,
vt super animal vtrunque sederet, spiritaliter poterat,
cum esset Deus, vt & in Iudæis sederet & Gentibus si-
mul. Sedere autem est super iumenta, id est, in præcor-
Matt.11. diis habitare, vt dicat illis Christus: Tollite onus meum
super vos, & videte quoniam mitis sum, & humilis cor-
de. Mansueti enim mansuetum debent portare, quia vo-
cauit eos sessor: non vt puniat eos propter peccata eo-
rum, sed vt ipse requiescat in eis propter mãsuetudinem
eorum. Nam sicut hoc genus iumenti si quid errat, in
simplicitate errat, & non in asperitate: ita & homines
qui crediderunt in Christum, siue ex Iudæis, siue ex
Gentibus, non in malitia, sed in ignorãtia peccauerunt:
ideo sedere debent, non puniri sub graui sessore. Nam
sicut peccatores equi sunt diaboli, ita & sancti equi sunt
Christi: quia diabolus in peccatoribus sedens instigat
eos per deserta facinorum, id est, per fornicationes & a-
uaritias: Christus autem sedens in sanctis dirigit eos per
plana iustitiæ, id est, in castitate, in humilitate. Ergo e-
quitatus diaboli, perditio est: equitatus autem Christi,
Abac.3. salus. Sicut Abacuc dicit in canticis suis ad ipsum: Qui
ascendis super equos tuos, & equitatus tuus sanitas est.
Ergo induxit populum in templum, vt Gentes Iudæis
Gen.49. coniungat, vt impleatur quod Iacob benedicens filium
suum Iudam prophetauit: Alligans, inquit, ad vitem
pullum suum. Quæ est illa vitis? Iudæa quæ de Ægypto
translata est, & in Oriente plantata. Et sicut prophetа-
Ibid.9. uit Noë de filiis suis, dicẽs: Benedictus filius meus Sem,
dilatet Deus Iaphet, & inhabitet in tabernaculis Sem.
Sem enim erat pater Iudæorum, Iaphet autem pater
gentium, quæ per Christum ingressæ sunt in tabernacu-
la Iudæorum. *Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præ-
ceperat illis Iesus, & adduxerunt asinam & pullum.* Quòd
euntes Apostoli soluerunt asinam alienam, mysterium
quidem fuit illorum, virtus autem, & authoritas Chri-
sti. Nec enim potuissent tollere iumentum alienum ab
illo domino, qui nõ eos agnoscebat qui essent, nisi præ-
ueniens eos spiritus Christi, cor Domini eius præpara-
set ad dan-

set ad dandum. Sic quòd Apostoli soluerunt Iudæos, A
vel gentes de vinculo inimici, in prima quidem facie
eorum videbatur opus, reuera autem virtus fuit & gra-
tia Christi. Nec enim à Christo duodecim constituti,
totum mundum ligatum sub potestate diaboli soluere
potuissent, nisi gratia Christi confregisset virtutem ini-
mici. *Et imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desu-
per sedere fecerunt.* Vestimenta sunt præcepta diuina, &
gratia spiritalis. Sicut enim nuditatis turpitudo vesti-
mento tegitur, sic naturalia mala carnis nostræ præce-
ptis & gratia diuina teguntur. Omnis enim homo natu-
raliter non solùm peccator est, sed etiam totus peccatũ,
Ephes.2. dicente Apostolo: Eramus natura filij iræ, sicut & cæte-
ri. Vnde & Adam ideo se vidit nudum, id est peccato-
rem: & ideo foliis fici, id est, mandatis asperæ legis co-
operuit nuditatem suam. Et alibi promittens se Deus
iustitias suas, & gratias ablaturum de gente Iudæa sic
dicit per Oseæ Prophetam: Et auferam vestimenta mea
& linteamina, & ostendam Gentibus turpitudinem e- B
ius. Ergo imposuerunt vestimenta super eos, id est,
mandata & gratias quas ipsi acceperunt à Christo: su-
per Iudæos & Gẽtiles imposuerunt, id est, tradiderunt.
Nec enim requiescere in eis potuisset Christus, nisi eius
mandata fuissent in eis. *Plurima autem turba vestimenta
sua sternebant, alij autem scindebant ramos de arboribus, &
sternebant in via:* Videlicet vt veniente calcarentur iu-
mento. Vestimenta sunt mandata: vt diximus: fron-
des autem speciem tenent pietatis. Quoniam ergo o-
mnia mandata legis, & species Iudaicæ religionis à
Christianis fuerunt conculcanda in via, id est in Chri-
sto: ideo iam tunc illa sub pedibus iumenti sternebant
in via. Et vide quoniam super iumentum quidem Apo-
stoli posuerunt vestimenta sua, sub pedibus iumenti cæ-
tera turba Iudaica: quoniam mandatis quidem Apo-
stolorum sternuntur Christiani & adornantur, legis au-
tem mandata ipsi conculcant. Quotiescunque enim
circumcisionem spernimus, sacrificia Iudæorum pro ni- C
hilo æstimamus, & cæteras consuetudines Iudaicas re-
probamus: vestimenta Iudæorum quibus ipsi indue-
bantur, nos qui sumus ex Gentibus, sub pedibus nostris
calcamus. Alius autem sic: Qui vestimenta, inquit, de-
posuerunt super asina, Apostoli sunt, cæterique doc-
tores: vestimenta autem sunt decus, & schemata gloriæ:
gloriam ergo quam Christus accepit à Patre, dedit di-
scipulis suis. Discipuli autem accipientes eam à Christo
dederunt gentibus, vt delectabiliter Christus sederet in
Ioan. 17. eis, sicut ipse dicit: Et ego gloriam quam dedisti mihi,
dedi eis: vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Turba
autem quæ vestimenta sua sternebat in via, credentes e-
rant ex circumcisione: qui gloriam quam habebant ex
lege, videntes Christum, deiecerunt in terram, semet-
ipsos humiliantes, & cum Paulo Apostolo dicentes:
Philip.3. Secundùm iustitiam quæ ex lege est, conuersatus sum
sine querela: sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc æstimaui
propter Christum detrimenta, & arbitror stercora esse D
vt Christum lucrifaciam. Quid est enim aliud iustitiam
legis terræ coæquare ante sublimem, & gloriosam? Qui
autem ramos de arboribus præscindebant frondentes,
& ipsi erant credentes, & eruditi doctores, qui ex Pro-
phetis accipientes exempla viua de Christo, quasi de
arboribus semper virentibus, & nunquam folia verbo-
rum suorum deiicientibus, ramos frondentes ante pe-
des subiugalis, hoc est Gentilis populi ponebant, vel
sternebant, vt per ea exempla quasi per ramos virentes
sine offendiculo ambularent per viam vitę istius, donec
introirent in sanctuarium Dei. *Turbæ autem quæ præcede-
bant, & sequebantur, clamabant: Hosanna filio Dauid.* Me-
mores populi mirabilium eius quæ ostendit eis, & sani-
tatum quas præstitit eis, exultantes cordibus suis antè
& retrò clamabant: Hosianna filio Dauid. Qui præce-
debant seniores erant, scilicet Patriarchæ, Prophetæ,
cæteríque sancti, qui ante aduentum Christi de aduen-
tu eius & prædixerunt, & cognouerunt: sequentes au-
tem iuniores, scilicet Apostoli, martyres, cæteríque do-
ctores, qui post ascensum Christi de resurrectione eius
& de ascensu, vel de operibus prædicauerunt, vel præ-
dicant. Et diuersis quidem temporibus fuerunt, tamen
in omnibus vnus exultationis spiritus fuit. Et illi qui-
dem prophetantes de Christo venturo clamauerunt:
Benedictus qui venit in nomine Domini. Isti autem
laudantes clamabant de aduentu Christi iam adimple-
to. Hosianna autem quidam interpretantur gloriam,
alij verò redemptionem, alij saluifica, siue saluum fac.
Nam & gloria illi debetur, & redemptio illi conuenit,
quia omnes redemit, & preciosa sui sanguinis effusione
saluauit, qui cum Deo Patre viuit & regnat, in sæcula
sæculorum. Amen. B

*Diui Ioannis Chrysostomi de arbore ficus à Domino
arefacta, homilia xxiiij.*

INCERTO INTERPRETE.

ET *factum est*, inquit, *cùm transiret Iesus, vi-* Matt. 21.
*dit arborem fici plantatam super viam, &
esuriuit, & accessit ad illam, & non inuenit
fructum in ea: quia non erat tempus eius. Et
maledixit eam, & aruit: & mirati sunt disci-
puli eius.* Si ad arborem fici esuriens Dominus venit: &
quia tempus non fuit, idcirco in ea fructum non repe-
rit: cur eam idem Dominus maledixit? Nec enim pro-
priæ voluntatis vitio, fructum non habuit: cui desidera-
tos fructus, temporis necessitas denegauit. Igitur si tan-
ta vis est, vt necessitati debita imponantur, id est, vt alie-
no tempore fructus de arbore exigantur: quanta vis es-
se poterit, si voluntas non exhibeat, quod debetur? Nec
enim voluntas poterit excusari, cùm excusata necessitas
non sit. Sed primò quærendum est: cur esurierit Domi-
nus, qui omne animal pascit. Deinde, cur ad arborem
accessit, quam fructum non habere certò certius sciuit.
Pòst, cur eam arborem maledixit: quæ non sua volun-
tate, sed temporis necessitate fructum non habuit. Nisi
enim arborem figuratam in homine acceperis: ratio-
nem istam inuenire non poteris. Nouerat enim Domi-
nus exhibendi fructus tempus non esse: nouerat ob hoc
arborem maledici non debere, quæ tunc forsitan male-
dicẽda fuisset, si suo tempore debita denegaret. At cùm
Dominus Christus quicquid in sæculo gessit, quicquid Tam
docuit, vel quascunque parabolas intulit, in ipsis homi- Christi
nem designauit, cuius causa salutis descendit, quem aut parabolæ
instruxit, aut monuit, aut armauit. Instruxit, dum dixit: homi-
Ecce ego mitto vos, sicut vos in medio luporum. Mo- nem de-
nuit, dum dixit: Nè dederitis sanctum canibus. Ar- lineant,
mauit, dum dixit: Nolite timere eos, qui corpus occi- quam
dunt: animam autem occidere non possunt. Est autem ipsius
in arbore similitudo hominis, ad quem Dominus esuri- facta.
ens venit. Quid autem esuriit in homine Dominus, Matt.10.
quidve ab eo sibi desiderat exhiberi, nisi quod ipse Deo Ibid.7.
Patri exhibuit? Meus, inquit, cibus, & meus potus est, vt Ibid.10.
faciam voluntatem eius, qui misit me. Hæc ab homine
exigit Christus, quæ ipse Deo Patri exhibuit. His enim
saginari certum est, quibus ab eo saginatus est Pater.
Hæc à nobis exigit, quæ se præbuisse Deo Patri ostẽdit.
Exhibe Christo, quæ Christ° exhibuit Deo: redde filio,
quod Filius reddidit Patri. Inde promeretur Christia-
nus, vnde Deum promeruit Christus. Non esuriat Do-
minus, cùm non obsequitur seruus: non sitiat Christus,
Ioan. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum non obtemperat Christianus. Sagina Domini, officia sunt serui. Tu operaris, & Dominus pascitur: tu obsequeris, & Dei filius saginatur. Esuriui, inquit, & dedisti mihi manducare. Non es arbor à Deo plantata, si bonos fructus non exhibes. Omnis, inquit, arbor non faciens fructus bonos excidetur, & in ignem mittetur. Matt. 25. Ibid. 7. Psal. 1. Non es plantatus iuxta tractus aquarum, si fructum tempore suo non reddis. Et erit, inquit, velut lignum, quod plantatum est iuxta tractus aquarum, quod fructum dabit in tempore suo. Non te patitur diu suo in agro consistere, si intelligi contigerit esurire. Infructuosas enim arbores in vinea sua Dominus permanere non patitur, sicut ipse in Euangelio suo testatur. Ecce triennium est, ex quo venio: & fructum in ista arbore non inuenio. Abscinde illam. Vt quid terram euacuat? Omnis sterilitas maledicta arescit, & cum aruerit, igni & incendio proficit. Molestus terror est: vbi securis ad radices arborum posita repentinum excidium comminatur. Iam, inquit, securis ad radices arborum posita Matth. 3. & Luc. 3. est. Audi itaque securis istius terribilem vocem: & para- Prosopopœia. tum vlcisci sollicito metu formida. Aut redde, inquit, fructus, aut ferio: aut igitur exhibe, quod iuberis: aut facio quod præcipior. Non te patiar sine fructu consistere, quæ infructuosas arbores iussa sum amputare. Esto itaque homo arbusculæ tuæ valde diligens cultor, esto huius plantationis solicitus semper amator: vt in ea arida quæcunque sunt, abscindantur: quæ infructuosa sunt, amputentur: quæ fructuosa sunt, excolantur: diffusos ramos & nemorum opacitate condensos, spiritali falce compone, vt abundantes fructus potius, quam luxuriam mali germinis nutriant: ramorum nimios & abruptos excessus diligenti solicitudine reseca, vt resecati in fœcunditatem fructuum exurgant. Vbertate enim germinis, non inani specie Dominus delectatur. Steriles non amat: fœcundas exoptat, fructuosas diligit: aridas amputare consueuit. Sagina igitur tuis fructibus Dominum, vt suis te ipse saginet. Sterili- C tate tua non esuriat, ne & ipse faciat te esurire. Da illi fructus, quos exigit: & accipe, quos promittit. Exhibe ei quod desiderat: & accipies ab eo, quod donat. Tribue ei nascentia, quæ cupit: & ipse tibi, quæ cupis, attribuet. Tunc enim poteris eius fructibus saginari, si eius esuriem à te contigerit satiari. Dictum est breuiter esurire Dominum. Quid sit, dehinc quod sequitur, videamus. *Et accessit*, inquit, *ad arborem Dominus: vt fructum in ea inquireret, & non inuenit, quia tempus non fuit.* Diximus superius in hominem figuram esse arboris transferendam: cùm Dominus Christus nec ad arborem posset nisi figuratè, alieno tempore accedere, nec ab ea fructum qui deerat, quasi desiderans postulare. Sed hoc totum, vt diximus, in figura hominis gestum est, qui semper debet in sese debitos fructus habere, nec vnquam sine ipsis inanis & vacuus consistere: quippe qui paratus sit semper, vt si fortè Dominus ad eum venerit, & fructum in eo, id est officia sancta quæfierit: D inueniat eum semper paratum, sempérque fructibus bonæ vitæ instructum, vt si eum ducere secum voluerit, beatum fœlicémque adducat: aut si relinquere in mundo voluerit, in exemplum multorum relinquat. Nam quod dicit, Non fuit tempus, vt fructum Dominus inueniret: hominis isthic causa tractatur. Tempus enim exigendorum de homine fructuum, id est, quòd Dominus iudicium celebrabit, quo singulorum actus & vitam discutiens, aut bonos fructus cœlesti præmio honorabit, aut malos gehennæ ignibus religabit. Tamen quia nonnunquam ante tempus iudicij, id est, hîc in sæculo, Dominus consuecit anteuertere iudicium, vt nunc de nobis exigat, quod iudicij tempore exacturus A est: monet debere nos esse paratos, id est fructibus sanctæ vitæ instructos, ne subitò sine fructu inuentos, exemplo istius arboris maledicat: sicut nos ipse Dominus admonet, dicens: Estote, inquit, parati: quia ne- Matt. 24. scitis, quando Dominus vester adueniat. Non enim ô homo contradicere iudici poteris: si à te modò velit exigere, quod illum nosti futuro iudicio destinasse. Tuum verò illud est tantum, semper esse paratum, semper solicitum, semper salutaribus officiis instructum, vt quocunque venerit tempore tuos actus discutere, iudicium celebrare: dignus semper existas, qui merita vitæ cœlestibus præmiis digna expendas. Sic aliquando diluuium inopinatò dimittens, genus humanum extinxit: sic Sodomitas Dominus imbri flammifero iudica- Genes. 7. uit, sic Ægyptios mersit, Amorrhæos deleuit: & non- Exod. 15. nunquam homines diuerso iudicio hîc in sæculo iudicauit. Aliud est enim manere vacuum, nec timere Domini præiudicium: aliud securum & lætum expectare B iudicium. Dum enim securus quis in mundo incautus & segnis, tarditatem iudicij contemnens, sine fructibus bonæ vitæ consistit: sic præoccupatus à iudice, istius arboris exemplo maledictus arescit, sicut ipse Dominus in Euangelio dicit: Si autem dixerit seruus ille nequam Luc. 12. in corde suo: tardat Dominus meus venire, & incipiat cædere conseruos suos manducans & bibens cum inebriantibus se: veniet Dominus in die eius, qua nescit, & hora qua non sperat, & partem eius cum infidelibus ponet. Diximus primò quid sit esurire Dominum: deinde diximus accessisse ad arborem eum, vt fructum inueniret in ea, & non inuenit, quia tempus non fuit. Sequitur nouissimè, quia ipsam arborem maledixit, & aruit. Tu in hac arbore homo Dei terreris, tu instrueris, tu salubriter admoneris: tibi procurantur exempla, tibi causæ aptantur, propter te istius arboris argumenta traduntur. Si habes in te fructus, serua: si non habes, repara. Hæc enim aut seruientes terrent, aut contemnentes perimunt: aut solicitos saluant, aut temerarios condemnant. Tu in arbore ista consistis, tu hoc exemplo pulsaris: per ipsam tibi aut salus, aut causa, aut vita, aut pœna tribuitur. Aduentum Domini bonis fructibus præueni. Constitue in via paratissimos accelerans fructus. Quod in te Dominus optat, inueniat: quòd quærit, reperiat: quod desiderat, habeat: ne quod à Deo arbori contigit, tibi contingat. In arbusculam prolatum est iudicium, vt tibi proficiat in exemplum. Maledictio arboris tribuat metum, pariat fructum, feruet iudicium. Quantò tardauerit Dominus, tantò sit solicitior seruus: quantò diutius superuenit Christus, tantò sit paratior Christianus. Maior est enim pœna dilata quàm subita: molestius supplicium, quod præmisso terrore differtur: grauior pœna, quæ ad hoc tardat, vt diutius feriat. Subita enim citò percutiunt, dilata fœneratam pœnam restituunt. Non est prouidus seruus, quem imparatum inuenerit Dominus. Actus tuos tu ipse discute, & quòd D displicuerit, corrige: rationes quas daturus es, cautè compone, vt Dominus illas possit, cùm acceperit, acceptare. Quare tu homo, qui in similitudine arboris figuraris: esto viuidus, esto fœcundus, esto bonis fructibus plenus. Nullus in te ramus sine fructu remaneat: nullus locus sine fœcunditate consistat. Dominus cùm ad te venerit, tuis fructibus gaudeat: vel si ad te miserit, saginam in te desideratam inueniat, vt qui quod sterilem arborem maledixit, fœcundam tuam arborem in æterna sæcula benedicat.

Dominica

Dominica xxij. post Pentecosten, homilia xxv.

INCERTO INTERPRETE.

Matt. 22. IN *illo tempore, abeuntes Pharisæi, consilium inierunt, vt caperent Iesum in sermone.* Omnis malitia confunditur aliquoties ratione veritatis, corrigitur autem nunquam: maximè eorum qui proposito malo, & non ignorantia peccent. Ecce enim sacerdotes postquam Luc. 20. terrere Dominum non potuerunt, dicentes: In qua potestate hæc facis? postquam parabolarum ratione con- Matt. 21. stricti, suo iudicio ipsi se reos fecerunt, dicentes: Malos malè perdet. Nemine contra eos dicente testimonium, nisi conscientia sola. Nunquid compunxit eos timor peccati? nunquid compescuit eos vel libertatis consideratio? Sed quid? abierunt, & consilium acceperunt, vt eum caperent in sermone. Quemadmodum si aliquis claudere voluerit currentis aquæ meatum, si vna ex parte clausa fuerit aquæ violentia, aliunde sibi semi- B tam rumpit: sic & eorum malignitas ex vna parte confusa, alium sibi aditum adinuenit. Sicut enim non potest fieri, vt ligna mittendo extinguas ignem: sic fieri non potest, vt rationem reddendo places hominem malum. Et sicut ignis quantò magis ligna susceperit, in maiorem flammam erigitur: sic animus malus quantò magis veritatem audierit, tantò amplius in malitiam excitatur. Abierunt ergo, & consilium acceperunt. Quò abierunt? Ad Herodianos. Nam ex eo quòd non dicit, consiliati sunt, sed consilium acceperunt: & ex eo quòd pariter cum Herodianis venerunt: apparet, quia cum illis eiusmodi circunuentionis consilium tractauerunt. Homines coloni cuius terram possident, eius auxilio opus habent: qui iustitiam tenet, nullius patrocinio indiget, nisi Dei: qui in diaboli iniquitatibus ambulat, diaboli adiutorium necessarium habet. Coloni enim Dei, diaboli adiutorium non requirunt: colonus autem diaboli, auxilium Dei non re- C quirit: & si quærit, non inueniet. Vidisti aliquando cuntem ad furtum Deum orare, vt bene prosperetur in furto? Aut qui vadit ad fornicationem, nunquid signum Crucis ponit sibi in fronte, vt non comprehendatur in crimine? Quod si fecerit, non solùm non iuuatur, sed amplius traditur: quia nescit iustitia Dei patrocinium dare criminibus. Sic & isti Christum expugnare cupientes, conuenienter non ad seruos Dei viros religiosos, sed ad Gentiles, id est, ad Herodianos se contulerunt: quale consilium, tales & consiliatores. Quis autem poterat dare consilium contra Christum, nisi diabolus qui erat aduersarius Christi? Cogitabant enim apud se sacerdotes, si nos cuntes interrogauerimus Christum: quamuis dixerit, quia non licet dari Cæsari tributum, tamen non nobis creditur dicentibus contra eum. Iam enim omnes norunt, quia inimici eius sumus. Inimicorum autem testimonium in iudicio, etsi verum fuerit, quasi suspectum reproba- D tur: sed nec per seipsos interrogare volebant Christum, quia in magna suspicione inimicitiæ fuerant apud Christum, ne fortè quasi suspecti circunuenire eum non possent. Nam inimicus manifestus melior, quàm amicus fictus. Ille dum timetur, facilè vitatur: iste dum non agnoscitur, prævalet. Miserunt ergo discipulos suos, quasi adhuc minus cognitos, & minus suspectos, vt aut absconditè facilè deciperent eum, aut deprehensi minus erubescerent apud eum. Nam consilio malo deprehenso, tantò minor nascitur confusio, quantò fuerit persona deterior. Sed discipuli illi magistris suis ætate minores erant, malitia autem pares: nam & pulli serpentum statura breuiores, veneno A autem æquales sunt: & catuli luporum adhuc teneri constituti, etsi venationem obtinere non possunt, iam tamen sanguine gaudent, & morsibus ludunt.

Dominica xxvj. post Pentecosten, homilia xxvj.

INCERTO INTERPRETE.

IN *illo tempore, accesserunt ad Iesum pharisæi,* Matt. 22. *& interrogauit eum vnus ex his legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in Lege.* Frequenter Iudæi diuersis interrogationibus Christum tentantes, sibi quidem acquisierunt interitum, nobis autem prouiderunt salutem. Nam verba Christi profecerunt illis ad confusionem, nobis autem ad ædificationem: quoniam responsis eius vincebantur, & non placabantur. Nam malitia frequenter quidem vincitur, nunquam autem placatur. Pharisæi sunt omnes, qui B contra veritatem contendunt, qui non veritatem defendere cupientes certant, sed subuertere festinant. Qui enim pro veritate contendit, cognita veritate consentit veritati: qui autem contra veritatem, non consentit veritati, manifestum est: quoniam prius non pro veritate, sed contra veri partem certabat. Audi igitur homo fidelis, qui contra hæreticum libenter contendis: Si pharisæi placati sunt, & tu certando contra hæreticum, potes eum placare, cùm viceris: si autem Pharisæi victi quidem sunt, placati autem non sunt: quomodo tu poteris eos placare, cùm viceris? Nunquid Christo fortior es, vt quos ille non placauit, tu places? Debuerunt quidem timere Sadducæorum exemplum, vt ne similiter interrogantes confundantur: sed ardens malitia, dum se satiare festinat, non aspicit exitum rei, vt tantummodo alteri noceat, nec sibi parcens. Sed si neminem antè vicisset, forsitan iusta ratione se sperarent posse eum vincere, à quo nullus est vi- C ctus: nunc autem videntes, quoniam quotquot eum interrogare ausi sunt, omnes victi recesserunt: quid æstimandi sunt isti? nunquid fortiores quàm cæteri, qui victis omnibus vincere possint? Sed impudentiores, quàm omnes qui confusis omnibus ante se, similiter erubescere non timuerunt. Conuenerunt in vnum, & interrogauit eum vnus legis doctor. Conuenerunt, vt multitudine vincerent, quem ratione superare non poterant. A veritate nudos se esse professi sunt, qui multitudine se armauerunt. Dicebant enim apud se: Vnus loquatur pro omnibus, & omnes loquamur per vnum: vt si quidem vicerit, omnes videamur victores: si autem victus fuerit, vel solus videatur confusus. O pharisæi, qui omnia propter homines cogitatis & facitis. Primùm quidem venientes cum vno, vincendi estis per vnum: tamen putatis quia vno victo, homines non intelligant omnes vos victos. Nunquid conscientiæ vestræ non sentiunt se esse confusas? Leuis est D enim consolatio, qui in seipso confusus est, quod ab aliis ignoratur. Magister, quod est mandatum magnum in Lege? Magistrum vocat, cuius non vult esse discipulus. Simplicissimus interrogator, & malignissimus insidiator, de magno mandato interrogat, qui nec minimum obseruat: ille enim debet interrogare de maiori iustitia, qui iam minorem impleuit. Dominus autem sic eum reprehendit, vt interrogationis eius fictam conscientiam statim primo responso percuteret, dicens: Diliges dominum Deum tuum in toto corde tuo: id est, non sicut tu, qui deuotionem ostendis in ore, & fraudem meditaris in corde. Magnum autem & minimum mandatum dicimus, quantùm ad dignitatem mandatorum, non quantùm ad vtilitatem. Alio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quin vtilitas omnium mandatorum vna est, & omnia A mandata quæ videntur esse mandatum, ita sibi cohærent, vt alterum sine altero esse non possit: vtputa si interroget te aliquis in ædificatione domorum, quæ pars est melior? dicis fundamentum. Sed quemadmodum ædificatio non potest esse, nisi fuerit fundamentum, ita nec fundamentum potest esse, nisi ædificatio fuerit subsecuta: nec dicitur fundamentum, nisi sit ædificatio cuius fundamentum dicatur: ergo fundamentum ædificatione dignius est, non vtilius. Sic & caput dignius est quàm membra, tamen nec membra sine capite, nec caput sine membris. Sic digniores sunt sacerdotes, quàm populus, non tamen vtiliores: quia nec populus sine sacerdotibus, nec sacerdotes sine populo esse possunt. Ita
Deut. 6. & dignius est hoc mandatum: Diliges Dominum De-
Exod. 20. & Deut. 5. um tuum ex toto corde tuo: quàm illud, Non concupisces, non occides, tamen vtilitas vna est. Nam qui diligit Deum, ille non occidit, aut concupiscit: qui autem occidit, aut concupiscit, non diligit Dominum Deum B suum. Esse autem minora mandata Dominus manifeMatth. 5. stat: Si quis vnum ex minimis istis mandatis soluerit, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Diliges, inquit, non timebis: quia diligere
1. Ioan. 4. maius est, quàm timere. Minoratio enim culturæ Dei habet timorem: perfectio autem, dilectionem, dicente Ioanne: Perfecta autem dilectio foras mittit timorem. Donec enim homo timet Deum, non eum diligit: cum autem diligere cœperit, iam non cum tantummodo timet, sed etiam amplius diligit. Timere enim seruorum est, diligere filiorum. Timor sub necessitate est, dilectio in libertate: qui in timore seruit Deo, pœnam quidem euadit, mercedem autem iustitiæ non habet, quia inuitus facit bonum propter timorem. Non vult ergo Deus, vt timeatur ab hominibus quasi Dominus, sed vt diligatur quasi pater, quia adoptionis spiritum donauit hominibus. Nam si conceperimus ab initio creati hominis causam, intelligimus, quia Deus se magis patrem C voluit esse hominum, quàm Dominum. Non enim di-
Genes. 1. xit tantummodo, Faciam hominem: sed, faciamus hominem secundùm imaginem nostram. Similare autem conuenit filiis ad patres suos, non etiam seruis ad dominos suos. Quid est diligere Deum ex toto corde tuo? nisi vt cor tuum nõ sit inclinatum ad vllius rei dilectionem amplius quàm Dei, nec delecteris quasi specie mundi amplius quàm Dei, non in honoribus, non in auro vel argento, non in possessionibus aut vineis, non in animalibus aut mancipiis, non in ornamentis aut vestibus, non in filiis aut parentibus, aut amicis: sed hæc omnia existimes tibi esse in Deo, vt præ his omnibus ames Deum. Si autem in aliquo horum amor cordis tui fuerit occupatus, iam ex toto corde non amas Deum. Pro quanta enim parte cor tuum fuerit ad aliquam rem, pro tanta parte minus est ad Deum. Ecce, si vir habeat vxorem, quomodo cognoscitur vxoris plena dilectio? D Vxor neminem debet sapientiorem putare quàm virum suum: etsi sit alter sapientior, tamen illa sapientiorem esse alterum intelligere non debet. Vxor neminem fortiorem debet putare quàm virum suum: etsi sit alter fortior, tamen illa intelligere non debet alterum fortiorem. Vxor neminem debet formosiorem putare quàm virum suum: etsi sit alter formosior, tamen coram oculis eius alter formosior non debet apparere. Perfectum enim odium, & perfectus amor verum iudicium non cognoscit: vtputa si perfectè odias aliquem, qualiacunque fuerint apud illum, omnia tibi displicent, siue quæ loquitur, siue quæ agit: etsi sint bona, tamen tibi mala videntur. Sic etsi perfectè aliquem amas, quæcunque sunt apud eum, tibi placent, siue quæ loquitur, siue quæ agit: etsi mala sunt, tamen tibi bona videntur. Ergo & vxor si videns aliquem dixerit, quàm sapiẽs vir, vtinam vir meus talis esset, iam amor eius minus habet aliquid de perfecto amore. Si videns aliquem dixerit: Quàm formosus homo, vtinam vir meus talis esset: iam amor eius minus habet aliquid de perfecto amore. Et pro quanta parte amplius aliquid laudauerit in altero viro quàm in suo, tanto dilectio minor est ad virum suum. Sic ergo & anima omnis Christiana, quæ sponsa est Christi, ita debet diligere Deum, vt nihil sit in mundo quod amplius amet, quàm eum. Pro quanta enim parte plus aliquid amauerit: pro tanta parte minus Deum. Quid est, in tota anima diligere Deum? id est, certissimum animum habere in veritate, & firmum esse in fide. Alius est enim amor cordis, & alius est amor animæ. Amor cordis quodammodo carnalis est, vt etiam carnaliter Deum amemus: quod facere non possumus, nisi recesserimus ab amore mundialium rerum. Sicut enim B casta mulier quæ virum suum amat, nullum alium amat: si autem alium amauerit, iam non amat virum suum: Ita & homo si Deum amat, mundum non amat: si autem mundum amauerit, iam Deum ex toto corde nõ amat. Ergo cordis amor non intelligitur in corde, sed sentitur: quia quodammodo carnalis est. Amor autem animæ non sentitur in corde, sed intelligitur, quia amor animæ indicium est, puta quòd didicisti vnum Deum ex quo omnia, & vnum Deum per quem omnia. Si iterum intellectus tuus alicuius doctrinæ seductione percussus, cœperit dubitare de substantia Dei, in tota anima non diligis Deum. Iterum qui putat incantationes aliquid posse, aut auguria aliquid intelligere, aut diuinationes aliquid nunciare, ille non in tota anima diligit Deum. Qui omne bonum credit apud Deum, & omne bonum credit esse Deum, extra Deum non credit esse bonum: qui omnem virtutem & omnem sapientiam credit esse Deum, extra Deum neque sapiẽtiam aliquam esse cre-C dit, neque virtutem: qui credit Deum omnia facere, & sine Deo nihil posse fieri, ille tota mente diligit Deum. Quid est in tota mente diligere Deum? id est, vt omnes sensus tui, qui pertinent ad mentem, Deo vacent. Cuius intellectus Deo ministrat, cuius sapientia circa Deum est, cuius cogitatio ea quæ Dei sunt tractat, cuius memoria quæ bona sunt recordatur, tota mẽte diligit Deum, sicut ait Apostolus: Psallam spiritu, psallam & mente. Cuius autem aut intellectus quæ Dei sunt non intelligit, aut non secundùm Deum sapit, aut scientia illius vana est & secularis: aut recordatio illius non est bona, aut cogitatio displicens Deo, ille non tota mente diligit Deum. Hoc est primum & maximum mandatum, secundum autem est simile huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Videtur Christus non ad interrogata respondere: ille enim interrogat, quòd est mandatum magnum, puta dixit: Diliges Dominum. Si voluit & alterum mandatum introducere, debuit minimum dicere, non secundum: secundùm autem primum respicit. Sed vide quid voluit ostendere, Diliges Dominum, & primum, & magnum est. Diliges proximum, magnum quidem est, primum autem non est. Et ideo dixit, Simile est: considera ergo mysterium. Quis est proximus noster? Christus qui susciens carnem nostram factus est proximus nobis. Sicut in parabola illa Christus ostenLuc. 10. dit, cùm dixisset Pharisæus: Et quis est meus proximus? introducit hominem à latronibus vulneratum, & à sacerdote despectum, à Samaritano autem receptum, qui est ipse Christus. Ergo primum mandatum est & magnum, Deum Patrem diligere, id est cognoscere. Ergo primum mandatum est & magnum, Deum Patrem diligere, id est cognoscere. Ergo filius Dei magnus sicut Pater.

Pater. Quicquid enim Pater potest, & Filius potest: Pater enim diligit Filium, & omnia dedit in manu eius. Sed quia omnia Filius Patre dante potest, sicut Pater, ideo Pater magnus Deus & primus: Filius autem magad Tit. 2. nus Deus quidem, non tamen primus, sicut ait Apostolus: Expectantes aduentum magni Dei & Saluatoris nostri Christi. Vt autẽ simpliciter intelligamus proximum nostrum omnem hominem esse fidelem: qui hominem amat fidelem, simile est sicut qui Deum amat, quia imago Dei est homo. Sicut rex in sua imagine honoratur, vel contemnitur: sic & Deus in homine vel diligitur, vel oditur. Non potest hominem odire, qui Deum amat: nec potest Deum amare, qui hominem
1. Ioan. 4. odit: sicut ait Ioannes Apostolus, Qui dicit se diligere Deum, & non diligit fratrem suũ, mentitur: si enim fratrem quem vides, non diligis: Deum quem non vides, quomodo potes diligere? Quis honorat regem, & contemnit eius imaginem? Aut quis honorat imaginem, & B authorem contemnit imaginis? Aut ita: Quoniam Pharisæi sciebant quidem, quod esset mandatum magnum in lege, & tentantes interrogabant, volens eis ostendere, quia non sufficiebat eis solius Dei Patris agnitio ad salutem, non solùm dixit: Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, sed addit: Diliges proximum tuum sicut teipsum, qui erat ipse. Alioqui si ad solam interrogationem eorum respondisset, sufficeret dicere: Diliges Dominum Deum tuum: & nõ adderet, proximum tuum sicut teipsum, secũdùm quod
Ioan. 17. alibi dicit: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solùm verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Et vide quia non dixit, cognosces Dominum Deum tuum, sed diliges: quoniam cognoscere verum Deum, pene proprium est humanæ naturæ: diligere autem eum, religiosi cordis est, & recti. Et quicunque dilexerit Deum ex toto corde, non est possibile vt non perueniat, ad filij eius agnitionem, id est proximi. Ipsa enim dilectio Dei quæ in eo habetur illuminans eum, præstat ei duca-C tum, vt post Patrem cognoscat & Filium. *In his duobus mandatis lex pendet & Prophetæ.* Qui proximum suum diligit, nec occidit, nec mentitur illi quem diligit, nec falsum testimonium dicit de eo quem diligit, nec mulierem illius inuadit. Sicut odium omne malum suggeGalat. 5. rit, sic dilectio omne bonum. Vnde ait Apostolus: Est fides quæ per dilectionem operatur. Aut ita: Quoniam de Patre & Filio omnis Prophetarum, & legis prædicatio existebat, per quos Prophetas agnoscens quis proximum suum, hoc est, filium Dei, ad primum & magnũ mãdatum perueniebat, vt diligeret Dominum Deum, melius cognoscens eum per seipsum. *Congregatis autem Pharisæis, interrogauit eos Iesus: Quid vobis videtur de Chri-*
Psal. 109. *sto, cuius filius est? Responderunt, Dauid. Et dixit eis: Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum, si filius eius est?* Iudæi æstimantes hominem Christum tentabant. Nec enim tẽtassent eum, si eum Dei filium credidissent. Volens ergo eis Christus ostendere, quia cognoscebat fal-D laciam cordis eorum: & quia non erat homo qui tentabatur, sed Deus quem nemo potest tentare: nec dicere potest manifestè veritatẽ de se, nec tacere. Dicere enim non poterat, ne malorum occasionem blasphemi inuenientes Iudæi amplius insanirent: tacere autem non poterat veritatem, quia ad hoc venerat, vt veritatem annũciaret. Ideo talem interrogationem eis proposuit, vt eo tacente ipsa interrogatio eius ostenderet eis. Nunquid poterat dominus eius esse, qui ex eo fuerat nasciturus? Puto autem hanc interrogationem, non solùm contra pharisæos, sed etiam contra hæreticos posuisse. Nam secũdùm carnem verè filius erat Dauid, dominus autem secundum diuinitatem. Si ergo Christus secundùm carnem dicitur Christus, aut secundùm carnem iussus est sedere ad dexteram Patris, sicut hæretici putant, ex æqualitate mendacium cõponere festinantes, nunquam Christus Dauid filium esse se denegasset. Nam nobis filius potest esse qui post nos futurus est: Dominus autem esse non potest, nisi qui aut nobiscum, aut ante nos est. Christus autem secundum carnem post Dauid est, secundum diuinitatem autem ante Dauid. Ergo illum significabat dominum suum, illum significabat iubẽdum sedere, qui iam tunc erat, id est vnigenitus Deus. *Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus est quisquam ex illa die amplius eum interrogare.* Confusio multorum facta fuerat disciplina cunctorum. Nam & si credimus quòd omnia sibi secundùm prouidentiam Dei agebantur, intelligimus quoniam non illis desinentibus interrogare, Christus desiit docere: sed quia Christus desierat, eos iã vlterius nõ ausos esse interrogare. Nam qui mari terminum posuit, ipse audaciæ diaboli aduersum se agentis, B quando voluerit, tunc finem ponit.

In locum Matth. xxv. c. Quandiu fecistis vni ex minimis, &c. de diuite & paupere, & de eleemosyna facienda, homil. xxvij.

INCERTO INTERPRETE.

PRATA & nemorosa loca, diuersos & varios habent flores: & quædam quidẽ sunt visu delectabilia, quædam autem bene olentia, quædam verò ad curam corporum necessaria: & hæc omnia congrua sunt homini. Sic enim Ecclesia est, lectiones diuersarum habet scripturarum, Euangelij videlicet & Apostolorum & prophetarum institutiones, quæ omnia apta sunt & cõuenientia Christo. Sed super prata oritur Sol, & marcescunt flores, & decorem suum amittunt. In hunc verò agrum vel pratum, mittitur Sol iustitiæ, & alium quidem corripit, alium autem sanctificat, alij verò miseretur. Exortus est nobis hodie sermo de Euangelij lectione, dicens: Quandiu fecistis vni ex minimis meis, mihi fecistis. Iterum commoneo pauperem, iterum opprobrium diuitibus facio, sed calumniam & iniuriam dignitati nõ facio: insatiabilem mentem ostendo, non diuitias accuso, sed eum qui his malè vtitur. Nam & Abraham diues erat, & fastum nullum habuit: & Lazarus cùm pau- Genes. 13. Luc. 16. per esset, neminem blasphemauit in tanta penuria constitutus. Sed quid duarum personarum testimonia memoraui? Citabo & beatum Iob, qui vtrarumque partium idoneus testis est: qui cum esset diues, contempsit neminem: & cum iniuriam pateretur, non blasphemauit vllum: sed cum esset locuples, dicebat: Domus mea Iob 31. omni homini patuit. Et cùm paupertate premeretur, lo- Ibid. 1. quebatur in angustia sua, dicens: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factũ est. Diu & fortiter ei colluctatus est diabolus, sed athletam vincere non potuit: pharetram sagittarum suarum exinaniuit, & bellatorem fortissimum sauciare non potuit: immanes suscitauit fluctus, & firmissimam petram mouere non potuit: machinationes suas adhibuit, & turrem validissimam non prostrauit: arborem concussit, & poma non decerpsit: & ramos quidem confregit, sed radici nihil nocuit: parietem perforauit, sed thesaurum auferre non potuit. Thesaurum dico, non auri & argenti, sed fidem iusti: hanc enim huius thesauros diripere diabolus festinabat. Vidisti augmentari fluctus, vidisti petram firmissimam, vidisti militem præparatum, vidisti turrem inexpugnabilem, vidisti Deum honorificatum, vidisti diabolum confusum. Et quali nomine hunc iustum appellem ignoro. Athletam eum vocem? sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

præcellit tantarum copia coronarum. Petram eum dicam? sed firmiorem video. Militem appellabo? sed robustiorem cerno constantiam. Turrem eum nominabo? sed eminet sapientia. Arborem eum dicam? sed decorior inuenitur. Fructum eum appellem? sed speciosior demonstratur. Thesaurum eum nominabo? sed copiosior dignoscitur. Et quali vocabulo appellem sanctum non inuenio. Audiant hæc diuites, audiant pauperes, quemadmodum hic beatus vir in diuitiis suis, & fœlicitate dispensator extitit diuitiarum: & in tentatione paupertatis suæ patienter & fortiter tolerauit. Vides igitur quàm bonum est diuitem esse in operibus bonis, & pauperem in patientia, & egestate esse beatum. Nolo mihi dicas, paupertatem timeo: paupertatem times, & peccatum non times. Nolo timeas paupertatem, sed iniquitatem time, quæ mater est tormentorum. Dominus à te stipem postulat, & dare ei non vis. cùm enim audis eum
Matt. 25. dicentem: Quandiu feciſtis vni ex minimis meis, mihi feciſtis. Vides quoniam si tribuis pauperi, Christo fœ- B neraris: quòd si contrahis à paupere manum tuam, quomodo, & qua fiducia in illa die & tu à domino misericordiam postulabis? Nónne arguet te, dicens: Vidisti
Ibidem. me nudum, & non operuisti: & esurientem, & non pauisti: sitientem, & non potasti? Quid tu ad hæc respondebis? & quam veniam deprecaberis? Nónne conscientia tua reum te faciet, & obmutesces? Tu quidem phasianos, & attagenas, & turtures, & omnia cœli volatilia deuoras, & quod pauperi repleat ventrem, non largiris: tu quidem veste serica, leporina, & caprina, & diuerso vestimento vteris, & pauperi nudo nec linteum vestimentum largiris. Tu habes in domo tua laquearia deaurata, parietes preciosos, vestitos marmore, columnas purpureas, & capita eorum deaurata: & pauperem nec prospicere quidem permittis. Sed cùm irreuocabilis finis aduenerit, perges ad inferos nudus bonis operibus, remanente domo cum omni ornatu suo in testimonium auaritiæ tuæ. vnusquisque enim prætereuntium di- C cet, Hæc domus illius fuit raptoris, prædonis & auari, quantas viduas afflixit, quantos orphanos denudauit, quantos miseros fecit, vt hanc domum possideret? Nolo mihi dicas, quia diues consul sum, vel præfectus, aut comes seu senator. De dignitatibus nunc non disputo, quæ à Deo ad benefaciendum omnibus conceduntur: sed de illis dico, qui inflati superbia dignitatum, putant se immortales cum ipsa dignitate futuros, & non considerant conditionem suam, quia de terra sunt, & in puluerem redigentur, & pro parua lætitia præsenti, perpetua sustinebunt tormenta. Attendis pauperem, & despicis, nec recogitas, quoniam homó est sicut & tu. Homo est chara possessio Dei, homo cuius causa firmatum est A cœlum, extensum mare, fundata est terra super aquas: propter quem Sol oritur, & incumbit, luna crescit & decrescit, astra micantia surgunt: propter quem diuersa animalia, quadrupedia, volatilia & natantia: propter quem terra producit herbam, & dat cibaria in tempore suo omni animæ: propter quem montes & colles, valles & campi: propter quem fontes & flumina, stagna & paludes: propter quem tempora, & menses, & anni: propter quem angeli & archangeli, principatus & potestates, sedes & dominationes, Cherubin & Seraphin. Et quid multa loquar? Propter quem vnigenitus filius Dei sanguinem suum fudit, & genus redemit humanum: & vt pauperes non despicerentur, formam serui suscepit: & quia pauperes & rusticanos, & piscatores elegit Dominus, quos etiam beatos appellat. Nam faci- Matth. 4. Ibid. 9.
lius esse dicit camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Princeps Aposto- Ibid. 14.
lorum Petrus, super quem Christus fundauit Ecclesiam, verè immobilis petra, & firma confessio: nónne B pauper erat & despectus, & piscator? sed & Iacobus & Ioannes similiter pauperes erant: & transiens saluator vidit eos consuentes retia sua, & non despexit, sed conuocauit, & affatus est eos. O eminentia paupertatis. In- Mat. 4. & Marc. 1.
tantum pauperes erant, quòd retia noua emere non valebant ad capiendum pisces, sed vetera consuebant. Sed & Matthæus similiter, nónne in telonio sedebat, & transiens Iesus vidit illum, & dicit ei, Sequere me. Et ex- Matth. 9.
urgens secutus est eum, & dereliquit auaritiam matrem, & rapinam nutricem, & non timuit iniunctionem regis, sed statim audito verbo, secutus est regem regum, & dominum dominorum? Et qui aliquando aliena rapiebat, cœpit donare sua: & pro telonario factus est Apostolus, & de raptore constituitur Euangelista: & qui aliquando lupus, nunc factus est agnus. Et Petrus pro ha- Ibid. 16.
mo piscatorio, accepit claues regni cœlestis. Ideo fratres charissimi amemus pauperes & peregrinos, & per C bona opera promereamur Dominum, fugientes auaritiam matrem & radicem malorum omnium, & superbiam, quæ est inimica Deo: quò possimus, meliores effecti, inuenire misericordiam in illa die, fauente Iesu Christo Domino nostro, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Homiliarum XXVII. in Matthæum ex variis ac diuersis locis huc collectarum, finis.

¶ Quòd in mansuetudine Christum oportet imitari, & de malorum obliuione. Et quòd in virtute positum, lædere potest nihil. ex Matthæo.
Item de sumentibus indignè diuina & sancta mysteria ex eodem Matth. cap. xxvj. vide in vlt tomo, ad populum Antiochenum. Homil. lij. & lx.

HOMILIÆ

HOMILIÆ ALIQVOT IN EVANGELIVM MARCI, AVCTORE Ioanne Chrysostomo, si modò inscriptio non mentitur authorem. Harum priores tres hactenus sub vnius nomenclatura sermonis impressæ circumferuntur: reliquæ nunc primùm euulgantur ad communem studiosorum vtilitatem: ídque beneficio Reuer. in Christo patris D. Guillelmi Parui Trecassinæ primùm, deinde Syluanectensis Ecclesiæ episcopi dignissimi, Theologiæ etiam Parisiensis doctoris longè eximij,

Ex recognitione Godefridi Tilmanni in Parisiensi Cartusia monachum professi.

ARGVMENTVM HOMILIÆ PRIMÆ.

Principium Euangelij Marci tractatur. Obiectioni respondetur Porphyrij eius, qui (teste Suida) propriè ἐκαλεῖτο βασιλεὺς τύριος φιλοστόφος, *qui & aduersum dogmata Christianæ legis libros scripsit quindecim. Hac gratia dictus est,* ὁ πρὸς χριστιανῶν πολέμιος. *Aduersus hanc excetram parauit Dominus Ecclesiæ suæ propugnandæ antagonistas, in quibus tres omnium maximè præfulserunt, Eusebius nimirum Cæsariensis, qui pro quindecim, triginta opposuit libros, veluti* ἀντιπεμψάς. *Totidem Apollinarius Laodicenus antistes. Methodius Tyri episcopus alios aliquot.*

Visionis huius exstatiæ seriem de animali tetramorph. habes Ezech. 1. & Apocalyps. 4. τετράμορφον, id est quadriformis. Marc. 4. Esa. 40.

ANIMAL illud, quod in Ioannis Apocalypsi, & Ezechielis videtur principio tetramorphon, quod ha- C bebat faciem hominis, & faciem vituli, & faciem leonis, & faciem aquilæ, in præsenti quoque loco significat: In Matthæo quidem faciem hominis, in Luca vituli, in Ioanne aquilæ, in Marco Leonis, qui in eremo ad hunc personat modum. *Initium Euangelij Iesu Christi filij Dei, sicut scriptum est in Esaia Propheta: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Qui in eremo personat, vtique leo est, & ad cuius vocem omnia animalia pertimescunt & concurrunt, & fugere non audent. Simúlque considerate quòd Ioannes Baptista, vox dicitur, & Dominus noster Iesus, sermo: & iure quidem: nam seruus præcedit Dominum. Initium Euangelij Iesu Christi filij Dei, ergo non filij Ioseph. Initium Euangelij, finis legis est. Finitur lex, & incipitur Euangelium, sicut scriptum est in Esaia Propheta: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tu- D am. Sicut scriptum est in Esaia. Quantum in memoria est, & in mea mente pertracto tam septuaginta interpretes, quàm Hebræorum volumina diligentissimè ventilans, nunquam hoc in Esaia Propheta scriptum esse reperire potui, quod ponitur: ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam: sed in Malachiæ Prophetæ fine
Malac. 3. scriptum est. Sic autem in Malachiæ fine scribitur, quomodo nunc Marcus Euangelista ponit: Sicut scriptum est in Esaia Propheta. Euangelistæ de sancto Spiritu locuti sunt. Marcus iste qui scribit, non paruus est. Denique Petrus Apostolus in epistola sua ait: Salutat vos illa collecta, & Marcus filius meus. O Apostole Petre, Marcus filius tuus, filius non carne, sed spiritu, instructus spi- A ritalibus hoc ignorat: & quod alibi scriptum est, alibi memorat: sicut scriptum est in Esaia Propheta: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam. Locum istũ impius ille Porphyrius, qui aduersum nos conscripsit, & multis voluminibus rabiem suam euomuit, in quar- Porphyrius.
todecimo volumine disputat, & dicit, Euangelistæ tam imperiti fuerunt homines, non solùm in sæcularibus, sed etiam in scripturis diuinis, vt testimonium quod alibi scriptum est, de alio ponerent Propheta. Hoc ille obiicit: nos ergo quid ei respondebimus? Orationibus vestris ista mihi videtur esse solutio, sicut scriptum est in Esaia. Quid scriptum est in Esaia Propheta? Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Hoc in Esaia scriptum est, expositio autem ipsius capituli in alio Propheta melius dicitur. Et ipse dicit Euangelista: Iste est, inquit, Ioannes Baptista, de quo etiam Malachias dixit: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam. Er- B go quod dicit, scriptum est, ad hoc capitulum refertur: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Vt autem probaret is ipsum esse Angelum qui missus est, noluit ex suo probare sermone, sed ex prophetia Prophetæ. Fuit Ioannes in deserto baptizans & prædicans. Ioannes fuit, Deus no- Ioannes fuit, Deus autem erat.
ster erat: quod fuit, esse desinit: quod fuit, antequam esset non fuit. Cæterùm qui erat, ante erat, & semper erat: & erit, non habet aliquando principium. Ergo de Ioanne Baptista dicitur, fuit: de Domino autem saluatore, erat. Vbi dicitur, erat, nullum habet initium. Ipse est qui dixit, qui est, misit me: non enim esse ha- Exod. 3.
buit aliquando initium. Fuit Ioannes in deserto baptizans & prædicans: in deserto fuit vox Dominum prædicatura. Aliud autem personare non debuit, nisi Saluatoris aduentum. Fuit Ioannes in deserto. Fœlix ista Fœlix, qui in solitudine Christum quærit, & inuenit cum Baptista.
conuersatio, despicere homines, Angelos quærere: vrbes deserere, & in solitudine inuenire Christum. Fuit C Ioannes in deserto baptizans & prædicans: baptizare manu, docere sermone. Baptismus Ioannis præcessit baptismum Saluatoris: sicut Ioannes Baptista præcursor fuit Domini saluatoris, sic & baptismus Ioannis Baptistæ præcursor fuit Domini Saluatoris: illud datum est in pœnitentia, hoc in gratia. Ibi pœnitentia tribuitur, ibi venia: hic victoria. Et egrediebatur ad illum omnis Iudæa. Ad Ioannem Iudæa concurrit, Hierosolyma concurrit: ad Iesum verò Dominum saluatorem omnis concurrit orbis: Notus in Iudæa Deus, in Psal. 75.
Israël magnum nomen eius. Ad Ioannem ergo concurrit Iudæa & Hierosolyma: cæterùm ad saluatorem omnis orbis. Veniebant vniuersi, & baptizabantur ab illo in Iordane flumine, confitentes peccata sua. Baptizabantur à Ioanne: Ioannes Baptista legis vmbram præfert, ergo ad legem tantùm Iudæi baptizabantur. Hierosolyma veniebat, & baptizabantur ab illo in Iordane fluuio descendente: lex enim descendit: licèt ba- Iordanis יָרַד, id est descendit.
ptizet, tamen deorsum est. Iordanis hîc interpretatur D fluuius descendens: cæterùm Dominus noster & Trinitatis mysterium desursum est. Dicet aliquis: Si deorsum est, ergo deorsum est Dominus, qui baptizatus est in Iordane. Et rectè in Iordane baptizatus est: legis enim præcepta seruauit, quia circumcisus lege est, & baptizatus lege est. *Et erat Ioannes vestitus de pilis camelorum, & zona pellicea, & cibus eius locustæ, & mel syl-* Ioannes prærogatiua sanctitatis, etiam inter pontifices Iudæorum celebratur vsque hodie.
uestre. Sicut sacerdotum principes sunt, sacerdotes Apostoli: sic monachorum princeps Ioannes Baptista est. Et quantum tradit Hebræorum scriptura, & vsque hodie in memoria est inter nomina sacerdotum, & inter pontifices Ioannes nominatur. Ita virum illum & sanctum, & sacerdotem fuisse perspicuum est. Sed &

Universidad de Deusto
Biblioteca

Luc. 1. nos legimus in Euangelio secundùm Lucam de genere Illum fuisse sacerdotali. Fuit, inquit, sacerdos Zacharias nomine, & iste in vice sua. Hoc autem propriè non deferebatur nisi principibus sacerdotum, hoc est pontificibus. Hoc totum quare dixi? Vt sciamus istum esse pontificem, qui sciebat Christum esse venturum, & Christum non quærebat in templo, sed in deserto separauerat se à multitudine. Oculis expectantibus Christum, nihil aliud dignum est aspicere, nisi Christum. Et erat Ioannes vestitus pilis cameli, non lana, ne delicatas vestes putares. Denique & ipse Dominus noster in Euangelio ipsius testis est: Ecce, inquit, qui mollibus vestiuntur, in domo regum sunt. Benedicamus igitur Dominum, cui cum Patre, & Spiritu sancto, honor, gloria, & potestas, in sæcula sæculorum. Amen.

Matt. 11.

HOMILIA II.

Quòd Ioannes vestiebatur pilis camelinis, & zona pellicea succingebatur.

NVNC veniamus orationibus vestris ad intelligentiam spiritalem. *Et erat Ioannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius.* Ipse dicit Ioannes: Illum oportet crescere, me autem minui: qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi gaudio gaudet, si videat sponsum. Et deinde ipse dicit: Venit fortior post me, cuius non sum dignus soluere corrigiam eius calciamentorum: quasi dicat, illum oportet crescere, me autem minui: oportet Euangelium crescere, me autem legem minui. Erat igitur Ioannes, hoc est, lex in Ioanne, vestitus pilis cameli, non poterat habere tunicam de agno, de quo dicitur: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. De quo iterum dicitur: Sicut ouis ductus est in occisionem. De illo in lege tunicam habere non possumus. Et zonam pellicæam habebat in lege, quia Iudæi hoc solùm putant peccatum esse, quod opere peccant: cæterum Dominus noster Iesus in Apocalypsi Ioannis: qui videtur inter septem candelabra, & habebat zonam auream, non in lumbis, sed in pectore. Lex in lumbis cingitur: Cæterum Christus, hoc est Euangelium, & monachorum virtus, non solùm in libidine, sed in mente condemnatur. Hic nec cogitari quidem expedit: ibi, qui fornicatus fuerit, tenetur in crimine. Amen amen dico vobis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Scriptum est, inquit, in lege, non adulterabis. Hæc est zona pellicea circa lumbos hærens. Ego autem dico vobis, qui viderit mulierem ad concupiscendum, iam mœchatus est eam in corde suo. Hæc est zona aurea, quæ in pectore cingitur. *Vestitus pilis cameli, & locustas & mel syluestre comedebat.* Locusta animal paruulum est, & inter volatile & reptile medium est. Neque enim à terra satis tollitur, quia si paululum eleuatur, non tam volat, quàm salit. Et cùm à terra se paululum eleuauerit, iterum pennis deficientibus, cadit in terram: ita & lex videbatur quasi quidem ab idololatriæ errore paululum recedere, sed ad cœlum volare non poterat: regnũ enim cœlorum nunquam legimus in lege. Vultis scire quia regnum cœlorum in Euãgelio tantum prædicatur? Pœnitentiam, inquit, agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Ergo lex tollebat homines de terra paululũ, & ad cœlum perducere non poterat. Vbicunque fuerit corpus, illuc cõgregabuntur & aquilæ. Locustas, & mel quoque ipse comedebat, nõ domesticum, sed syluestre, inter feras, inter bestias, non in domo, non in Ecclesia, sed extra Ecclesiam. Syluestre enim mel deficiebat in lege, vnde & mel nunquam in sacrificij oblatum legimus. Miretur aliquis & dicat: Quare cùm oleum, cùm similа, cùm aries, cùm agnus, cùm sanguis pecudum, cùm cætera offeruntur in sacrificio Dei, mel tantùm non offertur? Denique quod dicit: Et quodcunque offertur, sale conditum offertur in sacrificio: &, Sermo vester sit sale conditus. Mel penitus non offertur. Et quodcunque contigerit, inquit, immundum erit. Mel sanè voluptatis indicium est & suauitatis: semper enim voluptas mortificat, semper voluptas Deo non placet: quodcunque dulcedinem habet, in Dei sacrificiis non offertur. Mel quidem ipsum videtur dulce esse, & sensum suauitate demulcens: sicut & voluptas, sicut & libido, sicut & lasciuiæ. Mel videtur quidem hinc inde confectum esse de floribus, sed si respicias inter ipsos flores, & cadauera, & putredines habere, & cætera istiusmodi. Ergo mel non solùm de floribus, sed & de quocunque voluptuoso est. Videtur quidem suaue esse, sed si discrimen respicias, mortiferum est. Hoc totum quare dixi? Quoniam in lege initia erant, in Euangelio perfectio. *Venit fortior me post me, cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius.* Videtur quidem esse humilitatis indicium: quasi dicat, non sum dignus seruus eius esse. Sed in istis verbis simplicibus aliud demonstratur sacramentum. Legimus in Exodo, legimus quoque in Deuteronomio, legimus in libro Ruth: quoniam si quis cognatus erat, & eam quæ de genere eius veniebat, accipere nolebat vxorem, veniebat alius qui secundus erat in genere, præsentibus iudicibus & maioribus natu, & dicebat: Tibi competit matrimonium, tu debes eam accipere. Si nolebat, veniebat illa quam nolebat accipere, & tollebat calceamentum eius, & percutiebat in faciem eius, & conspuebat eum, & sic alteri nubebat. Hoc fiebat propter ignominiam interim secundùm literam, vt si fortè pauperiorem contemptissetur, hac ignominia terreretur. Ergo hîc sacerdotium demonstrat. Dicit ipse Ioannes: Qui habet sponsam, sponsus est. Ille habet sponsam Ecclesiam, ego autem amicus sponsi sum, non possum soluere corrigiam calceamenti eius in lege, quoniam ipse Ecclesiam duxit vxorem. Ego baptizo vos aqua, ego minister sum, ille author & Dominus est, ego aquam præbeo: ego qui creatura sum, creaturam præbeo: ille qui increatus est, increata præstat: ego baptizo vos aqua, ego præbeo quod videtur, ille quod non videtur: ego qui visibilis sum, do aquam visibilem, ille inuisibilis dat Spiritum inuisibilem. Quem nobis concedat Pater vnà cum Filio, in sæcula sæculorum. Amen.

Ioan. 3. Deut. 25. Ruth 4. Ioan. 3.

HOMILIA III.

De Christi baptismo, & legis commutatione in Euangelicæ gratiæ sacramenta.

ET *factum est, in diebus illis venit Iesus à Nazareth Galilææ.* Videte vnitiones significationésque verborum. Non dixit, venit Christus: non dixit, venit filius Dei, sed venit Iesus. Dicat aliquis, quare non dixit, Christus? Secundùm carnem loquor: cæterùm Deus semper sanctus est, nec sanctificatione indiget: sed etiam de carne Christi loquimur, nondũ fuerat baptizatus, & à Spiritu sancto vnctus fuerat. Secũdùm carnem loquor, secundùm formam serui loquor, nemo scandalizetur. De eo loquor, qui quasi peccator venit ad baptismum, non quòd Christum diuidam, non quòd alius Christus & alius Iesus, & alius filius Dei: sed quòd vnus atque idem pro varietate temporum nobis diuersus est. *Iesus à Nazareth Galilææ.* Videte mysterium. Ad Ioannem Baptistam venit primùm Iudæa & Hierosolyma, Dominus noster

Leuit 2. Mel nusquam in lege offertur, quod mortificat: contrà sal, quòd mordicat.

noster initium Euangelici baptismi, & legis sacramenta commutauit in Euangelij sacramenta: non venit de Iudæa, non venit de Hierosolyma, sed venit de Galilæa Gentium. Iesus à Nazareth Galilææ. Nazareth interpretatur flos. Flos venit ex flore. *Et baptizatus est in Iordane à Ioanne.* Grandis misericordia, qui peccata non fecerat, baptizatur quasi peccator. In baptismate Domini omnia peccata dimittuntur. Sed quasi præuium quoddam est baptismi Domini Saluatoris, cæterum vera remissio peccatorum in Christi sanguine est, in trinitatis mysterio. *Et statim ascendens de aqua, vidit apertos cælos.* Hoc totum quod scribitur, nobis scribitur. Ergo antequam baptismum accipiamus, clausos habemus oculos, cœlestia non videmus. *Et spiritum tanquam columbam descendentem, & manentem in ipso, & vox facta est de cælo: Tu es filius meus dilectissimus, in quo complacui.* Iesus Christus baptizatur à Ioanne, Spiritus sanctus descendit in specie columbæ, Pater de cœlis dat testimonium. Videte Ariani, videte hæretici, & in baptismo Iesu mysterium Trinitatis est. Iesus enim baptizatur, Spiritus sanctus descendit in specie columbæ, Pater de cœlo loquitur. Vidit apertos cœlos. Quando dicitur, vidit, ostenditur quòd alij non vidissent, neque enim omnes vident apertos cœlos. Denique & Ezechiel quid dicit in principio suo? Et factum est, inquit, cùm ederem secus fluuium Chobar, in medio captiuorum, vidi, inquit, apertos cœlos. Ego vidi, cæterum alij non videbant. Ne quis putes cœlos simpliciter & carnaliter apertos, nos ipsi, qui modo hîc sedemus, secundùm diuersitatem meritorum aut apertos videmus cœlos, aut clausos. Plena fides apertos habet cœlos: cæterum dubia, clausos. *Et spiritum tanquam columbam descendentem.* Solent nobis Manichæi & Marcionistæ, & cæteræ hæreses obiicere, & dicere: Ergo si Christus in corpore est, & ipsa caro quam assumpsit, non est deposita, nec deposuit eam: ergo & Spiritus sanctus qui descendit, in columba est. Videtis sibila serpentis antiqui, videtis illum colubrum, qui de paradiso eiecit hominem, & nos velle de paradiso fidei eiicere? Non dixit, sumpsit corpus columbæ: sed Spiritum tanquam columbam. Vbi dicitur, tanquam, non veritas, sed similitudo monstratur: in Deum autem saluatorem non scriptum est, natus est tanquam homo, sed natus est homo: hîc verò dicitur, tanquam columbam. Ergo quòd visum est, similitudo monstrata est, cæterum veritas non fuit. *Et statim spiritus expulit eum in desertum.* Spiritus qui descenderat in specie columbæ. Vidit, inquit, apertos cœlos, & spiritum tanquam columbam descendentem & manentem cum ipso. Videte quid dicat, manentem, hoc est perseuerantem, hoc est nunquam recedentem. Denique & ipse Ioannes dicit in alio loco Euangelij: Et qui misit, inquit, me, dixit mihi: Super quem videris Spiritum sanctum descendentem, & manentem. In Christum Spiritus sanctus descendit, & permansit: cęterum in hominibus descendit quidem, sed non permanet. Denique in volumine Ezechielis, qui propriè Ezechiel in typo saluatoris est. Denique ad nullum alium Prophetarum, loquor de maioribus, dicitur filius hominis, sed propriè ad Ezechiel dicitur. In Ezechiel ergo nõ transeunt viginti versus, aut triginta, & statim dicitur: Et factus est sermo Domini ad Ezechiel Prophetam. Dicat aliquis: Hoc quare tam crebrò ponitur in Propheta? Quoniam Spiritus sanctus descẽdebat quidem in Prophetam, sed rursum secedebat. Quando dicitur, & factus est sermo Domini, ostenditur, quia Spiritus sanctus qui recesserat, rursum veniebat. Quando enim irascimur, quando detrahimus, quando tristitiam habemus, quæ ducit ad mortem, quando cogitamus ea quæ

Ezech. 1. Dictio tanquam, similitudinem rei dicit, non veritatem. Ioan. 1.

carnis sunt, putamus quia Spiritus sanctus permanet in nobis? Speramus quia Spiritu sancto manente in nobis, fratrem odiamus, aut mali quidpiam cogitemus? Quando ergo aliquid boni cogitamus, sciamus quia Spiritus sanctus habitat in nobis: si verò aliquid mali, signum est quod Spiritus sanctus recessit à nobis. In saluatore autem propterea dicitur: Super quem videris Spiritum sanctum descendentem & manentem in eo, ipse est. *Et statim spiritus expulit eum in desertum.* Quanti monachi habitant cum parentibus suis, si descenderit Spiritus sanctus, & manserit super eos, ipse spiritus expellit eos in desertum. Spiritus sanctus expellit eos de domo, & ducit in solitudinem. Spiritus sanctus non libenter habitat vbi turbæ, & frequentia, & dissensiones, & rixæ sunt: sed Spiritus sanctus propriè sedem habet solitudinem. Denique & Dominus noster, atque saluator, quando orare volebat, solus, inquit, recedebat in montem, & ibi tota nocte orabat. Erat in die cum discipulis, in nocte orationem suam pro nobis Patri dedicabat. Hoc totum quare dico? Quia solent aliquanti fratres dicere: Si in cœnobio mansero, solus orare non possum. Nunquid Dominus noster dimittebat discipulos? Vtique erat cum discipulis, sed quando volebat orare intentiùs, solus secedebat. Et nos ergo si volumus orare plusquam in publico, habeamus cellulam, habeamus agros, habeamus deserta: possumus & virtutes habere de fratribus, & solitudinem: præstãte Christo Domino nostro, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Solimdo quidem sancta, non turba, assessorem habet Spiritum sanctum. Marc. 14.

HOMILIA IIII.

Transiliens pericopen illam, Et statim spiritus expulit, &c. quòd alio loco eam tractarit liberalius, commentatus forsan in caput Matthæi quartum: ad eum transit locum, Erátque cum bestiis, vsque ad id: Et ingrediuntur Capharnaum.

PARÆNESIS AD LECTOREM.

Apparet, optime lector, ad Homiliæ huius vmbilicum impositum esse memoriæ authoris, quisquis tandem is est. Ibi siquidem ad hunc legis modum: Igitur ante passionem dicitur, quòd scilicet miserint retia, tamen non scribitur quod prendiderint. Post passionem verò mittunt rete & prendunt: & tantùm prendunt, vt retia rumpantur. Contrà, habes apud Lucam, cap. 5. nihil capi nocturna piscatione potuisse: ad verbum autem Domini, misso per Petrum reti, tantam esse conclusam piscium multitudinem, vt rete diffinderetur. Idq; contigisse liquet, priusquam Dominus Iesus pretium humanæ salutis dependisset. Post verò passionem legis apud Ioannem cap. vlt. Et cùm tanti essent, non est ruptum rete.

AD finem superioris lectionis est scriptum: *Erátque cum bestiis, & Angeli ministrabant illi.* Et quoniam præterita dominica non fuit spatij satis, vt vsque ad istum locum veniremus: debemus finem præteritæ lectionis, hodiernę lectionis facere principium. Scriptura enim sancta hæret sibi tota, & vno spiritu copulata est: & quasi vna catenula est, atque vt circulus in circulũ innectitur, & quicquid aliud sumpseris, aliud latè pendet. Erátque cum bestiis, & angeli ministrabant illi. Erat Iesus cum bestiis, & ideo angeli ministrabãt ei. Ne tradas, inquit, bestiis animam confitẽtem tibi. Istæ sunt bestiæ, quas calcabat Dominus Euãgelico pede, & calcabat super leonem & draconem. Et Angeli ministrabãt ei: non quòd videri debeat grande atque mirabile, si Angeli ministrabant Deo: neque enim grande est, si serui obsequuntur Domino: sed hoc totum de assumpto homine disputatur, Erátque cum bestiis. Deus esse cum bestiis non potest, sed caro ista, quæ humanis tentationibus

Marc. 1. A similidicta συγκρίσις. Psal. 73.

Universidad de Deusto
Biblioteca

subiacet. Hoc corpus, hæc caro quæ sitiuit, quæ esuriuit: A ipsa tentatur, ipsa superat, in ipsa nos vincimus. *Postquam autem traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilæam.* Historia manifesta est, & absque nostra interpretatione audientibus patet. Rogemus ergo cum, qui habet
Apoc.3. clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit: qui claudit, & nemo aperit: vt nobis aperiat euangelica adyta, vt & nos quoque dicamus cum Dauid, Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia tua de lege tua.
Psal.118. Turbis Dominus in parabolis loquebatur, & loquebatur foris, non intrinsecus: id est, in spiritu, sed foris in litera. Et nos ergo rogemus Dominum, vt introducat nos in mysteria sua, vt introducat nos in cubiculum
Cant.1. suum, & dicamus cum sponsa in Canticis canticorum:
2.Cor.3. Introduxit me rex in cubiculum suum. Dicit Apostolus, quòd velamen fuit positum super oculos Mosi: ego dico quòd non solùm in lege velamen sit, sed etiam in euangelium nesciente est. Iudæus audit, & non intelligit, velamen positum est illi in euangelio. Genti- B les audiunt, hæretici audiunt, & velamen habent. Dimittamus ergo literam cum Iudæis: & sequamur spiritum cum Iesu, non quòd literam euãgelij condemnemus. Factum est enim omne quod scriptũ est, sed quòd quibusdam gradibus ad maiora scandamus. *Postquam autem traditus est Ioãnes, venit Iesus in Galilæam.* Et in præterita dominica diximus interpretantes Ioannem intelligi in lege, Iesum in euangelio: Ioannes enim dicit, venit fortior me post me, cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calciamentorum eius. Et in alio loco: Illum oportet crescere, me autem minui. Hic comparationem dicit legis & Euangelij. Et deinde:
Ioan.3. Ego baptizo vos in aqua, hoc est lex: ille verò baptizabit vos in Spiritu sancto, hoc est, Euangelium. Venit ergo Iesus, quia Ioannes traditus est in carcerem. Clausa est enim lex & iam præteritam non habet libertatem: sed de lege transiuimus ad Euangelium. Videte quid dicat: Postquam autem traditus est Ioannes, venit Iesus in C Galilæam. Nequaquam in Iudæam, neque in Hierosolymam: sed in Galilæam gentium. Venit Iesus in Galilæam. Galilæa in lingua nostra interpretatur κατακυλισή. Non enim ante aduentum Saluatoris erat ibi sublime aliquid: sed totum deorsum ferens, ibi luxuria, ibi sordes, ibi immunditia, ibi porcorum vitia volutaban-
κατακυλισή. id est deuoluta. Lege Suidam à גלל, id est voluit. tur. *Prædicans Euangelium regni Dei.* Quantum in meo corde est, legens Legem, legens Prophetas, legens Psalterium, nunquam regnum cœlorum audiui, nisi in Euangelio. Postquam enim venit ille, de quo dictum est.
Luc.17. Et regnum Dei intra vos est, apertum est regnum Dei.
Matth.11. Prædicans Euãgelium regni Dei. A diebus Ioannis Baptistæ, regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Ante enim aduentum Saluatoris & Euangelij charitatem, antequam Christus aperiret paradisi ianuam cum latrone: omnes sanctorum animæ ad inferos
Gen.38. deducebantur. Denique dicit & Iacob, Lugens & gemens descendam ad inferos. Si Abraham ad inferos, D quis non ad inferos? In lege Abraham apud inferos, in Euangelio latro in paradiso. Non detrahimus Abrahæ, in cuius sinu omnes cupimus conquiescere: sed Christum præferimus Abrahæ, Euangelium legi præferimus: legimus quòd post resurrectionem Christi, multi
Matt.27. sanctorum apparuerunt in sancta ciuitate. Dominus
1.Pet.3. noster atque Saluator & in terra prædicauit, & apud inferos prædicauit. Ideo mortuus est, ideo descendit ad inferos, vt animæ quæ ibi vinctæ fuerant, laxarentur. *Prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: quoniam adimpletum est legis tempus: venit principium Euangelij, appropinquauit regnum Dei.* Non dixit, iam est regnum Dei: sed, appropinquauit regnum Dei. Antequam ego patiar & sanguinem fundam, non est apertum regnum Dei: propterea appropinquauit, quia necdum passus sum. *Pœnitemini, & credite Euangelio:* nequaquam legi, sed Euangelio. Imò per legem Euangelio, sicut scriptum est, Ex fide in fidem. Fides legis fidem Euangelij corroborauit. *Et præteriens secus mare Galilææ, vidit Simonem & Andream fratrem eius, mittentes retia in mare: erant enim piscatores.* Simon necdum Petrus, necdum enim secutus fuerat petram, vt appellaretur Petrus. Simon igitur & Andreas frater eius, cùm essent iuxta mare, & mitterent retia in mare. Scriptura non dicit, quia miserunt & ceperunt pisces. Vidit, inquit, Simonem & Andream fratrem eius, mittentes retia in mare: erant enim piscatores. Refert enim Euangelium, quòd retia mitterentur: tamen non dicit, quia aliquid ceperint. Igitur ante passionem dicitur quòd scilicet miserint retia: tamen non scribitur, quod prendiderint. Post passionem verò mit- Ioan.21.
tunt rete & prendunt, & tantum prendunt vt retia rumpantur, mittentes retia in mare: erant enim piscatores. B *Et dixit eis Iesus, Venite post me, & faciam vos piscatores hominum.* Fœlix piscationis mutatio. Piscatur eos Iesus, vt ipsi piscentur alios piscatores. Ipsi primum pisces efficiuntur, vt piscentur à Christo, postea ipsi alios piscaturi. Et dicit Iesus, Venite post me: & faciam vos piscatores hominum. *Et protinus relictis retibus, secuti sunt eum.* Et protinus. Vera fides non habet interuallum: statim audit, statim credit, statim sequitur, statim piscator efficitur. Et protinus relictis retibus. Ego puto quòd in retibus, vitia sæculi reliquerint. *Et secuti sunt eum.* Neque enim fieri poterat, vt sequentes Iesum habuerint retia. *Et progressus inde pusillum, vidit Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius: & ipsos in naui componentes retia.* Vbi dicitur componentes ostenditur quòd scissa fuerant. Mittebant enim retia in mare: sed quoniam scissa erant retia, pisces prendere non poterant. Componebat retia in mari: sedebant in mari, sedebant in nauicula, sedebant cum patre Zebedæo: & legis retia componebant. Hoc interim diximus secundùm intelligentiam spiritalem. Et ipsos in naui componentes retia: & ipsos qui in naui erant. In naui erant non in littore, non in statione solida: sed in naui hinc inde fluctibus collidebantur. *Et statim vocauit illos: & relicto patre suo Zebedæo in naui cum mercenariis, secuti sunt eum.* Dicat aliquis: Temeraria fides est. Et enim quid signi viderãt, quid maiestatis aspexerant, vt vocarentur, & statim sequerentur eum? Sanè hîc ostenditur nobis quòd oculi quoque ipsius Iesu & vultus, diuinum quiddam spirabant, & ad se contuenti-
Hieronymus Iulianum super Matth. reuincit hoc argumento. um oculos facilè conuertebant. Alioqui nunquam dicente Iesu, sequimini me: secuti fuissent eum. Hoc enim si secuti fuissent eum sine causa: nõ tam fides erat, quàm temeritas. Nunc si sedenti mihi quiuis prætetiens dicat, Veni, sequere me: & sequar: nunquid fides est? Hoc totum quare dico? Quia sermo ipse Domini operatorius Psal.32.
erat: & quodcunque dicebat, opere efficiebat. Si enim ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt: certè idem ipseque vocauit, ideo secuti sunt. Et statim vocauit illos: & statim relicto patre suo Zebedæo, & cætera. Audi filia & vide, & inclina aurem tuam: & obliui- Psal.44.
scere populum tuum, & domum patris tui: & concupiscet rex decorem tuum. Et relicto patre suo Zebedæo in
Audi monache elegantem & sanctam παραίνεσιν. naui. Audi monache, imitare Apostolos: audi vocem Saluatoris, & ignora carnalem patrem. Vide rerum patrem & animæ & spiritus, & relinque patrem corporeum. Relinquunt patrem Apostoli, relinquũt nauem, relinquunt totas in momẽto diuitias: relinquunt mundũ, & infinitas diuitias. Totum enim quod habebant, dimiserunt. Deus non magnitudinem diuitiarum considerat, sed animum dimittentis. Qui parua dimiserunt,

vtique

vtique & magna similiter dimisissent. Relicto patre Zebedæo in naui cum mercenariis, secuti sunt eum. Hoc quod paulò antè in ænigmate diximus de Apostolis, quòd Legis retia componebant, iam enim scissa fuerant, prendere non poterant: iam salsugine maris exesa fuerant, iam non poterant instaurari, nisi veniisset sanguis Iesu, & innouasset ea. Relinquunt ergo patrem Zebedæum: relinquunt Legem, quæ verè eos generauerat: & relinquunt in naui, in mediis maris fluctibus constitum. Et videte aliud, quid sequatur. Relinquunt, inquit, patrem, hoc est Legem cum mercenariis. Omnia enim, quæ faciunt Iudæi, propter præsentem vitam faciunt: propterea mercenarij sunt. Qui enim fecerit Legem, viuet in ea. Non dixit, viuit in ea, hoc est, vt ex Le-
Leuit.18. & Rom.10. Ezec.20. ge viuat in cœlo: sed, viuet in ea, hoc est, quod facit in præsenti recipit. Denique scriptum est in Ezechiele, Dedi, inquit, eis præcepta non bona, & mandata non optima: quæ facientes, viuent in eis. Viuũt in eis Iudæi: nihil aliud quærunt, nisi habere filios, diuitias possidere, B
Iudæi fœlicitatem præsentibus commodis metiuntur. Luc.15. se sanos esse: omnia terrena quærunt, nihil de cœlestibus cogitant. Propterea mercenarij sunt. Vultis scire quia Iudæi mercenarij sunt? Filius ille, qui substantiam suam consumpserat, & interpretatur in gentibus, dicit: Quanti mercenarij sunt in domo patris mei? Relicto patre in naui cum mercenariis, secuti sunt eum. Dimiserũt patrem, hoc est Legem cum mercenariis in naui, vsque hodie Iudæi nauigant, & in lege nauigant, & sunt in mari, & ad portum peruenire non possunt. Non crediderunt in portum, propterea non veniunt ad portum: quem vt omnibus nobis contingat, gratia faciat, & benignitas domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto gloria, imperium, honor sit, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V.

Et ingrediuntur Capharnaum, &c.) Perpetua serie deducit assumptam pericopen ad alteram, quæ succedentis est homiliæ principium, Et protinus, &c. excurrens interim, vt ferè solet, in moralem digressionem. C

Marc.1. *Et ingrediuntur Capharnaum.* Fœlix & pulchra mutatio. Dimittunt mare, dimittunt nauem, dimittunt vincula retium: & ingrediuntur Capharnaum. Prima mutatio, dimittere mare, dimittere nauem, dimittere pristinum patrem, dimittere pristina vitia. In retibus enim & in vinculis retium, omnia vitia relinquuntur. Videte ergo mutationem. Dimittuntur illa. Et quia
כפר, id est ager, villa, vicus. illa dimiserunt, quid inueniunt? Ingrediuntur, inquit, Capharnaum: in agrum consolationis. Caphar enim, dicitur ager: Naum dicitur, consolatio. Si autem volumus Naum, quoniam lingua Hebræa multiplices habet intelligentias: & secundum diuersitatem pronuncian-
Naum, vox polysema est, pro consolatione, pœnitentia, aut pulchritudine. tis diuersus quoque sensus efficitur. Naum ergo & consolatio dicitur, & decorus. Ergo Capharnaum interpre- D tari potest & ager consolationis, & ager pulcherrimus. Ibi vbi nos legimus: Ecce quam bonũ & quam iocundum: vbi inquam, nos dicimus περπνόν, & Aquila interpretatur εὐπρεπές: in Hebræo habetur, Naum, quod interpretatur pulchrum. Ingrediuntur Capharnaum: & statim sabbatis ingressus synagogam, docebat eos, vt sabbati otium relinquerent, & Euangelij opera sumerent. *Erat docens eos quasi potestatem habens, & non sicut scribæ.* Non enim dicebat, hæc dicit Dominus: & qui misit me, hæc loquitur. Sed ipse loquebatur, qui prius locutus fuerat in prophetis. Aliud est dicere, scriptum est: aliud est dicere, hæc dicit Dominus: & aliud est dicere, amen dico vobis. Videte in alio loco: Scriptum est, inquit, in Lege: Non occides, non dimittes vxorem. id est decens, decoris, elegantis formæ. נעים, id est pulchrum, iucundum: à נעם, id est fuit iucundum. Exod.20. & Matth. 19. A Scriptum est. A quo scriptum est? A Moyse mandante Deo. Si digito Dei scriptum est: tu quomodo audes dicere, amen dico vobis, nisi ipse es, qui prius Legem dedisti? Nemo audet mutare Legem, nisi qui & ipse rex est. Legem autem pater dedit, an filius? Respondeo hæretice. Quicquid volueris, libenter adsumo: vtrunque pro me est. Si Pater dedit, & immutat: Filius ergo æqualis est, qui immutat cum illo, qui dedit. Si autem ipse dedit, aut ipse mutat: æqualis authoritatis est & dedisse, & mutasse: quod nemo potest facere, nisi rex. *Stupebant super doctrina eius.* Quid quæso, nouum docuerat, quid nouum dixerat? Eadem loquebatur per se, quæ loquutus fuerat per prophetas. Sed ideo stupebant: quia erat doctrina eius, quasi potestatem habens, & nõ sicut scribæ. Non loquebatur vt magister, sed vt dominus: non loquebatur authoritatem referens ad maiorem: sed ipse quod suum erat, loquebatur. Denique sic loquebatur:
Esa. 52. quia quem locutus fuerat in prophetis, præsens dicebat: Ego qui loquebar, ecce adsum. Spiritus immundus qui
Osee 4. & 5. Matt. 12. prius fuerat in synagoga, qui illos duxerat ad idololatriam: de quo scriptum est: Spiritu fornicationis seducti estis. Spiritus qui egressus fuerat de homine, & ibat in desertum, & quęsiuit sibi locum, & inuenire nõ potuit. Et alios dæmones septem secum tulit: & reuersus est in domum pristinam. Eo tempore isti spiritus erant in synagoga: & præsentiam saluatoris ferre non poterant.
2.Cor.6. Quæ enim communicatio Christo & Beliæ? Non poterant Christus & Belias in vno consilio commorari. *Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamauit, dicens: Quid nobis & tibi?* Qui dicit, quid nobis & tibi: vnus est, & de pluribus confitetur. In eo enim quòd vincitur, intelligit & suos secum esse superatos: & exclamauit, dicens: Exclamauit, quasi tormenta sustinens, quasi in dolore positus, quasi flagella ferre non valens. *Et exclamauit dicens: Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos? Scio qui sis, sanctus Dei.* Et in C tormento positus, & tormentorum magnitudinem clamore demonstrans: tamen dolos ipsos non intermittit. Cogitur verum dicere, tormenta cogunt, sed malitia vetat. Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Quare non confiteris filium Dei? Nazarenus te torquet, & non filius Dei? Sentis pœnas, & non confiteris nomen Iesu Nazareni? Venisti perdere nos? Verum est quod tu dicis: venisti perdere nos, scio qui sis. Videamus quid dicas, sanctus Dei. Moyses sanctus Dei non fuit? Esaias sanctus Dei non fuit? Hieremias sanctus Dei non fuit? Prius, inquit, quàm nascereris, in vulua sanctificaui te.
Hier.1. Hoc dicitur ad Hieremiam, & sanctus Dei non fuit? Ergo nec illi qui sancti erant. Sed quare non dicis ad eos: scio qui scis, sanctus Dei? O peruersitas mentis: inter flagella & tormenta positus: & scit verum, & tamen cõfiteri non vult. Scio qui sis, sanctus Dei. Noli dicere, sanctus Dei: sed, sanctus Deus. Fingis te scire, sed nescis.
Ioan.8. Aut enim scis, & dolosè taces: aut certè ignoras. Non est enim sanctus Dei: sed sanctus Deus. Hoc totũ quare dico? vt non acquiescamus testimoniis dæmonum. Nunquam enim verum loquitur. Siquidem mẽdax est, sicut pater eius, Pater, inquit, vester mendax est: & ab initio mendax est, sicut & pater eius. Pater, inquit, mendax est, & veritatem non loquitur: sicut & pater eius, qui est pater Iudæorũ. Vtique diabolus ab initio mẽdax est. Et quis est pater diaboli? Vide quid dicat: Pater enim vester mendax est: ab initio mendacium loquitur. Sicut & pater eius: quasi dicat, hoc est, diabolus mendax est, & mendacium loquitur. Et pater est ipsius mendacij: non quòd diabolus alium patrem habeat, sed quòd mendacij pater, diabolus est: propter-

Universidad de Deusto Biblioteca

ca dicit: mendax est,& ab initio mundi veritatem non A loquitur,hoc est,mendacium loquitur,& est pater eius, hoc est, ipsius mendacij. Hoc in transitu dixerimus, quoniam non debemus testimoniis credere dæmonum. Matt. 17. Dicit Dominus atque saluator, Hoc genus, inquit,non exit, nisi in multis ieiuniis & orationibus: &, ecce video multos vacare ebrietatibus, ructare vinum, & inter epulas exorcizare,& clamare dæmones, & credimus Christum esse mentitum? Dixit enim, Hoc genus non exit, nisi in multis ieiuniis & orationibus. Hoc totum propterea loquor, ne facilè credamus testimoniis dæmonum. Denique quid facit saluator? *Et comminatus est ei Iesus, dicens: Obmutesce, & exi ab homine.* Nam dicit veritas testimonio mendacij: Non veni, vt tuo testimonio comprobarer: sed vt te eiicerem de creatura mea. Non est pulchra laudatio in ore peccatoris: non indigeo eius testimonio, cuius tormenta desidero. Obmutesce. Laus mea sit silentium tuum. Nolo me laudet vox tua, sed tormenta tua:pœna tua laus mea est. Non B quia laudas,gratulor: sed quia exis, gratulor. Obmutesce, & exi de homine: quasi diceret, exi de domo mea. Quid facis in hospitio meo? Ego intrare desidero: obmutesce,& exi de homine:de homine, de rationali animali.Exi de homine:relinque mihi hospitium præparatum. Dominus desiderat domum suam:exi de homine, de rationali animali.Exi de homine.Dixit & in alio lo- Matth. 8. & Luc. 8. co ad legionem, vt egrediatur de homine, & ingrediatur in porcos. Vide, quàm preciosa sit anima hominis. Hoc aduersus eos, qui putant & nos & animalia vnam animam habere, & vnum spiritum trahere. De vno homine expellitur, & in duo millia porcorum mittitur: hoc enim preciosum est, quod seruatur: illud est vile, quod perditur. Exi de homine,vade in porcos, vade in animalia, vade quocunque alio volueris, vade in abyssos. Hominem relinque, hoc est, possessionem propriè meam:exi de homine. Nolo te hominem possidere, iniuria mea est te versari in homine, cum ego verser in C homine. Ego assumpsi corpus humanum. Ego habito in homine. Caro ista,quam possides, meæ carnis portio est, egredere de homine. *Et discerpens illum spiritus immundus.* Dolorem suum hîc signis ostendit, discerpens eum: quoniam animam lædere non poterat. Corpus quidem lædit: sed quoniam alio modo non poterat intelligi egrediens dæmon: signis corporis ostenditur quòd egressus sit. Et discerpens eum spiritus immundus. Quia spiritus mundus stabat: propterea fugit spiritus immundus. *Et exclamans voce magna, exiuit ob eo.* Exeuntem se, & clamore vocis, & discerptione corporis, protestatus est. *Et mirati sunt omnes,ita vt conquirerent inter se, &c.* Legamus Acta Apostolorum, Legamus signa quæ fecerunt veteres prophetæ. Facit signa Moyses, & Exod. 8. quid dicunt incantatores Pharaonis? Digitus Dei est. Moyses facit, & illi potentem alium confitentur. Dein- Act. 3. de faciunt Apostoli signa in nomine Iesu: Surge & ambula. Et in spiritu, inquit, Iesu egredere. Semper Iesus nominatur: hîc verò quid dicit? Exi de homine. Non nominatur alius, sed ipse est, qui cogit eos exire. *Mirati sunt omnes: ita vt inter se conquirerent, dicentes: Quidnam est hoc? Quæ doctrina hæc noua?* Quia dæmon egressurus fuerat. Nihil nouum hoc:nam & exorcistæ Hebræorum facere consueuerant. Sed quid dicit? Quæ est hæc doctrina noua? Quæ noua? *Quia in potestate, spiritibus immundis imperat.* Non alium nominat,sed ipse præcipit. Non in alterius nomine dicit,sed in sua potestate. *Et processit statim rumor eius in omnem regionem Galilææ.* Non in Iudæam, non in Hierosolymam. Doctores enim Iudæorum inuidentes Iesu, rumorem egredi non sinebant.Denique & Pilatus & alij nouerãt, quòd Pharisæi Iesum propter inuidiam tradidissent. Matt. 27. Rumor ergo ingreditur in eas aures, quæ inuidia non claudun tur. Hoc totum quare dico? Quia rumor eius egressus est in omnem Galilæam. In totam Galilæam peruenit: & in vnum viculum Iudææ non peruenit. Hoc totum quare dico? Quia anima quæ semel possessa fuerit ab inuidia:difficile est vt virtutes recipiat. Impossibile penè est remediari animam,quam inuidia possederit. Remediari nouè dictum. Denique primum homicidium & parricidium fecit inuidia. Duo erant homines in Mundo Abel & Cain. Genes. 4. Abel munera suscepit Dominus, Cain non suscepit. Qui virtutem imitari debuerat, adeò non fecit: sed statim interfecit eum, cuius Dominus munera susceperat. Quam inuidiam vtinam fugiamus omnes, & virtutem sequamur præstante Domino, cui honor in sæcula sæculorum. Amen.

Homilia VI.

Et protinus egredientes, &c. Socrum Simonis Petri febri laborantem benignißima alleuat manus redemptoris, eadem depulsa febri sanctis continuò ministrat. Vtrunque tractat ἀλληγορικῶς interpres. Ad eum protenditur locum, Vespere autem, &c.

E T *protinus egredientes de synagoga venerunt in domum Simonis & Andreæ, cum Iacobo & Ioanne.* Marc. 1. Instruxerat Dominus quadrigam suam: & super Cherubim ferebatur, & ingreditur in domum Petri. Digna enim erat anima eius, quæ tantum hospitem susciperet. Venerunt,inquit,in domum Simonis & Andreæ. *Decumbebat autem socrus Simonis febricitans.* Vtinam ad nostram domũ veniat & ingrediatur, & febres peccatorum nostrorum sua iussione sanet. Vnusquisque nostrum febricitat. Quando irascor, febricito: quot vitia, tot febres C sunt. Vitiis animæ nostræ febricitant. Sed rogemus Apostolos, vt precentur Iesum, & accedat ad nos, & tangat manum nostram. Si enim manum nostram tetigerit,statim fugit febris. Egregius medicus,& verus est archiater. Medicus Moyses, medicus Esaias, medici omnes sancti:sed iste archiater est. ἀρχὸς, id est primarius, princeps. ἰατρὸς, id est medicus. hinc archiater. Nouit diligenter venas tangere,& morborum arcana scrutari. Non tangit aurem, non tangit frontem, non tangit aliam partem corporis, sed manum tangit. Propterea enim febricitabat, quia bona opera non habebat. Primum itaque sanantur opera, & postea febris tollitur. Non potest fugere febris: nisi opera sanentur. Quando manus nostra habet mala opera, iacemus in lectulo, alleuare nos non possumus, ambulare non possumus: toti siquidem in ægritudine sumus. *Et accedens ad illam quæ ægrotabat.* Surgere enim ipsa non potuit, quia iacebat in lectulo, ideo venienti occurrere non potuit: sed iste misericors medicus, ipse vadit ad lectulum, qui ouiculam morbidam suis humeris portauerat. Ipse D venit ad lectulum: & accedens vltrò accersit, vt vltrò sanaret. Et accedens, vide quid dicat: Debueras quidem mihi venienti occurrere: debueras venire ad ostium, & suscipere me, vt sanitas tua non tantùm misericordiæ meæ esset, sed & voluntatis tuæ. Luc. 15. Sed quoniam magnitudine febrium opprimeris, & leuare te nõ potes, ipse venio. *Et accedens, eleuauit eam.* Quia surgere ipsa non poterat, leuatur à Domino. *Et eleuauit eam, apprehendens manum eius.* Manum quidem prẽdit. Et Petrus quando periclitabatur in mari & submergebatur: Luc. 5. manus ipsius tangitur & eleuatur. Et leuauit eam apprehensa manu eius:manu sua apprehendit manum. O beatam amicitiam, ô pulchrum osculum. Eleuauit eam apprehensa manu eius: manum illius sanauit sua manu. Apprehendit

Apprehendit manum eius quasi medicus, tentauit ve- A nas, vidit magnitudinem febrium ipse & medicus & medicamentum. Tangit Iesus,& fugit febris. Et in nobis tangat manum, vt mundentur opera nostra. Ingrediatur domum nostram: leuemus nos aliquando de lectulo, non iaceamus. Iesus stat ante lectulum, & nos iacemus. Surgamus & stemus, ignominia nostra est nos ante Iesum iacere. Dicat aliquis, Vbi est Iesus? Hîc est Ioan. 1. Luc. 17. in præsenti. Medius, inquit, inter vos stat, quem vos nescitis. Regnum Dei intra vos est. Credamus,& videmus præsentem Iesum. Si manum eius tangere non possumus, aduoluamur pedibus. Si non possumus ad caput peruenire, saltem pedes ipsius lachrymis lauemus. Nostra pœnitentia vnguentum saluatoris est. Vide quanta sit misericordia Saluatoris. Peccata nostra mali odores sunt, putredo sunt: tamen si agamus pœnitentiam, propter peccata si ploremus, peccata nostra putrida vnguentum efficiuntur Domini. Rogemus ergo Dominum, vt apprehendat manum nostram. *Et* B *confestim,* inquit, *dimisit eam febris.* Statim vt manus apprehenditur, febris fugit. Videte quid sequitur. Et continuò dimisit eam febris. Spem habeto peccator, si ta- 1. Reg. 12. men de lectulo surrexeris. Denique & sanctus Dauid qui corruerat,qui cum Bersabee vxore Vriæ Cethæi iacebat in lectulo, & adulterio febricitabat, postquam Psal. 50. Dominus sanauit eum,postquam dixerat, Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam: &,tibi soli peccaui,& malum coram te feci. Libera me de sanguinibus Deus Deus meus. Sanguinem enim Vriæ fuderat,quia fundendum mandauerat. Libera me,inquit, de sanguinibus Deus Deus meus: & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Vide quid dixit, Innoua. Eo siquidem tempore quo adulterium feci,quo homicidium perpetraui: Spiritus sanctus in me veteratus est. Et quid dicit? Lauasti me per lachrymas meas. Lachrymæ meæ & pœnitentia mea mihi fuerunt pro baptismate. Ergo pœnitentem videte quid efficitur. Egit pœniten- C tiam & fleuit,ideo mundatus est. Statim quid sequitur? Doceam iniquos vias tuas,& impij ad te conuertentur. De pœnitente magister est effectus. Hoc totum quare dixi? Quoniam in præsenti scriptum est, *Et confestim dimisit eam febris, & ministrabat eis.* Non ei sufficit, quòd eam dimiserit febris: sed in ministerium Christi tollitur,& ministrabat eis. Ministrabat pedibus,ministrabat manu: huc illúcque currebat: eum à quo sanata fuerat, venerabatur. Et nos ministremus Iesu. Libenter suscipit ministerium nostrum, licet pollutas habuerimus manus: & quia ipse sanauit,quod sanauit, dignatur aspicere. Ipsi sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Homilia VII.

Quis me tetigit? &c.) Mysterium duplex tropologicῶs explicatur hæmorrhoïssæ videlicet, quæ siccato sanguinis fonte ad Dominicæ fimbriæ contactum sanata est, & filiæ archisynagogi ad vitam reuocatæ.

Matth. 9. & Luc. 8. & Matt. 9. Q V I S *me tetigit?* Interrogat circumspiciens, vt videret eam quæ hoc fecerat. Nesciebat Dominus, quis tetigisset? Quomodo ergo quærebat eam? Quasi sciens,vt indicaret. *Mulier autem timens & tremens, sciens quod factum esset, &c.* Si non interrogasset & dixisset, quis me tetigit? nemo sciisset factum esse signum. Dicere enim poterant, Non fecit signum,sed iactat se, pro gloriæ causa loquitur. Propterea interrogat, vt mulier illa confiteatur, & Deus glorificetur. *Et procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.* Videte gradus, videte profectus. Quandiu sanguine fluebat: inantè venire

non poterat. Sanata est, & inantè venit. Et procidit ante pedes eius. Necdum audebat vultum aspicere: modò vt sanata fuit, sufficit ei vt pedes teneat. *Et dixit ei omnem veritatem.* Christus veritas est. Et quoniam sanata fuerat à veritate, confessa est veritatem. *Ille autem dixit ei, Filia, fides tua te saluam fecit.* Digna quæ vocetur filia, quæ sic crediderat: turba quæ comprimit, filia non potest appellari. Ista verò quæ ante pedes cadit, & confitetur, filiæ nomen meretur accipere. Fides tua te saluam fecit. Videte humilitatem. Ipse sanat, & illi refert, quod sanauit. Fides tua te saluam fecit. Fides tua te sanauit: vade in pace. Antequam crederes in Salomonem, hoc est in pacificum,non habebas pacem. Nunc autem vade in pace. Ego vici mundum. Ioan. 16. Pacem habes, esto secura, quia sanatus est Gentium populus. *Veniunt ab archisynagogo, dicentes: quia filia tua mortua est. Quid vltrà vexas magistrum?* ἀρχισυνάγωγος, id est, qui synagogæ congregationi & consilio præest. Reuixit Ecclesia, & synagoga mortua est. Licet mor- B tua sit puella, tamen Dominus loquitur ad archisynagogum. Noli timere,tantummodo crede. Loquamur & nos vsque hodie ad synagogam, loquamur ad Iudæos. Mortua quidem est archisynagogi filia: sed credite, & suscitatur. Quare Christus tres hos, Petrum, Iacobum, & Ioannem, ad suæ dispensationis arcana opera potissimum admiserit. Et non admisit quenquam sequi se, nisi Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem Iacobi. Quærat aliquis, & dicat: Quare isti semper assumuntur, & cæteri dimittuntur? Nam & in monte quando transformatus est, isti tres assumpti sunt. Eliguntur ergo tres, Petrus, Iacobus & Ioannes. Primùm, & in isto numero mysterium trinitatis est, qui numerus per se sanctus est. Nam & Iacob secundùm Hebraicam veritatem tres virgas ponit in canalibus. Matt. 17. Gen. 30. Scriptum est & in alio loco: Spartum triplex non disrumpetur. σπάρτον id est, funis. Eligitur ergo Petrus, super quem fundata est Ecclesia: & Iacobus, qui primus de Apostolis martyrio coronatus est: & Ioannes, qui virginitatis est exordium. Psal. 138. *Et venit in domum archisynagogi, & vidit tumultum, & flen-* C *tes, & eiulantes.* Vsque hodie in synagoga tumultus est. Licet Psalmos Dauid promittant se dicere: tamen canticum eorum luctus est. *Et ingressus ait eis: Quid turbamini & ploratis? Puella non est mortua, sed dormit.* Puella quæ vobis mortua est, mihi viuit: vobis mortua, mihi dormit. Et quod dormit, suscitari potest. *Et irridebant eum.* Non enim credebant ab Iesu posse suscitari filiam archisynagogi. Ipse verò abiectis omnibus, assumpsit patrem & matrem puellæ. Loquamur ad sanctos homines, qui signa faciunt, quibus Dominus concessit virtutes aliquas. Ecce Christus suscitaturus filiam archisynagogi omnes foras eiicit, ne iactantiæ causa id facere videretur. Ipse verò abiectis omnibus,assumpsit patrem & matrem puellæ. Et istos forsitan eiecisset, nisi propter affectum parentum, vt viderent filiam suscitatam. *Et ingreditur vbi erat puella iacens, & tenens manum puellæ, &c.* Primum manum tetigit, sanauit opera, & sic suscitauit. Verè eo tempore completum est, D Quum intrauit plenitudo gentium, tunc omnis Israël saluus fiet. Rom. 11. *ait* ergo, *Thalita kumi:* quod interpretatur, Puella surge mihi. Si diceret, Thalita kum, interpretaretur, puella surge. Nunc verò quia dixit, Thalita kumi, interpretatur de Syra & Hebræa lingua, Puella surge mihi. kumi, hoc est, surge mihi. Videte ergo mysterium in ipsa lingua Hebræa & Syra. quasi diceret: Puella quæ mater esse debebas, propter infidelitatem puella facta es. Et aliter possumus dicere:Quia renasceris, puella vocaberis. Puella surge mihi, non tuo merito, sed mea gratia: mihi ergo surge,quòd sanaris,non ex tuis virtutibus. Et confestim surrexit puella, & ambulabat. Et nos tangat Iesus, & statim ambulabimus. Licet paralytici simus, licet mala habeamus opera,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& ambulare non possumus, licet in lectulo iacemus peccatorum, & corporis nostri: si tetigerit nos Iesus, statim sanabimur. Socrus Petri laborauerat febribus: tetigit Iesus manum, & surrexit: & statim ministrabat illi. Marc.1. Videte quanta differentia. Illa tangitur, & surgit, & ministrat: isti sufficit, quia tantùm ambulat. *Et obstupuerunt stupore maximo, & præcepit illis vehementer, vt tacerent, & nulli dicerent.* Videtis causam, qua eiecerat turbam signa facturus? Præcepit, & non solùm præcepit, sed vehementer præcepit, vt nemo sciret. Præcepit tribus Apostolis, præcepit & parentibus, vt nemo sciret. Præcepit Dominus omnibus, sed puella tacere non potest, quæ surrexit. *Et dixit dari ei manducare*, ne resurrectio phantasma putaretur. Et ipse propterea post resurrectionem comedit de pisce, & de fauo. Et dixit dari ei manducare: Obsecro Domine, & nobis iacentibus tange manum, & nos resuscita de lectulo peccatorum nostrorum, ambulareque nos facias. Cùm ambulauerimus, iube nobis dari manducare: iacentes manducare non possumus. Nisi steterimus, corpus Christi accipere non valemus: cui gloria, vnà cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen. Luc. vlt.

HOMILIA VIII.

In diebus illis, cùm turba multa, &c.) Docet præsens homilia quantum interfit inter hanc quatuor millium cibationem de septem panibus piscículisque paucis, & illam quinque millium de quinque panibus ac duobus piscibus. Quanquam vtraque admirabilis prorsus, stupenda, & soli diuinæ operationi per se congruens sit.

Marc. 8. & Matth. 15. IN *diebus illis, cùm turba multa esset cum Iesu, nec haberet quod manducaret, conuocatis discipulis, ait illis: Misereor turbæ, quia ecce triduo sustinuit, nec habent quod manducent.* In superiori parte legimus, quoniam Dominus pauerit de quinque panibus quinque millia hominum. Et de reliquiis leuati sunt duodecim cophini fragmentorum. In illa parabola quicquid visum fuerat, illo tempore disputauimus. Hæc verò historia, quæ nunc lecta est, & alia est, & ipsa est. Ex parte enim similis est, & ex parte dissimilis. In illa historia legimus, quòd qui pasti sunt, pasti sunt in deserto: in ista verò legimus, quòd qui pasti sunt, in monte pasti sunt. Primùm volo dicere, quid sit dissimile. Debemus enim scire venas ipsas carnésque scripturarum, vt cùm intellexerimus ipsam scripturam, postea sensum videre possimus. Ibi legimus, quia quinque millia fuerint, qui pasti sunt: hìc verò legimus, quòd quatuor millia fuerunt. Ibi legimus, quòd quinque panes fuerint: hìc legimus, quòd septem panes fuerint. Ibi legimus secundùm Euangelium Ioannis, quòd quinque panes hordeacei fuerint: hìc verò legimus, quòd isti panes septem frumentarij sunt. Videtis differentiam, videtis, quia ipsum est, & non ipsum est. Non debemus igitur scripturas negligenter legere. Hoc solùm est dissimile, nihil est aliud. Videamus quid scriptura dicat: legimus quoniam populus qui pascitur, vna die tantùm fuit cum Iesu: & pascuntur non ad meridiem, sed ad vesperam, declinante sole. Isti verò, hoc est quatuor millia, qui septem panibus pascuntur frumentitiis: quid dicit de illis ipse Iesus, non Apostoli sicut in superiori? Ibi enim Apostoli dicunt, Ecce die toto expectant te: hìc verò ipse Saluator loquitur, Ecce iam triduo sustinent me. Vide quæ sit differentia inter vnum diem & tres. Ibi ab Apostolis Dominus rogatur, vt pascat: hìc Apostolos commonet Dominus, vt pascât. Hìc quid dicit? Si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient. Digni erant solicitudine Domini, qui tribus diebus expectauerant Dominum. Deinde videamus & alia. Quinque millia hominum quinque panes comedunt: & de quinque panum reliquiis implentur duodecim cophini. Hìc quatuor millia hominum, minor quidem est numerus, Ibi enim quinque millia, hìc quatuor. Quatuor millia ergo hominum, comedunt septem panes: minor scilicet numerus plus comedit. Multi enim vocati, pauci verò electi. Videte quid dicat: Quatuor millia hominum comedunt septem panes: de quinque panibus implentur duodecim cophini. De septem panibus implentur septem sportæ: de minori numero minus remanet, de maiori numero plus remanet. Isti enim quatuor millia minor quidem in numero, cæterùm maior in fide. Qui maior in fide, plus comedit: & quia plus comedit, minus ei remanet. Vtinam & nos panes frumentitios de scripturis plus comedere possimus, vt minùs nobis remaneat in scientia. Multa sunt, quæ dicantur. Cæterùm quia in priori parabola iam explicata sunt, tantùm voluimus differentiam parabolarum dicere. Etenim sensus in priori dictus est. Sequamur autem vestigia sancti presbyteri. Et quoniam ipse de principio Psalmi plenius disputauit, nos reliqua percurremus: præstante Domino, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen. Matt. 20. & 22. Cap. scilicet 6. quæ homilia defideratur. Presbyterum intelligit seniorem suum, episcopũ, scilicet & ætati deferens, & functioni pontificiæ.

HOMILIA IX.

Et venit Bethsaida, &c.) Duorum cæcorum commeminit, Bethsaidæi primùm, mox Hierichuntini, cuius & apud hunc Marcum mentio fit capite decimo. g. Deinde alterius fit ad alterum collatio allegorica. Demum ad priorem recurrit totus.

ET *veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum.* Quoniam sanctus Presbyter de Psalmo diuina cantauit, nos Euangelium diuidimus, & quod dicturi eramus in Psalmum, in parte Euangelij dicimus. *Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum: & rogant illum, vt eum tangeret.* Veniunt Bethsaida Apostoli, veniunt quibus dixerat, Nondum intelligitis. Præterita enim historia hoc continet. Veniunt ita Bethsaida, in viculum Andreæ & Petri, Iacobi & Ioannis, Bethsaida interpretatur domus venatorum. De ista enim domo missi sunt in totum orbem venatores & piscatores. Considerate quid dicitur. Historia manifesta est. Litera patet, spiritus requiratur. Quia venerit in Bethsaida, quia cæcus ibi loci fuerit, quia discesserit: quid hoc magnum? Magnum quidem est, quod fecit: sed nisi quotidie fiat, quod olim factum est, nobis quidem magnum esse cessauit. Et veniunt Bethsaidam. Veniunt Apostoli in domum suam, vbi nati fuerant. Et adducunt ei cæcum. Diligenter rem aduertite, notate quod dicitur. In domo Apostolorum cæcus est: vbi nati sunt Apostoli, ibi cæcitas est. Intelligitis quod dico? Cæcus iste populus Iudæorum est, qui in domo Apostolorum erat. Et adducunt ad eum cæcum. Iste est cæcus, qui in Hierichosecus viam sedebat: non in via, sed secundùm viam: non in lege vera, sed in lege literæ. Et rogant eum, vt illum tangeret. Ille qui erat in Hierichо, cùm audiret Iesum prætereuntem, cœpit clamare & dicere: Miserere mei fili Dauid, & increpabant illum prætereuntes. Cæterùm Iesus non increpat. Non enim venit, nisi ad oues perditas domus Israël. Iussit eum ad se adduci. Ille audiens quòd Iesus vocaret se: exiliuit, inquit, & sua vestimenta dereliquit: & sic cucurrit. Non potuit ire cum vestimentis suis. Quid causæ fuit, vt vestimenta dimitteret, & sic ad Iesum curreret? Non potuit ire cum veteribus vestimentis: nudus cucurrit ad Dominum. Cæcus erat, sordida habebat vestimenta consciſſa & dirupta. Cucurrit Philippus etiam-num Apostolus erat Bethsaideus. Sanè בית id est domus. צוד per sadik, id est, venatus est, cepit: hinc said, id est, venator. Chaldaica sunt. In Galilæa est iuxta stagnum Genezareth. Sed & שרא id est effundit, vt in Thargum Chald. domus copiosus locus confluentium aquarum. Marc. 10. Matt. 15.

Cucurrit itaque quasi cæcus, & sanatus est: quia ita erat in Hierichо cæcus ille secundùm viam qui & sanatus est. Iste nunc curatur in Bethsaida. Et rogant eum vt illum tangeret. Rogant discipuli dominum saluatorem, vt illum tangeret. Ille enim quia præ cæcitate ignorabat viam: ambulare non poterat, vt tangeret Christum. Rogant dicentes ei, tange & sanabitur. *Et apprehendit manum cæci, & eduxit eum extra vicum.* Apprehendens manum eius. Quia manus eius sanguine plena erat, apprehendit manum, & purgauit eam. Apprehendit manum eius quasi cæci, ipse via & ductor: & eduxit eum extra vicum. Putatis nos vim scripturæ sanctæ facere? Forsitã aliquis dicat in tacita cogitatione: Iste semper allegorias sequitur, vim scripturæ sanctæ facit. Quid causæ est, respondeat mihi, qui hoc cogitat: quid causæ est, vt ingrediatur in Bethsaida, & offeratur ei cæcus? Non eum curat in ipso viculo, sed extra vicum: non enim sanari potest, & videre in Lege, sed in euangelio. Vsque hodie Iesus, si ingrediatur Bethsaidam, hoc est in synagogam Iudæorum: Iesus, id est sermo diuinus ingrediatur in synagogam Iudæorum, hoc est in concilia Iudæorum. Cæcus ille, quandiu in synagoga est, & in littera: sanari non potest, nisi foras adducatur. *Eduxit eum extra vicum, & expuẽs in oculos eius, impositis manibus suis.* Saliua Christi medicina est. *Et expuens in oculos eius, impositis manibus suis interrogauit eum, si aliquid videret.* Scientiæ semper profectus sunt. Non potest aliquis in vna hora perfectã sapere sapientiam, quamuis prudẽs is sit. Non nisi multo tempore & eruditione diu quæsita, ad perfectã scientiam potest quis peruenire. Primùm tolluntur sordes, & cæcitas tollitur, & ita lumen venit. Saliua Domini perfecta doctrina est, quæ vt perfectè doceat, à dominico ore procedit. Saliua Domini, vt ita dicam, quasi de substantia Domini scientia est. Sicut enim sermo, qui de ore procedit, medicina est: sic saliua videtur, quasi de Dei, hoc est ipsa exire substantia: Hoc ergo quod dicit, hoc est, secretiore doctrina. Abstersit errorem oculorum ipsius. Et expuens in oculos eius, impositis manibus suis. Saliua oculos sanat: manus ponuntur in capite. Saliua cæcitatem propellit, manus imponunt benedictionem. Et interrogauit eum, si quid videret. Sciebat quid videret, & quid non videret. Dixit tamen si aliquid videret. Quando interrogat, si aliquid videret: scit, quod adhuc non perfectè conspiceret. Et suspiciens, ait. Pulchrè dixit ἀναβλέψας, hoc est, suspiciens, qui quandiu cæcus erat, deorsum aspiciebat: sursum adspexit, & sanatus est. *Suspiciens, ait: Video homines veluti arbores ambulãtes.* Nec cæcus est, nec oculos habet. Video homines veluti arbores ambulantes. Vmbram adhuc video, necdum veritatem. Quòd dixit, video homines veluti arbores ambulantes, hoc dicit: Video aliquid in Lege, sed elarum euangelij lumẽ necdum aspicio. Vsque hodie Iudæi vident homines veluti arbores ambulantes: vident Moysem, & non vident eum: legunt Esaiam, & non intelligunt. Vident homines, homo est enim Esaias, Hieremias, omnes prophetæ homines sunt, ad comparationem iumentorum. Homo cùm in honore esset, non intellexit: adsimilatus est iumentis insipientibus, & similis factus est eis. Ergo rationabiles prophetas non vident quasi homines, sed quasi arbores, id est, irrationabiles, intelligibiles. *Deinde imposuit iterum manus super oculos eius.* Qui me putas vim facere Scripturę, qui dicis, vim facis: hoc habet tantum, quod sonat in littera: nihil ne intrinsecus est? Manus tenet super oculos ipsius, & interrogat, an aliquid videat. Et posuit iterum manus suas super oculos eius, & cœpit videre. Videte quid dicitur: Imposuit manus super oculos eius, & cœpit videre. Si humana esset virtus vtique etsi videret: manibus super oculos impositis videre non poterat. Sed manus Domini omnibus oculis clarior est. Et imposuit manus super oculos eius, & cœpit videre: & restitutus est, vt videret clarè omnia. Omnia, inquam, hæc videret, quæ nos cernimus: videret mysteria Trinitatis, videret omnia quæ in euangelio sacramenta sunt. Vt videret clarè. Nisi essent aliqui, qui viderent, & tamen non clarè viderent: nunquã hoc diceret, vt videret clarè. Nunc ergo quod dicitur, videret clarè: & nos omnes videmus. Credimus enim in Christum qui verùm lumen est: sed inter videntes & videntes, magna distantia est. Secundùm enim fidem vniuscuiusque credentis, est Iesus aut magnus, aut paruus. Si peccator sum, & ago pœnitentiam, pedes tãgo: si sanctus sum, caput lauo. *Et misit illum in domũ suã, dicens: Vade in domum tuam: & in vicum ne introieris, & nemini dixeris.* Videte diligenter. Cæcus iste in Bethsaida erat: educitur foras. Ibi sanatur, nõ in Bethsaida, sed extra Bethsaidam. Et quia sanatus est: dicitur ei, Reuertere in domum tuam, sed non vadis in vicum. De Bethsaida tollitur: ibi erat, ibi inuenitur. Et quomodo non est Bethsaidæ ipsius domus: videte quid dicitur. Si secundùm literam intelligimus: penitus sanare non potest. Si enim cæcus iste inuenitur in Bethsaida: & de Bethsaida tollitur foras, & ibi curatur: & dicitur ei, reuertere in domum tuam: vtique dicitur ei reuertere in Bethsaida. Si autem reuertitur in Bethsaida, quomodo dicitur ei, ne introieris in vicum? Vides ergo quod spiritualis intelligentia est. Educitur de domo Iudæorum, de viculo Iudæorum, de lege Iudæorum, de littera Iudæorum, de traditionibus Iudæorum. Qui non poterat sanari in lege, sanatur in gratia euangelij: & dicitur ei, Reuertere in domum tuam: non in istam domum, quam tu putas, vnde egressus est: sed in domum, vnde fuit & Abraham. Siquidem Abraham pater credentium est. Abraham vidit diem meum, & lætatus est. In domum tuam reuertere hoc est, in Ecclesiam: dum venio, inquit, vt scias quomodo gubernare debeas Ecclesiam, quæ est domus Dei. Vides ergo, quoniam domus Dei Ecclesia est. Dicitur ergo ei: vade in domum tuam: hoc est, in domum fidei: hoc est, in Ecclesiam: ne reuertaris in viculum Iudæorum. In qua Ecclesia vtinam semper maneamus, cõcedente Domino, qui viuit & regnat, in sæcula sæculorum. Amen. Ioan. 8.

HOMILIA X.

Amen dico vobis, &c.) quod in vetere testamento Domino fuit, Vino ego: hoc in nouo, Amen, amen. Stare iustorum est: contrà, impiorum iacere. Gustant quidam mortem, nõnulli vident, comedunt aliqui, alij satiantur, reficiuntur etiamnum alij morte. Totam deinde historiam transfigurati domini suo excurrit more ἀλληγορικῶς.

Paræneſis.) Initio statim explicandæ transfigurationis legis. Quid est, post dies sex? In euangelio habes secundùm Matthæum. Et factum est die octaua, &c. Hìc mihi commonendus videris lector: ne præcipiti iudicio in authorem præproperam feras censuram quasi plagio hæreseos feriri illico debeat: qui quod in Luca scriptum reperis capite nimirum nono, Matthæo ascribit. Contrà, quod apud Matthæum habes, per omnia consentit Marco. Sed hic error per se alioqui pudendus, quamlibet minutulus, in exceptorem homiliæ præsentis reiiciendus est: aut si admisit author, quod ferè contingit iis qui ad populum declamant homilias, vt vnum pro alio subiiciant minus nonnunquam attenti, quàm par sit pro dignitate desumptæ materiæ venia tamen vsquequaque dignum hunc censeri par est, qui cùm tanta & scripserit & dictarit, vt vix vnus quiuis quamlibet studiosus illius scriptis & legendis, & conferendis satis esse queat: rarenter tamen admodum, quod est præsentissimæ ar-

Marc. 6. Hinc colligitur intercedisse homilias aliquot Chrysost. etiam in hunc Marcum. Venas sutas carnéque habent sacræ literæ.

Ioan. 6.

Psal. 48.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gimentum memoriæ, loci, temporis atque numeri ratione destituitur. Hunc itaque lapsum, vndelibet irrepserit, atque alios aliquot assimiles, sicubi occurrerint, facilè condonabis tanto authori, si modò tantis lucubrationibus voles esse non ingratus. Memor in primis supra humanæ conditionis legem esse, vbique & semper omnium præsentem habere memoriam, adeo vt necubi dormitare comperiaris. Hæc quidem fusius duplici nomine dixerim: Primùm, quòd religiosius esse semper duxerim quicquam contronertere exemplari, quod sortitò nactus sis: præsertim si antiquitatis multæ est & charácteris doctè perscripti, cuiusmodi est quod suppeditauit iam dictus antistes Syluanectен. ex Dionysianæ bibliothecæ archiuis, vt apparet, depromptum: Deinde, quòd non suppeteret Græci codicis exemplar: ad quod ceu sacram anchoram confugerem. Dubitem etiamnum, vt ingenuè fatear, debeántne vindicari, tanto heroi hæ qualescunque homiliæ. Tui interim candoris fuerit boni consulere, quod subministrauit charitas.

Marc. 9. AMEN *dico vobis, quia sunt quidam de hic adstantibus, qui non gustabunt mortem.* Amen
Num. 14. dico vobis. Iurat Christus: debemus Christo iuranti credere. Quod enim in veteri
JDN testamento dicitur, Viuo ego dicit Dominus: in nouo testamento dicitur, Amen, amen dico vobis. Amen amen, dicitur, verè verè. Veritas loquitur veritatem, vt vincat mendacium. Amen dico vobis, quia sunt quidam de hìc adstantibus. Dico vobis discipulis: Iudæis autem non loquor: clausas enim habent aures, & meus sermo eas penetrare non potest. Quia sunt quidam de hìc adstantibus, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei: pulchrè de his
Deut. 10. qui stant, dicitur, Non gustabunt mortem. Qui enim stat: in eo quo stat, non gustat mortem. Nam & Moyses loquitur in Deuteronomio. Quadraginta, inquit, diebus, & quadraginta noctibus steti in monte cũ Deo. Solus stetit quadraginta diebus: & ideo meruit legem accipere. Stantibus datur, iacentibus non datur. Singula verba discutimus, vt ad lectionis mysteria perueniamus. Si enim pulchra vestibula sunt: qualis ipsa domus erit? Qui non gustabunt mortem. Mortis plura sunt genera. Alij gustant mortem, alij vident, alij comedunt, alij saturãtur, alij reficiuntur. Cæterùm & Apostoli quoniam stabant, & Apostoli erant: propterea ne gustauerunt quidem mortem. Et hoc interim diximus secun-
Psal. 88. dùm tropologiam, secundùm & illum sensum: Quis est hominum, qui viuat, & non videat mortem? In eo quod dicit, quis: aut impossibile dicit, aut difficile. Qui non gustabunt mortem. Sed quidam, qui non gustabunt mortem: qui verò mortem non videant, difficile reperitur. Hic autem mortem peccati intelligere debemus.
Ezech. 18. Anima enim quæ peccauerit, ipsa morietur. Difficile est ergo, vt quis viuat, & non videat mortem. Inter videre & gustare differentia est. Qui videt, videt quidem, sed non gustat: qui autem gustat, necesse est vt videat. Vi-
Quid inter gustare & videre morté. deamus quid sit gustare mortem, quid sit videre mortem. Vidi mulierem pulchram, voluit anima mea eam concupiscere: Dei timor expellit desiderium. Vidi mortem, sed non gustaui. Si autem videro, & concupiuero: iam mœchatus sum in corde meo, ecce gustaui mortem. Hoc est, gustare mortem, non comedere, non reficiː sed quasi paululum animo degustare. Apostoli quasi Apostoli ne gustauerunt quidem mortem. Si verò & secundò & tertiò rem perfecero, & frequentauero in fornicatione: iam non solùm gustaui, sed & saturatus sum. Propheta ergo videte quid dixerit. Non dixit.
Psal. 88. Quis est homo, qui viuat, & non gustet mortem: sed dixit, Quis est homo qui viuat, & non videat mortem? difficile est enim esse, quem concupiscentia non tentet,

A quem tentamenta non quatiant. Hoc interim diximus secundùm sublimiorem sensum. Cæterùm dicamus de historia. *Dixit dominus ad discipulos, quoniam sunt multi* Marc. 9. *de hic adstantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute sua.* Quod dicit, hoc est: nisi me antè regnantem viderint, non morientur. Hoc secundùm historiam. Et sequitur: *Et post dies sex assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & ducit illos in montem excelsum seorsum solos, & transfiguratus est coram eis.* Et hoc esse dicunt: hoc est, Viderunt Apostoli qualis regnaturus esset Christus: videntes illum in monte transfiguratum, viderunt illum Apostoli transformatum in gloria sua, qualis regnaturus esset. Et hoc est ergo quod aiunt, Non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei. Quid factum est, post dies sex? In Euangelio habes Legis Matthæi 17. & post dies sex. secundùm Matthæum. Et factum est die octaua: videtur itaque secundùm historiam esse distantiã. Matthæus enim octo dies dicit, Marcus sex dicit. Sic ergo debe-
B mus intelligere, quòd Matthæus & primam dixerit & nouissimam: Marcus verò medias tantum dixerit. Secundùm historiam hoc dicitur, quoniam ascendit in montem, quoniam transformatus est, quoniam Moyses & Helias visi sunt colloquentes cum eo, quoniam Petrus ei dixit delectatus visione pulcherrima: *Domine vis, vt tria tabernacula faciamus, tibi vnum, Moysi vnum, & Heliæ vnum?* Et statim dicit Euangelista. *Non enim sciebant quid loquerentur. erant enim timore perterriti.* Et deinde dicitur. *quòd facta est nubes, & ipsa nubes candida obumbrans eos, & venerit vox de cælo dicens. Hic est filius meus charissimus, hunc audite. Et statim circumspicientes neminem viderunt, nisi Iesum.* Historia hoc continet. Qui amant historiam: qui solùm Iudaicam sequuntur sententiam, qui sequuntur occidentem litteram & non viuificãtem spiritum. Non historiam denegamus, sed spiritalem intelligentiam præferimus: nec hæc nostra sententia est. Sequuntur Apostolorum sententiam, & maximè vasis e-
C lectionis, qui ea verba, quæ Iudæi intellexerunt in mortem suam, intellexit in vitam suam, Apostolus videlicet, Galat. 4. qui dicit, quod Sarra & Agar in duo testamenta interpretentur, scilicet mons Sina, & mons Sion. Hoc interpretatur in duo testamenta: Hæc autem sunt in duo testamenta. Nunquid non fuit Agar? nunquid non fuit Sarra? Nunquid mons Sina non est? nunquid mons Sion non est? Historiam non negauit, sed sacramenta prodidit: nec dixit, quæ intelliguntur duo testamenta: sed, quæ sunt, inquit, duo testamenta. *Et post dies sex assumens Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem.* Post dies sex. Orate Dominum, vt eodem spiritu, quo dicta sunt, exponantur. Et factum est, post dies sex. Quare non post dies nouem, quare non post dies decẽ, quare non post dies viginti, quare non post quattuor, quare non post quinque, nec ante aliquis numerus assumitur, nec postea, sed sextus eligitur? Et factum est, inquit, post dies sex. Hi qui stant cum Iesu, de quibus
D dicitur, Quia sunt quidam de hìc adstãtibus: hi regnum Dei non videt, nisi post dies sex. Nisi enim Mundus iste transierit, qui in sex diebus intelligitur, verum regnum non apparebit. Cùm autem pertransierint sex dies: qui fuerit Petrus: hoc est, qui vt Petrus à petra Christo nomen accepit: regnũ videre merebitur. Quomodo enim à Christo dicimur Christiani: ita à petra dictus est Petrus, hoc est πέτρος. Si quis ergo de nobis fuerit πέτρος, & talem, hoc est, eam fidem habuerit: vt super illum ædificetur Ecclesia Christi. Si quis fuerit vt Iacobus & Ioannes fratres non tantum sanguine, quantum spiritu. Si quis fuerit Iacobus πτερνιστής, id est supplantator: & Ioannes, id est, gratia domini. Cùm enim supplantauerimus aduersarios nostros, tunc merebimur gratiam Christi.

Christi. Si quis habuerit sublimiora dogmata, & intelli-
A gentiã excellentiorẽ, & meruerit vocari filius tonitrui: necesse est, vt ab Iesu ducatur in montem. Simúlque considerate: quòd Iesus donec deorsum est, non transfiguratur: ascendit & transmutatur: & ducit illos in mõtem excelsum seorsum solus, & trãsfiguratus est coram ipsis: & vestimenta eius facta sunt splendentia & candida nimis. Vsque hodie Iesus aliis deorsum est, aliis sursum est: Qui deorsum sunt, & deorsum habent Iesum: & turbæ sunt, & in montem ascendere non valent. In mõtem enim soli discipuli ascendũt: turbæ deorsum remanent. Si quis ergo deorsum est, & de turba est: non potest videre Iesum in candidis vestimentis, sed in sordidis. Si quis literam sequitur, & deorsum est totus, & terram respicit more brutorum animalium: hic non potest videre Iesum in veste candida. Qui autem sequitur sermonem Dei, & ad montana, id est, ad excelsa conscendit: isti Iesus statim commutatur, & vestimẽta Iesu candidiora fiunt. Hoc quod legimus, si secundùm literam
B intelligimus: quid habet in se candidum, quid habet in se splendidum, quid sublime? Si autem spiritualiter intelligimus: statim scripturæ sanctæ: hoc est, vestimenta sermonis mutantur, & candida fiũt velut nix: qualia fullo non potest in terra facere. Tolle quoduis propheticum testimonium, tolle euangelicam parabolam: si secundum literam intelligis, nihil in se habet splẽdidum, nihil candidum. Sin autem apostolos sequeris, & spiritaliter intelligis: statim vestimenta sermonis mutantur, & candida fiunt: & Iesus totus immutatur in monte: & vestimenta eius cãdida nimis quasi nix, qualia fullo super terram facere non potest sic cãdida. Qui in terra est & deorsum, hic non potest vestimenta candida facere: qui autem cum Iesu ascendit in montem, & quasi terram deorsum relinquit, meditatur ad mõtana & ad cœlestia conscendere: iste potest talia facere vestimenta, qualia fullo super terram non potest facere. Dicat mihi aliquis, licet non dicat, tàmen tacitus secum cogitet: In-
C terpretatus es, quid sit mors: dixisti sermonem Dei, dixisti vestimenta, scripturas sanctas. Dic mihi, qui sunt isti fullones, qui non possunt talia facere vestimenta, qualia habet Iesus? Fullonum hoc opus est, vt quod sordidum est, candidum faciant: & vt candidum faciant, non possunt sine labore facere: sed necesse est, vt calcẽt vestimenta, vt lauent, vt ad Solem expandãt. Nisi enim multo labore de sordido in candidum colorem nõ mutantur vestimenta. Voluit Plato, voluit Aristoteles, voluit Zeno Stoicorum princeps, voluit & Epicurus voluptatis assertor, dogmata sua sordida sermonibus quasi candidis candidare: sed non potuerunt talia facere vestimenta, qualia Iesus in monte possidet: quoniam super terram erant, totum de terrenis disputabant. Nullus igitur fullonum, hoc est, disceptatorum sæcularis literaturæ, potuit talia facere vestimenta, qualia in monte possidet Iesus. *Et apparuit eis Helias cum Mose, & erant loquẽtes cum Iesu.* Nisi Iesum vidissent transformatum, nisi ve-
D stimenta illius candida: Moysem & Heliam videre non poterant loquentes cum Iesu. Quandiu Iudaicè intelligimus, & literam sequimur occidentẽ: Moyses & Helias cum Iesu non loquuntur, euangelium nescIunt. Sin autem Iesum sequuti fuerint, & videre Dominum meruerint transformatum, & candida vestimenta eius, & omnia spiritaliter intelligere, quæ scripta sunt: statim Moyses & Helias veniũt, id est Lex & prophetæ, & colloquuntur euangelio. *Et apparuit eis Helias cum Mose, & erant loquentes cum Iesu.* In Euangelium secundùm Lucam etiam hoc additum est: Et annunciabant, inquit, illi, quo genere passurus esset in Hierusalem. Hoc Moyses loquitur, & Helias: & loquuntur ad Iesum, hoc est

A ad Euangelium. Et annunciabant, illi quomodo pas- Luc. 9.
surus sit in Hierusalem. Lex enim & prophetæ Christi passionem adnunciant. Videtis, quomodo prodest animæ nostræ intelligentia spiritalis, sed & ipsi Moyses & Helias videntur in candidis vestimentis. Quandiu non sunt cum Iesu, non habent candida vestimenta. Si enim legas Legem, hoc est, Moysem: si prophetas legas, hoc est, Heliam: & non illos intelligas in Christo, & non intelligas quomodo Moyses loquitur cum Iesu, quomodo Helias loquitur cum Iesu: sed intelligas Moysem sine Iesu, & Heliam sine Iesu, & quomodo ei non adnũciant passionem: nec in montem conscendunt Moyses & Helias, nec habent candida vestimenta, sed tota sordida sunt. Si enim literã Iudaicè sequaris, quid tibi prodest legere, quod Iudas concubuerit cum Thamar nuru sua? quid tibi prodest, quòd Noë inebriatus est, & de- Gen. 38. & seq. Gen. 19.
nudatus est? quid tibi prodest, quia Onam filius Iudæ fe- Ibid. 38.
cit rem turpissimam, quam dicere erubesco: quid, in-
B quam, tibi prodest? Sin autem spiritaliter intelligas: vides, quomodo vestimenta sordida Moysi vertuntur in candida. Petrus igitur & Iacobus & Ioannes, qui sine Iesu ante Moysem & Heliam viderant, quia viderunt illos cum Iesu colloquentes, & habere vestimenta candida: vident se esse in monte. Verè enim in monte consistimus, quando spiritaliter intelligimus. Si lego Genesim, si lego Exodum, si Leuiticum, si Numeros, si Deuteronomiũ, quandiu carnaliter lego, deorsum mihi esse videor: si spiritaliter intellexero, ad montana conscendo. Vides ergo quomodo Petrus & Iacobus & Ioannes videntes se esse in monte: hoc est, in intelligentia spirituali, humilia & humana contemnunt, excelsa & diuina desiderant: nolunt ad terram descendere, sed toti in spiritalibus immorari. *Et respondens ait Petrus Iesu: Rabbi, bonum est nos hic esse.* Et ego quando Scripturas lego, & spiritualiter aliquid intelligo excelsius: nolo inde descendere, nolo descẽdere ad humiliora: volo in pectore meo
C tabernaculum facere Christo & Legi & prophetis. Cæterùm Iesus qui propterea venit, vt quod perditum erat, saluaret: qui nõ venit saluare eos, qui sancti sunt, sed qui se malè habent: scit, quia si in monte genus hominum fuerit, non saluabitur, nisi ad terrena descenderit. *Rabbi, bonum est nos hic esse, faciamus tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Heliæ vnum.* Nunquid arbores erant in monte illo? Deinde etiam si essent arbores & vestimenta, speramus, quod hoc voluerit Petrus facere, vt illis faceret tentoria, vt habitarent ibi? Et hoc est totum, quod Petrus facere desiderabat, vult tria facere tabernacula, Iesu vnum, Moysi vnum, & Heliæ vnum: vt legem separaret & prophetas & euangelium, quæ non possunt separari. Et quodammodo hoc dicit, Faciamus tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Heliæ vnum. O Petre licet in montem conscenderis, licet Iesum videas transformatum, licet vestimẽta eius candida: tamen quia Christus necdum pro te passus est, ad-
D huc scire non possis veritatem. Aliquis dicat: Faciamus tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Heliæ vnũ: aliquis loquatur ad Dominum, Facio tibi tabernaculum, facio & seruis tuis similia tabernacula. Si quando inæquales æqualiter honorantur: maioris iniuria est. Faciamus tria tabernacula. Tres erant in monte Apostoli, & volunt facere tria tabernacula. Erat Petrus, erat Iacobus & Ioannes: vult vnus vnum capere, alter alterum, & tertius tertium. Nõ enim sciebat, quid diceret: quum Dominum cum seruis æqualiter honoraret. Vnum siquidem est tabernaculum euangelio, & legi & prophetis. Nisi simul habitauerint, non possunt habere concordiam. Et facta est nubes obumbrans eos. Nubes se-
cundùm Matthæum φωτεινὴ. Mihi videtur ista nubes Matt. 17. habes ἰδὰ φωτ-

Universidad de Deusto Biblioteca

λη φωτεινὴ ἐπεσκίασεν αὐτούς, id est, ecce nubes lucida obumbrauit eos.

A esse gratia Spiritus sancti. Tabernaculum tegit vtique & obumbrat, qui sunt in tabernaculo. Quod igitur solent facere tabernacula, hoc fecit nubes. O Petre qui vis tria facere tabernacula, respice vnum tabernaculum Spiritus sancti, qui nos pariter protegit. Si fecisses tabernacula, vtique fecisses humana: & vtique illa fecisses, quæ lucem excluderent, & vmbram includerent. Nubes autem ipsa lucida, & obumbrans, hoc est vnum tabernaculum, non excludit Solem iustitiæ, sed includit. Et dicet tibi Pater, Quid facis tria tabernacula? Ecce habes vnum tabernaculum. Videte mysterium Trinitatis, secundùm meam tamen intelligentiam. Ego enim omne, quod intelligo, sine Christo & Spiritu sancto & Patre nolo intelligere. Nisi intellexero in Trinitate, quæ me saluabit: dulce mihi non potest esse, quod intelligo. *Facta est nubes φωτεινὴ lucida. Et venit vox de nube, dicens: Hic est filius meus charissimus, ipsum audite.* Quod dicit, hoc est: O Petre qui dicis, faciam vobis tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Heliæ vnum: B nolo vt facias tria tabernacula. Ecce ego tibi dedi tabernaculum quod vos protegat. Noli æqualiter Domino, & seruis facere tabernacula. Hic est filius meus charissimus, ipsum audite. Hic est filius meus: non Moyses, non Helias. Isti serui sunt, hic filius est. Hic est filius meus, de mea natura, de mea substantia, in me manens, & totus quod ego sum. Hic est filius meus charissimus. Et illi quidem chari sunt, sed iste charissimus est. hunc igitur audite. Illi istum prædicant, vos autem hunc audite: ille Dominus, isti conserui sunt. Moyses & Helias de Christo loquuntur, conserui vestri sunt: hic est Dominus, hunc audite. Nolite conseruos sic honorare, quomodo Dominũ. Dei filium solum audite. Dum hoc loquitur Pater & dicit: hic est filius meus charissimus, hunc audite: non apparuit, qui loqueretur. Nubes enim erat, vox audiebatur. Dicebatur, hic est filius meus charissimus: hunc audite. Fieri poterat, vt Petrus diceret: de Moyse dicit, de Helia dicit. Ne igitur illi dubitarent, C dum loquitur Pater, illi subtrahũtur duo: & solus Christus remanet. Hic est filius meus charimus, hunc audite. Dicit Petrus in corde suo, Quis est filius eius? Tres video: putas de quo loquitur? dum quærit, quem eligat: vnum respicit, & statim circunspicientes, dum tres quærunt, vnum inueniunt. Immò tres perdentes, vnum inueniunt. Immò, vt amplius dicam, in vno tres reperiũt. Magis enim inuenitur Moyses & Helias, si in Christo conglobentur. *Et statim circunspicientes neminem amplius viderunt.* Ego quando lego euangelium, & video ibi testimonia de lege, testimonia de prophetis, solũ Christum considero. Sic vidi Moysem, sic vidi prophetas: vt de Christo intelligerem loquentes. Denique quando venero ad splendorem Christi, & quasi splẽdidissimum lumen clari Solis aspexero: lucernæ lumen non possum videre. Nunquid lucernam si incendas in die, lucere potest? Si sol luxerit, lux lucernæ non paret: Sic & Christo præsente comparata lex & prophetæ penitus non D apparent. Non detraho legi & prophetis, quin potius laudo: quia Christum prædicant, Sed sic lego legem & prophetas, vt non permaneam in lege & prophetis, sed per legem & prophetas ad Christum perueniam: cui cum Patre & Spiritu sancto honor, gloria & maiestas per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Marcus hoc loco habet καὶ ἐγένετο νεφέλη ἐπισκιάζουσα αὐτοῖς, id est, & facta est nubes obumbrans eos.

A simili.

HOMILIA XI.

Et cùm appropinquarent Hierosolymæ, &c.) De pullo asinæ agit, qui nondum frænos passus gentilitiæque idololatriæ symbolum præferens, ad Dominum per discipulos adduci iubetur: ídque ad Bethphage, id est domum maxillarum.

Parænesis.) Apparet non integram esse homiliam, sed fragmentum. Nos tamen dicto audientes benignissimi redemptoris, qui suis dixit discipulis, & per illos nobis: Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant: curauimus ne & hæc qualiscunque portiuncula deperiret.

Marc. 11. & Matth. 21. & Luc. 19.

ISTE qui ligatus fuerat, quomodo iste pullus, multos habebat dominos, secundùm euangelium Lucæ: quomodo à multis dominis tollitur, & ad vnum dominum adducitur: quomodo ante portam erat, & in amphodo erat? Ante portam quidem erat, paratus erat ad fidem: sed sine Apostolis intrare non poterat, & erat in amphodo, id est inter gentilitatem & Iudaismum, & quid sequeretur, ignorabat: quomodo pullus ille secundùm Marcum dicitur talis esse, cui nunquam aliquis sederat? Verè nunquam insederat huic pullo aliquis. Omnes voluerant illum domare & sedere: sed nemo poterat. Non poterant sedere, quia edomitus non fuerat. B O rem nouam! Vinctus erat, & tamen domari non poterat. Diuersum longè facit Iesus, soluit enim, & sic domat. Et iste ipse pullus adducitur à Bethania, & adducitur ad Bethphage. Iesus autem erat in Bethania. Diuersi enim euangelistæ aliter atque aliter dicunt. Alij dicũt, quòd erat Iesus in Bethania: alij quòd erat in Bethphage. Bethania locus est, viculus est: vbi hodie Lazarus est, viculus Marthæ & Mariæ, viculus Lazari. Simúlque considerate. Illuc adducit istum pullum indomabilem, vbi Lazarus fuerat suscitatus? In Bethania, quod interpretatur domus obedientiæ. Indomabilis erat, adducitur ad obedientiam, vt sedeat in illo Iesus. Diximus de Bethania, dicamus de Bethphage. Bethphage interpretatur domus maxillæ. Videte ordinem fidei. Primùm credimus & venimus in Bethaniam, hoc est in domum obedientiæ: & postea venimus in domum maxillarum, in domum confessionis, in domum sacerdotalem. Σιαγόνα enim accipere solebant sacerdotes. Dicat aliquis, C Sacerdotes, quare non accipiunt siagona, hoc est maxillam? Nihil aliud accipit sacerdos, nisi siagona, & pectusculum, & humerum. Videte quid accipiant sacerdotes, maxillam, pectusculũ, & humerum. videte quid accipiant. Sacerdotalis enim officij est, posse docere populos. Vnde dicitur & in propheta, Interroga sacerdotes legem Dei. Sacerdotum est enim interrogatos respõdere de lege. Accipiunt ergo sermonem, qui in maxilla est, accipiunt pectusculum, hoc est scientiam scripturarum. Nihil enim prodest habere verba, si sciẽtiam non habueris: cùm acceperis σιαγόνα, cùm acceperis pectusculum: tunc accipis & brachiola, hoc est, opera. Nihil prodest habere te verba, habere te scientiam, si non habueris opera. Hoc totum quare dixi? Quoniam iste pullus asinæ adducitur ad domum maxillarum, quod interpretatur Bethphage. non adducitur primùm ad brachiola, non adducitur primùm ad pectusculum: sed adducitur ad maxillam, ad sermonem qui doceat eum. D Ascendit itaque istum pullum Saluator: ascendit, quia lassus erat: de Samaria Galilææ venerat Hiericho, de Hiericho, venerat vsque Bethaniam, montem tantum ascenderat, lassus non fuerat: pro duobus tamen milliaribus lassatur, & quærit asinum. De Hierusalem ibat in Galilæam, vsque Samariam pedibus ambulans: & duo milliaria ambulare non potuit? Sed omne quod fecit Iesus, sacramenta sunt, salus nostra est. Si enim dicit nobis Apostolus, Siue manducatis, siue bibatis, siue quid aliud faciatis: omnia in nomine Domini facite. Quantò magis saluator siue ambulat, siue sedet, siue comedit, siue dormit: nostra sunt sacramenta? Ascendit itaque asinam: sed dicit alius euangelista quòd pullum ascendit. Alius verò dicit quòd pariter & in asinam, & in pullum

Marc. 11.

Bethania domus obedientiæ domini. Beth domus פה id est, os oris. Ghe., id est vallis. Hiero. domus maxillarũ. σιαγών. i. maxilla. De pectusculo, & armo habes Leu. 7. Aggæi 2.

Assertio operum.

1. Cor. 10.

lum ascendit. Rem dico ridiculam. Nunquid singulos pedes in ambobus asinis habere poterat? Hoc totum loquor contra Iudæos. Si enim venit in asina, non venit in pullo. Vniuersa quidem facta sunt, sed aliud præcessit in signum. Sed & pullo asinæ indomabili, qui frænos accipere non poterat, cui nunquam aliquis sederat, in populo gentilium sedit: in asina, in his qui credebant de synagoga. Et vide quid dicat. Et sedit, inquit, in asina subiugali, quæ collum & ceruices lege habebat tritas. *Et occurrit*, inquit, *ei multitudo*. Quandiu erat in monte, multitudo ei occurrere non poterat: cœpit descendere, & occurrit turba. *Et clamauit*, inquit, *turba præcedẽs & sequens: Hoschiah-na filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini, osianna in excelsis.* Et qui præcedebant, & qui sequebantur, consona voce clamitant. Qui sunt qui præcedunt? Patriarchæ & Prophetæ. Qui sequuntur? Apostoli & gentilium populus. Sed & in præcedentibus, & in sequentibus vna vox, Christus est. Ipsum laudant, ipsum voce consona concrepant. Et quid dicunt? B Osianna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini, osianna in excelsis. Tria dicunt: Osianna filio Dauid, hoc ad incipientes. Benedictus qui venit in nomine Domini: hoc ad perfectos. Osianna in excelsis: hoc ad regnantes. Nemo nos putet diuidere Christum. Hoc enim solent æstimare calumniatores, quòd nos in Christo duas personas faciamus, alium hominem, & alium Deum. Non in Trinitate credimus, non credimus in quaternitate, duas in Christo esse personas. Si enim Christus duas personas habet, pater & filius, id est Christus, duplex est: ergo quatuor personæ sunt. Nos ergo credimus in Patrem & Filium & Spiritum sanctum. De Patre & Spiritu nulla dubitatio est. Non enim adsumpserunt corpus, non adsumpserũt aliquam vtilitatem. Nunc verò de Christo dicimus, Deo nostro, filio Dei & filio hominis, & vno filio Dei. Ipse Dei filius, & filius hominis. Quicquid magnum est, refer ad filium Dei: quicquid paruum est, refer ad filium C hominis: & tamen vnus filius Dei est. Hoc qua necessitate compulsus sum dicere? Quoniam audiui quosdam calumniari, qui forsitan habent animam Arianam. Quoniam & iniuriam humanitatis ad Deum referre nolui, nõ diuido Christum. Ipse enim & in inferno est, & in cœlo est: vno atque eodem tempore & descendit ad inferos, & cum latrone intrauit in paradisum. Omnia elementa tenet in pugillo suo. Si autem in pugillo illius sunt: vbi non est qui omnia tenet? Hæc orationibus vestris, vt potuimus, disseruimus. Hoschiah-na autem sciatis esse, quod Græcè dicimus σῶσον δή. Quod enim dicitur in editione Septuaginta ὦ κύριε σῶσον δή, in Hebræo habetur: יהוה הושיעה-נא, hoc est: Domine saluum fac obsecro. Cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Matt. 21.

HOMILIA XII.

De ficu, quæ ad Domini vocem continuò exaruit. Hæc homilia, quòd sciam, nihil habet non peruium legenti.

Marc. 11. & Matth. 21. & Luc. 19.

ET *intrauit dominus Iesus Hierosolymam in tẽplum, & circunspectis omnibus cùm iam vespera esset hora, exiuit in Bethaniam cum duodecim.* Ingreditur Dominus Hierosolymam in templum. Ingreditur. Ingressus quid facit circunspectis omnibus? Quærebat in templo Iudæorum, vbi caput possit reclinare, & non inueniebat. Et circunspectis omnibus, quid dixit? Circunspectis omnibus respiciebat sacerdotes, volebat esse cũ illis: sed non poterat, quia semper sacerdotibus seruiebat. Circunspectis ergo omnibus, quasi cum lucerna quæreret. Illud est quod dicitur in Sophonia Propheta, Et scruta- A bor Hierosolymam cum lucerna. Sic ergo & Dominus cum lucerna circunspexit omnia, quærens in templo, & nihil quod eligeretur, inuenit. Quum iam vespera esset, circunspectis omnibus. Vide quid dicat, circunspectis omnibus: licet non inueniret, tamen quandiu lux fuit, non recessit de templo: cùm autem facta esset vespera, cùm templum Iudæorum ignorãtiæ tenebræ obcæcassẽt, cùm vespera esset hora, intrauit in Bethaniam cum duodecim. Quæsiuit Saluator, quæsierunt apostoli, in templo nihil inuenerunt, egressi sunt de templo. Gaude monache: gaude, qui in deserto versaris, quod in tẽplo non inuenitur, inuenitur foras. Intrauit in Bethaniã cum duodecim. Bethania interpretatur domus obedientiæ. Recessit igitur de templo Iudæorum, vbi erat superbia: venit in domum obedientiæ. Obedientia, vbi humilitas. Dimisit superbiam Iudæorum, venit ad humilitatem gentium. Et in alia die cùm exirent, videte quid dicitur, In alia die, videlicet cùm exirẽt à Be- B thania. Qui autem alia die egreditur: ergo mansit in Bethania. Videte ergo templum, in quo non manet. in Bethaniam venit, & manet. Et in alia die cùm exirent à Bethania, esuriit. Mansit quidem in Bethania: sed egrediens de Bethania, esuriuit salutem Iudeorum. Non veni, inquit, nisi ad oues perditas domus Israël. Vsque hodie Christus esurit. de gentibus quidem saturatus est: in Iudæis verò esurit. Et de nobis sic sunt aliqui credentes, alij non credentes. De credentibus autem refectus est, in non credentibus esurit. *Cúmque vidisset à longè ficum habentem folia.* Infœlix Iudæus. Notus in Iudæa Deus: in Israël magnum nomen eius. Hoc aliquando apud patriarchas, hoc apud prophetas, nunc verò Deus ille, qui dicebat in Hieremia: Deus appropinquans ego, & non de longè: dicit nunc idem, Dominus recedit à Iudæis, & longè eos videt: tamen vt saluet, appropinquabat. Cúmque vidisset à longè ficum habentem folia: folia, non fructus: verba, non sensus: scripturas, non intelli- C gentiam scripturarum. Illi enim habent scripturas, nos verò intelligentiam scripturarum. Vidit ergo ficum habentem folia. Semper ista ficus folia habet, & nunquam fructus habet. Ista ficus quæ & in paradiso fuit: denique & Adam eo tempore texit verenda sua, quãdo corruit. Habebat enim folia. Ficus ista synagoga Iudæorum est, quæ habet tantùm verba, & non intelligentiam scripturarum. Videamus, vbi alibi sit scriptum de ista ficu. In euangelio secundùm Lucam legimus: Homo erat, inquit, quidam, qui in vinea sua plãtauit ficum. Cúmque, inquit, venisset, & requisisset fructus in ea, dicit ad agricolam, Ecce iam tertiò venio huc, & fructum quæro, & nõ inuenio. Dimitte me, & succidam eam. Dimitte me. Quando dixit ad Mosem. Dimitte me, & interficiam populum istum. Nemo te tenet, & dicis, dimitte me? Quando tu dicis, dimitte me: prouocas agricolam vt te teneat. Dimitte me, & succidam illam. Ecce, inquit, tertiò venio, & fructum non inuenio. Veni primum in lege D cum Moyse, veni secundò in prophetis, nouissimè ipse per me venio, & fructum non inuenio. Ficus ista non est plantata inter spinas, non est plantata foris, sed in vinea domus Israël. Rem nouam video. Spinæ gentium vuas adferunt, & ficus ficos non adfert? Ecce, inquit, venio tertiò, & fructum non inuenio: dimitte me, & succidam illam. Prouocatus agricola, intellexit, quòd possit tenere dominum, si rogaret. Rogat, & quid dicit? *Dimitte domine adhuc & istum annum: & circunfodiam illam, & mittam stercus, & si quid fecerit fructum.* Quid? Nihil dicit. Si non fecerit, tunc, inquit, venies & succides eam. Agricola deprecatur, facit dominus, quod voluerat. Rem dico nouam: Ignoscit dominus rogatus: quod fecisset, etiam si rogatus nõ fuisset. Dimitte, inquit, adhuc vnum

Sopho. 1.

Ad anachoretam digressio.

Matth. 15.

Psal. 75.

Hier. 23.

Gen. 3.

Luc. 13.

Exod. 32.

Esa. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

annum. Statim enim vt passus est Saluator, non est subuersa Iudæa. Quadraginta enim & duo anni dati sunt ad pœnitentiam. Iste est vnus annus, hoc est breue tempus, id est datus ei locus pœnitentiæ. Agricola circunfodit, misit stercus. Qui sunt isti agricolæ? Apostoli, qui circunfodiunt, & miserunt stercus. Ficus autem fructus non attulit. Sed videte quid dicat ipse agricola: Et si quid fecerit fructum. Nihil intulit. Neque enim dixit, aut dimitte eam, aut non dimittes, aut habebis in vinea tua, aut deferes illam. Nihil tale dixit. Et si quidem fecerit fructus. Nescio quid sit futurum: tuo arbitrio derelinquo. Non enim dixit, Permanebit in vinea ficus ista. Et si fecerit fructum: nō permanet in Iudæa Israël, sed trāsfertur in Ecclesiam Gentium. Si verò nō fecerit fructū. Succisam ficum oculis nostris aspicimus: ruinas istas lapidum quas cernimus, radices sunt ficus succisæ. Hoc totum quare diximus? Voluimus ostendere de illa parabola, quæ sit ista ficus, de qua Dominus fructum desiderat. Vidit, inquit, ficum habentem folia, secus viam, nō B
Secus viā, ex Matthæo 21. colligit. in viā: in Lege, non in euangelio. Propterea fructus non habebat, quia in via non erat, sed iuxta viam. Venit ergo Iesus, fructus quærit. Quoniam ipsa ire non poterat, venit ad ficum. *Et cùm venisset ad eam, nihil inuenit præter folia.* Vsque hodie nihil aliud inuenimus in Iudæis, præter verba de lege. Legunt Moysem, legunt Esaiam, Hieremiam, & reliquos prophetas. Legunt, Hæc dicit Dominus: & non intelligunt quid dicat Dominus. Non enim erat tempus ficorum. Grandis quæstio, Non enim erat tempus ficorum. Dicat aliquis, Si tempus non erat ficorum, non peccauit ficus, quæ fructum non habebat. Si autem non peccauit, non est iustè siccata: non enim erat tempus ficorum. Ficus hæc habebat folia, fructus non habebat. Habebat folia, lōgè promittebat speciem virens: sed fructus non habebat, non erat tempus ficorum. Istum locum Apostolus interpretatur ad Roma-
Rom.11. nos: Nolo vos ignorare fratres, quoniam cæcitas ex parte contigit in Israël, vt subintraret plenitudo Gen- C
tium. Cùm autem intrauerit plenitudo Gentium: tunc omnis Israël saluus fiet: si Dominus fructus inuenisset in ista ficu, non subintrasset plenitudo gentium. Quoniam autem subintrauit plenitudo Gentium, in nouissimo saluabitur omnis Israël. Dicat aliquis, Vbi hoc lectum est, quia omnis Israël saluabitur? Primùm quidem ipse dicit Apostolus, Cùm intrauerit plenitudo Gentium, tunc omnis Israël saluus fiet. Deinde dicit & Ioannes in Apocalypsi sua, de tribu Iudæ crediturі duodecim millia, de tribu Rubem crediturі duodecim millia,
Apoc.7. & de reliquis tribubus eadem loquitur. Et fiunt omnia quæ credunt, centum quadraginta quatuor millia. Vnde & in psalmo centesimo quadragesimoquarto, Qui literatus est, intelligit. de isto numero disputatur: Si credidisset Israël, dominus noster crucifixus non fuisset: si Dominus noster crucifixus non fuisset, Gentilium turba salua non esset. Crediturі ergo sunt Iudæi: sed in fine mundi crediturі sunt. Nō enim erat tempus, vt in Cruce crederent. Si enim illi credidissent, dominus crucifixus non fuisset. Non enim erat tempus vt crederent. Illorum infidelitas, nostra fides est: illorum ruina, nostra subleuatio est. Illorum non fuit tempus, vt esset tempus nostrum. Diximus, quia in fine mundi crediturі sint: & interpretati sumus, Nōdum enim erat tempus. Sed hoc quod sequitur, dicit ei Dominus: *Iam non amplius in æternum quisquam ex te fructum manducabit.* Si crediturі sunt Iudæi: quomodo nullus de eis fructus manducabit? Non dixit in futuro sæculo: non dixit in sæculis, sed in præsenti sæculo. Quod dicit, hoc est: in præsenti sæculo non credes, sed cùm sæculum istud finitum fuerit, tūc crediturus es. Credes quidem, sed non in humilem, sed in regnantem credes: & videbis: eum quem compūxeras. In præsenti ergo sæculo nemo de te fructum comedet, sed in futuro, per Christum dominum nostrum. Amen.

Homilia XIII.

De secunda eiectione vendentium & ementium ex adytis tẽpli, quam ad excidium Hierosolymæ προφητικῶς refert.

Parænesis.) Sub huius tertiædecimæ homiliæ exordium habes optime lector, in euangelio secundum Ioannem legimus hanc ipsam historiam, & ibi, &c. Si hanc ipsam historiam secundū Marcum conferas cum Ioanne, capite nimirum secundo, introspicienti tibi paulo penitius facilè colliquescet, non vnam tantum eiectionem fuisse, sed duas. Bis siquidem legitur Dominus ad Paschæ celebritatem ascendisse Hierosolymam. Semel quidē Ioanne Baptista nōdum carceri pro veritate per Herodem mācipato, hoc est, anno primo prædicati per dominum nostrum euangelij, cuius & Ioannes cap. 2. meminit. Rursus, ad peragendum humanæ redemptionis mysterium properaturus. De hac Marcus hoc loco commeminit, cui & cōcinit Matthæus 21. cap. In hoc vtroque ascensu Hierosolymæ legitur Dominus eliminasse templi adytis vendentes & ementes. Cæterùm solui vtcunque potest locus hic confragosus simul & dilemmaticus, si dicas authorem loqui de explicatione temporis, quo quidem Hierosolymam ascenderit, non quoties.

Marc.11. ET veniunt Hierosolymam. Et cùm intrasset in templum, cœpit eiicere vendentes & ementes de templo: & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas, subuertit. Et veniunt Hierosolymam, & cùm intrasset in templum, cœpit eiicere. In euangelio secundùm Ioannem legimus hanc ipsam historiam: & ibi manifestius dicitur, quo tempore hoc factum est. Et ecce, inquit, in Ioan.2. azymis venit Iesus, hoc est in Pascha: eo tempore quo azyma manducare consueuerant. *Et fecit sibi*, inquit, *flagellum, & cœpit eiicere eos.* Vides ergo, quoniam eo tempore quo eiiciebat eos de templo, erāt dies Paschæ, hoc est dies azymorum. In diebus autem Paschæ lege præ- Deut.16. ceptum erat, vt omnes venirent in templum: & si quis non veniret in templum, exterminaretur anima illa de populo suo. Considerate ergo de tota prouincia Palestina, de Cypro, de aliis prouinciis, de omnibus in circuitu regionibus vniuersum huc populum congregatū: considerate, & in animo vestro depingite, quanta tunc ibi fuerit multitudo. Primùm interim secundum historiam disputamus. Mirantur cæteri, quòd Lazarus susci- Ioan.11. tatus est: mirantur quòd viduæ filius suscitatus est: mi- Luc.7. Hāc ipsissimā sententiam iisdē propè verbis reddit Hierony. in Matthæū. rantur cæteri in aliis signis. Et reuera mirādum est mortuo corpori animam reddere. Ego præsens signum magis miror. Vnus homo qui putabatur filius fabri, mendicus, non habens domum, non habens vbi caput reclinaret, non habens exercitum, non erat dux, non erat iudex. Quam itaque habuit potestatem, vt faceret sibi flagellum de funibus, & tantam eiiceret multitudinem: vnus, inquam, homo eiiceret tantam multitudinem? Et quam multitudinem eiiciebat? Quæ vendebat, quæ lucra sua in templo redimebat. Nemo contradixit, nemo ausus est contradicere. Filio enim defendenti patris sui iniuriam, nemo fuit ausus resistere. Videtur mihi in ipsis oculis, & in ipso vultu domini saluatoris quicquam fuisse diuinum. Et hoc mihi quare videatur, ratio ista est, quam dicturus sum: Et factum est, inquit, cùm transiret Marc.1. Iesus secundum mare Galilææ: vidit, inquit, duos componentes retia sua, filios Zebedæi, & dixit eis: Dimittite Eos nimirum, patrem cum mercenariis. eos, & venite, sequimini me. Et illi, inquit, statim relicto reti, naue, & patre Zebedæo, statim secuti sunt eum. Nisi aliquid diuinum fuit in vultu saluatoris: irrationabiliter fecerunt

fecerunt sequi eum, de quo nihil viderant. Dimittit ali- A
quis patrem, & cum sequitur in quo nihil plus videt, quàm in patre suo? Sed dimittunt patrem carnalem, vt sequantur patrem spiritalem: non dimittūt patrem, sed inueniunt patrem. Hoc totum quare dixi? vt ostenderē in vultu saluatoris aliquid fuisse diuinum, quod videntes homines sequebantur. Dicamus & aliud testimonium: Et ecce, inquit, cùm transiret, vidit quendam hoMatt.9. & Marc.2. & Luc.5. minem nomine Matthæum, & dixit ei: Sequere me. Et dimisit omnia, & secutus est eum. Nō vidit signum: sed authoritas in iubendo signum fuit. Cœpit eiicere vendentes & ementes in templo. Si hoc in Iudæis, quantò magis in nobis? Si hoc in lege, quantò magis in euāgelio? Cœpit eiicere vendentes & ementes. Pauper Christus diuites Iudæos eiicit vendentes & ementes. Et qui vendit, & qui emit similiter, eiicitur. Non debet aliquis dicere, Ego quod meum est, offero munera: sacerdotibus do ego, sicut Deus præcepit. Legimus in
Matt.10. alio loco scriptum: Gratis accepistis, gratis date. Gratia B
enim Dei non venditur, sed donatur. Non tantùm ille in culpa est qui vendit: sed & qui emit. Denique Simon
Act.8. Magus non quia vendit, sed quia emere voluit, damnatus est. vsque hodie in templo multi sunt qui vendunt. Infœlix est qui vendit: infœlix est qui emit. Gratia enim Christi auro & argento non potest comparari. Et mensas nummulariorum. Mensas vbi debebant esse panes propositionis & gratiarū Dei, ibi auaritiæ victimæ sunt. Et mensas nummulariorum. Auaritia sacerdotum altaria, non sunt altaria, sed mensæ nummulariorum. Et cathedras vendentium columbas subuertit. Columbæ non includuntur vtique in cathedris, sed in caueis, Nemo columbas in cathedris includit, sed in caueis. Et quomodo nunc dicit, & cathedras vendētium columMatt.23. bas subuertit? Videte quod dicit, qui vendebant, in cathedris sedebant. Super cathedram, inquit, Moysi sederunt scribæ & Pharisæi. De istis cathedris & psalmus loPsal.1. quitur, Et in cathedra pestilentiæ non sedit. Vera cathe- C
dra pestilentiæ, quæ vendit columbas, vendit gratiam Spiritus sancti. Multæ cathedræ sunt vsque hodie quæ vendunt columbas. Qui vendit columbas, non stat, sed sedet: nō est erectus, sed cōtractus est. In eo enim quod vēdit gratiam Dei contractus est, & humilis est: sed dominus noster qui venit vt saluaret quod perierat: subuertit non eos qui vendebant, sed cathedras vendentiū authoritatem subuertit: saluabit autem homines. *Et non*, inquit, *dimittebat, vt deferrent quodquam vas per templum.* Eo tempore in carnali templo non dimittebat ferri vas. Et hodie quanta in templo Dei vasa morantur immunda? Eo tempore transferri non licebat vasa. Et non dicit, immunda: sed, vasa quæcunque simpliciter nuncupauit. Nunc verò quanta vasa morantur intrinsecus?
Matt.21. Esa.56. Hier.7. *Scriptum est*, inquit, *Domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus.* Hoc in propheta legitur, Vos autem fecistis eam speluncam latronum. O infelicitatem nostram. O nos omni lachrymarum fonte plangēdos: do- D
mus Dei, facta est spelunca latronum. Ista est domus, de
Ibidem. qua dicitur in Hieremia. Nunquid spelunca hyænæ facta est domus mea mihi? Quòd hic dicitur, Vos autem fecistis eam speluncam latronum: hoc est, domum meā. In Hieremia dicitur, spelunca hyænæ. Debemus nosse
Hyæna Physis. naturam animalis istius. Ex natura enim bestiæ scire poterimus, quare vocauerit domum quondam Dei spelūcam hyænæ. Hyæna nunquam videtur in die, sed semper in noctibus. Nunquam videtur in luce, sed semper in tenebris. Et hanc naturam habet, vt effodiat corpora mortuorum, & ipsa edat. Denique si quis negligenter sepelierit mortuum: effodit nocte, & tollit corpus, & comedit: vbicunque sepulchra sunt, vbicunque ossa morA tuorum sunt, ibi cubile hyænæ est. Et hanc naturam habet, maximè canibus delectatur, & ipsos rapit & deuorat. Videte quid dicat. Diligenter enim aduertite: Hyæna bestia sanguiuora, bestia quæ corporibus delectatur, bestia quę semper in nocte, nunquam in die est: non delectatur nisi cadaueribus mortuorum & canibus: eos vult occidere qui seruant domum. Hyæna & hanc dicitur habere naturam, quia spinam vnicam habet, quę flecti non possit. Denique si vertere se voluerit, tota conuertitur. Non potest se flectere sicut cætera animalia: Videtis ergo, quia ista quæ semper in nocte, semper in tenebris est: nunquam conuertitur. Hoc autem dicitur de sacerdotibus Iudæorum. Iudæum enim facilè potes adducere ad pœnitentiam de plebe: de sacerdotibus verò & doctoribus non potes, quoniam semper delectantur cadaueribus mortuorum, eorum quos induxerint: & non sufficit eis, quoniam ipsi non sunt in luce, sed eos qui in luce latent, conantur occidere: vnam spinam habent, non conuertuntur: non enim agunt pœnitentiam, quoniam occupati sunt in cadaueribus mortuorum. Quod hūc legimus, Vos autem fecistis eam speIoan.2. luncam latronum. In euangelio secundùm Ioannem legimus, Vos autem fecistis eam domum negotiationis. Domum negotiationis. Vbicunque latrones sunt, ibi domus negotiationis. Vtinam de præterito populo esset tantum dictum, vtinam de Iudæis legeretur, non item de Christianis. Ploraremus quidē illos, sed de nobis gauderemus. Nunc verò in multis locis domus Dei, domus patris sit domus negotiationis. Videtis, quā trepidè loquor. Res tam manifesta est, vt expositione non indigeat. Vtinam esset obscurum, & nō intelligeremus. In multis locis domus Patris, domus negotiationis. Ego ipse qui loquor, & vnusquisque de vobis, siue presbyter, siue diaconus, siue episcopus, qui heri pauper, hodie dives, & dives in domo Dei. Nónne vobis videtur fecisse domum patris, domum negotiationis? De istis 1.Tim.6. loquitur & Apostolus, Existimantes quæstum esse pietatem. De istis ergo loquitur & Apostolus: Christus pauper est, erubescamus: Christus humilis est, erubescamus: Christus crucifixus est, nō regnauit, crucifixus est, vt regnaret. Vicit mundum, non in superbia, sed in humilitate: occidit diabolum non ridens, sed plorans: non flagellauit, sed flagellatus est: accepit alapam, non percussit. Et nos igitur imitemur dominum nostrum. Ecce dies iciuniorum in foribus sunt. Ecce dies iciuniorum, dies pœnitentiæ, dies purgationis: lætemur atque gaudeamus nunc. Ille homo, qui in euangelio dicitur lagenam portare, egreditur de domo, & vadit ad cœnaculū: vos qui recepturi estis baptismum iam die crastina, præparate vos similiter. Qui ituri sunt ad pugnam, diligenter antè se præparant. Videt si scutum habeat, si spathā πρόθεσις. habeat, si habeat hastam, si sagittas habeat, si equus ipgladius. sius refectus est, vt pugnare possit, antè præparat armaturam. Vestra arma, ieiunia sunt: vestra pugna, humilitas est. Si quis aliquid habet aduersus aliquem, dimittat, vt dimittatur ei. Nemo enim cogitat venire ad baptismum, vt dimittantur ei peccata, & ipse fratri antè non dimittat. Si ergo habetis aliquid aduersus fratrem, dimittite. Non dixi, si quid ille habeat, dimittat: sed, tu si quid habes, dimitte. Dimittere ab illo vel non dimittere, in illius est potestate: tu quod in te est, dimitte, vt dimittatur tibi. Venturus es ad baptismum. O te fœlicem, qui renasciturus in Christo es, qui indumentum Christi accepturus es, qui sepeliendus es cum Christo, vt resurgas cum Christo. Diebus ergo reliquis secundum ordinem ea, quæ ad mysteria pertinent, auditurus es: nunc interim dixi vobis, vt sciatis vobis à die crastina maximè laborandum. Deus autem omnipotens ipse cor-

Universidad de Deusto Biblioteca

roboret corda vestra, ipse vos dignos faciat lauacro suo: ipse in vos descẽdat in baptismate, ipse aquas sanctificet, vt sanctificemini. Nemo dubio corde accedat: nemo dicat, Putas mihi dimittuntur peccata? Qui sic accedit, non dimittuntur ei peccata. Melius est non accedere, quàm sic accedere. Maximè vos qui sic accepistis baptismum, vt deo seruiatis: vt sitis in monasterio. Ipse igitur vos seruet & nos: cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIIII.

(Marc. 13.) *In qua candidatos sacri baptismatis commonefacturus, locũ prius illum explicat: De die autem illo & hora nemo scit, &c. neque filius, nisi pater. Deinde ad moralem locum trãsit sententiæ illius, de vnguenti effusione super Domini ad crucem properantis sacrosanctum verticem.*

EVANGELICA lectio magnam desiderat expositionẽ. Antè enim quàm veniamus ad sacramenta, debemus scandalum tollere, ne quid in mẽtibus resideat eorum, qui accepturi sunt sacramenta. Si enim qui accepturi sunt baptisma, credituri sunt in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, Nunc autem de Filio dicitur: *De die autem illo & hora nemo scit, neque angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.* Si æqualiter accipimus baptisma in Patrem Filium, & Spiritum sanctum: & vnum nomẽ eius, Patris & Filij, & Spiritus sancti: quòd est Deus, credere debemus. Si vnus Deus est, quomodo in vna diuinitate diuersa scientia est? Quid est plus, Deũ esse, an scire omnia? Si Deus est, quomodo ignorat? Dicitur enim de domino saluatore: (Ioan. 1.) Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Si omnia per ipsum facta sunt: ergo & dies iudicij quæ ventura est, per ipsum facta est. Potéstne ignorare, quod fecit? Potest artifex ignorare opus suum? Legimus in Apostolo de Christo: In quo omnes thesauri sapientiæ absconditi. (Coloss. 2.) Videte, quid dicat: Omnes thesauri sapientiæ & scientiæ. Non aliqui sunt, & aliqui non sunt: sed omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt, sed absconditi sunt. Quod ergo est in illo: non illi deest, etiam quod nobis absconditum est. Si autem sunt in Christo thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, debemus inquirere, quare sint absconditi. (Prepositæ quæstionis solutio.) Si sciremus nos homines diem iudicij, verbi causa: quòd futura esset dies iudicij post duo millia annorum, & hoc nos sciremus ita futurum: negligentiores hinc essemus. Diceremus enim, Quid ad me pertinet, si post duo millia annorum dies ventura est iudicij? Quòd ergo dicitur Filium ignorare diem iudicij: nobis prodest, quia ignoramus diem iudicij quando sit ventura. Denique videte quid sequitur: *Videte, & vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit.* Non dixit, nescimus: sed, nescitis. Videmur hucusque vim facere scripturæ, & sensum nõ exponere. Post resurrectionem interrogãt apostoli dominum saluatorem, (Act. 1.) Domine quando restituturus es regnum Israel? O apostoli audistis ante resurrectionem, de die illo & hora, nescio: & quod nescio, iterum interrogatis? Sed apostoli non credunt Saluatori quòd nesciat. Sed videte mysterium. Qui ante passionem nescit, post resurrectionem nouit? Denique quid dicit ad apostolos, post resurrectionem interrogatus de temporibus: quando restituturus es regnum Israël? Non est vestrum, inquit, scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate. Non dicit hîc, nescio: sed, non est vestrum scire, non vobis prodest scire diem iudicij. Vigilate ergo: nescitis enim quando dominus domus veniat. Multa sunt quæ dicantur, hoc autem de euangelio diximus, ne cui scandalũ resideat in animo: quòd ignoraret aliquid ille, in quem crediturus esset. Dicitur autem in eadem euãgelij lectione. (Marc. 14.) *Et cùm esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, & recumberet: venit mulier habens alabastrum vnguenti pistici preciosi.* Mulier ista specialiter ad vos pertinet, qui baptisma accepturi estis. Fregit alabastrum suum, vt vos Christus faciat Christos, id est, vnctos: hoc est, quod dicitur in Canticis canticorum, (Cant. 1.) Vnguentum effusum est nomen tuum. Propterea adolescentulæ desiderauerunt te. (ἠγάπησάν σε, i. dilexerunt te.) Post te in odorem vnguentorum tuorum currimus. (Psal. 75.) Quandiu clausum erat vnguentum, quandiu notus tantum erat in Iudæa Deus: in Israël solum magnum nomẽ eius, adolescẽtulæ Iesum non sequebantur. Quando verò effusum est vnguentum in omnem terram: adolescẽtulæ animæ credentium secutæ sunt Saluatorem. *Et cùm esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi.* Bethania interpretatur in lingua nostra, domus obediẽtiæ. Et quomodo in Bethania, hoc est in domo obedientiæ domus Simonis leprosi est? aut certè Dominus quid facit in domo leprosi? Sed propterea venit in domum leprosi, vt purgaret leprosum. (Simõ Leprosus vt qui fuerit, non qui iam talis est suscepto domino.) Leprosus dicitur, non qui est, sed qui fuerit leprosus. Fuit enim, antequam susciperet Dominum: postea verò quàm suscepit Dominum, & vnguentum factum est in domo ipsius, lepra fugit: manet autem nomen pristinum, vt virtus appareat saluatoris. (Luc. 5.) Quomodo enim in apostolis residẽt pristina vocabula, vt appareat virtus vocantis, de quibus quales fecerit, quomodo de Matthæo publicano, fecit apostolum, & post apostolatum dicitur publicanus. Non quòd publicanus sit, sed quia de publicano factus sit apostolus. Nomen autem remanet pristinum, vt virtus appareat Saluatoris. Sic & leprosus Simon iste appellatur antiquo nomine, vt ostendatur à Domino fuisse curatus. *Venit mulier habens alabastrum vnguenti.* Pharisæi & scribæ & sacerdotes in templo sunt, & vnguentum non habent: mulier ista extra templum est, & vnguentum defert, nardum habens & nardum pisticam, & ex nardo ipsa pistica confectum vnguentum: Ideo vos vocati estis pistici nardi, fideles. Ecclesia enim de gentibus congregata dona sua offert Saluatori, id est, fidem credentium. Fregit alabastrum, vt omnes vnguenta suscipiant: fregit alabastrum, quod in Iudæa antè tenebatur inclusum: fregit alabastrum. Quomodo enim granum tritici, nisi mortuum fuerit in terra, non facit plures fructus: (Ioan. 12.) sic & alabastrum nisi fractum fuerit, nos vngere non possumus. *Et effudit super caput eius.* Mulier ista quæ fregit alabastrum, & ipsum vnguentum fudit super caput: non est ipsa, de qua in alio euangelio dicitur quòd pedes Domini lauerit. (Idem sentit cum Origene.) Illa enim quasi meretrix & peccatrix, adhuc pedes tenet: ista quasi sancta caput tenet. Illa quasi meretrix lachrymis suis pedes rigat saluatoris, & crinibus tergit: videtur quidem pedes lauare lachrymis saluatoris, sed magis lauat peccata sua. Sacerdotes & pharisæi non dant Saluatori osculum: ista pedes osculatur. Sic & vos qui accepturi estis baptisma, quoniam omnes sub peccatis sumus, & nemo est absque peccato, etiam si vnius quidem fuerit diei vita eius, & aduersum angelos suos peruersum quid excogitauit: primùm tenete pedes saluatoris, lauate lachrymis, crine tergite. Et cùm hoc feceritis, postea venietis ad caput. Quando descenditis in vitalem fontem cum Saluatore, (Ioan. 4.) tunc habetis discere, quomodo vnguentum veniat in caput Saluatoris. Si enim caput viri Christus est, vestrum autem caput vnguentum est: post baptisma vngimini. *Erant autem quidam indignè ferentes.* Non dixit, omnes: sed, quidam. Vsque hodie indignãtur Iudæi, quando nos Iesu vngimus caput. Denique in alio loco dicitur, quòd Iudas proditor indignatus (Matt. 26.) sit,

sit. In Iudæ nomine Iudæorum vocabulum demonstratur. vsque hodie Iudas indignatur, quare Ecclesia Iesu vngat caput. Et quid dicit? *Quid prodest ista perditio?* Illi videtur perire vnguentum, quia fractum est: sed nobis prodest, quia in orbem peruenit vniuersum. Quid indignaris Iuda, quia alabastrum fractum est? Deus qui te & vniuersas gentes fecit, illo perfunditur prècioso vnguento. Volebas vnguentum habere clausum, vt ad alios non perueniret. Verè illud est quod (Luc. 11.) & in alio loco dicitur de vobis, qui habent clauem scientiæ, & ipsi non intrant: sed & eos qui intrare volunt, non sinunt. Vos habetis alabastrum, imò habebatis in templo, & tenebatis inclusum: venit mulier, & tulit de templo, & tulit in Bethaniam, in domo leprosi vngit caput Iesu. Et quid dicunt illi, qui indignantur? *Potuit*, inquit, *venundari trecentis denariis*: quia hic, qui hoc vnguento vnctus est, crucifixus est. Legimus in Genesi, (Gen. 6.) quia illa arca quæ facta est à Noë, trecentorum cubitorum habuerit longitudinem, & quinquaginta latitudinis, & triginta in altum. Videte sacramenta numerorum: in quinquagenario numero pœnitentia demonstratur. Siquidem in quinquagesimo psalmo Dauid regis, egit pœnitentiam: in trecentis verò numeris Crucis mysterium demonstratur. Litera T. index est trecentum. (Ezec. 9.) Vnde dicitur & in Ezechiele, Et scribes, inquit, in frontibus gementium, thau. Et quicunque illud habuerit superscriptum, non interficietur. Nam quicunque Crucis vexillum habet in fronte sua, hic à diabolo percuti non potest. Hoc vexillum non potest delere, nisi solum peccatum. Diximus de arca, de quinquagenario, de trecentis numeris: dicamus de triginta, quoniam ipsa arca habebat altitudinis triginta cubitos, & in vnum consummabatur. Videte quid dicitur. Primùm agimus pœnitentiam in quinquaginta: deinde per pœnitentiam venimus ad Crucis mysterium: ad Crucis mysterium venimus per perfectum verbum, qui Christus est. Quando verò Iesus accepit baptisma secundum Lucam, (Luc. 3.) erat annorũ triginta. Et isti ipsi triginta cubiti in vnum consummabantur. Et quinquaginta, & trecenti, & triginta in vnum cubitum consummabantur: hoc est, in vnam fidem Dei. Hoc totum quare diximus? Quia nunc dicitur, Potuit trecẽtis denariis venundari. Deinde & Dominus saluator triginta argenteis venditus est. (Num. 4.) Mirum non potuisse trecentis denariis vendi: nam venditus est triginta. Scriptum est in Leuitico, scriptum est in Exodo: quòd sacerdotes à triginta annis esse incipiant, ante triginta annos non licet sacerdotibus ingredi templum Dei: quomodo & in iumentis & animalibus tertius annus perfecta ætas est. Denique dicitur in Genesi, (Gen. 15.) eo tempore quo fecit Abraham dichotomemata: (Quòd bifariam ea diuiserit, à διχοτομεῖν.) quoniam vitulum & hœdum & agnum habuerit trium annorum, vt perfecta ætas demonstraretur in iumentis: sic & hominibus perfecta ætas triginta anni sunt. Nunquid dominus noster non potuit venire ad baptisma vigintiquinque annorum? Nunquid viginti sex annis non potuit, aut viginti octo? Sed perfectam hominis expectabat ætatem, vt nobis tribueret exemplum. Ideo & in Ezechiele scriptum est in principio: Et factum est, inquit, in anno tricesimo, cùm essem in captiuitate. Hoc totum diximus, vt tricenarij numeri sacramenta ponderemus. Indignantur Iudæi, indignantur alieni à fide, quòd vnguentum illud fractum est. Cæterum dominus noster dicit, *Sinite eam. Quid ei molesti estis? Bonum opus operata est in me.* Quoniam ergo illa mulier bonum opus operata est, ideo hæc de euangelio pauca diximus. Et opportunè quartusdecimus psalmus lectus est: & oportet nos de psalmo dicere. Oremus dominum omnipotentem, vt ea quæ docturi sumus, recto tramite prosequamur, per Christum dominum nostrum. Amen.

Finis homiliarum xiiij. beati Ioannis Chrysostomi Constantinopolitani episcopi, in euangelium Marci.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,

aliquot homiliæ in loca quædam sancti Lucæ, in vnum veluti fascem nunc primùm collectæ: quæ hactenus dispersæ fuerant, vnà cum concionibus quatuor de Lazaro, suo loco positis.

De natiuitate sancti Ioannis Baptistæ Sermo, (Historia habetur. Luc. 1.)

INCERTO INTERPRETE.

DE solstitiis & æquinoctiis cõceptionis & natiuitatis domini nostri Iesu Christi & Ioannis Baptistæ, nescio an quisquam ausus sit arcanum fratres ante Christi natiuitatem intelligere, vel terminare cursum horarum, dierum ac noctium, per quos solstitia & æquinoctia cognoscere posset, cùm Iob glorioso in suis passionibus dictum sit: (Iob. 38.) Et hoc mihi dic, inquit, an scias cursum solis & lunæ, quæ vtique duo luminaria ad constitutionem diei ac noctis instituta esse videmus. Quòd si ergo tantus vir in suo martyrio perseuerans, quodammodo in his redargutus est: quis ille mortalium fuisset, qui aduersum gloriam tam eminentis viri hæc impudens auderet cognoscere, nisi primùm ipse Dominus lucis ac noctis conditor & discretor; qui à philosophia Sol iustitiæ cognominatus est, mundum illustraret? qui pro carnalibus carnalis factus est, & mortalis pro mortalibus. Quasi mortalis visus est, vt posset per suam immortalitatem mortem deuincere. Propter quod clamant supernæ potestates, Vbi est (1. Cor. 15.) mors aculeus tuus? Vbi est mors contentio tua? Hæc dicentes contestantur Christum mortem deuicisse, vt & nos qui mortui iamdudum tenebamur, exemplo ipsius dignationis immortalitatem caperemus, si tamen omissa tenebrarum opera viam lucis sequamur. Ipse enim est lux nostra, & vera lux, qui veniens in hunc mundum illuminauit corda nostra. Cuius aduentum siue passionem non tantùm Moses vel prophetæ annunciarunt, quãtum verò conceptionis & natiuitatis tempus ostenderunt, propter quod ipse Dominus Iudæis dicebat: Scrutamini Scripturas, in quibus (Ioan. 5.) putatis vos vitam æternam possidere, ipsæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Quibus rursum dicebat: Hypocritæ, faciem cœli & terræ nostis probare: quare (Luc. 12.) tempus hoc non probastis? Erat ergo & temporis probatio, si eum vellent cognoscere, qui non tantùm (vt diximus) aduentum ostenderet, quantum conceptionis & natiuitatis tempus declararet, si fidem certam in Mose & prophetis habuissent: quòd nec tantummodo ipsius Domini & saluatoris conceptio vel natiuitas carnalis ostenderetur, quantum & Ioannis Baptistæ precursoris eius, de quo scriptum est: Ecce ego (Malac. 3.) mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præpa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mat.3. Mar.1. rabit viam tuam ante te. Qui veniens docebat: Parate viam domini, rectas facite semitas Dei nostri. Qui & iterum annunciabat, dicens: Qui post me venit, maior me est, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius. Hic est Ioannes, qui venit vt testimonium diceret veritati, sicut & Christus dominus Ioan.5. dicit: Vos misistis ad Ioannem, & testimonium dixit veritati. Cuius natiuitatem magnificans Deus ipse ait, Luc.7. Nemo est in natis mulierum maior Ioanne Baptista. Cùm videamus Abraham, Isaac & Iacob, deinde patriarchas nō minimos ab eius dignatione fuisse. Quòd si dignatio præfecit, non tamen conceptio vel natiuitatis annunciatio, quæ cum temporibus Christi prædicata est à Mose & Zacharia propheta, cuius cruor sanguinis templi marmore infecto sempiternus viuit. Esa.8. Quem sibi dominus in testimonium vocat per Esaiam prophetam, dicens: Fac mihi testes fideles homines, Vriam, & Zachariam filium Barachiæ. Et accessit, inquit, ad prophetissam, & concepit, & peperit filium. Hic est igitur Zacharias filius Barachiæ, qui occisus est à Iudæis inter ædem & sacrarium. Inter cætera prophetiæ suæ indicia ieiunium quartum & septimum, & decimum erit domui Iuda in lætitiam & gaudium, & solennitates bonas, & dies festos multos. Et iocūdi eritis, iocunditatem & pacem amabitis: quæ tria ieiunia nunquam à Iudæis seruata fuisse inuenimus. Non enim aliquando quarta feria ieiunauerunt, aut septima quod dicitur sabbatum, aut decima feria, quæ nec potest dici: quamuis etsi in sabbato ieiunauerunt non legi parendo, sed opportunæ necessitati. Quærenda igitur erant fratres charissimi, quæ essent ista quarta & septima & decima, quorum initium propheta non nominauit, à quo quartum vel septimum, vel decimum numeraremus. Et bene quidem propheta pro altitudine spiritus sancti initium ieiuniorum non posuit, vt cum de initio ipsorum ieiuniorum quæreremus, simul & virtutem ipsorum inueniremus, & Mosi mandata recenseremus. Satis etenim dominus ad Mosem de mense Martio testabatur, dicens: Hic vobis mensis initium mensium; primus erit vobis in mensibus anni. Quòd si ergo ipse est initium anni, iam vtique ab ipso quartum mensem Iunium numeraremus, & septimum Septembrem, & decimum Decembrem, de quibus dominus ad Mosem dicit: Tribus temporibus diem festum agetis mihi. Quibus & quartum adiunxit, dicendo: Et Leui.23. & Exo.23. & Deut. 16. diem festum azymorum custodietis. Septem diebus manducabitis azyma, sicut præcepi tibi in tempore mensis nouorum. Hi sunt menses, in quibus dominus Exo.34. noster, & Ioannes Baptista concepti, & nati sunt: istis quatuor temporibus, id est, verno & æstate, & autumno & hyeme, per quæ annus vertens cognoscitur. Et Esa.58. ideo propheta dicit: Annum acceptabilem domini. Nam rursus dominus ostendens per Mosem quartum & septimum & decimum ieiunium, menses eos esse dicit in eadem Exodi scriptura: Initium mensis frumentariæ & vindemiæ, & oleæ erunt domui Iuda in lætitiam & gaudium, & dies festos multos: quod vtique initium mensis, sicut diximus, est mense Martio, vnde annus vertens incipit. Mensis quarti, id est Iunius, qui est initium mensis frumentariæ. De quo & dominus Ioan.4. discipulis suis dixit: Nónne quadrimensium est, & dicitis, quia iam messis adest? Nam vindemiæ mensis est September, qui septimus est à Martio. Decimus verò mēsis est December, quo mense oleæ maturæ præmuntur. Sed quomodo probamus istis quatuor temporibus Christum & Ioannem conceptos & natos fuisse? Sicut Matt.13. & dominus ipse dicit: Omnis scriba eruditus similis est patrifamiliàs qui profert de thesauro suo noua & vetera. Ergo quæ typicè à prophetis dicta sunt, & à Mose declarata, manifesta sunt in euangelio. Nam temporibus cùm Zacharias pater Ioannis sacerdotium Iudæorum administraret secundùm legis mandatum, & prophetiæ Ionæ, quam Niniuitis annunciauit, pòst triduo Ionæ 3. subuersionem futuram ciuitati eorum, qui pœnitentia acti, domini misericordiam meruerunt. In cuius nunc memoriam Iudæi quotannis ieiunium mense Septembri obseruant, quem metellitum, siue scenopegiam nūcupant. Propter quod sacerdotes in tempore illo pro peccatis populi, diebus illis secundùm præceptum legis in mense Septembri sacrificia Deo offerebant. Quod cùm altari Zacharias obtulisset, non statim sacerdotem se profitebatur, aut idoneum esse qui pro peccatis tam scelesti populi precibus dignus futurus esset: sed memoratus est Christum ipsum solum futurum verùm sacerdotem, cui Pater dixerat: Tu es sacerdos in æter- Psal. 109. num secundum ordinem Melchisedech, qui hostiam placabilem pro peccatis omnium solus Deo offert. Et eius aduentum scilicet Zacharias precatus est. Quoniam nec temerè hoc dicimus, quod ex responsis Gabrielis angeli inuenimus eum & deprecatum fuisse. *Ait enim ei Gabriel angelus: Zacharia, exaudita sunt preces tuæ.* Cuius vtique preces exaudiuntur: vtique exauditur quod precatur, aut desiderat. Tribuet enim petentibus se, quod quis desiderat, aut postulat ab eo, dicente Christo saluatore nostro: Quis est enim ex vo- Matt.7. bis, inquit, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porrigit ei? Aut si piscem petit, nunquid serpentem porrigit ei? Et addidit, dicens: Vos cùm sitis nequam, scitis bona data dare filiis vestris, quantò magis, inquit, dabit bona petentibus se pater vester qui in cœlis est? Dabit eis qui eum petunt, facientibus tamen voluntatem eius, sicut Ioannes Christi amātissimus in epistola sua complexus est. Scimus, inquit, 1. Ioan. 3. quia habemus impetrationes quascunque ab eo postulauerimus, cùm præcepta eius seruauerimus, & ea quæ illi placita sunt in conspectu eius fecerimus. Tunc ergo Zacharias cùm hæc precaretur, respondit ei angelus Gabriel: *Zacharia, exaudita sunt preces tuæ: ecce Elizabeth vxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem, & erit tibi gaudium & hilaritas, & multi in natiuitate eius gaudebunt, & erit magnus coram domino, & vinum & siceram non bibet, & spiritu sancto replebitur mox, vt exierit de vtero matris suæ, & multos ex filiis Israel conuertet ad dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet ante faciem eius.* Gesta autem sunt hæc ante primum annum imperij Tyberij Cęsaris mense Septembri, octauo Calendas Octobris, incipiente luna vndecima, quando oportebat Iudæos ieiunium scenopegiæ celebrare. Tūc verò pòst, nono anno Tyberius Cæsar tempus cursumque lunæ collegit, & inuentum est ipsa die octauo Calendarum Octobrium esse æquinoctium, in quo est inchoatio noctis maior quàm lucis. Illū enim oportet Ioan. 3. crescere, inquit, me autem minui. Minorata autem fuerat lux à tenebris, cùm Iudæi secundum legem & prophetiam sacrificia Deo offerebant, in quo & Ioannes conceptus est, in quo etiam incusabantur à domino, dicente Esaia propheta: Quo mihi multitudinem sacrifi- Esa.1. ciorū vestrorum? dicit dominus: Plenus sum holocaustomatis arietum, & pinguedinem taurorū & hircorum nolo. Hæc sunt enim quæ antè propter peccata populi offerebantur, quæ iam cessare oportebat, cùm Ioannes idem Baptista conciperetur. Et ideo Zacharias pater eius sacerdos Iudæorum obmutuit, quia iam cessare & obmutescere oportebat sacrificia eorum, quæ pro peccatis populi offerebantur. Veniebat enim solus sacerdos, qui agno solo immaculato sacrificium

Deo

Deo pro peccatis omnium offerret. Et ideo demon- A
Ioan. 1. strauit eum Ioannes Iudæis: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Nam plenissimè constat, ideo obmutuisse Zachariam sacerdotem Iudæorum, quia sacrificia secundum legem & prophetiam offerebat. Si-
Matt.11. gnificabat enim quod sacrificia iam adueniente Christo lex, & prophetæ adimpleti tacerent: & ideo lex & prophetæ vsque ad Ioannem sunt, quæ ad conceptionem eius cursum tenuerunt. Celante ergo se Elizabeth per menses quinque conceptionis, stupēs quidnam ei dominus voluisset in suprema ætate, vt pareret sterilis: tunc deinde post alterum mensem, id est sexto à conceptione Elizabeth, missus est rursus Gabriel angelus in Galilæam ad virginem, quæ desponsata erat viro, cui nomen erat Ioseph, id est viro iusto. Iam
Ioan.3. enim destinata erat Ecclesia suo sponso viro iusto, de quo Ioannes dixit: Qui habet sponsam, sponsus est.
Psal.18. Quod & Dauid similiter dicit: Et ipse velut sponsus egrediens de thalamo suo. Post sextum autem mensem B
conceptionis Ioannis, qui est octauo Calendas Octobris, sextus mensis Martius principium anni, quia princeps & primarius omnium ipso mense conceptus &
Coloss.1. passus est. De quo & Paulus testatur: Qui est, inquit, initium omnis creaturæ: quia in ipso condita sunt omnia in cœlis & in terra. Quem mensem Iudæis Moses solennem & Paschæ futurum solicitè & crebrò commendabat, dicens: Hic mensis initium mēsium primus
Exo.12. erit vobis in mensibus anni. Initium enim filiorum Dei de interrogatione hominum hoc mense incipiebatur. ex die igitur cōceptionis Ioānis, octauo Calēdas Octobris vsque octauo Calendas Aprilis, quando angelus
Luc.1. Gabriel ingressus est ad Mariā, & salutauit eam, dicens: Pax tecum, quæ inuenisti gratiam apud dominū. Quæ audito hoc verbo conturbata est, & cogitabat intra semetipsam quæ esset hęc salutatio. Cui dixit angelus: Ne timeas Maria, quia inuenisti gratiam apud dominum: Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum: hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Et dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in sæcula, & regni eius non erit terminus. Cui respondit Maria: Et quomodo hæc cognoscam, cùm virum non nouerim? Et dixit illi angelus: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obūbrabit tibi: propter quod is qui nascetur sanctus, vocabitur filius Dei. Tunc Maria fida sermonis dixit: Ecce ancilla domini, contingat mihi secundum sermonem tuum. Fuit igitur, vt diximus, quādo hæc angelus ad Mariā, annunciauit, octauo Calendas Aprilis, qui & ipse est dies æquinoctialis ad inchoationē lucis: iam enim detersa caligine à mundo, lux in mundum adue-
1.Ioan.2. niebat, sicut Ioannes in epistola sua dicit: Quia tenebræ transierunt, & lumen verum iam lucet. De quo lu-
Ioan.1. mine iterum in euangelio dicit: Fuit lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Conceptus est ergo dominus noster octauo D
Calendas Aprilis, mense Martio, qui est dies Paschæ, passionis domini, & conceptionis eius. In qua enim die conceptus est, in eadem & passus est. Et ideo dominus in Exodo ad Mosem præceptum sacramenti tradens
Exo.23. dicit: Non occidas super azyma sanguinem immolatorum meorum. Et immolationis die solemnis Paschæ initia creaturæ tuæ inferes in domū Dei tui. Non occides, inquit, agnum in lacte matris suæ. Hæc significātia sunt agni immaculati, qui sacrificiū Deo offerri habebat, quod in primo Pascha cōceptionis suę in vtero matris non eum oportuisset occidi. Et ideo Ioseph sciens prægnantem esse Mariā, ne tanquam stuprata aut adulterata lapidibus interficeretur, clàm eam dimittere vo-
luit: vt verò non occideretur agnus immaculatus in lacte matris suæ: sed inter hæc ascendit, inquit, Maria ad Elizabeth visitare eam post mēsem sextum conceptionis eius. Tunc & Ioannes inspiratus est, & fecit ibi Maria cum Elizabeth menses alios tres. Et sic expletis nouem mensibus, in mense decimo peperit Ioannem octauo Calendas Iulias, qui est nonus mensis à Septembre, & quartus à Martio inchoationis anni. De quo propheta Zacharias dixerat, ieiunium quartum esse do- Zach. 8.
mui Iuda in lætitiam & gaudiū. Denique & gauisi sunt, qui interfuerant partui huic. Sed quare propheta de ieiunio quarto dixit, & non mense? Quia ieiunium erat à malis rebus, id quod nasci habebat. Nam Moses manifestè declarauit menses. Sed cùm dicat initium mensis frumentariæ, tunc ergo repertum est esse primum solstitium mundi, quando Ioannes natus est, quem diem lampadem appellant. Lampada enim erat luminis Christi, à quo lumen acceperat, cum esset adhuc in
Lucæ 1. vtero matris. Quando salutat Elizabeth Mariam, exultauit in vtero matris infans: ex ipso igitur dies minoratur, & nox crescit. Ioannes enim in die pœnitentiæ cōceptus est. Cúmque ab Adam secundum legem carnalem agerentur: quæ enim carnaliter geruntur, non talibus: Quia caro concupiscit aduersus spiritum, & spi- Galat.5.
ritus aduersus carnem. Et ideo lux minorabitur in illis. Nam Christus verò qui in natiuitate Ioānis iam trium mensium incorruptæ vuluæ fuerat conceptus, supererat ei, vt & ipse secundum humanam natiuitatem suppleret menses nouem, alij mēses sex, qui nunc ex octauo Calendas Iulias, in octauo Calendas Ianuarias sunt menses sex. Quibus suppletis nouem mēsibus, initiāte decimo Christus mundo natus est, quando prima censio capitalis humani generis facta est proconsulatum in Syria agente Cyrino, id est domino: veniebat enim dominus orbis terrarum, qui de capite nostro censeret. Et ideo sancti viri reges & patres, Sabba venerunt ipsi
Magi, inuitante stella fulgoris, memores scripturæ, quæ C
dicit: Orietur stella de Iacob, & surgent principes Num.24. & Malac. 4.
de Israël. Venientes in terram Israël, id est in Iudæā deducti ab stella lucis, in ciuitatem Hierusalem requirentes regem suum. Quem inuētum in hospitio itineris, id est in stabulo, præsepio collocatū, & pānis obuolutum, quæ fuerunt peccata carnis nostræ, cui pro tributo capitis sui in sacramēti mysterio obtulerunt aurum, thus, Matt.2.
& myrrham. Aurum etenim significat corpus immaculatum, quod igne probatum nihil deperit. Hi sunt de quibus in Apocalypsi dictum est: Qui vestem suam non Apoc.3.
inquinauerunt, id est, qui carnem suam inuiolatam custodierunt. Et ideo cum agno ambulant. Nā thus significat orationes sanctorum. Nā myrrha corporis est cōditura, quæ sunt operum bonorum gesta, quæ in postremo corpus & animā hominis custodiunt. Dicitur enim in Apocalypsi: Nam opera eorum comitabuntur eos. Apo.14.
Sed nunc fratres dilectissimi, inter hæc intuendæ sunt temporum qualitates, & gesta morum: & primùm à perfidia Iudæorum, qui semper in Deum, & in Mosem contumaces extiterunt: qui cùm à Deo secundùm Mosem initium anni mensem Martium acceperunt: illi dictū prauitatis, siue superbiæ exercentes, mēsem Septēbrem ipsum nouū annum nuncupāt, quo & mense magistratus sibi designant, quos Archontas vocant. In illa solēnitate scenopegiæ siue intellitidem, in quo Ioannes conceptus est, quando & lucernas quidē multas accendunt. Quòd & ipsum Abrahæ significant eius conceptionis fuisse diē. De quo Dominus dixit: Ille erat lu- Ioan.5.
cerna ardens, & lucens, & vos voluistis ad præsens in lumine eius exhilarari. Sic & vox puerorum frequens auditur dicentium esse lucrū & gaudiū. Quod quidem

Universidad de Deusto
Biblioteca

maximum lucrum est, & vitæ inuentio, de qua consu- A
Luc.3. lentes ipsum Ioannem milites, & publicani quærebant,
quòd agentes possent vitam consequi. Quibus ille insi-
nuans viam veritatis, militibus quidem dicebat: Nemi-
nem concusseritis, neque calumniaueritis, sed contenti
estote stipendiis vestris. Similiter & publicanos horta-
batur, ne quicquam amplius exigerent, quàm quod eis
præceptum erat exigere. Erat autem & gaudium his i-
pse Ioannes, qui nasci habebat, qui nobis Christum in-
sinuaturus esset, de quo angelus Zachariæ patri eius di-
Ibid.1. xerat: Erit tibi gaudium, & hilaritas, & multi in natiui-
tate eius gaudebunt. Sed & tempus est autumni quan-
do Ioannes concipitur. Quo tempore ager sulcis iam
proscinditur, & semini venturo iam præparatur. In quo
mense veteres coloni nouis cultoribus cedunt, cessan-
tibus scilicet pristinis tabulis conscriptionis, quæ vete-
ris legis fractæ tabulæ, noua lex nouis cultoribus tradi-
Hier. 31. tur. De qua per Hieremiam Dominus dicit: Dabo eis
illam legem spiritalem, qualem non dedi patribus eo- B
rum, cùm eos deducerem de terra Ægypti. Illi enim
quibus antè vineæ cultura tradita fuerat, qui pensiones
Mat.21. debitas suis temporibus non exoluerunt, qui insuper
missos ad se seruos variè vexauerunt, quosdam cæden-
tes, quosdam verò lapidantes: insuper missum à patre fi-
lium, & ipsum agnitum esse hæredem patris, existimán-
tes se hæreditatem patris familiâs eruere, apprehensum
filium eius iniuriis turpissimis actum occiderunt. Quare
habuit paterfamiliâs necesse malos malè perdere, & in
locum eorum alios cultores substituere, qui pensiones
Iohel.3. debitas suis temporibus persoluant. Ex Sion inquit, ex-
iet lex, & verbum Dei ab Hierusalem: & ipse conuertet
populum multum, & concident gladios suos in aratra,
& lanceas suas in falces, vt omnis iam bellicæ vitæ vsus
necessariò conuerteretur. Sed & sine dubio manifesta-
Ibidem. tur sacramenti mysterium, quod dicit propheta: Con-
cidant gladios suos in aratra. Cùm gladij materies ferri
sit, & aratrum lignum: quomodo potest ferrum in li- C
gnum conuerti? Quare non potius dixit. Et concident
gladios in vomeres? Sed quia per lignum vita nobis da-
ta est, ideo iam cessante pristino bello, nobis ligni men-
tio fit per aratrum, per quod spina & tribuli auulsi de
cordibus nostris. Terra est ipse homo, semen sermo-
num Dei percipiet, vt quidam fructum trigesimum, alij
sexagesimum, alij centesimum. Nunc post hoc æqui-
noctium, quod est autumni temporis, respiciet nos &
mensis Martius verni temporis, in quo est & lucidius
æquinoctium iocundius omnibus, qui pigris & somni-
Prou.6. culosis somnum oculis desistit, dicente scriptura: Quo-
usque piger dormis? quandiu manibus pectus ampie-
cteris? Surge, & attingis Christum dominum. In quo
iam nautica vox secura maria fretat, patefacto rubro
Exod.15. mari, quod clauserat Pharao, cum magno mugitu do-
loris submersus cum suo exercitu. Ex quo liberatus
Moses cum suis suauiter hostibus cæsis celeumabat, &
Exod.13. pro voto populum monebat, dicens: In mente habe- D
tote hunc diem, quo liberati estis de domo seruitutis,
qui necdum liberati sunt, quia denuò eos inuaserant
Ioan.8. opera peccati, ac seruitus Ægypti. Et ideo Dominus
dicebat eis: Et cum vos filius liberauerit, tũc verè liberi
eritis. Iam spe rustice gaudes, iam arborum opaca, amis-
sa folia, quæ dempserat Adam ad tegumentum pudo-
Esa.11. ris reparas alia. Quia prodiet, inquit, virga de radice
Iesse, & flos ex illa virga apparebit. Iam consummatio
est operum ruricolarum, ipsa omnis lex seruitutis car-
Exo.23. nis cessat. Quid dicit Dominus in Exodo? Ex die so-
lemni mensis primitiuorum consummabis omnia opera
tua, quæcunque seueris in agro tuo. Posita enim ser-
uitiorum lege carnis operata est vsque ad Christum,

sed mysteria diaboli tetris & horribilibus indumentis
pœnam suam luentes, ostentantes vincti catenis. Ex
ipsis fuit vnus ille qui in monumentis dormiebat, quia
iam nascebatur, qui eos vinceret. Et iocundus aër per
cuius æstum improba caro lassatur, sed & glacie frigi-
da cutis horrescit. Nam & quorum vox auditur di-
centium: Exite pueri in campum mense Martio. Hæc
vox vulgaris esse existimatur, sed potius rationabilis
est Credimus enim in eodem tempore prouocatum
esse Abel à Cain exire in campum, in quo occisus est. Gen. 4.
Et ideo mense Martio octo dies pastores contingent.
Sed scriptum est, exiuit sermo, & stetit in campo.
Tunc enim exiit sermo in campo, id est in hoc sæculo,
quando susceptum Maria per fidem concepit domi-
num nostrum Christum. Sed & alios audiui dicentes:
Martius in campo, & aliquando post focum Martius.
Equidem in campo factus est, quando Gabriel ange-
lus in hoc mundo Mariæ sermonem intulit, Christum
B inde sæculo nasciturum. Rursus & Martius fuit post fo- Mar.14.
cum, quando Dominus ipse mense Martio ad iudi- & Ioã.18.
cium ductus est. Et Petrus stans post focum calefacie-
batur. Qua enim die conceptus est Dominus, eadem
die & passus est. Eadem ipsa dies cœna pura fuit, in qua
& luna quartadecima occurrit. Conceptus est enim
mense Martio octauo Calendarum Aprilium die, luna
quintadecima fuit, momentissimè propter horam pas-
sionis suæ sustinebat. Vnde die festo scenopegiæ dixe-
rat: Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem Ioan. 7.
non ascendam, quia meum tempus nondum aduenit.
Nouerat autem mensis solennitatem, in quo Ioannes
conceptus est. Nam suum tempus conceptionis, & pas-
sionis sustinebat, quem recognoscens dixit: Venit ho- Ibid.12.
ra, vt clarificetur filius hominis. Sed nunc dilectissimi
post duo æquinoctia, quæ sunt duæ conceptiones,
intendenda sunt & duo solstitia, in quibus duæ na-
tiuitates continentur: vnam quidem diximus Ioan-
nis esse mense Iunio, id est, octauo Calendas Iulias, C
quam lampadem appellant, quo tempore messis tri-
tici cæditur. Ostenditur quòd & Ioannes, qui eo
tempore natus est, & ipse velut messis decollatus est.
Qui dicebat de Domino: Cuius in manibus suis venti- Mat.3. &
labrum permundabit aream suam, frumentum re- Luc.3.
condet in in horreis: paleas autem comburet igni
inextinguibili. Circunciſus est igitur Ioannes Cal-
endas Iulias, id est octaua die, quando migratio fit:
vt ostenderetur quia is, qui secundùm legem & pro-
phetiam conceptus erat, de quo dictum est: Lex & Matt.11.
prophetæ à Iudæis migrabunt. Sed & dominus na-
scitur in mense Decembri, hyemis tempore octauo
Calendas Ianuarias, quando oliuæ maturæ premun-
tur, vt vnctio, id est chrisma nascatur, quo reges ab
herbis extraneis feritur. Cùm agni balantes nascun-
tur, vineæ falcibus sarmenta amputantur, vt mustum
suauitudinis afferant, ex quo inebriati sunt apostoli
sancto Spiritu. Quia ego sum, inquit, vitis, & pater Ioan.15.
meus agricola. Omne igitur sarmentum in me non
afferens fructum, excidetur, & in ignem mittetur. Sed
& inuicti natalem appellant. Quis vtique tam inui-
ctus, nisi dominus noster? qui mortem subactam deui-
cit: vel quod dicant Solis esse natalem, ipse est Sol iu-
stitiæ, de quo Malachias propheta dixit: Orietur vo- Mala. 4.
bis timentibus nomen ipsius Sol iustitiæ, & sanitas est
in pennis eius. Qui & ipse circunciſus est, secundùm
testamentum Dei, quod dispoſuerat ad Abraham o-
ctaua die, id est Calendas Ianuarias, in quo & ipsa mi-
gratio fit. Migrauerat enim gratia & veritas à Iudæis: Ioan.1.
Quia lex per Mosem data est, nam gratia & veritas
per Iesum Christum facta est: In Christo Iesu domi-
no, qui

no, qui viuit & regnat cum Patre & Spiritu sancto per A
immortalia sæculorum. Amen.

De natiuitate Domini, homilia.

INCERTO INTERPRETE.

Luc.2. ET *reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.* Et reclinauit eum mater.
Ioseph autem non audebat eum attinge-
re, quem sciebat de se nõ esse generatum:
mirabatur, gaudebat natum, & natum nõ
audebat attingere. Et reclinauit eum in præsepio.
Esa.1. Quare in præsepio? Vt compleretur vaticinium Esaiæ
prophetæ: Cognouit bos possessorem suum, & asinus
præsepium domini sui. Scriptum est in alio loco: Homi-
Psal.35. nes & iumenta saluos facies domine. Si homo es, panẽ
comede: si animal es, ad præsepe accede. Quia non erat
ei locus in diuersorio. Omnia enim iudicia infidelitas B
repleuerat. Non inuenit locum in sancta sanctorum,
qui auro, gemmis, serico, & argento fulgebat: & ta-
men non nascitur inter aurum & diuitias, sed in ster-
core nascitur, hoc est, in stabulo. Vbicunque enim sta-
bulum, ibi & stercus est, vbi erant spurciora peccata
nostra. Propterea in stercore nascitur, vt eos qui sunt
Psal.112. de stercore, subleuet. Leuans de stercore inopem. In
stercore nascitur, vbi & Iob & sedebat, & postea co-
ronatus est. Quia non erat ei locus in diuersorio. Qui-
cunque pauper est, accipiet consolationem. Ioseph
& Maria mater domini non habebant seruulum, non
ancillam: de Galilæa, de Nazareth soli veniunt, non
habebant iumentum: ipsi sunt domini, & famuli. Rem
nouam, ingrediuntur in diuersorium, non ingredium-
tur in ciuitatem: paupertas enim timida, inter diuites
non audebat accedere. Videte magnitudinem pauper-
tatis, in diuersorium vadunt: non dixit quòd erat in
via, sed in diuerticulo erat extra in via: hoc est, non C
in via sed extra viam. Non in via legis, sed in diuer-
ticulo euangelij, & tamen in ipso diuerticulo erant.
Alibi nullus locus vacabat ad natiuitatem saluatoris,
nisi præsepe, ad quod iumenta & asini ligabantur. O si
mihi liceret videre illud præsepe, in quo dominus ia-
cuit. Nunc nos Christiani quasi pro honore tulimus
luteum, & posuimus argenteum: sed mihi precioſius
illud est, quod ablatum est: argentum & aurum mere-
tur Gentilitas, Christiana fides meretur luteum illud
præsepe. Qui in isto præsepe natus est, aurum conde-
mnat & argentum. Non condemno eos, qui honoris
causa fecerunt: neque enim illos condemno, qui in
templo fecerunt vasa aurea, sed admiror dominum,
qui creator est mundi, non inter aurum & argentum,
sed in luto nascitur. *Et pastores erant in regione eadem vi-*
gilantes. Non inueniunt Christum, nisi vigilantes:
pastorum est vigilare. Non inuenitur Christus, nisi
Cant.5. vigilantibus pastoribus. Vnde dicit & sponsa: Ego D
Psal.120. dormio, & cor meum vigilat. &, Non dormitabit, ne-
que dormiet, qui custodit Israël. Pastores erant in re-
gione eadem. Herodes erat, pontifices erant, pharisæi
erant, illis dormientibus Christus in eremo inueni-
tur. *Vigilantes pastores, & custodientes vigilias noctis super*
gregem suum. Custodiebant enim gregem, ne dum dor-
miunt, lupus irrumperet: & ideo multùm vigilabant,
quia insidiæ bestiarum satis imminebant gregi. Vigi-
labant quasi super gregem, sed non poterant conser-
uare: propterea deprecabantur, vt dominus veniat, &
seruet gregem suum, *Ecce angelus Domini stetit iuxta illos.*
Digni erant, vt veniret ad illos angelus, qui sic vigila-
bant. *Et claritas Dei circunfulsit illos, & timuerũt.* Huma-

nus timor maiorem visionem aspicere non potest. De-
nique quia timore fuerunt perterriti, propterea empla-
strum quasi vulneribus datur, & sanatur, & dicitur. *No-*
lite timere. Non enim potestis audire quæ dico, nisi ti-
mor recesserit. *Natus est vobis hodie saluator, qui est Chri-*
stus dominus, in ciuitate Dauid. Multa sunt quæ dicuntur.
Cùm illi vtique mirarentur. *Subitò facta est cum angelo*
multitudo militiæ cœlestis laudantium dominum, & dicen-
tium: Quoniam vnus dixerat natiuitatem Domini, ne
vnus angelus testis videretur, propterea omnis exercitus
sonat, & dicit: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax ho-*
minibus bonæ voluntatis. Si quotidie in cœlo ruinæ fiunt,
quomodo in cœlo gloria est, & in terra pax poscitur?
Videte quid dicitur, in cœlis gloria, vbi nulla dissensio
est: in terra pax, vbi bella quotidie: in terra pax, in qui-
bus pax? in hominibus. Et quare Gentiles pacem non
habent? quare Iudæi pacem non habent? Ideo adiecit:
Pax in hominibus bonæ voluntatis, hoc est, qui susci-
piunt natum Christum. *Dixerunt vtique pastores: Tran-*
seamus vsque Bethleem. Dimittamus desertum templum,
& transeamus vsque ad Bethleem: *& videamus verbum*
quod factum est. Verè quasi vigilantes non dixerunt, vi-
deamus puerum, videamus quid dicitur: sed videamus
verbum quod factum est. In principio erat verbum, & Ioan. 1.
verbum caro factum. Et verbum, quod semper fuit, vi-
deamus, quomodo pro nobis factum est: & videamus
hoc verbum, quod factum est, quod fecit Dominus, &
ostendit nobis. Verbum hoc ipsum, si fecit, siquidem
hoc ipsum verbum dominus est. Videamus igitur quo-
modo hoc ipsum verbum, hoc est Dominus ipse fece-
rit, & ostenderit nobis carnem suam. Quod enim vide-
re non poteramus, dum erat Verbum, videamus car-
nem: quia caro est, videamus quomodo Verbum caro
factum est. *Et venerunt festinantes.* Ardor enim animi, &
desiderium vincebant. Pedes non poterant tantùm
currere, quantùm mens cupiebat aspicere. Et vene-
C runt festinantes, quia tanto ardore currebant: propter-
ea inueniunt, quem quærebant. Videamus quid inue-
niunt, *Mariam & Ioseph.* Si verè vxor erat, vtique in-
iuriæ erat dicere: Inuenerunt vxorem, inuenerunt ma-
ritum: nunc verò primùm fœminam ponunt, postea
virum. Et quid dicit, Inuenerunt Mariam & Ioseph?
Inuenerunt Mariam matrem, inuenerunt Ioseph nu-
tricium, & infantem positum in præsepio. *Videntes co-*
gnouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero. Maria au-
tem conseruabat omnia verba hæc conferẽs in corde suo. Quid
vult hoc, quod dicit, conferens? debuit dicere, ponens
in corde suo: debuit dicere, considerabat in corde
suo, & notabat sibi. Aliquid dicit conferens in corde
suo. Quoniam sancta erat, & sanctas scripturas le-
gerat, & sciebat prophetas, recordabatur quòd ange-
lus Gabriel sibi dixerat illa, quæ dicta sunt in prophe-
tis. Cum his videbat conferens in corde suo, si sta-
ret: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi ob-*
umbrabit te: propterea quod nascetur de te sanctum, vocabi-
tur filius Dei. Hoc Gabriel dixerat, prædixerat Esaias: Esa. 7.
Ecce virgo concipiet, & pariet. Hoc legerat, illud
audierat: Videbat iacentem puerum, videbat in præ-
sepi puerum vagientem, iacentem Dei filium, suum fi-
lium, vnum filium: videbat iacentem, & cõferebat quæ
audierat, quæque legerat, cum his quæ videbat. Quia
illa conferebat in corde suo, & nos tractemus in cor-
de nostro, quod hodierna die Christus nascitur. Alij
putant quod in Epiphaniis nascitur, non damnemus
aliorum opinionem, nostram sequamur doctrinam.
Vnusquisque in suo sensu abundat. Et forsitan reuela- Rom.14.
bit vnicuique Dominus. Et illi qui tunc dicunt nasci
Saluatorem, & nos qui hodie dicimus nasci, vnum do-

Universidad de Deusto
Biblioteca

minum colimus, vnum infantulum suscipimus. Sed videamus, quia magis rationabilius ratio nostra non reprehendit alios, sed nos probat: non sunt nostra quæ loquimur, maiorum sententia est, vniuersus mundus contra huius prouinciæ opinionem loquitur. Dicat aliquis. Hîc Christus natus est, ergo magis illi sciunt, qui longè quàm isti qui propè sunt. Vobis qui dixerunt? Qui sunt in ista prouincia, vtique apostoli Petrus & Paulus, & cæteri apostoli. Vos eiecistis, nos suscepimus. Petrus qui hîc fuit cum Ioanne, qui hîc fuit cum Iacobo, nos in Occidente docuit: & vestri igitur, & nostri apostoli magistri sunt. Dico & aliud: Iudæi eo tempore regnabant in Iudæa. Denique scriptum est in actibus apostolorum: Et facta est persecutio magna in illo tempore, & dissipati sunt credentes. Et iterum: In Cyprum venerunt Antiochiam, totum orbem penetrarunt, qui de Iudæis expulsi fuerant. Quomodo ergo & Iudæi regnabant post ascensionem domini quadraginta duobus annis? alibi pax erat, hîc bellum erat. Magis itaque traditio ibi debuit seruari, quam hîc, vbi discordia: deinde post quadraginta duos annos venit Vespasianus & Titus, subuersa Hierosolyma atque destructa, omnes qui Iudæi fuerant & Christiani, penitus eiecerunt: deinde post annos multos vsque ad Adrianum solitudo mansit. In ista prouincia nullus Iudæorum, nullus Christianorum erat. Venit Adrianus, & quoniam rursus in Galilæa rebellarunt Iudæi, reliquias ipsius ciuitatis desolauit, legem tunc dedit, vt nullus Iudæorum Hierosolymis accederet. Et in istam ciuitatem de diuersis prouinciis adduxit neotericos. Denique dicebatur Adrianus Helius. Adrianus nomine ergo suo, quoniam Hierosolymam subuerterat, Heliam nuncupauit. Hoc totum quare dico? Quia nobis dicunt: Hic apostoli fuerunt, hîc traditio fuit: nos ergo dicimus, quia hodie Christus natus est, in Epiphaniis renatus est. Vos struite nobis generationem, & regenerationem, vos qui dicitis in Epiphaniis natum, quando ergo accepit baptismum, nisi verum euentum dicitis, vt in eadem die & natus sit, & renatus? Prædicationi nostræ etiam creatura consentit, mundus ipse testis voci nostræ. Vsque ad hanc diem tenebræ crescunt, ab hac die decrescunt tenebræ: lux crescit, decrescunt tenebræ: crescit dies, decrescit nox: errorem veritas subdit, hodie nobis Sol iustitiæ nascitur. Simúlque & aliud considerate, inter dominum & Ioannem Baptistam sex menses sunt: si consideretis natiuitatem Ioannis, & hâc diem, videbitis sex menses tantùm habuisse. Quoniam verò multa diximus, & infantem vagientem in præsepi audiuimus, & adorauimus, vsque hodie adoremus illum. Tollamus illum in brachiis nostris, adoremus illum Dei filiũ Deus magnus, qui tanto tempore tonauit in cœlo, & non saluauit: vagiit, & saluauit. Hoc totum quare dixi? quoniam nunquã saluat superbia, sed saluat humilitas. Dei filius in cœlo erat, & non adorabatur: in terram descendit, & adoratur: habebat sub se Solem, & lunam, & angelos, & non adorabatur: in terra nascitur homo perfectus, homo totus, vt sanaret totum orbem. Quicquid non assumpsit ex homine, non saluauit: si autem assumpsit carnem, & animam non assumpsit, non saluauit. Saluauit ergo quod minus est, & quod maius est non saluauit? si enim dicunt, saluauit & animam, quam assumpsit: sicut maior est anima corpore, sic ipsius animæ principale sensus est: si autem sensum non saluauit, animam quod minus saluauit. Sed dicis propterea non assumpsit humanum sensum, ne vitia humana haberet in corde, hoc est cogitationes malas. Si ergo ipse non potuit vincere, quod fecit: mihi indignatur, quòd non possum vincere, quod ipse debuit? Obliti sumus propositum nostrum, plus diximus, quàm cogitaueramus: aliud mens disputauit, ad aliud lingua prolapsa est. Præparemus igitur aures nostras pontifici, & quicquid à nobis minus dictum est, intentis auribus audiamus benedicentes dominum, cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Act. 8.
Ibid. 13.

Sermo diui Ioannis Chrysostomi de eo, qui incidit in latrones. Luc. 10.

INCERTO INTERPRETE.

TVNC dixit dominus similitudinem istam ad eos: Homo quidam descẽdens ab Hierusalem in Hiericho, incidit in latrones, qui & spoliauerunt eum, & cædem illi intulerunt, & semiuiuum reliquerunt. Fortuitu autem transiens per illam viam sacerdos, cùm vidisset eum, præteriuit. Sed & leuites cum vidisset, præteriuit. Samaritanus verò quidam iter agẽs, cùm vidisset eum, commotus est, & accessit ad eum, & alligauit vulnera eius, infundens vinum & oleum. Dehinc imposuit eum super iumentum suum, & duxit eum ad stabulum: & protulit duos denarios, & dedit stabulario, dicens: *Attende illi, & curam eius habe: & si quid plus erogaueris, reuersus cùm fuero, ego tibi restituam.* Primum hominis istius statum intellige, qui inermis ac destitutus in latrones inciderit, quíq; improuidus, incautúsque eam viam elegerit, qua euadere prædonum manus nequiuerit. Non enim possidet inermis armatos, improuidus pessimos incautus nociuos effugere (quippe cùm malitia semper armata sit dolis, crudelitate septa, munita fallacia, & ad nocẽdi sæuiciam præparata) cùm improuidus nec vnquam possit obsistere, nec eius iacula declinare. Est igitur iste homo, quẽ diximus, Adam protoplastus: cuius figuram in isto loco posuit dominus, in quem nocendi fallaciam in exordio mundi serpens operatus est diabolus, in quem fallendi virus exercuit, & malitiæ suæ perniciem dedicauit. Hunc itaque immortalitate nudatum, & cœlesti dignitate priuatum, spoliandum tradidit suis: vt quem latro ipse nudauerat, latronibus, id est, apostaticis angelis spoliandum penitus tradidisset: & quem gladio transgressionis ipse transfixerat, vulnerandum suis, & penè exanimẽ latro ipse latronibus sociis commendauerat, inuadendum. Hic itaque homo, id est, Adam iacebat destitutus salutis auxilio: iacebat cõfossus vulneribus delictorum, & squalenti corpore, fluentique tabo cruentus & marcens, vix exiguam partem animæ spiritúsque trahebat. Cui nec sacerdos Aaron transiens sacrificio potuit profuisse, nec eius frater Moyses leuita per legem potuit subuenire. Samaritanus autem quidam transiens solus dissimulare non potuit, quia propter eum à Deo patre missus aduenit. Hic est Samaritanus dominus Christus, cui hoc nomẽ sceleratus Iudæorum imposuit populus. Hic, inquam, dominus iacentem vulneratúmque accessit, vinum oleúmque vulneribus infudit: vinum inquam, id est sanguinem passionis, & oleum chrismatis, quibus & delictorum vulnera curantur, & sanctificationis tutela præstatur, vt indulgentia daretur per sanguinem, sanctificatio conferretur per chrismatis vnctionem. Iam teguntur vulnera, quæ fuerant antè denudata. Iam à cœlesti medico confossa loca ligantur: vt intra semetipsa retinentia medicinam, operante medicamine sanitati reddantur. Infuso itaque vino & oleo, litigatísque vulneribus imposuit, inquit, eum super iumentum suum, id est corpori suo eum imposuit: quia Adam protoplastum (vt omnibus notum est) Christus Ioan. 8.

Christus ipse portauit. Mox enim ad stabulum adduxit, atque illum stabulario commendauit. Stabulum, Ecclesiam accipimus: stabularium, episcopum confirmamus. Est, inquam, stabulum, ecclesia: quæ itinere mundi lassatos, & peccatorum sarcinis defessos suscipit venientes: vbi post æstuantis animi pernicioſos ardores, & squalentis vitæ desperata solatia, refrigeria blanda, & auræ delectabiles sentiuntur: vbi depositio onere peccatorum, viator lassus reficitur, & refectus salubri pascua reparatur: vbi stabularius salubres exhibet cibos, & defessis viatoribus vtiles tribuit potus: vbi nec flagrantis Solis molestus ardor sentitur, nec hyemis importunum frigus metuitur, sed aut temperies verna blanditur, aut spirans autumnitas reficiendis hospitibus procuratur. Totum enim quicquid contrarium, nocẽs, & malum est, foris est: quia intra stabulũ, requies omnis salubritásque inclusa est. Vt enim extra stabulũ latrones pessimi, prædonésque horrendi, & lupi graues, & immanes beluæ deuorandis miseris, inuadẽdísque grassantur: ita intra stabulũ, innocẽs agnorũ copia, & ouium multiplex innocentia commoratur. Vbi si fortè aut bestia nocens, aut lupus latens sub velamen ouium esse detegitur: extra stabulum confestim abiectus cum sui similibus, publicatus abiicitur, & abiectus extra stabuli tegmina relegatur. Ad hoc ergo stabulum adduxit Samaritanus hominem à latronibus vulneratum, atque eum stabulario commendans protulit duos denarios, dicens: Attende, inquit, illi: & si quid plus erogaueris, reuersus cum fuero, ego tibi restituo. Duo itaque denarij, duo legis testamenta sunt: id est, vetus & nouum, legem & euangelium. Alterum per Moysem in præteritum datum: alterum per Christum in euangelio consignatum. Hi sunt igitur duo denarij, quos stabularius acceptos semper debeat erogare. Hi sunt, inquam, per quos confirmantur sani, & eriguntur lapsi: curantur ægroti, & sanantur per medicum vulnerati. Quos ita stabularius apud se non debeat occultare, vt prolatos qui audierit, non debeat recusare. Vt enim erogare iussus est, qui accepit: ita libenter sumere debet, qui sanari promeruit. Attende, inquit dominus, illi: & si quid plus erogaueris, reuersus cùm fuero, ego tibi restituo. Videamus igitur, quid à duobus denariis, id est, à duobus testamentis Ecclesiæ rector plus possit impendere, quid amplius possit in Dei populum erogare, in quo se ei Dominus promisit debitorem existere. Nam cum addi ad duo testamenta nihil possit, nec quicquam augmenti detrimentíve lex sancta suscipiat: quid est ergo, quod possit plus erogare rector, quàm accipit, nisi illud quod est proprij officij in quo debet eniti, vt credita eroget, accepta dispenset, aperiat obscura, reuelet occulta, inuoluta pandat, quæstiones in lucem deducat, insistat fortiter, perseueret instanter? Meminerit se speculatorem esse cunctorum, vt ouibus pascuas salubres tribuat, agnis puri fontis vndas exhibeat, exterminet ab ouibus lupos, ab agnis nociuas bestias excludat, vulneratos curet, errantes reuocet, ignaros instruat, erigat lapsos generaliter omnes, specialiter singulos doceat, suæ vitæ proũocet vniuersos exemplo. Sit eius doctrina duplex, vt verbis facta conueniant, actus doctrinæ respondeant, in nullo sit minor, qui cunctis est potior. Charismatibus fulgeat, splendescat officiis. Sit cum authoritate humilis, cum humilitate sublimis. Nec ideo sit melior, quia maior, sed ideo maior: quia melior. Multiplicet populos, & eos docendo meliores faciat, quam accepit. Sic fit, vt dum hominibus feruenter insistit, dominum sibi constituat debitorem. Sed iam vt stabulum in Ecclesię nomen conuertam, & de figura proprietatem iam faciam, ad te quisquis es ô Christiane conuertor, qui sanitatem iactas, & te vulneratum fuisse dissimulas: qui integritate gaudes, & te ægrotum fuisse non mœres: qui te destitutum iacuisse non respicis, sed erectum in Ecclesia gloriaris. Ama Christum, qui te à prædonibus liberauit: dilige Dominum, qui te prostratum iacentémque erexit. Dilige, inquam Dominum, qui te in Ecclesiæ stabulum per semetipsum inuexit, qui rectori stabulario commendauit: qui duos denarios, hoc est, legem & euangelium in eruditionem tuam erogari præcepit. Dilige, inquam, dominũ, qui tibi dicit: Ecce sanus es, iã noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Erogaui tibi summã legis & euangelij, libenter amplectere: impendi propter te duorum denariorũ quantitatem, deuotione auida suscipe. Dominica summa tui causa, depositi, in lucra tuæ salutis proficiat: fors propter te credita, vsuris cumulata consistat. Dominus enim charam tuam salutem habet: qui propter te in sæculum venit, & te à nephãdis latronibus liberauit. Nec difficile est iam curato dare præmia, cui difficile nõ fuit curando tribuere medicinam: per Christum dominum nostrum. Amen. Ioan. 5.

De patre & duobus filiis, homilia.

INCERTO INTERPRETE.

OMNIVM quidem de Scripturis quæstionũ absolutio, illi soli ita vt est, nota est, qui dixit: Ego sum veritas. Nos autem oportet pia voluntate, & in sensu spiritali ad inquisitionem diuinarum scripturarum accedere: sciẽtes quòd si aliquid verè inuenerimus, & in hoc ipso inquirẽdi studio repleuerimus, bonum desiderium mentis attẽtæ deo, intra fines beatitudinis eius erimus. De qua dicitur: Beatus impleuit desiderium suũ. Qualis autem sit huius concupiscentiæ species, adiectio beatitudinis facilè declarat, audire volentibus, id est, prudenter audientibus. Quod si non potuerimus ad plenã veritatis ipsius intelligentiam peruenire, nec sic tamen longè erimus ab illa beatitudine, quam capiunt qui implent desiderium suum. Neque enim si non ceperimus id munus, cuius præstandi potestas in alterius manu posita est, reprehensionem sustinebimus: sed si in his quæ agere præcipimur, parcamus, præmium laudis iustè adipiscimur: quomodo ergo omnimodis demonstratum est, non solùm nullius periculi, sed & plurimæ vtilitatis esse scrutari diuinas scripturas: quæramus illam euangelij parabolam, quæ est de patre & duobus filiis. Nam huius rei causa & de oue, & de muliere comparationes nobis contexto ordine supra recitatæ sunt. Quæritur ergo, quis iste sit senior frater, qui ex dimidio datam sibi paternæ substantiæ portionem custodiuit, & inseparabilem à patre suo vitam agere dilexit? Quis verò iunior, qui accepta similiter ex dimidio patris substantia peregrè profectus sit in longinquam regionem, & profligatis illic omnibus partis suæ facultatibus ad inopiam redactus, porcos alienos pascere coactus sit? Sed & qualitatem pœnitentiæ eius non omittamus, & ædificati patris promptam remissionem, modestámque pietatem, qui reuertenti filio & discessionis præteritæ leuitatem, & dissipatæ substantiæ flagitia non exprobrat, sed venientem clementer suscepit, & occurrens salutat, & gratulans osculatur, & incumbens requiescit super eum, & vitulum illi saginatum pro lætitia recepti filij epulandum immolat. In quo compunctus senior, dicit patri hæc, quæ per partes digesta expositione sensibus vestris plenius intimaui. Necessarium enim est ante Historia habetur. Luc. 15. Ioan. 14. Psal. 126. Nempe Luc. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnia percunctari causam, pro qua, & quid volens de propositis saluator ostendere huiusmodi parabolas ad Iudæos aptauerit. Si enim nobis causa talium comparationum patuerit, tunc & ea quæ de ipsis sentimus, an rationabiliter congruant veritati, facilè dignoscitur. Sunt itaque qui dicunt de duobus filiis istis, seniorem angelos esse, & archangelos, vel omnem cœli militiam: iuniorem verò, hominem ponunt, qui in longinquam peregrinationem abierat, quando in terram de cœlis & paradiso cecidit. Et aptant quasi cõsequentia, respicientes ad causam vel statum Adam. Sed hic sensus pius quidem videtur, nescio tamen si verus sit. Dicit aliquis, quare? quia junior filius prius ad pœnitentiam venit, sua sponte recordatus præteritæ abundantiæ & patris, sicut habet series lectionis: dominus autem veniens, ad pœnitentiam vocauit humanum genus, cùm sua sponte regredi, vnde ceciderat, non cogitaret. Deinde senior filius si chorus est angelorum cœlestium, sicut prædictum est, quomodo ex reditu & salute fratris sui in vituli immolatione tristatur, cùm in eodem euangelio suo dicat dominus læticiam esse in cœlo apud angelos super vno peccatore pœnitentiam agente? Discutientes ergo huius parabolæ rationem, non alium intellectum vituperamus, sed magis cum sensu illo id quod nos sentimus, vestro diiudicandum arbitrio conferimus. Iam enim causam exponimus, quam & domini sermo subiũgit de superiori causa, has parabolas introducens, sicut præfati sumus, singularum in his parabolis personarum memoriam facientes. Murmurabant Iudæi, & vrebantur inuidia, quòd à domino Iesu peccatores susciperi simul, & iam conuiuari, & publicanos libenter doctrinæ saluatoris intendere viderent. Ad hanc ergo horum insolentiam Iudæorum aspiciens dominus, reprehendebat eos. Incipit primam de pastore illo parabolam, vbi nonaginta & nouem ouibus derelictis, ad vnam quæ oberrauerat requirendam abiit: & subnectit huic aliam parabolam de drachma decima, quam perditam intra domum suam accensa lucerna mulier inuenit: Deinde hæc de filiis duobus parabola subsequitur secundum dispensationem, & prouidentiæ diuinæ ordinem, hãrum comparationum textum faciens. Nam quia ipse princeps & author salutis nostræ est, seductum hominem, & dolo diaboli perditum saluare cupiens, & ex perfecto restituere, hoc est, numero centesimo reddere, in quo perfectionis plenitudo numeratur, hinc initium comparationis facit. Subiungit autem & mulieris personam, arguens Iudæos: docens autem Ecclesiam, vt intelligãt has figuras parabolarum, in operibus domini saluatoris impleri, vt à præcepto dilapsum hominem quasi erraticam ouem diligens pastor inquirat. Quem hominem & drachma nominat propter monetam & regis similitudinem: figuraliter in drachma, quod pecuniæ genus est, hominem significans, quòd illi tãquam nummo imago & inscriptio regis cœlestis insculpta sit. Quærit ergo drachmam accensa lucerna mulier, & mundata domo inuenit: hoc est, homo illuminans verbo & misericordia Dei, gloriam naturæ suæ, in qua ad imaginem creatoris sui factus est, quam obscuratam peccatis domo cordis in tenebris erroris amiserat, emundatis sensibus reperit. Et gaudio gaudet, quòd omnem mundiciam interioris aulæ studiis disciplinæ spiritalis absterserit, & contractas animæ de rebus & curis sæcularibus sordes, orationibus & increpationibus expurgatas discusserit. Secundum prædicta consequenter annectit parabolam de duobus filiis: comparationẽ, vt mihi videtur, faciens non de Iudæis transgressoribus, neque de gentibus perditis, sed populi eius qui per pœnitentiam saluti redditur. Quem iuniorem filium nominat, hoc est his iuniorem, qui ab æuo superiori vsque ad saluatoris humanum aduentum, secundùm iustitiam legis viuentes, iusti videbantur. Ergo quòd ait, iuniorem & seniorem, non in ordinem temporis, sed in voluntatum qualitatem proponens ei qui non voluntariè, sed alieno dolo circunuentus erraret sicut ouis: hoc est, irrationabili animæ imprudentem hominem comparans, solicitudinem pastoris adhibet, vt quærat perditam, & reportet inuentam. Ei verò qui arbitrij libertate vtitur, vt recognoscat vnde ceciderat, pœnitentiæ & reuersionis vtilitatem accommodat. Vnde hæc inter parabolas suprà dictas ratio discretionis est secundùm personas, vel mentes peccantium, vt pater filium non requirat peregrinantem, sed recipiat pœnitentem: pastor verò ouem errantem, & non sapientem reuertens requirat, & humeris suis ferat. Videamus nunc, si consonent quæ significata sunt, ad hanc expositionem. Dicit scriptura diuidere patrem ex æquo filiis duobus substantiam suam. Et quam substantiam hic euangelicus pater diuidit filiis spiritalibus, nisi sapientiam & intellectum boni & mali, quæ veræ & perpetuæ sunt opes animæ bene vtenti? Dat autem his pater diuitias suas ex æquo. Non enim quisquam aut iustus, aut peccator nascitur, sed quæ ex Deo est in prima natiuitate hominibus substantia rationabilis æqualiter cunctis nascentibus. De subsequenti autem conuersatione vnusquisque plus aut minus huius substantiæ possidere inuenitur, dum in semetipsis per similitudinem voluntatem negligentes deserunt, diligenter naturalia custodiunt bona. Alius enim memor & intelligens domini creatoris, ea quæ à Deo patre sumpserit, ita vt sunt patris esse credens quasi paterna custodit: alius autem sua & ex se sibi esse existimans, sicut propriæ possessionis licentia dissipandis abutitur, & citò profligata facultate priuatur. Describitur autem in istis, & euidenter ostenditur libertas arbitrij, quam animæ rationali specialiter inseruit Deus. Vide enim, pater iste quo modo nec illum discedere volentem retineat, ne liberi arbitrij auferat potestatem: neque alium manere cupientem cogat abscedere, ne fortè sequentium malorum, quæ postea his suo vitio accedent, ipse potius auctor esse videatur, si illis libertatem propriæ voluntatis abseiderit: itaque & petenti dat, quia ex nobis, non ex Deo inopiæ & offensionis nostrę causa proficiscitur. *Accipiẽs autẽ partem suam iunior, peregrè*, inquit, *abiit longè*. Quòd autem longè, non locorum intercapedinem, sed declinationem mentis expressit. Qui enim obliuionem Dei ceperit, hic verè peregrinari à deo dicitur: sicut è contrà, conuersatio sęcularis non solùm peregrinum, sed alienum à Deo hominem facit. Et vt breuiter dicam, sicut peregrinantes à sæculo præsentamur ad dominum, sic & permanentes in rebus terrenis à cœlestibus exulamus. Denique & Cain exiit à facie domini, & longè efficitur: non quia & locus aliquis foris esset in conspectu Dei, sed quò sua mente diuisus exisset à domini conspectu, per homicidium separatus à Deo. Hac peregrinatione per magnam ignorantiam peregrinatos nos sciens beatissimus Paulus, dicit: Vos qui aliquando longè fuistis, nunc facti estis propè. In huiusmodi ergo profectus peregrinationem iunior filius ille absumit, & deuorata prædicta portionis suæ de paterna hæreditate substantia, vtique spiritalibus destitutus opibus, vel prudentia & intellectu, porcos pascere dicitur, hoc est sordidas & immundas in anima sua cogitationes nutrire, & edere escas irrationabiles prauæ conuersationis: dulces quidem

Luc. 15.

Luc. 15.

Ibid.

Luc. 15.

Ephes. 2.

quidem egenti bonorum, quia suaue peruersis videtur omne opus carneæ voluptatis, quod seductio desiderij & corruptio vitæ est, quæ virtutem & fortitudinem animæ non modò nullam præstat, sed totam penitus eneruat & premit: huiusmodi cibos quasi porcinos, & malè dulces, quòd sunt carnalium delectationum illecebræ, siliquarum nomine scriptura designat. Itaque ille digressus à patre in longinquam peregrinationem profectus, patitur in terra aliena consumptis facultatibus, quæ supra dicta sunt, omnia digna peruersis, & postea malorum suorum necessitate constrictus, hoc est, fame & egestate, pœnitet erroris sui, & sentit quid sibi ipse nocuerit, qui vitio voluntatis suæ se de patre ad alienos, de domo ad exiliũ, de opibus ad inopiam, de abundantia ad famem transtulit. Hæc in loco seruitutis & miseriæ reminiscens, incipit cogitare de reditu, & secum ipse reputans dicit: *Dicam patri meo, peccaui in cœlum, & in conspectu tuo, suscipe me sicut vnum de mercenariis tuis.* Ostẽdit scriptura hunc patrem non hominem intelligi debere, sed Deum: quando non solum cœlum nominat in confessione peccatorum pœnitens supplex, sed adiecit, in conspectu tuo: Deus enim est inspector omniũ solus, à quo nec in corde meditata peccata abscondi possunt. Scrutans, inquit, corda & renes Deus. Verùm nobis in hoc loco cœlum intelligatur & Dominus noster Iesus Christus, ad quem Gentiles, qui in tenebris infidelitatis blasphemauerant iam conuersi ad fidem, & confitentes veritatem Dei, in pœnitentia erroris sui iustè dicunt? Peccaui in cœlum, & in te. Qui enim in cœlum peccat, quod etsi supernum, tamen visibile elementum est: ipse est qui peccat in hominem, quem suscepit filius Dei pro salute nostra, proinde & in patrem Deum omnia speculantem peccat. His igitur cogitatis respipiscentem, & per confessionis humilitatem, & à regione longinqua remeantem filium ad se videns pater, lætatur, occurrit, amplectitur, & osculatur. Apertè hic charitas in homines diuina describitur. Quid enim est aliud quod occurrit, nisi quia nos peccatis impedientibus nostra virtute peruenire ad Deum nostrum non poteramus? Ipse autem potens ad inualidos peruenire descendit, sicut in Zachæo operibus ipsis significanter exprimitur. Qui cùm desiderasset videre dominum, & ob hoc in arborem ascendisset, perueniente domino conspicitur, & vocatur: & illico in domo eius ad conuiuandum ipse declinaturum se esse promittit. Vides quia crediturі fidem præuidens Christus latentem in arbore, quasi peccatorum tenebris obumbratum, solicito vt ouem perditam requirit aspectu, & venire cunctantem vocat, & venientem tanquam humeris suscipit: & non audentis inuitare dominum, desiderãti tamen salutiferam benedictionem peccatoris domum ingreditur, conuiuióque participat, ostendens visibili gratia inuisibilem sanctificationem: quia Dei sapientia familiariter corredentis ingreditur, credentíque participat sacramenta. Ergo occurrens pater filio reuertenti, superfunditur collo eius, & in eum lachrymans requiescit. Osculatur autem os eius, quod emissa de corde confessio pœnitentis exierat, quam pater lætus excepit. Deinde mox iubet ei stolam illam primam proferri, vel pristinam gloriam, quam ex seductione diaboli nudatus amiserat: reddi simul & annulum, siue signaculum salutaris symboli, seu magis dispensationis insigne, & nuptiarum pignus illarum, quibus Christus Ecclesiam spõsat, cùm omnis anima respipiscens per annulum fidei iungitur Christo. Mandat & calceamenta pedibus apponi, aut propter communienda vestigia, ad corrigẽdam viam, vt per lubricum mundi istius iter fixum incedat, aut exclusо in euangelicis calceamentis carneæ contagionis luto, mundos pedes immaculata conuersatione cõseruet & dirigat, aut propter mortificationem membrorum. Vitæ enim nostræ cursus in scripturis pes appellatur, & mortificationis species in calceamentis ponitur, quia de animalium mortuorum pellibus conficiuntur. Addit & vitulum saginatum iugulandum in conuiuij exhibitione: sine dubio dominum nostrum Iesum Christum, quem dedit pater in victimam pro salute nostra. Quem vitulum nominat, propter hostiam corporis immaculati. Saginatũ autem verè dixit, quia pinguis & opimus intantum est, vt pro totius mundi salute sufficiens sit ad odorem suauitatis, & nidorem immolationis ad Deum mittere, & pro omnibus exorare. Propter quod etiam mystica ratione dictum est patrem dare aliis immolandum hunc vitulum, ipsum verò gaudere & epulari in victima vituli Dei. Sic enim, inquit, dilexit hunc mundum, vt filium suum vnicum pro salute eius daret. Non ergo ipse immolauit, sed aliis immolandum tradidit. Permittente enim patre consentiens filius, ab hominibus crucifixus est. Ipse autem pater, qui fide nostra pascitur, & filij pro nobis sui immolatione lætatur, gaudet in reditu filij, & conuiuatur in vitulo: quia misericordiæ suæ fructum immolatione filij sui gaudens creator acquisitione populi credentis epulatur. Videns ergo hanc lęticiam patris senior filius, contristatur. Huius persona illis operariis comparanda adscribitur: qui similiter in euangelio post operationem vineæ ad dominum murmurauerunt, quòd illis tota die in operibus labore confectis, illum qui ad duodecimã horam venerat, precio mercedis æquasset. Ad quos dicit ipse conductor omnium: Si ego bonus sum, quid tu malus es? Qui autem hi sunt ad duodecimam horam venientes? qui ex Gentibus saluantur. Ioannes apertè clamat: Filij, nouissima hora est: Nil autem differt, vtrum duodecima an nouissima hora dicatur. Qui sunt ergo hi qui murmurant, qui laborem & æstum tota die portauerunt, nisi qui iustitias legis egerunt, & seruitutis antiquæ pensum reddiderunt? Vide autem quàm apta sunt verba, quæ à patre dicuntur, vt ab his qui in lege vixerunt, dicta videantur. Quid enim est quod dicit de agro veniens, nisi significans de legis operibus venientem, & in his gloriantem, & quasi diuturnos labores imputantem? Vnde ait: *Mandatum tuum nunquam præteriui, & non dedisti nec hædum pro me, vt epularer*, hoc est, nec peccatorem pro nostra requie tradidisti. Qui enim, inquit, fecerit quæ legis sunt, viuet in eis: qui autem non fecerit, punietur ex ipsis. Pro isto autem qui fornicatus est, & saginatum, inquit, illum vitulum dedisti, vel filium tuum dilectum: sicut suum diximus. Sed quid ei respondet pater? *Tu semper mecum es, oportet autem pro isto gratulari qui perierat, & inuentus est: mortuus fuerat, & reuixit.* Ostendens & in hoc verbo manifestè hominem, qui peccando vitam exciderit, & obnoxius morti factus fuerit, ex reuersione saluari, per pœnitentiam in adoptionem filij redire. Bonum autem hominem, qui permanserit in bono, hæreditatem paternam iugiter possidere. Itaque si peccaueris ô homo, festina laborando reconciliari domino, vt ex mercede sudoris recipias, ex quo Dei gratia donatum tibi perdidisti. Fiet autem magis permanentes vos in fide cohæredes esse domino Iesu Christo, quia ipse est gloria, & virtus in Patre & Spiritu sancto, per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

Luc. 19.

Mat. 20.

1. Ioan. 2.

Deut. 4. & 5.

Rom. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In euangelium secundum Lucam de diuite, homilia.

INCERTO INTERPRETE.

Luc.16. Matt.6.

HOMO *quidam erat dives.* Quoniam dixerat: Nemo seruus potest duobus dominis seruire. Non potestis Deo seruire & mammonæ. Et reprehensus fuerat à Pharisæis, qui auari erant: propterea ponit exemplũ, imò in exemplum parabolæ veritatem. Neque enim in parabola dicenda nomina sunt. Parabolæ illæ sunt, vbi exemplum ponitur, & tacentur nomina. Vbi autem dicitur, Abraham, & prophetæ, & Lazarus, & Moses, hîc verus Lazarus. Si verus est Abraham, verus est Lazarus. Abraham qui fuerit, legimus: Lazarum autem non legimus. Sed qui fecit Lazarum, ipse fecit & Abraham: si verum dicit Abraham, verum intelligimus & Lazarum. Neque enim vmbra corporis & mendacium potest congruere veritati. Homo quidam erat B dives. Vide misericordiam Dei. Lazarus pauper, quoniam sanctus erat, nominatur: iste verò dives, & superbus, nec nomine quidẽ dignus habitus est. Homo quidam erat dives. Propterea dicit, Quidam: quia quasi vmbra præteriit. *Homo quidam erat dives, & induebatur purpura & byssõ.* Cinis, & puluis, & terra, purpuram & sericum portabat. *Et induebatur purpura & byssõ, & epulabatur quotidie splendidè.* Secundum vestimenta, ita & epulæ. Ergo & nobis quales epulę, talia & vestimenta. *Et erat mendicus nomine Lazarus.* Lazarus interpretatur qui adiutus est: non est adiutor, sed adiutus. Pauper enim erat, & in paupertate illum Dominus adiuuabat. *Qui iacebat ad ianuã eius vlceribus plenus.* Dives iste purpuratus, & splendidus non accusatur quòd auarus fuerit, non quia res alienas tulerit, non quia adulter fuerit, nõ quia aliquid mali fecerit: sola in illo condemnatur superbia. Infœliciſſime hominum, mortem corporis tui vides iacere ante ianuam, & non misereris? Si Dei præcepta nõ C consideras, saltem miserere conditioni tuæ, & time ne & ipse talis efficiaris. Quid seruas in deliciis tuis quod superfluum est? quod iactas, tribue in eleemosynam: nõ dico vt auferas diuitiis tuis quod iactas foras, micas mensæ tuæ præbe in eleemosynam membro tuo. *Qui iacebat ad ianuam eius.* Ideo iacebat ad ianuam, vt crudelitatem diuitis in suo corpore demonstraret: ideo iacebat ad ianuam, ne dives diceret: non vidi, in angulo fuit, aspicere non potui, nemo mihi nunciabat: iacebat ante ianuam, videbat illum & exiens, & reuertens. Eo tempore quãdo te greges seruorũ, & clientum prosequebantur, ille iacebat in vlceribus. Si oculi tui putridas carnes aspicere non dignantur, saltem aures vocem audiant. *Qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus.* Non habebat vnum vlcus, totum corpus vlcera erãt, vt magnitudo pœnarũ faceret magnitudinem misericordiæ. *Qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadunt de mensa diuitis.* Ægrotatio habet aliquod solatium, si opus habet: sin autem ad infirmitatis magnitudinem est paupertas, duplex infirmitas. Ægrotatio semper delicata est, & indelicatas res accipere non potest, quas fastidit. Quãta verò in isto pœna est, & inter tanta vulnera non meminit dolores plagarum, sed famis, cupiens saturari de micis, quæ cadunt de mensa diuitis, quodammodo dicens ad diuitem: Sufficiunt mihi micæ mensæ tuæ. Quod proiicis de mensa, præbe eleemosynam: fac de damno lucrum. *Sed & canes veniebant & lingebant vlcera eius:* quæ nullus hominum lauare dignabatur, & tractare, feræ mites lambunt. *Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & dives,* A *& sepultus est in infernum, eleuans oculos.* Audiuimus quid vtrique in terra passi sunt, videamus quid vtriq; ceciderit: eorum patiantur apud inferos. Quod temporale fuit, præteriit: quod sequitur, æternum est, Vtrique mortui sunt, illum angeli, istum pœna suscipiunt: ille portabatur in humeris angelorum, iste fertur ad pœnas: illum Abraham læto sinu excepit, istum tartarus vorat. Et portaretur ab angelis. Tantæ pœnæ repentè deliciis commutantur. Et portaretur ab angelis, & adduceretur, ne saltem ambulans laboraret. Portabatur post tantos labores, quia defecerat, & portabatur ab angelis. Non sufficerat ad portandum pauperi vnus angelus, sed propterea plures veniunt, vt chorum lætitiæ faciant. Et portaretur ab angelis. Gaudet vnusquisque angelorũ tantum onus tangere, libenter talibus oneribus prægrauantur, vt adducant homines ad regna cœlorum. Et ductus est, & portatus est in sinum Abrahæ: non iuxta Abraham, sed in sinum Abrahæ, vt illum palparet, vt illum refocillaret, vt illum quasi clementissimus pater teneret in sinu suo, & refocillaret. Mortuus est autem & dives, & sepultus est. Reuersa est terra in terram suã. Et in inferno eleuans oculos. Lazarus enim sursum erat, ille deorsum. Eleuauit oculos, vt illum suspiceret, non vt despiceret. Eleuans oculos suos, cum esset in tormentis totus. In tormentis erat, oculos solos liberos habebat, vt alterius lætitiam posset aspicere. Propterea dimittuntur oculi liberi, vt magis torqueatur: quia nõ habebat, quod alius habuit. Aliorum diuitiæ, eorum qui in paupertate sunt, tormenta sunt. *Eleuans oculos suos, cùm esset in tormentis.* Illum plures angeli portant, istum tormenta possident. Cùm esset in tormentis. Non dixit, in tormento: sed, in tormentis. Diuitiæ & auaritia talia præmia suscipiunt. Videbat Abraham à longè, & respiciebat, vt tantummodo torqueretur. Et Lazarum in sinu eius. Paradisus pauperis, sinus erat Abrahæ. Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius. Dicat mihi aliquis, In inferno C est paradisus? Ego hoc dico, quia sinus Abrahæ paradisi veritas est: sed & sanctissimum paradisum fateor. Et ipse clamans dixit: (Magnæ enim pœnæ, magnam vocem reddebant.) *Pater Abraham miserere mei.* Pater Abraham, licet me tormenta possideant, tamen patrem voco. Quomodo ille filius, qui perdiderat vniuersam Luc.15. substantiam, patrem vocat: sic & ego, licet in pœnis sim, te patrem voco. Patrem te voco natura, licet meo vitio te patrem perdiderim. Miserere mei. In infer- Psal.6. no autem quis confitebitur tibi. Frustrà agis pœnitentiam in loco, vbi non est pœnitentiæ locus. Tormenta te cogunt agere pœnitentiam, non mentis affectus. Miserere mei. Sanctus quidem est Abraham, sanctus est, & beatus est, & omnes in illius sinum ire festinamus: verùm quicunque in inferno est, & in regno cœlorum est, nescio an valeat misereri. Creator creaturæ miseretur suæ: vnus venit medicus, qui sanaret mortuos: nam alij sanare non potuerunt. *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam.* Mitte Lazarum. Erras miser. Abraham mittere non potest, sed suscipere potest. Vt intingat extremum digiti sui in aquam. Recordare dies vitæ tuæ: Lazarum videre non dignabaris, & nunc digitum eius desideras. Mitte Lazarum. Hoc tu ei debueras facere, dum adiuueret, Vt intingat extremum digiti sui in aquam. Vide conscientiam peccatoris, non totum audet poscere digitum. Vt refrigeret linguam meam, multa enim superba locuta est. Vbi peccatum, ibi & pœna *Vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Quanta mala lingua habet, Iacobus in epistola sua lo- Iacob.3. quitur: Modicum quidem membrum est, sed magna exaltat. Qua plurimum peccauit, amplius torquetur,

quetur. Aquam desideras, qui delicatos cibos antè fastidiebas. *Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona tua in vita tua.* Vide quid dicat, bona tua: cæterùm bona non sunt. Quæ putabas bona, recepisti: non potes & in terra regnasse, & hîc regnare. Diuitiæ non possunt esse in terra, & in Inferno. *Et Lazarus similiter mala.* Si quando ægrotamus, si pauperes sumus, si ægrotatione conficimur, si frigore, si hospitium non habemus, lætemur, gaudeamus, accipiamus mala in vita nostra. Quãdo nos infirmitas, & ægrotationis magnitudo premit, Lazaũr cogitemus. *Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est.* Dissolui non potest, nõ potest agitari & concuti. Videre possumus, trãsire non possumus. Et nos videmus quid fugerimus, & vos videtis quid perdideritis. Et nostra gaudia cumulant vestra tormenta, & vestra tormenta cumulant nostra gaudia. Et ait illi: *Rogo ergo te pater.* Adhuc miserabilis patrem vocat. Rogo ergo te pater. Antè rogasses eum, qui verus erat pater noster. Noueras patrem, qui despiciebas fratrem. B *Vt mittas eum in domum patris mei.* Vide peruersitatem, nec in ipsis pœnis continet veritatem. Vides enim quid dicat? Rogo ergo te pater. Ergo pater est Abraham: & quomodo dicis, mitte eum in domum patris mei? Non oblitus es patris tui? non es oblitus, quia pater ille te perdidit? Quomodo illum habuisti patrem, propterea habes quinque fratres. Quinque fratres habes, visum habes, odoratum habes, saporem habes, auditum habes, tactum habes. His fratribus tu antè seruisti: istos habebas fratres, quando illos amabas fratres. Lazarum fratrem amare non poteras. Rectè non amasti Lazarum fratrem, quia illos amabas fratres, illi fratres non amant paupertatem. Frater tuus erat oculus, frater tuus erat auris, frater tuus erat odoratus, frater tuus erat sapor, frater tuus erat tactus. Hi fratres tui amabant diuitias, non poterant videre paupertatem. *Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis.* Illi te fratres in hæc tormenta miserunt, illi fratres sal- C uari non possunt, nisi moriantur. *Ne & ipsi veniant in locum hunc tormentorum.* Quid saluare vis illos fratres, qui non amant paupertatem? Necesse est, vt fratres habitent cum fratre suo. *Et ait illi: Habent Mosem & prophetas, audiant illos.* Quid quæris vt vadat Lazarus? Habent Mosem & prophetas. Et Moses & prophetæ abierunt in speluncis suis, & in antris, & in caprinis pellibus: & illi erant pauperes sicut Lazarus: & illi erant in calamitatibus, & illi sustinebant famem. Quid quæris vt mittam Lazarum? habent ibi Mosem Lazarum, habent ibi prophetas Lazarum: & Moses Lazarus fuit, pauper fuit, nudus fuit. Meliores diuitias esse arbitratus est paupertatem Christi, quàm diuitias Pharaonis. Habent & prophetas, habent Hieremiam, qui in locum luti mittitur, & pane tribulationis vescebatur. *Habent omnes prophetas, illos audiant.* Illi quotidie, hoc est Moses, & prophetæ contra quinque fratres tuos prædicant, illi eos doceant, illi D eos instituant, illi vocent oculum. Et quid ei dicant, 1.Ioan.1. ne videas carnaliter, sed vide spiritualiter, Quod vidimus, inquit, quod audiuimus, quod manus nostræ palpauerunt de sermone Dei. Ille docet etiam aures, ille docet etiam odoratum, ille docet etiam saporem, omnes prophetæ, omnes sancti istos fratres docent. *Et dixit illi: Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.* Dum nescimus, hîc dogma monstratur: aliud quidem dicitur, sed significatur aliud. Scit fratres istos non posse saluari, nisi aliquis ab inferis resurrexerit. Denique Iudæi, qui tantum Mosem audiunt, & prophetas, & nemo eis resurrexit ab inferis: propterea fratres istos saluator noster habet.

A Sed si quis ab inferis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Si quis ierit ab inferis, nescio quis iturus sit. Non enim mereor in pœnis constitutus eum nosse, qui resurrecturus est: sed hoc scio, quia quicunque resurrexerit à mortuis, & prædicauerit, ille poterit istos fratres saluos facere. Ille saluauit aures, ille enim dicit: Qui habet aures audiendi, audiat. Ille saluauit o- Luc.8.& culos, ille enim dicit: Lucerna corporis tui est ocu- Apo.1. lus tuus. Ex illius ore Apostolus loquitur: Christi bo- Matt.6. nus odor sumus Deo. Ex illius ore loquitur & Psalmi- 2.Cor.2. sta dicens: Gustate & videte, quoniam suauis est do- Psal.33. minus. Ille saluauit & tactum. Quodammodo de istis 1.Ioan.1. omnibus fratribus Ioannes loquitur: Quod vidimus, inquit, quod audiuimus, quod manus nostræ palpauerunt. Istos fratres resurrectio saluauit domini. Denique isti fratres, & in nobis erant antequam Christus nobis resurgeret. Oculus meus videbat malè, ducebat me post vestigia meretricis. Simpliciter videre non poteram alterius pulchritudinem, erat enim flamma mea mihi. Aures antea pœnæ erant. Delectabar enim canticis, & turpia verba libenter audiebam. Odoribus delectabar, non quidem bonis, sed malis: quia interficiebant animam meam. Gulæ meæ non poterant nec terra nec maria sufficere. Gulæ meæ omnia seruorum ministeria parebant. Tactus meus me ducebat in captiuitatem, mulierum complexibus delectabar. Videtis quomodo isti fratres antequam Christus resurgeret, me ducebant in mortem: ille mortuus est, & ego vixi: ille mortuus est, & isti fratres surrexerunt: imò propterea mortui sunt, vt viuerent: mortui sunt carne, vt viuerent spiritu. Nunc oculus meus Christum videt, nunc auris mea Christum solum audit, nunc sapor illum gustat, odoratus illum odoratur, tactus meus illum amplectitur. Ait autem illi: *Si Mosem & prophetas non audiunt.* Videte quo modo sermo domini animam erudiat dogmate. Nec ex eo quod C dixeramus non posse saluari fratres istos, nisi aliquis à mortuis resurrexerit, locum dederamus Marcioni, & Manichæo, qui destruunt vetus testamentum. Illi enim cùm dicunt non posse saluari animam, nisi tantum per euangelium, vetus destruunt testamentum. Abraham verò nunquid eum destruit, qui resurrecturus est? Non enim dicit, audiant Mosem, & prophetas. Quid spectas eum, qui resurrecturus est? Si enim hoc dixisset, destruxisset euangelium. Sed quid dicit? Mosem, & prophetas non audiunt: neque si quis ex Ioan.5. mortuis resurrexerit, credent. Si enim crederetis Mosi, crederetis & mihi, ille enim de me scripsit. Vide ergo quid dicat Abraham. Bene quidem facis eum expectare qui resurrecturus est. Sed & Moses, & prophetæ hoc ipsum prædicant, quòd ille quidem resurrecturus est. Sed in illis Christus loquitur, si illos audias, & illum auditurus es. Multa sunt, quæ dicuntur, & psalmus mysticus fuit, qui lectus est, hoc est centesi- Psal.103. mus tertius, & maximè illud: Draco iste, quem formasti ad illudendum ei. Et illud quod scriptum est: Herodij domus dux est eorum. Omnia plena sunt sacramentis, & non dico vna hora, sed dies vix sufficiet ad interpretationem. Quoniam autem iam ingreditur quadragesima, si illud tempus fuerit, & dominus dederit occasionem, & illius loci conabimur sacramenta disserere. Nunc sufficit vobis audire de Lazaro, imò Lazarum fuisse & diuitem: & diuitis non tormenta deterreant, sed pauperis exempla prouocent. Anima Christiana, anima monachi, anima eius, qui nudus nudum Christum sequitur: quando aliquem diuitem viderit, quando sibi applaudit in diuitiis, & in pompa illum diuitem cogitat, consideret vocem, & cla-

Universidad de Deusto Biblioteca

morem diuitis, & Lazari digitum postulantem. Simúlque considerate, quod penè obliti fueramus dicere. Dicat enim aliquis, & dogma peruersum inferat: Hoc quod videtur, ante iudicium videtur, an post iudicium? Dicat aliquis post iudicium. Nam ideo & in pœna est alius, alius in refrigerio. Et quomodo dicitur, habent Mosem & prophetas? Si autem ipse Christus docet, & qui loquitur ipse est, & ante resurrectionem docet, & secundum interpretationem nostram, resurrectio Christi postulatur: ergo ante resurrectionem est, & dicat aliquis, ergo & ante iudicium. Do vobis aliquod exemplum, vt exemplis possimus cognoscere veritatem. Finge aliquem in latrocinio deprehensum esse, hunc missum esse in carcere tenebroso, hunc missum esse in neruo, & tormentis expectantē quidem sententiam, sed & non esse ibi sine pœna. Nam ex ipso loco intelligit quid passurus sit: licet enim necdum susceperit pœnam capitalem, licet necdum venerit dies iudicij, tamen de carcere, de tenebris, de squalore, de fame, de stridoribus catenarum, de gemitu compeditorum, de lachrymis eorum qui cum eo sunt, intelligit in quali pœna sit futurus. Si enim tanta pœnarum præmia sunt, quid futurum erit inter ipsa supplicia? Si necdum venit ad iudicium, & necdum pœna perfecta est, & desiderat aquam frigidam, quid in iudicio passurus est? Simúlque considerandum, quòd Abraham apud inferos erat: necdum enim Christus resurrexerat, qui illum in paradisum duceret. Antequam Christus moreretur, nemo in paradisum conscenderat, nisi latro. Rhomphæa illa flammea, & vertigo illa claudebat paradisum. Non poterat aliquis intrare in paradisum, quem Christus clauserat: latro primus cum Christo intrauit. Magnitudo enim fidei, meruit magnitudinem prĕmiorum. Non enim credidit in regno videns Christum, non illum vidit fulgentem, non illum vidit de cœlo respicientem, non vidit ei ministrantes angelos. Certè vt liberè dicam, non vidit liberè ambulantem, sed vidit eum in cruce, vidit illum bibentem acetum, vidit eum sentibus coronatum, vidit eum confixum ad crucem, vi-
Psal. 21. dit eum precantem auxilium: Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? & sic credidit. O conditio varia! & casum hominum apostoli secuti fuerant, & fugiunt: iste in cruce dominum confite-
Matt. 26. tur. O Petre, ô Ioannes, qui dixeras: Et si me necesse est mori, nunquam te negabo. Promittis & non facis. Ecce alius damnatus in homicidium, quod non promiserat, facit. Exclusus de loco es tuo, exclusit te latro. Ipse primus ingreditur cum Christo in paradisum. Ex latere diximus de latrone, neque enim obliti sumus propositi: proposueramus enim de paradiso dicere, quòd ante aduentum Christi nemo fuerit in paradiso. Reuertamur ergo ad propositum. Latronis corona non nos errare faciat, sed prouocet ad coronam. Abraham necdum erat in paradiso, quia necdum Christus intrauerat cum latrone. Venit Christus, &
Mat. 11. passus est, & multa corpora sanctorum resurrexerunt, & visa sunt in sancta ciuitate. Crux Christi clauis paradisi est, crux Christi aperuit paradisum. Nónne nobis dixit, quod regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud? Qui in cruce est, non vim facit, nihil medium est. Et crux, & statim paradisus, sed magnitudo pœnarum facit magnitudinem præmiorum. Hæc interim diximus: deprecemur dominum, vt latronem & istum Lazarum pauperem imitari possimus. Si persecutio venerit, imitemur latronem: si pax fuerit, imitemur Lazarum: si martyrium fecerimus, statim intrabimus paradisum: si paupertatis pœnam sustinuerimus, statim in sinum Abrahæ. Habet & sanguis, habet & pax loca sua, habet & paupertas martyrium suum, & egestas bene tolerata facit martyriū, sed egestas propter Christum, non propter necessitatem. Cęterùm quāti pauperes sunt, & diuites esse desiderant, & scelera faciunt? Non ergò paupertas simplex beatum facit, sed paupertas propter Christum: fides fa-
Matt. 13. mem non timet. Qui Christū amat, non timet famem: qui Christum habet, omnes secum diuitias habet. Negociator quidam sapientissimus vendidit vniuersam substantiam suam, & cæteras margaritas, & emit sibi vnam preciosissimam margaritam: habuerat quidem margaritas, & pulcherrimæ erant & præciosæ. Mosem habebat, Esaiam habebat, Hieremiam habebat, & sanctos prophetas, sed hæc ad comparationem Christi duxit pro stercore. Vnde & dicit Apostolus: Quæ, inquit,
Phili. 3. erant mihi pro lucro, hæc æstimaui pro stercore, vt Christum lucrifacerem. hoc est, vt margaritam vnam emerem. Vnde & in alio propheta: State in viis, & quæ-
Hier. 6. rite viam: quasi diceret, emite margaritas, & per margaritas vnam emite margaritam. State in viis, & quærite viam. Non dixit, dimittite vias: sed, state in illis viis, & quærite viam, Christum, cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Eiusdem homilia post Calendas de iis qui eius diei postridie inebriantur, déque iis qui commeant ad cauponas, ac popinas, quíque choreas ducunt, per ciuitatem: præterea quòd non oporteat præceptorem desperare de discipulis, etiamsi non protinus obtemperant: postremò de Lazaro mendico, ac diuite, Des. Eras. Roterodamo interprete.

In hac editione Parisiensi 1587. *ad Græci codicis nuper Oxonij tum primum typis excusi fidem aucta & emēdata, cum aliis tribus sequentibus.*

Satanæ festum voluptatibus dicatum. HESTERNVM diem, quum esset festum satanæ, fecistis festum spiritus, quia multo cum animi studio recepistis ea quæ à nobis dicebantur, maximámque diei partem in eo consumpsistis, ebrij temulentia quadam sobrietatis plena, cúmque Paulo ducētes choreas. Qua quidem ex re nobis geminū accreuit lucrum, primùm quòd ab indecora temulētorum saltatione abstinuistis, deinde quod spiritalibus saltastis tripudiis, quibus plurimum adest decoris ac modestiæ. Ad hęc quòd
Sobria ebrietas. crateris participes fuistis, non mero, sed spiritali doctrina redundantis: neque saltastis ad tibiæ citharæq; modos, sed ipsi tibia citharaq; fuistis Spiritui sancto: quūque cæteri choros ducerent diabolo, vos eò quòd hoc in loco versabamini, præbuistis vos ipsos organa vasáque spiritui: exhibuistísque animas vestras ceu musica
Musica piorum. instrumēta, quæ Spiritus sanctus pulsaret mouerétque, præbuistis corda vestra velut organa, quibus gratiam suam inspiraret. Vnde modulatum concētum reddidistis, non solùm homines demulcentem, verumetiam supernas virtutes delectantem. Agè itaque & hodie, aduersus ebrietatem armemus linguā, istámq; vitam madidam ac dissolutam prosternamus: vituperemus istos
Mali non infamandi, sed corrigendi. qui in ea totis diebus versantur, non vt illos pudefaciamus, sed vt eos à pudendis liberemus: non vt illos probris afficiamus, sed vt eos corrigamus: non vt illos traducamus, sed vt ab infami traductione, & à diaboli, hoc est traductoris manibus eripiantur. Quisquis enim in temulentia totos agit dies, quisquis in deliciis & ingurgitatione, sub diaboli tyrannidem redactus est. Atque vtinam oratio nostra profectus aliquid adferat. Quòd si post nostram etiam admonitionem in iisdem

dem vitiis perseuerauerint, ne sic quidem nos desistemus † apud vos quod rectum est consulere, quādoquidem & aquarum venæ etiamsi nullus veniat aquatum,
Gr. πρὸς αὐτοὺς, illis. Similia pulchra. manant tamē: & fontes quamuis hauriat nemo, tamen scatebras emittunt: & amnes etiamsi nemo bibat, nihilo secius fluunt: sic oportet & illum qui concionatur, quamuis nullus auscultet, tamen præstare quicquid in ipso situm est. Siquidem hæc lex nobis qui sacri sermonis administrationem suscepimus, à benigno præ-
Verbi minister nūquam cessare debet ab officio. scripta est Deo, ne vnquam quod quidem in nobis fuerit facere, defatigemur: nec vllo tempore sileamus, siue sit qui auscultet, siue sit qui prætercurrat negligens quod dicitur. Nam & Hieremias cum Iudæis multa minitans, malaque imminentia prædicens, ab audientibus subsannaretur, totóque die rideretur, cogitabat ab illa prophetia desistere, nimirum humano quodam affectu victus, sannas illas & conuicia perpeti non va-
Hier. 20. lens, aítque: Factus sum ridiculus toto die, dixi: Non loquar, neque nominabo nomen Domini, & factus est in me velut ignis ardens, atque ęstuans, in ossibus meis, ac dissoluor, nec possum ferre. Quod autem dicit, hunc habet sensum: Volebam, inquit, à prædictione desistere, propterea quod non auscultabant Iudęi: & simul atque hoc cogitassem, irruit in animam meam spiritus vis, velut ignis, omniáque intima mea succendit, consumens insuper, & exedens ossa mea, adeò vt incendium illud ferre non possem. Quòd si propheta qui quotidie ludibrio habebatur, quotidie conuiciis incessabatur, sic discruciatus est, eò quòd statuerat silere: qua tandem nos venia digni censebimur, si qui nondum tale quicquam perpessi sumus, tamen ob quorundam negligentiam deiiciamus animum, & ab exhibenda illis doctrina cessemus, maximè verò cùm tam multi sint, qui se præbent attentos? Non hæc loquor mei
ἢ τι παρακαλῶν, cohortandine. consolandi * deliniendíque gratia. Nam meo quidem ipsius animo persuasi quoad spirauero, & donec Domino visum fuerit nos in præsenti vita versari, hoc implere ministerium, siue quis attendat, siue non attendat, vt faciat ea quæ præcipiuntur. Verùm quoniam sunt nonnulli, qui multorum manus dissoluunt, neque contenti quod ipsi nihil vtilitatis adferunt vitæ nostræ, etiam aliorum studium ac feruorem refrigerant sannis ac dicteriis dum aiunt, Desine bene consulere, desiste monere. Nolunt tibi auscultare. Ne quid sit tibi cum illis commercij. Quoniam ergo sunt quidam ista loquentes, inhumanam hanc sententiam, insidiásque diabolicas excutere volens è multorum animis, pluribus hac de re dissero. Siquidem & heri noui multos qui talia verba protulerint, qui quum conspicerent aliquos in caupona detriuisse tempus, cum risu sannísque dicebant: Scilicet omnino persuasi sunt. Nemo prorsus cauponam ingressus est. Omnes sobrij sunt redditi. Quid ais homo? videlicet istuc polliciti sumus, nos vno die omnes illos reti capturos? Nam si decem modò persuasi fuerint, si quinque tantùm, si vnus: nónne nobis hoc sufficit ad consolationem? Ego verò dicam quiddam hoc etiam vehementius. Pone nemi-
Verbum semper in aliquo fructificat. nem nostris dictis fuisse persuasum. Quanquam id fieri nunquam potest, nimirum vt sermo in tam multas aureis disseminatus, vacet omni fructu. Veruntamen pone istuc esse, ne sic quidem nobis nihil adferet lucri sermo noster. Nam etiamsi nonnulli ingressi sunt cau-
Gradus ad virtutem est, minus impudenter peccare. ponam, non tamen cum pari qua solent impudentia sunt ingressi, sed ad ipsam etiam mensam crebrò nostrorum verborum recordati sunt, subiit illis nostra reprehensio, rediit in memoriam nostra obiurgatio, ac recordantes rubore suffusi sunt, erubuerunt tacita cogitatione, nec simili impudentia fecerunt ea quæ solebant. Hoc autec initium est salutis, optimæque mutationis, si quem penitus sui pudeat, si quis prorsus damnet ea quæ fiunt. Quin ex hoc insuper & aliud nobis lucrū non minus nascitur. Quódnā hoc? Nimirū illud, quod eos qui sobrietatem amplectuntur, reddimus modestiores ma-
Reprehēsionis sermo bonos reddit meliores. gísque compositos, dum ex oratione nostra declaratur, quòd optimis ducantur consiliis, qui non abducuntur exemplo multitudinis. Non erexi quidē ęgrotantes, at-
Nō desperandum de malis. tamen eos qui valent, reddidi firmiores. Non abduxit à vitio sermo noster, sed tamen eos qui cum virtute vitam agunt, reddidit attentiores. Super hæc quoque quiddam addam tertium. Hodie non persuasi, sed cras persuadere potero. Quòd si minus cras, attamen perendie, aut quarto ab hinc die fortassis persuasero. Qui hodie quod audiuit repulit, cras fortassis audiet ac recipiet. Tum qui hodierno crastinóq; die contempsit, fortassis post dies complures præbebit animum iis quæ dicentur. Quandoquidem & illud crebrò fit, vt
Simile à piscatore. piscator qui per totum diem vacuum attraxit rete, sub noctem iam abire parans, capto, qui ipsum per totum * fefellerat diē, pisce, discedat. Quòd si ideo victuri su-
διαφυγόντα, fugerat. mus in otio, & ab omnibus actionibus videbitur abstinendum, eò quòd semper euenit, vt alicubi frustremur optatis, vniuersa nobis perierit vita: nec spiritalia modò, verùm etiam illa quæ ad vitæ præsentis vsum pertinent, simul interierint omnia. Etenim si a-
Simile ab agricolis. gricola protinus ab agricolatione resiliat, quod semel atque iterum aut sæpius acciderit aëris inæqualitas, breui fame periremus omnes. Item si nauclerus, ob se-
A nauclero. mel atque iterum, aut sæpius obortam tempestatem fugiat mare, futurum est, vt nemo vehatur pelago, atque hinc rursum peribunt nobis omnia vitæ commoda. Quòd si per singulas artes percurrens, ista quæ nos facere vis, suadeas, moneásque, cuncta funditus interibunt, terráque carebit ædificiis ac domiciliis. Itaque cùm hæc omnia sciant, etiamsi semel atque iterum aut sæpius frustrati fuerint optato negociorum in quibus versantur exitu: denuò pari cum alacritate redeunt ad eadem. Nam & ruricola, vbi semel atque iterum ac sæpius semen aruo commisit, nec votis respondet prouentus, rursus eandem exercet segetem, neque rarò fit, vt totius temporis iacturam vno sarciat anno. Sic & negociator quanquam crebrò fecit nau-
A negociatore. fragium, non tamē abstinet à portu, sed & posteaquam nauim detraxit, & nautas cōduxit, & pecuniis mutuò * datis, eadem aggreditur negocia, ídque quum nihi-
acceptis, δανεισάμενος. lo magis nunc sciat quomodo cessurum sit, quam sciebat antea. Denique quicunque solent aggredi rē quancunque, ita facere consueuerunt, quemadmodū faciūt agricolator ac negociator. Et post hæc quum illi tantā adhibeant curam studiúmque circa res ad præsentis vsum vitæ pertinentes, licèt exitus sit incertus: nos si loquentes nō auditi fuerimus, illico desinemus? Et quam obtinebimus veniam? Quid excusationis adferemus? Et tamen illis, si non successerit, nullus est, qui damnum acceptum leniat. Veluti si mare nauim fluctibus obruerit, nemo medebitur inopiæ naufragi. Si vis imbrium effusa in aruum præfocarit sementem, cogitur agricola vacuis manibus abire domum: Nostra verò quum loquimur aut exhortamur, non est eadem cōditio. Immo
Ministro verbi, etiā si pereat opera, nō tamen perit merces. si semen per te iactum auditor non receperit, nec obedientiæ fructum retulerit, tu tamen communicati cōsilij mercedem fers à Deo, nec minus accipies præmij non auditus, quàm accepturus eras, si ille obtemperasset. Quod erat in te, præstitisti. Cæterùm ad id vt persuadeamus auditoribus, non sumus obstricti, sed tantùm vt admoneamus. Nostræ quidem partes sunt admonere, illorum verò obtēperare. Et quemadmodum

Universidad de Deusto Biblioteca

ſi nos admonendi officio functi non fuerimus, etiamſi decem millia benefactorum prodierint, ipſis ſolis repoſitum eſt præmium, ad nos nihil redibit lucri, quandoquidem non dedimus conſilium. Ita ſi nobis admonẽtibus illi non auſcultarint, ad ipſos ſolos redibit omnis vltio, nobis autem nihil imputabitur, quin potius copioſa merces nobis veniet à Deo. Siquidem quicquid in nobis erat ſitum, præſtitimus. Nihil aliud iubemur, quàm apud menſarios deponere pecuniam. Loquere & admone. * Verùm non audiuit. Tu nihilo ſecius habes paratam mercedem. Ne deſtiteris, priuſquã perſuadeas, donec ſpiritum efflaueris. Terminus monendi, ſit obedientia monitionem tuam recipientis. Diabolus circuncurſat obſiſtere cupiens noſtræ ſaluti, non ſolùm ipſe nihil hinc lucri reportans, verumetiam ſuo ſtudio grauiſſima detrimenta ſibi concilians. Is tamen vſqueadeo veſanus eſt, vt frequenter & illa tentet, quæ nequaquam fieri poſſunt: nec illos ſolùm adoriatur, quos omnino confidit ſe ſupplantaturum deiecturúmque, verumetiam eos, quos probabile eſt artibus ipſius fore ſuperiores. Itaque quum audiret laudari ac mirificè prædicari Iob, ab eo qui nouit arcana omnia, nimirum Deo, ſperabat fore, vt eum viribus ſuperior ſubuerteret: nec deſtitit omnia mouere moliríque, quò ſupplantaret hominem, nec deſperauit impurus ille ac ſceleratiſſimus dæmon: ídque quũ Deus illi iuſto tantùm virtutis ſuo ſuffragio tribuiſſet. Et poſt hæc non erubeſcimus, neque pudore ſuffundimur, dic mihi, ſi quum diabolus nunquam deſperet noſtram perniciem, ſed indeſinenter eam expectet, nos fratrum ſalutem deſperauerimus? Et tamen illum decebat etiam priuſquam expertus eſſet à lucta abſtinere: nam Deus erat qui teſtimonium ferebat * de iuſto. Nec tamen abſtinuit, ſed præ nimio furore quo fertur aduerſum nos, etiam poſt Dei teſtimonium ſperabat futurum, vt illius ætatis præſtantiſſimo viro ſuperior euaderet. Cæterùm nihil eſt tale, quod nos in deſperationem adigat, & tamen deſiſtimus. Ac diabolus quidem vetante Deo, non diſcedit à pugna aduerſum nos ſuſcepta: tu verò quum Deus mandet extimulétque ad ſubueniendum lapſis, reſilis refugíſque. Audierat diabolus loquentem Deum, homo iuſtus, verus, timens Deum, abſtinens ab omni opere malo, quódque nullus eſſet illi ſimilis ex iis qui ſunt ſuper terram, & tamen poſt tanta taliáque iudicia perſeuerauit dicere: Quid ſi quando, perpetuitate magnitudinéque malorum irruentium valeamus illum ſuperare, & hanc excelſam deiicere turrim? Quis igitur erit nobis veniæ locus, * aut quid excuſabimus, quum tãta ſit mali dæmonis in noſtrum inſanientis exitium vigilantia, nos ne tantulum quidem ſimilis diligentię adferamus ad ſalutem fratrum noſtrorum, præſertim quum Deum habeamus auxiliatorem? Itaque quum videris fratrem tuum durum, rigidum, miniméque attentũ, dic apud temetipſum: Quid ſi progreſſu temporis aliquando valeamus illum flectere? Hoc nimirum & Paulus præcepit: Seruum domini non oportet litigare, ſed placidum eſſe erga cunctos, erudientẽ eos qui reſiſtunt veritati, ſi quando det illis Deus pœnitentiam in agnitionẽ veritatis. An non vides parentes, quomodo filiis ſuis, licèt frequenter deſperatis, aſſident, lachrymantes, lamentantes, exoſculantes, omnia quæ poſſunt admouentes, ad ſupremũ vſque halitum? Hoc tu quoque facito pro fratribus. Et tamen illi non poſſunt lachrymis ac lamentis neq; morbũ depellere, neque mortẽ imminentem abigere. Tu verò frequenter poteris animam deploratam, aſſiduitate inſtantiáque per lamenta reuocare ac ſuſcitare. Dediſti conſilium, nec perſuaſiſti,

Mat. 25.

Talentum verbi deponẽdũ, vſurã præſtare non eſt in nobis.

*adde, τῷ ἀδελφῷ, fratrem.

Miniſter verbi vigilãtior eſſe debet ad ſeruandũ, quàm diabolus ad perdẽdũ.

Iob tentatus.

τῷ δικαίῳ τὴν ἀρετὴν, de iuſti virtute.

adde, ἀγαπητοὶ dilectiſſimi.

Doctor placidus & lenis.

2. Tim. 2.

Simile.

A illachryma, punge frequenter ac ſuſpira paululum, vt tua ſollicitudo incutiat illi verecundiam, itáque ſe conuertat ad ſalutem. Quid ego ſolus poſſem efficere? Neque enim quotidie vobis omnibus adeſſe valeo, neque ſuppetit mihi facultas, vt ſolus cum tanta diſputem multitudine. Cæterùm ſi vos velitis inter vos, aliis aliorum partiri curã ſalutis, ac veſtrum quiſque vnum ſuſcipere fratrum neglectorum, illico nobis creſceret ædificatio. Et quid attinet dicere de iis qui poſt multam ac diutinam admonitionem ſeipſos ad meliorem frugem recipiunt? Etenim quum illi non teneantur immedicabili morbo, non oportet deſiſtere, neque curam abiicere, etiamſi certum præſciamus futurum, vt poſt multam ſollicitudinem, multámque adhibitam admonitionem nihilo plus * ſimus profecturi. Quòd ſi hæc oratio vobis videtur incredibilis, ex factis dictíſque Chriſti reddemus eam credibilem. Nam nos quidem ignari ſumus futurorum, vnde nec diiudicare B poſſumus de iis qui audiunt, vtrum obtemperaturi ſint dictis noſtris, an ſecus. Chriſtus autem iſtarum rerum certam habens præſcientiam, non defatigatus eſt corrigendis iis à quibus audiebatur, vſque ad extremum. Itaque quum ſciret Iudam non eſſe * reuocãdum à proditione, non tamen ceſſauit, aſſiduis conſiliis, monitis, beneficiis, minis, demum omni doctrinæ ſpecie à proditione retrahere, nec deſtitit illum dictis ceu fræno cohibere. Hoc autem fecit nos inſtituens, vt etiamſi præſciamus futurum, vt fratres non obtemperent, tamen quicquid in noſtra fuerit facultate prȩſtemus, tanquam parata nobis admonitionis noſtræ mercede. Vide autem quanta aſſiduitate, quantáque ſapientia illum cohibuerit. Vnus veſtrum me proditurus eſt. Ac rurſum: Non de omnibus vobis loquor, noui quos elegi. Et, Vnus ex vobis diabolus eſt. Suſtinuit omnes in angorem inducere, ne vulgaret proditorem, ac manifeſta redargutione redderet etiam impudentiorem. C Nam vt intelligas quòd illis etiam angorem * iniecerint Chriſti dicta, licèt ſibi nullius mali conſciis, audi quomodo quiſque anxius dixit: Num ego ſum domine? Neque verò dictis tantùm, verùm & factis illum corripuit, videlicet quod quum humanitatem ſuam frequenter ac modis omnibus declaraſſet, leproſos emundans, dæmones abigens, ægrotos ſanans, mortuos excitans, * diſſolutos aſtringens: breuiter quum omnibus benefeciſſet, neminem tamen puniit, ſemper habens in ore: Non veni ad vocandum iuſtos, neque vt iudicem mundum, ſed vt ſeruem mundum. Cæterùm ne putaret Iudas, quòd tantùm noſſet benefacere, punire verò nequaquam, & hanc quoque docuit portionem, videlicet quòd punire poſſet ſupplicióque afficere peccantes. Iam & illud vide, quàm ſapienter, quámque modis ipſo dignis hoc docuit. Hominem punire ſupplicióque afficere ſuſtinuit neminem. Quî ſic? Vt diſcipulus puniendi facultatem in eo cognoſceret. D Etenim ſi quem puniſſet, declaraſſet ipſum pugnare ſecum, quippe qui dixerat: Non veni vt iudicem mundum, ſed vt ſeruem mundum. Rurſum ſi neminem puniſſet, manſiſſet incorrigibilis diſcipulus, niſi & factis didiciſſet illi eſſe puniendi facultatem. Quid igitur? Vt ſimul & terreret diſcipulum, ne per contemptum fieret deterior, nec vllus tamen hominum, afflictionem, pœnam, aut ſuppliciũ pateretur, in ficum arborem Chriſtus hanc ſuam poteſtatem exercuit, dicens: Ne poſthac ex te fructus naſcatur. eáque mox ſimplici verbo * exaruit. Hoc pacto factum eſt pariter, vt & nihil noxę rediret ad vllum hominem, & ipſe ſuam potentiam declararet, vindicta in arborem impacta. Diſcipulus autem ſi hæc animaduertiſſet, ingentem ex hac vltione cepiſſet

Fratrem frater trahat ad ſalutem.

κερδάνωμεν, ſimus profecturi.

οὐκ ἀποστραφόμενον, nõ reuocatum iri.

Chriſti erga Iudam lenitas.

Mat. 26. Ioan. 6. Ioan. 13.

adde, καὶ φόβον, & metum. Matt. 26.

παραλελυμένους, paralyticos.

Ibid. 9. & Luc. 5.

Quare Chriſtus quum omnibus benefecerit, neminem punierit in terris.

Ioan. 12.

Mat. 11. Ficui quare maledixerit.

* ξηρᾶναι αὐτὴν, eam areſecit.

cepiſſet vtilitatẽ *. Sed Deus, præſcius & hoc euenturũ, non hoc tantùm, verumetiam aliud hoc multò maius effecit. Quũ gladiis & fuſtibus armati manus in ipſum pararent iniicere, tum illos omnes excæcauit. Id enim declarauit, quum diceret: Quẽ quęritis? Quum enim Iudas frequenter dixiſſet: Quid vultis mihi dare, & ego vobis tradam eum, ille volens etiam ipſis Iudæis facere fidem, quòd volẽs ad mortẽ iret, * nec Iudæ malicia victus huc adigi potuerit, ipſo proditore, cum cæteris omnibus aſtante, quem, inquit, quæritis? Itáne non nouit quem erat proditurus? Sed Dominus obcæcarat illius oculos, nec id ſolum, verumetiam omnes hac vocẽ reſupinatos deiecit in terram. Vbi verò nec ea res illos reddidit humaniores, neque ſceleroſum illum à proditione reuocauit, ſed perſeuerabat inſanabilis, ne ſic quidem alienatus eſt Dominus, quo minus rurſus illi tum beneuolentiam, tum curam impenderet. Sed agè conſidera, quomodo pungit loquens verba, quæ maximè poſſent animæ impudenti pudorem incute- B re, imò quæ vel ſaxeam mentem queant emollire. Etenim ſimul atque Iudas irruiſſet ad eum oſculaturus, quid ait? Iuda, oſculo filium hominis prodis? Nec ipſa proditionis ſpecies pudorem incuſſit homini. Hæc autem dicebat taxans ac pungens illum, priſtinęque commonefaciens conſuetudinis. Attamen quum Chriſtus tam multa tum feciſſet, tum dixiſſet, ille tamen nihilo factus eſt melior, non quod parum eſſet potens qui monebat, ſed quod ille vecors. Chiſtus autem quum hæc omnia præſciret, non deſiit tamen ab initio vſque ad finem ſuam exhibere benignitatem. * Sic igitur & nos, etiamſi ſciamus omnia, debemus tamen infatigabiliter ac per omne tempus fratres noſtros neglectos * componere, etiamſi nihil ex admonitione fructus ſit rediturum. Etenim ſi dominus qui prænouerat huiuſmodi futurum euentum, hac vſus eſt ſollicitudine erga eum, qui nihil fructus laturus erat ex admonitione: qua tandem venia digni fuerimus nos, C quum incertus ſit nobis rerum euentus, adeò ſocordes fuerimus circa proximi ſalutem, poſt vnam atque alteram admonitionem eos deſerentes? Denique præter hæc omnia quæ dicta ſunt, etiam quid in nobiſipſis accidat conſideremus, reputantes quod quum Deum nobis quotidie loquentem per prophetas per apoſtolos * audiamus: Nam audimus quotidie, haud tamen deſinit, vel appellare, vel docere rebelles parúmque attentos. Quin & Paulus clamat, dicens: Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo per nos obſecrante, rogamus pro Chriſto, reconciliemini Deo. Quòd ſi dicendum aliquid nouum & admirandũ, haud tantundem laudis meretur is qui præſcit futurum, vt is qui cõſilium accipit, obtemperet, * quãtum is qui frequenter loquutus, frequẽter adhibita monitione, fruſtratus eſt, nec ſic tamen deſtitit. Nam priorem illum ſpes, pollicens futurum, vt qui audit obtemperet, etiamſi ſegniſſimus fuerit excitat ad officium admonendi. Contrà D hic quum aſſiduè moneat, nec audiatur, nec eo tamen deſiſtit, feruidiſſimæ cuiuſdam ac veriſſimæ charitatis argumentum præbet, qui cum nulla ſimili ſpe alatur, tamen ob vim amoris erga fratrem, non deſinit illius agere curam. Verùm non oportere nos vnquã deſiſtere à cura lapſorum, etiamſi pręſciamus illos nobis non obtemperaturos, abundè demonſtratum eſt. Supereſt, vt ad eorum reprehenſionem tranſeamus, qui deliciis indulgent. Donec enim durarit hoc feſtum, donec ebrietatis vulnera mentibus ebrioſorum inflixerit diabolus, oportet & nos admouere remedia. Heri quidem Paulum illis * exhibuimus dicentem: Siue editis, ſiue bibitis, omnia in gloriam Dei facite. Hodie verò

adde è Gr. *Sed tamen ne ſic quidẽ correctus eſt. Chriſtus autẽ præſcius.*

Ioan. 18. Mat. 26.

adde è Gr. *& omnia ipſius eſſent.*

Luc. 22.

Et nos igitur cũ hæc nouerimus, cariſſimi, debemus in fatigab. &c.

* *inſtruere & amare.*

παρακούομεν, *oſcitanter audiamus.*

Vt nos peccãtes tolerat Deus, ita debemus & fratrem tolerare.

2. Cor. 5.

* adde è Gr. *atque ita in conſulẽdo perſeuerat.*

Plus meretur qui curat inſanabilẽ.

oppoſuimus.

1. Cor. 10.

A ipſum Pauli dominum illis proferemus, nõ modò conſulentem aut monentẽ à deliciis abſtinere, verumetiam inſultantem ac punientem eum qui in deliciis vixerat. Nã hiſtoria de diuite ac Lazaro, déque iis quæ cæteris horum ſimilibus acciderunt, nihil aliud quàm hoc declarat. Quin potius ne leuiter hoc aut obiter agamus, ordine vobis ipſam parabolam recitabimus. *Homo quidam erat diues, & induebatur purpura ac byſſo, & epulabatur quotidiè ſplendide. Erat autem mendicus quidam nomine Lazarus, qui iacebat in veſtibulo illius vlceroſus, cupiénſque ſaturari de micis quæ decidebant è menſa diuitis. Sed & canes adeuntes, circunlingebant vlcera eius.* Qua gratia dominus per parabolas loquutus ſit, & quam tandem ob cauſam ex parabolis alias quidem explicuerit, alias non item: & quídnam ſit parabola, & ſi qua ſunt huius generis alia, in aliud tempus reſeruabimus, ne ab oratione quæ nunc feſtinat, digrediamur. Cæterùm illud modò vobis dicemus in præſentia, quis euangeliſtarum ſcri- B pſerit hanc parabolam à Chriſto fuiſſe propoſitam. Quis igitur is eſt? Nimirum Lucas ſolus, quandoquidem & hoc ſcire * refert, quod inter ea quæ referuntur ab euangeliſtis, alia dicuntur à quatuor communiter, alia ſpeciatim à ſingulis. Quam ob cauſam? vt ſimul & nobis eſſet neceſſaria reliquorum ſacra lectio, & euidenter perſpicua fieret illorum inter ipſos conſonantia. Etenim ſi omnes omnia dixiſſent ita certa & explorata, vt nullam deſiderarent inquiſitionem, nequaquam apparuiſſet illorum inſignis concordia. Quapropter & omnes communiter multa ſcripſerunt, & ſibi quiſque propriè ſumpſit nonnulla. Quid igitur dicit Chriſtus? Homo quidam erat diues, cuius vita variis vitiis erat inquinata, nec ipſe tamen vllam ſentiebat calamitatem, verùm illi cuncta velut è fontibus affluebant. Quòd enim illi nihil acciderit ſubitum aut inopinatum, nec vlla doloris materia, nec vlla ægritudo oborta rerum mundanarum proſperitatem inter- C ruperit, hoc ipſum aperuit Lucas, dicens: Epulabatur & gaudebat quotidiè. Cæterùm quod vitioſam egerit vitam, perſpicuum eſt ex ipſo vitæ exitu, quem ſortitus eſt, & item ante vitæ exitum, ex eo quod ſic faſtidiuit pauperem. Nam iſta res declarat, quod nõ huius ſolùm qui iacebat in veſtibulo, verùm nec alterius cuiuſquam ille miſertus fuerit. Etenim ſi illum perpetuò in veſtibulo proſtratum, quem quotidiè ſemel atque iterũ ac ſæpius videre cogebatur, foras prodiens ac domum rediens. Non enim in biuio, nec in angiportu, occultóve loco decumbebat, ſed quà frequenter exibat intrabátque diues, ſic vt vel nolẽs aſpicere * videretur. Ergo ſi illũ nõ eſt cõmiſeratus, erga quem caſu obuiorum flexus eſt vnquam miſericordia? Etenim vt primũ diem neglexerit, certè conſentaneum erat, vt altero die ſentiret aliquid affectus. Quòd ſi hoc quoque die diſſimulauit, certè tertio die, certè quarto, certè quinto, aut huic proximo die prorſus animo flecti debebat, licèt D feris quoque fuiſſet immitior. Verùm nihil iſtiuſmodi ſenſit, ſed illo quoque iudice, qui neque Deũ metuebat, nec hominem reuerebatur, & impudentior erat, & inexorabilior. Nam illum quidem viduę inſtantia, quamuis crudelem & aſperum, tamen flexit ad gratificãdum, * vicítque mulieris ſupplicatio. Hunc verò ne iſta quidẽ res flectere potuit ad ſubueniendum pauperi. Quanquam non erat ſimilis poſtulatio, ſed huius nempe Lazari multò fuit tum facilior, tum iuſtior. Nam vidua quidem illum implorabat aduerſus hoſtes ſuos: hic nihil aliud petebat, quàm * ſedare famẽm, ille tamẽ contempſit peruntem iacentémque. Illa flagitabat obſtrepens, hic autem quum ſæpius vno die ſtimularetur, acceſſu famis, ſilens apparebat diuiti iacénſque. Hoc cer-

Luc. 16.

ἀναγκαῖον, *neceſſariũ eſt.*

Euangeliſtæ cur nõ omnia ſcripſerint eadẽ.

ἀναγκάζοιτο, *cogeretur.*

Luc. 18.

καὶ πρὸς τὴν ἱκετηρίαν ἐπέκαμψε, *& ad ſupplicationẽ inclinauit.*

Vt ſedaret famem & ne contemneret pereuntem.

Universidad de Deusto Biblioteca

tè ſatis erat, vel ad ſaxeum cor emolliendum. Etenim qui obtundunt, in hos frequenter etiam prouocamur ira. Cæterùm quoties videmus * egenos multo cum ſilentio aſtātes, neque vocem vllam edentes, imò etiam ſi ſemper fruſtrentur, non tamen moleſtè ferentes, ſed tantùm offerentes ſeſe noſtro conſpectui, quanuis ſimus ipſis lapidibus duriores, tamen admirabilem illam * pauperum modeſtiam reueriti, flectimur. Iam & aliud accedebat his quæ dixi non minus, videlicet quod ipſa quoque facies pauperis erat miſerabilis, vtpote fame diutináque valetudine confecta. Attamen nec harum rerum quicquam implacabilem illum emolliit. Hæc igitur prima vitioſa crudelitas erat, inhumanitáſque, cui nihil poterat accedere. Nec enim ſimile eſt, ſi cui res ſunt tenues, non ſuccurrat egenis, & ſi tantis affluens deliciis, fame tabeſcentes deſpiciat. Rurſum ſimile non eſt, ſi pauperem ſemel atque iterum conſpectum prætercurras, & quum quotidie videas ne ſic quidem ex aſſiduo conſpectu ſenſum humanum excitari ad miſericordiam. Rurſus aliud eſt, ſi qui calamitatibus & anguſtiis premitur, maléque affectus eſt animo, non opituletur proximo: aliud ſi qui tanta fruitur voluptate perpetuáque fœlicitate, alios fame tabeſcentes negligat, occludátque viſcera, nec vel ab ipſa lætitia reddatur humanior. Nam illud profectò noſtis quod licet ſimus omnium immitiſſimi, tamen ſucceſſu rerum mitiores benignioréſque reddi conſueuimus. At illum ne copia quidem rerum reddebat meliorem, ſed perſeuerabat verſus in feram, imò potius omnium ferarum crudelitatem, & inhumanitatē moribus præſtitit. Et tamen hanc ſceleroſam & inhumanam vitam agens, omni rerum proſperitate fruebatur. Alter verò iuſtus, ac virtutis ſtudioſus in extremis erat malis. Nam Lazarum fuiſſe iuſtum, duobus argumentis declaratum eſt, tum exitu vitæ, tum & ante vitæ finem, ipſa hominis in paupertate tolerantia. Quæſo, nónne videmini hæc oculis intueri? Diuiti nauis erat plena mercium, ac ſecūdo nauigabat vento. Verùm ne quid mireris, ad naufragium feſtinabat, eò quod onus nolebat circūſpectè ponere. Vis tibi commemorem & aliud illius vitium? Quotidie vacabat deliciis. * Nam & hoc erat vitium, non modò hoc tempore, quum tanta à nobis exigitur philoſophia, verùm etiam in initio ſub veteri teſtamento, quum nondum nobis eſſet oſtenſa tam exacta philoſophia. Audi igitur quid dicat propheta: Væ vobis, qui venturi eſtis in diem malum, qui appropinquatis, & tangitis ſabbata mendacia. * Iudæi putāt ſibi ſabbatum otij gratia fuiſſe datum, verùm non iſta eſt cauſa: ſed potius, vt abducti à curis rerum temporalium, otium omne conſumerent in ſpiritalibus. Quod enim ſabbatum non otij, ſed ſpiritualis actionis materia ſit, dilucidum eſt ex ipſis rebus. Nam ſacerdos eo die duplum facit operis, qui quotidie nō niſi vnicam hoſtiam offerre ſolitus, ſabbato iubetur offerre geminam. Quòd ſi prorſus eſſet otij dies, oportebat ſacerdotem omnium maximè otium agere. Quoniam igitur Iudæi corporalium rerum curis liberati, non vacabant ſpiritalibus, vtputa ſobrietati, modeſtiæ, & audiendis diuinis ſermonibus, ſed contrarium potius faciebant, ſeruientes ventri, indulgentes ebrietati, diſtenti cibis, deliciantes, audi quomodo illos reprehendat propheta. Quum enim dixiſſet, tangentes ſabbata mendacia, ſubiunxit: Qui dormitis in lectis eburneis, ac laſciuitis in ſtratis veſtris. Qui comeditis hœdos è caulis, & vitulos è bubilibus lactentes, qui bibitis vinum defecatum, ac primis vnguentis vngimini. Accepiſti ſabbatum, vt animam tuam liberares à vitiis, tu verò tum magis illa committis. Quid enim eſſe poſſit iſta molli-

[Marg.:] δεομένους βοηθείας, auxilio egentes. — hæc vox abeſt à Gr. — Allegoria. — adde è Gr. ἀδεῶς, ſine vllo metu. — adde è Gr. quid eſt, tangitis ſabbatha mendacia? Amos 6. — Sabbatum non ocij cauſa datum, ſed ſpiritalis negocij. Sabbatis duplex hoſtia immolabatur. — Feſtis diebus maiora peccamus.

A cie nequius, quàm indormire lectis eburneis? Nam cætera quidem peccata delectationem habent, velut in temulentia * & adulterio: cæterum in lectis eburneis dormire, quam adfert voluptatem? quod ſolatiū? Num lecti pulchritudo reddit nobis ſomnum ſuauiorē, dulcioremq;? Imò grauiſſimū eſt illud moleſtiſſimumque, ſi modò ſapiamus. Etenim ſi dum tu dormis in eburneo lecto, tecum reputes, quòd alius ne panem quidē habet quo ſecurè veſcatur: nónne te tua condemnabit conſcientia, inſurget in accuſationem iſtius inæqualitatis? Quòd ſi crimen eſt eburneis indormire lectis, quum vndique etiam argento fuerint conueſtiti, quam adferemus excuſationem? Vis lecti videre pulchritudinem? Ego tibi nunc commonſtro, non plebei neque militaris, ſed regalis ornatum. Etenim quamuis fueris omnium ambitioſiſſimus, ſat ſcio nō optabis tibi lectum pulchriorem quàm regis, & quod maius eſt, regis non cuiuſlibet, ſed primarij, regúmque omnium regaliſſi-

B mi, quíque in hodiernum vſque diem celebratur toto terrarum orbe. En, oſtendo tibi lectum beati Dauid. Qualis igitur erat ille? Non argento & auro, ſed vndique lachrymis, & confeſſione erat exornatus. Hæc ipſe fatetur ita loquens: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Itaque vice margaritarum vndique lachrymis erat diſtinctus. Hic mihi conſidera mentem amore Dei flagrantem. Nam quoniam interdiu variæ ſolicitudines curæq; principum, ducum, gentiū, populorum, militum, bellorum, pacis, ciuilium ac domeſticorū negociorum, eorum quæ procul, eorū quæ propè, diſtrahebant & auocabant hominem, quod otij cæteri conſumunt ſomno, ille in confeſſione, lachrymis, ac precibus impendebat. Neque id ita faciebat per vnam noctem, vt altera deſiſteret, neque ſic per duas tréſve, vt interim deficeret, verùm ſingulis noctibus id faciebat: Lauabo enim, inquit, per ſingulas noctes lectum

C meum, & lachrymis meis ſtratum meū rigabo: videlicet lachrymarum vbertatem exprimēs, ſimul & perpetuitatem. Quum omnes quietem & otium agerēt, ſolus ille tunc Deum interpellabat, & aderat ſopiri neſciús oculus plorāti, lamentantíque ſuáq; profitēti mala. Talem tu quoque tibi parato lectum. Nam lectus argento obtectus quum inuidiā hominū accerſit, tum iram ſupremi numinis inflammat. Cæterùm tales lachrymæ quales erant Dauidis, ipſum etiā gehennæ incendium norunt extinguere. Vis tibi alium cōmonſtrem lectum Iacob? Solum habebat ſubſtratum, & lapidem capiti ſuppoſitum, eóque vidit illum intelligibilem lapidem, eáſque ſcalas per quas aſcendebant ac deſcēdebant angeli. Huiuſmodi lectos excogitemus, vt eiuſmodi videamus inſomnia. Quòd ſi lecto argenteo indormiemus, non modò nullam capiemus voluptatem, verumetiam animi moleſtiam perferemus. Quum enim tibi ſuccurrit, quòd in ſummo rigore mediáque nocte, dum

D tu lecto indormis, pauper in balneorum veſtibulis, paleis diſtentæ culcitræ incubat, culmis circuntectus, tremens ac rigore concretus, fame cruciatus: etiamſi maximè ſis lapideus, ſat ſcio condemnabis teipſum, quod tibi permittas ſuprà quàm opus eſt frui rebus ac deliciis indulgere, quum illi nec ad vſum ſuppetat. Nullus, inquit, militans, implicatur temporariis negociis: miles es ſpiritualis. Talis autem miles non dormit in lecto eburneo, ſed humi. Non oblinitur vnguentis. Nam iſta cura eſt meretricis amoribus implicatorum ac perditorum, ſcenicorum, mentíſque deploratæ hominum. Te verò non oportet olere vnguentum, ſed ſpirare virtutem. Nihil immundius anima, quoties corpus talem habet fragrantiam. Corporis enim

[Marg.:] Eburnei lecti. — πλεονεξία, καὶ ἀσωτία, auaritia, & luxuria. — Lectus Chriſtianorum. — Pſal. 6. Dauid rex noctu orans. — Lachrymæ extinguunt gehennæ incendium. — Lectus Iacob. Gen. 28. — 2. Tim. 2. Culcitra militis.

ris enim ac veſtium fragrantia, arguit intus latere animum graueolentem & immundum. Quum enim diabolus aggreſſus, deliciis euirauerit animam, omníque vitiorum genere complexerit, tum & in corpore ſuæ corruptionis lectum oblinit vnguentis. Nec ſecus atque hi qui pituita naſi catarróque perpetuo laborant, & veſtes, & manus, & faciem contaminant, eo quod ſubinde narium profluuium abſtergunt, anima quoque iſtius praui profluuij maliciam in corpus abſtergit. Quis enim præclarum aliquid, aut bonæ frugis opinabitur de eo qui ſpirat vnguenta, qui muliebribus gaudet, † qui ſaltatricularum elegit vitam? Spiret anima tua fragrantiam ſpiritualem, quò tum tibiipſi, tum aliis tecum viuentibus maximam adferas vtilitatem. Nihil eſt enim, nihil eſt inquam, deliciis pernicioſius. Audi rurſum quid de illis dicat Moſes: Impinguatus eſt, incraſſatus eſt, dilatatus eſt, & recalcitrauit dilectus. Nec ait, receſſit, ſed, recalcitrauit dilectus, illius intractabilitatem nobis ſignificans. Atque alio rurſus loco: Vbi comederis ac biberis, caue tibi, ne quando obliuiſcaris domini Dei tui. Adeo deliciæ ſolent ad numinis obliuionem adducere. Proinde tu quoque cùm ſederis ad menſam, memento quod poſt conuiuium orandum eſt tibi. Ita moderatè ventrem exple ne grauatus non queas genua flectere, ac Deum inuocare. An non vides quod iumenta iugum ferentia, poſteaquam ad præſepe paſta ſunt, iter agunt, onera geſtant, ſuúmque explent miniſterium? Tu verò qui ſublata menſa, ad omne opus inutilis es & inidoneus, num vitare poteris, quò minus videaris aſinis deterior? Quam ob rē? Quia tum maximè conuenit eſſe ſobrium ac vigilantem. Nam tempus poſt menſam, agendi gratias tempus eſt. Non decet autem agentem gratias ebrium eſſe, ſed ſobrium ac vigilantem. A menſa non ad lectum, ſed ad deprecationem vertamur, ne brutis animantibus ſimus magis bruti. Noui fore multos, qui damnent ea quæ nunc dicuntur, veluti qui nouam quandam & miram conſuetudinem inuehant concionandi. At ego magis damnabo prauam conſuetudinem, quæ nunc obtinuit. Etenim quòd poſt cibum ac menſam non ad ſomnum oporteat ire, nec ad cubile, ſed oporteat cibo preces ac diuinarum ſcripturarum lectionem ſuccedere, manifeſtius declarauit ipſe Chriſtus, qui cùm immenſam multitudinem accepiſſet conuiuio in deſerto, non remiſit illos ad lectum aut ſomnum, ſed ad audiendos ſermones diuinos inuitauit. Non enim diſtenderat illorum ventres, neque ad ebrietatem impulerat, verùm vbi ſaturaſſet illos quantum exigebat neceſſitas, ad ſpiritualē adduxit alimoniam. Itidem nos quoque faciamus, eóque modo cōſueſcamus capere cibum, vt ad vitā tuendam duntaxat ſufficiat, nō vt nos valeat † grauare. Non enim in hoc nati ſumus ac viuimus, vt edamus, ac bibamus: ſed ideo edimus ac bibimus, vt viuamus. Ab initio non erat cibi cauſa data vita, ſed vitæ cauſa datus eſt cibus. Nos vero perinde quaſi ob hoc ipſum viueremus, ita cuncta in hoc inſumimus. Cæterùm vt vehemētior etiā fiat deliciarum redargutio, acriúſque pungat in his vitam agētes, agè rurſus ad Lazarum referamus ſermonem. Hoc enim pacto fiet, vt nobis ſit efficacior admonitio conſiliúmque noſtrum, quum videatis non verbis, ſed factis corripi puniríque eos qui indulgent ingluuiei. Diues igitur ille cum tanta viuebat improbitate, quotidie deliciis vacans, lautíſque patinis fruebatur, grauius ſibiipſi ſupplicium accerſens, maiúſque parans incendium, ac vindictam Dei reddens implacabilem, vltionem exaſperās ſic vt veniæ locus non eſſet. Pauper autem proiectus erat in veſtibulo, nec tamen * erat moroſus, nec dicebat conuicia, nec indigna-

*[Marg.:] Vnguenta arguunt animam graueolentem. — adde è Gr. μᾶλλον δὲ ἑταιριζομένης vel potius meretricie ſe gerit. — Deliciæ pernicioſiſſimæ. Deut. 32. — Recalcitrare Deo. — Deut. 6. — Diſſimile. — A cibo ſumpto orandum. — Chriſtus docuit paſtos. — diſrumpere & grau. — Socratis ſententia. — ἀληθεγέρα — Paupertas non querula. — * οὐκ ἀπεδυσπέτησεν.*

A batur. Non dicebat apud ſe quod dicunt complures: Quid tandem eſt hoc? Iſte qui improbam crudelémque vitam agit & inhumanam, omnibus modis ſuprà quàm opus eſt fruitur rebus, nec vllam animi moleſtiā patitur, nec aliud quicquam inopinatum, qualia multa ſolent in rebus humanis accidere, ſed pura nulláque ægritudine contaminata voluptate fruitur. Mihi verò ne tantum quidem impartitur alimoniæ, quantum poſtulat neceſſitas. Verùm iſti qui in paraſitos & adulatores, ac temulentiam quicquid habet conſumit, non aliter quàm è fonte cuncta affluunt. Ego porrò hîc iaceo, exemplum iis qui me cōſpiciunt, probrum ac ludibrium, fame contabeſcens. An hæc ſunt prouidentiæ? An vlla iuſtitia deſpicit res hominum? Nihil horum neque dixit, neque cogitauit. Vnde hoc liquet? Ex eo quòd angeli ſtipatum illum deduxerunt, ínque ſinum Abrahæ delatum depoſuerunt. Quòd ſi blaſphemus fuiſſet, nequaquam illi tantum contigiſſet honoris. Ita cæte-

B ri quidem ob hoc demum tantopere mirantur hominem quòd in paupertate vixerit. Ego verò doceo illum nouem ſupplicia pertuliſſe, non quò puniretur, ſed quò clarior redderetur. Quod quidem etiam euenit. Nam paupertas quidem res eſt verè moleſta, id quod norunt quicunque ſunt experti. Nec enim vlla oratio poſſit aſſequi cruciatum, quem ſuſtinent ij quibus cum paupertate res eſt, ſi neſciant vti philoſophia. In Lazaro verò non iſta tantùm erat calamitas, verùm etiam aduerſa valetudo erat affixa, eáque ſupra modum grauis. Vide ſiquidem quemadmodum declarat vtramque calamitatem ad ſummum perueniſſe. Nam quòd omnem paupertatē Lazari paupertas tum ſuperauerit, declarauit dicens, quòd ne micis quidē potiri licuerit quæ cadebant de menſa diuitis. Porrò quòd valetudo quoque ad eandem menſuram peruenerit ad quam paupertas, vltra quàm non poſſet amplius proferri, & id quoque rurſus declarauit, dicens, quod canes lingebant vlcera

C eius: adeò erat fractis viribus, vt ne canes quidem poſſet abigere, ſed viuum cadauer iacebat, videns quidem eos accurrentes, nequaquam tamen valens depellere, vſque adeò illi membra erant ſoluta, vſqueadeò erant arefacta morbo, vſqueadeò conſumpta erant afflictione. Vides vehementer ſupráque modum & paupertatem, & valetudinem oppugnantem corpus illius. Quòd ſi horum vnumquodque per ſe intolerabile eſt & acerbum, quum ſimul conglomerata fuerint, an non Adamas quiſpiam fuerit, qui hæc perferat? Multi frequenter laborant aduerſa valetudine, cæterùm non egent iis quæ ad victum ſunt neceſſaria. Alij paupertati extremæ ſunt obnoxij, verùm potiūtur bona valetudine, ſic vt altera res alterius ſit ſolatium, huic verò ambo concurrebant mala. Agè, poſſes mihi nominare quempiam, ſimul & aduerſæ valetudini & paupertati obnoxium, ſed non vſqueadeo deſolatum ac deſtitutum? Nam ille quidem quanquam non ex ſeſe neque

D à domeſticis ac familiaribus, tamen ab his qui videbant, miſericordia flexis ſubleuari poterat, in publicum proiectus. Huic verò moleſtias eas, quas antea diximus, moleſtiores reddebat, quod ab his qui aſſiſtere debebant erat deſertus: & hanc ipſam ſolitudinem rurſum moleſtiorem videri faciebat, quod in veſtibulo diuitis iacebat. Etenim ſi in terra deſerta nullíſque habitata, iacens, hæc paſſus fuiſſet, neglectúſque iacuiſſet, haudquaquam tantundem habuiſſet cruciatus. Nam ſi nullus adſit, hoc ipſum etiam nolenti perſuadet, vt ferat quæ accidunt. Cæterùm quod in medio tam multorum iacens, ebrietati indulgentium, ſuauiter viuentium, à nemine vel vulgarem curam nanciſceretur, id reddebat ſenſum dolorum acriorem, ma-

[Marg.:] ὥσπερ ἐκ πηγῶν, prouerbium. — Nouem in Lazaro ſupplicia. — Paupertas grauis ſine philoſophia. — Aduerſa valetudo graue malum.

Universidad de Deusto Biblioteca

giſque incendebat animi ægritudinem. Non enim perinde ſi abſint qui ſuccurrant, atque ſi adſint quidem, ſed nolint porrigere manum, mordere ſolet animum in calamitatibus, quod quidem tum huic accidit. Nullus erat qui dictis conſolaretur, nullus qui factis adferret ſolatium, non amicus, non vicinus, non cognatus, non videntium quiſquam, adeo erat tota diuitis deliciis corrupta familia. Ad hæc aliam doloris acceſſionem adiungebat, quod alterum illum in fœlicitate conſpiciebat, non quòd inuidus eſſet ac prauus, ſed quòd omnes ſolent in aliorum proſperitate exactius ſuas perſentire calamitates. Non enim iam ſolùm ſuam ipſius calamitatem cum illius proſperitate conferēs, grauiorem reddidit ſuorum malorū ſenſum, verumetiam perpendens quòd ille vitam ducens crudelem & inhumanam in omnibus proſperaretur, ipſe verò virtutem ac modeſtiā amplexus, extrema pateretur mala, inconſolabilem animi moleſtiam, & hinc ſuſtinuit. Nam ſi vir iuſtus fuiſſet diues, ſi modeſtus, ſi ſuſpiciendus, ſi omni virtute præditus, nequaquam illi perinde doluiſſet. Nunc verò quum diues eſſet, & vitam ducens improbam, & ad extremum vſque maliciæ prouectus, & tantam inhumanitatem oſtendens, & hoſtilem animum gerens, nec ſecus atque lapidem ipſum prætercurrens, ſine verecundia, ſine miſericordia, denique ſuper hæc omnia, tanta potiens rerum copia, cogita quàm probabile ſit, quòd velut alternis fluctibus merſerit ille pauperis animum: cogita qualiter affectum fuiſſe Lazarum cōſentaneum eſt, quum videret paraſitos, adulatores, famulos aſcendentes, deſcendentes, egredientes, ingredientes, circuncurſantes, tumultuantes, ebrios, ſalientes, omne laſciuię genus exhibentes: ſic enim quaſi propter hoc veniſſet vt eſſet alienorum bonorum teſtis, ita in veſtibulo proiectus erat, ſolùm vitæ tantum habens vt ſua mala ſentire poſſet, in portu faciēs naufragium, iuxta fontem moleſtiſſima ſiti diſcruciatus animo.

παροιμία.

Dicam & aliud quoddam præter hæc malum. Nō poterat alterum videre Lazarum. Nam nos etiamſi innumera patiamur mala, habemus tamen ad illum ſpectantes vnde ſufficientem accipiamus conſolationem, magnúmque feramus moleſtiæ delinimentum. Nam malorum noſtrorum reperire conſortes, ſiue in factis, ſiue in dictis, multum affert ſolatij lugentibus. Ille verò neminem alium habebat ad quem reſpiceret eadem cum illo paſſum, imò ne audire quidem poterat de quoquam, qui maiorum ipſius ætate, tam acerba ſuſtinuiſſet. Hoc autem ſatis eſt ad inducendam animo caliginem.

Reſurrectio Lazaro nō ſperata durū.

Poſſum & aliud his omnibus addere, videlicet quòd ne de reſurrectione quidē quicquam potuerit philoſophari, ſed huius vitæ res credebat huius vitæ fine terminari. Erat enim ex eorum numero, qui gratiam Euangelij præceſſerunt. Quòd ſi nunc his temporibus poſt tantam Dei cognitionem, poſt egregias reſurrectionis ſpes, poſt illic repoſita peccantibus ſupplicia, poſt parata iis qui rectè vixerunt bona, adeo deiectis animis, ac miſeris ſunt nonnulli, vt ne horum quidem expectatione corrigantur: quid tandem eſt putandum illi accidiſſe, etiam hac deſtituto ancora?

Iudæorū vulgus nō credebat reſurrectionem. Vide annotat. Sixti Senen. 84 tom 5.

Nam ille tale nihil vnquam philoſophari potuit, eò quod nondum adueniſſet tempus eiuſmodi dogmatum. Ad hæc & aliud quiddam acceſſit, quòd & fama ipſius apud homines imprudentes traduceretur.

Calamitas facit obnoxium ſuſpicioni malitiæ.

Solet enim hominum vulgus vbi quos viderint in fame perpetuóque morbo & extremis agētes malis, nec opinionem de eis habere bonam, ſed ex ipſa calamitate ęſtimare vitam, & omnino iudicare illos ob maliciam ſic affligi, aliáque multa huius generis inter ſe loquūtur, ſtultè quidem illi, loquuntur tamen. Hic ſi Deo charus eſſet, nequaquam ipſum in huiuſmodi malis eſſe

A pateretur. Hoc & in Iob & in Paulo venit vſu.

Iob 4.

Nam & illi dicebant: Nónne frequenter tibi dictum eſt in labore, vim autem verborum tuorum quis ſuſtinebit? Si enim tu conſolatus fuiſſes multos, genibúſque infirmis addidiſſes fiduciam: nunc verò peruenit in te labor, tu verò curaſti. Nónne tuus labor eſt? Si quid tibi, inquit, bonæ rei geſtum fuiſſet, haudquaquā iſta patereris, ſed peccatorum & iniquitatis luis pœnas. Et hoc erat quod maximè mordebat animum Iob. Ac de Paulo barbari hoc ipſum dicebant: quum enim viderent viperam pendentem de manu illius, nihil boni de illo ſuſpicabātur, ſed exiſtimabant eum hominem eſſe de numero eorum, qui extrema perpetrarūt ſcelera. Id perſpicuum eſt ex his quæ dicebant: Hunc inquiunt, à mari ſeruatum, vltio non paſſa eſt viuere.

Act. 28.

Hoc autem non mediocriter nos quoque cōturbare cōſueuit. Attamen quum fluctus eſſent tam multi viciſſimque alij ſuper alios illum impeterent, non tamen demerſum eſt nauigium, B ſed perinde, vt ſi in fornace poſitus veluti perpetuo rore refocillaretur, ita philoſophabatur. Non dicebat apud ſeſe quicquam tale, quale vulgus dicere veriſimile eſt: Iſte diues ſi mortuus illic punitur, dátque pœnas, vnum factum eſt vnum: ſi verò illic iiſdem potitur honoribus, duo facta ſunt nihil.

Prouerbiū impium.

An non hæc per fora circūfertis vos vulgares veſtrum plerique, ex * hippodromia paganorúmque theatris in Eccleſiam importantes?

* circo.

Pudet me quidem ac rubore ſuffundor, qui talia verba in medium proferam, niſi quòd neceſſe eſt hæc dicere, vt vos * à riſu, probro, † noxiiſque verbis liberemini.

Loci impij fugiendi.

* ἀπὸ κτῦ γέλωτος, riſu incompoſito. † καὶ βλαβερῶν τούτων ῥημάτων, & pernicioſorum verborum.

Hæc multi frequēter dicunt ridentes, verùm hoc quoque diabolicæ verſutiæ eſt, loco dictorum ciuilium & vrbanorum pernicioſa in vitam noſtram inducere dogmata. Hæc ſine fine & in officinis fori, & in ędibus plerique circunferunt, quæ res extremæ eſt diffidētiæ, maximéque ridicula, animíque puerilis. Nam dicere num hinc profecti mali puniuntur, nec hoc vehementer C habere perſuaſum, quod omnino puniendi ſunt, diffidentium eſt ac dubitantium. Illud verò quamuis hoc euenerit, quemadmodum etiam euēturum eſt, putare malos æquale præmium cum iuſtis reportare, extremæ dementiæ eſt. Quid ais dic mihi? Si diues illuc profectus punitur, vnum factum eſt vnum? & quomodo iſtuc poſſit conſiſtere?

Nulla cōparatio inter vitā hanc & futuram.

Quot enim annis vis illum hîc pecuniis fuiſſe fruitum? vis ponamus centum? Ego verò etiam ducentos pono, pono trecentos, pono bis tantum, & ſi vis mille, quod ſanè fieri nō potuit: (Dies enim, inquit, annorū noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni, ſi autem in potentatibus octoginta) attamen ponantur mille: num potes, quæſo te, vitam oſtendere quæ finem non habeat, ac terminum neſciat, qualis eſt illic iuſtorum?

Fictio in exemplis. Pſal. 89.

Age igitur, cedo, ſi quis in annis centum vidiſſet per vnam noctem ſuaue ſomnium, multiſque deliciis per ſomnū fruitus eſſet, centum annis puniretur: num is de hoc dicere poſſet, vnum vnum, & vnicam noctem qua D ſomniauit centum annis æquiparare? Dictu abſurdum. Hoc iam & de futura vita cogita. Nam quod eſt ſomnium vnum ad annos centum, hoc eſt præſens vita ad vitam futuram, imò potius multo minus. Quod eſt exigua gutta ad pelagus immenſum, hoc ſunt anni mille ad futuram illam † fruitionem.

† gloriam & fruit.

Et quid tandem queat aliquis amplius dicere, niſi quod terminum non habet, & finem neſcit: quantúmque intereſt inter ſomnia & res veras, tantùm intereſt inter huius vitæ ſtatum & illius. Quin & alioqui antequam illic puniantur, iam nunc qui improbè agunt, atque in peccatis viuunt, puniuntur.

Et hîc puniuntur impij.

Nec enim mihi dixeris illum menſa ſumptuoſa frui, veſtibus circundari ſericis, mancipiorum greges circunferre, alios ſubmouere in foro, ſed explica mihi

Conſcientiæ carnificina.

mihi iſtius conſcientiam, & videbis intus grauem peccatorum tumultum, iugem metum, tempeſtatem, turbationem: videbis velut in curia mentem ad thronum conſcientiæ conſcendiſſe regalem, & tanquam iudicem quempiam ſedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem, in eculeo ſuſpendentem, lateráque conſcientiæ radentem vngulis, pro commiſſis vehementer inclamantem, quum nemo ſciat, niſi quòd ſolus Deus hæc videre nouerit. Etenim qui committit adulterium, etiam ſi millies fuerit diues, etiamſi nullum habeat accuſatorem, non deſinit tamen intus ſeipſum accuſare: & voluptas quidem temporaria eſt, dolor verò perpetuus, timor vndíque ac tremor, ſuſpicio & anxietas, † angulos metuit, vmbras ipſas formidat, ſuos ipſius famulos, cōſcios, inſcios, illam ipſam quam corrupit, & virum quem affecit contumelia: obambulat amarum accuſatorem circunferens conſcientiam, quum ſit ſuo ipſius iudicio damnatus, nec vel ad breue tempus poſſit reſpirare.

† τοὺς στενωποὺς, angiportus.

Nam & in lecto, & in menſa, & in foro, & in domo, & interdiu & noctu, & in ipſis frequenter ſomniis hæc iniquitatis ſimulachra videt, ipſiúſque Cain vitam viuit, gemēs ac tremens ſuper terram, quum nemo ſciat, intus tamen habet ignem * implicitum.

Gen. 4.

* ſemper implic.

Idem patiuntur & qui rapinam exercent, & qui fraude lucrum faciunt: hoc & ebrioſi, in ſumma quotquot in peccatis viuunt. Neque enim vlla ratione iudicium illud poteſt corrumpi muneribus. Imò etiamſi non aſſequamur virtutem, ſectemur tamen, dolemus eo quòd non aſſequimur: etſi potiamur maliciæ voto, tamen ceſſante voluptate quam ex peccato percipimus, ſentimus dolorem.

Dilemma.

Itaque ne dixerimus de diuitibus hîc improbè viuentibus, & de iuſtis illic fœlicitate fruentibus, quòd vnum ſit vnum, ſed quòd duo ſint nihil. Quandoquidem iuſtis, & ea quæ illic ſunt, & ea quæ hîc ſunt, multam præbent voluptatem: qui verò ſibi per fraudem quæ non oportebat vſurparunt, tum illic puniuntur, tum hîc diſcruciantur expectatione ſupplicij illic futuri, deinde mala quam ab omnibus ferunt * opinione, pręterea quòd ipſum etiam peccatum animam ipſorum corrumpit: denique poſtquam hinc profecti ſunt, intolerabilia perpetiūtur ſupplicia.

* τῇ ὑποψίᾳ

Rurſum iuſti etiamſi hîc innumera perpetiātur acerba, quoniam bona ſpes alit illos, habéntque voluptatem firmam, ſtabilem & immobilem, etiam poſt hæc innumera illos manent bona, quemadmodum & Lazaro accidit. Nec enim iſthuc mihi dixeris, erat vlceroſus, verùm illud conſidera, quòd quouis auro precioſiorem intus habet animam, imò veriùs non animam tantùm, verùm etiam corpus ipſius.

Ex animi malis boniſve æſtimandus homo.

Virtus enim corporis non eſt obeſitas, bonáque habitudo, ſed tantos ac tales ferre cruciatus. Non enim ſi quis in corpore geſtet talia vulnera abominādus eſt, verùm ſi quis in animo innumera habens vlcera, nullam illorum curam agat, is abominandus eſt, qualis erat ille diues, intus totus vlceroſus. Et quemadmodum canes huius lingebant vulnera, ſic & dæmones illius peccata. Et quemadmodum hic in fame cibi, ita ille in fame omnis virtutis viuebat. Hæc igitur omnia quum ſciamus, philoſophemur, neque dicamus: Si illum Deus amaſſet, haudquaquam eum * talem eſſe paſſus fuiſſet.

* πένητα pauperem. Heb. 12.

Nam hoc ipſum quidem maximum eſt dilectionis argumentum. Quem enim diligit Deus caſtigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. Et rurſus: Fili, ſi acceſſeris ad ſeruiendum Domino, præpara animam tuam ad tentationem, dirige cor tuum ac perſeuera.

Eccl. 2.

Eiiciamus igitur * iſtas ſuperuacuas * opiniones, vulgariáque iſtiuſmodi dicta. Turpitudo enim, inquit, ac ſtultiloquium & ſcurrilitas ne prodeant ex ore veſtro. Nec ipſi talia loquamur: & ſi alios videamus ta-

* dilectiſſimi. * προλήψεις. Epheſ. 5.

A lia loquentes, obturemus illis os, contrà inſurgamus acriter, cohibeamus impudentem linguam.

Simile.

Agè ſi quem vidiſſes latrocinij principem graſſantem per vias, prætereuntibus inſidiantem, ea quæ ſunt in agris rapiētem, in ſpeluncas ac foueas ſubterraneas aurum & argentum defodientem, ac illic multa recludētem armenta, veſtes ac mancipia multa ex incurſionibus illis poſſidentem, agè dic mihi, num illum beatum diceres propter diuitias illas, an potius miſerum prædicares, propter ſupplicium illi venturum? Atqui nondum comprehenſus eſt, neque in manus iudicis traditus, nec in carcerem coniectus, neque accuſatorem habuit, neque in iudicium venit, ſed deliciis indulget, inebriatur, * multáque rerum fruitur affluentia.

* ἀπεραγίας πολλῆς.

Attamen non propter præſentia, quæque videntur, iudicamus illum beatum: ſed propter futura, quæque imminent, illum miſerum prædicamus. Hoc item & de diuitibus & de auaris cogita.

Diues iniquus, latro.

Latrones quipiam ſunt, vias obſidentes, res prætereun- B tium rapientes, velut in ſpeluncis ac foueis ſubterraneis, aliorum facultates in ſuis cubiculis defodientes. Ne igitur beatos dicamus illos propter præſentia, ſed miſeros propter futura, propter formidandum illud iudicium, propter ineuitabiles pœnas. * Nam iſti quidem latrones frequenter ex hominum manibus elapſi ſunt, nihilominus quum hoc ſciamus, & à nobiſipſis deprecamur, & hoſtibus imprecamur iſtorum vitam, vnà cum execrabili rerum copia.

* adde è Gr. propter tenebras exteriores, quæ ipſos excepturæ ſunt.

Atqui ſub Deo vero iudice, non licet iſtud dicere. Nullus enim illius effugiet ſententiam, ſed omnes omnino qui cum fraudibus & rapinis viuunt, Dei vindictam ſibi accerſunt illam immortalem finéque carentem, quemadmodum & diues ille.

Epilogus.

Quæ quidem omnia apud noſipſos conferentes, * ne beatos iudicemus qui diuitiis, ſed qui virtute præditi ſunt: neque miſeros dicamus qui degunt in paupertate, ſed qui cum improbitate: ne præſentia reſpiciamus, ſed futura proſpiciamus: ne externum ami- C ctum, ſed cuiuſque conſcientiam examinemus, ſectantéſque virtutem ac voluptatem quæ ex rectè factis proficiſcitur, Lazarum imitemur, diuites ſimul ac pauperes.

* dilectiſſimi.

Non enim vnum tantùm aut duo, triáve virtutis certamina ſuſtinuit: verùm & multò plura, paupertatem, aduerſam valetudinem, ſolitudinem ac deſtitutionem ab his qui curam illius gerere debebāt: deinde quòd hæc omnia patiebatur in domo, quæ poterat hæc mala depellere, * quum videret illum à quo deſpiciebatur tantis frui deliciis, non deliciis modò fruentem, verumetiam quum improbè viueret, nihil tamen graue perpetientem: præterea quòd non haberet alterum Lazarum ad quem reſpiceret: præterea quòd de reſurrectione nihil poſſet philoſophari: ad hæc quod ſuper hæc quæ diximus mala, ex calamitatibus illis à vulgo malam ferret opinionem, eò quòd non biduum triduúmve, ſed per omnem vitam, & ſeipſum videret in eiuſmodi calamitatibus, & diuitem in diuerſo rerum D ſtatu.

* adde è Gr. neque eum vllo ſolatio quiſquam dignabatur.

Quomodo igitur † ſumus excuſandi, ſi quum hic cunctas afflictiones ſimul conglomeratas tanta pertulerit animi fortitudine, nos ne dimidium quidem horum tulerimus?

† erimus.

Non enim potes, non potes, inquam, alium quenquam commemorare, qui talia tātáque perpeſſus ſit mala. Eámque ob rem Chriſtus hunc potiſſimum exempli cauſa propoſuit in medium: vt ſi quando in res triſteis inciderimus, conſiderantes quanto ille interuallo nos ſuperarit, ex illius philoſophia, ſatis magnum ſolatium moleſtiæque lenimen capiamus. Communis igitur orbis doctor ille propoſitus eſt, rem quamcunque moleſtam patientibus, qui ſe conſpiciendum præbet omnibus, hóſque omnes ſuperans ſuarum afflictionum magnitudine. Pro his igitur

Universidad de Deusto Biblioteca

διηγήματος, expositione.

omnibus gratias agentes benigno Deo, reportemus ex hac† oratione fructum & vtilitatem: continenter hunc doctorem & in consessibus, & in ædibus, & in foro, denique in omni loco circunferentes, summóque studio diuitias omnes quas habet hæc parabola, percipientes: quò simul & præsentia citra molestiam mala transcurramus, & futurorum bonorum compotes euadamus: quæ nobis omnibus contingat assequi, gratia benignitatéque domini nostri Iesu Christi, cui cum patre & Spiritu sancto gloria, honor, adoratio, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Fol. 1106. C. Redeunt ad eadem] *Sequebatur in Græco libro editionis Oxoniēsis hæc interserēda hoc loco.* ἅπερ ἅπαντα δὴ καὶ ἡμεῖς εἰδότες, ἀγαπητοί, μὴ παρακαλῶ, μὴ ταῦτα φθεγγώμεθα, μηδὲ λέγωμεν· τί δεῖ λόγων ἡμῖν τοσούτων; οὐδὲν ἐκ τῶν λόγων τούτων ὄφελος γίνεται. ὁ γὰρ γηπόνος. Quæ cùm nobis etiam nota sint omnia, carissimi, ne quæso proferamus ista, néue dicamus, Quid nobis opus est tot verbis? nulla ex hoc sermone vtilitas promanat. Nam & ruriçola, &c.

1108. A. Etenim quum illi non teneantur] *Græca sic habent:* οὐδὲ γὰρ ἐκείνων τῶν τὰ ἀνίατα νοσούντων ἀφίστασθαι χρὴ καὶ ἀμελεῖν. Neque enim ab iis etiam si immedicabili morbo tenerentur, abscedendum esset, neque eorum cura abiicienda. *Atque ita vertendum esse monebant satis interpretem quæ sequuntur. Qui enim tandem nil proficiunt, ij vero ἀνίατα νοσοῦσιν.*

Ibid. B. Christus autem istarum] *Græc.* ὁ δὲ Χριστὸς ταῦτα ἀμφότερα εἰδὼς σαφῶς, οὐ διέλιπε τὸν οὐκ ἀκουσόμενον αὐτοῦ, διορθούμενος μέχρι τέλους. Christus autem cùm hæc vtraque probè nosset, non desiit ad extremum vsque corrigere eum, qui sibi non esset auscultaturus.

Ibid. C. Non veni ad vocandum iustos] *Hæc aberant à Græco exemplari, neque videntur ad rem spectare, sed* οὐκ ἦλθον ἵνα κρίνω κόσμον. Non veni vt iudicem mundum.

1109. B. Nec ipsa proditionis] *Gr.* οὐδὲ αὐτὸ τῆς προδοσίας αἰσχύνῃ τὸ σχῆμα. Neque tibi species ipsa proditionis pudorem incutit. *Hæc adhuc ex persona Christi Iudam alloquentis dicuntur. Id quod indicant quæ sequuntur,* Hæc autem dicebat &c.

Ibidem. Sic igitur & nos etiamsi] *Interpres hæc ita vertit, perinde ac si illud,* sciamus omnia, *significet euentum admonitionis inutilem futurum. quasi vero homines præscientiam habere possint. Nos addidimus in margine interpretationem ad verbum è Græcis.* ἅπερ οὖν καὶ ἡμᾶς εἰδότας, ἀγαπητοί, συνεχῶς καὶ διὰ παντὸς τοῖς ἠμελημένοις &c. *Huic sententiæ similis illa supra,* ἅπερ ἅπαντα δὴ καὶ ἡμεῖς εἰδότες. *Latini dicunt*, Quæ cùm ita sint.

1110. B. Etenim si omnes] *Decurtata est hæc sententia altero membro. Sic enim Græcus liber:* εἰ μὲν γὰρ πάντες πάντα εἶπον, οὐκ ἂν πᾶσι μετὰ σπουδῆς προσέσχομεν, ἀρκοῦντος ἑνὸς διδάξαι τὸ πᾶν· εἰ δὲ πάντες πάντα ἐξηλλαγμένα εἶπον, οὐκ ἂν ἐφάνη τὸ τῆς συμφωνίας ἐξαίρετον. Etenim si omnes omnia dixissent, non ad omnes cum studio animum adiecissemus, cùm vnus ad omnia docenda sufficeret: si vero omnes omnia variata & immutata dixissent, eximia illorum concordia nequaquam apparuisset.

Ibid. C. Ergo si illum non est commis.] *In Græco erat parenthesis quæ abest à Latino.* τοῦτον οὐκ ἠλέησε τὸν ἐν τοσούτῳ χαλεπῷ πάθει &c. Hunc non est commiseratus (hunc inquam tanta afflictum ægritudine, in egestate ac penuria vitam degentem, vel potius toto vitæ tempore morbo laborantem, atque adeò grauissimo) erga quem casu obuiorum &c.

1111. D. Quum enim dixisset, tangentes] *Græca & ampliora & dissimilia sunt.* εἰπὼν γὰρ οὐαὶ οἱ ἐρχόμενοι εἰς ἡμέραν κακήν, καὶ ἐπαγαγών, οἱ ἐφαπτόμενοι σαββάτων ψευδῶν, ἔδειξε διὰ τῆς ἐπαγωγῆς, πῶς ἦν αὐτοῖς &c. Quum enim dixisset, væ qui venitis in diem malam, & cùm addidisset, Qui attingitis sabbata mendacia, indicauit ex additione, quo pacto mendacia illis essent sabbata. Quomodo igitur ea mendacia reddebant? dum operabantur iniquitatem, deliciis & ebrietati dantes operam, & sexcenta alia fœdissima perpetrantes. Quod vt verum esse intelligas, audi quæ sequuntur. Indicat enim quod dico, per ea quæ addit, & ait, Qui dormitis in lectis &c. *Hæc ad verbum è Græco Chrysostomi. Cæterum in editione vulgata Amos 6. versus 3.* Qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis. *In editione* LXX. *sic effertur:* οἱ εὐχόμενοι εἰς ἡμέραν, κἀκεῖνοι ἐγγίζοντες καὶ ἐφαπτόμενοι σαββάτων ψευδῶν. orantes in diem, & illi appropinquantes, & attingentes sabbata falsa.

1113. A. Lectum oblinit vnguentis] *Quid legerit Erasmus, diuinare non licet, hoc quidem certe legimus nos:* τότε καὶ εἰς τὸ σῶμα τῆς οἰκείας διαφθορᾶς τὴν κηλῖδα ἐναπομάσσεται διὰ τῶν μύρων. Tunc & in corpus ipsum corruptionis suæ sordes per vnguenta exprimit & abstergit.

1115. A. Non enim iam solum] *In Græco hanc sententiam præcedebat ista:* In diuite autem erat aliquid maius ad illius animum pungen-

A dum. Non enim &c.

1116. C. Vnum factum est vnum] *Huic similis locus est Hom. 9. in 2. Epist. ad Corinth. homines enim voluptarij & Epicurei moribus, nomine solo Christiani, Chrysostomi ætate his verbis à circo petitis vtebantur,* ἓν ἀνθ' ἑνὸς γέγονεν· ἂν δὲ μηδὲν ὅλως ᾖ, δύο ἀντ' οὐδενός. Id est, vnum pro vno extitit: sin autem nihil omnino sit, duo pro nullo. *Quod quidem perinde erat (vt docet doctissimus Iac. Billius c. 14. obseruat. sacrarum lib. 1.) ac si dicerent: Si vera sunt quæ de iustorum præmiis, malorúmque suppliciis narrantur, æqua conditione erimus. Nos enim præsentia habebimus, vos futura. sin falsa & commentitia, nos quidem duplici nomine beati erimus, vt qui & in hac vita in omni voluptatum genere versati fuerimus, & in altero æuo nullas pœnas subituri simus: vos contra miseri, vt qui in hac vita labores susceperitis, & in altera nihilo quàm nos meliore conditione futuri sitis. Iam quæ hic sequuntur, plana erunt & perspicua.*

1117. B. Imo etiam si non assequamur] *Græc.* ἀλλὰ κἂν μὴ μετίωμεν τὴν ἀρετήν, ὅμως ὀδυνώμεθα, ἐπειδὴ μὴ μετερχόμεθα. κἂν μετίωμεν τὴν κακίαν, ὅμως παυσάμενοι &c. *Quæ ita fortè clarius vertas.* Imo etiamsi non sectemur virtutem, dolemus tamen, posteaquam eam non assequimur. Et licet improbitatem sectemur, tamen vbi voluptas ex peccato promanans cessauit, dolorem sentimus.

B

Eiusdem de Lazaro concio secunda: & quòd animæ morte violenta decedentium, non fiunt dæmones: déque iudicio & eleemosyna.

EODEM INTERPRETE.

ADMIRATVS sum charitatem vestram, quum hesterno die de Lazaro † verba facerem, quòd & pauperis illius tolerātiam comprobastis, & diuitis immanitatem inhumanitatémque fuistis detestati. Nam ista non vulgaria sunt * bonæ mentis argumenta. Etenim quamuis non assequamur virtutem, laudemus tamen virtutem, omnino poterimus ad illam pertingere. Similiter autem, si non effugerimus maliciam, tamen vituperemus maliciam, sine dubio poterimus illam effugere. Quoniam igitur multa cum animi beneuolentia sermones illos excepistis, agè quæ restant etiam, vobis C persoluemus. Vidistis illum in vestibulo diuitis, videte eundem hodie in sinu Abrahæ: vidistis illum quum à canibus circumlingeretur, videte eundem ab angelis stipatum: vidistis illum tum in paupertate, videte nunc eundē in deliciis: vidistis illum in fame, videte in multa rerum affluentia: vidistis illum certantem, videte coronatum: vidistis labores, videte prēmium, quotquot estis vel diuites, vel pauperes. Diuites quidem ne putetis diuitias aliquid esse magni, si desit virtus. Pauperes verò, ne iudicetis paupertatē vllum esse malum, vtrisque verò communiter stat hic præceptor ac magister. Etenim si hic in paupertate non * deiecit animum, quàm veniā merentur, qui id faciunt in diuitiis? Si hic in fame tātísque malis degens gratias egit, quid excusationis adferent, qui rebus affluentibus nolunt ad eandem perueniD re virtutem? Rursus pauperes qui indignè molestéque ferunt egestatem: quam impetrabūt veniam, quum hic in fame penuriáque, solitudine & aduersa valetudine vitam assiduè trahens in ædibus diuitis, & ab omnibus despectus, ad hæc non habens alium ad quem eadem perpessum respiceret, sic appareat philosophatus? Ab hoc discamus non pro beatis habere diuites, neque pro miseris habere pauperes. Imò si verū fateri licet, ne diues quidem ille est, qui multis opibus circūuallatus est, sed qui non eget multis. Nec is pauper est, qui nihil possidet, sed qui multa cōcupiscit. Ab hoc discite hunc esse finē paupertatis & opulentię, si quem videris multa cōcupiscentem, existimato illum omniū esse pauperrimum, etiam si possideat omnium opes. Rursum si quem videris non multis egentem, illum omnibus opulentiorē esse ducito, etiamsi nihil possideat. Nam mētis affectu, non facultatum modo, paupertatem & opulētiam æstimare

ἐκίνουν λόγον. — καλοκαγαθίας. — Primus ad virtutem gradus, est alienæ virtuti applaudere. — Transitio fœlix habens propositionē. — Dilemma tacitum. — οὐκ ἀπεδυσπέτησεν non indignatus est. — Diues verè quis.

Simile. æstimare cōsueuimus. Quemadmodum igitur eum qui perpetuò sitit, non dixerimus rectè valere, etiam si copia rerum affluat, etiam si iuxta fluuios ac fontes accumbat. Quid enim prodest illa aquarum copia, quum † affectio maneat insedabilis? Itidem & in diuitibus faciamus, eos qui perpetuò concupiscunt, sitiúntque aliena, ne putemus vnquam esse sanos, nec vllá frui rerum copia. Etenim qui suam ipsius concupiscētiam non potest sistere, etiamsi cunctorum opibus vallatus sit: quomodo futurus est is vnquam in † prosperitate? Eos verò qui quod habent suū, boni consulunt, quíque sua sorte contenti sunt, nec alienas circūspectant facultates: etiāsi fuerint omnium egentissimi, omnium opulentissimos ducere oportet. Non enim qui indiget alienis, sed qui putat sibi satis esse quod habet, omnium est opulentissimus. Sed agedum, ad propositam materiam reuertamur. Accidit, inquit, vt moreretur Lazarus, ac deportaretur ab angelis. Hîc malum quendā morbū cupio vestris animis eximere. Sunt enim plerique simplices, qui B putant animas violenta morte decedentiū fieri dæmones. Hoc autem non fit, non fit, inquam, istud. Non enim animæ violēta morte decedentium fiūt dæmones, sed animæ potius in peccatis viuētium. Non quòd mutetur illarum substantia, sed quòd voluntas dæmonum prauitatem imitetur. Hoc & Christus dixit Iudęis, Vos filij diaboli estis: non quòd in illius naturam essent trāsmutati, sed quam ob rem? Quoniā, inquit, desideria patris vestri vultis facere. Rursus Ioannes: Progenies viperarum, quis commonstrauit vobis, vt fugeretis ab ira ventura? Facite igitur fructum dignum pœnitentia, ac ne velitis dicere: Patrem habemus Abraham. Etenim lex propinquitatis, non qui natura coniuncti sunt, sed qui virtute maliciáve propinqui sunt, eos scriptura solet appellare cognatos. Et cuiuscunque mores aliquis expresserit, huius & filium & fratrē illum esse dicit scriptura. At cuius rei gratia diabolus istā peruersam opiC nionē inuexit? Conatus est martyrū * defodere & obruere gloriam. Etenim quum illi morte violenta decesserint, cupiēs prauam de illis gignere suspicionem, hoc fecit: verùm quod voluit non potuit. Perseuerant enim martyres, proprium obtinentes splēdorem. Quin aliud multò crudelius perpetrauit, maleficis ipsíque inseruiētibus, per has opiniones persuasis, vt tenera multorum adolescētum corpora trucidarēt, sperātes futurū, vt fiāt dæmones, rursúsque ipsis inseruirent. Verùm non sunt ista vera, non sunt inquā. Quid igitur est quod dęmones dicunt, Monachi illius sum anima? Sane propter hoc ipsum non credo, quia dæmones dicunt: decipiunt enim auditores. Quapropter & Paulus ipsis tametsi vera dicentibus imposuit silentium, ne ex veris nacti occasionem, pòst admiscerent mendacia, fidémque sibi cōciliarent. Cùm enim dixissent, isti homines serui Dei altissimi sunt, annunciantes vobis viam salutis, indignatus Apostolus silentium imposuit spiritui pythonico, atD que exire iussit. Et tamen quid mali dicebant? isti homines serui Dei altissimi sunt: sed quoniam plerique simpliciores non norunt semper diiudicare quæ à dæmonibus dicuntur, semel eos exclusit à fide. Ex infamium numero es, inquit, nō est tuum liberè loqui, tace, obmutesce: non est tuum prædicare, apostolorum ista est authoritas. Quid vsurpas quod tuum non est? Sile, infamis esto. Sic & Christus dicentes ipsi dæmones: Nouimus te qui sis, increpauit multa cum acrimonia: nobis legem præscribens, ne quo pacto dæmoni fidamus, etiamsi tibi quod * verum est dixerit. His igitur cognitis, ne prorsus credamus dæmoni: imò etiam si quid veri loquatur, fugiamus * ab illis & auersemur. Nam sana dogmata salutiferáque nō à dæmonibus, sed ex diuina scriptura li-

τὸ πάθος. — εὐπορίᾳ vbertate. — Asseueratio. — Animas violenta morte decedetium non fieri dæmones. — Ioan. 8. — Matt. 3. — Ioan. 8. — Cognatio spiritualis. — διορύξαι. — Similia profitētur tabellæ miraculorū in Italia. — Dæmon nec vera dicens audiendus est. — Act. 16. — Marc. 1. & Luc. 4. — τί ἐστιν. — αὐτῶν cum.

A cet exactè discere. Vt igitur cognoscatis non posse fieri, vt anima corpore egressa veniat sub tyrannidem dæmonum, audi quid dicit Paulus: Qui † enim moritur, iustificatus est à peccato, hoc est nō amplius peccat. Nam si animæ in corpore manenti diabolus non potest inferre vim, perspicuum est quòd nec egressæ. Quomodo igitur, inquis, peccant, si vim non patiuntur? Volentes spontéque ac seipsas iniuria afficientes peccant, non coactæ neque tyrannide oppressæ, ídque declarāt omnes, qui superauerunt illius machinamenta. Veluti beatum Iob, quum innumeris impetisset fraudibus, omniáque miscuisset, non potuit tamen persuadere, vt aliquod verbum blasphemum proferret. Vnde perspicum est quòd in nobis situm est, vt vel obtemperemus, vel non obtemperemus illius insidiis, nec vllam necessitatem, neque tyrannidem patimur ab illo. Non solùm ex his quæ dicta sunt, verùm etiam ex proposita parabola liquet, quòd animæ corpus egressæ, non amplius hîc commoB rantur, sed protinus abducuntur. Accidit enim, inquit, vt moreretur, ac deduceretur ab angelis. Non solùm autem iustorum animæ, sed & eorum qui malè vixerunt illuc deducuntur, atque id rursum ex alio diuite perspicuum est. Postquam enim vberem prouētum produxissent agri ipsius, dicit sibiipsi: Quid faciā? Demoliar horrea mea, ac maiora ædificabo. Nihil isthac mēte infœlicius, verè demolitus est sua ipsius horrea. Nam horrea quæ deprædari non possunt, non sunt muri, sed pauperum vētres, quibus ille neglectis sollicitus erat de parietibus. Quid igitur dicit Deus? Stulte, hac nocte repetunt animam tuā abs te. Hîc inquit, deductam fuisse ab angelis, illic autem repetūt: & hunc quidē ceu vinctum educebant, illum verò vt coronam gestantem stipabant. Et quemadmodū eum qui prius in * cauea multa vulnera accepit, ac sanguine cōspersus est, pòst † diademate capiti addito, hi qui ante caueam stāt, susceptum multa cum laude domum deducunt, applaudētes, bene ominātes, C admirātes: Sic & angeli Lazarum tum deducebāt, illius verò animam repetebāt, metuendæ quædā virtutes fortassis ad hoc missæ: neque enim sua sponte anima ad illam secedit vitam, propterea quòd hoc ne fieri quidem possit. Nam si ciuitatem ciuitate † vertentes egemus deductoribus, multò magis anima à carne diuulsa, & ad futuram transiens vitam, opus habebit viæ ducibus. Quapropter frequenter nunc * emicat, nunc in profundum demergitur, metuítque, & horret quum est à corpore discessura. Nam quum semper nos stimulat peccatorum conscientia, tum verò maximè illa hora, quum hinc sumus abducēdi ad illa * tribunalia, metuendúmque iudicium: tum enim siue quis rapuit, siue fraudauit, siue contumelia affecit, siue cuiquā præter causam inimicus factus est, siue aliud quodcūque facinus perpetrauit: vniuersus illic peccatorū cumulus renouatur, & oculis exhibetur, mentémque stimulat. Et quemadmodum qui tenentur in carcere, semper quidem † deiecti mœrentésD que sunt, maximè tamen sub illum diem quo sunt educendi, & ad ipsas iudicis fores pertrahēdi, & priusquam periclitātur, ac iudicis vocem intus audiunt, exanimantur metu, nihilóque melius afficiuntur, quàm mortui. Sic & anima, maximè quidem in ipso peccati tempore cruciatur & angitur, multò tamen magis quum hinc auulsa abducenda est. Tacete qui hæc auditis, multò maiorem vobis habeo gratiam pro silentio quàm pro plausibus: propterea quòd plausus quidem ac laudes me faciunt gloriosiorem, silentium verò hoc vos reddit compositiores. Noui quòd hæc quæ dicuntur molesta sunt, verùm multum lucri & inenarrabilem fructum adferunt. Diues ille si quem habuisset, qui ipsi talia monita taliáque cōsilia admouisset, ac non potius adulato-

Rom. 6. ὁ γὰρ ἀποθανών, qui .n. mortuus est. — Iob 2. Liberum arbitrium. — Animæ non obambulant. — Luc. 12. — Simile. * ἐν σκάμματι, arena vel circo. † corona c. addita. — ἀμείβοντες. — ἀναδύεται emergit. — τὰς εὐθύνας. — Simile. ἐν κατηφείᾳ. — Acclamationes indecoræ. — Monitio libera.

Universidad de Deusto Biblioteca

res omnia ad gratiam conſulentes,atque ad delicias tra-
hentes, nequaquam veniſſet ad illam gehennam, ne-
quaquam ſupplicia toleraſſet intolerabilia, nequaquam
incõſolabiliter de his pœnituiſſet. Verùm quoniam o-
mnes ad gratiam loquebantur,tradiderũt illum incen-
dio.Vtinam liceret hæc ſemper perpetuóque philoſo-
Eccl.7.
phari, ac de gehenna loqui. In omnibus, inquit, dictis
tuis memẽto nouiſſima tua,& non peccabis. Ac rurſus:
Para ad exitum opera tua, & appara te ad viam. Si quid
Luc.19.
cui rapuiſti,redde, & dicito iuxta Zacchæum: Do qua-
addẽ è Gr. *Si quem decepiſti.*
druplum,ſi quid rapui. † Si cui factus es inimicus, recõ-
ciliare priuſquam veniatur ad iudicium.Omnia hîc diſ-
Pœnitentia ſera poſt mortem.
ſolue, vt citra moleſtiam illud videas tribunal. Donec
hîc fuerimus;ſpes habemus præclaras:ſimul atque verò
diſceſſerimus illuc,non eſt poſtea in nobis ſitum pœni-
tere, neque commiſſa diluere.Quapropter oportet nos
aſſiduè præparari ad egreſſum hinc faciendum . Quid
enim ſi domino viſum fuerit hoc veſpere vocare nos?
Quid ſi cras?Incertum enim quid futurum ſit, vt perpe-
tuo ſimus in certamine, & ad illam profectionem in-
ſtructi, quemadmodum hîc Lazarus ſemper erat in to-
lerantia patientiáque, quapropter tanto cum honore
Plato in Cratylo, σῶμα quaſi σῆμα.
deductus eſt. Mortuus eſt autem diues, & ſepultus eſt,
nimirum anima illius in corpore, tanquam in monu-
mento deffoſſa, ac ſepulchrum circunferente nempe
carnem. Non ſecus enim ille quàm ſi catena quadam,
temulentia ac ventris ingluuie vinctus eſſet, ſic otioſam
illam ac mortuam reddiderat. Ne leuiter prætercurras
Diuitis mors.
illud,* ſepultus eſt.Hîc mihi conſidera menſas argento
* ἀγαπητὲ *dilecte.*
circuntectas,lectos,tapetia,ornamenta quæ tota in do-
mo ſunt omnia,vnguenta, aromata, vini meri copiam,
eduliorum varietates,ciborum delicias,coquos, adula-
tores,ſtipatores, famulos, ac reliquam vniuerſam pom-
pam ſtrepitúmque extinctum marcidúmque factum.†
πάντα σποδός.
Vbique cinis,vbique fauilla & puluis, lamẽta & luctus,
nemine ſuccurrẽte, neque ſemel egreſſam animam po-
ſtea reuocante. Tunc declaratur quid poſſit aurũ,quid
poſſint copioſæ diuitiæ. Siquidem ex tam frequenti fa-
εὐπορίας *affluentia.*
mulitio nudus abductus eſt & ſolus, nihil ex tanta † be-
neficentia ſecum ferre volens,ſed deſertus, indefenſus,
addẽ è Gr. *cum colebant, qui auxiliabãtur.*
ac neglectus: nullus eorum qui prius * auxiliabantur a-
derat, erepturus à pœna ac ſupplicio, ſed ab illis omni-
bus diuulſus,ſolus in ſe † recepit vt illa non ferenda ſup-
plicia ſuſtineret. Verè omnis caro fœnũ, & omnis glo-
† ἀπελαμβάνετο.
ria hominis tanquam flos graminis exaruit, gramen &
Eſa.40.
flos decidit,ſed verbum domini manet in æternum.Ve-
nit mors & extincta ſunt illa omnia. Nec aliter quàm
captiuum arreptum ſic illum abduxit demiſſis oculis,
pudore plenum,non audentem hiſcere, trementem,pa-
uidum, perinde quaſi in ſomnis vniuerſis illis deliciis
fruitus fuiſſet. Ac poſt hæc ſupplex diues factus eſt
pauperi, atque nunc illius eget menſa, illius qui du-
dum eſuriebant, illius qui canum roſtris obiectus iace-
bat. Breuiter res commutatæ ſunt, vniuerſi cognoue-
runt vter fuerit diues, vter pauper, quódque Lazarus
quidem omnium fuerit opulentiſſimus, ille contrà om-
Simile à fabulis ſcenicis.
nium pauperrimus. Quemadmodum enim actores in
ſcena, regum ac ducum perſonas, item medicorum ac
rhetorum, ſophiſtarum ac militum aſſumentes ingre-
diuntur, quum ipſi nihil horum ſint: ſic ſanè & in
præſenti vita, paupertas ac diuitiæ nihil aliud ſunt,
quàm perſonæ. Sicut igitur in theatro ſedens, ſi quem
videris,ex his qui extra ſcenam pedibus ingrediuntur,
perſonam geſtantem regis, non iudicas eum beatũ,ne-
que regem eſſe credis,imo nec ipſe optaris eſſe talis:ſed
quũ ſcias quòd ſit quiſpiã ex his qui verſantur in foro,
funium opifex,aut faber erarius,aut aliud quicquam ta-
le,non iudicas illum beatum ob perſonam,aut ob veſtẽ

A ad talos demiſſam, neque ex hiſce rebus æſtimas illorũ
vitã,ſed deſpuis potius illũ ob aliã vtilitatẽ. Sic ſanè &
hîc,velut in theatro,videlicet in mundo ſedẽs,& in ſce-
na ludẽtes ſpectans,vbi videris cõplures diuites, ne pu-
tes verè diuites eſſe, ſed diuitũ obtectos perſonis. Nam
quemadmodũ ille qui in ſcena regẽ aut belli ducẽ agit,
frequẽter eſt famulus eorũ qui ficus aut botros vendũt
in foro: itidem & hic diues crebrò pauperior eſt omni-
bus.Quòd ſi detraxeris illi perſonã,ſi conſcientiã expli-
ces & ingrediaris animũ, multã illic offendes virtutis i-
nopiã, cõperieſq; omniũ hominũ abiectiſſimũ: Quem-
admodũ enim inſtante veſpera, digreſſiſque qui conſe-
derant,vbi fuerint è theatro egreſſi,habitúmque fabulæ
depoſuerint: qui prius reges ac duces eſſe videbantur,
pòſt apparẽt hoc quod ſunt:Ita ſanè & nunc,poſtquam
mors aduenerit, theatrúmque dimiſſum fuerit, quũ di-
uitiarũ paupertatíſque perſonas depoſuerint, omnes il-
luc profecti, atque ex ſolis operibus iudicati, declarant
B qui verè ſint diuites,qui verè pauperes:qui honorati, &
qui † humiles. Itaque frequenter fit, vt qui hîc in diuitũ
ἄδοξοι.
numero fuerit,illic reperiatur omnium pauperrimus, id
quod accidit huic diuiti.Nã ſimulátque incubuerat veſ-
pera,hoc eſt mors, éque præſentis vitæ theatro egreſſus
eſt, perſonámque depoſuit, viſus eſt illic omnium eſſe
pauperrimns:adeò verò pauper,vt ne guttã quidẽ aquæ
haberet in ſua poteſtate,ſed pro hac rogaret:neq; quod
petebat,cõſequi potuerit. Quid hac paupertate paupe-
rius eſſe poſſet?Sublatis enim oculis ſuis,ait ad Abrahã:
Pater,miſerere mei, & mitte Lazarũ vt intingat ſummũ
digiti ſui in aquam, † & inſtillet ori meo. Vides quanta
Gr. refrigeret linguã meam.
ſit afflictio? Quum proximus eſſet Lazarus, præteribat:
nunc quum procul abſit,inuocat: quem frequenter in-
grediens & egrediens non videbat, hunc procul ſemo-
tum diligenter aſpicit. Sed quam ob cauſam illum in-
tuetur? Frequenter † dixerat diues iſte, Quorſum mihi
† *Fortaſſe dix.*
opus pietate ac virtute? cuncta mihi velut è fonte af-
ἐκ πηγῶν.
C fluunt,multa fruor proſperitate, * nihil ſuſtineo rerum
* addẽ è Græc. *multu opibus.*
inopinatarum:quam ob rem expeto virtutem?Hic pau-
per qui iuſtè piéque viuit, innumera patitur mala. Hæc
nunc quoque † frequẽter dicunt.Vt igitur radicitus has
multi freq.
reuelleret opiniones, demonſtrat illi quòd malitiæ re-
poſita ſit vltio: contrà, honor & corona laboribus pro
pietate ſuſceptis. Non propter hoc ſolùm autem vidit
illum, ſed vt quæ paſſus fuiſſet pauper, hæc nunc & di-
ues pateretur multò grauius. Quemadmodum enim
illi moleſtiorem reddidit cruciatum, quod in veſtibulo
diuitis iacebat,quod videret aliena cõmoda:ſic & huic
grauiorem reddidit cruciatũ, quòd in gehenna iaceret,
quod Lazari videret delicias,quò nõ ſolùm natura ſup-
pliciorum, verùm etiam comparatione honoris illius
intolerabiliorem haberet cruciatum. Et quemadmodũ
Adam è paradiſo eiectum è regione paradiſi habitare
iuſſit Deus,vt aſſiduus conſpectus renouans moleſtiam,
exactiorem illi præberet ſenſum expulſionis è bonis:
D Ita ſanè & hunc è regione Lazari conſtituit, quò vi-
deret quibus bonis ſeipſum priuaſſet:Miſi tibi,inquit,in
veſtibulo Lazarum, vt tibi ad virtutem doctor eſſet, †
Gr. φιλανθρωπίας ὑπόθεσις, *benignitatis m.*
doctrinæque materia:contempſiſti lucrum: noluiſti ad
quod oportuit vti ſalutis occaſione, vtere poſthac illo
ad maioris cruciatus,ſuppliciíque materiam. Ex his di-
ſcimus,quòd omnes qui à nobis ſunt contumeliis & in-
iuriis affecti,tunc ante faciem noſtram ſtatuẽtur. Quan-
quam hic nihil à diuite accepit iniuriæ, neque enim il-
lius pecunias vſurparat diues, ſed ſuas non impartiuit.
Quòd ſi is qui ſua non impartiit, accuſatorẽ habet eum
cui negauit miſericordiam: qui aliena quoque rapuerit,
quam veniam conſequetur,vndique ipſum circunſtan-
tibus quos affecit iniuria?Non enim illic opus erit teſti-
bus,

bus,neque accuſatoribus, neque probationibus, neque
ſignis, verùm ipſæ per ſe res tales, quales eas geſſimus,
ante oculos noſtros apparebunt.Ecce enim,inquit,ho-
Rapina eſt, non communicare pauperibus tua.
mo & opera eius.Siquidem & hoc rapina eſt,nõ impar-
tiri de tuis facultatibus. Ac fortaſſis vobis mirum vide-
tur eſſe quod dico, verùm ne miremini:teſtimonium e-
nim vobis è diuinis ſcripturis proferam, dicens quod
non ſolùm rapere aliena, verùm etiam tua non imparti-
re cæteris,& rapina ſit,& fraudatio, & ſpoliatio. Itaque
Dominus Iudæos accuſans per prophetam dicit: Pro-
Eſa.3.
duxit terra prouentum ſuum, & non intuliſtis decimas,
ſed rapina pauperis eſt in domibus veſtris. Quoniam,
inquit, oblationes ſolitas non dediſtis, rapuiſtis ea quæ
ſunt pauperis. Hoc autẽ dicit,declarans diuitibus quod
res pauperum poſſidẽt, etiam ſi paterna hæreditate ob-
uenerint, etiamſi vndecunque aliunde collegerint pe-
cunias.Ac rurſum alibi dicit: Ne ſpolies vitam pauperis:
qui verò ſpoliat, aliena tollit. Nam ſpoliatio quædam
dicitur, quum aliena accepta detinemus. Propter hoc
B igitur diſcamus, quod quoties eleemoſynam non præ-
ſtiterimus, pari cum his qui ſpoliant, ſupplicio afficie-
mur. Heriles enim pecuniæ ſunt vndecunque eas colle-
gerimus; & ideo tibi plura poſſidere conceſſit Deus,nõ
vt in ſcortationes, temulentiam, ingluuiem, in veſtes
ſumptuoſas,aliámque molliciem conſumeres,ſed vt ea
Simile.
diſtribueres egẽtibus. Quemadmodum enim receptor
quiſpiam qui regias pecunias accepit, ſi neglexerit his
quibus iuſſus eſt diſtribuere, ínque proprias cõſumpſe-
rit delicias, pœnas dat ac perditur: ita ſanè & diues re-
ceptor quiſpiam eſt pecuniarum, quæ pauperibus diſtri-
Sententia dura.
bui debebant.Itaque quum in mandatis habeat, eas di-
ſtribuere ſuis cõſeruis egentibus, ſi quid amplius quàm
poſtulet neceſſitas in ſeipſum inſumpſerit, grauiſſimas
Diuitiæ tũ demum noſtræ ſiunt, cùm dantur pauperibus.
illic daturus eſt pœnas. Non enim ſunt ipſius quæ poſ-
ſidet,ſed conſeruorum illius. Parcamus igitur iis tanquã
alienis,vt fiant noſtra. Quomodo autem illis parcemus
C tanquam alienis? Si illas nõ in vſus ſuperuacuos inſum-
pſerimus, † ſed pauperum manibus impartiuerimus.
† addẽ è Gr. *neque adeo in noſtros tantum vſus, ſed paup.*
Etiam ſi fueris opulẽtus, ſed plus quàm opus eſt inſum-
pſeris, rationem reddes pecuniarum tibi creditarum.
Hoc idem fit in magnatum ædibus, multi ſuas ipſorum
apothecas famulis ſuis commiſerunt, verùm illi quibus
commiſſæ ſunt, ſeruant quæ tradita ſunt, nec abutuntur
commiſſis: verùm vbi iuſſerit dominus, diſtribuunt.
Hoc tu quoque facito. Etenim accepiſti plura cæteris,
non vt ea ſolus conſumas, ſed vt eorum cæteris bonus
fias diſpenſator. Operæprecium autem fuerit & illud
Lazarus quare in ſinu Abrahæ.
conſiderare. Quid tandem? Non apud alium iuſtum La-
zarum, ſed in ſinu vidit Abrahæ. Hoſpitalis erat Abra-
ham,vt igitur redarguatur diuitis inhoſpitalitas,propte-
rea Lazarum cum illo videt. Ille etiam prætereuntes ve-
nabatur,& in domum pertrahebat ſuam:hic verò etiam
intra domum iacentem deſpexit, quúmque talem the-
ſaurum haberet, ſalutis parandæ materiam præteribat
προξενίᾳ.
D quotidie, nec in quod oportebat, vſus eſt pauperis *
propinquitate. At non ita Patriarcha,ſed omnia contrà.
ἐσαγηνεύε *venabatur.*
Pro foribus ſedẽs † introducebat prætereuntes omnes,
Simile.
& quemadmodum piſcator iacto in mare reti, piſcem
quidem attrahit, attrahit autem frequenter & aurum &
margaritas: itidem & hic reti captans homines, piſca-
tus eſt tandem & angelos, quódque mireris etiã inſciẽs.
Hoſpitalitas in omnes.
Id quod & Paulus in huius laudibus dixit, Sectare ho-
ſpitalitatem, per hanc enim quidam inſcientes hoſpitio
Heb. vlt.
exceperunt angelos, ac rectè dixit, inſcientes. Nam ſi
ſciens illos excepiſſet tanta cum humanitate, nihil ma-
gni mirìve feciſſet. Sed hæc tota laus, quod ignorãs quí-
nam eſſent qui præteribant, nec aliud eſſe credens quã
homines viatores, cum tãta alacritate vocauit intrò. Tu

A quidẽ igitur ſi quem nobilem ac ſplẽdidum exceperis,
multámque præſtiteris alacritatem, nil mirum eſt. Nam
virtus eius qui excipitur, etiam inhoſpitalem frequẽter
adigit, vt omnem exhibeat humanitatẽ: cæterùm illud
maximum & admiratione dignum, quoties & vulgares,
& † ignotos, ac viles multa cum beneuolẽtia excipimus.
ἀπερριμμένους, *abiectos.*
Propterea dicit, * Quicquid feceritis vni ex his mini-
mis qui credunt in me, mihi feceritis. Ac rurſus, ita non
Matt.25.
eſt voluntas coram patre veſtro, vt pereat vnus ex puſil-
* addẽ è Græc. *Chriſtus excipiens eos qui ita faciunt.*
lis iſtis. ac iterum, Quicunque offenderit vnum ex puſil-
lis iſtis, expedit ei vt appendatur mola aſinaria circa cer-
uicem illius, & abiiciatur in mare. Denique multus vbi-
que eſt Chriſto de puſillis & minimis ſermo: † quando-
Matt.18.
quidem & Abraham ſciens nõ excutiebat quales eſſent
Quod quidem. lego ὅπερ, nõ ὥσπερ.
prætereuntes, nec vnde venirent, quemadmodum nos
nunc facimus, ſed ſine delectu prætereuntes excipiebat
omnes. Nam eum qui præſtat humanitatem, non opor-
tet expoſcere vitæ rationem, ſed inopiæ mederi, neceſ-
B ſitatíque ſuppeditare. Vnicum habet patrocinium pau-
Egenti vel improbiſſimo impertiendum.
per, quod eget, quódque in neceſſitate conſtitutus eſt,
ne quid ab illo poſtules amplius: Sed etiam ſi fuerit om-
niũ improbiſſimus, & eguerit neceſſario victu, ſedemus
Matt.5.
illius famem. Ita & Chriſtus præcepit: Eſtote, inquit, ſi-
miles patris veſtri qui eſt in cœlis, qui Solem ſuum oriri
facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniu-
ſtos. Portus eſt in neceſſitate conſtitutorum homo mi-
ſericors. Portus autem omnes qui in naufragium inci-
derint excipit liberátque, ſiue mali fuerint, ſiue boni, de-
nique quicunque fuerint qui periclitantur, in ſinus ille
ſuos excipit. Tu proinde ſi videris hominem qui in ege-
ſtatis naufragium inciderit, ne iudica, ne vitæ geſta
examina, ſed medere miſeriæ. Quid ipſe tibi negotium
accerſis? Liberauit te Deus omni tali ſollicitudine, &
curioſitate. Quàm multa plerique fuerant dicturi,
quámque difficiles erant futuri, ſi Deus præcepiſſet,
vt prius accuratè vitam factáque ſingulorum diſqui-
C reremus, ac tum demum conferremus eleemoſynam?
Nunc hac omni curioſitate nos liberauit. Cur ergo
curas ſuperuacaneas nobis accerſimus? Aliud eſt iu-
dex, aliud eleemoſynæ largitor. Ideo vocatur elee-
moſyna, quod eam & indignis damus. Vnde & Pau-
lus dixit: Quod bonum eſt facite erga omnes, ſed ma-
Galat.6.
ximè erga domeſticos fidei. Quòd ſi indignos curio-
ſè diſcutiamus diſquiramúſque, ne digni quidem fa-
cilè in nos incident. Quòd ſi indignis quoque præſti-
terimus beneficium, nimirum & digni, quíque om-
nium illorum malitiam virtute penſent, venient in ma-
nus noſtras: ſicut euenit beato Abrahæ, cui minimè
curioſo quales eſſent qui præteribant, contigit tandem
vt & angelos exciperet hoſpitio. Hunc igitur & nos i-
mitemur, ſimulque cum hoc nepotem illius Iob. Quan-
Iob nepos Abrahæ. Iob.31.
doquidem & hic progenitoris ſui magnanimitatem
ſumma cum diligentia eſt imitatus. Eóque dicebat: o-
ſtium meum iugiter patebat cuiuis aduenienti. Non
D ſic huic patebat, vt alteri eſſet occluſum, ſed indiffe-
renter apertum erat omnibus. Hoc exemplum & nos
imitemur, nihil exquirentes vltrà quàm oportet. Nam
ad hoc vt pauper dignus habeatur eleemoſyna, ſatis
eſt egeſtas. Quòd ſi quis cum hac commendatione nos
adierit, ne quid amplius curioſè ſcrutemur: nec enim
ὁ τῷ τρόπῳ, ἀλλὰ τῷ ἀνθρώπῳ.
moribus * demus, ſed homini: nec illius ob virtutẽ nos
* damus.
eius * miſereat, ſed ob calamitatem, quò nimirum & ipſi
* miſeret.
copioſam à Domino miſericordiam nobis cõciliemus,
* vt & in nos, qui indigni ſumus, ille ſuam &c.
* ipſique digni ſimus in quos ille ſuam cõferat benigni-
tatem. Nam ſi in conſeruis noſtris cœperimus exquire-
re dignitatẽ, moréſque veſtigare, idem & Deus facturus
eſt in nobis, dúmque ſtudemus à conſeruis repoſcere
vitæ cauſas, ipſi superni numinis benignitatem amitte-

Universidad de Deusto Biblioteca

Matt. 7.

mus.In quo enim,inquit,iudicio iudicaueritis, iudicabimini.Sed ad rem redeamus. Itaque quum videret illum in ſinu Abrahæ,ait: Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum. Quamobrem non ad ipſum Lazarũ direxit ſermonem? Pudor obſtabat ac verecundia. Ex iis enim quæ in illum fecerat, arbitrabatur illum omnino meminiſſe malorum præteritorũ.

Diues cur Abrahã appellat potius quàm Lazarum.

Quoniam ſi ego, inquit,tanta rerũ affluens copia,nihil ab illo læſus adeò deſpexi hominem, vt ne micas quidem impertierim, quantò magis ille ſic contemptus, non annuet petenti beneficium?Hæc non vt Lazarum accuſemus,dicimus. Neque enim hoc animo fuit Lazarus, abſit:ſed cauſam indicamus quid hic veritus non implorarit ipſum Lazarum, ſed potius Abraham inclamarit, quem exiſtimabat neſcire quæ fuerant acta. Atque illius digitum nunc implorabat,quem crebrò paſſus fuerat exponi canum linguis.Quid igitur ille?Fili.recepiſti bona tua.Vide philoſophiam,vide humanitatem iuſti. Nõ dixit,inhumane,crudelis,ſceleratiſſime,quum tam multa commiſeris in hominem, nunc mentionem nobis facis humanitatis,miſericordiæ,& veniæ? Non pudet? Non erubeſcis?Sed quid dicit?Fili,inquit, recepiſti bona tua. Nam animæ, inquit, deiectæ non addes perturbationem.Satis eſt illi ſuus cruciatus, vt ne illius calamitatibus inſultem°.Ac ne putares, quod * memor præteritorum malorum vetuerit abire Lazarum, filium illum appellat.Quod in mea,inquit, poteſtate eſt, impertio tibi: cæterùm vt hinc abeamus, * non eſt iam noſtræ facultatis. Recepiſti bona tua. Quare non dixit, cepiſti, ſed recepiſti? Hinc video magnum conſiderationum mare nobis aperiri.

μνησικακῶν.

* illuc, nõ.

Recepiſti bona,quare dictũ.

Quapropter quæ dicta ſunt ſumma cura ſeruantes, tam quæ hodie quàm quæ heri diſſerta ſunt, ſummo cum ſtudio reponamus,& ex his quę dicta ſunt, ad audienda quæ pòſt dicentur, nos ipſos magis idoneos reddamus. Et quidem ſi fieri poſſit, facite vt omnium memineritis. Quòd ſi id fieri non poteſt,hortor vt pro omnibus illud perpetuò memineritis, quod non communicare pauperibus, eſt rapinam in illos exercere, illorúmque fraudare vitam: quódque non noſtras,ſed illorum res detinemus. Nam ſi hoc animo fuerimus, pecuniam omnem * effuderimus, ac Chriſtum eſurientem hîc alentes,multámque hinc nobis opulentiam recondentes, poterimus futurorum eſſe compotes bonorum: quæ nobis omnibus aſſequi contingat, gratia ac benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cũ Patre & Spiritu ſancto gloria,honor, poteſtas, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

* effundemus.

Fol. 1120. B. Etenim quanuis non] Græc. καὶ γὰρ μὴ μετιῶμεν ἀρετὴν, ἐπαινῶμεν δὲ ἀρετὴν, δυνησόμεθα πάντως αὐτὴν μετελθεῖν. καὶ μὴ φεύγωμεν κακίαν, ἀλλὰ ψέγωμεν κακίαν, δυνησόμεθα πάντως αὐτὴν ἐκφυγεῖν. Etenim quanuis nõ ſequamur virtutem,ſi laudemus virtutem,poterimus omnino illam aſſequi: ſic & quanuis non fugiamus nequitiam, ſi tamen nequitiam vituperemus, prorſus illam effugere poterimus.

1121.B. Etenim lex propinquitatis] Gr. συγγενείας γὰρ νόμους, οὐ τοὺς ἀπὸ τῆς φύσεως, ἀλλὰ τοὺς ἀπὸ τῆς ἀρετῆς καὶ τῆς κακίας οἶδεν ἡ γραφὴ καλεῖν. Cognationis enim leges,non quæ à natura ſunt, ſed quæ à virtute vel improbitate,ſolet proferre ſcriptura.

1122.D. Priuſquam periclitantur] *Interpres videtur legiſſe* περὶ τῶν κινδύνων. *at in impreſſo erat*, περὶ τῶν κιγκλίδων ἑστῶτες, pro cancellis fori ſtantes: *vel*, etiam in ipſo aditu valuiſque fori dum ſtant. *Suidas*: κιγκλίδες, αἱ τῶν δικαστηρίων θύραι, ὁ κάγκελος.

Ibidem. Tacete qui hæc auditis] Gr. σιγᾶτε ταῦτα ἀκούοντες; Ergo tacetis, dum hæc auditis? *Non enim imperat ſilentium,ſed voluntariam collaudat taciturnitatem.*

1123.D. Qui extra ſcenam pedibus] *Videtur legiſſe*, τῶν ἔξω πεζευόντων. *In Oxonienſi lego*, τινὰς τῶν κάτω παιζόντων, ex his qui inferiori parte ludunt. *vt paulo poſt*, παίζοντας βλέπων, ludentes ſpectans.

1127.A. Exponi canum linguis] *Quaſi eſſet*, περιλιχμῶσαι. *reperi in impreſſo*, ὃν ταῖς γλώσσαις τῶν κυνῶν ἀφῆκε περιλιχθῆναι πολλάκις. quem ſæpe canum linguis paſſus eſt circumlingi. *vt in ipſo exordio orationis*, εἴδετε αὐτὸν ὑπὸ κυνῶν περιλειχόμενον.

A *Eiuſdem de Lazaro concio tertia, & quare non dixerit, cepiſti, ſed, recepiſti: & quamobrem iuſti incidunt in pericula quum peccatores effugiant.*

EODEM INTERPRETE.

HAVDQVAQVAM mediocrem nobis vtilitatem attulit de Lazaro parabola, tum diuitibus,tum pauperibus,vt quæ hos quidem docuerit facilè perferre inopiam, illos verò non paſſa ſit efferri ſibíque placere ob diuitias, quum ex ipſis rebus demonſtrarit, illum omnium eſſe maximè miſerabilem, qui vitã agit in deliciis,nulli ſua bona communicans.Agè igitur & hodie denuò tractemus idem argumentum, quandoquidem qui in metallis operantur, vbicunque viderint multas auri venas,illic fodiũt acrius, nec prius abſiſtunt, quàm totum quod reperiri potuit,exhauſerint.Redeamus igitur illuc,vbi ſermonem heri finiuimus,vt illinc eundem

Simile. Diligentia in ſcrutãdis ſcripturis.

B inſtauremus.Poteramus quidem vnius diei opera vobis totam hanc explanare parabolam:verùm non hoc agimus,vt nos multa loquuti diſcedamus, ſed vt vos diligenter acceptis,animóque infixis quæ dicta ſunt,ex iſta cuſtodia ſentiatis fructum aliquem ſpiritalem. Nam & mater † amãs, quum infantem lactẽtem parat ad ſolidũ cibum adducere, ſi ſimul multum meri infundat ori, nihil prodeſt infanti, refundente puero quod datur, ac tuniculam qua pectus tegitur irrigante. Quòd ſi ſenſim ac paulatim infundat, puer quod traditum eſt, abſque moleſtia tranſmittit.Proinde ne vobis itidem quod traditum fuerit, effluat:nõ † ſemel vobis inclinauimus doctrinæ poculum, ſed in dies aliquot partiti ſumus, paſſi vos interim hiſce diebus interquieſcere ab audiendi labore,quò ſimul & ea quæ depoſuimus,ſic infigãtur animo veſtræ charitatis,vt excidere non poſſint, & ea quę dicentur ſedatis ac vegetis mentibus excipiatis. Eóque crebrò vobis prædicimus multis antè diebus argumen-

Simile. † φιλόστοργος.

Doctrina ſacra paulatim inſtillanda.

† ἀθρόον.

C tũ de quo ſumus loquuturi,vt his in medio diebus,ſumpto libro, perpenſáque rei ſumma tota,poſteaquam intellexeritis quod dictum ſit,quid reſtet dicendum, mẽtem veſtram inſtructiorem reddatis ad audienda quæ poſt differentur. Idque ſemper hortor & hortari non deſinam, vt non hîc tantum attendatis iis quæ dicuntur,verumetiam quum domi fueritis,aſſiduè diuinarum ſcripturarum lectioni vacetis. Quod quidem & iis qui priuatim mecum congreſſi ſunt, non deſtiti inculcare. Ne quis enim mihi dixerit:Sunt frigida illa verba, multa inſunt quæ contemni debeant. Ego forenſibus cauſis affixus ſum, publica gero negocia, artificium exerceo, vxorem habeo, alo liberos, familiæ curam gero, mundanus homo ſum, non eſt meum legere Scripturas, ſed eorum qui mundo dixerunt vale,qui montium vertices occuparunt, qui vitam eiuſmodi continenter agunt. Quid ais homo? Nõ eſt tui negocij ſcripturas euoluere,

Omnes hortatur ad lectionem ſacrorum voluminum.

D quoniam innumeris curis diſtraheris? Immò tuum magis eſt quàm illorum. Neque enim illi perinde ſcripturarum egent præſidio, atque vos in mediis negotiorum vndis iactati.Nam monachi quidem à foro forenſibúſque negotiis liberi,quíque in deſerto fixere tuguriola, neque cum quoquam habẽt commercium,ſed in illa quieta tranquillitate cum omni ſecuritate philoſophantur, ac velut in portu ſedentes, rebus vehementer tutis fruuntur. Nos contra velut in medio mari fluctuãtes, innumeríſque velimus nolimus peccatis obſtricti, ſemper opus habemus perpetuo iugíque ſcripturarum ſolatio.Illi ſedent procul à cõflictu, eóque nec accipiũt multa vulnera. Tibi verò quia perpetuò ſtas in acie, quia frequentes accipis plagas, idcirco magis opus eſt remediis,vt quem & vxor prouocat, & filius contriſtat, atque

βίαιον.

atque ad iram commouet, & inſidiatur hoſtis, & inuidet amicus, & vicinus inſectatur, & commilito ſupplantat, frequenter & iudex minatur, & paupertas eſt moleſta, & domeſticorum amiſſio luctum adfert, & proſperitas inflat,& aduerſitas contrahit.Breuiter,* varia curarum, varia perturbationis, varia mœroris,varia iactantiæ, varia tumoris, tum occaſio, tum neceſſitas, * vos vndiquaque circumuallat,innumeráque ex omni parte tela volitant: vnde neceſſe eſt indeſinenter à ſcripturis armaturam ſumere.

varia iracundiæ, v.curar.

nos.

Eccleſ.9.

Agnoſce igitur quod in medio laqueorum incedis, quódque in pinnaculis ciuitatis ambulas. Carnis enim concupiſcentiæ acrius inſurgunt aduerſus eos, qui in hominum viuunt frequentia, quos & decora facies, & corporis nitor capit per oculos, & verbum obſcœnum per aureis ingreſſum turbat nobis rationem frequenter, & * arte modulata cantio animi conſtantiam labefacit.Sed quid hęc commemoro? Quod his omnibus videtur eſſe vilius, vnguentorum odor alicunde aſpirans à mulierculis in fornicibus

μέλος κατακεκλασμένον.

B quæſtum meretricium exercentibus,ex ſimplici occurſu comprehẽdit & abducit captiuum. Adeò multa ſunt quæ noſtram oppugnãt animam, eóque opus habemus diuinis remediis, quò ſimul & iam acceptis vulneribus medeamur, & quæ nondum quidem inflicta ſunt, ſed pòſt infligerentur, prohibeamus eminus venientia diaboli ſpicula extinguentes depellentéſque per aſſiduam ſcripturarum lectionem. Neque nunc fieri poteſt, non poteſt inquam fieri, vt quiſquam ſalutem aſſequatur,ni perpetuò verſetur in lectione ſpiritali. Immo præclarè reuera, præclarè inquam nobiſcum agitur, etiamſi perpetuò huius medicamenti participes, aliquãdo ſalutem conſequi poſſimus. Quòd ſi quotidie vulneremur, medelam verò nullam adipiſcamur:quæ fuerit ſpes ſalutis? An non vides fabros ærarios, aurifices, fabros argentarios, denique eos qui quamcunque exercent artem, omnia artis inſtrumenta habere parata & integra,quamuis cõpellat fames,quamuis affligat inopia, omnia præ-

Magis tentantur qui verſantur in ciuitatibus.

Scripturarum lectio aduerſus concupiſcentias carnis.

C optantes ſuſtinere potius quàm vt ex inſtrumentis artificij quippiam vẽdere velint,atque hinc ali.Itaque multi frequenter potius habuerunt ad vſuram accipere, quàm vel minimum aliquid ex artis inſtrumentis oppignerare: idque iure optimo.Norunt enim quòd diuenditis illis,ars vniuerſa ipſis ſit inutilis,totúmque quæſtus fundamentum ſublatum: illis autem manentibus, fieri poteſt vt contractum æs alienum progreſſu temporis aliquando diſſoluant iugiter vtentes artificio. Quòd ſi priuſquam diſſoluerint æs alienum,aliis ea vendãt, iam non eſt vnde poſſint ſolatium aliquod famis inopięque excogitare. Hoc ſanè animo nos quoque præditos eſſe oportet: quemadmodum enim illis artis inſtrumenta ſunt, malleus, incus, forceps: ſic & nobis artis inſtrumenta ſunt Apoſtolorum ac Prophetarum libri,omníſque ſcriptura diuinitus inſpirata * & vtilis. Et quemadmodum illi per inſtrumenta quicquid faciendum ſuſceperint perficiunt: ita ſanè & nos per hos fabricamur

2.Tim.3.

& vtilis abeſt à Græca.

D animam noſtram deprauatámque corrigimus, & inueteratam renouamus.Atque illi quidem hactenus modo præſtant ſuam artem vt formam addant rebus,neque enim poſſunt materiam vaſorum tranſmutare, neque ex argento aurum reddere:ſed harum rerum figuras componunt duntaxat. Tu verò non ita,ſed amplius quiddã potes. Nam ligneum vas acceptum, poteris aliquando reddere aureum,cui rei teſtis eſt Paulus,in hunc loquẽs modum: In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea,ſed & lignea fictiliáque.Si quis igitur expurgauerit ſeipſum ab his omnibus,erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile domino ad omne opus bonum præparatum. Itaque ne negligamus nobis parare

2. Tim.2.

A libros, ne circa vitalia vulnus accipiamus. Nec aurum defodiamus, ſed nobis ipſis recondamus theſaurum librorum ſpiritalium. Aurum quidem quum maximè creſcit, tum maximè inſidiatur poſſidentibus:libri verò repoſiti multam adferunt habẽtibus vtilitatem.Quemadmodum enim arma regalia repoſita etiamſi nemo fuerit qui poſſideat, tamen iis qui habitant in ædibus vbi repoſita ſunt, multam præbent cuſtodiam ac tutamen, dum neque latrones, neque parietum perfoſſores, neque alius quiſpiam ſceleratorum audet eam aggredi domum: Sic vbicunque fuerint libri ſpiritales, illinc omnis expellitur vis diabolica,multáque inhabitantibus accedit conſolatio.Quandoquidem ipſe etiam per ſe librorum aſpectus ſegniores nos reddit ad peccandum. Siue enim quippiam auſi fuerimus eorum quæ prohibita ſunt,nóſque ipſos reddiderimus pollutos,reuerſi domum, conſpectíſque libris acrius nos condemnat conſcientia,reddimúrque contentiores ad eadem repetenda.

Diſsimile.

Simile.

Sacrorum librorum laus.

B Rurſum ſiue in ſanctimonia perſtiterimus, ex libris reddimur tutiores firmioréſque. Nam ſimulátque tetigit aliquis Euangelium, mox compoſuit ſuam ipſius mentem, & à rebus mundanis abduxit, ídque ex ipſo ſolo aſpectu. Quòd ſi acceſſerit diligens lectio, non aliter quàm in ſacris adytis rebus diuinis vacans anima,ſic repurgatur,meliórque redditur, Deo cum ipſa per illas ſcripturas colloquente. Quid igitur,inquiunt,ſi non intelligamus ea quæ continentur libris? Maximè quidem etiamſi non intelligas illic recondita, tamen ex ipſa lectione multa naſcitur ſanctimonia. Quanquam fieri nõ poteſt vt omnia ex æquo ignores, propterea ſiquidem ſpiritus gratia diſpenſauit illa, temperauítque, quò publicani, piſcatores, tabernaculorum opifices, paſtores, * & Apoſtoli,idiotæ,illiterati,per hos libros ſalui fierẽt, ne quis idiotarum ad hanc difficultatis confugere poſſit excuſationem, vt omnibus facilia conſpectu eſſent ea quæ dicuntur,vt & opifex, & famulus, & vidua mu-

καὶ αἰπόλοι *& caprarij videtur legiſſe* ἀποστόλους.

C lier, & omnium hominum indoctiſſimus ex audita lectione aliquid lucri vtilitatíſque reportaret. Non enim ad inanem gloriam quemadmodum Ethnici,ſed ad audientium ſalutem hæc omnia compoſuerunt, ij, quos ab initio Deus dignatus eſt gratia ſpiritus. Siquidem hi qui ſunt à Chriſto alieni philoſophi, dicendi artifices, rhetores,ac librorum conſcriptores,non quòd in commune conducit quętentes,ſed illud ſpectãtes vt ipſi ſint in admiratione,etiamſi quid vtile dixerint,hoc quoque quemadmodum in caligine quadam ſapientiæ conſueta illis,occultauit obſcuritas. Apoſtoli verò ac Prophetæ omnia contrà fecerunt,manifeſta claráque quę prodiderunt expoſuerunt omnibus, veluti communes orbis doctores, vt per ſe quiſque diſcere poſſit ea quæ dicuntur è ſola lectione. hoc antè pronuncians Propheta dicebat:Erunt omnes docti à Deo, & nõ dicet quiſque proximo ſuo,noſce Deum,quoniam omnes noſcẽt me à minimo ipſorum vſque ad maximum eorum.Et Pau-

Libri ſacri dilucidi.

Hier. 31. & Ioan. 6.

D lus inquit.Et ego fratres veni ad vos,non per excellentiam ſermonis aut ſapiẽtiæ, nuncians vobis myſterium Dei. Et iterum, Sermo meus & prædicatio non in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus ac virtute. Et rurſum,Loquimur enim ſapientiam, inquit, non ſæculi huius, neque principum huius ſæculi qui corrumpuntur. Cui enim non ſunt manifeſta quæcunque in Euangelio ſcripta ſunt? Quis autem audiens beatos eſſe mites, beatos miſericordes, beatos mundicordes, cæteráque huiuſmodi, deſiderabit præceptorem,vt aliquid eorum diſcat quæ dicuntur?Quinetiam ſigna, miracula, hiſtoriæ, nónne cuiuis nota manifeſtáque ſunt? Prætextus iſte eſt & cauſatio, pigritiæque velamentum.Non intelligis quæ inſunt:quomodo

1.Cor.2.

Ibidem.

Ibidem.

Matth. 5. Euangelium ab omnibus poteſt intelligi.

Universidad de Deusto Biblioteca

qui ne.

possis aliquando intelligere, * quæ ne leuiter quidem inspicere velis? Sume librum in manus, lege historiam omnem, & quæ nota sunt memoria tenens, ea quæ obscura sunt, parúmque manifesta, frequenter percurre.

Lectio iterata aperit obscura.

Quòd si non poteris assiduitate lectionis inuenire quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad doctorem, communica cum his ea quæ scripta sunt, declara vehemens studium. Et si viderit te Deus tãtam animi promptitudinem adhibere, non despiciet tuam vigilantiam ac sollicitudinem. Verumetiam si nullus homo te docuerit quod quæris, ipse sine dubio reserabit. Memento Eunuchi reginæ Æthiopum, qui quum esset homo barbarus, innumerísque distentus sollicitudinibus, & vndiquaque circumseptus negotiis, nec intelligeret quæ legebat, legebat tamen in curru sedens: quòd si in via tantam præstitit diligentiam, cogita qualis fuerit domi versans. Si tempore profectionis non sustinuit absque lectione manere, multò minus domi sedens. Si nihil intelligens legebat, nec destitit à lectione, multò minus postquam didicerat.

Eunuchus lector. Act. 8.

Nam vt scias, quod non intellexerit quæ legebat, audi quid dicit Philippus, * Num intelligis quæ legis? Atque ille his auditis nõ pudefactus est, nec erubuit, sed inscitiam suam confessus est, aítque: Quínam possim, nisi quis mihi viæ dux fuerit? Quum nondum haberet qui viam commonstraret, tamen legebat, eóque citò cõsequutus est ductorem. Nouit propensam illius animam Deus, studiúmque amplexus est, misit illi doctorem ilico. Verùm non adest Philippus, sed spiritus qui mouerat Philippum adest.

γινώσκεις ἃ ἀναγινώσκεις;

Ne neglexerimus nostram salutem dilecti, hæc omnia scripta sunt propter nos ad correctionem nostri, in quos fines sæculorum inciderunt. Magna aduersus peccatum munitio est, scripturarum lectio: magnum præcipitium, profundum barathrum scripturarum ignoratio, magna salutis perditio, nihil scire ex diuinis legibus: ea res & hæreses peperit, ea vitam corruptam inuexit, hoc sursum deorsum miscuit omnia.

1. Cor. 10.

Nunc excludit hæreses.

Nam fieri non potest, non potest inquam fieri, vt quis sine fructu discedat, qui assidua attentáque scripturarum lectione fruatur. Ecce vna parabola, quàm multiplicem nobis attulit vtilitatem? quomodo animam nostrã meliorem reddidit? Nam complures sat scio sunt, qui ex his sermonibus copiosam vtilitatem ferentes abierunt. Quòd si qui sunt, qui nõ perinde magnum fructum reportarũt, attamen eo die quo nobis audiendis vacarunt, omnino meliores fuerunt. Non autem exiguum est vel istud, vnum diem in peccatorum contritione transigere, & ad cœlestem philosophiam respicere, animæque permittere, vt vel paulisper à mundanis respiret curis. Etenim si * singulis diebus tales fuerimus, nec defecerimus, assiduitas audiendi magnum quoddam præclarúmque bonum nobis pariet.

καθ' ἑκάστω τοῦτο ποιῶμεθα σύναξιν, si id singulis conuentib. fecerimus, nec d.

Agite igitur, & ea quæ sequuntur vobis persoluamus. Quæ sunt autem quæ sequuntur? Quum dixisset diues, mitte Lazarum vt instillet summo digito, ac refrigeret linguam meam: Auscultemus quid dicat Abraham, Fili memento quod recepisti tu bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, & nunc iste solatium accipit, tu verò cruciaris. Super omnia autem hæc, hiatus magnus confirmatus est inter nos & vos, vt qui volunt istinc transire ad nos, non possint, neque qui hinc istuc transire.

Mordicitas salutifera.

Grauia sunt quæ dicuntur, plurimúmque nobis offundunt dolorem. Hoc & ipse noui: sed quemadmodum mordent conscientiam, ita non parum adferunt vtilitatis animis eorum qui mordentur. Etenim si hæc nobis illic dicerentur quemadmodum dicta sunt diuiti, reuera plorandum esset, dolendum ac lugẽdum, quod nos pœnitẽtiæ tempus defecisset. Cæterùm quoniam hîc agentes hæc audimus, vbi & resipiscere licet,

A & commissa diluere, denique multam conscientiæ parare fiduciam, atque ex alienis malis concepto timore mutari, agamus gratias bonitati diuinæ, quæ per aliorum supplicia nostram expergefacit segnitiem, nobísque dormitantibus somnum excutit. Siquidem ob hoc hæc antè dicta sunt, ne talia patiamur. Etenim si voluisset punire Deus, non ista prædixisset: verùm quoniam noluit nos adigere ad supplicium, ideo prædicit supplicium, vt prædictione castigati, vitemus rerum experimenta. At cuius tandem gratia dixit, recepisti bona tua, potius quam cepisti? Meministis enim, sat scio, quod dicebam hinc nobis mare considerationum immẽsum aperiri. Nam hæc vox, recepisti, debiti cuiusdam significationem habet, eò quòd recipit aliquis, quæ debebantur. Proinde si diues iste scelestus ac * scelerosus & inhumanus fuit, quamobrem non dicit illi, cepisti: sed, recepisti bona tua, quasi iure illi competierint, quasíque deberentur?

Malis quoque datur pro benefactis merces aliqua.

* παμμίαρος.

Quid igitur? Videlicet hinc discimus, quòd B etiamsi qui sint scelerosi, ad extremam improbitatis lineam deuecti, tamen frequenter vnum aliquod, duóve aut tria benefacta sunt operati. Quòd autem hæc non loquor è coniecturis, hinc perspicuum est. Quid enim fuit illo iniquitatis iudice sceleratius, quid inhumanius, quid magis impium? Is neque Deum metuebat, neque homines reuerebatur, attamen cùm tam improbis esset moribus, fecit boni quiddam, miseratus viduam ipsi sine fine negotium facessentem, annuens postulanti * officium, præstánsque quod petebatur, cohibitis qui illam afficiebant iniuria.

Luc. 18.

τῇ χάριτι.

Ita frequenter accidit vt aliquis vitæ sit intemperantis, & tamen idem sit misericors: aut vt quis sit inhumanus, pudicus tamen. Quòd si intemperãs fuerit & idem crudelis, tamen vnum aliquod aliud bonum opus fecit in vita. Rursus hoc idem arbitrandum est de bonis. Quemadmodum enim qui pessimi sunt, faciunt frequenter boni quiddam: sic & boni virtutẽque præditi: sæpenumero peccant. Quis enim, inquit, C gloriabitur se castum habere cor? Aut quis * confidet se purum esse à peccato?

Boni non carent peccatis.

Prou. 20.

παῤῥησιάζεται.

Quoniam igitur verisimile est diuitem illum, licèt ad extremum malitiæ prouectum, aliquid fecisse boni: contrà, Lazarum tametsi summa virtute præstitisset, aliquid tamen leue deliquisse: vide quomodo declarauit vtrunque Patriarcha, dicens, Recepisti bona tua, & Lazarus mala. Et tu, inquit, etiam si quid boni fecisti, si qua merces tibi debebatur, hæc omnia in illo mundo recepisti, delitiis fruens, diuitiis affluens, rebus prosperis vtens, multóque rerum successu gaudens. Et hic si quid mali fecit, omnia recepit, quum fame, inopia, extremis malis affligeretur. Itaque vestrûm vterque nudus huc peruenit, ille peccatis, tu iustitia: quamobrem & hic merum habet solatium, tu inconsolabilem sustines cruciatum. Etenim quum exigua sunt leuiáque benefacta nobis, ingẽs autem & immensum peccatorũ onus: deinde hîc prosperitate fruimur, neque quicquam patimur acerbi, prorsus nudi destitu- D tíque benefactorum præmiis hinc discedimus, vt qui hîc recepimus omnia. Rursus, quum multa magnáque fuerunt nobis benefacta, sed exigua paucáque delicta, & post hæc patimur aliquid acerbi: hîc depositis leuioribus illis delictis puram illic & perfectam bonorũ operum remunerationem accipimus. Vbi quem igitur videris, improbam agentem vitam, nec quicquam hîc acerbi patiẽtem: ne putaris illum beatum, sed defle potius ac deplora, velut illic omnia tristia perpessurum, quemadmodum diues ille fecit. Rursus vbi quem videris virtutis studiosum, & eũdem innumeris affligi * molestiis, beatum existima, fœlicem iudica: vt qui & hîc omnia sua peccata diluerit, & illic multam habeat paratam * mercedem, quemadmodum huic euenit Lazaro.

* πειρασμοῖς.

* adde è Gr. τῆς ὑπομονῆς, patientiæ merc.

Nam ex

Nam ex hominibus, alij quidem hîc duntaxat, puniuntur, alij rursus nihil hîc tale patiuntur, sed omnem vindictam illic recipiunt: Alij verò tum hîc, tum illic puniuntur. Horum igitur, quos tandem iudicatis beatos? Non dubito, quin primos illos, qui hîc puniuntur, atque ita peccata deponunt. Verùm post illos quos proximo fœlicitatis loco ponitis? Vos fortassis eos, qui nihil hîc triste patiuntur, sed illic omnem luunt pœnam. At ego non istos, sed hos potius, qui hîc simul & illic puniuntur. Nam hîc qui pœnas dederit, sentiet illic pœnam leuiorem. Cęterùm qui cogetur illic totam pœnam sustinere, ineuitabilem vindictam patietur, velut ille diues. Quoniam enim hîc nullam peccatorum partem abluit, adeò seuerè punitus est, vt ne minimam quidẽ guttam impetrauerit. Verùm his quoque qui hîc quum peccãt, nihil tamen graue patiuntur: illos longè infœliciores iudico, qui quum hîc puniantur, simul tamen deliciis ac securitate fruuntur, Quemadmodum enim hîc non dare pœnas pro commissis, illic cruciatum reddit atrociorem: ita dum peccant, * securitati, deliciis, multæque rerum affluentiæ indulgere, maioris pœnæ viaticum ac materiam illic colligit.

ἀνέσεως, mollitiei.

Nam quum peccantes nos Deus afficit honoribus, ea res potissimum nos in grauius incendium iniicere poterit. Etenim si quis Dei * lenitate fruatur tantùm, non etiam ad quod oportuit vtatur, atrocius supplicium sibi parat. Vbi præter Dei lenitatem etiam honoribus potitur maximis, nihilo secius tamen persistit in * socordia: quis illum eripiet ab illo supplicio?

Impietas fœlix periculosissima.

* μακροθυμίας.

* πονηρίᾳ, nequitiæ.

Etenim vt intelligas, quòd qui Dei lenitatem experiuntur, malum vniuersum illic sibi coaceruant, ni resipuerint, audi quid dicat Paulus: Existimas autem ô homo, qui cõdemnas eos qui talia faciunt, & facis eadem, quòd tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis illius ac patientiæ, lenitatísque contemnis, ignorãs quòd bonitas Dei ad pœnitentiam te inuitat? Sed iuxta duritiem tuam, & cor impœnitens, recondis tibiipsi iram in die iræ ac reuelationis & iusti iudicij Dei.

Rom. 2.

Ergo quum viderimus, opibus affluentes, delicijs fruentes, vnguenta olentes, in temulentia perseuerantes, in magistratu & honore, in multa pompa & claritudine, peccantes, neque quicquam triste patientes, hac ipsa de causa, maximè defleamus ac deploremus illos, quod dum peccant non puniuntur.

διημερεύοντας, totos dies traducentes.

Simile.

Veluti si quem videris hydropi aut vitio splenis obnoxium, aut tabo quopiam marcescẽtem, innumeris vndique plenum vlceribus, nihilo secius tamen cum his omnibus, temulẽtiæ ac deliciis indulgentem, reddere morbum acriorem, adeò non miraris aut beatum iudicas eum ob delitias, vt ob hoc ipsum etiam maximè miserum existimes. Similiter & de anima cogitato, vbi videris hominem peruersè viuentem, multáque fruentem prosperitate, neque triste quicquam patientem, ob hoc ipsum magis deplora, quod quum morbo, grauissimóque tabo sit obnoxius, tamen deterior fit, morbum deliciis vitáque dissoluta exasperans. Non enim puniri malum est, sed peccare malum est. Nã hoc quidem à Deo separat, illud verò nos ad Deum recolligit, irámque dissoluit. Vnde hoc liquet? Audi Prophetam dicentem: Cõsolamini, consolamini populum meum sacerdotes, loquimini ad cor Hierusalem, quoniam accepit de manu Domini dupla, * pro peccatis suis. Ac rursus: Domine, pacem da nobis: nam omnia reddidisti nobis.

Esa. 40.

τὰ ἁμαρτήματα αὐτῆς, peccata sua.

Esa. 26.

Vt autẽ intelligas alios hîc, alios illic puniri, alios tũ hîc tum illic, audi quid dicit Paulus, reprehendens eos qui indignè communicabant mysteriis. Quum enim dixisset, Qui edit ac bibit indignè Domino, reus erit corporis & sanguinis Domini, subiecit illico: Propter hoc inter vos multi infirmi ac valetudinarij, & dormiunt multi. Etenim si nos ipsos diiudicare-

1. Cor. 11.

A mus, non vtique iudicaremur. Nunc autem cùm iudicamur, à Domino corripimur, ne cum mundo cõdemnemur. vides quomodo hîc inflicta pœna, liberat à pœna quæ illic est? Et de eo qui stuprum commiserat, inquit, Tradite eum satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat, in die Domini nostri Iesu Christi.

1. Cor. 5.

Quin & ex ipso Lazaro hoc perspicuum est, quòd etiam si quid mali commiserat, hîc abluerit, itáque illuc purus abierit. Idem verò & ex illo paralytico manifestum est, qui trigintaocto annos laborans, * per morbum diuturnum peccata deposuit. Cæterùm vt scias illum ob peccata sic afflictum fuisse, audi quid dicit Christus: Ecce sanus factus es, ne posthac pecces, ne quid contingat tibi deterius.

μετὰ τῆς ἀῤῥωστίας cum morbo.

Ioan. 5.

Ex his igitur clarum est, esse quosdam qui hîc puniuntur, ac peccata deponunt. Quòd autem aliqui tum hîc tum illic puniuntur, si minus pro peccatorum magnitudine hîc luerint pœnas, audi quid de Sodomitis dicat Christus. Etenim quum dixisset, Quicunque non B receperit vos, etiam puluerem pedum vestrorum in eos excutite, subiunxit: Tolerabilius erit terræ Sodomorũ & Gomorrhæ, quàm ciuitati illi.

Marc. 6.

Quòd autem dixit tolerabilius: hunc habet sensum, quòd illi tum quoque forent puniendi. Nam & antè puniti fuerant, quandoquidem in hac vita dederunt pœnas. Porrò nonnullos esse qui hîc quidem nihil molesti patiuntur, sed illic totam expectant vltionem, declarauit nobis hic diues, * inconsolabilem perferẽs cruciatum, ac ne minimum quidem refrigerij consequens, eò quòd illic illi tota vindicta fuerit reseruata.

ἀπαραμύθητον, ineuitabilem.

Quemadmodum igitur in his qui peccant, ij qui nihil hîc acerbi patiuntur, illic maiorem sustinent cruciatum: sic inter eos qui rectè faciunt, qui multa patiuntur in hac vita molesta, illic multo potientur honore. Et quemadmodum si è duobus peccatoribus vnus hîc puniatur, alter non puniatur, beatior est ille punitus eo qui punitus non est: Sic sanè inter duos iustos, si alter hîc plus, alter minus pertulerit afflictionem, C beatior erit ille qui plus sustinuerit, quando vnicuique reddet iuxta opera sua. Quid igitur? non est quisquam, inquies, qui & hîc & illic requie fruatur? Istud impossibile est ô homo, atque ex eorum numero quæ frustra speres.

Matt. 26.

Aut hîc, aut in futuro patiendum.

Fieri non potest, non potest fieri, inquam, vt qui hîc in socordia securitatéque vixerit, qui in deliciis omnibus assiduè dies consumpserit, qui temerè neglectéque transegerit ætatem, illic honorem consequatur. Nã etsi paupertas ei nõ sit molesta, cupiditas tamen molesta est, atque huic obnoxius est: nec hinc mediocris labor. Quòd si morbus non infestat, sed inflammat ira: ne is quidem mediocris dolor vincere iracundiam, etsi afflictiones non irruperint, tamen cogitationes malæ indesinenter insurgunt. Non est autem vulgaris negotij refrænare cupiditatem, * cohibere sitim inanis gloriæ, coërcere fastum, à deliciis temperare, in aspera degere disciplina. Nam qui ista non fecerit, fieri non potest vt vnquam saluus fiat.

adde è Gr. ἄτοπον, iniquam.

Vt autem intelligas viuentes in de- D liciis, non fieri saluos, audi quid dicit Paulus. Quæ verò in deliciis viuit, viuens mortua est. Loquitur de vidua muliere. Quòd si de muliere hoc dictum est, multò magis de viro dicendum.

1. Tim. 5.

Propterea nõ posse fieri ô homo, vt qui talem viuit vitam, adipiscatur cœlos, hoc ipsum & Christus declarauit hunc in modum loquens: Angusta & aspera est via, quæ deducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Quomodo igitur, dixerit aliquis, dictum est illud, Iugum meum suaue est, & onus meum leue? Nam si angusta est via & aspera, quomodo rursum eam leuem facilémque vocat? Illud quidem dictum est propter naturam afflictionum, hoc verò propter spontaneam voluntatem adeuntium. Nam fieri potest vt quod natura est intolerabile, sit leue si cum alacritate

Matth. 7.

Via Domini quomodo aspera & non aspera.

Matth. 11.

Universidad de Deusto Biblioteca

Act. 5.

animi suscipiamus. Quemadmodum & Apostoli flagris cæsi reuersi sunt gaudentes, quòd digni essent habiti pro nomine Domini ignominia affici. Quanquam natura cruciatuum afflictionem dolorémque solet gignere, verùm animus promptus eorum qui flagellabantur, rerum naturam vicit. Proinde & Paulus dicit, Omnes qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.

2. Tim. 3.

Et si homo non persequatur, diabolus tamen oppugnat. Vnde multa nobis opus est philosophia, multa fortitudine, vt in precibus vigilemus, nec vnquam dormitemus, ne res alienas concupiscamus: vt * quę adsunt, in egenos distribuamus, vt omnibus deliciis * gemere ploraréque renunciemus, tum iis quæ sunt in vestibus, tum iis quæ sunt in mēsa, vt auaritiam fugiamus, vt ebrietatem, vt maledicentiam vitemus, vt linguæ temperemus neque vociferemur.

τὰ ὄντα.
valè dicamus.
Ephes. 4.

Omnis enim amarulentia, commotio, & iracundia, & vociferatio, & maledicentia tollatur à vobis, ne obscœna loquamur, * ne dictis vrbanis delectemur. Non est mediocris laboris in his perfectam præstare continentiam. Atque vt intelligas quanta res sit philosophari, quámque non habeat relaxationem, audi quid dicit Paulus, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: hoc dicens aperuit, quanta sit violentia quantúsque labor, quem oportet sustinere eos, qui volunt corpus reddere subiectum ac tractabile. Quin & Christus discipulis ait, In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Hæc, inquit, afflictio requiem vobis conciliabit. Certaminum caueæ sunt hæc præsens vita: In caueis autem ac certaminibus nemo potest frui requie. Itaque qui coronandus sit, quíque velit coronari, asperam ac laboriosam vitam suscipiat, vt postquam hîc breuem laborem * sustinueritis, illic perpetuis honoribus * fruamini. Quot singulo quoque die accidunt molestiæ? Qualis autem est animi, non * grauari, non molestè ferre, sed gratias agere, glorificare, adorare eum qui permittit has tentationes infligi? Quàm multa inexpectata, quàm multæ angustiæ? Et tamen oportet premere malas cogitationes, neque permittere linguæ vt aliquid sonet absurdi, quemadmodum beatus Iob innumera perpessus mala perseuerauit gratias agere Deo.

hoc mēbrum à Græco aberat.
1. Cor. 9.
Ioan. 16.
** sustinuerint.*
** fruantur.*
** ἀποδυσπετῆσαι, indignari.*
Impatientia blasphemiæ mater.

Sunt autem nonnulli, qui si ioco conuicióve abs quopiam tacti fuerint, aut in aduersam valetudinem inciderint, veluti podagram, aut capitis dolorem, aut alium huius generis morbum, illico blasphemias effundunt, ac molestiam quidem morbi sustinent: cæterùm fructu priuantur. Quid facis ô homo in beneficum, in prouisorem, in tui curam agentem, in seruatorem conuitia iaciens? nec te sentis in præcipitium abripi, téque ipsum in extremi exitij barathrum deiicere? Num enim si blasphemiam proferas, leuiorem reddis morbum? Exacerbas potius illum, ac molestiorem reddis cruciatum. Propter hoc enim diabolus innumeras impingit molestias, vt in illud barathrum te præcipitet. Et si quidem viderit te blasphemias proferentem, protinus auget dolorem ac maiorem reddit, quò stimulatus rursus indignè feras: quòd si viderit te fortiter perferentem, quóque morbus fuerit acrior, hoc magis agētem gratias Deo: illico desistit, vt qui incassum frustráque pergat imminere.

Simile.

Et quemadmodum canis assistens mēsę si viderit hominem vescentem subinde aliquid eorum quæ in mensa sunt ipsi proiicientem, manet assiduè: quòd si semel atque iterum sic astitit, vt discesserit nihil adeptus, protinus abstinet, veluti qui iam frustrà & incassum assistat: Itidem & diabolus iugiter nobis inhiat, si quod blasphemum verbum ipsi ceu cani proiiciamus, hoc accepto rursus aggreditur. Quòd si perseueraueris gratias agere, iugulaueris illum fame, celeritérque abegeris & aufugere coëgeris. Verùm non potes tacere cruciatu stimulatus, nec ego prohibeo te loqui, sed volo te pro blasphemia loqui gratiarum actionem, pro verbis indignationis, verba boni ominis. Confitere Domino, clama vehementer, obsecrando: clama vehementer, glorificando: sic tibi & morbus redditur leuior, discedente, quidem diabolo propter tuam gratiarum actionem, Dei verò auxilio accedente. Nam si blasphemias effuderis, pariter & Dei auxilium submouisti, & diabolum aduersus temetipsum reddidisti sæuiorem, & teipsum magis inuoluisti doloribus: Sin gratias egeris, & insidias propulseris mali dæmonis, & Dei pro te soliciti medelam tibi conciliaueris. Verùm ex consuetudine frequenter impetu rapitur lingua, vt peruersum illud verbum sonet.

Lingua cohibenda.

Verùm quum huc rapietur: priusquam verbum effuderit, commorde illam vndique dentibus acriter. Præstat illam nunc fluere sanguine, quàm tunc concupiscere guttam, neç impetrare posse refrigerium: præstat illam temporarium ferre dolorem, quàm tunc perenniter & immortalibus malis cruciari, quemadmodum diuitis illius lingua ardore æstuans nullum impetrauit * refrigerium. Deus præcepit vt inimicos tuos diligas, tu verò Deum te amantem auersaris. Deus iussit vt conuitiis insectantibus, benignè loquaris, maledicētibus benedicas: tu verò illi benefacienti, & tui curam agenti, maledicis, quum nulla in re læsus sis. An non potuit soluere afflictionem? potuit, sed permisit, vt fias * perturbatior. Verùm ecce, inquis, collabor interim ac pereo. Non propter afflictionis naturam peris, sed propter tuam socordiam. Dic mihi vtra res est facilior, blasphemia, an gratiarum actio? Nónne illa eos qui audiunt hostes & inimicos tibi reddit, & in * desperationem postea conicit: hæc verò innumeras adfert philosophiæ coronas, incredibilémque ab omnibus admirationem, denique ingētia à Deo præmia?

**Gr. ταύτης, non in ipsam.*
Luc. 6.
Ibidem.
δυσμώτερος, probatior.
ἀθυμίαν, ægritudinem animi.

Quur igitur quod vtile est, quod facile, quod iucundum omittens, id quod lædit, quod contristat, quod tabefacit, illius loco sectaris? Quin & alioqui si tentationis ac paupertatis afflictio causa esset blasphemiarum, oporteret omnes qui in paupertate viuunt blasphemos esse. Nunc autem inter eos qui in extrema degunt paupertate, multi iugiter agunt gratias: alij contrà, qui opibus ac diuitiis affluunt, non cessant euomere blasphemias. Itaque non ipsa rerum natura, sed nostra voluntas & hoc & illud efficit. Propter hoc enim & hanc recitauimus parabolam, vt cognosceres quòd hominem socordem ne diuitiæ quidem iuuēt, attentum verò ne paupertas quidem lædere possit. Quid dico paupertas? Etiamsi omnia conglomerentur quæ sunt inter homines mala, nunquam percellent animum hominis Deum amantis sapientiæque studiosi, neque persuadebunt vt à virtute discedat. Et horum testis est Lazarus: quemadmodum ediuerso euiratum ac dissolutum non diuitiæ, non sanitas, non perpetua prosperitas, non aliud quippiam vnquam iuuare poterit.

φιλοθέῳ, καὶ φιλοσόφῳ.

Ne igitur dicamus quòd paupertas, morbus & periculorum insultus compellant ad blasphemiam. * Non paupertas, sed animi cōsternatio: non morbus, * sed Dei contemptus: non periculorum insultus, sed pietatis desertio, vt ad blasphemiam, ita ad omne malitiæ genus adducit minùs attentos. Sed quam ob causam, inquiet aliquis, alij quidem hîc puniuntur, alij verò illic, ac non potius omnes hîc? Quam ob causam? Quoniam si hoc esset, omnes vtique perissent. Omnes enim sumus obnoxij pœnis. Rursum si nullus hîc puniretur, plures redderentur socordiores, multíque dicerent non esse prouidentiam. Etenim si quum nunc videant multos improbos puniri, multas eiusmodi blasphemias euomūt: si ne hoc quidem esset, quidnam dicerent? Ad quod malitiæ genus non

** ὁ πενία, ἀλλ' ἄνοια.*
** ἀλλὰ καταφρόνησις, sed contemptus.*
Quur non omnes hîc punit Deus.

nus non raperentur? Has ob res Deus alios quidem hîc punit, alios verò non punit. Punit quidem aliquos, excidens illorum vitium, pœnámque illic reddens leuiorem, aut etiam in totum liberans illos, & eos qui peruersè viuunt castigatiores reddens hac punitione: Alios verò rursum non punit, vt si resipiscentes sibiipsis caueant, ac Dei benignitatem reueriti fuerint, & hîc liberentur à pœna, & illic à supplicio. Sin perstiterint, nihilo meliores facti lenitate Dei, qui mala nostra diu tolerat, maiorem sustineant cruciatum propter insignem ipsorum contemptum. Quòd si quis dixerit eos qui puniuntur erumpere in maledicta, poterant enim alioqui resipiscere: illud respondebimus, Si Deus præscisset fore, vt resipiscerent, nequaquam punisset. Etenim si quos vidit manere incorrigibiles, omittit: multò magis quos nouerat ex ipsius lenitate laturos fructum, passurus erat in præsenti vita, vt consequerentur temporis spatium ad pœnitentiam. Nunc autem eos * eripiens, & illis leuiorem in futuro sæculo pœnam reddit, & hos castigatiores illorum suppliciis facit.

προαναρπάζων.

Quam ob rem igitur non idem hoc facit in malis omnibus: Vt hi qui manent, per timorem aliorum suppliciis reddātur castigatiores, prędicéntque Dei lenitatem, eiúsque humanitatem reueriti, desistāt à malitia. * Non igitur Deus iam in causa est, sed illorum socordia, qui noluerunt tam multis remediis ad propriam * abuti salutem: atque vti cognoscas quòd hac de causa * fecerit, miscuit olim sanguinem Galilæorum Pilatus cum sacrificiis, & accedentes hoc ipsum renunciauerunt Iesu, atque ille dicit, Quid putatis quòd illi Galilæi soli peccatores fuerunt? Non, dico vobis, nisi pœnitentiam egeritis, * & vos eadem patiemini. Rursum alij octodecim obruti sunt ruina cuiusdā turris, de his quoque eadem dicit. Nam quòd ait, quid putatis quòd illi peccatores erant soli? non erant, dico vobis: declarat quòd & viuentes iisdem erant obnoxij. Quòd autem ait, nisi pœnitentiam egeritis, & vos * eadem patiemini: declarat quòd & illos permisit hac de causa illa pati, vt viuentes ex his quæ cæteris acciderent terrore concepto, * resipiscerent.

** adde è Gr. sed nihil horū faciunt, inquit. Non igitur d.*
** vti.*
** hoc fec.*
Luc. 13.
** Gr. & vos similiter peribitis.*
** similiter peribitis.*
** & resipiscentes regni hæredes fierent.*

Quid igitur? vt ego, inquis, fiam melior, ille punitur? Non propter hoc, sed propter suum ipsius peccatum punitur. Cæterùm illorū interitus attentis ex abundanti fit occasio salutis, dum metu ex his quæ aliis acciderunt concepto, redduntur probiores. Itidem & Domini faciunt, vno sæpe famulo flagellato, multos metu reddunt emendatiores.

Simile.

Quum igitur videris aliquos vel in naufragium incidisse, vel ædium ruina oppressos esse, vel incendio perisse, vel à fluuiis abreptos esse, aut alio quopiam modo violento vitam finisse: deinde alios qui eadem cum illis & grauiora peccarunt nihil tale passos, ne conturberis dicens, Quur tandem qui eadem peccant, non eadem passi sunt? Verùm illud reputa, quòd Deus illum quidem passus est è medio tolli præfocaríque, mitiorem ei præparans in futuro sæculo cruciatum, aut etiam in totum eum liberās: Hunc verò nihil tale passus est sustinere, vt alterius supplicio castigatior factus, modestior redderetur: quòd si perseuerauerit in iisdem, crudelissimam sibiipsi ex sua socordia coaceruat vltionem, nec Deus fuerit causa intolerabilis supplicij. Rursum si videris iustum affligi, aut omnia quæ dicta sunt perpetientem, ne consternaris animo. Nam & illi res acerbę, splendidiores reddunt coronas: * & tota pœna, si quidem tota peccatoribus infligatur, detrahit aliquid vitiorum ponderi. * sin tota iustis infligatur, splendidiorem reddit illis animum, sic vt vtrisque maximus ex afflictione fructus eueniat, tātùm si gratè toleremus: hoc enim est quod quęritur. Propter hoc quum sint eiusmodi exempla innumerabilia, sacrarum scripturarum historia his repleta est, iustos ac iniustos malis afflictos nobis exhibens, vt siue iustus sis siue peccator, quoniam habes exempla, feras fortiter.

& omnis pœna, si quidem peccator.
** sin iustis.*

Non solùm autem ostendit tibi improbos malis afflictos, verùm etiam fœliciter agentes, ne illorum fœlicitate conturberis, nimirum doctus ex his quæ diuiti acciderunt, cuiusmodi illos post hanc vitam maneat incendium, nisi vitam eam reliquerint. Non possumus, inquit, & hîc & illic requie frui? Non possumus inquam. Eóque iusti vixerunt hîc vitam laboribus obnoxiam. Quid igitur, inquis, Abraham? Et quis tam multa dura perpessus est? Nónne à paterno exulauit solo? Nónne à suis omnibus diuulsus est? Nónne in peregrina regione famem sustinuit? Nónne velut erro quispiam, subinde vertit solum, à Babylone in Mesopotamiam, inde in Palæstinam, rursus illinc in Ægyptum? Quis referre possit bella quę pro vxore, quæ cum Barbaris gessit? Quis strages, quis cognatæ familiæ captiuitatem? Huius generis alia sunt innumerabilia. Cæterùm * quum filium suum abduceret, nónne quod est omnium maximè intolerabile perpessus est? Eum suis ipsius manibus mactare iussus, quem adamabat, eum quem habebat charissimum?

Abraham quanta passus.
Gen. 12. & seq.
cum filium accepisset.
Gen. 22.

Quin & ipse immolatus Isaac, nónne omni ex parte semper à finitimis vexabatur, adeò vt & vxore spoliatus fuerit quemadmodum pater? Et tu tanto iam tempore manes ineruditus? Quid porrò Iacob in patriis ædibus educatus, nónne grauiora quàm auus perpessus est? Ac ne singulis recēsendis prolixiorem reddamus orationem, audi quid de tota vita sua dicat, Pauci & mali dies mei, nec pertigerunt ad dies patrum meorum. Et tamen quum filium conspexisset in throno sedentem, tantáque potitum gloria, haudquaquam oblitus est præteritarum calamitatum. Tamen ille in tantum erat malis conditus ac maceratus, vt ne in tanta quidem prosperitate potuerit anteactorum malorum obliuisci.

Isaac multa passus.
Iacob multa passus.
Gen. 47.
τεταριχευμένος.

Quid autem Dauid? Quam multas sustinuit tragœdias? An non eadem dicit quæ Iacob, hunc in modum loquens? Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autē in potentatibus, octoginta anni. Et quod amplius illorum, labor ac dolor. Quid verò Hieremias? Nónne diem * suum execratur, ob malis succedentia mala? Quid autem Moses? Nónne loquitur, Occide me, si sic mecum acturus es? Cæterùm Helias, cuius animi sublimitas ad cœlum vsque pertingebat, qui cœlum aperuit, an non post multa edita prodigia iugiter lamentatur ita loquens Deo, Tolle animam meam à me: Non sum melior patribus meis.

Dauid multa passus.
Psal. 98.
** suæ natiuitatis.*
Hieremias.
Hier. 20.
Moses.
Exod. 32.
Helias.
3. Reg. 18.
Ibid. 19.

Sed quorsum attinet ista singulatim persequi? Paulus omnes simul complexus, sic dicit: Circumierunt in pellibus ouium, in pellibus caprarum, egentes, afflicti, calamitosi, quibus non erat dignus mundus. Prorsus ita necesse est eum qui gratias acturus sit Deo, qui probatus ac purus esse velit, haudquaquam sectari vitam mollem, remissam ac dissolutam, sed laboriosam, multísque laboribus sudoribúsque plenam. * Nullus, inquit, coronatur, nisi qui legitimè certauerit. Quisquis autem certat, in omnibus continens est, & in verbis, & in aspectu, & in voce, & à conuitiis temperans, & à blasphemia, & à turpiloquio, * & ne tentatio foris infestet, ipse seipsum quotidie ieiuniis exercet, asperáque vita, vili cibo, vbique vitās sumptus magnificos. Aliter non potest quis placere Deo. Neque enim mihi frigidum illud dictum obiecerit quispiam, quòd hic aut ille simul habeat & huius vitæ & illius commoda. Hoc in diuitibus ac deliciis fruentibus, simúlque peccantibus accidere nequaquam potest, verùm si istud dicēdum est, de his qui hîc affliguntur dici potest, qui viuunt in angoribus, videlicet quòd & hîc habent quæ sunt huius vitæ, & illic quæ sunt illius. Illic habent præmij fructum, hîc habent, quòd illorum spe aluntur, nec sentiunt mala

** audi & ipsum alibi dicentem. Nullus coronatur, &c.*
Heb. 11.
2. Tim. 2.
** & à turpiloquio. Hinc ediscimus, quantumuis tentatio f. infestet, se ipsos exercere oportere quotid. ieiun. asperáque v. v. c. v. vitantes s. m.*

præsentia, ob futurorum bonorum expectationem. Sed A audiamus & reliqua quæ sequuntur. *Super hæc omnia verò, hiatus ingens confirmatus est inter vos & nos.* * Hinc clarum est, quòd frater non redimit, redimet homo. Non dabit Deo quo ipsi propitietur, etiamsi pater fuerit, etiamsi filius fuerit. Abraham appellauit diuitem filium, nec tamen illi præstare potuit quæ sunt patris. Diues patrem appellauit Abraham, & consentaneum erat illum impetraturum beneuolentiam quam patres gerunt in filios. Non impetrauit, vti cognoscas quòd neque cognatio, neque amicitia, neque affectus, neque alia res vlla ex omnibus quæ sunt, iuuare potest eum qui à sua ipsius vita proditus est. Hæc autem eò dico, quòd complures, nobis frequenter admonentibus vt sibi caueant, vigiléntque: negligunt, & admonitionem vertunt in risum. Tu mihi, inquiunt,* adesto in illo die, & bono sum animo, neque quicquam metuo. Rursum alius: Patrem, inquit, habeo martyrem. Et alius: Auum, inquit, habeo episcopum. Alij suæ familiæ viros obiiciunt. Frigida B sunt ista verba, nihil nobis aliorum virtus prodesse * valet. Memento virginum illarum, quæ quinque virginibus non communicarunt oleum, sed ingressæ sunt in sponsi thalamum illis exclusis. Ingens bonum, in tuis ipsius benefactis collocare * spem. Illic enim nullus vnquam amicus erit auxilio. Nam si hîc dixit Dominus Hieremiæ: Ne roges pro populo hoc, hîc inquam, vbi in potestate nostra est vertere vitam, quãtò magis idem dicetur illic: Quid ais? Patrem habes martyrem? Istud ipsum potius faciet ad grauiorem tui cõdemnationem, qui quum habeas ad virtutem exempla domestica, tamen teipsum indignum maiorum tuorum virtute præstiteris. Verùm habes amicum egregium admirandúmque. At ne iste quidem tunc tibi est adfuturus. Quomodo igitur dicit: Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis, vt recipiãt vos in æterna habitacula * sua? Non hîc est amicitia opitulatrix, sed eleemosyna. Etenim si sola auxiliaretur amicitia, dicendum erat, facite vobis C amicos. Nunc autem ostendens quòd non sola subuenit amicitia, addidit, ex mammona iniquitatis. Ac fortasse dixerit aliquis: Possum & absque mammona conciliare amicum, eúmque meliorem quàm ex mammona. Verùm vti scires quòd eleemosyna est, quæ patrocinatur, opúsque tuum ac beneficium tuum: non simpliciter in bonorum amicitiis, sed in amicitiis per mammonam partis, iussit te confidere. Hæc igitur omnia quum sciamus charissimi, omni sollicitudine prospiciamus nobisipsis, & siue corripimur, gratias agamus, siue prosperitate fruimur, muniamus nosipsos, aliorúmque suppliciis facti castigatiores, per pœnitentiam & compunctionem, continuámque confessionem & Eucharistiam, etsi quid deliquimus in hac vita deposito, summóque studio maculis omnibus animarum nostrarum abstersis, obsecremus Deum, vt omnibus hinc emigrantibus ita concedat illuc peruenire, vt non veniant in sortem diuitis, sed cum Lazaro potiantur sinu Abra- D hæ, ínque bonis immortalibus delicientur. Quæ nobis omnibus assequi contingat, gratia ac benignitate Domini nostri Iesu Christi, per quem & cui cum Patre & Spiritu sancto, gloria, honor, imperium, & adoratio in sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 48. Aliena iustitia non prodest malis. Gr. Rectè itaque dixit Dauid, Frater non redimit. Non d.

προστήσῃ, aderis, auxiliaberis.

valebit. Matt. 25.

spem salutis.

Hier. 7.

Luc. 16.

vox *sua* abest à Græco impresso.

Confessio & Eucharistia.

Fol. 1128. C. Sunt frigida illa verba] Gr. μὴ γάρ μοι λεγέτω τις τὰ ψυχρὰ ῥήματα ἐκεῖνα, καὶ πολλῆς καταγνώσεως ἄξια, ὅτι δικαστηρίῳ προσήλωμαι. Neque vero mihi quis proferat frigida illa vel absurda verba, multáque condemnatione digna: Ego forensibus causis, &c. *Frigida dicit Chrysostomus obiicientium verba, non illi Chrysostomi. Ita sub finem concionis huius,* μὴ γάρ μοι τὸ ψυχρὸν ῥῆμα ἐκεῖνο λεγέτω τις. *quæ rectè vertit interpres*, Neque enim mihi frigidum illud dictum obiecerit.

1130. B. Rebus diuinis vacans] *Non satis exprimit Græca*, καθάπερ ἐν ἱεροῖς ἀδύτοις ἡ ψυχὴ τελουμένη, quasi in sacris adytis initiata mysteriis anima purgatur, &c. *Qui enim initiabantur, expiationibus & lustrationibus quibusdam purgabantur.*

Consueta illis] *Interpres videtur legisse* τῆς συνηθείας. *In Oxoniensi erat*, τῇ τῆς συνθήκης ἀσαφείᾳ κατέκρυψαν. id est, affectata quadam obscuritate velarunt, *ceu, compositò obscure loquuti sunt, & data opera, cuiusmodi erant illa Pythagoreorum dicta, & Aegyptiorum Hieroglyphica.* Ibid. C.

Certaminum caueæ sunt] *Quid cauearum nomine intelligat interpres, non equidem video: caueam Latini eam theatri partem vocant in qua subsellia sunt, aut certè specus in quibus feræ ad venationes reseruantur. nusquam memini me legere pro arena vel stadio caueam. Græca sic reperi*, σκάμμα ἐστὶν ὁ παρὼν βίος. ἐν δὲ τῷ σκάμματι καὶ τοῖς ἀγῶσιν οὐκ ἂν δύναιτ' ἀπολαύειν ἀνέσεως. *vt apud hunc ipsum Chrysost. in 1. Cor. cap. 15.* ὁ θεὸς ἐπὶ μείζονα καλεῖ σκάμματα. *Et in dictum Apostoli, modico vino vtere*, οἱ ἀθληταὶ πρὸς τὰ σκάμματα ἑλκόνται. *Cœl. Aurelianus lib. 1. Chronic. & Budæus in Comment. docent* σκάμμα *esse sulcum stadij, siue fossam, aut lacunas circa arenam, vel locum in quo athletæ depugnabant. vnde prouerbium*, ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν. *Sumitur & pro ipso certamine. Glossarium*, σκάμμα, *fossum. Hesychius*, σκάμματα, ἀγῶνες, στάδια. *Vsus est & hac voce Tertullianus ad martyres*, Qui vos spiritu vnxit, & ad hoc scamma produxit. *Ambros. lib. 1. Offic.* Adhuc athletæ in scammate sunt, & tu iam otium petis. *Hieronym. contra Ioannem Hierosol.* Cur tu de scammate & loco certaminis egrediens. *Itaque* τὸ σκάμμα, *vel stadium, vel arenam, vel circum vertam, aut certè cum Latinis Patribus nomen scammatis retinebo.* 1135. B.

Tempore manes ineruditus] *Hic insigniter oscitatus est Erasmus. Quid enim huc pertinet eruditio, vbi de perferendis ærumnis & patientia agitur? Græca sic lego*, Ἰσαὰκ καὶ τὴν γυναῖκα ἀφῃρέθη, καθάπερ καὶ ὁ πατὴρ, καὶ ἐν ἀπαιδίᾳ τοσοῦτον διέμεινε χρόνον. Isaac & vxore priuatus est, quemadmodum & pater, & tam diuturno tempore liberis carẽs relictus est? *vel*, tamdiu sine prole remansit, & vixit? *Ille vertit quasi esset*, ἐν ἀπαιδευσίᾳ διέμεινας, *ipse* ἀπαίδευτος. 1138. B.

Et tamen cum filium] *Non de ipso Iacob, sed de alio quouis hæc dicuntur.* Gr. καὶ τοί τις ἰδὼν υἱὸν ἐπὶ θρόνου βασιλικοῦ καθήμενον, οὐκ ἂν ἐπιλάθοιτο τῶν παρελθουσῶν συμφορῶν; Enimuero si quis filium videret in solio regio considentem, nunquid præteritarum calamitatum obliuisceretur? Ibidem.

Moses? Nónne loquitur,] Gr. τί δὲ ὁ Μωυσῆς; οὐχὶ καὶ αὐτὸς ἀπαγορεύων φησὶ, ἀπόκτεινόν με; Quid vero Moses ipse? nónne animo etiam concidens ait, occide me? Ibid. C.

Helias qui cœlum aperuit] *Græc.* ὁ τὸν οὐρανὸν ἀποκλείσας, οὐ μετὰ τὰ πολλά. Qui cœlum conclusit. *Sic laudatur idem Ecclesiastici* 48. Verbo domini continuit cœlum, & deiecit à se ignem terræ. bbidem.

Confessionem & Eucharistiam] *Gr.* διὰ συνεχοῦς ἐξομολογήσεως εὐχαριστῶμεν, per continuam confessionem, gratias agamus. *Vt ante*, κἂν κολαζώμεθα, εὐχαριστῶμεν, siue corripimur, gratias agamus. 1139. C.

Eiusdem, de Lazaro, concio quarta, quódque conscientia solet nos commonefacere veterum delictorum. Item de Ioseph.

EODEM INTERPRETE.

QVOD superest de Lazari parabola, necessum est vt persoluamus hodie. Nam vos fortasse creditis totum nobis absolutum esse. Atqui ego non * abutar vestra ignorantia, neque prius desistam quàm totum quod mihi videre datum est tractauero, itaque discessero: quandoquidem & agricola posteaquam totius vineæ vindemiam peregerit, non prius desistit, quàm singulos etiam minutos acinos decerpserit. Quum igitur nunc quoque videam sub literis veluti sub foliis latere sensus occultos, age & hos rursus diligẽter amputemus, pro falce sermone vtentes. Siquidem vinea post fructus semel à vindemiatore defectos, stat nuda fructu, nihil habens præter folia: verùm spiritualis diuinarum scripturarum vinea non item, sed quamuis quicquid videbatur sustulerimus, tamen adhuc amplius superest tollendum. Itaque complures ante nos disseruerunt in hãc parabolam, complures fortassis & post nos disserturi sunt, nemo tamen poterit totas opes eruere. Nam ea est huius opulentiæ natura, quò foderis altius, hoc magis exundãt diuini sensus. Fons enim est nunquam deficiẽs. Oportebat

non vtar ad fallaciæ occasionem vestra &c. Simile.

Oportebat quidem superiore conuentu debitum hoc A dissoluisse. Verùm non existimauimus esse tutum beati Babylæ & Xynoridis, sanctorum martyrum, qui Lazarum sequuti sunt, benefacta preterire. Eóque distulimus fundamentum, reseruantes in præsentem diem totam structuram. Age igitur, quoniam & patribus suas laudes persoluimus, non vt ille promerebantur, sed pro viribus nostris, persoluamus & vobis huius expositionis reliquias. Verùm ne vos delassemini priusquam ad finem peruenerimus, illinc repetemus sermonem, vbi illum heri finiuimus. Vbi verò illum heri finiuimus? In hiatu dirimente iustos à peccatoribus. Quum enim dixisset diues, mitte Lazarum, quid illi respondit Abraham? Hiatus ingens fixus est inter nos & vos, vt qui velint isthinc transire ad nos non possint, neque hinc isthuc transeunt. Multis verbis demonstrauimus, quòd posteaquam Deus multam humanitatem erga nos exhibuit, oporteat in propriis benefactis spem salutis collocare, non patres, auos, ac proauos recensere, neque cognatos B domesticos ac vicinos. Frater non redimit, redimet homo? sed quicquid deprecati fuerint supplicaríntque qui hinc cum peccatis migrarint, incassum iam frustráque loquentur. Etenim virgines illæ quinque implorabant ab æqualibus oleum, nec impetrarunt. Et is qui talẽtum in terra defoderat, quum multam excusationem attulisset, tandem condemnatus est. Item qui ipsum esurientem non pauerant, nec sitienti potum dederant: quùm & ipsi crederent sese ad ignorantiæ patrocinium posse confugere, nec veniam nec excusationem repererunt. Cæteri verò nec quod hiscerent habebant, velut ille sordidis indutus vestibus. Nam accusatus obticuit. Nõ autem hic modò, verùm & alius ille, qui quòd aduersus proximum præteritarum offensarum meminisset, centúmque denarios ab eo postulasset, pòst super his ipsis à domino reprehensus, ob crudelitatem & inhumanitatem, nihil habuit quod responderet. Vnde perspicuum est, quòd neque nos quicquam illic subleuabit, si non C habuerimus bona opera: verùm siue supplices fuerimus, obsecremúsque, siue tacuerimus, æquè super nos veniet supplicium ac vindicta. Ausculta igitur quomodo hic quum duo postularet ab Abraham, vtroque frustratus sit. Primùm enim pro seipso deprecatus est, Mitte, inquiens, Lazarum: mox non iam pro seipso, sed pro fratribus: verùm nihil postulatorum obtinuit. Siquidẽ altera postulatio, nempe prior talis erat, vt quod petebatur fieri non posset. Altera verò videlicet pro fratribus, erat superuacua. Quin potius, si videtur, ipsa verba multo cum studio audiamus. Etenim si quum magistratus in medio foro reum adducit, carnifices adhibet, ac tormentis * examinat accusatum, omnes magno studio concurrunt, cupientes audire quid interroget iudex, quid reus respondeat: multò magis hîc diligenter auscultandum est, quid reus, nimirum hic diues, postulet, quid cõtrà iustus iudex respondeat per Abraham. Non enim patriarcha erat qui iudicabat, quanquam is pro- D nunciabat. Verùm quemadmodum in mundanis istis iudiciis quoties fuerint aliqui rei, puta latrones, aut homicidæ, his leges procul à conspectu iudicis occurrentes, non permittunt vt audiant vocem iudicantis, qui præter alia hoc quoque honore iudicat illos indignos, sed medius quispiam interpres, & iudicis interrogationes, & rei responsiones perfert: hoc sanè pacto & tunc factum est. Non Deum pronunciantem, non Deum ipsi loquentem audiuit reus, sed medius erat Abraham, qui iudicis vocem ei qui iudicabatur retulit. Non enim ex sese dicebat quæ dicebat, sed diuinas diuiti leges recitabat, quæque cœlitus ferebantur, sententias proferebat: eóque nec habebat hic quod contradiceret. Ausculte-

Babylas. Ante hãc orationẽ habita videtur laudatio prolixa Babylæ.

Psal. 4.

Matt. 25. Ibidem.

Mat. 22. Ibid. 18.

Diuitis petitio qualis.

Simile.

Excruciat.

mus itaque diligenter his quæ dicuntur. Nam in hac parabola data opera immoror, nec desisto tametsi quartum iam diem in hac versor, propterea quòd ex hac enarratione plurimum fructus nasci video tum diuitibus, tum pauperibus, tum his qui propter improborum fœlicitatem, tum illis qui propter iustorum inopiam & afflictionem conturbantur. Neque enim vlla res perinde solet hominum vulgus offendere ac perturbare, vt quod diuites prauè viuentes multa fruuntur prosperitate: contrà, iusti cum virtute vitam agẽtes, ad extremam rediguntur inopiã, aliáque perpetiuntur innumera paupertate ipsa grauiora. Verùm hæc parabola sufficit ad præstanda remedia: diuites quidem redigens ad sobrietatem, pauperes verò in præsentibus malis consolans: & illos quidem admonens, ne efferantur tollántque cristas, quoties peruersè viuentes hîc pœnas non dant, quippe quum illos maneat illic grauior cruciatus: hos verò consolans, ne aliorum fœlicitate perturbentur, neque putent res humanas absque Dei prouidentia ferri, quum hîc iustus malis affligitur, improbus contrà ac sceleratus homo perpetua fruitur prosperitate. Ambo siquidem pro dignitate recipient illic, hic quidem coronas patientiæ tolerantiæque, ille verò supplicia, pœnásque improbitatis. Hanc parabolam inscribite diuites pariter ac pauperes, diuites quidem in parietibus animi vestri: & si quando deleta fuerit oborta obliuione, illinite denuò, ab initio reminiscentes. Magis autem pauperes coram oculis vestræ mentis hanc describite, sempérque circunferte, & erit vobis documentum, materiáque totius philosophiæ. Nam si hanc iugiter inscriptam animo teneamus, neque huius vitæ læta poterunt nos inflare, neque tristia deiicere prosternerẽque, sed non aliter quàm afficimur picturis in pariete additis, erga hæc vtraque afficiemur. Quemadmodum enim conspicientes in pariete pictum diuetem ac pauperem, nec illi inuidemus, nec pauperem despicimus, eò quòd quæ videmus, vmbra rerum est, non veritas: sic & diuitiarum & paupertatis, gloriæ & ignominiæ, aliarúmque rerum omnium siue tristium siue lętarum naturam si pernouerimus, liberabimur à turbatione, quæ ex harum vnaquaque in nobis gigni solet. Hæc enim omnia quauis vmbra fallaciora sunt, nec quicquam habent sublime, neque præclarum, nec splendida gloriosáque attollere, nec humilia contemptáque contrahere poterunt. Verùm iam tempus nobis est, vt diuitis verba audiamus: *Oro te*, inquit *pater*, hoc est obsecro rogóque *vt mittas Lazarum in domum patris mei. Sunt enim mihi quinque fratres, vt testificetur illis, ne veniant in hunc locum tormentorũ.* Postquam pro se non impetrauerat, pro aliis facit supplicationem. Vide quàm humanum, quàm mansuetum pœna reddiderit eum. Qui Lazarum præsentem despiciebat, aliorum absentium nunc curam habet: qui ante oculos iacentem præteribat, meminit eorum quos non videbat, multóque studio postulat vt aliquo modo illis prospiciatur aduersus imminentia mala: obsecrátque vt Lazarus in domum patris mittatur, vbi ipsi fuerat * cauea stadiúmque virtutis apertum. Illi videant illum coronari, qui viderunt certantem: qui testes fuerunt illi paupertatis ac famis, aliorúmque malorum innumerabilium, fiant testes honoris & ignominiæ in omnem gloriam commutatæ: vt vtrinque castigati doctíque, quòd res nostræ nequaquam præsentis vitæ termino finiuntur, tandem præparent sese, vt hanc pœnam cruciatúmque possint effugere. Quid igitur Abraham? Habent, inquit, Moysem, habent prophetas. † Non æquè tu curas fratres tuos atque Deus qui illos condidit, innumeros illis adhibuit magistros, admonitores, consultores, adhortatores. Quid igitur ille respondit? Non, in-

Simile.

arena.

adde è Gr. *audiant illos.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quit, sed si quis ex mortuis redeat, illi credent. Hæc sanè A que disseminans zizania. Itaque etiamsi illud euenisset, hoc quoque conatus fuisset fingere per sua organa, non verè excitatis mortuis, sed maleficiis quibusdã ac fraudibus contuctium oculis deceptis, aut quosdam etiam subornans, quemadmodum dicere cœperam, qui mortem simularent, sursum deorsum miscuisset, confudisset que omnia: sed Deus, * quem nihil latet, præclusit illi viam ad has insidias, nobisque parcens non permisit, vt quisquam vnquã illinc huc reuersus de iis quæ ibi sunt narraret viuentibus hominibus: docens nos, vt scripturis potius credendum existimemus, quàm cæteris omnibus, propterea quòd deus resurrectionis negociũ multò dilucidius nobis commonstrauit. Orbem vniuersum conuertit, errorem abegit, veritatem induxit, per homines piscatores ac viles hæc omnia peregit, denique abundè magna suæ prouidentiæ documenta nobis vbique præbuit. Ne itaque putemus res nostras huius vitæ termino circunscribi, sed credamus fore iudicium ac remunerationem omnium quæcunque hîc à B nobis geruntur. Nam id est adeò manifestum conspicuúmque cũctis, vt & Iudæi & * Græci, & hæretici, breuiter omnis quisquis est homo super his consentiat. Quanquam enim non quemadmodum decet, de resurrectione philosophantur omnes, attamen de iudicio, déque pœnis, déque tribunalibus quæ illic sunt, omnes consentiunt, illic esse aliquam eorum quæ hîc geruntur remunerationem: quod ni esset, qua de causa Deus cœlum tam amplum extendisset, mare dilatasset, aërem diffudisset, tantam prouidentiam declarasset, nisi ad finem vsque nostri curam habiturus esset? Nónne vides multos, qui cum virtute vixerunt, innumeráque mala passi sunt, decessisse nulla re bona percepta? Alios contra, quum multam prauitatem commiserint, alienas facultates rapuerint, viduas & orphanos spoliauerint, oppresserintque, opibus deliciísque & innumeris bonis fruiti fuerint, decessisse ne tantulum quidem mali passos? Quæ igitur vel illi priores virtutes præmia recipiẽt, C vel isti prauitatis ferent supplicia, si nostræ res vltra vitã hanc non proferuntur? Nam si Deus est, sicuti reuera est, cum iustum esse nemo non fatebitur. Atqui si iustus est, & his & illis reddet pro meritis. Et hoc in confesso est. Quòd si & his & illis rependet pro meritis, hîc verò nullus eorum recepit, neque ille improbitatis pœnam, neque hic virtutis præmia: perspicuum est restare tempus aliquod in quo congruens præmium horum vterque feret. Sed quare nobis iudicem in animo sic perpetuò vigilantem, & attentum Deus constituit? conscientiam loquor. Nec enim est vllus inter homines adeò vigilans, vt est nostra conscientia. Nam externi iudices & pecuniis corrumpuntur, & assentationibus deliniuntur, & metu simulant, denique multa sunt alia quæ rectum illorum iudicium deprauant: at conscientiæ tribunal nulli hominũ nouit cedere, sed quamuis dederis pecunias, quamuis mineris, quamuis aliud quidlibet feceris, iustam feret sententiam aduersus peccatorum cogitationes, adeò vt ipse quoque qui peccatum admisit, seipsum condemnet, etiamsi alius nullus accuset. Neque id semel atque iterum, sed sæpius, imò per omnem vitam hoc facere non desinit: & licet ingens temporis interuallum interceserit, nunquam tamen obliuiscetur eorum quæ facta sunt. Quin & quum perpetratur peccatum, & priusquam perpetratur, & postquam est perpetratum, acerbus nobis imminet accusator, maximè verò posteaquam perpetratum fuerit. Nam in perpetrando scelere, quoniam voluptate sumus ebrij, non perinde sentimus: cæterum simulátque commissum est ceperítque finem, tum demum extincta voluptate amarus pœnitentiæ stimulus succedit, cõtrà quàm accidere sol et mu-

ἁπλῶς.

Deus, cum hæc omnia præuidisset, præclusit, &c.

νῦν ἀπισχήσουσιν.

Probatio immortalitatis.

Conscientiæ remorsus, quare inditus homini.

Mortui quare non appareant.

Gentiles.

ὃν τῷ πατρῷ τὸ σαυτοῦ: aliàs, quo tempore dominus crucifixus est Scripturæ prima fides.

Simile mirum.

* δικαιοκρισίαι, foræ, iudicia.

adde è Gr. Quid verò dico raitum, quod ij, qui nunquam in ea incidérint, non emendantur? Multi fr.

Mortui non apparent viuentibus.

solet mulieribus parturientibus. Nam illis ante partum A uis stimulo acrius pungere consueuit peccatorem. Non labor est ingens, grauésque nixus, dissecantes eas doloribus, post partum verò relaxatio, dolore simul cum infante egrediente: verùm hîc non item, sed dum parturimus concipimúsque corruptos affectus, delectamur, gaudemúsque: cæterùm vbi fuerimus enixi malum illum puerum peccatum, tum conspecta fœditate partus, discrutiamur grauius quàm mulieres parturientes. Quapropter adhortor primum quod est optimum, ne vnquam omnino cõcipiamus in animo corruptam cupiditatem. Quòd si quando conceperimus, tamen fœtum intus præfocemus. Rursus si huc vsque fuerimus negligentes, iniquitatem in opus progressam mox occidamus per confessionem, per lachrymas, per propriorum commissorum accusationem. Nihil enim tam exitiale peccato, quàm peccati accusatio condemnatióque, cum pœnitudine lachrymisque coniuncta. Condemnasti tuum peccatum? deposuisti sarcinam. Quis hæc dicit? Ipse iudex Deus. Dic tu peccata tua B prior, vt iustificeris. Quur igitur, te quæso, pudescis & erubescis dicere peccata tua? Caue enim homini dixeris, ne tibi opprobret. Neque enim conseruo confiteris, vt in publicum proferat, sed ei qui Dominus est, ei qui tui curam gerit, ei qui humanus est, ei qui medicus est ostendis vulnera. Neque enim ignorat, etiamsi tu non dixeris, qui sciebat etiam antequam perpetrares. Quid igitur est causæ, quò minus dicas? Non enim ex accusatione fit grauius peccatum: imò mitius magis ac leuius. Et ob hoc ipsum Deus vult te dicere: non vt puniaris, sed vt relaxeris: non vt ipse sciat peccatum. Quur enim id postulet, quum iam sciat? Sed vt tu scias, quantum tibi debitum remittatur. Ideo verò vult te scire beneficij magnitudinem, vt perpetuò gratias agas, vt segnior fias ad peccandum, vt ad virtutem promptior. Nisi dixeris debiti magnitudinem, nõ agnosces donationis eminentiam. Non, inquit, cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes. Mihi soli C dic peccatum priuatim, vt sanem vlcus, téque dolore liberabo. Ideo nobis inseuit conscientiam, idque quouis patre amantius. Nam pater vbi semel, iterum ac tertiò, decieísve filium increpauerit: si viderit incorrigibilem manere, desperans abdicat, expellit è familia, à cognatione resecat. At non eodem modo conscientia, sed licèt semel, licèt iterum, licèt ter, licèt millies admonuerit, túque nõ obtemperes, monebit iterum, nec desistet vsque ad supremum halitum, siue domi, siue in biuiis, siue in mensa, siue in foro, siue in itinere, frequenter & in somnis peccatorum nobis simulacra spectráque repræsentat. Vide autem Dei sapientiam. Non fecit perpetuam conscientiæ accusationem, neque enim hoc onus perferre poteramus, si iugiter accusasset: neque rursus adeò leuem & imbecillem, vt post vnam aut alterã admonitionem desperet. Etenim si singulis diebus fuisset nos stimulatura, an non despondentes animum enecaremur? Rursus si post vnam atque alterã increpationem D desisteret, haud multum fructus nobis adferret. Eóque fecit obiurgationem frequentẽ, at non perpetuam: frequentem quidem ne in socordiam incideremus, sed vt subinde relaxatione solatióque quopiam accepto, respiraremus. Quemadmodum omnino non dolere de peccatis, exitiale est, quódque malorum extremum est, etiam mali sensum nobis adimit: sic & iugiter, supráque modum * id facere, noxium est. Solet enim & doloris immodica magnitudo, frequenter hominem à naturalibus excutiens sensibus, animum demergere, & ad honesta omnia inutilem reddere. Eapropter & illud prouidit, vt ex interuallis nobis immineret conscientiæ redargutio, propterea quòd est admodum seuera, & quo-

Dissimile.

πρὸ τοῦ ἀρχῶ. Primum non velle peccare, proximum statim abolere.

Confessio.

Agnitio peccati delet peccatum. Esa. 43.

Deo confitendum.

Quare Deo confitendum, qui scit omnia.

Dissimile.

τὸ πάσχειν, id pati.

Dolor immodicus adducit insaniam.

Sacra anchora.

Gen. 37.

Inuidiæ vis.

Gen. 37. * τί βούλεται τὰ ἐνύπνια, quid futura sint insomnia.

Gradatio.

Gen. 39. hoc membrum abest à Græ.

Universidad de Deusto Biblioteca

excelſam à quoquam auerſum iri: quò ſi quando ab aliquo petaris inſidiis, ne conſterneris animo, néve moleſtè feras, ſed ſcire poſſis inſidias in bonum finem exituras, tantùm ſi fortiter feras quæ accidunt. Ecce hic quoque liuor regnum peperit, inuidia conciliauit diadema, ad thronum perduxit, atque illi ipſi qui ſtruebãt inſidias, auxiliantes promouerunt ad illius imperij magnitudinem. Et is quidem cui ſtructæ fuerant inſidiæ, regnum adeptus eſt: ij verò qui ſtruxerant, ſeruierunt. Adorabatur ille, hi adorarunt. Itaque quum tibi acciderint acerba, continuáque mala, ne turberis, neque moleſtè feras, ſed expecta finem. Omnino continget aliquis, munifico Deo dignus, tantùm vt cum gratiarum actione feras quæ accidunt: quandoquidem nec iſte cum illa ſomniaſſet ſomnia, quum in extremum diſcrimen veniſſet, quum venditus à fratribus, quum ab hera inſidiis appetitus, denique cùm in carcerem eſſet coniectus, dicebat apud ſeſe: Quid tandem hoc eſt rei? fefellerunt me illa ſomnia per quæ exulo à patria, ſpoliatus ſum libertate, propter Deum non ceſſi heræ ad adulterium inuitanti, propter pudicitiam ac virtutem do pœnas, ac ne ſic quidem vltus eſt vicem meam Deus, aut manum porrexit, ſed paſſus eſt me tradi vinculis ſuper alia aliis, calamitates inciderunt perpetuæ, poſt ciſternam ſeruitus, poſt ſeruitutem inſidiæ, poſt inſidias calumnia, poſt calumniam carcer: verùm horum nihil illum perturbabat, ſed perſeuerabat in ſpe cum bona fiducia, ſciens quòd quæ dicta ſunt à Deo, nunquam excident. Poterat quidem Deus eodem etiam die iſta perficere, ſed vt ſimul & ſuam declararet potentiam, & fidem famulorum ſuorum, permittit multum temporis intercedere, multáque incidere impedimenta, vti ſimul & ipſius robur cognoſcas, tum explentis promiſſa, poſteaquam in deſperationem adducta res eſt, & ſeruorum perſpicias tolerantiam ac fidem, quos nihil horum quæ interim accidunt, à bona ſpe depellit. Sed quod dicere cœperam, reuerſi ſunt iſti, fame illos * veluti carnifice præcipites agitante, & principi Ioſeph exhibente. Volebant emere frumentum: hic autem ait ad eos, exploratores eſtis. Illi verò quídnam hoc eſſet apud ſeſe reputabant, inquiunt: * Frumentum empturi venimus, & de vita periclitamur. Meritò, quandoquidem & ille vobis alimoniam adferebat, déque vita periclitatus eſt. Cæterùm ille quidem verè paſſus eſt: vos autem hoc per ſimulationem patimini. Non enim inimicus erat, ſed inimici perſonam adſumpſerat, vt quid in paterna familia ageretur, ad plenum cognoſceret. Quoniam enim circa ipſum improbi, ingratíque fuerant: Benjamin autem cum ipſis non viderat, veritus de puero ne quando & ille eadem quæ frater paſſus fuiſſet, iubet vnum ex illis vinctum illic detineri, deinde illos ſumpto omni frumento diſcedere, mortem illis comminatus, niſi fratrem ſuum adducerent. Hæc igitur vbi facta ſunt, dixit illis: Relinquite aliquem hîc, & fratrem veſtrum adducite: ſin minus, moriemini. Quid tum inter ſe loquebantur illi? Profectò hæc iure nobis accidunt: nam in peccatis ſumus, de fratre noſtro quum rogaret nos. Vides? poſt tantùm temporis peccati illius recordabantur, & ad patrem quidem dixerant: Fera peſſima deuorauit Ioſeph. Cæterùm ipſo Ioſeph præſente audientéque peccatum ſuum prodebant. Quid hac re mirabilius accidere poſſit? Iudicium abſque redargutionibus peragitur, & excuſatio ſine accuſatione, probatio ſine teſtibus, dum ipſi qui facinus peregerant ſeipſos redarguunt, quódque clam factum fuerat, efferunt. Quis cedò, * quis adegit in publicum efferre, quæ ante tantùm temporis patrata ſunt? An

Euentus in manu Dei.

Deus quare non ſtatim eripit ſanctos.

καθάπερ ςρατιώτȣ. Gen. 42.

τροφλω.

Ibidem.

Gen. 37.

adde è Gr. perſuaſit quis adegit.

A non perſpicuum eſt huc adegiſſe conſcientiam iudicem, cui verba dari non poſſunt? Aſſiduè concutiebat illorum mentem, animúmque turbabat, & ille occiſus tunc ſedebat tacitè iudicans illos: quúmque nulla ſententia in ipſos eſſet pronuntiata, ipſi condemnationis calculum aduerſus ſeſe ferebant. Et iſti quidem hæc dicebant. Alius verò * reſpondebat, dicens: Nónne dixi ad vos ita loquens: ne lædatis puerum, néve quicquam mali illi faciatis, quoniam frater noſter eſt: & ecce nunc ſanguis ipſius exquiritur, inquit, de manibus noſtris. Attamen is qui hæc dicebat, nihil de cæde aut interfectione illa dixerat: verùm ne ipſe quidem ſedens quicquam tale quærebat, ſed alium fratrem requirebat: ipſorum tamen conſcientia per oblatam occaſionem inſurrexit, momordítque illorum animos, efficiens, vt nemine compellente, ſua confiterentur facinora. Eadem & nobis accidunt in peccatis præteritis. Quum enim malis nos circumſtantibus examinamur, B priorum peccatorum reminiſcimur. Hæc igitur omnia quum ſciamus, vbi quid praui geſſerimus, ne expectemus calamitates, malorúmque incurſum, neque pericula, neque vincula, ſed ſingulis & horis & diebus renouemus apud noſipſos hoc iudicium, ſententiam aduerſus noſipſos feramus, omníque modo conemur * cõfiteri Deo, ac neque ipſi de reſurrectione, déque iudicio dubitemus, neque alios ita loquẽtes feramus, ſed modis omnibus per ea quæ dicta ſunt, illis obturemus os. Nam ſi illic non eſſemus daturi pœnas admiſſorum, Deus nequaquam in nobis conſtituiſſet tale iudicium. Quanquam hoc ipſum illius declarat humanitatem. Quoniam enim tunc exacturus eſt à nobis rationem delictorum, inſtituit in nobis hunc iudicem incorruptibilem, vt is hîc de commiſſis nobis iudicium reddens, emendatioréſque faciens, ex illo eripiat iudicio, quod & Paulus ait: Nam ſi noſmetipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Vt igitur C * neque puniamur, neque pœnas demus, in ſuam quiſque conſcientiam ingrediatur, vitámque explicet: cunctíſque commiſſis diligenter excuſſis, condemnet animam quæ hæc patrauit, puniátque cogitationem, affligat, cruciétque ſuam ipſius mentem, ſupplicium à ſeipſo exigat pro peccatis, per condemnationem, per diligenter actam pœnitentiam, per lachrymas, per confeſſionem, per ieiunium, per eleemoſynam, per continentiam, ac charitatem, vt poſſimus omnes omni modo hîc depoſitis peccatis multa cum fiducia illuc proficiſci: quam nobis omnibus contingat aſſequi, gratia ac benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cum Patre & ſancto Spiritu, gloria, honor, imperium, in ſæcula ſæculorum. Amen.

ἀπελογεῖτο, tuebatur ſe. Gen. 42.

Afflictio dat intellectum. Peroratio.

ἀπολογεῖσθαι τῷ θεῷ, Deo nos purgare.

1. Cor. 11.

ὅτε, tum.

Abolitio peccati quibus modis fiat.

1141. A. Babylæ & Xynoridis, ſanctorum martyrum] *Fugit hic ratio Eraſmum, dum ex biga nobis martyrem nouum inuſitata metamorphoſi procudit. Chryſoſtomus ita*: ἀλλ' οὐκ ἀσφαλὲς εἶναι ἐνομίσαμεν τοῦ μακαρίου Βαβύλα καὶ τῆς ξυνωρίδος τῶν ἁγίων μαρτύρων τῶν μετ' ἐκείνου παρελθεῖν τὰ κατορθώματα. *Cum tres iam habuiſſet conciones de Lazaro, obueniſſétque feſtum S. Babylæ Antiocheni, quod celebratur 24. Ianuarij, omiſſo hoc argumento, de Babyla orationem inſtituit, tum ſequenti die 25. cum incidiſſet feſtum SS. Iuuentini & Maximiani, quorum meminit Theodoritus lib. 3. cap. 14. de iis quoque ad populum verba fecit: tertio poſt die ad inchoatam de Lazaro diſputationem reuertit. Itaque* ξυνωρίδα *appellat duos illos martyres, non eos qui cum Babyla paſſi; nam Suidas in voce* Βαβύλας, *cum eo* τρεῖς παῖδας ἀδελφοὺς ἁρπαγῆναι *ſcribit. Et vt idẽ ſcribit,* ξυνωρίς, συζυγία δύο ἵππων. *ſic vt legendum videatur hic* μετ' ἐκεῖνον, *non* μετ' ἐκείνου, *quod poſtridie Iuuentini & Maximiani feſtum occurreret. Conſtat hoc ipſum & initio ſermonis qui eſt extremus in Tomo 3.* Heri quadriga martyrum, hodie biga ſe oſtendit. *Sic ergo hunc locum interpretor.* Verum non exiſtimauimus tutum beati Babylæ & bigæ illius martyrum qui poſt illum occurrerunt, præterire res geſtas.

D

Ibid. D. Procul à conſpectu iudicis] *Gr.* πόρρω τῆς ὄψεως τοῦ δικάζοντος ἀποστήσαντες τούτους οἱ νόμοι, τῆς τοῦ κρίνοντος οὐκ ἐπιτρέπουσιν ἀκοῦσαι φωνῆς. id eſt, Eos leges procul à conſpectu iudicis ſegregantes, & arcẽtes non permittunt

permittunt vt iudicis vocem exaudiant. *Interpres videtur legiſſe* ἀπαντήσαντες.

1142. C. Neque quicquam habent ſublime] *Gr.* καὶ τὸν ὑψηλὸν καὶ γενναῖον οὐδὲν οὔτε τῶν λαμπρῶν καὶ ἐπιδόξων ἐπᾶραι, οὔτε τῶν ταπεινῶν καὶ ἀπερριμμένων συστεῖλαι δυνήσεται. Homini alta mente prædito, atque generoſo nullæ res ſplendidæ aut illuſtres efferre, nullæ humiles abiectǽque contrahere animum poſſunt. *Similis eſt illa ſententia Romani cuiuſdam Imperatoris apud Liuium:* Is demum vir erit, cuius animum nec proſpera fortuna flatu ſuo efferet, nec aduerſa infringet.

1144. A. Reſurrectionis negotium] *Hic quoque aut vitioſo libro vſus eſt Eraſmus, aut dormitauit. Impreſſus liber ſic habebat,* πολὺ γὰρ τῆς τῶν νεκρῶν ἀναστάσεως σαφέστερα ἡμῖν ἔδειξε πράγματα· τὴν οἰκουμένην ἐπέστρεψεν. Multo vero clariores inſignioréſque res geſtas, quàm ipſa mortuorum reſurrectio videatur, nobis demonſtrauit, cum & orbem vniuerſum, &c. *Hæc nimirum illuſtriora ſunt excitatione mortuorum ab inferis & mirabiliora quæ per Euangelij præcones ac fidei noſtræ adminiſtros Chriſtus ipſe perfecit.*

1145. B. Caue enim homini dixeris] *Hunc locum Catholicis opponunt hæretici confeſſionem ſacram oppugnantes, quibus tametſi probe reſpondent illi, tamen ſi ad verbum è Græco conuerſus eſſet, minus videretur aduerſari.* μὴ γὰρ ἀνθρώπῳ λέγεις, ἵνα ὀνειδίσῃ σε; μὴ γὰρ τῷ συνδούλῳ ὁμολογεῖς, ἵνα ἐκπομπεύσῃ; Num enim homini dicis, vt te probro afficiat? num enim conſeruo confiteris, vt in publicum proferat? Imo ei qui dominus eſt, &c. *At interpres ſic effert, quaſi homini omnino confiteri vetet Chryſoſtomus, quod non eſt fidi interpretis.*

Ibid. D. Eóque fecit obiurgationem] *Et truncata eſt altero membro hæc ſententia & perperam conuerſa. Græcè ita erat:* διὰ τοῦτο διηνεκῆ μὲν ταύτην ἐποίησεν εἶναι τὴν ἐπιτίμησιν, οὐ μὴν συνεχῆ· διηνεκῆ μὲν, ἵνα μὴ εἰς ῥαθυμίαν ἐμπίπτωμεν· οὐ συνεχῆ δὲ, οὐδὲ ἐπάλληλον (*niſi malis* ἀλλ' ἐπάλληλον) ἵνα μὴ καταπίπτωμεν, ἀλλὰ ἀνέσεις τινὰς λαμβάνοντες καὶ παραμυθίας ἀναπνέωμεν. Ideóque perpetuam hanc eſſe voluit obiurgationem, at non continuam: perpetuam quidem, ne in ſocordiam incideremus, ſed ſemper ad obitum vſque commonefacti temperatè viueremus: non continuam autem, aut ſibi crebro ſuccreſcentem, ne concideremus animo, rerum ſubinde relaxatione ſolatióque quodam accepto reſpiraremus. *Nec obſtat quod paulò ante dixit,* non perpetuam. *nam & ibi verbo* διηνεκῆ *vtitur Chryſoſtomus, ſed vt ſignificet* non continuam: *hic autem alia notione,* διηνεκῆ μὲν, ἀλλ' οὐ συνεχῆ, *vt ſignifices perpetuam quidem, id eſt ad finem vſque vitam permanentem, non tamen ſingulis eius momentis nos pulſantem.*

Sermo D. Ioannis Chryſoſtomi de Zacchæo.

SI per Chriſtum geſta, atque in exemplum cunctis credentibus demõſtrata momentis omnibus tractaremus: quantum in nobis creſceret fides, augeretur deuotio, incrementa ſalutaria promouerent? Nec quiſquam ceſſando torpeſceret, ſed ſe exercendo augeret, vt homines toties ſuos profectus conſpicerent, quoties iſta aut mente conciperent, aut ſermonibus indicarent. Nec ſepararentur minores exemplis, ſed ſemet compararent potioribus meritis: vt dum ſublimia factis, & potiora operibus exæquaſſent: ſic ſe imitandos cæteris exhiberent, dum potiores imitari ipſi voluiſſent. Vnde de multis vnũm Zacchæi geſtum vobiſcum volumus tractare, vt ex ipſo & eius meritum, & Chriſti domini liberale proferamus exemplum. *Aſcendit in arborem Zacchæus, vt dominum Chriſtum ex alto conſpiceret: quem in humili per breuitatem ſtaturæ videre non* D *poterat.* Cupit noſſe aſpectu, quem intuitus fuerat ſenſu: videre facie, quem viderat mente: contemplari præſentem, quem nunquam viderat operantem: vt amor Chriſti Zacchæi corde conceptus, etiam oculorum fuiſſet viſibus ſaginatus. Quem cùm in arbore Chriſti diuina maieſtas conſpiceret: *Feſtina*, inquit, *Zacchæe: hodie enim in domo tua manſurus ſum.* Promittit ſe Chriſtus ad eius domum venturum, cuius deſiderantis iam poſſederat animum. Venit ad Zacchæum hoſpitem Dominus ſpiritales epulas præparantem: vt cuius fidem ſolus iam nouerat, eius meritum cunctis præſentibus demonſtraret. Denique adueniente Domino, munus gratiſſimum offert: donum miſericordiæ exhibet, de ſuo

C

Luc. 19.

A Dominum promereri contendit. *Ecce dimidium*, inquit, *de ſubſtantia mea do pauperibus: & ſi cui, quid fraudaui, quadruplum reddo.* Totum quod habuit Zacchæus, obtuliſſet: niſi fraudis damna, multiplici diſpendio penſare voluiſſet. O mira Zacchæi deuotio. Subſtantiam ſuam in duas diuidit partes, ſeparat ab extraneo proprium, diuidit à fraudibus ſuum. Diſcernit à bonis ſuis, quod fuerat alienum. Pars proficit in miſericordiam, pars impenditur in rapinam redimendam. Tribuit pauperibus proprium, & fraudibus tribuit alienum. Recipiunt, qui perdiderant, quadruplum: & reſiduum pauperibus proficit in ſubſidium. Non vult enim ex fraudibus reddi multiplicata, quæ tulerat: confitetur fraudes. Ipſe ſe iudicat, ipſe ſe condemnat. Non vult apud ſe rapinarum quidpiam reſidere, vt poſſet iudici Chriſto placere. Denique reddendo, redimit crimen, condemnat factum: vt dum malè quæſita reſtitueret, & ſua propria pauperibus offerret: ſic ex fraudibus veniam, & B ex miſericordia perciperet gloriam. Vnde dominus Chriſtus eius perſequitur laudem, probat fidem, honorat eius in munere deuotionem. *Amen*, inquit, *dico vobis: quoniam hodie ſalus domui huic facta eſt, quoniam & hic verè filius eſt Abrahæ.* Hodie, inquit, domui huic ſalus facta eſt. Accepit domus Zacchæi ſalutem ex fide, quam perdiderat aliquando ex fraude. Miſericordia reddidit, quod rapina abſtulerat: cõferunt dona, quod fraudes ademerant. Dona enim pauperum, lucra ſunt animarum: vt probabile cunctis exiſteret, malis quæſtibus damna in miſericordiæ operibus lucra maxima aggregari. Quoniam & hic, inquit, vere filius eſt Abrahæ. Fit Zacchæus Abrahæ filius, fide, non genere: merito, non ſobole: deuotione, non ſtirpe. Primò, Zacchæus videre Dominum concupiuit, ſicut de Abraham ſanctiſſimo ipſe Dominus dixit: Abraham pater veſter concupiuit diem meum videre: vidit, & gauiſus eſt. Secundò, quia Zacchæus hoſpitio Dominum meretur C excipere, vt excepit & pater. Sed Abraham Dominum excepit cum Angelis, Zacchæus cum Apoſtolis: Ille pergentem ad Sodomam, hic tranſeuntem per Iudæam. Sed Abrahæ benedictio meruit filium: Zacchæum verò in filiorum Dominus tranſtulit numerum. Tertiò, vt omnem ſubſtantiam ſuam fideliter pauperibus obtuliſſet. Nam totum quod habuit, obtulit: quia patrimonij partem reddendis fraudibus reſeruauit. Sed Abraham Domino, filium: Zacchæus ſubſtantiam obtulit. Ille hæredem, hic hæreditatem donauit. Ille immolandum ſolùm, quod habuit, pignus exhibuit: hic patrimonij ſubſtantiam Domino immolauit. Vnde rectè Abrahæ filius, Zacchæus nuncupatur, dum ordinem gloriæ paternæ exequitur. Vnde Zacchæi exemplo, ad Abraham cunctis aditus aperitur: dum, quibus officiis ad eum perueniri poterat, demonſtratur. Quare imitare fratrem, ſi vis pertinere ad patrem: fac quod Zacchæus fecit, vt merearis quod meruit. Si- D militudo enim officiorum ſimilitudinem exhibet meritorum. Fides Zacchæum exhibet filium, quem fuiſſe legimus alienum. Fides, inquam, Zacchæum filium exhibet, quæ Abraham patrem conſtituit ſublimatum. Extranei per fidem admittuntur: & proprij perfidia repelluntur. Si filij Abrahæ, inquit, eſſetis: facta patris veſtri faceretis. Non poteſt eſſe filius, quem diuerſi ſeparant actus. Non poteſt patris cenſeri nomine, qui fuerit diuerſus in opere. Si Abrahæ es filius, imple paternos affectus. Quæ fecit, comple: quæ docuit, exerce: quæ docuit, imitare. Vnde tibi filij nomen imponis, quem nec actus, nec natura commendat: quem nec fides, nec genus probat: quem nec mores, nec proſapia indicat: quem paterna monita

γνώμη.

Ioan. 8. 9.

Gen. 18.

Ibid. 22.

Ioan. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

factis dissidentibus separant? In te est, vt possis: quia in te est, vt velis. Quia Zacchæus idcirco potuit, quia voluit: quum & alius idcirco non potuit, quia noluit. Ita enim velle efficit posse, vt efficit nolle non posse. Magna enim vis est voluntatis, quæ nos efficit posse, quod volumus: & non posse illa, quæ nolumus. Et ex voluntate nostra diuinitus celebratur iudicium, vt homo quicquid nunc voluerit, eligat, & quod elegerit, ex eo ipso, iudicio cœlesti subiaceat. Nec enim quisquam poterit excusari, quasi voluerit, & non potuerit: cùm constet eum idcirco non potuisse, quia noluit: vt nolés, volentis exemplo, damnetur: & volens voluntate propria, quia impleuit quæ voluit, muneretur.

IOANNI CASÆ AMPLISSIMO ARCHIEPISCOPO BENEVENTANO, CHRISTOPHORVS SERARRIGUS Salutem.

VM *à multis iam sæculis receptum videam, vt in suorum quisque scriptorũ editione, aliquem illis patronum deligat, cuius auctoritate fulta, audentius in vulgus prodeant: visum & mihi est, nullo alio splendidiore nomine hoc opus commendari posse, quàm si tibi dicatum in publicum exiret. Tibi inquam, cuius nominis celebritas (neque enim illud est aut mediocre, aut obscurum) me sæpe ac sæpius inuitauit, vt meum erga te animum, qua in re possem, significantius declararem. quis enim te virum rara in primis & modestia & prudentia præditum, ingenio præstantem, optimarum artium, vt siquis alius, studiis addictum, dignitate clarum, non miretur, non obseruet, non sanctissimè colat? Auxit huius erga te animi mei propensionem, sanctissima æquè ac coniunctissima, quam virtus sui amans conciliauit amicitia, quæ tibi à teneris ad hanc vsque diem cum Reuerend. D.* LVDOVICO *Beccatello Episcopo Rauellensi, Domino meo plurimum obseruando, ac virtutis omnis & comitatis alumno, constans ac stabilis intercedit. qui cum tãta fuit olim studiorum tibi morúmque similitudo, vt vna vobis domus, idem victus, eadem gymnasia, rusticationésque communes extiterint. Ne quid de multiplici dicam eruditione, in qua omne otium tempúsque adeo contriuistis, vt summam vobis doctrinam, ingentémque literarum linguarúmque scientiam comparaueritis. Sicque demum vixistis, vt, ne quid quod alteri deesset alter haberet, in Ecclesiarum Præsules ambo suffecti, idque in vno eodémque Orbis tractu, huiusce postmodum Venetiarum Vrbis Apostolicæ Legationis munere, tu quidem prior, ille verò posterior, Reipublicæ præclarissimæ acceptissimi, & summo in honore habiti, inter tot clarissima vestri ordinis lumina inclaruistis. Tametsi autem omnia mea ei debere me fateor, hanc tibi tamen ingenij mei quod exile contigit, fœturam mihi visum est nuncupare, tum vt illi hac ratione rem gratam faciam, tum etiam vt vel hinc perspicuum fiat, nihil omnino vobis non esse commune. Nemini ergo mirum videri debet, si tui, quam dixi, nominis celebritate, eáque arcta, qua iuncti estis, necessitudine excitus, te potissimum laboribus meis patronum delegerim, qui sis bonarum literarum studiosissimus, ac literatorum omnium Mæcenas ac parens. Est autem D. Ioannis Chrysostomi in Euangelium sancti Matthæi breuis Enarratio, è copioso illo bonorum omnium Thasso atque Myrmecia, sinuoso inquam illo in Matthæum volumine collecta, ac eodem idiomate & sensu in compendiosum huiusmodi redacta libellum, futurum Euangelij studiosis quàm maximè commodum, qui manibus & sinu gestetur, noctésque ac dies gentium vbique versatus Euangelicæ historiæ sensum candidissimè patefaciat. quam sanè qui redegerit non admodum constat, cum inscriptio Chrysostomum auctorem tantum prædicet ac præ se ferat. Suspicor autem à Diuo Tito Bostrorum Episcopo fuisse collectam. Nam Florentiæ cùm essem, huius beati Viri titulo inscriptum in Bibliotheca Diui Marci quoddam vidi opusculum in Lucæ Euangelium, ex Chrysostomo potissimè collectum. In quo loci illi, in quibus Lucæ cum Matthæo conuenit, sunt prætermissi & ad hanc, quam nos vertimus, & qua de agimus, in Matthæum Enarrationem ab eodem ipso Tito lector remittitur. Vnde coniicere fas sit, & huius Enarrationis collectorem fuisse Titum, quamuis eo nomine prorsus careat. Neque verò id mordicus tenuerim, si quis aliter de alio senserit, quod nos mouit, vt Titum suspicaremur, modestè protulimus, esto nunc aliorum iudicium. Illud verò totis viribus asseuerauerim, verba prorsus ac sensa esse Chrysostomi, vt quæ salutarem illius oris aurei eloquentiam sapiunt. Singula enim quæ ille ad Euangelij expositionem in amplis illis in Matthæum Commentariis, multiplici illa sua disseruit eloquentia, Titus hic, vel qui fuerit alius aurei huius Doctoris studiosissimus ita coëgit, vt ad Euangelistæ intelligentiam illius Homilias lectoris animus non desideret. Imò velut è Paradisi alicuius suauibus ac beneolentibus herbis flores ab homine deceptos affirmet, quibus hoc ita decorum aureúmque sertum coronámque contexeret. Cæterùm illud addam Chrysostomianam eloquentiam in vertendo à me non omnino fuisse seruatam. (neque enim is sum, qui imbecillis ingenij mei vires non intelligam.) Verùm quis illam Christiani Xenophontis dictionem tam cultam, tam iucundam, tam vberem, ac omnibus eloquentiæ numeris absolutam vel referat, vel æquatur? Si ergo vicem tuam dolueris, Amplissime Præsul, quòd tuo sub nomine aureus hic in lucem prodeat liber, imperiti interpretis vitio penè infans, ego propterea fœlicem illum dixerim, qui te iudicem ac patronum sortitus fuerit, quo castigatior sit futurus ac tutior. Cuius nomine insignitus, ac auctoritate, tanquam Aiacis clypeo subnixus, in hominum ora auspicacius prodire, illorúmque manibus gratiosius versari queat. Læto igitur animo, huius accipe lucubrationis nostræ munus, quod tibi in obseruantiæ erga te meæ significationem libenter exhibeo, méque amare ac tueri ne dedigneris. Id quod pro summa tua humanitate factũrum te esse confido. Venetiis Cal. Maij. M. D. LIIII.*

Quem etiam citat in cap. 28.

DIVI

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI, *in Euangelium secundùm Matthæum, breuis Enarratio.*

Christophoro Serarrigo interprete.

CAPVT I.

Primum edita est Venetiis anno 1554.

EVANGELIVM *secundùm Matthæum.* Euangelium præsens liber ideo dicitur, quia pœnarum abrogationem, solutionem peccatorum, iustitiam, sanctificationem, ac redemptionem, adoptionem quoque filiorum, ac cœlorum hæreditatem æquè omnibus annunciat. *Liber generationis Iesu Christi.* Cur librum generationis Iesu Christi, ipsum appellat, cùm non solam generationem, sed vniuersam prorsus carnis dispensationem contineat? Quia profectò totius dispensationis caput est, ac nostrorum omnium bonorum principium atque radix. Ita enim & Moses scribens dixit. Liber generationis cœli ac terræ, tametsi & alias historias ac narrationes continet plurimas, sed radicem dicens, & quæ sequuntur, vniuersa complectitur. IESVS porrò non Græci sermonis vocabulum est, sed Hebræorum lingua hoc dicitur, quod Græca seruator interpretatur. Seruator verò ab eo dicitur, quòd suum seruarit populum. *Filij Dauid, filij Abraam.* Cuius autem rei gratia non dixit, filij Abraam, & postea filij Dauid, sed prius eum filium Dauid, postea filium Abraam nuncupauit? Non sicut quidam arbitrantur, quod ab inferioribus ad superiora vellet ascendere, sed quòd ipse Dauid in omnium versabatur ore, tum ob regnum, tum ob tempus, non enim multis antè sæculis decesserat, quemadmodum Abraam. Propterea à recentiore ac notiore principium facit, & tunc ad huius progenitorem Abraam recurrit. Cur autem & de genitoribus cæteris non meminit? Profectò superfluum id esse ratus, quantum ad Iudæos, ad eos enim hoc scriptum est Euangelium. Isti enim erant vel maximè mirabiles. Hic quidem quasi Propheta & rex, ille autem quasi Patriarcha & Propheta. Vnde autem manifestum ex Dauid esse Christum, si non ex viro, sed ex virgine tantùm, cuius generatio minimè recensetur, est natus? Ex eo nempe quod ad Gabrielem locutus est Deus, vt scilicet ad virginem iret desponsam viro, cui nomen erat Ioseph de domo ac familia Dauid. Iubebat autem lex, ne quis, sibi ex alia tribu coniugia copularet, quàm ex sua ipsius, nec solùm ex sua tribu, sed & ex eadem familia ac cognatione. Quoniam igitur mos erat apud Iudæos, fœminarum generationis seriem nequaquam retexere, vt morem seruaret Euangelista, de ipsius Ioseph eius sponsi generatione sermonem facit, ac de domo illum Dauid esse demonstrat. Hoc etenim declarato, illud quoque pariter ostenditur, inde videlicet esse & virginem. *Abraam genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob, Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius. Iudas autem genuit Phares & Zara de Thamar.* Meminit verò & ex legis illius commistionis Iudæ & Thamar, quò Dei asserat benignitatem, quòd etiam tales dignatus sit habere progenitores, nihil de nostris malis erubescés. Nos verò nunquam pudori ducamus parentum vitiositatem, sed vnũ quæramus, vt ipsi virtutem amplectamur. Cuius autem rei gratia commemorato Phares, à quo sibi erat Christi generatio deducenda, de Zara quoque fecit mentionem? Quoniam inter ipsa parturitionis Thamar discrimina, cùm Zara manum iam emisisset ex vtero, postmodum illam retraxit, processítque Phares, & tunc demum Zara. Quod duorum fuit figura populorum. Nam cùm Ecclesiastica disciplina sub Abraam, deinde aliquandiu contracta fuisset, venit Iudaicus populus, legalísque disciplina, & tum demum suis cum legibus totus populus, nouus apparuit. Porrò & Ruth alienigenæ infert mentionem, quod quemadmodum Booz nec ipsius paupertatem despexit, nec generis impietatem exhorruit, quamuis & alienigena esset, & in extremam delapsa pauperiem: ita & Christus Ecclesiam suscipiens & alienigenam, & magnorum presſam egestate bonorum, suo consortio copulauit. Et quemadmodum Ruth, nisi prius patrem reliquisset, & domum, genúsque ac patriam atque cognatos contempsisset, nunquam profectò tali fuisset iuncta connubio: hunc in modum & Ecclesia simul atque patriam dereliquit consuetudinem, tum demum sponso Christo peramabilis effecta est. Ad hæc, quò & Iudæos confundat, vt non superbè sapiant huiusmodi mulieres in medium produxit. Quandoquidem & Dauid Regem illum profectò magnum, istæ per suos posteros generarunt, nec tamen eiusmodi parentum ignobilitatem vsquam erubuit. Non enim omnino, non est inquam, de parẽtum, vel virtute, vel vitio, honore quispiã aut culpa dignus: nemo inde aut obscurus aut clarus existit: imò verò (vt mirabilius quid dicamus) lõgè is clarius emicat, qui ex parentibus à virtute prorsus alienis, virtute fuerit optimus. Quare autem ipsam generationum seriem in partes treis Euangelista partitus est? Quòd nimirum vellet ostendere Iudæos ipsos, nec mutata quoque viuẽdi ratione ac cõsuetudine, factos fuisse meliores, sed vel sub optimatum principatu, vel Regum imperio, vel paucorum administratione agẽtes, in eadem semper morum improbitate perstitisse, & neque cùm Ducum, neque cùm sacerdotum, neque cùm Regum potestate regerentur, quicquam propẽsiores fuisse ad virtutem. Quánam verò ratione in media generationum parte, tres Reges præteriit, in vltima verò cùm duodecim solummodò posuerit generationes, esse eas quatuordecim affirmat? Tres quidem præteriit Reges ob exuberãtem illorum impietatem. Etenim Ochozias, gener cùm esset Achaab Regis Israël, factus est etiam & impietatis eius sectator, sicuti passim Regnorum libri loquuntur. Ioas autem postquam, quod placitum fuit ante Deum, est operatus, idololatra postmodũ effectus est. Qui etiam Azariam Ioiadæ sacerdotis filium, impietatem sibi multis conuitiis exprobrantem, lapidari præcepit. Quemadmodum in secundo Paralipomenon libro describitur. Porrò Amessias, postquàm & ipse bonum in conspectu Domini fecit, expugnata Idumæa, inuentis inter spolia idolis Idumeę sacrificauit. Sicut & de his in secundo Paralipomenon scriptum est libro. De his tribus ergo Regibus inquit Aphricanus in sexto Annalium suorum volumine, propter eorum nimiam impietatem prętermisisse eos Euangelistas. Mos enim, inquit, scripturæ est, indignos memoria prætermittere, quemadmodum scilicet admirandus ille Moses fecit, in benedictionibus, Simeon omittens. Similiter & alij alibi multos. Hos quidem igitur tres Reges hac de causa in media generationum serie prætermisit Euangelista: in vltima verò cùm duodecim tantùm generationes enumerasset, quatuordecim tamen eas esse asseruit, propterea quòd ipsum captiuitatis tempus, in generationum ordine collocarit, ac Christum quoque,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt ipsum nobis vndique quasi compingeret. Illud porrò est intuẽdum, vnde nam incœperit, & vbi finiat. Ab Abraam nimirum vsque ad Dauid, & à Dauid vsque ad Babylonicam transmigrationem, rursúsque ab hac ad ipsum vsque Christum peruenit. Etenim in ipso Euangelij exordio duos pariter posuit, Dauid scilicet atque Abraã, ac rursus generationum seriem in ordinem redigẽs, vtrũque similiter repetiuit. Siquidem ad ipsos factæ fuerant repromissiones. Cùm verò progenitores omnes numerasset, & vsque ad Ioseph illorum seriem protaxisset, non hîc tamen substitit, verùm addidit *Virum Mariæ*, ostendẽs illius se gratia, ipsius Ioseph genus recensuisse. Deinde ne audientes, virum Mariæ, communi Christum putarent genitum iuræ naturæ, docet nos quotus ab Abraam fuerit, quotus à Dauid, quotúsque à Babylonica transmigratione, ostendẽs hunc esse Christum illum qui à prophetis est prædicatus. Cùm enim generationes numeraris, atque hunc, illum ipsum esse tempore didiceris, facilè & signum quod in eius contigit natiuitate suscipies, atque hunc illum esse intelliges, quem & Patriarcha ille Iacob deficiẽtibus Iudæ principibus affuturum esse prædixit, & propheta Daniel post multas ebdomadas illas vẽturum prænunciauit. Quod si quis annos illos, qui in ebdomadarum numero ab Angelo dicti sunt Danieli, ab ædificatione ciuitatis voluerit supputare, ac numerando ad Christi natiuitatem descendere, illos his consonos omnino comperiet. Non dixit autem. Cùm desponsa esset virgo, sed simpliciter. *Cùm mater eius desponsa esset*, vt & sermo ipse fieret probabilior, & auditorem, consuetum quid audire præstolantem, inauditæ rei illatione terreret, dicens. *Priusquàm congressi fuissent, inuenta est grauida è Spiritu sancto.* non dixit, Priusquàm in sponsi domum fuisset adducta, inuenta est grauida, sed priusquam congressi fuissent. Cùm sponso etenim habitabat. Quandoquidem mos erat, vt plurimum, apud antiquos, vt desponsæ in sponsorum domibus haberentur. Cur autem non antequam desponderetur virgo concepit? Vt scilicet quòd fiebat interim cælaretur, omnémque virgo prauæ suspicionis ansam effugeret. Cùm enim sponsus qui summa illam zelotypia prosequebatur, non solùm ipsam non infamare, sed in consortium recipere, ac post partum obsequi veneráque conspicitur, omnibus profectò manifestè declarat, iccirco apud se illam detinuisse, ac in omnibus ministrasse, quòd apertè nosset illum ex sancti Spiritus operatione fuisse conceptum. Iis autem verbis, quibus ea quæ præter spem omnem ac expectationem, narrari mos est, hoc loco vtitur Euangelista dicens. Inuẽta est grauida è Spiritu sancto. Audiens porrò è Spiritu sancto, nihil vlterius curiosè perquiras. Quónam videlicet modo, qui infinitus est, habeatur in vtero, quomodo, qui omnia continet, à muliere gestetur vtero, quomodo pariat virgo, quomodo templum illud formarit Spiritus sanctus, cæteráque huiusmodi multa. *Ioseph autem vir eius cùm esset iustus.* Iustum appellat Ioseph Euangelista, non tanquam iustitiæ participio gaudentem, veluti auaritiæ vitio minimè deditum, sed tanquam in omnibus præclarum, ac omnigenis virtutibus insignitum. Propterea non solùm in eam non animaduertere, sed neque eam infamare voluit, tametsi ex altero illam viro grauidam suspicabatur, forétque legis præcepto cautum, vt quæ huiusmodi essent, supplicio afficerentur, sed tantummodò ab ea diuertere conatus est quoad Angelus adueniens, quo minus id ageret, omnino prohibuit. Cur autem non prius quàm id cogitaret, aduenit Angelus? Ne scilicet diffideret grauidam eam è Spiritu sancto. Facilè enim est credere, quod

Gen. 49.

Dan. 9.

A oculis obuiam obiicitur. Ad hæc virgo etiam rem omnem ob id silentio pressit, quòd nullam apud sponsum sibi fore fidem intelligeret, si tam nouum illi ac inauditum facinus enarrasset. Quò etiam ipsius Ioseph philosophia magis inclarescceret, suam Angelus interim præsentiam distulit. Adeò autem admirabilis erat vir iste, vt non solùm supplicio illam non affecerit, sed nec quicquam omnino, ne illi quidem ipsi, cuius suspicione torquebatur, edixerit. Verùm ipse secum cogitationum suarum fluctibus agebatur, non eam cogitans domo exigere, sed ab ea clanculum diuertere, tam mitis erat vir ille atque philosophus. Quare autem non apertè illi visus est Angelus, sicuti pastoribus, ac etiam Zachariæ? quia videlicet vir erat valde fidelis, eiusmodíque manifesta visione non indigebat. Porrò quánam gratia dixit illi Angelus. *Ioseph fili Dauid?* Quò nimirum illi ipsum Dauid reduceret in memoriam, à quo Christus fuerat nasciturus. Quod autem addidit, B *Ne metuas*: proculdubio metuisse illum demonstrat, ne Deum offenderet, tanquam adulteræ contuberniũ præstans. *Vxorem* porrò *tuam*, dixit, tanquam non vitiatam. Vocat autem ipsam, vxorem eius, ob desponsationem, quemadmodum & nos, eos qui adhuc sponsi sunt, vel ante nuptias, generos appellare cõsueuimus. Quid præterea est, *Accipe?* Nempe domi continere, nec, sicut animo iam cõceperat, illam amandare ab se. Non solùm enim (inquit) ab illegitima commistione permansit immunis, sed & supra naturam fœcunda concepit. Id quod manifestè declarat subinde inferens. *Nam quod in illa cõceptum est, à Spiritu sancto profectum est.* Porrò, *Vocabis nomen eius Iesum*, addidit Angelus quasi diceret. Ne fortè quia dixi à Spiritu sancto profectum est, iccirco te à ministerio existimes huius dispensationis extraneum, hoc tibi cõcedo, vt nato nomen imponas. Licèt enim ad eius nihil generationem ipse contuleris, attamen ipsius tu vocabis nomen. Et licèt tuus haudquaquam sit filius iste qui nascitur, tu tamen erga illum quæ patris sunt sollicitus exhibebis, ac propterea ab ipsa statim nominis inditione, tibi illum adiungo. Non dixit autem pariet tibi filium, sed *pariet* solùm, ne quis rursum ex hoc ipsum verum patrem suspicaretur: & quoniam non illi, sed vniuerso prorsus terrarum orbi pariebat, propterea subintulit. *Is enim saluum faciet populum suum à peccatis suis.* Dicens autem populum suum, non Iudæos tantùm, sed & gentes complectitur. Populus enim eius non Iudæi sunt tantùm, sed & quicunque cognitionem eius admittunt. Deinde & hoc ipso filius Dei is asseritur esse qui nascitur, quòd peccata dimittit, id quod ad solam pertinet deitatem. Cuius autem rei gratia dixit Euangelista. *Totum verò hoc factum est, vt perficeretur id quod dictum fuerat à Domino per Prophetam ita loquentem. Ecce virgo, &c.* Nempe admiratus Dei erga homines benignitatis immensum pelagus, quòd in rem subito prodiit, quod antea nusquam speratum fuerat, quódque diu præfigurabatur, euenerit. Iccirco & ad Esaiam Iosephum remittit Angelus, vt siquidem verborum eius, vt quæ in somnis dicta essent, fuisset oblitus, saltem Prophetæ dicta, quibus fuerat innutritus, iugi recordatione pertractans, animo retineret. Et Mariæ quidem nihil omnino huiusmodi locutus est, nimirum quòd puella esset, atque earum rerum imperita. Viro autem hæc admodum appositè disserit, tanquam iusto ac Prophetarum meditationi iugiter inhærenti. Et superiùs quidem Mariam vxorem tuam dicit, hîc autem postquam Prophetam in medium adduxit, tum demum nomen ei virginitatis credit. Neque enim si virginem illam prius audiisset ab Angelo, ita quieto animo permansisset, quemadmodum vbi

C

D

Esa. 7.

dum vbi à Propheta audiit, quod sibi fuerat lõgi temporis meditatione persuasum. Nec id solùm, sed & ad Deum sermonem refert, dicens. Quod dictum fuerat à Domino per Prophetam. Responsum enim (inquit) supernè ferebatur, & diuinum erat. Cæterùm si dixerint increduli Iudæi: Et cur non hoc nomine, Emmanuel scilicet (vt Propheta dixit) vocatus est, sed Iesus Christus? Discant non dictum à Propheta, vocabis, sed vocabunt populi, hoc est rerum euentus, quòd scilicet Deum cum hominibus versantem visuri essent. Mos etenim scripturæ est, rerum accidentia ponere vice nominis. Veluti cùm alibi dixit. Voca nomen pueri, velociter spolia detrahe, cito prædare. Nec tamen sic vocatus est puer. Verùm quoniam illo nato, direptio, ac spoliorum depopulatio facta est. Et rursus. Et ciuitas (inquit) vocabitur ciuitas iustitiæ, mater ciuitatum, fidelis Sion. Nec tamen vsquàm reperimus vocatam illam iustitiæ ciuitatem, sed in Hierusalem semper appellatione perstitisse, sed quia id contigit, ad meliorem frugem B redacta ciuitate, iccirco eo ciuitatem nomine nuncupandam asseruit. Quòd si hinc confutati atque conuicti, aliter virginis vocabulum intelligendum contenderint, alióque nobis interpretes produxerint, nec Prophetam dixisse virginem, sed puellam iuuenculam asseuerauerint, primò quidem illud dicemus, cæteris omnibus septuaginta interpretes iure digniores existere, quibus fides adhibeatur. Quandoquidem alij post Christi aduentum interpretati sunt Iudæi permanentes, plurimáque Prophetarum mysteria, inimicitia prorsus atque odio inumbrarunt, Septuaginta verò ante centum, & his plures dominicæ incarnationis annos cùm in hoc interpretationis opus, tam multi & tanto consensu conuenerint, & ex tempore, & ex numero, & ex vno omnium concentu acceptabiliores existunt. Si autem & posteriorum illorum producere maluerint testimonium, vel sic omnino dicturi sumus. Etenim scriptura iuuenculæ puellæ nomine, virginem C appellare consueuit. Idque non solùm facit in fœmi- Psal. 148. nis, sed & in viris. Iuuenes enim (inquit) & virgines senes cum iunioribus. Et de puella insidias perpessa. Si clamauerit (inquit) iuuencula, id est virgo. Quin & i- Deut. 22. psa quæ præcedunt verba, hunc profectò sensum commendant. Inquit enim. Ecce dabit Dominus ipse vobis signum. Et postmodum subdit. Ecce virgo erit prægnans. Et quódnam tandem id signum fuisset, si legitimo connubij iure virgo paritura fuisset? Nam signum, Esa. 7. omnem prorsus consequentiam, ac quemlibet rerum ordinem excedere, eséque nouũ debet, atque à communi rerum lege plurimum abhorrens. Alioqui quónam modo signũ fuerit? Quod autem *Excitatus à somno Ioseph fecit vt iniunxerat sibi Angelus*, eius profectò patuit obedientia, ac in omnibus animi incorruptio. Neque enim quando suspicione tenebatur, molestum quid vel importunum in virginem est molitus, nec item ea solutus, domo eam exigere voluit, imò & retinet, & diuinæ D in omnibus dispensationi inseruit. *Accepit enim*, inquit, *Mariam vxorem suam.* Vxoris nomen continuò ponit Euangelista, nolens interim illud reuelare mysterium, & peruersam è medio suspicionem tollẽs. Illud autem, *Et non cognouit eam donec peperisset filium suum primogenitum*, audientes, ne propter verbum illud, Donec, suspicemur. Mos etenim scripturæ est, hac sæpius vti dictione, quo tẽpus aliquod indefinitum includat. Velut ibi. Genes. 8. Non est (inquit) coruus reuersus in arcam, donec siccaretur terra. Atque nec postea reuersus est. Et rursus. Psal. 71. Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec ablata sit luna. Neque tamen quasi finem statuens pulchro huic elemento, id dixit. Posuit ergo hoc in lo-

A co, donec, Euangelista, vt discamus eiusmodi fuisse virginem ante partum, vt verè attingi nequiuerit. Quæ verò postmodum secuta sunt, nobis pensanda reliquit, quòd scilicet nec postea quidem eam, quæ tam admirando nouóque partu est mater effecta, vt cognosceret, inducere animum potuerit. Quo autem modo Iacobi Germani, eius fratres appellantur, eo videlicet & iste Ioseph, Mariæ sanctissimæ virginis maritus putabatur. Multa siquidem tunc sunt obducta velamina, vt tanti partus mysterium interim cælaretur.

CAPVT II.

VM *natus esset Iesus, &c.* De stella hac, quam Magi in oriente viderunt, sciendum est, non vnam è multis fuisse illam, imò verò nec stellam omnino, sed inuisibilem virtutem quandam in huiusmodi speciem figuratam. Quod sanè est euidentissimũ. Primò quidem, quòd & Solem & Lunam, & stellas omnes ab Oriente in Occidẽtem ferri videmus, hæc autem à Septentrione in Meridiem ferebatur. Sic enim Palæstina ad Persidem sita est. Deinde quòd noctu quidem non apparebat, sed in meridie prorsus ac Sole fulgente. Tertio ab ipsa lucendi intermissione. Nam vsque ad Palæstinam, quasi manu ducens semper visa est, vbi verò Hierosolymam ingressi sunt Magi, abscondit sese, ac inde rursus ostendit, simul atque sunt ab Herode digressi. Quod sanè stellæ non est proprium, sed virtutis cuiuspiam summa sese ratione mouentis. Quarto ab ipso, quo stella demonstrabatur, loco. Inferius namque delapsa, locum ostendit. Quandoquidem fieri omnino non poterat, vt in illa cœli sublimi regione constituta, istud efficeret, nec tam inæstimabilis altitudo, tam exiguum tugurioli locum designare valuisset. Cur autem Magi ad adorandum veniunt? Nimirum diuino permoti nutu, ob duritiem ac pertinaciam Iudæorum. Nam cùm Iudæi Prophetas, qui eius aduentum prædicebant, audirent continuè, nec magnoperè iis animum appellerent, Barbaros à longinquis fecit venire regionibus, qui ab eis ipsis regem inquirerent. Sícque Persico sermone discunt, quòd à Prophetis discere nõ valuerunt. Vt siquidem cãdido bonóque fuerint animo, maximã credendi nanciscantur occasionem: sin verò cõtrà obstinatè contenderint, omni prorsus excusatione destituantur in posterum. Quare autem vnius stellę contemplatione, nec potius voce quapiam desuper insonante, vel Angelorum aliquo ad eos misso, Magos attraxit? Vt scilicet per illa, quæ familiaria eis consuetudo reddiderat, euocati, facilius obtemperarent, mirum in modum vltra quàm par erat, sese demittens. Ingentem ergo illis stellam, ac peregrinam, cæterísque prorsus absimilem ostendit, vt eiusmodi speculationis magnitudine simul ac pulchritudine, nec non & cursus ratione, stupore illos ac admiratione perfunderet, ac per hoc in futurum efficeret celsiores. At postmodum quos stella quasi manu duxerat, atque ante ipsum præsepe constituerat, non iam profectò per stellam, sed per Angelum alloquitur. Quam verò ob rem & ipsum gestorum designat tempus dicens. *In diebus Herodis*, & dignitatem apponit, cum ait *Regis?* Quoniam alter fuit postea Herodes, qui præcursorem interfecit. Verùm ille Tetrarcha fuit, hic autem rex. Cur autem & locum præterea, & ipsum temporis articulum dicit? Vt nobis veterum prophetiarum memoriam renouaret, tum eius quam Michæas vaticinando prædixit. Et tu, inquiens, Beth- Mich. 5. leem terra Iuda, nequaquam minima es inter Principes Iuda, tum quam prophetans Iacob ille Patriar- Gen. 49. cha, Non deficiet (inquit) Princeps ex Iuda, nec dux

Universidad de Deusto
Biblioteca

de femoribus eius, donec veniat cui repoſita ſunt, Et ipſe erit expectatio gentiũ. Herodes enim erat alienigena. Porrò nõ omnibus id Magis reuelauit Deus, quòd non omnes fuerant crediturí, hi verò ad credendum præ cæteris erant magis idonei. Intueamur autem horũ Magorum virtutẽ & admiremur, non ſolùm quòd tam longi itineris ſpatia trãſmiſerint, verùm etiã quòd tam liberè támque ingenuè ſint locuti. *Acceſſimus* enim inquiunt, *vt adoremus eum*. ad hæc quòd neque populi furorem, neque regis tyrannidem reformidarint. Quibus par eſt rebus aduertere, factos poſtea illos in propria regione ciuium ſuorum magiſtros. Qui enim Hieroſolymis hæc loqui non renuêre, multo ſanè liberius in ſua id patria auſi fuiſſe credendi ſunt, quando & Angeli reſponſo, & Prophetæ ſuſcepto teſtimonio, receſſerunt. *Vt autem audiuit Herodes rex turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo.* Cuius rei gratia omnis Hieroſolyma turbata eſt? Herodes etenim iurè, vt potè rex, & ſibi, & filiis timuit: at Hieroſolymitæ quí fiebat vt timerent? Et quidem ſeruatorẽ & beneficum ac liberatorẽ, prophetæ longè antè prædixerant affuturum. Quánam igitur ratione Iudæi turbati ſunt? Nimirum ob ſuæ ipſorum mentis malignitatem, quæ à principio illis inhæſerat. Nam & olim quoque à Deo plurimis affecti beneficiis Ægyptias tamen carnes animo volutabant. Interrogati verò ab Herode, *vbi Chriſtus naſceretur* ac reſpondentes. *In Bethleem Iudæ*, quin & Prophetam in medium adducentes ac prophetiam, cur non omnia prophetæ verba protulerunt, ſed ad eum vſque locum, Qui gubernaturus eſt populum meũ Iſraël, tacitis quæ ſequuntur, elocuti ſunt? Nam ſequitur. Et egreſſiones eius ab initio à diebus æternitatis. Quia videlicet ad regis gratiam, ei adulantes, omnia loquebantur. Et quánam de cauſa ſi ex Bethleem Chriſtus erat proceſſurus, in Nazareth ante partũ mater eius demorata eſt? Quia profectò ex ſumma Dei diſpenſatione hoc geſtum eſt negocium, quòd ſanè vel inde patet, quòd in Nazareth mater eius continuè habitauit, & nihilominus in Bethleem ipſum genuit. Propterea nec ſtatim quidem vt natus eſt, venit in Nazareth, ſed in Bethleẽ quadraginta dies egit, vt iis qui ſingula vellent diligentius indagare, præberet occaſionem. Quandoquidem plurima erant, quæ ad huiuſmodi inquiſitionem prouocabant, ſi modò illi aduertere voluiſſent. Veniẽtibus etenim Magis vniuerſa ciuitas miro eiuſce rei ſtupore perculſa eſt atque ſuſpenſa, ac cùm illa pariter & rex identidem eſt affectus, Prophetáque in medium adductus, & alia quamplurima illic ſunt geſta, quæ diligentiſſimè Lucas proſequitur. Veluti quæ de Simeone, Anna, Zacharia, Angelis, atque paſtoribus id temporis contigêre. Quæ omnia ſtudioſis maximè erant idonea, quæ occaſionem præſtarent, quod factum fuerat, addiſcendi. Ne enim dicerent, ignorauimus quando vel in qua regione ſit natus, propterea & quæ Magis acciderunt, & alia, vt diximus, quamplurima miro fuerunt ordine diſpenſata. Porrò conſideranda nobis eſt prophetæ ipſius diligentia, non enim in Bethleem illum demoraturum dixit, ſed inde ſolummodo proceſſurũ, vt vel hoc prædixiſſe videatur, eſſe cum ibi tantummodo naſciturum. Cæterùm nonnulli Iudæorum quàm inſulſiſſimi, fuiſſe hæc de Zorobabel prædicta impudenter aſſeuerant. Verùm quánam id ratione probatur? Non enim in Iudæa, ſed in Babylone natus eſt. Vnde etiam & nomen accepit, vt Zorobabel appellaretur, quòd videlicet ibi fuerit in ſobolem ſeminatus, quemadmodum qui Syrorum linguam callent, optimè norunt. Ideo autem dicit Bethleem non eſſe minimam inter principes Iuda, hoc eſt inter tribunos: quia profectò non in Palæſtina ſolùm, ſed & in vniuerſo terrarum orbe, illuſtris atque conſpicuus ille viculus eſt effectus. Cur autem dixit, *Gubernaturus eſt populum meum Iſrael*? Atqui totius orbis rector effectus eſt. Verùm ne Iudæi interim ſcandalizarentur, ſi de Gentibus quoque mentionem feciſſet. Et quónam, inquies, modo Iudaicum populum gubernauit? Et maximè quidem. Iſraël enim hoc loco dicens, quicunque vel ex Iudæis vel ex Gentibus in eum crediderunt, latenter innuit. Quemadmodum Paulus Rom. 9.
inquit. Non enim omnes qui ſunt ex Iſraël, ſunt Iſraël, ſed quicunque per fidem nati ſunt. Quòd ſi non omnes gubernauit, id profectò eorum, qui credere noluerunt, culpa ac vitio geſtum eſt. *Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter quæſiuit ab eis tempus ſtellæ*. Vocat Magos Herodes, quòd putaret Iudæos puerum eſſe magnifacturos, ac ſalutis eius curam geſturos: inſuper & quòd eum qui natus fuerat, è medio tollere conaretur. Quod extremi omnino furoris erat, nedũ inſaniæ. Nam quæ dicta ſunt, quàm maximè erant idonea, quæ illum ab omni conatu poſſent abducere, ſtella videlicet ſupernè conſpecta, ac homines illi Barbari iccirco tam longi itineris labore defuncti, vt puellum in præſepe venerarentur, & prophetia quæ ipſum olim fuerat prælocuta. Cur autem non pueri, ſed ſtellæ tempus inquirit? Quoniam ex abundanti cautione inſiſtebat indagini. Quandoquidem ante multum tempus ſtella viſa fuit, ob eius itineris longitudinem. Oportebat enim, vt eius rei dignitas mirabilius eluceret, in ipſis adhuc incunabulis poſitum adorari. *Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente, præcedebat eos.* Quare abſcõdita eſt ſtella, rurſúſque conſpecta, ſimul atque ab Herode digreſſi ſunt? Nempe vt itineris duce deperdito, Iudæos interrogare cogerentur, fierétque res ipſa omnibus inde manifeſta. Neque verò temere admodum ſtella ferebatur, ſed præibat, apprehenſa quodammodo illos, vel in meridie, manu ducens, vt hinc euidenter addiſcamus eam non fuiſſe ſtellam, (vt prædictum eſt) vnam è plurimis, ſed naturam quandam rationi obtemperantiſſimam. Illud porrò. *Viderunt puerum cùm Maria matre eius*, non autem in præſepio poſitum, ſicut ait Lucas, illum ibi aſſerens à matre reclinatum, ſic eſt intelligendum, matrem videlicet, ſimul atque illum enixa fuit, ſtatim in præſepe reclinaſſe, Quandoquidem ob eorum, qui ad deſcriptionem conuenerant, frequentiam, non erat vacantem alicubi domum inuenire. Quemadmodum & Lucas teſtatur di- Luc. 2.
cens. Quia non erat eis locus in diuerſorio.) Poſtea verò cum inde ſuſtuliſſe, ſuóque in gremio collocaſſe. *Et proſtrati adorauerunt illum.* Vndénam Magis eſt perſuaſum, vt puerum adorarent? Neque enim virgo ipſa inſignis erat, nec illuſtris admodum domus, nec item ex iis quæ videbãtur ibi, quicquam eiuſmodi erat, quod Magos vllo modo poſſet ſtupore percellere, atque ad puerum adorandum attrahere. Verùm id totum diuina lux effecit, illorum mentibus latenter affulgens. *Et apertis theſauris ſuis obtulerunt illi munera, aurum, thus, & myrrham.* Offerunt illi munera non tanquam puro homini, ſed tanquam Deo, cuius rei thus, & myrrha ſymbolum fuit. Quæ ſanè à Iudæorum craſſitudine longè diſtabant. Haud enim oues aut vitulos ſacrificarunt, at eccleſiaſticæ philoſophiæ affinia plurimum atque accommoda. *Et oraculo admoniti in ſomnis, ne reflecterentur ad Herodem.* Cur Magi oraculo admoniti ſtatim obſequenter digreſſi ſunt? Nimirum quòd ſuſcepto oraculo è veſtigio ſunt digreſſi, grati ipſorum animi candorem arguit atque fidem, vtpote qui nullo cogitationum tumultu fuêre permoti dicentes. Si magnum quid puer hic eſſet, haberétque potentiæ quidpiam, vel virtutis, quid nobis fuga opus eſſet occultáque digreſſio?

Verum

Verùm nihil omnino huiuſmodi animo concipientes, ingenuè faciunt imperata. Quare autem & Magi præſentes non ſeruantur & puer, ſed illi quidem in Perſidem reuertuntur, hic autem in Ægyptum cum matre fugit exulaturus, cùm profectò in manus eum Herodis incidere, nec tamen vbi incidiſſet contrucidari, longè maius futurum fuiſſe videatur? Quoniam ſi ita res habuiſſet, nequaquam putatus fuiſſet verè carnem ſuſcepiſſe, nec vſquam credita diuinæ illius diſpenſationis magnitudo fuiſſet. Si enim cùm hæc ita geſta ſint, plurimáque communi hominum more diſpenſata, improbè tamen quidam dicere auſi ſunt, ipſam carnis aſſumptionem fuiſſe fabuloſam, quónam impietatis non prolapſi fuiſſent, ſi omnia pro diuina ſua dignitate, ac poteſtate peregiſſet? Propterea non quidem temerè tenellus formatur, ſed & vteri tumor accedit, & nouem menſiũ orbes euoluuntur. & partitudo abſoluitur, natóque nutrimentum lactis adhibetur. Magos igitur celeriter emittit, tùm vt Perſarum regioni magiſtros deſtinet, tùm etiam vt Tyranni furorem intercipiat, quò ſe impoſſibilia moliri, ſi velit aduertere, prorſus intelligat. Prætérea & ad noſtram hoc ipſum ſpectat philoſophiã, vt ſi quando quis dignus fuerit habitus, cuiuſdam ſpiritalis negocij miniſter effici, viderítque poſtmodum variis ſe preſſuris obnoxium, mille ſuſtinere diſcrimina, nihil omnino turbetur, nec dicat. Quidnã iſtud eſt? Atqui coronari ſanè debueram, qui dominica præcepta complêrim. Verùm iſto munitus exemplo, viriliter vniuerſa ſuſtineat. Porrò apparens Angelus Ioſeph cur ait. *Accipe puerum, & matrem eius.* nec vltra coniugem tuam dicit, ſed matrem eius? Quoniam abſoluto partu, & omnis exploſa ſuſpitio eſt, & ipſe Ioſeph fidem amplexus. Iccirco, & confidenter iam loquitur Angelus, nec vltra puerum eius, neque coniugem eius appellat, ſed puerum (inquit) & matrem eius. Vbi autem audiuit, *Et fuge in Aegyptum*, quare non turbatus eſt, ac dixit. Nónne paulò ante tu dixiſti, Ipſe ſaluum faciet populũ ſuum, nunc verò nec ſe ipſum ſeruat? Quoniam fidelis erat vir, propterea & obedit, & facilè perſuadetur, Mittitur autem in Ægyptum, vt perficiatur quod dictum fuerat à Domino per Prophetam (quemadmodum inOſee 1. quit Euangeliſta.) *Ex Aegypto vocaui filium meum*, Cur non de alia regione Propheta dixit, in quam puer emitteretur, ſed in Ægyptũ? Et ex Babylone item barbaros aduenire Magos fecit, nec aliunde? Quia nimirum Babylon & Ægyptus præ omnibus terris maiori erant flamma impietatis accenſæ, vtque his duabus ad fidem regionibus perſuaſis, cæteræ mundi partes, ſpem animo conciperẽt meliorem. Si verò de prophetia Iudæi ambigerent, dicentes, quod dictum eſt, Ex Ægypto vocaui filium meum, de ſe ipſis, non de Domino dictum fuiſſe, reſponderim profectò, hunc quoque eſſe prophetiæ morem, vt multa perſæpe de aliis quidem dicantur, quæ in aliis perficiuntur. Quemadmodum id
Gen. 49. quod de Symeon & Leui dictum legimus. Diuidam eD nim (inquit Iacob) & diſpergam eos in Iſraël. Quod ſanè non in ipſis, ſed in eorum poſteris eſt impletum. Et quod de Cham à Noe dictum eſt, in Gabaonitas, qui fuerunt poſteri Chanaan, omnino recidit. Hunc quoque in modum. Et quod Iacob accidit, poſſet quis intelligere. Quandoquidem benedictiones illæ, Eſto dominus fratrum tuorum. Et, Adorent te filij patris tui,
vbi ſuprà. non in ipſo finem ſortitæ ſunt ſuum. Quî enim poſſit, cùm is fratrem timuerit atque tremuerit, eúmque millies adorarit? Sed in eius profectò poſteris id eſt perfectum. Id quod & hîc quis poſſet aſſerere? Quis enim veriùs eſt Dei filius appellatus, illéne populus, qui vitulũ adorabat, qui Beelphegor initiabatur, quíq; filios ſuos dæmoniis immolabat, an is qui natura filius eſt, ac patrem omnino veneratur? Niſi ergo aduenifſet Chriſtus, nequaquam congruum prophetia hæc finem habere potuiſſet. Animaduertenda ſunt enim Euangeliſtæ verba, quomodo hoc ipſum latenter innuit dicens, *Vt perficeretur*. Oſtendit nanque nuſquam id implendum fuiſſe, niſi hic aduenifſet. Præterea & Patriarchæ illius Iacob, & eorum qui cum eo ibant in Ægyptum, deſcenſio, huius ipſius profectionis typum gerebat. Siquidem illi, quam intentabat fames, mortem aufugientes, deſcenderunt: hic autem, illam, quæ per inſidias imminebat. Illi porrò deſcenſu ſuo, qua premebantur fame, liberati ſunt: hic verò in Ægyptum deſcendens, omnem regionem illam ſuo ſanctificauit ingreſſu. Quánam verò ratione Angelus cùm dixiſſet, Fuge in Ægyptum, nequaquam ſocium ſe itineris futurum promiſit, nec illuc ſcilicet euntibus, nec rurſus inde redeuntibus? Nẽpe vt oſtenderet, maximo illos munitos fore comitatu, qui natum puerum ſecum veherent. *Tunc Herodes vbi vidit ſibi illuſum fuiſſe à Magis, iratus eſt vehementer, & miſit ac interfecit omnes pueros qui erant in Bethleem & omnibus confiniis eius.* Nullus præterea de interfectis hiſce pueris dicat, Et quánam cauſa Deus id fieri permiſit? Quoniam quicquid à quouis hominum iniuſtè perpeſſi fuerimus, Deus ipſe nobis, vel in peccatorum remiſſionem, eiuſmodi iniuſtitiam computat, vel certè amplioris mercedis retributione compenſat. Et quidnam (inquies) peccati habebant hi paruuli, quod illis dimitti oporteret? De iis enim qui legitima in ætate fuerint, multáque deliquerint, id profectò iure dici poſſet. Hi verò qui tam immaturum ſortiti ſunt finem, quæ nam tandem admiſêre, ob quæ ita eſſent afficiendi? Atqui propterea dixit ſuperius, ſi non adſint peccata, quæ puniantur, futuram eſſe mercedis retributionem iis, qui aduerſi quippiam iniuſtè patiuntur, longè dubio procul ampliorem. Quid igitur hac in re patuulis obfuit interemptis, atque ad pacatiſſimum æquè, ac tutiſſimum portum tralatis? Quoniam ſi vixiſſent (inquis) plurima egregiè admodum ac cùm virtute geſſiſſent. Atqui iccirco haud exigua illis reponitur merces, quòd eius rei gratia vitam amiſerint. Alioqui nunquam omnino permiſiſſet Deus, vt hinc tam citò præriperentur, ſi præclari cuiuſdam & egregij meriti fore pueros præuidiſſet. Si enim eos qui in ſumma ac irremiſſa ſunt prauitate victuri, tanta Deus animi lenitate ſuſtentat, multò magis hos nequaquam ſic è medio tolli ſiniſſet, ſi magna quæpiam præſciuiſſet eſſe præſtaturos. Et hæ quidem noſtræ ſunt rationes, imò verò nec omnes noſtræ, ſed ſunt, & aliæ longè his occultiores, quas ipſe ſolus optimè nouit, qui vniuerſa hęc mira diſpẽſatione gubernat. Quod ſi adhuc animo paruus es, ac minor quàm vt huiuſmodi philoſophiam aſſequare, vel eius, qui id facinoris auſus fuit, finem addiſce, Herodis inquam, ac aliquantulum interquieſce. Siquidem grauiſſima illum vltio, ob hoc ipſum quàm celerrimè excepit, atrociore mortis genere, eáque longè quàm puerilis intulerat miſerabiliore, vitam abrunpens, aliáque inſuper mille mala perpeſſus, quæ noſſe in promptu iis eſt, qui Ioſephi de his hiſtoriam perluſtrarint, Quid autem inquies Racheli cùm Bethleem commune? Quid porrò Rhama cum Rachele? Inquit enim Propheta, *Vox in Rhama audita* Hier. 31.
eſt, lamentatio & ploratus & fletus multus, Rachel plorans filios ſuos. Rachel nẽpe mater fuit Beniamin, quam mortuam in Hippodromo ſepelierunt, qui ipſi Bethleem propinquus erat. Quoniam ergo & ſepulchrum erat vicinum, & locus ipſe, in filij ſortem cõnumeratus, (Rhama etenim tribui fuerat addicta Beniamin) & ab ipſo tribus principe, & à ſepulturæ loco, decenter profectò,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui occisi sunt,pueros,cius Euangelista filios nuncupauit. Deinde ostendens infixum vulnus immedicabile pariter atque crudele,inquit. *Et noluit consolationem admittere,eo quòd non sint.* Apparens porrò Angelus Ioseph post ipsum Herodis obitum, cur non iam dicit, Fuge, sed *Vade?* Vt scilicet post tentationem inueniat requiē. *Verùm cùm audisset Archelaum regnare in Iudæa loco Herodis patris sui,timuit illuc abire, sed oraculo admonitus in somnis, secessit in Partes Galilææ,ac profectus,habitauit in ciuitate,quæ vocatur Nazareth.* Tum quò imminens periculum euitaret,tùm etiam vt ipsius patriæ amans, in ea confidentius ageret, atque securius. Cuius & rei Angelico fuit oraculo commonefactus. Impletúmque illud est, quod per prophetas est dictum,*Nazaræus vocabitur.* Qui autem id prophetæ dixerint, ne curiosè rimeris, multa enim prophetarum interciderunt volumina. Id quod ex Paralipomenon historia videre est. Cùm enim Iudæi in summam incidissent impietatem, alia quidem perire permiserunt, alia autem ipsi concremarūt. Quorum sanè alterum Hieremias, alterum verò qui quarti regum voluminis historiam texuit, euidenter exponit. Post multa asserens annorum curricula, solùm fuisse Deuteronomij volumen inuentum,quodam scilicet in loco defossum atque corruptum. Quoniam verò prophetæ id prædixêre,frequenter illum Apostoli quoque
Luc. 2. Nazaræum appellant.Quod autem Lucas ait, eos non de oraculi illuc authoritate venisse, sed omni purgatione perfecta, reuersos in Nazareth, sic oportet intelligi. Dixisse hæc profectò Lucam, quòd illud solummodo tempus describeret,quod prius quàm in Ægyptum descenderent,est elapsum.Neque enim Angelus in Ægyptum ante factam illos purgationem emisisset, ne quid contra legem videretur admissum. Sed vbi omnia perfecerunt, in Nazareth vltrò quasi postliminio reuerterunt.

CAPVT III.

QVOD autem statim Euangelista subiungit dicens. *In diebus illis accedit Ioānes Baptista.* non illud profectò tempus designat, quo puer adhuc Iesus erat, ac venit in Nazareth, quandoquidem post annos triginta Ioannes venit,quemadmodum testatur & Lucas.Verùm quia consueuit scriptura huiusmodi vti frequentissimè loquendi more, non solùm cùm præteritis adiungit præsentia,sed etiam cùm ea, quæ post multorum annorum spatia sunt futura complectitur. Sicut & in oliuarum mōte cùm Christus discipulis de ciuitatis Hierusalem euersione differeret,essētque de sæculi quoque
Matt. 24. consummatione dicturus,subintulit, Tunc & hæc erūt. Quo sanè aduerbio nequaquàm euersionis ac consummationis tempora, plurimum inter se discreta coniunxit, sed id dundaxat tempus, quo hæc erant euentura, portendit. Ita & hoc loco facit, dicens. In diebus illis. Non quasi hi continuò secuti sint dies, id apposuit, sed illos significat, in quibus ista fuerant euentura, quibus videlicet accingitur enarrandis. Cuius autem rei gratia post triginta annos ad baptismum accessit Deus ac dominus noster Iesus Christus? Nimirum quòd eiusmodi sit ætas illa,quæ possit omnium esse peccatorum capax. Neque enim cuncta simul vitia in nos irruunt semper atque perurgent. Verùm in prima quidem ætate multa nos imprudentia simul ac animi imbecillitas inuadit. In adolescentia autem vehementior nos voluptas impugnat. Cæteris verò in ætatibus dira nos pecuniarum cupido sollicitat. Ac propterea omnem Christus expectauit ætatem, cúmque per eas omnes legem complesset, sic demum ad baptismum proficiscitur. Ipsam A nanque legem erat post baptismum soluturus. Ad hæc etiam ne qui dicerent, hac illum de causa legem soluisse,quòd illam implere non valuerit, quod vltimum illi deerat,præstitit officium,hoc est baptismum (sicut & ipse Ioanni dixit. Sic enim decet nos, vt compleamus omnem iustitiam) quo completo omnem seruasse legem perhibetur.Iustitiam enim dicit omnium mandatorum expletionem. Quam verò ob rem baptismus ipse fuerit excogitatus,ipse Baptista declarat dicens, Et Ioan. 1. ego nesciebam eum: sed vt manifestus fiat Israëli, propterea veni ego aqua baptizans.Si quis verò dixerit,Et
Luc. 3. si hæc ipsa sola causa est,quónam ergo modo de eo Lucas ait:Et venit in omnem regionem finitimam Iordani prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum?Is sanè nouerit, non habuisse baptismum illum peccatorum remissionē. Hoc enim munus illius erat baptismi, qui postea datus fuit, qui est ipse noster. In hoc nanque simul consepulti fuimus cum Christo. B Sed quoniam nolebant Iudæi, quibus erant obnoxij, peccata dignoscere, per hunc quasi eos ad suorum peccatorum confessionem simul ac pœnitentiam hortabatur,quò facilius postea remissionem susciperent.Nisi enim se ipsos cognouissent, nullo vnquam pacto gratiā requisissent. Non quærētes verò gratiam,nec remissionem omnino cōsecuti essent.Præter hanc porrò,quam diximus, baptismi causam, alteram quoque nosse nos oportet. Est autē hæc. Cū nequaquā par esse videretur vt ipse Baptista singulas Iudæorum domos circumiret, quasique apprehensa Christum manu circūduceret, in ipsum illum clamans esse credendū,hīc ideo baptismus est institutus, quò concurrentes ad illum populi,emissámque illam beatam vocem audientes, cæterísque omnibus perfunctum intuiti, sic tandem crederent. Hac igitur de causa vniuersos ad baptismum Ioannes exhortatur. Quandoquidem & de Baptista concepta C opinio, & rei ipsius institutum, ciuitatem omnem attrahebat, atque ad Iordanem euocabat. Eorum præterea qui accurrebant, animi excrescentiam reprimit, ne quid de se ipsis magnum suspicentur, nec progenitoribus glorientur, cùm tantis ipsi sint malis obnoxij,quinimò suadet, vt obuiis(quod aiunt) vlnis Christum susciplant aduentantem. Latebat enim interim omnes Christi dignitas atque præsentia,à plurimísque iā pridem mortuus credebatur,ob eam quę in omnes paruulos cædem,in Bethleem olim fuerat debacchata.Licet enim duodecimo ætatis suæ anno seipsum ostenderit,rursus tamen sese abdidit quàm celerrimè. Propterea clariore admodum præludio opus erat, celsioréque principio. Vnde de cœlis ipsis, déque illorum regno apud eos sermonem faciebat.Quod verò ait. *Appropinquauit enim regnum cælorum.* Et priorem eius aduentum denotat,& posteriorem.Quamuis id minus interim intelligerent,quoad eius rei quæ predicabatur inquirendæ studio tracti sunt. Quapropter & publicani multi & D milites ipsum adeuntes, interrogabant, quid nam sibi faciundum foret,vt seruarentur. Quod profectò signū erat euidens, præsentium illos iam rerum cura solutos, alia quæpiam suspicere celsiora, futurarúmque rerum seriem odorari.Quandoquidem & quæ ipsi cernebant, & quæ dicebantur vniuersa, ad sublimiorem illos prudentiam euehebant. Erátque prorsus admiratione dignum, hominem intueri post triginta orbes annorum, ab eremo venientem,summi filium Sacerdotis, nullius vsquàm humanæ rei indigum, sed vndecunque venerandum. Esaiam quoque de ipso testificantem audire, illúmquemet in eremo clamantem, tonantissimáque voce prædicantem, oculis simul atque auribus haurire. Hic ipse est, quem olim sui pollicitus aduēturum. Illius

præterea

præterea habitus mirum in modum Iudæos alliciebat, A cùm in eo Heliam cernerent,imò verò & illo quid maius.Siquidem in vrbibus ille versabatur,hic verò ab incunabulis eremi vastitatem incoluit. Non terram aratro serendis sulcantem frugibus, nec operosa vtentem mensa conspicabantur. Amictus illi erat mensa simplicior, & habitatio amictu longè facilior. Neque enim tectum aliquando possedit,aut lectum, nec aliqua huiusmodi revnquam indiguit,sed Angelicum quoddām in carne hac,vitæ præ se tulit institutum. Propterea & vestimentum setis contextum habuit, vt ipso etiam habitu, ab humanis nos rebus doceret abductionem, nihílque suaderet cùm terra prorsus habere commune, sed ad priorem recurrere nobilitatem, qua ipse nimirū fruebatur Adam,priusquam circumamiciri vestibus indigeret.Si igitur ille vitæ sinceritate mundissimus, ipso cœlo splendidior,prophetis celsior vniuersis, quo maior nullus hominum fuit exortus,quíque tanta loquendi libertate præditus erat, ita durè in semet ac minimè B indulgenter animaduertebat,sub adhuc vetusta præsertim lege,quam nos excusationem habebimus, qui post susceptam gratiā,innumeráque beneficia,ac mille peccatorum onera, nec minimum quidem conuersationis eius præ nobis indicium ferimus, sed contra commessationibus distenti ventrem, ebrietatíque inseruientes, exotica olemus vnguenta, nihil non facientes, vt nosmetipsos molliciei nimietate eneruemus, sicque ipsi diabolo quàm facillimi captu reddamur? *Exibant autem ad ipsum & baptizabantur.* Propterea dignum admiratione erat,illum intueri in humano corpore talia præ se ferentem,tantáque vtentem libertate loquēdi, ac in omnes, tanquam in pueros quospiam inuehentem. Id porrò ad stuporis cumulū accedebat, quòd multo post tempore Propheta apparuisset. Siquidem illos diu iam gratia dereliquerat,ac postmodum tandem ad ipsos reuerterat. *Cùm vidisset autem multos ex Pharisæis & Sadducæis venientes ad baptismum suum.* Cùm de Pharisæis ac C Sadducæis Euangelista sermonem faciat, illos asserens ad Ioānis baptismum properasse,quomodo nam Christus ait illos non credidisse Ioanni? Quia profectò,non credere Ioanni, erat nolle eum, qui ab ipso prædicabatur susciperе. Nam venerunt quidem & baptizati sunt, non tamen in prædicationis fide permāserunt.Id quod palām inde ostēditur,quòd ad ipsum misēre Ioannem, qui eum scifcitarentur,num ipse Helias esset, aut Christus.Ideo & subdit Euangelista. Et qui missi fuerant, e-
Ioan. 1. rant ex Pharisæis. Vocat porrò illos, *viperarum progeniem*, quod in re nulla essent id genus serpentibus affecti melius,vel ipsi,vel eorum filij. Siquidem viperæ parentes suos conficere dicuntur, & aluo, qua portantur exesa, sic demum in lucem prodire. Quod hi quoque faciebant,patricidæ effecti ac matricidæ,quibúsque instituebantur magistris propriis mortem manibus inferentes. *Venturam* verò *iram*, dicit æternum supplicium. Non enim consuetum quid comminatur, cuiusmodi D bella sunt & captiuitates,sed gehennam. *Fructus* autem *dignos pœnitentiæ* inquit, non solùm vt omnem fugiant prauitatem, verùm vt plurimum ostendant ac faciant virtutis studium, nec de progenitorum nobilitate superbiant,aut sibi plaudentes, illi confidant, quod sanè postea locutos apparet. Nos (inquiunt) *patrem habemus Abraham.* Quid est autem, *Potens est Deus è lapidibus his suscitare filios Abrahæ?* Quidam sanè putant Ioannem id de euocandis dixisse Gentilibus, quos lapides metaphoricè nominauerit. Ego autem aliam quandam opinor verba hæc intelligentiam habere. Ne putetis (inquit) si pereatis ipsi, facturos vos absque filiis Patriarcham, possibile enim Deo est, filios ei vel ex lapidibus suscitare. Sicut & antea factum est. Tale enim profectò id est, quale fuit è Sarræ vulua filium prodire. Non dixit autem, suscitauit, sed potēs est suscitare,ne animum desponderent vllo pacto. Illud autem. *Iam verò & securis ad radicem arborum posita est*, ostendit, ipsam quidem imminere radici,ac nullam omnino abscissionis cūctationem fore. Veruntamen si conuerti (inquit) voluerit,fieríque meliores,remouebitur securis ipsa,nil prorsus operata: si autem eiusdem studiis insistiteritis,radicitus arborem exsecabit. Nam radici admota, imminet quidem, ne desides animo concidatis: non secat autem, quo demonstret posse quemlibet vel breuissimi temporis conuersione seruari.Dicens autem, *Omnis arbor,quæ non facit fructum bonum,exciditur & in ignem mittitur*, omnem nobilitatis præeminentiam excludit. Tametsi enim(inquit) ipsius Abrahæ nepos fueris, duplex omnino supplicium lues, si infructuosus extiteris. Dicens verò *corrigiam calciamenti*,quod est omnium extremum significauit. Adeò (inquit) absum, vt cum eo qui post me venit, comparari queam,vt vel inter seruos eius extremos connumerari, minus idoneus existam. Neque enim calciamenta dixit, sed *nec corrigiam* (inquit) *calciamentorum eius soluere dignus sum.* Illud porrò *Baptizabit Spiritu sanctō*, exuberantem diuini muneris largitatem præ se fert, sanctificationem scilicet, ac redemptionem, adoptionem insuper filiorum, & fraternitatem. *Et igni.* ignis faciens mentionem, rursus gratiæ vehementiam ac magnitudinem significat. *Ventilabrum* porrò iudicium appellat,iustos separans ac peccatores. Et *frumentum* quidem iustos, *paleas* autem peccatores dicit. *Ignem* verò *inextinguibilem* apponens, immortale supplicium demonstrat. *Ioannes autem prohibebat illum.* Cur Ioannes primò Christum prohibuit, ne à se baptizaretur,postmodum verò assensus est? Quoniā non erat admodum contentiosus,ac pertinax. Quin & indignitatem ipse suam & obedientiam detegit. Non dixit autem simpliciter & Christus, *Dimitte*, sed addidit C *nunc.* Haud enim(inquit) erunt ista continua,sed in his postmodum me videbis,quæ concupiscis. Nunc verò, horum est tempus. Cur autem dixerit. *Sic enim decet nos, vt compleamus omnem iustitiam.* superius dictum est. *Et vidit spiritum Dei descendentem tanquàm columbam,& venientem super ipsum.* Cuius rei gratia in columbæ specie visus est Spiritus sanctus? Quòd mansuetum sit hoc animal atque mundum. Quia ergo & Spiritus ille sanctus, mansuetudinis spiritus est,ea iccirco visus est specie.Simul etiam quòd diluuij tempore columba ramum oliuæ portans, sæuæ illius solutionem nunciauerit tempestatis. Spiritus etenim sanctus malorum nobis solutionem adduxit,ac pro oleæ ramo, omnium nobis liberationem ostendit. Quòd si & in specie columbæ Spiritus sanctus apparuit, sciendum est non columbæ illum, quemadmodum Dei filius, hominis, assumpsisse naturam. Vnde & Euangelista non in columbæ natura dixit,sed specie. Ea propter nec vnquam omnino postea in hac ipsa, qua modò, figura cōspectus est. Mansit porrò super Deum ac dominum nostrum Iesum Christum sanctissimus Spiritus, vóxque supernè facta est, *Hic est filius meus dilectus*, ne ipsum putarent tanquam vnum esse ex multis,eámque vocem de Ioanne factam.Christo enim longè præstantiorem Ioannem autumabant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT QVARTVM.

TVNC *Iesus ductus est in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo.* Tunc Quando? Post sancti Spiritus videlicet descensum, illámque vocem supernè delatam. A quo autem spiritu ductus est? Nempe à Spiritu sancto. Cur autem vt à diabolo tentaretur? Quia profectò ad nostram eruditionem omnia faciebat. Vt si quis eorum qui baptizati sunt, post baptismum maioribus impetatur tentationibus, non omnino turbetur, tanquàm sibi quippiam præter spem acciderit, verùm persistat, vniuersa generosè perferens. Quandoquidem rationalia ob istuc ipsum arma accepimus, non vt segniter ociemur, sed vt viriliter decertemus. In desertum autem ducitur, quò eius tentandi maiorem diabolus nanciscatur occasionem. Tunc enim vel maximè nos vrget, aggreditúrque cùm solos viderit, ac cæterorum consortia senserit respuentes. *Postea esuriit.* Esurientem verò petit, vt discamus quàm magnum bonum sit ipsum ieiunium, singulísque esse post baptismum, non delitiis sed ieiunio animam appellere. Iccirco enim & ipse ieiunauit, non quòd ipse ieiunio opus haberet, sed vt nos ipsos instrueret. Cur autem dixit ei, *Si filius Dei es?* Quia videlicet vocem supernè delapsam, ipsúmque Ioannem celebre de ipso testimonium audierat perhibentem. Deinde hominem videns esurientem, magna consilij ac mentis inopia detinebatur. Et neque illum purum esse hominem credere poterat, ob ea quæ de eo dicta fuerant, nec persuaderi rursus, quem cerneret esurientem, filium esse Dei. Iccirco ipsum interrogat. Non autem ei dixit, Quoniam esuris, sed, *si filius Dei es, dic vt lapides hi panes fiant*, dolosis illum videlicet adulationibus capere festinans. Ideo Christus fastum eius atque superbiam deiiciens, esuriémque suam confusione nullatenus dignam esse demonstrans, dixit ei, *Non in solo pane viuet homo.* Potest enim Deus pascere vel fermone esurientem. Similiter & in secunda tentatione, *Si filius Dei es*, ea qua prius ratione præmittit. Christus verò nihil in eum est indignatus, verùm quàm modestissimè respondet. *Non tentabis dominum Deum tuum.* Deut. 8. Nos nimirum docens, opus esse diabolum non signis, sed clementia ac longanimitate superari. Illud porrò, Psal. 90. *Angelis suis mandabit de te ac manibus tollent te*, nequaquam de ipso Domino dictum est à Propheta. Vnde in hoc etiam diabolus est ementitus. Iccirco autem in tertia tentatione diabolum Christus increpuit, tametsi non vehementer admodum, sed toleranter quidem atque modestè, quòd iam in Patrem peccasset, sua asserés omnia quæ illius sunt. Ille igitur simul atque fuit increpitus, è vestigio aufugit, neque enim aliàs illi tentationes ingessit. Si autem & Lucas ait, omnem illum consummasse tentationem, id profectò dixit Euangelista, Luc. 4. quòd ipsa nimirum diabolus tentationum capita Christo admouerit, quódque in his cætera omnia complectantur. Infinita enim hæc in se continent mala, ventri scilicet deseruire, inanis gloriæ ergò quippiam facere, ac insani pecuniarum amoris esse mancipium. Postquã verò diabolus abscessit, tum verò *accedunt Angeli*, nec sanè antea, ne ob id aufugisse visus esset, sed potius vt confligeret, victúsque decederet. Simul etiam vt & nos discamus Angelos ipsos, post sumptas de diabolo victorias, magnis nos plausibus excipere, suóque, vt ita dicam, satellitio stipatos in omnibus communire. Sciendum verò est sponte sua, ac voluntate Deum ac dominum nostrum Iesum Christum, & in templi pinnaculum, & in excelsum montem ascendisse, non autem ab impuro scelestóque assumptum dæmone. Sed cùm A cogitationes eius, secúmque disceptantem vidisset atque dicentem, siquidem hic in templi pinnaculum ascenderit, ob inanem gloriam seipsum deiicere persuadebo. Idipsum si montem subierit, ita pecuniarum pollicitatione illius animum velut esca captabo, vt me sit protinus adoraturus: huius rei gratia ascendit, vt scelestum illum & hac in re victum omnibus demonstraret. Quare autem, *Cùm audisset Iesus, quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam?* Quò nos videlicet doceret tentationes esse declinandas. Neque enim culpa est seipsum periculis non iniicere: sed non generosè, cùm incideris, ea perferre, id prorsus vitio vertitur. Simul etiam quòd orbis magistros expiscari festinaret. Ibi enim piscatoriæ artis intenti studio versabantur. Præterea vt & Prophetiam impleret. *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam.* Esa. 9. Tenebras hoc loco, non has profectò sensibiles, sed errorem ac impietatem nominauit. Similiter neque sensibilem lucem hanc, sed veritatis cognitionem dicit. Neque verò dixit. Qui ambulabat in tenebris, sed qui sedebat. Quod sanè indicium erat, nec spem quidem vllam liberationis habuisse. Quemadmodum enim qui quonam progredi debeant, ignorant, ita à tenebris comprehensi sedebant, vtpote qui omnino stare vltra non viderent. Deinde ostendens non eos, dum ipsimet inquirerent, inuenisse, sed Deum ipsum supernè illis apparuisse, *lux* (inquit) *orta est eis atque affulsit*, non priores eos ad lumen accessisse declarans. Siquidem in extremis res hominum iacebant malis ante Christi aduentum. *Ex eo tempore cœpit Iesus prædicare*, quo scilicet Ioannes in carcerem est coniectus. Cur autem à principio non prædicauit? Quid verò tandem Ioanne opus erat, qui illum suorum attestatione verborum prædicat? Vt nimirum hinc quoque illius dignitatem addisceres, quòd sicut & Pater, ita & ipse Prophetas haberet, quemadmodum & Zacharias dixit. Et Luc. 1. tu puer, Propheta altissimi vocaberis. Ad hæc necessum C erat, vt quæ de ipso vulganda erant, non ab ipso prius, quàm ab alio quopiam dicerentur. Qui enim post tot ac tanta testimonia simul & argumenta dicebant, Tu de Ioan. 8. te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum: nisi Ioannes prædicatione præmissa in medium processisset, de se ipso testimonium perhibiturus, quid non illi obloquti fuissent? Quare autem nullum signum fecit Ioannes? Vt scilicet vel ex hoc populi multitudo ad Christum concurreret. Quandoquidem quæ ab ipso fiebant, signorum admiratio, ad eum vniuersos alliciebat. Si enim post tantam rerum œconomiam, ipsius Ioannis discipuli in Christum dominum æmulatione quapiam ac inuidctia ducti sunt, plurimíque non ipsum, sed Ioannem, Christum esse suspicabantur, si miracula Ioannes edidisset, quid non contigisset? Cùm verò prædicare cœpisset filius Dei, cur nihil tandem de se ipso dixit, sed, ab ipsis omnino cœlis, atque illorum regno sermonem auspicatus est? Quia nimirum hoc in- D terim erat ad suscipiendum gratius atque amabilius. Sic enim dignam prorsus de illo concipiebant opinionem. *Ambulans autem iuxta mare Galilææ vidit duos fratres.* Sciendum est, secundam hanc fuisse vocationem Petri & Andreæ, quam modò Matthæus narrat. Nam Ioannes Ioan. 1. quidem Euangelista, illos antequam præcursor in carcerem coniiceretur, asserit accessisse. Matthæus autem vbi coniectus est. Et ibi quidem Andreas Petrum vocat, hîc autem dominus Iesus ambos vocasse perhibetur. Id quod & ex aliis licet Euangelistis aduertere. Post priorem siquidem vocationem, ad artem rursus iccirco propriam reuerterunt, quòd Ioannes in carcerem receptus esset. Quanuis etenim à Christo prius vocati fuissent, ab ipso tamen edocti, rursus ad Ioannem redierunt,

tũt. Ipse autem vtpote benignus ac comis accurrit, rur- A sus eos sibi concilians ac recuperans. Illi verò tametsi quàm auidissimè ad piscationem erant propensi, simul atque audierunt, *Faciam vos piscatores hominum*, nihil vltra cunctati sunt, vel animo volutarunt, sed relictis omnibus, secuti sunt illum. Eiusmodi quippe à nobis obedientiam Christus efflagitat, vt ne minimum quid tẽporis differamus, licèt nos necessarium aliquid vehe- Luc. 9. mẽter vrgeat & exstimulet. Quemadmodum & alium quempiam accedentem ad se, vtque defuncto patri sepulturam exhiberet, obnixius expetentem, nec id quidem facere permisit. Propterea autem Ioannes & Iacobus nullis promissionibus auditis, protinus secuti sunt, quia scilicet priorum obedictia, iam illis ad fidem iter pararat. *Cùm Zebedæo patre suo, sarcientes retia sua.* Quod scissa resarciebant retia, multam illorum arguit pauperiem, vt quibus vnde noua coëmerẽt, minus suppeditaret. Quandoquidem, & hoc virtutis est, paupertatis onus prompto animo, ac cum gratiarum actione B perferre, ex iustis laboribus vitam ducere, secum patrem habere senem, eiúsque sedulis obsequiis insistere, ac mutuæ inuicem dilectionis vinculo colligari. *Et circumibat Iesus totam Galilæam docens in synagogis illorum.* Frequenter dominus Iesus Christus Iudæorum synagogas introibat, hinc quoque omnibus insinuans, non esse se aduersarium Deo, nec seductorem, sed Patri in omnibus consonum aduenisse. Iter autem de more faciens non prædicabat modò, verùm etiam signa plurima demonstrabat. *Sanans* (inquit) *omnem morbum & omnem languorem in populo.* Nam discipulos iam habens, iccirco signa edebat, vt quæ de se ipso à Ioanne dicta fuerant, confirmaret. Propterea verò tunc cœpit signa facere, quòd ita consueuerit semper Deus. Si quando enim nouum quodpiam institutum est conditurus, signa prius edit, præbens quoddam suæ potẽtiæ pignus. Sic quippe & cùm hominem esset facturus, mundum prius condidit vniuersum, ac tum demum legem illi in C Paradiso præscripsit. Sic sancto illi Noë legem positurus, magna rursus ostendit mirabilia, cùm ab ea, quam orbi terrarum diluuiem induxit, iustum illum seruauit immunem. Quin & Abrahæ similiter fecit, cùm claram illi de hoste victoriam contulit, cùm Pharaoni eius vxori insidias struenti plagam intulit, cùm denique ex innumeris illum periculis liberauit. Sed & Iudæis legem daturus, mirabilia illa, magnáque prodigia edidit, ac tum demum illis legis præcepta sanciuit. Hunc in modum & hic egit. Nam sublimem quampiam viuendi rationem ac disciplinam introducturus, quæque illis antea nunquam audita dicturus, verba sua signorum ostentatione confirmat. Quia enim quod prædicabat cœlorum regnum nondum apparebat, per ea quæ coràm videbantur, notissimum reddit, quod antea cælabatur. Intuere autem quantopere superflua vitet Euangelista, quomodo breui tot signorum copiam sermone transcurrat, nec eorum nobis qui curati sunt, singulos D Infr. 9. viritim enumeret. Cur autem à nullo eorum tunc Dominus fidem petiit, quemadmodum postea petiisse liquet, cùm ait. Credis me hoc posse præstare? Quia nimirum nondum potentiæ suæ experimenta præbuerat. Præsertim cùm non vilem profectò nec mediocrem quampiam præ se ferrent fidem, quòd ipsum de remotissimis omnino regionibus conuenirent. Non enim ægrotos ad eum curandos attulissent, ni magna de illo concepissent. Sequamur igitur illum & nos per sanctarum eius præceptionum obseruantiam. Quandoquidem multos ipsi languores patimur animarum.

CAPVT V.

CVM *vidisset autem turbas, ascendit in montem.* Cuius rei gratia dominus Iesus conspectis turbis ascendit in montem? Nempe, quòd erat minimè ambitiosus, honorísque, ac gloriæ apprimè contemptor. Neque eas secum circunducebat, sed vbi quidem deambulare licebat, ipsemet vniuersa lustrabat, vrbes ac regiones inuisens. Vbi verò plurima ad eum multitudo confluxit, vno in loco resedit. Non autem in ciuitate, ac medio foro, sed in monte ac solitudine, docens nos ne quid ad ostentationem faciamus, sed è mediis abscedamus tumultibus, cùm nobis de rebus seriis ac grauibus est disserendum. *Accesserunt* autem *ad illum discipuli eius*, vt qui facti iam fuerant meliores. Plurimi enim erant miraculorum spectatores tantùm, at hi & magnum quid, atque sublime ab eo audire cupiebant. Cur autem additum est. *Et aperto ore suo?* Vt discamus videlicet, illum, non modò cùm loqueretur docẽtem, verùm etiam & cùm taceret. Illud autem, *Docebat illos*, non tantùm de discipulis dictum putemus, sed etiam de omnibus, qui tunc ei præsentes aderant, & qui postmodum futuri essent. Et vnde hoc patet? Nimirum quòd non dixerit, Beati estis vos, si pauperes fueritis: verùm, *Beati pauperes spiritu, quoniam illorum est regnum cælorum.* Qui verò sunt pauperes spiritu? Humiles nempe ac mẽte cõtriti. Spiritũ enim hoc loco pro anima posuit, quæ sua se voluntate comprimit, & humiliat. Nam quia plurimi sunt non sua sponte humiles, sed quadam necessitate acti, huiusmodi omissis (neque enim id sanè fuerit encomium) qui propria se voluntate conterunt, beatos appellat. Quam verò ob rem non dixit, Beati humiles, sed pauperes? Nimirum, quòd hoc sit præstantius illo. Eos enim hîc dicit, qui Dei præcepta pauent, ac reformidant. Multi nanque sunt humilitatis modi. Et hic quidem modestè humilis est, hic autem suprà omnẽ modum. Hanc humilitatem & beatus Dauid commendat, dicens, Cor contritum & humiliatum Deus non Psal. 50. spernet. Non mentem nobis, vtcunque ad modestiam redactam, atque regressam designans, sed omnino, valde contritam & humiliatam. Beatam igitur hanc ante omnia Christus humilitatem prædicat, quia profectò mala maxima, quæque vniuerso terrarum orbi perniciem inuexêre, ex arrogantia scilicet atque superbia defluxerunt. Siquidem diabolus in superbiam elatus concidit, & primus ille homo inanibus à diabolo spebus inflatus, præcipitatus in mortem corruit, quíque se Deũ futurum sperabat, etiam quod habebat, factus mortalis amisit, cæterísque postmodum omnes hinc in impietatis scopulos inciderunt. Propterea igitur tanquam fundamentum quoddam firmissimum iaciens, hanc in primis humilitatis legem tulit. Hac enim in spiritualis ædificij fundamento supposita, reliqua omnia quilibet tutissimè superædificat. Qua sublata, licet ad ipsum vsque cœlum conuersationis sublimitate contenderis, simul vniuersa facilè delabuntur, & exitum sanè pernicioſum sortiuntur. Siue enim orationem, siue ieiunium, siue eleemosynam, siue continentiam, siue aliud quid bonorum absque humilitate congreges, diffluunt omnia atque dispereunt. Id quod Pharisæo contigisse compertum est. Cur autem doctrinam hanc suam, non per modum exhortationis ac præceptorum, sed beatitudinum introducit? Quò scilicet sermonem faciat gratiorem, omníque prorsus inuidia nudum, ac doctrinæ stadium omnibus æquè recludat. Non enim dixit, Ille & ille, sed quicunque hæc fecerint, beati. Siue ergo seruus sis, siue pauper, siue peregrinus, siue gregarius quispiam, atque

Universidad de Deusto
Biblioteca

plebeius, nihil te, si virtutis huius æmulator extiteris, A quò minus beatus fias, poterit prohibere. Post primam verò beatitudinem, *Beati* (inquit) *qui lugent*. Quòd cùm totius mundi sententia ex diametro pugnare videtur. Cùm enim vniuersi, eos qui rident, beatos, eos autem qui in luctu, animíque deiectione versantur, miseros æquè autument & ærumnosos, hos ipse tamen illorum vice beatos appellat. Non simpliciter autem lugentes posuit, sed eos, qui propter peccata luctibus se conficiunt. Temporalium nanque rerum defectum siue iacturam deflere quàm maximè prohibemur. Quæ ambo 1.Cor.7. Paulus significàs dicebat. Mundi quidem tristitia mortem operatur: quæ autem secundùm Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem haud pœnitendam operatur. Hos igitur hîc & ipse Dominus beatos dicit, qui hunc in modum tristantur, ac lugent. Et non simpliciter, Tristes, hîc posuit, sed eos qui cum intētione quapiam, ac vehementia id faciunt. Propterea non tristes ait, sed omnino lugentes. Etenim hæc rursus exhortatio totius philosophiæ magisterium est. Si enim qui vel filios vel coniuges è vita migrantes, vel alium quempiam proximorum lugent, non pecuniarum aut corporum toto illo doloris sui tempore cupiditate trahuntur, non gloriam concupiscunt, non contumeliis exacerbātur, non inuidia distinentur, non alio quouis affectu rapiuntur, vt qui solis insistunt luctibus, multò sanè magis qui propria, sicuti dignum est, peccata lugent, hanc maiorem præ se ferre debent philosophiam. Vnde & præmij constituens magnitudinem, *Quoniam* (inquit) *consolabuntur*, & hîc videlicet & in futuro. Quoniam enim (inquit) præceptum hoc est onerosum, ecce ergo pro hoc ipso consolationem, non pro rei dignitate, sed pro mea ipsius benignitate affatim subministro. Nam qui lugēt, peccata quidem lugent, quibus sanè sat est cōsequi veniam. Ego autem & abundantiorem impertior consolationem. Præterea non propria tantùm, sed etiam aliena iubet peccata lugere. Cuiusmodi affectæ erant illæ C sanctorum animæ Moysi, Dauid, ac Pauli. Hi enim omnes aliena persæpe mala deflerunt. Dicens porrò, *Beati mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram*, de quánam terra dicit? Quidam spiritualem terram dicunt. Quod omnino verum non est. Nusquam enim in scripturis eiusmodi terram inuenimus. Sed & hoc loco sensibile apposuit præmium. Non enim à futuris tantùm bonis, verùm & à præsentibus quoque adhortationē format, propter auditorum videlicet hebetudinem ac ruditatem, eósque qui præsentia magis, quàm futura requirūt. Id autem iccirco mitibus pollicetur, quòd se putēt propria ob mansuetudinem amissuros. Vnde & cōtrarium repromittit, ac si dicat, mittes ipsos cuncta simul quàm tutissimè possidere, non temerarium quemlibet & audaculum. Hæc porrò dicit, non quòd in præsentibus tātùm eius pollicitatio persistat, verùm quòd post hæc, ipsa etiam futura concedat. Neque enim cùm spiritualia pollicetur, quæ sunt nobis in præsenti vita vllatenus D adimit, nec rursus præsentia repromittens in his tātum promissa confirmat. Et de altero quidem. Quærite (in- Infrà 6. quit) primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. De altero autem. Qui mea Infrà 19. causa quid dimiserit, centuplum accipiet in præsenti sæculo, & in futuro vitam æternam hæreditabit. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* Quod esurientes sitientésque iustitiam prius, quàm misericordes, beatos appellat, ostendit profectò non ex rapina vel ex auaritia, sed ex iustis potissimum laboribus, præstandam esse misericordiam. Nec simpliciter dixit, Qui retinēt, sed qui esuriunt & sitiunt iustitiam, hoc est, qui omni ad illam cupiditate trahuntur. Quia enim auaritiæ proprium est, vt plura semper appetat possidere, quàm vsus postulet, id nos iubet in meliora conuertere, vt scilicet superfluentiam non diligamus. Rursus & hîc sensibile præmium constituit, dicens. *Quoniam ipsi saturabuntur.* Quia enim quàm plurimos auaritia reddere diuites existimatur, contrarium id præstare iustitiam affirmat. *Beati misericordes.* Misericordes beatos dicit, non eos tantum, qui pecuniarum erogatione misericordiam exercent, sed etiam qui rebus ipsis id faciunt. Varij etenim sunt eleemosynarum modi, latúmque omnino mandatum hoc est. Quod nam verò huius præmium virtutis? *Quoniam ipsi* (inquit) *misericordiam consequentur.* Videtur autem retributio quidem æqualis esse, at reuera hæc, illa longè præstantior est. Nam hi profectò tanquam homines miserentur, sed ab vniuersorum Deo misericordiam consequuntur. Porrò nullatenus par est humana miseratio, atque diuina, sed quantum à bonitate malitia, tantùm illa ab ista miseratione seiungitur. *Beati mundo* B *corde.* Mundos corde dicit, vel omnigena virtute prædi- Heb.12. tos, vel in castitate viuentes. Inquit enim Paulus, pacem sectemini cum omnibus & sanctimoniā, sine qua nemo videbit Dominum. Hîc verò spiritale præmium posuit dicens. *Quoniam ipsi Deum videbunt.* visione scilicet, qua homini videre licet. Quia ergo plurimi reperiuntur, qui miserentur quidem, nec aliena diripiunt, nec inhiant auaritiæ, verùm scortantur, ac fœdis conspurcantur amoribus, ostendit priora illa nullatenus sufficere, nisi & ipsa castitas adfuerit. *Beati pacifici*, non eos tātùm beatos dicit, qui nullo in aliquem odio permouentur, miniméque sunt seditiosi, verùm & eos, qui corpus suum aduersus animam, per ventris ingluuiem vel voluptates insurgere non patiuntur, imò verò animi illud virtutibus subiiciunt. Et hîc rursus spiritale præmium apponit. *Quoniam* (inquit) *hi filij Dei vocabuntur.* Quandoquidem id vnigeniti filij Dei fuit opus, dissidentia scilicet copulare, conciliaréque pugnantia. Ne verò putaremus bonam esse vbique pacem, subdidit. C *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*, hoc est propter virtutem ac pietatem, cùm cæterorum quoque hominum se tutores & assertores, impiis opponunt. Iustitiam enim omnem animi Philosophiam appellare consueuit. Rursus & hîc spirituale præmium. *Quoniam illorū est regnum cælorū. Beati estis cùm exprobrauerint vos.* Beatos præterea & eos dicit, qui probra in semet iacta, æquo animo tulerint, quíque fuerint persecutiones passi, & omne malum verbum audierint, siue scilicet impostores, siue plani, siue corruptores appellentur. Veruntamen ne putaremus, quouis modo maledicta audire, id demum nobis beatitudinem parere, duos huiusce rei distinctos apposuit modos, cùm videlicet & propter ipsum audiuntur, & falsa sunt ea, quæ ingeruntur. Quæ duo si minus adsint, non modò non beatus is fuerit, qui hæc audit, sed omnino miserrimus. Quódnam verò præmium? *Quoniam* (inquit) *merces vestra* D *multa est in cœlis.* Licèt præterea in singulis beatitudinibus, regnum non audiamus cœlorum repromitti, nihil tamen animo concidamus. Omnes enim quos hîc beatos dixit, in regnum introducit. Quando enim vel lugentes consolandos, vel misericordes misericordiam consecuturos, vel mundos corde Deum visuros, vel pacificos vocandos asserit Dei filios, nihil sanè aliud per hæc ipsa, quàm cœlorum regnum designat. Quicunque enim horum potiti fuerint, dubio procul consequentur & illud. Iccirco nanque beatitudinem in singulis posuit, ne quid sensibile cogitaremus. Nihil enim quod in præsenti vita dissoluitur, ac fugacius quàm vmbra præteruolat, beatum dici potest. Cùm autem dixisset, quoniam merces vestra multa est in cœlis, aliam quoque consolationem subinfert, dicens. *Sic enim persecuti* A *sunt prophetas, qui fuerunt ante vos.* ac si dicat. Quemadmodum Prophetæ, quanuis nihil præter legem locuti, alij tamen lapidibus impetebantur, alij expellebantur, alij verò innumeris afficiebantur malis, ita & vos licèt bona loquamini, optimarúmque sitis sanctionum latores, eiusmodi proculdubio patiemini. Animaduertendum porrò est, illum in aliis quidem beatitudinibus indefinitè dixisse. Beati pauperes, Beati misericordes, hîc autem non indefinitè, sed ad ipsos prorsus discipulos sermonem conuertisse, cùm ait. Beati estis cùm exprobrauerint vos, & dixerint omne malum verbum, nempe vt hoc, esse maximè ipsorum præcipuum, & vltra cæteros omnes magistrorum proprium ostendat. Neque enim fieri potest, vt qui secundùm virtutem viuūt, æquè ab omnibus bene audiant, imò & probris eos affici, & omne malum verbum audire, & persecutionibus agi omnino necesse est. Quod autem hîc *Propter* B *me*, dicitur, ipsius dignitatem significat atque honorem, qui illi cum Patre communis est. Sicut enim Prophetæ (inquit) propter Patrem illa perpessi sunt, ita & vos propter me similia patiemini. Quare autem dixit, Prophetas qui fuerunt ante vos? Videlicet vt & ipsos quoque Prophetas iam factos esse demonstret. Cuius autem rei gratia magnam asserit fore mercedem illam, quæ pro maledictis tantùm ac probris continget? Quoniam profectò hæc, rebus ipsis longè acrius mordent, atque afficiunt. In ipsis nanque periculis multa sunt, quæ laborem faciunt leuiorem, vt à multis simul laudari, victorémque virûm volitare per ora. In exprobrationibus autem, vel ipsa verborum subtrahitur consolatio. Neque enim magnum quid, aut laude dignum videtur, ingestum æquo animo perferre maledictum. Et multi quidem ad laqueum propterea cucurrerūt, famæ ignominiam non ferentes. Et quid miramur, si hoc ipsum cæteris contingit, quandoquidem & Iob ille, ille inquā adamas, & quouis lapide firmior, cùm immensis spo- C liaretur opibus, grauissimísque malis ac insanabilibus afficeretur, essétque repētè filiis orbatus, quin & corpus suum, ceu fontem vermibus scatere cōspicaretur, vxorémque sibi acrius imminentem pateretur, hæc simul omnia propulit, & euicit. Ac simul atque amicos sibi improperantes ac insultantes vidit, tum verò tumultuatus est, atque turbatus, egregius ille vir atque præclarus. Dauid quoque iis omnibus quæ passus est omissis, tan- 2.Reg.16 tùm pro maledictis Semei vicem quærebat à Deo. Omitte (inquit) eum, vt videat humilitatem meam Deus, & retribuet mihi bona, pro maledictis eius. Propterea igitur mercedem multam pro solis maledictis proposuit Christus. Illud quoque sciendum est, iccirco illum omnium postremum postremam posuisse maledictorum sufferentiam, quòd videlicet sit magnum quid, & vnaquæque beatitudo alia aliam, veluti quædam aurea catena anulos contineat. Nam qui pauper est spiritu, & propria omnino peccata lugebit. Qui verò luget, & D mitis erit, & iustus, & misericors, ex quibus fit etiam mūdus corde. Qui autem talis est, & pacificus sanè erit. Qui verò hæc omnia perfecerit, dubio procul & ad pericula præstò erit, nec malè audiens perturbabitur. Dicens porrò. *Vos estis sal terræ*, vniuersam ostendit naturam humanam esse infatuatam, atque à peccatis conculcatam, Vos igitur (inquit) Discipuli mei, vbi in beatitudinibus superius enumeratas virtutes perfeceritis, date operam, vt & in cęterorū quoque vtilitatem hi boni fontes emanent. Cùm enim quis mitis ac benignus, misericórsque & iustus fuerit, non in se ipse tantummodò hæc rectè facta concludit, verùm & in omnes effundit. Quid igitur? Num hi putrefacta reparārunt? Minimè. Neque enim fieri potest, vt quæ corrupta fuerint, salis inspersione postmodum corrigantur. Neque id faciebant Apostoli, verùm renouata prius, & à grauceolētia illa atque fetore asserta, sicque demum illis tradita, sale condiebant, in ea illa continentes, seruantésque nouitate, quam à Domino nostro susceperāt. Quandoquidem liberare à peccatorum marcedine, Christi solummodo virtutis est opus, at, ne ad illam rursus homines deuoluantur, hoc illorum profectò curæ est atque laboris. Vides quoniam illos modò paulatim ipsis Prophetis meliores ostendit? Non enim magistros eos asserit esse Palæstinæ, sed vniuersi prorsus terrarum orbis. Quódque est omni admiratione dignum, non adulantes, sed veluti sal, reprehensionum mordacitate dissolutos constringentes, sic amabiles effecti sunt vniuersis. Quid verò est. *Si autem sal infatuatus fuerit?* Alij (inquit) ex plebe, si dum virtutem exercere niuntur, cōcidunt, possunt quàm celerrimè per pœnitentiam, veniam cōsequi: at si magister id patiatur, omni prorsus excusatione destitutus, extrema luet supplicia. Ne igitur deseratis (inquit) ardorem, firmitatem, atque constantiam, quæ Sali conuenire probantur. Si enim conuicia metueritis ac persecutiones, despiciemini prorsus, habebiminíque ludibrio, quod sanè est, ab hominibus conculcari. *Vos estis lumen mundi.* Rursus apponens, mundi, non gentis vnius nec viginti ciuitatum, sed totius orbis futuros eos Magistros ostendit. Et quemadmodum sal dixit spirituale, ita & lumen intelligibile dicit, ipsis solis radiis longè præstātius. Siquidem ceu volucres quædam effecti, solari radio vehementius, totius terræ terminos, pietatis vbique lumen spargentes, percurrerunt. *Non potest ciuitas occultari supra montem sita.* Ita orbi terrarum (inquit) manifesti eritis, quemadmodum ciuitas, quæ in montis vertice sita est. Et sicut lucerna in domo super candelabrum relucens. Quibus sanè verbis ad exactam, ac numeris omnibus absolutam vitæ rationem illos instituit, redditque sollicitos, vt qui ante oculos omnium, ac in medio terrarum orbis theatro versentur. Id præterea insignem ipsius potentiam manifestat. Sicut enim (inquit) fieri non potest, vt Solis abscondantur radij, ita nec prędicatio vel taceatur, vel lateat, quinimò vniuersum prorsus orbem comprehēdet. Id quod ipsius certè potentiam insinuat. *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modium, sed super candelabrum, & lucet omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus.* Fiduciam (inquit) atque constantiam à vobis exposco. Ego enim (inquit) lumen quidem accendi, vt autem indeficiens perseueret & ardeat, vestri omnino sit studij atque curæ, non propter vos ipsos tantùm, sed etiam propter eos, qui inde maximum sunt fructum cōsecuturi, vtpote ab ipsa luce ad veritatem quasi manu ducendi. Neque enim solummodo terræ orbis (inquit) vobis rectè viuentibus dirigetur, sed etiam ipse Deus vestra opera glorificabitur. Quemadmodum si contraria gesseritis, non solùm homines perdetis, sed & ipsum Dei nomen blasphemari facietis. Quare autem dixit, *Ne existimetis quod venerim ad destruendam legem aut Prophetas?* Quia nimirum lege veteri sublimiora docturus aduenerat. Vnde & ad omnem prorsus turbam deinceps sermonem conuertit. Et quónam (inquies) modo legem non destruxit, cùm nouas sanxerit leges? Quoniam mandata eius, legis destructio non sunt, sed magis intentio. Siquidem mandati illius, quo dicitur, Non occides, haudquaquàm abrogatio est, iræ interdictio, quinimò adimpletio verior, firmiúsque munimē. Sícque de cæteris omnibus. Quòd autem ipse impleuerit, patet iis verbis, quæ ad Ioannem, vt prædiximus, est locutus. Sic enim (inquit) decet, vt cōpleamus omnem

Universidad de Deusto
Biblioteca

iustitiam. Quomodo verò Prophetas impleuit? Nimirum, quòd vniuersa quæ ab eis de illo dicta fuerant, ipsis operibus confirmauit, sicut Euãgelista subinde ait, Vt impleretur, quod dictum est per Prophetam. Et, quando scilicet natus est, &, quando in eo paruuli hymnum illum admirabilem cecinêre, &, quando super asinam sedit, & in aliis pluribus. Quæ sanè omnia, nisi veniisset, nullatenus impleta fuissent. Illud *Donec præteriat cœlum & terra*, nequaquam simpliciter apposuit, sed vt audientis mentem ad excelsiora perducat, quòd nimirum mundus sit omnis transfigurandus. Iccirco iure optimo aliam introducit disciplinam, tanquam hominum genere ad aliam patriam, ac sublimiorem vitæ apparatum euocato. Illud verò, *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit ex lege, quo ad omnia facta fuerint*, indicat, impossibile esse omnino, vt quippiam ex lege imperfectum remaneat, sed vel minima illius oportere compleri. Id quod ipsemet præstitit, omni legem diligentia perficiens. Dicens porrò, *Quicunque soluerit vnum ex mandatis his minimis, & docuerit sic homines*, non de antiquæ legis mandatis dixit, sed de illis, quæ ipse sancturus erat. Vnde & quod infert, Nisi abundauerit iustitia vestra & cætera, id manifestat. Si enim de veteri illa lege hæc minabatur, qui dicebat, Nisi abundauerit. Eadem enim facere, quæ faciebant illi, haudquaquam erat abundare ratione iustitiæ. Quid autem erat Abundare? nempè non irasci, in mulierem oculis non aspicere impudicis, indigentibus ex suis substantiis super decimas præbere quotannis. Hæc verò ita magna sublimiáque præcepta, minima vocauit, quia sicut seipsum humiliauerat, ita & mediocria de se suisque factionibus, quàm sæpissime loquitur, nos scilicet instruens per hæc, vt mediocritatem vbique seruemus. Dicens autem, *Minimus vocabitur in regno cælorum*, innuit profectò, qui huiusmodi fuerit in gehennam omnino æternúmque supplicium abiturum. Sciendum porrò est, regni illum nomine, non ipsam tantummodò præmiorum dicere fruitionem, sed & ipsum resurrectionis tempus, illúmque aduentum omnibus formidabilem. Scientes igitur rei comminationem, neque vel minimum illius mãdatum ipsi transgrediamur, neque eos qui illa seruare cupiunt, imbecilliores reddamus. Cùm verò subdit, *Quisquis autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum*: Nos docet, debere vnumquemque nostrum, non solùm sibi ipsi, sed & cæteris vtilem esse. Magna etenim ei reposita est merces, qui ad dominica mandata complẽdum seipsum seruarit immobilem, nec minor etiam ei obtinget, qui vnà secum & alterum acquisierit. Quemadmodum enim, docere absque operibus docentem condemnat, vt Apostolus ait, Qui alium doces, Rom. 2. teipsum non doces? ita facere quidem, sed alios nõ prouocare mirum in modum mercedem imminuit. Oportet igitur vtrũque præstare, cúmque seipsum quis prior correxerit, tùm demum erga alios quoque diligentiam adhibere. Propterea enim Dominus opera ante doctrinam posuit, vt ostenderet hunc in modum posse quemlibet, vel maximè progredi ad docendum, aliter autem nullo pacto. Audiet enim illud, Medice cura teipsum. Qui enim cùm se ipsum nequeat, alios docere conatur, quàmplurimos habet sui suggillatores. Dicens autem, *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum*, non de iniquis simpliciter loquitur, sed de iis qui legem seruarent. Nisi enim seruassent, nusquam eos iustitiam habere dixisset, nec eam, quę nõ esset, ei quæ esset, vel ex parte, iustitiam comparasset. Hi etenim qui legem perficiebant Scribæ & Pharisæi, primitias ac decimas offerebant, custodiebant ieiunia, & alia quæ legis sunt, obseruabant, vnde maiore nobis intentione opus est, vt Dei mandata perficiamus. *Audistis quod dictum sit antiquis.* Cur non dixit, audistis me olim dixisse antiquis, quandoquidem is ipse est, qui & illa condiderat, sed quod dictum sit antiquis? Quia nimirum sermo fuisset receptu difficilis, cunctósque auditores offendisset. Rursus si dixisset, Audistis dictum fuisse antiquis à patre meo. Ego autem dico vobis: maioris profectò id visum fuisset temeritatis ac arrogantiæ, iccirco id simpliciter posuit. Dicens autem, Dictũ est antiquis, multum esse temporis indicauit, ex quo huiusmodi susceperе mandatum. Hoc autem fecit, vt detractantem auditorem, ad præcepta conscẽdere celsiora sollicitius extimularet. Ac si magister quispiam, torpenti dicat segnique puerulo, an ignoras quantum iam temporis in syllabarum meditatione contrieris? Tale igitur quid antiquorum nomine & ipse significãs, illos iam ad doctrinam euocat altiorem. Optimè autem illud primùm posuit, *Non occides*, ne ipsam mandatorum seriem confunderet, sed ab eo potissimum initium sumeret, à quo sumpsit & lex, suámque simul ac legis symphoniam ostenderet. Cùm verò ait, *Ego autem dico vobis*, suam ipsius absolutam ostendit potestatem. Nullus enim Prophetarum siue iustorum, siue Patriarcharum hunc in modum locutus est vnquam, sed, Hæc dicit Dominus. Illi nanque verba Domini enunciabant, hic verò Patris ac sua. Mea enim (inquit) tua sunt, & tua mea. Et illi quidem conseruis, hic autem propriis legem seruis ponebat. Illud autem, *Sine causa*, additum est propterea, quòd nequaquam homini liceat, huiusmodi affectibus esse liberum. Nam moderari quidem possibile est, verùm illis absque omnino esse, non item. Vtilis præterea est etiam affectus iste, cùm eo nouerimus opportuno vti tempore. Quemadmodum Paulus aduersus Corinthios iratus ac Galatas, sæua illos malorum peste liberauit, alióque his etiam plures. Quódnam autem opportunum est iræ tempus? Cùm videlicet irati nosmet non vlciscimur, sed peccantes alios conuertimus. Quod verò importunum? Cùm nosipsos vlciscimur de terrenis negociis, ac pereuntibus digladiantes. At contrarium quamplurimi faciunt, qui ob corruptibilia quæque ferociunt, in admonendis autem ac conuertendis peccatoribus dissoluuntur ac frigẽt. Quæ sanè ambo cùm Euangelicis legibus ex aduerso pugnãt. *Racha* porrò non magni alicuius conuicij verbum est, sed magis è contemptu venit. Quemadmodum & nos cùm seruulorum cuipiam imperantes dicimus, abi tu, vel, dic cuidam tu. Sic & qui Syrorum lingua vtuntur, Racha, pro eo quod est, Tu, dicere solẽt. Sed benignus, ac mitis Dominus, vel minima euellit. *Obnoxius erit concilio.* Concilium hoc loco, Iudæorum iudicium vocat, quod ideo nunc posuit, ne vbique noua moliri, ac peregrina docere videatur. *Qui autem dixerit, fatue.* Multis id graue, ac onerosum esse videtur. Si de simplici verbo tãta nobis (inquit) pœna luenda sit. Dicant igitur, quàm ob causam id ipsis videatur onerosum esse mandatum. Num ignorant, quàm multa peccatorum, ac pœnarum genera, à verbis ipsis initium sumant? Blasphemia nanque, & abnegatio, & scommata, & contumeliæ, periuriáque ac falsa testimonia verbis efficiuntur. Nequaquam igitur ipsius verbi nuditatem intueamini, sed quantum periculi contineat, expẽdamus. Nescitis ipso inimicitiarum articulo, succensa ira, animóque æstuante etiam minima videri maxima? Propterea fatuum vocanti fratrem, gehẽnæ ignem est comminatus, quoniam quibus ab irrationabilibus distamus, quibúsve maximè homines sumus, mente videlicet atque prudentia, fratrem spolianti. Conuiciator enim charitatis bonum dilacerat, mille proximum incommodis inuoluens,

uens. Ne igitur exaggerationis cuiusdam putemus ea esse, quæ dicuntur, verùm quæ ex his bona procedunt, intelligentes ipsam mandatorum mansuetudinem admiremur. Nihil enim æquè studet Deus, ac vt nos mutuæ dilectionis nexibus colligemur simul, ac vniamur. Sunt verò nonnulli qui fatuum quidem proximum dicere refugiunt, sed plurimo aliàs dedecore illum afficiunt, hi profectò seipsos longè decipiunt, cùm ob minimum contumeliæ genus, magna contumeliosis supplicia sunt reposita. Notandum verò, hîc primùm dixisse illum gehennæ nomen, cùm prius de regno plura differuisset, ostendens regnum quidem suæ benignitatis esse ac voluntatis, gehennam verò ignauiæ nostræ, atque socordiæ. *Si obtuleris munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, dimitte munus tuum ante altare, & abi prius reconciliari fratri tuo.* Multam hîc ostendit bonitatem suam, ac excellentem in homines amorem, propterea quòd minoris honorem suum, quàm proximi facit dilectionem, declarans nimirum priora se illa, non ex odio quopiam, vel suppliciorum cupiditate, sed ex indulgentia multa, ac mira in nos pietate fuisse comminatum. Interpelletur (inquit) cultus meus, vt tua perseueret dilectio. Quandoquidem & hoc mihi est sacrificium, cum proximo reconciliari. Duo hæc autem, per ista significat, videlicet & quòd multo dignum honore sacrificium, hanc ipsam putet benedictionem, & quòd sine hac, ne illud quidem omnino suscipiat. Ad hæc intolerábilem reconciliationis necessitatem ponit, vt si non ob proximi dilectionem homines, saltem ne oblatum maneat sacrificium imperfectum, ad contristatum reconciliandum, simultatémque dissoluendam accurrant, per hæc omnia declarans, Deum illos, qui mutuis se inuicem odiis infectantur, nullo pacto suscipere. Audiant quicunque preces, vel eleemosynas Deo cum inimicitiis offerunt, vel horrendis nimia quapiam audacia mysteriis communicant. *Esto beneuolus aduersario tuo cito, dum es in via cum illo.* Quidam aduersarium dicunt diabolum, iubereque Christum, nihil nos habere eorum, quæ illius sunt. Hoc enim (aiunt) esse, tunc illi beneuolum, tanquàm sit impossibile ab intolerábili illo supplicio, quod nos, vbi hinc profecti fuerimus, excipit, penitus liberari. Mihi autem de iis qui hîc sunt iudicibus, déque ea, quæ ad iudicium ducit via, ac visibili hoc carcere, dicere videtur. Quia enim superius à futuris quoque illos deterruerat, ab iis etiam, quæ in præsenti vita sunt, timorem incutit. Citò (inquiens) reconciliare, quousque in via cum illo ad iudices proficisceris, & antequam ad Iudicis tribunal statuaris. Quid porrò est? Esto beneuolus: Elige magis iniuria affici. Si verò id tibi magnum videtur, ne omnino mireris. Propterea enim omnes illas posuit beatitudines, quòd & hanc & reliquas id genus legislationes, faciliùs admitteremus. Quid verò est. *Quicunque aspexerit mulierem, ad concupiscendum eam, iam adulterauit eam in corde suo*? Qui videlicet decora quæque corpora curiosius inspicere, formáque præcellentes facies studet aucupari. Non enim ob id tantùm Christus aduenit, quò corpus ipsum à malis redderet actionibus liberum, sed animam priùs ab huiusmodi affectibus vindicaret. Quia verò sancti Spiritus gratiam corde suscipimus, ipsum priùs iure purificat. Quoniam igitur fieri non potest, quin concupiscamus (quandoquidem, & qui in montibus versantur, concupiscunt) non qui simpliciter (inquit) & ingenito more concupiscit, sed qui aspexerit ad concupiscendum, hoc est, qui sibi ipsi concupiscentiam comparat & accendit. Dixerit verò fortasse quispiam. Quid si inspiciam quidem ac concupiscam, cæterùm nihil mali faciam, nunquid ex hoc condemnor? Nouerit qui huiusmodi est se quoque adulteris annumerandum. Quod enim Christus iudex æquissimus ac verus Deus noster lege sanciuit, nihil vltra curiosius oportet inquiri. Nam semel quidem, vel ter, hoc pacto mulierem intuitus, possis fortasse continere, at si frequentius id agas, ac fornacem ipse succendas, procul dubio capieris. Non enim extra humanæ naturæ fines constitisti. Similiter autem, & quæ studiosius ornantur mulieres atque comuntur, tametsi intuentium oculos minimè vulnerant, extrema tamen supplicia luent. Cùm pharmacum quidem miscuerint, ac poculum propinarint, licet nullus qui biberit, sit inuentus. Dicens autem, *Si oculus tuus dexter offendiculo tibi fuerit. Et si dextera tua manus obstiterit tibi.* Non de ipsis hæc loquitur membris. Absit enim hoc. Si enim de membris hæc loqueretur, nusquam de vno diceret oculo; ac de dextero tantùm, sed de ambobus. Qui enim dextero scandalizatur oculo, idem procul dubio & in sinistro patitur. Cuius igitur rei gratia dexterum posuit oculum, & manum dexteram? Nempe vt discamus non hæc illum de membris fuisse locutum, sed de illis, qui nobis afficiuntur. Si quem ita (inquit) dilexeris, vt æquè illum ac dexterum facias oculum, vel, Si quem tibi adeo vtilem duxeris, vt eo dexteræ manus vtaris vice, isque animæ tuæ impedimentum attulerit, abscinde illum abs te, longiúsque ab illo separare. Cùm enim alter alterum non seruetis, imò verò ambo simul pereatis, expedit vel vnum separatione seruari. Cur autem dixit, *Quicunque repudiauerit vxorem suam, det illi libellum diuortij*? Quoniam lege veteri cautum fuerat, vt qui suam quacunque ex causa vxorem odisset, illam eiicere, atque illius in locum, alteram ducere non prohiberetur. Neque verò temerè id fieri Lex mandarat, sed dato priùs vxori repudio, ne vllam posthac ad eum reuertendi potestatem habeat. Nisi enim id Lex præcepisset, sed post alterius nuptias, impunè priorem reducere licuisset, plurima inde foret confusio subsecutura, omnibus videlicet dimissas simul atque receptas persæpe ducentibus ac reducentibus, fuissétque res ipsa adulterium omnino manifestum. Iccirco non paruam admodum consolationem excogitauit, diuortij libellum. Permittebantur autem hæc, ne qui exosam habuisset vxorem, occideret. Eiusmodi nanque erat Iudæorum natio. Qui enim nec filiis parcere, & Prophetas necare consueuerant, multò magis nec vxoribus pepercissent exosis. Hunc igitur morem Dominus noster Iesus Christus euertens, subintulit dicens. *Ego autem dico vobis, quòd quisquis repudiauerit vxorem suam, nisi causa stupri, facit eam mœchari*, mulierem, vel inuitam pudicam reddit, atque ad vniuersos illi aditum claudit, omnem illi præbens timoris occasionem. Dicens porrò. *Et qui dimissam duxerit mœchatur.* Viro ne id efficiat, timorem incutit. Illud autem, *Persolues Domino iuramenta tua*, significat iurandum quidem, sed verum dicendum. Hoc autem antiquis est dictum. Porrò ipse vlterius orationem abducens, quàm sit iurare per Deum. *Neque per cælum* (inquit) *neque per terram, neque per Hierusalem.* Horũ autem non temerè meminit, sed quia Iudæi maximè consueuerint etiam per ista iurare, ostendit tandem qui sit Euangelij mos. Illud verò, *neque per caput tuum*, neminem esse sui ipsius Dominum significat. Tantùm enim ab hac ipsa re (inquit) abes, vt scilicet per Deum tibi iurare liceat, vt neque quod in

Universidad de Deusto
Biblioteca

capite tuo minimũ est omnium, valeas operari. Non enim dixit, non potes capillum producere, sed neque ipsius immutare qualitatem. Quid igitur (inquies) si quis iuramentum exigat, inducátque necessitatem? Sit, inquam, Dei timor omni tibi necessitate valentior. Siquidem enim huiusmodi volueris prætextus obiicere, nihil profectò custodies eorum, quæ iubentur. Nam & de vxore dices, Quid si rixosa fuerit, ac sumptuosa? & de oculo dextero, Quid si eum diligo? & de lasciuo impudicóque prospectũ, Quid si nequeo non aspicere? & de ira in fratrem, Quid si sum immodestus, & linguam continere non valeo? Sicque hoc pacto vniuersa Dei mandata in tuæ ipsius animæ perniciem imperitè calcabis. Quod profectò in humanis nunquam legibus ausus fuisti prætendere. Addidit autem. *Quod autem amplius his est, à malo est*, vt his solummodo acquiescamus verbis, *etiam etiam*, scilicet, & *non non*. Non solùm enim (inquit) peierare prohibeo, sed & omnino iurare, non solùm per Dei nomen, sed neque per quippiam eorum, quæ ab illo condita sunt. Si igitur (inquies) à malo proficiscitur, quicquid his verbis, etiam & non, adiunctum fuerit, cur non prohibebantur antiqui illi iurare? ob eorum videlicet imbecillitatem. Condescẽdens enim eorum infirmitati, lex ista præceperat. Et qui fieri potest (inquies) vt quid, nunc quidem bonum sit, nunc verò non bonum? Profectò id in nostra liquet natura. Nam portari quidem vlnis in prima ætate bonum est, at postmodum valde pernitiosum. Præmansis vesci cibis, in vitæ nostræ primordiis bonum est, ac postea abominatione plenissimum. Similiter autem & lacte nutriri in principio quidem vtile est, postea verò noxium. Dicens præterea, *Oculum pro oculo, & dentem pro dente*, his nos confirmauit, quando superius dixit, Si oculus tuus offendiculo tibi fuerit, erue illum, se non effossionem oculorum præcepisse, sed de iis, qui nobis per amicitiam nocerent, fuisse locutum. Qui enim non permittit, vt illius effodiatur oculus, qui alterius oculum effoderit, quónam pacto, vt quis sibi proprium erueret oculum, imperasset? Veterem igitur legem, & hoc loco in medium proferens, oculum scilicet pro oculo iubentem effodi, ipse sublimius quippiam sancit, ostenditque illum non esse fratrem, qui huiusmodi sit operatus, sed malum illum. Et propterea subintulit, *Ego autem dico vobis ne resistatis malo*. Non dixit fratri, sed malo, profectò insinuans illo, scilicet diabolo exstimulante talia perpetrari. Quid igitur (inquies) non oportet nos malo resistere? Oportet quidem, verùm non hoc modo, vt malum pro malo reddamus, sed eo vt nos ipsos ad omne iniuriarum genus perpetiendum paratos exhibeamus. Hoc etenim pacto malum illum superábimus. Nusquam enim ignis extinguitur igne, sed aqua. *Sed quisquis impegerit alapam in dextram tuam maxillam, obuerte illi & alteram*. Non de hac solummodo cæde hîc legem ponit, huiusce solius iniuriæ patientiam imperans, verùm & in omnibus aliis ad malorum tolerantiam nos instituens, ista locutus est. Quemadmodum enim cùm dicit, Qui fratrem suum fatuum vocat, reus erit gehennæ ignis, non de hoc solo verbo dicit, sed de omni prorsus in fratrem conuicio, hunc in modum facit & hîc. Non enim vt solummodo palmis cæsi, generosè feramus imperat, sed etiam vt grauia quæque nobis illata æquo animo ferentes nullatenus perturbemur. Neque verò in plagis tantùm, sed & in pecuniis, cæteráque substantia, huiusmodi nos vult præstare patientiam. Nec tamen simpliciter, sed cum additamento id posuit, non enim dixit. Da obuio cuipiam te petenti vestimentum, sed, *Et qui vult tecum iudicari*. hoc est, si te in ius trahat, & negocia tibi iudicialia præbeat. Non solùm autem quæ velit accipere, cõcedi mandauit, sed & maiorem ostẽdit liberalitatem. Nullus porrò dicat fore, vt is qui huiusmodi mandatis pareat, circumeat nudus. Quinimò qui eis paruerint, abundantiore præ cæteris omnibus cultu circundarentur. Nam primò quidem nullus in ita affectos irrueret, deinde si foret quispiam tam agrestis atque immitis, vt ad hoc vsque procederet, multò tamẽ plures illi essent, qui hunc in modum philosophantem non medò vestibus, sed ipsa sua (si fieri posset) carne contegerent. Si verò necesse esset ob philosophiam, vel nudum incedere, nec sic quidem esset pudendum. Non enim hoc modo nudari malum est, sed eo indui, quo plurimi nunc consueuere, id demum est malum, qui preciosis obuoluti procedunt. Id inquam profectò & turpissimum est, & ridiculosissimum. Iccirco & illos quidem laudauit Deus, hoc autem per Prophetas atque Apostolos persæpe redarguit. Nullus ergo præcepta hæc esse putet impossibilia, cùm profectò, & valde nobis vtilia, faciliáque, si vigilemus, existant. Post elargitam verò tunicam, palliúmque dimissum, ipso etiam corpore vult ad labores vtamur. *Et qui te* (inquit) *adegerit ad milliarium vnum, vade cum eo, duo*, iniustúmque illius desiderium exsupera atque transcende. Adigere porrò est, iniustè aliquem & violenter impellere. *Petenti abs te da, & volentem à te mutuum accipere, ne auerseris*. Iubet porrò etiam hæc. Quæ quidem iis, quæ superius dixit, minora existunt, sed nihil mireris, ita enim facere consueuit, magnis semper minora permiscens, Mutuum verò hîc, non fœnus dicit vsurarium, sed simplicem commodatæ rei vsum. Alibi autem, & id ipsum auget, illis asserens esse tribuendum, à quibus nihil nos speramus esse recepturum. *Ego autem dico vobis. Diligite inimicos vestros*. Summam bonorum coronidem vltimam posuit, inimicos videlicet diligendũ, orandúmque pro iis, qui nos lædunt ac insectantur, ac bene precandum deuouentibus nos iisque benefaciẽdum, qui nos odio prosequuntur. Quod supremum Philosophiæ culmen est, propterεáque & egregium habet præmium æque clarum, eiusmodique mercedem, qualem priorum omnino mandatorum nullum. Non enim hîc terræ facit mentionem, quemadmodum in mitibus, nec consolationis ac misericordiæ, sicut in lugentibus, atque misericordibus, nec item regni cœlorum, sed quod omnium erat longè sublimius, fieri scilicet Deo similes, pro vt hominibus fieri par est. *Vt sitis* (inquit) *similes patri vestro, qui est in cœlis. Quia solem suum exoriri facit super malos ac bonos, Et pluit super iustos & iniustos*. Siquidem ille (inquit) non modò non odio, sed beneficiis conuiciatores prosequitur. Atqui hoc ipsum æquis nequaquam lancibus appenditur, non solùm ob beneficij excellentiam, verùm etiam ob amplitudinem dignitatis. Cur autem neque in superioribus patrem suum vocat? Nimirum quòd hac de re sermones in tempus differat opportunius. Volens autem mentes nostras ad sublimiora rursus erigere. *Si dilexeritis* (inquit) *eos qui diligũt vos, quam mercedem habetis*? Qui enim id solùm præstiterit, in publicanorum sorte numerabitur. *Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis*? Qui tantùm amicos salutauerit, inter ethnicos reputabitur. Quánam ergo venia digni erimus, qui cùm ad ipsius Dei similitudinem nos instituere iubeamur, (*Eritis* enim, inquit, *vos perfecti sicut pater vester cælestis*,) nec publicanis fortè quidem inuenimur æquales? Si enim diligentes diligere publicanorum est, & peccatorum, atque Gentilium, cùm ne id quidem præstemus, (non enim cum

fœlicibus fratrum nostrorum actibus inuidemus, id omnino præstamus) quæ non supplicia sustinebimus, qui ipsis etiam sumus Gentilibus inferiores? Quomodo autem (dic obsecro) regnum cœlorum videbimus? Quomodo sacrum illud vestibulũ ingrediemur? Quæ igitur dicta sunt mente voluentes, tam erga amicos, quàm etiam inimicos, charitatem plurimam ostendamus, ridiculúmque morem illum abiiciamus procul, quo nonnulli, vt priores ab inimicis salutentur, expectant. Quin potius, quod plurimam habet beatitudinem, ostendamus, priores ipsi salutantes inimicos, & in amicitiam reuocantes.

Caput VI.

Postquam ea locutus est quæ possunt ad aliquid eorum, quæ necessaria pariter atque vtilia sunt præstandum, audientiũ animos persuadere, tum demum de inanis gloriæ affectu, qui cæteris omnibus latius dominatur, verba facit. Nisi enim prius quid facto foret opus indicasset, nullatenus quónam id modo congruè fieri deberet, edocuisset. Propterea nec simpliciter ait. *Attendite ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus*, sed & illud adiunxit, *vt videamini ab illis*. Potest enim quis & coram hominibus præstare eleemosynam, nec tamen iccirco præstare, vt spectetur ab illis. Ideóque mentem solam, aut punit aut coronat Deus. Nisi enim hæc fuisset adhibita diligentia, quàm plurimos id profectò pigriores ad eleemosynam reddidisset, quòd non æquè omnibus semper eam occultè præstare liceat. Vnde ab hac nos necessitate asserẽs, facientis proposito atque delectui, & mercedem decernit & damnum. Ne enim diceres, Cur ego detrimentum patiar, si quod facio, alter respexerit? Non hoc (inquit) requiro, sed tuæ mentis scopum, miserendíque modum attendo. Reformare enim cupit animam Deus, atque omni prorsus ægritudine liberare. Postquam igitur, ne ad ostentationem eleemosyna præstetur, interdixit, damnum quoque inde prouenions edocet, nempe, frustra id omnino ac temere fieri. *Non habetis, enim*, inquit, *mercedem apud patrem vestrum, qui est in cœlis*. Quibus etiam verbis eorum excitat sensus, dum Patris ac cœli facit mentionem, eius à quo & geniti sunt recordatione deterrens. Ait porrò. *Ne tuba canatur ante te, sicut hypocritæ faciunt*. Non, quòd illi tubas habeant, sed illorum plurimam volens insaniam demonstrare, huiusmodi translatione verborum illos suggillat, cordiúmque secreta denudat. Bene autem illos hypocritas appellat, quòd ipsorum quidem facies misericordiam præ se ferret, at mens crudelitatis, inhumanitatisque domicilium esset. Non enim vt proximorum misererẽtur, iccirco eleemosynas præstabant, sed vt ipsi inani illa gloriola fruerentur. Quod profectò extremæ crudelitatis erat, aliis scilicet fame pereuntibus, gloriam aucupari, nec proximorum, auræ popularis ambitione, calamitatem soluere. Non igitur quæritur, vt eleemosyna omnino præstetur, verùm vt quemadmodum oportet, præstetur, idque demum præstasse est, cùm hoc modo præstatur. Quónã? En rursus ostendit, dicens, *Nesciat sinistra tua quid facit dextera tua*. Hîc item non manus ipsas innuit, sed hiperbolycè id dixit. Si (inquit) fieri potest, vt te ipsum quoque lateat, quod facis, omni studio annitere. Nec (vt quidam dicunt,) malos tantum homines id est celandum, cùm hîc prorsus vniuersos celari iubeat. Apponit præterea & ingens præmium, *Et pater tuus*, inquit, *qui videt in occulto, reddet tibi in propatulo*. Nullius enim opus siue magnum illud sit, siue paruum, omnino Deum latebit, tametsi ad præsens homines latere videtur, cùm vbique sit præsens Deus. Nec ad hanc vsque vitam solùm opera nostra subsistunt, imò verò terribile nos hinc migrantes iudicium excipiet, singulorúmque actuum fient examina, ac pro his demũ vel gloria vel supplicia rependentur. Quod si cupis (inquit) aliquos habere bonorum à te gestorum operum spectatores, ecce habes non Angelos, neque Archangelos, sed ipsum vniuersorum Deum. Si & homines spectatores concupiscis, neque hac ipsa, qua tantùm ardes cupiditate, suo te Deus tempore frustrabitur. Nam in futuro te sæculo Deus, toto prorsus terrarum orbe præsente prædicabit. Si igitur maximé cupis, vt tua benefacta sciant homines, ea illis in præsenti abscondito, vt maiore honoris tui cumulo, tunc ea omnes simul ipso Deo prodente, atque apud omnes diuulgante conspiciant. Qui enim in præsenti te viderint, tanquam inanis gloriæ cupidum nusquam non arguent, at postea cùm te coronatum intuebuntur, non modò non arguent, verùm etiam vniuersi admirabuntur. Ad hæc quo pacto sit orandum, nos edocens, totius creaturæ visibilis pariter atque inuisibilis Dominus Iesus Christus, ac Deus noster, *Et cum oraueris* inquit, *non eris quemadmodum hypocritæ*. Decenter admodum id genus homines hypocritas appellat, qui Deum se orare simulantes, homines circunspectant, non orantium, sed ridiculosorum hominum personam induti. Qui enim ad supplicandum accedit, cæteris omissis omnibus, vnum illum attendere debet, qui quod petitur, præstandi potestatem habet. Si verò hunc ipsum posthabens, oculos vbique circunferas, vacuis profectò manibus ab oratione recedes. Id enim ipse voluisti. Non dixit autem non recipiẽt mercedem, sed *habent mercedem suam*, hoc est recipient quidem, sed à quibus ipsimet concupiscunt. Nec enim id est Dei voluntatis, qui quidem, eam quæ ab ipso est retributionem, volebat rependere, verùm illi eam, quæ ab hominibus proficiscitur, insectantes, nequaquam digni iam esse possunt, qui ab illo mercedem, accipere mereantur. *Vis* (inquit) ab ipso Deo mercedem accipere? *Ingredere in cubiculum tuum, & occluso ostio tuo, ora patrem tuum in abscondito*. Quid ergo? In Ecclesia (inquies) orare non oportet? Et maximè quidem, sed recto animo, affectúque syncero. Vbique enim Deus actionum tuarum scopum attendit. Alioqui si conclaue tuum ingressus fueris, ipsúmque obseraueris, idque ad ostentationem tui feceris, quò scilicet corpore latens, ipsa te voce omnibus manifestum facias, nihil tibi occlusæ fores vtilitatis præstiterunt, cùm vilissimè admodum clamites, & temet voce ridiculosissimum efficias. Verùm mentis ipsius ianuas obserare oportet, atque omni cum moderatione, ac contritione mentis, intimísque lachrimis preces nostras effundere. Qui enim sic orauerit, copiosam à summo Deo mercedem accipiet. Vnde ait, *Et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi in manifesto*. Non dixit, largietur tibi, sed quod multo maius est, seipsum nobis debitorem constituit, & maximo cũ honore reddet, in manifesto tibi mercedẽ rependens. Quid est autẽ quod dicit, *Orantes autem ne sitis battologi*? Battologiam hîc, verborũ inanitatem, ac nugas appellauit, veluti cùm ea, quæ non expediunt, à Deo postulamus. Cuiusmodi sunt potentatus, gloria, diuitiæ, voluptates, ac de inimicis victoriæ, & ea prorsus quæ nihil ad animarum nostrarum salutem spectare probãtur. Et cuiusnam (inquies) rei gratia, si nouit ipse quibus rebus opus sit nobis, quemadmodum ipse ait,

Universidad de Deusto Biblioteca

Scit enim pater vester quibus indigetis, antequam petatis illū, A orare nos oportet? Vt profectò aduocatione ipsa in nostri misericordiam Deum inflectamus, vt peccatorum nostrorum memoriam refricantes, humiliemur, vt demum ipsa interpellationis assiduitate familiares illi efficiamur. Oportet enim nos persistere, sedulóq; orationibus ac deprecationibus incumbere, quemad- Luc.18. modum & ipse illius viduæ exemplo nos docuit, quæ immitem crudelémque Iudicem sedulitate interpellationis inflexit, Ac rursus amici illius, qui intempesta nocte amicum accessit, cúmque iam dormientem è lectulo, non tam familiaritate quàm assiduitate suscitauit. Docens ergo nos quónam modo sit nobis orandum, statim mentem nostram eleuat, & abducit à terra, ipsámque cœlis affigit, ita nobis dicendum præcipiens. *Pater noster, qui es in cœlis.* Qui enim Deum vocat patrem, eiusmodi conuersationis meritum præstare fas est, vt hac nullatenus cognatione indignus appareat. Instruit porrò nos & communem pro fratribus B orationem facere, non enim dixit, Pater mi, sed, Pater noster, præcipiens videlicet vt pro vniuerso ipsius Ecclesiæ corpore preces effundamus, nullúsque sua ipsius, sed quæ proximorum sunt, vbique consideret, vt nullus alio quid amplius possideat, nec diues paupere, nec dominus seruo, nec Princeps subdito, nec rex milite, nec philosophus barbaro, nec sapiens imperito. Omnibus enim æquè vnam gratificatus est nobilitatem, omnium æquè Pater appellari dignatus. Dicens autem. Qui es in cœlis, nō ibi Deum circumscripsit, sed his vtitur verbis, quo à terris orantem abducat, sublimioribúsque eum regionibus ac superis mansionibus affigat. *Sanctificetur nomen tuum*, hoc est, glorificetur per nostram vitam. Dignare (inquit) ita nos munda conuersatione pollere, vt per nos à cunctis meritò possis glorificari. *Adueniat regnum tuum.* hoc sanè significat, non esse his animum visibilibus affigēdum, nec magnum quid esse ducenda, quæ videntur, C verùm opus esse ad Patrem iugiter festinare, futuráque semper appetere, corporis nostri (vt ait Aposto- Rom.8. lus) redemptionem præstolantes. Qui enim huiusmodi feruet amore, neque huius vitæ commodis inflari, neque aduersis vnquam deprimi potest, sed tanquam ipsos iam cælos inhabitans, ab vtriúsque huius inæqualitatis vinculo liber existit. *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra.* Quod dicit tale est. Quemadmodum ibi omnia (inquit) citra tuæ voluntatis impedimentum fiunt, & non alia quidem succedunt, alia verò minus, sed cedunt singula atque obediunt, ita & nos effice, qui non ex parte, sed prorsus omnia pro tua voluntate per te geramus. Quandoquidē nō nostri tātummodo studij, virtutis est operatio, verùm etiam supernæ gratiæ abs te nobis collatæ. Non dixit autem, Fiat voluntas tua in me, vel in nobis, sed prorsus vbique terrarum, vt destructis scilicet cunctis erroribus, veritas inseratur, explosáque omni malitia, redeat virtus, ni- D hílque hac in re deinceps homo distet à terra, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* ἐπιούσιον, quotidianum dicit. Intuendum verò est, quomodo corporeis etiam rebus plurimum spirituale admisceat. Non enim pro diuitis, non pro delitiis, non pro luxu, vel aliqua huiusmodi re, sed pro pane solummodo nos iussit orare. Et pro pane inquam quotidiano, ne in diem simus crastinum solliciti, néve pro aliis rebus posteræ diei cura nos ipsos conteramus. Cuius enim diei spatium visurum te nescis, qua ratione illius sollicitudine tangaris? Id quod consequenter prolixioribus imperauit verbis, dicens, Ne solliciti sitis in crastinum. Vult enim nos ipse Deus vndique esse succinctos atque expeditos, & quibusdam veluti pennis instructos, tantúmque duntaxat petere quantum à nobis ipsius necessitatis vsus exposcit. Quod autem sequitur. *Dimitte nobis debita nostra, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, excellentiam quandam atque excessum præ se fert humanitatis, quòd etiam post baptismum peccantibus rursus dignatur ignoscere. Nō enim post lauacrum regenerationis, pœnitentiæ sublatum est lucrum. Propterea autem huiusmodi supplicationis modum introduxit, tum vt peccatorum nostrorum memoriam retinentes, de nobis modesta sentiamus, tùm etiam vt & cæteris in nos peccantibus veniam dantes, iniuriarum omnium recordatione liberemur. Quemadmodum enim (inquit) ipse tibi iudicaueris, ita & ego iudicabo tibi. Si enim conseruo dimiseris, eandem & ipse à me gratiam consequeris. Et reuera nequaquam hæc sunt æqualia. Nā tu quidem dimittis, ipse dimissione indigens, Deus autem nullius habet indigentiam. Tu conseruo dimittis, Deus seruo. Et tu quidem, mille criminibus obnoxius. Deus autē, nulla valens pollui labe peccati. Attamen vel sic, suæ benignitatis abundantiam ostendit. Illud autem, *Et ne nos inducas in tentationem, Sed libera nos à malo*, nostræ nos vtilitatis manifestè admonet, animíque nostri supprimit excandescentiam. Docet præterea ne certamina deprecemur, néve rursus in ea temerè insiliamus. Sic enim & victoria nobis clarior cedet, & diaboli casus erit ridiculosior, vbi & nullam inanis gloriæ auiditatem & animi generositatem ei ostenderimus. Malum porrò hîc, diabolum appellat, docens perpetuum nos ac irreconciliabile cum eo bellum habere, atque ostendens illum non esse talem natura. Quandoquidem non à natura malitia prouenit, sed ab iis quæ ex delectu propriæ voluntatis fiunt. Ad hæc nos erudit, ne vnquam erga proximos amaro acerbóque animo simus, ob ea quibus illi nos afficiant mala, verùm ab his, in malum illum, ceu malorum omnium Lernam, simultatē transferamus. Dicens autem. *Quoniā tuū est regnū & potentia & gloria in sæcula. Amen.* nos admonet, vt expendamus, quis nam is sit, qui nostri dominatur. Qui nempe cæteris omnibus est potentior, nihílque nobis præterea esse formidādum, cū is qui contra nos pugnat, sit illi subiectus, licèt, ipso interim permittēte, repugnare videatur. Nam & ille è seruorum & quidē cōtemptorum, ac reproborum numero, vnus est. *Etenim si remiseritis hominibus delicta sua, remittet etiam vobis pater vester cœlestis.* Rursus per hæc verba deterrere vult auditorē, Patrem ac cœlos in medium adducens. Neque enim dignum fuerit, vt tanti patris filius, atque ad cœlum euocatus, vel in fratrē ferociat, vel terrenum quid aut temporale sentiat, imò verò tanta id exposcit dignatio, vt quàm citissimè in se peccātibus reconcilietur, & iracūdiæ erga proximum, nullum in seipso vestigium derelinquat. Qui verò id negligit, imò & de inimicis à Deo vindictam efflagitat, nec dici possit, quanto sit supplicio dignus. *Porrò cum ieiunaueritis* (inquit) *ne sitis sicut hypocritæ, tetrici.* Neque enim solūmodo ostentatio nobis vitanda est, verùm etiam nihil nō facere præcipimur, vt lateamus. Illud autem. *Obscurant enim facies suas*, significat corrumpunt, delent, atque ad pallorem obnubilant. Quod si faciem corrumpere, id est, vt quis ad inanem gloriā pallidus, ac luteus videatur, quid de illis dicendum est mulierculis, quæ fricationibus sibi atque fucis, facies demoliuntur? Nam illi quidem semetipsos tantùm, hæ verò tum seipsas, tum inspectores offendunt. Quapropter vtrámque nos pestem multo cum studio oportet effugere. Cur autē de eleemosyna quidē verba faciens, cùm dixisset, Attēdi-

te ne

te ne ipsam coram hominibus præstetis, addidit, vt A spectemini ab eis, de ieiunio autem & oratione, nihil tale constituit? Quia videlicet impossibile prorsus est, vt eleemosyna omnes lateat, at non item oratio atque ieiunium. *Tu verò cùm ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua.* Non vt omnino vngamur, id imperauit. Siquidem omnes hanc præuaricari legem inueniremur, atque illi ipsi præ cæteris, qui illam potissimum seruare student multitudines scilicet monachorum innumeræ. Non hoc itaque præcepit, sed quoniam mos fuit antiquis continuè vngi, cùm quid illis læticiæ gaudiíve contigisset. Id quod & in Dauide & in Daniele manifestè perspici potest, propterea dixit, Vnge, non vt omnino id faciamus, sed vt semper adnitamur, omni cum diligentia huiusmodi possessionem occulere. Neque enim ipse cum ieiunasset quadraginta dies, vnquā vel vnxit caput, vel faciem lauit. Hypocrita autem is est, qui aliam pro alia figuram induit. Veluti si pauper quispiā, principis sibi personam asciscat, tandiu B clarus apparens, quandiu theatrum assidet. Ego quidem igitur (inquit) nolo te talem exhibeas, quoniam id quidem à laude, quæ ex me proficiscitur, omnino disiungit, sicut & connectit, ista despicere. Postquàm verò inanis gloriæ morbum fugauit, opportunè iam de paupertate sermonem introducit, dicens. *Ne thesaurizetis vobis thesauros super terram.* Nihil enim sic diuitiarum amorem operatur, vt gloriæ cupiditas. Et superius quidem misericordem solummodo esse oportere dicebat, hic autem quatenus esse oporteat ostendit, dicens, Ne thesaurizetis. Porrò & terreni huius thesauri iacturam, qui ab ærugine ac tinea corrumpitur, perfoditurque à furibus, & cœlestis illius thesauri, qui tutissimus manet, vtilitatem exponit. *Vbi enim est thesaurus vester, ibi erit & cor vestrum.* Siquidem inferioribus (inquit) hisce rebus affixus fueris, non paruo quidem afficieris detrimento, qui seruus è libero sis effectus, mentéque pecuniis affixa è cœlo decideris. Et quem- C admodum canis quispiam ad sepulchrum, quauis catena difficilius, ad pecuniarum tyrannidem reuinctus, contráque accedentes oblatrans, vnum atque idem opus continuè peragis, vt scilicet aliis recondita tuearis immunia. Quòd si id omiseris, potiúsque supernis mentem tuam regionibus adiunxeris, magnum tibi omnino integrúmque cum incremento lucrum obtinget. Cum verò ait, *Lucerna corporis est oculus*, idem esse indicat oculum corpori, quod intellectus est animæ. Quemadmodum enim (inquit) intextis auro vestibus amiciri, oculis verò esse orbatum, nequaquam eligeres, imò verò illorum sanitatem, cunctis opibus desiderabiliorem existimas, ita & mentis cęcitatem fugito, tanquam innumeris vitam tuam malis explentem, nec vllo modo illam excæcari patiare, quæ etiam aliis lumen præbere debet. Qui enim mentis suæ oculum obscurarit, omnes illius in hac vita obturbauerit actiones. *Si igitur* (inquit) *lumen quod in te est, tenebræ sunt, tene-* D *bræ ipsæ quantæ?* Cum enim lucerna fuerit extincta, quæ iam spes erit vltra? Vel quid auratos prodest procedere milites, si dux ipse captiuus abducitur? Sic igitur & qui mentem labefacit ac vitiat, qua valet affectus omnes soluere, diuitiarum cupiditate cæcatus, seipsum quàm maximè læserit. *Nemo potest duobus dominis seruire.* Duos qui contraria iubeant, dicit, nisi enim hoc esset, neque duo essent. Qui enim concordes sunt, ac eadem sentiunt, tametsi multi sunt numero, vnum tamen sunt. Siquidem & credentium in Christum multitudinis (inquit) erat cor vnum & anima vna. Non solùm autem non seruiet quis duobus dominis, sed & aduersabitur, & odio prosequetur. *Aut enim* (inquit) *vnum odio habebit, & alterum diliget: aut huic adhærebit, & alterum contemnet.* Cùm dixisset ergo indefinitè duos dominos, vt persuaderet interim auditori, vt eorum quæ dicebantur, incorruptum se iudicem præstaret, intulit. *Non potestis Deo seruire & mammonæ.* Horrescamus considerantes, quid nam Christum dicere fecerimus. Cum Deo nanque aurum æquè constituit. Si autem hoc horribile, qui non horribilius, fieri eiusmodi per opera, ac diuino timori præferre, antiquiorémque habere auri tyrannidem? Quomodo igitur (inquies) Abraham, quomodo Iob probi habiti sunt, cùm tantis opibus abundarent? Quoniam scilicet non simpliciter diuites erant, neque mammonæ seruiebant, imò verò ipsis imperitabant, simul & dominabantur, & tanquam alienarum dispensatores opum, sic ea omnia possidebant. Nec solùm aliena non rapiebant, verùm etiam sua indigentibus partiebantur. Nemo igitur excuset excusationes in peccatis, dicens, posse simul Deo pecuniísque seruiri, Iesu Christo domino nostro ac vero Deo denunciante, non posse id omnino fieri, vt vtraque hæc seruitus simul esse possit. Cùm ergo his omnibus ostendisset, quàm pecuniarum contemptus maximè conduceret, intulit. *Quamobrem dico vobis.* Quam nam? ob eius rei indicibile detrimentum. Nam id vos à Deo excludit, qui creauit vos diligítque, ac sedulò curat. *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid esuri sitis, aut bibituri.* Id dixit non quòd anima cibis indigeat, cùm sit incorporea, sed communi hominum more locutus est. Licèt enim ipsa cibo opus non habeat, nullo tamen pacto diu posset in corpore permanere, ni id cibis reficeretur. Ne verò quidam dicerent. Quid igitur si vniuersa pauperibus largiamur, quomodo viuere poterimus? Huic deinceps obiectioni, quam oportunè occurrit dicens. *Nónne anima pluris est quàm cibus, & corpus quàm indumentum?* Quod dicit tale est. Qui quod maius est, dedit, quónam pacto quod minus est, non præbebit? Qui finxit carnem, quæ cibis alitur ac vestibus operitur, quomodo non ipsa etiam alimenta præstabit, & vestes? Neque enim cibus (inquit) dat incrementum corpori, sed Dei prouidentia. Propterea & subdit, dicens. *Quis autem ex vobis solicitus potest addere ad staturam suam cubitum vnum? Aspicite ad volatilia cæli.* Decenter admodum de volatilibus meminit, & maxima cum illatione confusionis, id quod in ratione adhortationis potissimum est, plurimúmque habet virium, illa asserens absque vlla ciborum solicitudine pasci. Quod si velimus, & nos quam facillimè possumus efficere. Id quod ostenderunt, qui id ipsum operibus comprobarunt. Moyses, Helias, atque Ioannes, hísque similes alij quàm plures, qui nulla vnquam cibi solicitudine tacti fuêre. Si igitur de volatilibus, quæ nostri ipsorum gratia creauit Deus, tantam sedulo prouidentiam gerit, nónne multo magis de nobis geret? Cur autem non dixit. Non cauponantur, nec mercatoriam exercent, sed, *Non serunt, neque metunt?* Quia nimirum cauponari, ac mercatoriam exercere, maximè prohibitum est. Quid ergo? Non opus est (inquies) seminare? Non dixit omnino satione opus non esse, nec oportere quemlibet otiari, verùm non oportere pusillanimum esse, ac curis, solicitudinibúsque distendi, quinimò vniuersa ab ipso Deo quærenda. Id enim & Apostoli, & illa quinque ac tria postmodum credentium millia, pro vt in actis legitur, Act.4. proiectis omnibus effecerunt. Si autem tot tantáq; audiens, non adhuc grauissimis te solicitudinum vinculis liberare audes, illud etiam certò scias, quantislibet solicitudinibus ac distentionibus angaris, nec corpori tuo parum quid te addere, nec inde fructum aliquē vsúmve

Universidad de Deusto
Biblioteca

capere posse, ni Dei prouidentia vniuersa perficiat. Quę si nos deserat, non solicitudo vlla, non cura, non labos, non aliud quippiam huiusmodi vllo modo iuuare nos poterunt. Postquam autem de necessario corporis alimento verba fecit, ostenditque nullam nos oportere pro eo ipso solicitudinem gerere, iam ad id quod est leuius, se conuertit. Neque enim ita necessarium est indumentum, vt cibus, idque ab ipsis ostendit liliis. *Considerate*, inquit, *lilia agri quomodo crescant*. Nam gramen (inquit) agri cum sint, plurimúmq; habeant vilitatis, vt quæ mittantur in clibanum, eiusmodi tamen, quę videmus, ornatum retinent, atq; decorę: nónne multo magis hominem Deus vestiet, animal profectò à se multo honore ac fauore dignatum, cui animam dedit, corpúsq; formauit, propter quem visibilia cuncta creauit, innumeráq; operatus est bona? *Non laborant neque nent*, ideo subdidit, vt nos à laboribus vindicaret. Non enim de his non curare, labor est, sed curare profectò est labor. Et quemadmodum de volatilibus differens, cum non serunt, inquit, haudquaquā sationem, sed curam interdixit, ita & de liliis loquęs, neque nent, dicendo, non opus omnino sed solicitudinem sustulit. Quòd si Salomon florum decore superatus est, & non semel si Salomon florum decore superatus est, & non semel neque bis, sed toto prorsus regni sui tempore (id enim significat, *In omni gloria sua*,) quando tu eiusmodi poteris pulchritudinem superare, vel ei vlla ex parte fieri proximus? Hinc præterea nos instruit, ne vestium ornatum ambiamus. Si igitur inquit gramini (hoc est liliis) quod nulla vnquam necessitate tangitur, tantam Deus pulchritudinem indulsit, quónam modo tibi necessitate presso, non consulet ac largietur? Si quod rebus omnibus est vilius, gramen inquam, tam copiosè ornauit, idque non ad vsum aliquem, sed ad suam ipsius tantùm magnificentiam detegendam, multo magis te omnibus certè honoratiorem iis, quæ ad vitæ tuæ vsum pertinent, dignum ducet. Propterea & illos obiurgans dicit. *Quòd si gramen agri Deus sic vestit, an non multo magis vobis id faciet parum fidentes? Ne igitur soliciti sitis, dicentes quid edemus, aut quid bibemus, aut quibus operiemur. Nam omnia ista Gentes exquirunt.* Si autem tenuioribus necessariisque rebus solicitos esse non oportet, qua nam digni venia fuerint, qui de preciosis, sumptuosisque, ac iis, quæ ad copiam, non ad necessitatem spectant, anxij existunt, atque in ethnicorum vilitate persistunt, illorum pusillanimitatem æmulantes? Cuius autem rei gratia dixit. *Scit enim pater vester cæleſtis, quod his omnibus opus habetis*, & non dixit. Scit enim Deus? vt eos scilicet in maiorem erigeret spem. Si enim pater est, & talis pater, tales nequaquam filios in extremis malis constitutos aspernabitur. Quandoquidem nec hominum quispiam, qui pater sit, id vnquam facit. Dicens autem, *Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adicientur vobis*, docet nos ne præsentia postulemus, sed futura tantùm, illísque hæc protinus apponenda confidamus, ac solam ineffabilium illorum geramus bonorum solicitudinem. Non enim propterea conditi sumus, vt manducemus, & bibamus, ac vestibus contegamur, sed vt Deo placeamus, futuráque bona assequamur. Ideo nec dixit, dabūtur vobis præsentia, sed vnà cum futuris, & præsentia vobis adiicientur. Quod si quis dicat, Quomodo ergo panem me petere præcepit? Is profectò norit. Quotidianum, apposuisse, addidisseque etiam, Hodie, quemadmodum & hîc facit. Non enim dixit, Ne sitis soliciti, solummodo, sed addidit *in crastinum. Sufficit enim diei sua malitia*. hoc est miseria afflictióque. An non tibi (inquit) sat est, in sudore vultus tui vesci pane tuo, quòd alium addis curarum laborem? Neque verò malitiam hîc A vitiositatem dixit, absit enim, quemadmodum nec cùm ait. Ego (inquit) faciens pacem, & creans mala, vitiositatem dicit, sed pestes ac fames, quæ à plerisque mala putantur. Et rursus, Non est malitia in ciuitate, quam Dominus non fecerit. Non rapinam dicit, neque auaritiam, nec aliud quid eiusmodi, sed eas profectò plagas, quæ cœlitus inferuntur. Esa. 45. Amos 3.

CAPVT VII.

QVID porrò est, *Nolite iudicare ne iudicemini?* Ne qui infinitis scilicet referti sunt flagitiis, pro paruis quibusdam delictis, insultent cæteris. Ideóque subdidit. *Cur autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ est in oculo tuo non animaduertis?* Id quod quàm plurimi nunc faciunt, qui si monachum viderint superfluum habere vestimentum, legem illi continuo Dominicam obiiciunt, cùm infinita ipsi vestimentorum genera possideant. Si largiore illum abundantioréque vti cibo conspexerint, amarulenti fiunt accusatores, cum ipsi quotidie temulenti, distentis crapula ventribus obambulent, ignorantes se vnà cum propriis delictis maius sibi incendium arcessere. *Quo enim iudicio*, (inquit) *iudicatis, iudicabimini*. Non enim illum (inquit) condemnas, sed teipsum, terribiléque tibi iudicium, ac exactissimam constituis vltionem. Qui enim emendandi animo quempiam increpat atque obiurgat, vbi illum sæpissimè admonuerit, valde est omnino probandus. Quandoquidem peccantes castigare opus est ac redarguere, vt debet dominus seruum, ancillam hera, pater filium, & amicum amicus. Et quid dico amicum, amicus? Nisi prædicto emendationis intuitu ipsos etiam iudicauerimus inimicos, nunquam fieri poterit, vt inimicitias dissoluamus, sed sursum ac deorsum omnia versabuntur. Oportet igitur quadam cum parcitate ac venia id agere, & fornicantem, vel aliud quippiam sceleris admittentem corrigere. Præterea nequaquam vt hostis, aut inimicus ab eo repetas vltionem, quin potius vt medicus opportuna pharmaca sollicitus adhibeas. Denique non de magnis desperatísque criminibus dixit, verùm de iis quæ nec videntur esse delicta. Idque insinuat cùm ait, Festucam. Dicens autem, *Hypocrita, eiice primùm trabem ex oculo tuo*. Quem hypocritam dicit? Illum nimirum qui in alienis se criminibus difficilem præbet censorem, iudicémque agit inclementissimum, semet autem nec corrigit nec animaduertit. Eiicere autem prius trabem suam, ac postmodum fratris festucam iubens, iudicandi modum nequaquam se prohibere demonstrat, sed debere eum asserit, qui aliena sit iudicaturus, nulli quod iudicet crimini esse obnoxium, sed in omnibus esse perfectum. *Ne detis sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*. Canes hîc, homines in impietate viuentes appellat, Porcos autem, qui in omni vitam lasciuia traducunt. Quos omnes diuinis omnino asserit auditionibus indignos. Neque enim porcus quid sit margaritum nouit, quemadmodum nec impij cuius sint meriti sancta, intelligunt. Illud autem, *Ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi disrumpāt vos*, Id est, Simulant illi quidem (inquit) mansuetudinem, vt aliquid addiscant, vbi verò didicerint, alij ex aliis effecti, suggilant, subsannant, ac veluti deceptos vos irridebunt, propterea non paruum est lucrum, in sua illos ignorantia permanere. Nam cùm didicerint, mille postmodum negocia exhibent. Cæterum cùm magna quædam atque admiranda statuisset, omnibúsque præcepisset affectibus esse superiores, ideo addi-

dit, *Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis*, Ne dicerent difficilia esse ea atque importabilia, quemadmodum & in consequentibus tale quid Petrus dixit. Quis potes saluus fieri? Nam his verbis Christus non modicam laboribus consolationem excogitauit, auxilium nempe, quod ab orationum constantia sedulitatéque proficiscitur, ac ideo petere nos iussit, seque daturum spopondit. Nec tamen simpliciter vt pateatur edixit, sed multa cum sedulitate ac intentione, studióque infatigabili. Hoc enim est, Quærite. Qui enim quid quærit, cunctis aliis posthabitis, illud attendit solummodo, quod inquirit. Et rursus, cùm pulsare præcipit, multa cum vehementia ac feruore mentis accedendum esse significat. Ad hæc & exemplo humano dicta confirmat, nostræ imbecillitati condescēdens, plurimámque erga nos benignitatem ostēdit suam, & petitum patrem, & accipientem filium in medium adducens. *Si igitur vos cùm sitis mali*, inquit præbetis non lapidem pro pane, neque serpentē pro pisce, *Quanto magis pater vester qui in cœlis, dabit bona petentibus se?* Quæ scilicet considerantes donec receperimus ne desistamus, nec recedamus, donec inuenerimus. Si enim instanter perseuerauerimus, dicentes, nisi acceperimus, non recedemus, prorsus accipiemus, si eiusmodi à nobis fuerint postulata, quæ & eum, qui petitur, dare deceat, & nobis qui petimus, conducat accipere. Quæ verò hæc sunt? Vt scilicet spiritualia omnia postulemus, & vbi iis qui in nos peccarint, cūcta dimiserimus, nostrorum tūc petamus peccatorum remissionē, purasq; manus sine ira & disceptatione leuemus. Si hunc in modum petierimus, accipiemus dubio procul. Quid ergo (inquies) & quando spiritualia etiā peto, nec tamen accipio? Quia nimirum vel non studiosè pulsasti, vel te omnino indignum qui acciperes, præbuisti, vel certè à petitione celerius desilisti. Malos autem hîc dixit, non humanam infamans naturam, nec nostrum improbās genus (absit enim hoc) verùm ad suæ bonitatis distinctionē id dixit. Volens porrò ostendere compendiosam omnino esse ac facilē virtutis viam, summatim vniuersa collegit, dicens. *Omnia igitur quæcunque volueritis, vt faciant vobis homines, & vos facite eis*. Neque verò simpliciter dixit, Omnia, sed omnia igitur. Illud enim igitur, non temerè addidit, sed hoc profectò innuens. Si vultis (inquit) orantes exaudiri, cum illis & hæc facite. Quæ nam hæc? Quæcunque vultis, vt faciant vobis homines. Per hæc ostēdens, vnà cum oratione, exacta quoque vitæ ratione nobis opus esse. Et non dixit. Quæcunque volueris tibi à Deo fieri, hæc erga proximum ipse facito, ne quis diceret, quónam id modo fieri potest, cum ille Deus sit, ego autem homo? Iccirco ait. Quæcunque volueris tibi à conseruo fieri, eadem tu erga illum ostendito. Quid ergo huiusmodi præceptione aut leuius vnquam fuerit aut iustius? Dicens autem, *Hæc enim est lex & prophetæ*, secundùm naturam nobis virtutem esse demonstrat, nósque omnes domestico, quæ facere par sit, cognoscere magisterio, fieríque non posse, vt ad ignorantiæ præsidium confugere vllo pacto possimus. *Introite per angustam portam*. Angustam portam vocauit, ac strictam viam, quæ ducit ad vitam, nos nimirum admonens vigilare, atque ad certamina instituens, sensúsque nostros excitans. Quod nisi id esset, quónam modo postea dicebat, Iugum meum suaue est, & onus meum leue? Porrò portam, ac viam nominans, ostendit nihil esse omnino stabile, ac diu permanens, sed vniuersa prorsus tam aspera vitæ huius, quàm suauia pertransire. Neque hinc solummodo facilem insinuat esse virtutem, verùm etiam quòd ad optimum omnino finem, nempe ad vitam, Inst. 19.

A æternam labores inducunt. Quòd sanè potest satis superque certantium animos consolari. Si enim fluctus, ac maria nautis, si cædes vulneráque militibus, si hyemes atque algores agricolis, pugillibúsque graues illæ acréſque plagæ tēporariorum diffluentiúmq; brabiorū spe, prorsus leues tolerabiléque videntur, multò magis cum ineffabilia illa bona immortaliáq; præmia proposita fuerint, nihil ex his præsentibus graue sentietur. Quòd si qui vel sic, viam ipsam laboriosam esse putarint, è sola ipsorum segnitie suboritur ista suspitio. Dicens autem. *Et pauci sunt qui inueniunt illam*: Rursus hîc socordiam detegit plurimorum, auditoréſque admonet, ne fœlicibus multorum huius mundi successibus rebúsque prosperis, quinimò paucorum laboribus, animum intendant, ac illos imitentur. Aliud præterea vnà cum canibus, ac porcis quos prædixit, insidiarum dolíque genus longè illis difficilius aperuit, cùm falsos dixit Prophetas. *Cauete* (inquit) *à falsis Prophetis. Veniunt enim ad vos in vestimentis ouium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces*. Illi etenim canes, ac porci certa sunt professione manifesti, hi autem in multa sub ouillo vellere vafricie obteguntur. Propterea & ab illis quidem abstinere, hos autem omni cum diligentia obseruare præcepit, tanquam omnino sit impossibile ex prima illos offensione atque congressu dignoscere. Cauete enim (inquit,) nos nimirum diligentiores, inque illis deprehendendis perspicatiores efficiens. Per pseudoprophetas autem hoc loco, non hæreticos innuit, sed eos qui vitam quidem corruptam atque insynceram agunt, virtutis verò personam induunt, quos impostorum nomine appellare quamplurimi consueuere. Quocirca intulit dicens. *A fructibus eorum cognoscetis eos*. Apud hæreticos siquidem honestum aliquod vitæ genus est inuenire, apud hos autem (vt dixi) nequaquam. Licèt enim rectam præ se ferre vitam assimulent, celerrimè tamen deprehendentur, cùm laboriosam incedere viam detrectarint. Ad hæc benignissimi domini nostri suauitatem simul, ac māsuetudinem intueamur. Non enim dixit pœnas ab eis exigite, in eos animaduertentes, sed, Cauete ne ab eis lædamini, ne oscitantes & incircunspecti in eos incidatis. Quod verò ait, *Nunquid colligunt de spinis vuam, aut de tribulis ficus?* simùlq; & arborū exempla, &c. *Et ex fructibus ipsorū agnoscetis eos*, de eisdem ipsis malis versutísque hominibus est locutus. Videtur autem mihi & Iudæos perstringere, eiusmodi fructus præ se ferentes, iccirco Ioannis vsus est verbis, dicens: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur*. per hæc nimirum vocabula supplicium illis ob oculos ponens. Eadem enim hæc & illic dicebat, securim illis, atque excisam arborem, ignémque inextinguibilem in medium proferens. Et videtur quidem id simplex quoddam esse supplicium, nempè comburi tantùm, si quis autem diligentius expendat, omnino duplex id esse comperiet. Nam & comburitur qui eiusmodi fuerit, & à cœlorum regno probatur explosus. Et quidem noui solam plurimos exhorrere gehennam, ego autem illa exigi gloria, vel ipsa gehenna longè grauius supplicium dixerim. Quòd si prorsus est impossibile, vt verbis id astruam, nihil profectò mirum. Neque enim illorum nouimus bonorum beatitudinem, vt & miseriam quæ illorum cōsequitur priuationem, manifestè cognoscere valeamus. *Non omnis qui dicit mihi domine, domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est*. Significat, non opus esse tantùm rectam habere fidem, vitæ institutione neglecta, sed vnà cum fide, & vitæ rectitudinem. Licèt enim (inquit) quamplurima signa feceris, nihil autem boni operis

Universidad de Deusto
Biblioteca

exercueris, ianuis illis cœlestibus nullo pacto digna- A bere. Per hæc ostendens fidem absque operibus virium omnino nihil habere. Nec sanè est quod miremur, si huiusmodi cùm mali essent, mirabilia sint operati. Omnis enim gratia, illius omnino est donum, qui eam contulit. Vnde & supplicio affici propterea digni sunt, quòd erga illum qui eiusmodi eos honore dignatus est, quò rectam præ se ferrent vitam, & ingrati pariter, & insensibiles sunt effecti. Neque enim (vt putant quidam) tunc rectam vitam habebant, cum eiusmodi mira operabantur, postmodum verò immutati ad iniquitatem resiliebant. Id enim studet Christus ostendere, neque fidem scilicet, neque miracula posse quempiam in cœleste regnum introducere, cui vitæ quoque rectitudo non adsit. Et qui nam hi, inquies? Multi sanè credentium dona gratiarum acceperant, cuLuc.9. iusmodi & ille erat, qui dæmones quidem eiiciebat, non tamen Christum sequebatur, pro vt in sanctis scriptum est Euangeliis. Cuiusmodi & Iudas, nam & ipse, B tam & si malus erat, ea tamen gratia præditus erat. Quin & alij plures, vel indigni existentes, gratiarum dona accipiebant, quòd adhuc essent Euangelicæ prædicationis initia, vt hinc diuinę virtutis argumenta clarius fusiúsque patescerent. Id quod & in veteri quoque testamento est inuenire, gratiam videlicet, vel in indignis sæpenumero fuisse operatam, quò inde alij quidam beneficio afficerentur. Nam & Balaam à fide, optimóque viuendi instituto alienus erat, gratia tamen in illo, ad aliorum œconomiam est operata. Similiter & Pharaon tametsi eiusmodi, & ipse erat, illi tamen Deus futura demonstrauit. Timeamus ergo dilecti, plurimámque vitæ nostræ conuersationíque diligentiam adhibeamus. Cùm verò ait, *Nunquam noui vos*, multos se iam hìc odisse, atque auersari, vel ante iudicium, demonstrat. *Omnis igitur qui audit sermones meos, & facit eos, assimilabo illum viro prudenti.* Prudẽtem illum iure appellat, qui suos audit sermones ac facit. Nam C & in futuro sæculo ineffabilibus dignabitur bonis, & in præsenti cum securitate vitam aget, nullíque aduersis facilè capietur. Erit enim iis qui aduersantur ac lædunt omnino superior. Cui profectò rei quid vnquàm æquari poterit? Hoc enim nec is quidem, qui diademate coronatur, sibi vnquàm præstare poterit, sed qui virtutem persequitur, ipse solus, & quidem multo cum cumulo id adipiscitur. Quemadmodum per ea quæ sequuntur ostendit. Imbrem porrò ac ventos, irruentiáque in illum flumina, humanas dicit calamitates, infœlicitatésque calumnias, atque insidias, quæ tametsi ingruunt, nullo tamen detrimento illum afficiunt, qui eius fuerit doctrina munitus. Virtutis verò præmiis, quæ in præsenti quoque conceduntur ostensis, subdit. *Et omnis qui audit sermones meos, & non facit eos, assimilabitur viro stulto.* Ostendens videlicet, & quæ vitiositati authoramenta præbeantur, dum stultum illum appellat, qui suos non facit sermones. Et meritò D quidem, vt qui super arenam domum suam ædificet. Et labores quidem, ac molestias patiatur, frustrà verò laboret, sibíque negocium faccessat, vtpote qui fructu, ac requie præ ruina priuetur, & pro hoc etiam supplicia sustineat. Quòd autem vitia sectantes laborent, atque lassentur, omnibus profectò liquet. Nam & sicophanta quiuis, & qui ditescere studet, laboris sanè plurimum, ac afflictionis assumunt, vt conceptos vitiorum affectus perficere queant. Mœchus ergo quilibet & petulans, atque ferox, cæterique huiusmodi omnes super arenam ædificant. Cuius autem rei gratia turbæ nequaquam doluerunt, nec torpore correptæ sunt super doctrina illius, præ illorum onere, quæ dicta fuerunt, quinimò sunt admiratæ? Ob docentis profectò virtutem. Multos enim eorum statim attraxit, fecitque vt prædictorum voluptate, simulátque loquendi finem fecit, se sequerentur. Mirabantur enim quàm maximè illius potestatem, propterea quòd non in alterum suas referebat sanctiones, sed vbique se ipsum indicabat, qui præcipiendi habebat authoritatem. Nam & præcepta sanciens, continuò addebat. Ego autem dico vobis, & diei illius memoriam faciens, se ipsum iudicem ostendebat.

CAPVT VIII.

CVM *autem descendisset à monte, secutæ sunt eum turbæ multæ, Et ecce leprosus accessit, & adorauit eum dicens. Domine si vis, potes me mundare.* Multa accedẽtis leprosi prudentia atque fides. Neque enim mõtem subiit, B ac sermonem docentis abrupit, sed oportunum tempus expectauit, eúmque vbi descendit, magno cum feruore adiuit. Non enim dixit, Si Deum imploraueris, vel si preces effuderis, sed, si vis, potes me mundare. Iccirco nec Christus ei dixit, mundus esto: sed, *Volo, mundus esto.* Statímque vocem secutum est opus. Quare autem, & voluntate ipsum, & sermone mundans, manus quoque tactum adhibuit? Vt hinc, scilicet ostenderet se legi nequaquam esse subiectum, quin potius illam sibi, ac mundo deinceps esse nihil immundum. Propterea & Helisæus, legis disciplinam exactissimè seruans, nec ipsum quidem Neeman vidit. Siquidem il- 4.Reg.5. le seruus erat, hic autem Dominus, ostendens se non vt seruum, sed vt Dominum sanare ac tangere. Imperat autem ne cui dicat, quòd esset minimè ambitiosus, ac honoris aprime contemptor. Et si illum norat passim acceptum beneficium diuulgaturum, attamen quod suum est facit. Alibi autem cuidam vt ediceret C imperauit, non propterea sibi ipsi contrarius, sed gratos nos, atque accepti beneficij memores esse admonens. Et per hunc quidem leprosum humiles nos esse, atque ab omni iactantia alienos instituit, per illum autem, vt beneficia, omni qua possumus animi gratitudine, gratiarúmque actione prosequamur ostendit, vbique nos instruens vt pro iis, quæ in nos confert, ipsi Domino gratias referamus, ac laudes. Iussit porrò vt se ostenderet sacerdoti, ac munus offerret. Et hìc rursus legem adimplens. Neque enim vbique illam soluebat, nec vbique seruabat, sed nunc quidem hoc faciebat, nunc illud, Hoc quidem vt futuræ sapientiæ viam præstrueret, illud autem, vt impudentia Iudæorum ora interim cohiberet, eorúmque imbecillitati condescenderet. Et quid hoc (inquies) ad legis facit custodiam? Profectò non paulùm. Erat siquidem lex vetus, ne mundatus leprosus, suo sibi arbitrio curationis iudicium permitteret, sed sacerdoti videndum se præberet, eiúsque oculis probationem offerret, sicque D illius sententia approbatus, in mundorum deinceps consortium admitteretur. Nisi enim mundatum leprosum sacerdos pronunciasset, adhuc cum immundis extra castra illi manendum fuisset, *In testimonium* (inquit) *illis.* hoc est in redargutionem & in accusationem, si inimico fuerint animo, improbíque extiterint. *Cùm autem ingressus fuisset Iesus Capernaum, accessit ad eum Centurio* leprosus quidem, vbi à monte descendit Iesus, illum accessit, centurio autem, vbi fuerat Capernaum ingressus. Cuius igitur rei gratia neuter eorum montem conscendit? Non negligentia quidem alterutrius atque torpedine id gestum est, cum vtriusque fides mirum ferueret in modum, sed ne doctrinam interpellarent.

pellarent. Infirmantem porrò puerum iccirco ad Chri- A stum non adduxit, quòd ardentissimam haberet fidem. Certò enim sciebat ad decumbentis erectionem, solam illius sat esse iussionem. Dominus autem quod nusquam antea, hoc loco fecit. Qui enim vbique supplicantum voluntati duntaxat obsecundabat, sponte hìc illius se domum subiturum, ac languentem curaturum pollicetur. Id verò facit, vt Centurionis huius virtutem addiscamus. Nisi enim id spopondisset, sed dixisset tantùm, Vade, sanatus est puer tuus, nihil horum profectò didicissemus. Quid enim inquit centurio? *Domine, non sum idoneus vt sub tectum meum ingrediaris, sed tantùm dic verbum, & sanabitur puer meus.* Audiamus quicunque Christum suscipere studemus, & imitemur, similique illum studio suscipiamus. Nam & cùm pauperem quempiam, vel esurientem, vel nudum suscipimus, illum profectò suscipimus ac nutrimus. Cur autem illius in tanta hominum turba miratus est fidem, omníque illum Iudæorum multitu- B dine præstantiorem asseruit, ac regni participio honorauit, in patriarcharum illi sinibus recubitum repromittens? Quò scilicet & aliis exemplum tribuat, vt ipsum imitentur, simúlque erudiamur hunc in modum credere. Vnde & secundùm illius fidem *Sanatus est puer eius in hora illa.* Sciendum verò est hunc ipsum esse centurionem, de quo & Lucas meminit, eum verò qui à Luc.7. Ioan.4. Ioanne describitur fuisse omnino alterum. *Et cum venisset Iesus in domum Petri.* Quare autem intrauit in domum Petri? nimirum sumpturus cibum. Hoc enim Euangelista declarauit, vbi ait. *Surrexit ac ministrauit illi.* Ad discipulos enim diuertebat, quemadmodum ad Matthæum, vbi illum vocauit, huiusmodi cos honore dignans, quò vel in hoc redderet alacriores. Consideremus proinde, quales erant horum piscatorum casæ, nequaquam tamen indignum arbitrabatur, vilia ipsorum subire tuguria, nos videlicet erudiens, vt in omnibus humanam calcemus elationem C atque superbiam. Cùm tetigisset igitur manum socrus illius, non modò illi febrium ardores extinxit, sed & perfectam laboranti restituit sanitatem. Idque inde patet, quòd ministrare valuerit. Cur autem dixit Euangelista, *Cùm autem appetisset vespera, attulerunt ei dæmoniacos multos, & eiecit spiritus verbo, & omnes malè habentes curauit?* Vt per hoc multitudinis fidem iam omnino adductam demonstraret, qui nec vrgente quidem tempore secedere patiebãtur, nec vel sub ipsam vesperam suos languentes adducere, intempestiuum esse putabant. Illud præterea animaduertendum, quantam Euangelistæ curatorum multitudinẽ prætermittant. Non enim singulatim nobis vniuscuiusque curationem enarrant, sed vnico verbo inexplicabile miraculorum pelagus transgredientes, Prophetę testimonium in medium adducunt ita dicẽtis. *infirmitates nostras ipse suscepit, & morbos portauit.* Esa.53. Ne videlicet miraculorum magnitudo in D incredulitatem quẽpiam cõiiceret. Cæterùm quod tam magnam populi multitudinem, totq; varia morborum genera sub vno temporis momento soluit atq; curauit, magnam nobis vbique conflat à Scripturis demonstrationem. Illud autẽ *Suscepit* atq; *Portauit*, de peccatis potius à Propheta dictum fuit, quemadmodum & præIoan. 10. cursor ait. Et agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Iccirco autem id hoc loco de morbis dixit Euangelista, quòd pleraque ægrotationum nostrarum genera, à peccatis originem trahant. Quam verò ob rem *Cùm vidisset Iesus turbas multas circum se, iussit vt abirent in vlteriorem ripam?* Ob gloriæ nimirum ambitionísque neglectum, modestè de nobis ipsis semper admonẽs sentiendum, nihílque nobis ad ostentationem faciendum do-

cens. Non enim corporum duntaxat morbos curabat, verùm & animabus emẽdationem ingerebat. Præterea & ad philosophiam nos instituebat, Iudæorum pariter sedans inuidentiam. Erant enim illi affixæ turbæ, amabántque ipsum atque admirabantur, in illum continuè aspicere gestientes. Quis enim ab eo qui talia ederet signa, vel tãtulum diuelli posset? Quis vel solam faciem illam, vel illud os huiusmodi loquens, nollet prospicere? Neque enim dum miracula operabatur tantùm, erat admirandus, sed & simpliciter conspectus, oculis erat omnium gratiosissimus. Id quod Propheta declarans aiebat. Speciosus pulchritudine præ filiis hominum. Quod si Esaias, ait, Non habebat speciem nec pulchri- Esa.53. tudinem, ob ea quæ illi in passione contigerunt, quám- Psal.44. ve crucis tempore ignominiam pertulit atque dedecus, omnino id dixit, vel etiam ob eam, quam per omnem vitam prę se tulit, vilitatem. Non prius autem iussit turbis vt abirẽt, quam morbos curaret. haud enim æquo id animo tulissent. Cuius autem rei gratia dicenti sibi, *Præceptor sequar te quocũque ieris*, respondit, *vulpes foueas habẽt & volucres cæli nidos?* Quia nimirũ pecuniarũ seruus erat ille. Cúmq; plurima Christum signa facientem, populúsque maximam multitudinem illum consectantem videret, vberiorem se ex huiusmodi miraculis quæstum capturum sperauit. Iccirco Dominus cùm omnia quæ in sua secum conscientia ille voluebat, plurimámque illius arrogantiam atque auaritiam intelligeret, ita respondit, tanquam diceret. Tu quidem pecunias, si me sequaris, te collecturum speras, verùm illud animaduerte, mihi nec diuersorium esse quidem, nec loci tantum, quantum vulpibus ac volucribus esse conspicitur. Hæc autem verba non auertentis erant, neque à sectatu suo diffuadentis, sed mentis illius prauitatem omnino carpentis, vtpote qui ei, si modo vellet, huiusmodi cum expectatione se sequendi faceret potestatem. Ille autem his auditis, ac redargutus, non dixit, C Paratus sum sequi, sed suam ipsius vitiositatem subita confestim receptione patefecit. At ille qui postmodum accessit, ac dixit. *Domine, permitte mihi prius abire, vt sepeliam patrem meum*, quoniam grato admodum ac benigno animo, permitte mihi, dixit, nec priorem imitatus est, magna cum animi audacia locutum, Sequar te quocunque abieris, receptus quidem est, at non quò petiit abire permissus, verùm audiuit, *Sine mortuos sepelire mortuos suos.* Per hæc ostendens filium illum, qui hæc dixit ex credentibus fuisse, mortuum verò patrem ex non credentibus. Ad hæc non hac in re tantùm, adolescentem oportet admirari, de re videlicet tam necessaria, nempe de patris sepultura, Dominum interrogasse, verùm & prohibitum, cum Iesu permansisse, longè magis. Prohibuit autem ipsum, non quòd parentum honorem negligendum omnino iuberet, sed ostendere volens, nihil nobis oportere magis esse necessarium rebus cœlestibus, nihilq; illis non posthabendum. Si autem vel illud temporis spatium, quod in patris insumitur sepultura, tametsi breue admodum adeóque necessarium parentem sepelire est, à spiritualibus abesse, tutum omnino non est, perpendamus, obsecro, quónam supplicio digni simus, qui toto vitæ tempore à rebus diuinis abducimur & abhorremus. Quandoquidem longè melius est cœleste regnum prædicare, aliósque à morte reuocare, quam mortuum, qui nulla tãgitur vtilitate, sepelire, præsertim cùm adsint, qui hæc obeant vniuersa. *Et cùm esset ingressus nauim.* Cur turbas quidem præmisit, discipulos autem secum retinuit? Vt scilicet futuri illos miraculi faceret spectatores. Quare autem illos fluctuare, ac tempestatem exoriri permittit? Ne magnum quid de se ipsis Apostoli sentirent,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd dimissis cæteris secum illos retinuisset, simul etiam & illos exercens, vt pericula tentationésque generosè ferant, vt qui orbis terrarum athletæ futuri essent. Vbi autem illum excitarunt, ipsi prius, quàm mare increpantur, qui à Domino audierunt. *Quid timidi estis parum fidentes?* per hæc illos instruens non illatione tentationum generari timorem, sed mentis imbecillitate. Propterea etiam & dormit, occasionem timiditati præbens, vt per eam, quam præstabat salutem intelligerent, ac beneficio afficerentur. Non enim quis æquè videt, quæ in alienis fiunt signa corporibus, ac ea quæ in suo ipsius perficiuntur. Quia igitur discipuli viderant, quicunque malè habuissent innumeris fuisse à Christo beneficiis affectos, seipsos autem nulla vnquàm eiusmodi ægritudine liberatos, ne propterea supini ac desides redderentur, mari increpito, periculisque solutis, & illos quoq; afficit beneficio. Propterea autem ipsum adhuc, hominem, turbæ appellabant, nec qui eiusmodi fecerat signum, vt Deum existimabant, (Qualis enim inquiunt est hic homo, quia venti & mare obediunt ei) tum quod ipsum viderent, tum quòd dormiret, tum etiam quòd nauigio veheretur. Iccirco autem & dæmones accesserunt ipsius diuinitatem prædicantes, atque dicentes. *Quid nobis & tibi Iesu fili Dei?* Et qui per maris tranquillitatem illum Deum esse non crediderant, id ipsum dæmones clamantes audiebant, quod mare sua tranquillitate prædicarat. Ne autem assentatio quæpiam esse videretur, ab ipsa pœnarum experientia vociferantur, dicentes. *Venisti huc ante tempus vt torqueas nos.* Nam inuisili quodam supplicio torquebantur, ob Christi præsentiam ineffabilia patientes. Cur autem ad eos ipse accessit? Quòd nullus eos ad Christum audebat adducere. In sepulchris autem dæmones versabantur, pernicioſum quoddam plurimorum mentibus ingerere dogma cupientes. Quódnam illud? Mortuorum videlicet animas, dæmones fieri. Quod sanè vel à fidelium cogitationibus abſit omnino. Sed nec rursus credendum, separatas à corpore animas in his deinceps regionibus vllatenus errare.

Sap. 3. Iustorum etenim animæ in manu Dei sunt, similiter etiam & infantum, neque enim vllis illæ vitiis temerantur, peccatorum verò hinc continuò abducuntur.

Luc. 16. Id quod in Lazaro, ac diuite manifestum est. Sed & alibi quoque inquit Dominus. Hodie animam tuam

Luc. 12. abs te repetẽt. Nequaquam igitur fieri potest, vt quæuis anima corpus egressa, rursus apud nos hìc erret vllo pacto. Quare autem Christus vniuersorum dominus, quod dæmones petiere concessit, in gregem illos porcorum demigrare permittens? Non profectò vt illis pareret, hoc passus est Christus, sed vt vniuersi discerent, dæmones ne in porcos quidem, ni permisisset ipse, ingredi fuisse ausos, nósque plurimum de Dei prouidẽtia fructum capere. Qui enim à porcis non abstinuere, quos minori quàm homines odio prosequuntur, sed vno temporis momento omnes illos egere per præceps, multo magis in homines, ni diuino iuuaremur auxilio, identidem auderent. Ad hæc, vt qui loca illa incolebant, eius intelligerent potestatem, atque hinc in ipsius Dei cognitionem venirent. Mirum enim in modum erant insensibiles, sicut & rei declarat euentus. Decens erat enim, vt ipsum adorarent, eiúsque virtutem admirarentur: at illi contrà, eum magis amandarunt depulerúntque, rogantes, vt à finibus ipsorum omnino decederet. Cur autem porcos dæmones illi interemerunt? Vt homines illos videlicet in animi deiectionem coniicerent atque tristitiam. Semper enim nostris gaudent cladibus. Quemadmodum & in Iob fecit diabolus. Tametsi & illud permisit Deus. Sed non id quidem, vt diabolo parens, sed volens seruum illum suum ostendere clariorem.

CAPVT NONVM.

ET *ingressus nauim traiecit, ac venit in suam ciuitatem.* Suam ciuitatem hoc loco Capernaum dicit. Bethleem nanque ipsum tulit, Nazareth enutriuit, Capernaum verò cõtinuum illi præbuit domicilium. Considerandum porrò est quàm mitis sit dominus, quámq; ab omni prorsus arrogãtia alienus ac fastu. Inscensa siquidem nauicula traiecit, qui poterat pedibus pertransire, & à Gadarenis electus explosúsque non restitit, verùm haud longè tamẽ inde recessit. *Et ecce adduxerunt illi paralyticum in lecto decumbentem.* Matthæus quidem paralyticum hunc ait adductum, alij verò professo illum tecto demissum, & ante Christum positum asseuerant. Quoniam igitur tantam illi fidem præ se tulerunt, & ipse etiam Dominus virtutem suam, summa cum potestate demonstrauit, à peccatorum nexibus paralyticum soluens. *Et ecce quidam è Scribis inuidia arrepti dicebãt intra sese: Hic blasphemat. Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Ipse autem rebus ipsis ipsorum verba confirmat, eorum tanquam Deus cogitationes redarguens. Solius enim Dei est, abscondita nosse postmodum verò ait illis: *Quid est dictu facilius, remittũtur tibi peccata, an dicere, Tolle grabatum tuum, & abi in domum tuam?* Quod autem dicit tale est. Vtrum vobis facilius esse videtur, dissolutúmne paralysi corpus restringere, an animæ peccata resoluere? Nulli dubium quin corpus constringere. Quò enim anima corpori præstat, eò illius peccata soluere, corporis curatione melius est. Quoniam hoc quidẽ minus apparet, illud autem omnino est manifestũ. Propterea igitur quod inferius est (inquit) manifestè appono, vt quod maius est & inuisile, hinc sumat experimẽtum. Mittit porrò illum in domum suam, simul atque curauit, rursus hìc humilitatẽ præ se ferens simúlque ostendens, non esse omnino phantasma quod gestum fuerat. Iccirco enim & portare eum grabatum suum iussit. Nihilominus tamen & turbæ adhuc humi serpunt. *Cùm vidissent* enim inquit *turbæ admiratæ sunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.* Obsistebat enim illis caro. Ipse autem leni cum esset animo ac constanti, nequaquam illas increpat. Neque enim parum erat interim, quod putarent hominibus illum cæteris esse maiorẽ, atque ab ipso Deo fuisse profectum. Si enim constanti hæc animo retinuissent, per se ipsos hac via ad maiora progressi, eum dubio procul Dei filium cognouissent. At non in his perstiterũt profectò, vnde nec ad sublimiora eniti valuerunt. Rursus enim dicebant, Hic homo non est à Deo. Cum autem huius Paralytici miraculum fecisset, nequaquã ibi diutius moram traxit, ne cõspectus maiorem sibi inuidiam concitaret. Hunc ergo in modum & nos faciamus, qui nobis parant insidias omnino declinantes. *Et præteriens Iesus illinc vidit hominem sedentem in telonio, Matthæũ nomine, & dicit illi, Sequere me.* Quamobrem nõ cum Petro ac cæteris Matthæum quoque vocauit? Quia profectò ipse qui corda nouit omnium ac mentium archana cognoscit, tunc potissimum id agere voluit, quando illum nouerat obtemperaturum. Propterea & Paulum post resurrectionem est expiscatus. Non occultat porrò suum ipsius viuendi genus, imò verò & nomen adscribit, quod cæteri Euangelistæ alia nuncupatione cælauerunt. Ad hæc & sedentem se asserit in telonio, vt vocantis potestatem simul & bonitatem patefaciat. Non enim ipsum, vbi à prauo illo insynceróque publicanorũ

descíuerat munere, vocauit, sed operi impudentia violentiáque pleno incumbentem, quæstuíque eiusmodi inhiantem, vt prætextum nullum habeat rationi cõsentaneum, ac rapinæ sub legitimo latenti schemate penitus addictũ, è mediis attraxit malis. Verùm sicut vocãtis bonitatem nouimus, ita & vocati obedientiam addiscamus. Haud enim restitit, nec secum ambigens dixit ac subdubitans, Nunquid fraudulenta me quapiam, qui huiusmodi sum, vocatione circunuenit? Intẽpestiua siquidem hæc fuisset humilitas. Vbi igitur illum vocauit, maximo etiam affecit honore, eius confestim mensæ conuiuióque communicãs. Qua in re optimam illi de futuris spem fecit, ac maiora promerendi fiduciam sumministrauit. Haud enim lõgo tempore sed repente illius sanauit vitiositatem. Neque verò cum illo tantùm ad mensam accubuit, sed cum aliis id genus quàm plurimis. Conueniunt porrò ad Matthæum publicani, quasi ad eiusdem artis professorem, ipse autem, quòd Christus ac Deus noster ad se diuertisset, ingenti elatus lætitia, eos omnes conuocauit. At dominus noster Christus non solùm dum disputaret, vel morbos depelleret, aut inimicos redargueret, verùm & dũ conuiuaretur quoque, quàm plurimos malè animo affectos dirigebat: per hæc nos videlicet erudiens, quodlibet temporis momentum, reíque cuiuslibet exercitiũ, maximam nobis vtilitatem conferre posse. Tametsi autem quæ tunc erant appositа, iniustitia atque auaritia parta fuerant, non tamen illis vesci respuit Christus, quòd maximum profectò lucrum esset inde prouenturum. Vnde & commensalis fit eis atque conuictor, qui id genus criminibus obnoxij fuerant. Sic enim & medicus, ni laborantium ferat putredinem, nusquàm illos ab infirmitatibus quiuerit liberare. Proinde malè hinc

Luc. 7. Christus audiuit, dum aiunt: Ecce homo hic edax, & vini potor, publicanorum amicus, ac peccatorum. Cur autem apud Christi discipulos, illum Pharisæi calumniantur, quòd cum publicanis ac peccatoribus conuiuium agitaret? Quòd malitiosè nimirũ ac subdolè conarentur à magistro illos auertere. Ipse autem non solùm id vitio sibi non esse vertendum, sed cuiusdam benignitatis longè excellentis argumentum esse demonstrat, cum eiusmodi videlicet hominibus cibum sumere. Quapropter & ait: *Non opus habent ij, qui valent, medico. sed qui male habent.* Illud autem. *Ite autem & discite quid sit, misericordiam volo & non sacrificium*, significat nequaquàm, quod agebat, omnino esse prohibitum, ad melioris scilicet vitæ frugem peccatores dirigere, imò verò & lege sancitum, & longè ipsis sacrificiis esse præstantius. Vnde & veteris testamenti censuram, consona sibi & dicentis simul protulit & sancientis. Ad hæc illis & scripturarum exprobrans ignorantiam, hæc loquebatur, qui virtutum omnium aspernantes, in solis quàm plurimum sacrificiis confidebant. Tantum enim (inquit) ego absum, vt peccatores abominer atque auerser, vt propter eos omnino solos aduenerim. Id enim exprimit, cùm ait: *Non enim veni ad vocandos iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Tunc accedunt discipuli Ioannis.* Cuius rei gratia cùm Ioannis discipuli Christi discipulos criminarentur his verbis: *Nos quidem ac Pharisæi ieiunamus plerunque, discipuli verò tui non ieiunant*, nõ illos tanquàm inanis gloriæ captatores obiurgat, sed nuptialis thalami, sponsíque memoriam facit? Nimirum & in hoc animi sui lenitatem, plurimámque modestiam præ se ferens, eos non redarguit, sed Ioannis verba in memoriam illis quàm humanissimè reducit, quibus aiebat. Qui habet sponsam sponsus est, amicus autẽ sponsi qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Quod autem dicit

Ioan. 3.

tale est. Præsens hoc tempus meæ cum ipsis conuersationis, gaudij est atque lætitiæ. *Venient autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus & tunc ieiunabunt.* Passionis suæ tempus his verbis insinuans. Dicens autem: *Nullus immittit assumentum panni rudis in veste veteri*: per hæc declarat discipulos suos nondum fortes esse ac firmos, sed adhuc multa illos indulgentia opus habere, quòd nondum sancto essent Spiritu renouati. Ita enim affectis, maiora nequaquàm mandatorum onera fuerant imponenda. Hæc autem dicebat, leges iam ac regulas discipulis suis præscribens, vt cùm postmodum etiam ipsi ex vniuerso terrarum orbe discipulos haberent, plurimam illis mansuetudinem ac suauitatem exhiberent. *Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres.* Vtrium meminit atque vini, quòd de mensa scilicet ac edacitate sermo esset, ac propterea ab his exempla mutuatur, quódque nihil austerum vel graue præcipi incipientibus oporteat, sed quæ facilè fieri possint, hoc enim pacto fore, vt & ad difficiliorum obseruationem citò progrediantur. Qui enim (inquit) intempestiuius quàm par sit, sublimia hominibus dogmata ponere conatur, vbi temporis postea occasio appetet, minus eos idoneos inueniet, cùm semel inutiles nulliúsque frugis ipse reddiderit. Hoc autem nec vinum, nec suscipientes omnino, sed immittentium intempestiuitatem respicit ac perstringit. *Dum hæc illis loqueretur, ecce primas quidam venit.* Primas iste, quem ad Christum venisse dicit Euangelista, Archisynagogus erat. Considerandа porrò est eius craſſities, atque ruditas. Duo enim à Christo postulat, vt scilicet aduenìat, & manum imponat. Sequebantur autem illum turbæ, tùm ob miraculi magnitudinem, tùm ob eius qui aduenerat dignitatem, non tamen eas secum domum ingredi permisit, sed discipulos tãtùm, sed neque hos quidem omnes, hinc nos videlicet erudiens, vt ostentationem omnem, ac gloriam fugiamus. *Et ecce mulier, quæ sanguinis profluuio laborauerat annos duodecim.* Qua de causa mulier hæc liberè ac confidenter ad Christum nõ accessit? Quia profectò ob id genus infirmitatum, immundam se ipsam putans, erubescebat. Nam si mulier, quæ menstruorum tempore id patitur, nullatenus munda censetur, multo magis, quæ eiusmodi continuè ægritudine, laborabat, semet suspicabatur immundam. Id enim in lege plurima putabatur immundities. Propterea latet, abditque sese. Nondum enim mulier congruam de ipso atque absolutam habebat opinionem, haud nanque se posse latere putasset, summa tamen cum fide illius tetigit uestimentum. Neque enim ambigebat, nec intra se dixit: Num hac infirmitate liberabor? sed de sanitate confisa accessit. Cur autem Christus illam latere passus non est? Primo quidem vt omnem eius timorem soluceret, ne conscientia postmodum stimulis, veluti sanitatis munus suffurata premeretur, ac reliquum vitæ tempus in graui animi angore traduceret. Deinde, vt eam corrigeret, quòd se posse latere putarit. Tertiò vt omnem illius fidem declararet, quò eam cæteri imitarentur. Proinde non minus quidem signum est, se omnia nosse monstrare, quàm sanguinis profluuia sistere. Ad hæc, vt Archisynagogum, ne iis qui accedentes ei dixerant, ne magistrum vexes, mortua est enim puella, fidem adhiberet, mulieris proditione confirmaret in fide. Cur autem mulieri dixit, *Confide filia?* Quoniam valde erat exterrita. Filiam verò vocat, quòd eam fides eius, suam effecerat filiam. Maximum porrò fuit mulieris huius encomium, quod ab omnium accepit Domino, *Fides* (inquit) *tua saluam te fecit.* Vnde & sanitatem adepta, abiuit gaudens. *Et cùm venisset Iesus in domum primatis, & vidisset*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tibicines. Cuius rei gratia tibicinum quoque meminit, qui in Archisynagogi domo erant? Quò vel hinc Archisynagogorum dementiam inuulgaret. Cur autem dixit, *Non est mortua puella, sed dormit*? Vt nos videlicet cruditet, nullatenus esse mortem metuendam, quæ non vltra sit mors, sed deinceps somnus effecta. Porrò se deridentes non obiurgat, vt & ipsimet & tibiæ, & cymbala, cæteráque illa omnia, ac tumultus, mortis essent indicia, quæ mortuam omnino puellam arguerent, nec vltra haberent diffidere, quin iam mortua ab eo puella fuisset excitata. Parentibus præterea præsentibus signum est operatus, quò plenam illis, ac certiorem faceret fidem. Tenuit porrò manum illius, ac erexit, ostendere volens omnia sibi dicto parere. Iubet autem illi cibum dari, ne phantasma quodpiam id esse videretur. Neque verò ipse dedit, sed illis præcepit, vt darent. Quemadmodum, & de Lazaro di-
Ioan. 11. xit, Soluite eum, & sinite abire, mortis videlicet, ac resurrectionis omni cum diligentia præbens argumentũ. B Plorantes autem, ac tibicines domo exegit, quòd eiusmodi illos spectaculo indignos iudicaret. Præcepit porrò ne cui dicerent, ob humilitatem videlicet, gloriæque contemptum. *Et cùm discederet illinc Iesus, secuti sunt illum duo cæci*. Quam ob rem cæcos vsque in domum clamãtes secum trahit? Quò nos nimirum eruditet, vt omnem prorsus gloriam iactantiámque protrudamus. Quia enim prope domum erat, in eam ipsos egit, quò seorsim illos occultéque curaret. Idque hinc profectò patet, quòd illis ne cui dicerent, interminatus est. Non parua autem est Iudæorum expostulatio, cùm hi quidem cæci solo fidem auditu susceperint, illi autem miracula omnia inspectantes, his contraria gererent. Vide autem & eorum promptitudinem, tùm à clamore, tùm etiam ab ipsa interpellatione. Neque enim simpliciter accesserunt, sed magnum clamantes, & nihil aliud quàm, *Miserere nostri*, depromentes. Filium verò Dauid appellarunt, quòd plurimum sibi honoris id nomen habere videretur. Frequentiùs nanque & prophetæ, quos volebant honorare, celebréque, ac magnos demonstrare reges, hoc nomine appellabant. Secundò autem interpellari se finit, quòd persæpe rogari, ac si demum sanitatem conferre vellet, ne quis sola illum ambitione vel gloria ad miracula perpetranda prosilire putaret. *Creditis* (inquit) *me hoc posse facere*? Et non dixit, creditis me posse rogare patrem meum, posse precibus impetrare, sed posse me hoc facere. Quod simul atque professi sunt, eúmque non vltra filium Dauid, sed excellentiore quadam ac sublimiore præditum potestate, dominum appellarunt, tum demum illis, & ipse manum imponit, dicens, *Iuxta fidem vestram fiat vobis*. Ob eam verò quam diximus causam, ob iactantiæ inquam, gloriæque cõtemptum vehementer admodum illis interminatur, ne cui dicant. *Interminatus est* enim (inquit) *illis Iesus dicens. Videte ne quis sciat*. Illi autem latere id nullatenus passi, e- D ius rei sunt & Euangelistæ, & præcones effecti. Tametsi autem alicubi cuidam dixisse videtur, Abi & enarra gloriam Dei, non est profectò hoc illi contrarium,
Luc. 8. quinimò & valde consonum. Vbi enim quid ad Dei gloriam refertur, non modo non prohibet, sed etiam vt diuulgemus iniungit, vbi autem humiliter de nobis sentire, animíque modestiam retinere nos admonet, tùm verò silentium imponit, & laudare nos volentes imperat omnimodis prohibere. *Cùm autem illi egrederentur, adduxerunt illi hominem mutum dæmoniacum*. Sciẽdum profectò est loquelæ amissionem, quam dæmoniacus iste patiebatur, non naturæ illi vitio, sed dæmonis insidiis accidisse, propterea & aliena indiguit ope, A vt ad Christum veniret, nec ipse per se, cùm mutus esset, rogare potuit, nec item alios, qui pro se rogarent, ipse precari, cùm dæmon ipsius linguam, atque animam vnà cum lingua compediuisset. Ea propter nec fidem ab eo exigit, sed incontanter curat. *Eiecto* enim (inquit) *dæmonio, locutus est mutus. Et admiratæ sunt turbæ, dicentes. Nunquam apparuit sic in Israël*. Id quod Pharisæos plurimùm discruciabat, nam omnibus ipsum turbæ non modò præsentibus, ac viuis, sed & prisci illis, ac olim vita functis præponebant. Non propterea autem præponebant, illum turbæ suspiciebántque, quòd curaret, sed cùm summa cum facilitate, ac celeritate id ageret, atque omne quamlibet immedicabilium morborum genus sua potestate sanaret: Et turbæ quidem hunc in modum demirabantur. Pharisæi autem contrà calumniis insistebant. Eiusmodi quippe improbitas est, atque malitia. Quid enim inquiunt? *In principe dæmoniorum eiicit dæmonia*. Qua calumnia quid dementius dici potest? B Præsertim cùm prorsus impossibile sit, quòd & ipse postmodum asseruit, vt dæmonem exigat dæmon. Solent enim dæmones sibi inuicem ferre suppetias, suáque mutuò tueri partes, non insectari, ac demoliri. Ipse autem non solùm dæmones eiiciebat, sed & leprosos mundabat, & mortuos excitabat, & tumens mare frænabat, & peccata soluebat, & Dei regnum prædicabat, & patri homines conciliabat. Quæ profectò nec vellet vnquàm dæmon, nec posset efficere. Dæmones enim ad idola homines adducũt, abducúntque ab ipso Deo, nullámque in futura vita spem suadẽt esse ponendam. At Christus vel post huiusmodi contumelias, atque conuicia *circumibat* (inquit) *ciuitates omneis ac vicos docens in synagogis illorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnem morbum, ac omnem languorem*. Et non solùm insensatos illos supplicio non affecit, sed neque, vel leuiter increpuit, suam in hoc plurimam mansuetudinem nobis ostendens, formáque nobis effectus, vt & C nos cùm aliquos beneficiis prosequimur, à quibus maledicta recipere contingat, non ideò conseruis benefacere desistamus. Nam qui conuitiis impetitus, benefaciendi studium detrectauerit, ob vulgi se laudes, non Dei amorem, virtutem exercuisse demonstrat. Quid est autem quod de turbis ait, *Quòd essent destituti, ac dispersi velut oues non habentes pastorem*? Non sensilem profectò hic dispersionem, ac neglectum dicit, sed spiritualem. Quòd sanè maximam Iudaicorum principum accusationem habebat, qui pastores cùm essent, lupos agebant. Non modò nanque multitudinem non corrigebant, sed & nocebant, & illius profectum euertere nitebantur, dicendo: In principe dæmoniorum hic eiicit dæmonia. Operarios autem hoc loco duodecim discipulos appellat.

CAPVT X.

VOCATIS *autem duodecim discipulis suis*. D Cùm illos dixisset paucos, ad numerum quidem alios non adiecit, sed virtutem illis, tanquam messis dominus plurimam addidit, potestate illis contra immundos spiritus, omnémque morbum protinus elargita. *Apostolorum nomina sunt hæc, Primus, Simon qui dicitur Petrus, & Andræas frater eius*. Cur eorum hic nomina recenset? quia cùm duo tantummodo Apostolorum paria à Christo vocata superius commemorasset, Petrum videlicet & Andræam, Iacobum, & Ioannem, adhuc etiam & suimet ipsius vocationem exposuisset, necessariò nunc catalogum ipsorum numerúmque describit. Dicẽs autem Simon, necessariè addidit, qui dicitur Petrus.

Petrus. Erat enim & alter Simon, nempe Cananæus. A Deinde & Andræas frater eius. *Iacobus Zebedæi filius, & Ioannes frater eius*. Intuendum verò, non secundùm dignitatem, illorum nomina ab Euangelista fuisse posita, nam Ioannes fratrem Iacobum dignitate præstabat. Cùm autem dixisset, *Philippus & Bartholomæus*, addidit, *Thomas, & Matthæus publicanus*. Deinde *Iacobus filius Alphæi*, erat enim, vt diximus & alter, Zebedæi filius. Postremò cùm dixisset, *Et Lebbæus cognominatus Thaddæus, Simon Zelotes*, quem & Cananæum vocat, ad proditorem venit, à patria illum appellans, *Et Iudas* (inquiens) *Iscariotes*. Erat enim, & alter Iudas, Lebbæus nempè cognomento Thaddæus, quem Iudam Iacobi
Luc. 6. Lucas appellat. Ad Iudam verò Iscariotem cùm venisset, addidit, *qui & prodidit illum*, nihil eorum quæ probris obnoxia videbantur abscondens. *Hos duodecim* (inquit) *emisit Iesus*. Quales nam? Piscatores nimirum, ac publicanos. Quatuor enim piscatores erant, & duo Publicani. Matthæus scilicet & Thaddæus, & vnus B proditor. Emisit autem illos dicens. *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne ingrediamini, sed ite potius ad oues perditas domus Israel*. Licèt enim (inquit) conuiciis me suis lacessiuerint, ac dæmoniacum appellarint, non tamen propterea illos auersor, ducóve abominandos, sed eos primùm corrigere studeo, & ab omnibus, vos aliis abducens, ad hos duntaxat vos mitto doctores, ac medicos, tametsi Gentes ipsæ, ac Samaritani longè sunt illis ad fidem proniores, ac magis idonei. Nihil porrò eis quod sensilia hæc spectet, atque corporea, prædicare iubet, quemadmodum Moyses fecit, cæteríque Prophetæ terram bonáque terrena pollicentes, sed cœlorum regnum, illiúsque omnem beatitudinem Euangelizare iubentur. Ne autem ob signa, quæ ab ipsis fierent, animo prorsus erigerentur, *Gratis* (inquit) *accepistis*. Non enim mercedis (inquit) loco, nec vestri laboris ergò hac potestate donamini, sed meæ id munus est gratiæ. Ita igitur & il- C lis, *vos gratis date*. Deinde malorum omnium radicem, auaritiam statim euellens, ait. *Ne possideatis aurum, neque argentum, neque æs in zonis vestris*. Non dixit, ne accipiatis vobiscum, sed ne possideatis, vt quamuis aliunde sumere possint, pernicioſum hunc tamen morbum effugiant. Hinc enim multa simul bona suppullulare, quando & illi suspicioni minus erant obnoxij, ab omníque deinceps sollicitudine liberi, delegatæ solummodo doctrinæ vacabant, ac summam Dei virtutem addiscentes, ab eorum profectò, quæ ad vitæ vsum faciunt indigentia, iam procul aberant, vt qui à propriis videlicet Discipulis alerentur. Id enim declarat, *Dignus est enim operarius cibo suo. In quamcunque ciuitatem, vel vicum ingressi fueritis, exquirite quis in ea dignus sit*. Hoc sanè præceptum nequaquàm innuit, debere illos singulorum domos circumire. Nam si dignus (inquit) is fuerit, ad quem diuerteritis, omnino vobis suppeditabit & cibum, præsertim cùm nihil præter ne- D cessaria petatis. Non solùm autem dignos iubet eos exquirere, sed neque de domo in domum transire, ne suum mœrore hospitem afficiant, & ipsi tanquam ventri dediti, ac mensæ lautioris appetentes, gulositatis nomine suspecti malè audiant. *Cùm autem intrabitis domum, salutate illam*, Quòd priores ipsi salutare iubentur, modestè de se ipsis sentire eos instruit. Ne putetis (inquit) quia Doctorem agitis, vobis iccirco expectandum fore, vt ab aliis salutemini, quin potius ipsi honore cæteros præuenite, salutationémque anteuertite. Ostendens autem id nudam haudquaquam esse salutationem, imò benedictionem, infert dicens. *Et siquidem fuerit domus digna*, veniet pax supra illam, si verò improba fuerit, non solùm ex pace illa nihil adipiscetur, sed eadem, quæ Sodomorum populi, supplicia luet. Illud autem, *Excutite puluerem pedum vestrorum*, ideo ait, vel, vt ostendant nihil se ab ipsis accepisse, vel vt in longi fiat illis itineris testimonium, quod illorum gratia confecerunt. Dicens autem, *Ecce ego emitto vos*, perinde est, ac si dicat, Ego fortis ille ac potens. Id quod ad omnem prorsus sufficit consolationem, satque omnino est ad confidendum, & eorum quæ superueniant, nihil pertimescendum. Omnibus enim (inquit) inexpugnabiles eritis atque inuicti. *Velut oues in medio luporũ*. hoc innuit, vt ouium præ se ferãt mansuetudinem, præsertim ad lupos proficiscentes. Et non simpliciter ad lupos, sed in medio luporum. Et non solùm ouium mansuetudinem habere illos iubet, sed & columbæ synceritatem, hoc est simplicitatem atque innocentiam. Et neque id solùm, sed hæc ambo commiscuit, vt in virtutem ipsa vertantur. Vt scilicet & prudentiam serpentis habeant, illæsum seruando caput, id est, fidem, & synceritatem columbæ, hoc est innocentiam, nullas de iniuria se afficientibus pœnas sumendo, de omnibus bene mereri cupientes, vt omnibus vndique numeris absoluti sint atque perfecti, vt neque periculis deiiciantur, neque rursus ira exacerbentur. Hæc autem non de iis tantùm dicebat, quæ paulò post futura erant; sed de iis etiam, quæ longo pòst tempore nouerat euentura, ab initio illos, ac multò ante ad bellum contra diabolum instituens. Propterea, & subdit. *Cauete autem ab hominibus. Tradent vos in concilia*. Quod ideo ipsis dicebat, vt confidere possent, se vbique illum præsentem habituros qui hæc ipsa eis & præuidit atque prædixit. Dicens autem, *At cùm tradiderint vos, ne sitis solliciti quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini*, de sua ipsorũ defensione illos confidere iubet. *Spiritus enim* (inquit) *Patris vestri loquetur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium. & insurgent filij aduersus parentes, & morte afficient eos. Et eritis odio habiti ab omnibus propter nomen meum*. Quibus profectò auditis Apostoli & crediderunt, & verba huiusmodi æquo animo exceperũt. Nihil præterea ex his terribilibus horrorem illis incussit, sed neque ab his liberari malis quæsierunt, præsertim cùm non per duos vel tres annos tantùm, sed per totam vitam id pati deberẽt. Hoc enim innuit cùm infert postmodum. Qui perseuerauerit vsque ad finem, hic saluus erit. Considerandum verò nobis est, eorum, quæ dicta sunt, nonnulla quidem ad Christum, nonnulla verò ad Discipulos referri. Nam quòd signa facerent Christi erat, quòd verò, nihil possiderent, Apostolorum: rursus, quòd singulæ illis domus paterent, supernæ gratiæ, quòd autem nihil vltra quàm postulabat ipsa necessitas, peterent, ipsorum philosophiæ est adscribendum, dignus est enim operarius mercede sua. Quòd item pacem omnibus impertirent, diuini id muneris donũ erat: quòd autem dignos exquirerent, neque ad omnes temerè ac imprudenter intrarent, hoc illorum faciebat modestia atque frugalitas. Præterea, qui illos non susciperẽt supplicio afficere, diuinæ virtutis: at cum mansuetudine animíque lenitate recedere, nullum conuicium nullámque contumeliam propellentibus rependentes, Apostolorum benignitatis erat omnino. Dare etiam spiritum, atque ab omni loquendi sollicitudine liberare, mittentis munus erat, fieri autem velut oues, ac velut columbæ, ferréque omnia generosè, illorum erat strenuitatis, atque prudentiæ. Vsque ad finem sustinentes seruare, mittentis id præstat gratia, & vsque ad vltimum spiritum infractis pro ipso animis

Universidad de Deusto
Biblioteca

decertare, Apostolorum id studij patientiæque, ac A constantiæ fuit. Ideo, & dicebat, *Qui autem perseuerauerit vsque ad finem, hic saluus erit.* Quia enim quàm plurimi in ipso quidem arreptæ virtutis initio vehementiores esse, postmodum verò dissolui paulatim atque deficere consueuerunt, propterea (inquit) finem requiro. Nam quæ illorum seminum vtilitas, quæ initio quidem florent, ac paulò post exarent, atque flaccescunt? Iccirco perseuerantem exigit patientiam. Postquàm autem horrida illa, ac timoris terroríque plena, quæ post eius ascensionem, illis erant euentura prædixit, ad mitiora rursus sermonem conuertit, quæ ante crucem illis instarent, discipulos videlicet respirare permittens, ac multam illis securitatem præbens. Quod declarauit dicens. *Non perambulaueritis omnes ciuitates Israel, quin iam venerit filius hominis.* hoc est quin vos sim complexus, atque ad vos venerim. Sufficiebat enim ad consolationem duntaxat ipsum videre. Illud porrò sciendum est, illum non omnia vbique gratiæ permittere, sed iubere, & illos nonnihil inferre, sicut & superius demonstrauimus. Si enim timetis (inquit) fugite. Non ipsos autem priores fugere præcepit, sed expulsos secedere, sed neque multum concedit spatium, sed quantum ciuitates ambit Israëliticas. *Non est discipulus supra præceptorem, neque seruus supra dominum suum.* Quamdiu videlicet discipulus, ac seruus manet, naturali non est honore præstantior. Neque verò nunc quispiam, quæ rarissima sunt, in mediũ proferat, sed à plerísque sumat argumentum. *Si ipsum patremfamilias vocauerunt, Beelzebub,* non dixit, si ipsum contumeliis affecerunt, sed Beelzebub vocauerunt, *Quanto magis domesticos illius?* vocãs autem illos domesticos, & non seruos, plurimam erga illos familiaritatem, animíque affectum demõstrat. Attamen (inquit) si me conuiciis impetiuerunt, & vos dubio procul, præstigiatores, ac planos appellabunt. Sed paulùm sustinete, & seruatores vos, & de toto terrarum orbe benemeritos, vniuersi consalutabunt, hoc enim significat. *Nihil est tectum, quod non sit retegendum: & nihil occultum, quin futurum vt sciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce: & quod in aurem auditis, prædicate in tectis.* Non quòd tenebræ essent, quando hæc illis loquebatur id ait, sed neque in aures illis differebat, sed eam quæ postea futura erat, libertatem, loquendíque fiduciam respiciens, hæc aiebat. Quia enim solus ipsis, & in paruo angulo huiusmodi loquebatur, ea propter, in tenebris, & in aurem, dicit. Illud autem in luce, & in tectis, significat oportere illos absque vllo cuiuspiam respectu, aperta fronte, maxima fiducia, loquendíque libertate vniuerso terrarum orbi Euangelium prædicare. Mandat porrò eis, ne illos metuant, *qui corpus occidunt,* sed illum magis, ac solum metuant, *qui potest & animã & corpus perdere in gehenna,* & in hoc illis suadens mortem esse prorsus contemnendam, & neque simpliciter mortem, sed & violentam mortem. Cùm verò ait, *Nónne duo passeres, minuto asse veneunt, & vnus ex illis non cadit in laqueum sine patre vestro?* de Dei prouidentia sermonem introducit. Quid enim (inquit) illis est vilius? nec illi tamen ignorante Deo vnquam fieri poterit vt capiantur. Non enim cooperante (inquit) Deo in laqueum incidunt, id namque diuinæ indignum fuerit maiestatis sed eorum quæ fiũt nihil ipsum omnino lateat. Si nihil igitur eorum, quæ accidunt, ignorat, vos paterno ingenúoque affectu diligit, & ita diligit, vt & vestri capitis capillos omnes habeat numeratos, quid vltra vobis opus est timore? Id verò dixit, non quòd ipse Deus capillos numeret, sed vt & exactam rerum omnium cognitionem, & plurimam circa eos Dei prouidentiam astruat. Si igitur & nouit omnia, quæ fiunt, & potest seruare vos, simul & vult, non est (inquit) quod metuatis, *multis passeribus præstatis vos.* Hæc autem dicebat, omnem ab eis timorem animique angustiam, qua ipsorum mentes concutiebantur, expellens. Non dixit autem, Qui confitebitur me, sed, *Omnis igitur qui confitebitur in me.* Ostendens eum qui confiteatur, non propria virtute, sed superna adiutum gratia confiteri. De negante autem, non dixit in me, sed me simpliciter, quòd qui negat gratia Dei destitutus neget. Sed fortè quis dicet, Et cuiusnam rei gratia quispiam repræhenditur, si derelictus à gratia negat? Quia nimirum qui derelinquitur, suo potissimũ vitio derelinquitur. Quare autem Deus fidei mentis nostræ, atque voluntati non acquiescit, sed & oris confessionem efflagitat? Quòd profectò ad loquendi nos libertatem, atque constantiam instituat, in maiorem nos dilectionem, animíque affectum perurgens, ac sublimiores efficiens. *Ne puteris, quòd venerim, vt mittam* B *pacem super terram, non veni vt mitterem pacem, sed gladiũ.* Vt scilicet quòd tabo corruptum est, à saniori parte abscindatur, & quod seditiosum, à pacifico resecetur. Ita quippe fieri poterit vt cœlum terræ iungatur. Nam & medicus hoc pacto reliquum conseruat corpus, quando quòd curationem minus admittit, & cædit & abiicit. Hunc in modum turris illius tempore factum Gen.12. est, quando improba pax illa, optima discordia & soluta est & reddita vera pax. Non enim vbique concordia bona est. Nec amici tantùm (inquit) aut ciues, alter in alterum consurgent, sed & cognatos, & natura ipsa aduersus seipsam diffindetur, filius aduersus patrem suum, & filia aduersus matrem suam, & sponsa aduersus socrum suam. *Et inimici hominis erunt ij, qui sunt domestici ipsius. Qui amat patrem vel matrem vltra me, non est me dignus.* Hoc est quamdiu pietati quidem non aduersantur, sanctum profectò est, omnem illis honorem exhibere: vbi verò vltra quam Christi charitas C postulat, exigunt, nullatenus est parendum. Id quod & de parentum in filios amore est sentiendum. *Et qui non portat crucem suam, ac sequitur me, non est me dignus.* vt scilicet in bellum ac pugnas, cædes ac sanguinis effusionem suam ipsius animam exponat. Neque enim simpliciter dixit, oportere se sequentes ad mortem esse paratos, sed ad mortem vel violentam. & non tantùm violentam, sed & maximè exprobrabilem ac cõtumeliosam. Quod autem Lucas ait, Siquis venit ad Luc.14. me, nec odit patrem suum ac matrem, & reliqua. Ita est intelligendum, ipsum videlicet non simpliciter iubere, vt eos odio habeamus, id enim quàm maximè fuerit iniquum, sed, Quando (inquit) eorum quispiam magis diligi quærit à vobis, quàm ego diligendus sum, tunc ipsum odio propterea prosequamini. Hoc enim tam diligenti quàm dilecto perniciem affert. Ne autem hoc audito parentes molestè ferrent, subiunxit, Præterea autem & animam suam. Quid enim mihi (ait) dicis parentes, fratrem, sororem, atque vxorem? Nihil est anima cuipiam coniũctius, verumtamen ni & ipsam odio habueris, non potes meus esse discipulus, Quid porrò est, *Qui inuenerit animam suam?* Qui eam (inquit) in voluptatibus diligit atque delitiis, me potissimum abnegato, nec spiritualibus eam certaminibus exponit atque pressuris, iste nimirum perditurus est eam, vt qui æterna illam gloria, suo vitio destituat. *Qui autem perdiderit animam suam mea causa,* hoc est vel per mortem, vel in angustiis ac pressuris agẽns ob Euangelij professionem, iste profectò in vitam æternam *inueniet eam.* Dicens autem. *Qui recipit vos, me recipit,* magnam ostendit repositam esse mercedem

dem iis, qui syncero animo hospites recipiunt. Addidit porro. *In nomine Prophetæ, & in nomine iusti,* ne quis vllo sæcularium fragiliúmve rerum intuitu suscipiat, sed solummodo quòd Propheta sit vel iustus. Quid verò est, *Prophetæ mercedem ac iusti mercedem accipiet?* Videlicet, vel quam par est illum accipere, qui vel Prophetam vel iustum receperit, vel quam is ipse Propheta, vel iustus accipiet. Ne quis autem paupertatem obtendat, licèt (inquit) *aquæ frigidæ poculum* tribuas, quòd sanè nullo sit impendio, vel huius te rei merces manet.

Caput xi.

Et *factum est, cùm finem fecisset Iesus mandandi duodecim discipulis suis, progressus est illinc.* Locum videlicet illis ac opportunitatem præbens, quæ iniunxerat, exequẽdi. Neque enim illo præsente quispiam eos adB disset. Æmulationem porrò atque inuidiam discipulorum Ioannis ostendens Euangelista, misisse (ait) Ioannem duos ex illis, qui suis Christum vobis interrogarent. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Qui enim ante signorum editionem illum norat, qui à Patre audierat, qui super omnes illum prædicarat, quomodo post hæc omnia, ad illum mittit ab eo cogniturus, an is ille sit qui venturus est? Non enim solummodo Ioannem, sed & quemlibet tametsi stupidum miro modo atque dementem, de illo ambigere dedecebat. Verùm cùm Ioannis discipuli continuo in Christum inuidiæ ardore flagrarent, nudum eum hominẽ suspicantes, ipsum verò Ioannem plusquàm hominem arbitrarentur, & Christum quidem in dies inclarescere, ac bene audire, Ioannem autem quòd ipse prædixerat, decrescere, ac minoris fieri conspicerent, cùmque Ioannes, donec cum ipsis erat, & hortaretur illos sedulò & institueret, nec vel sic persuasisset, vt de C Christo magnificentius quàm de se sentirent, essétque illi propediem moriendum, iccirco maiore nunc studio contendit, vt suorum animos confirmaret. Timebat enim ne peruersi cuiuspiam dogmatis occasionem illis relinqueret, sicque à Christo sui discipuli seiungerentur. Si enim dixisset illis, ad Christum abite, nam me ipso melior est, nusquàm illis persuadere valuisset, qui adeò illi adhærebant, vt nisi maxima ab eo difficultate diuelli non paterentur. Sin autem tacuisset, nihil vltra actum fuisset illis. Huius igitur rei gratia illos mittit interrogatum, vt ab ipsismet postea audiret, quæ Iesus signa patraret, quemadmodum Lucas ait. Sed neque sic omnes mittit, sed duos quosdam delectos, quos fortè nouerat cæteris persuasu faciliores, quò videlicet minus suspecta fiat interrogatio, ac rebus ipsis quantum inter Ioannem ac dominum Iesum intersit, intelligant. Simul enim atque ad Christum, peruenere, cæcos ac claudos, quam plurimósD que alios variis detentos infirmitatibus curauit, eorum, qui de ipso ambigebant, imbecillitati medicaturus. Quibus curatis dixit illis. *Ite & renunciante Ioanni quæ auditis & videtis. Cæci vident, & claudi ambulant, leprosi mundantur, & surdi audiunt, mortui excitãtur, & pauperes euangelizantur.* Dicens autem, *Et beatus est quisquis non fuerit offensus per me.* Ostendit occultas se illorum cogitationes intelligere. Ipsos enim insinuabat hæc dicens. Vnde & latẽti illos increpatione momordit, illorum inuidiam modestè subtraxans. Si qui verò dicerent, nouisse quidem Ioannem, illum esse Christum, verùm an pro hominum salute mori deberet, ignorasse, propterea que dixisse, Tu es ille qui venturus est, hoc est qui in Infernum est descensurus, nouerint huiusmodi sentientes, nulla prorsus id ratione constare. Nusquam enim Ioannes id ignorabat. Nam cùm Christum agnum nominauit, qui tollit peccatum Mundi, Crucem proculdubio prænunciauit. Et rursus cùm ait. Ipse vos in spiritu baptizabit, quæ post Ioan.1. resurrectionem fuerant euentura prædixit. Ad hæc quónam pacto Prophetis maior Ioannes erat, si quæ Prophetarum sunt ignorabat? Quod enim maior quã Propheta esset, ipse dominus noster Christus ac Deus ostendit. Quod autem Prophetæ Christi passionem nouerint, nulli non cognitum. Quorum in præsenti verba non huius est temporis recensere, ne longius sermonem protrahamus. Porrò si hoc esset, cur non dixit. Tu es ille qui venturus est in infernum, sed simpliciter, qui venturus est tantum? *Illis autem euntibus cœpit Iesus dicere turbis de Ioanne.* Postquàm ea quæ Ioannis discipulos respiciebant optimè dispensata sunt, abierúntque signis coram se editis confirmati, circunstantem iam turbam ad saniora reducit. Verisímile enim erat, ob id plurimũ scandalizatam dixisse secum. Nunquid dissidens cum Iesu Ioannes, suíque factus dissimilis, hæc illi per discipulos indicauit, qui tanta pridem, ac tam præclarè de illo fuerat testificatus: at modò dissuasus atque à seipso dissentiens, mutata sententia interrogat, vtrum ipse, an alter quispiam sit ille venturus? Quoniam igitur huiusmodi quàm plura consentaneum fuerat turbam suspicari, ait ad eam de Ioanne Christus. *Quid existis in desertum vt videretis?* Cur digressis Ioannis discipulis hæc ait? Ne videretur scilicet Ioanni adulari, eiúsque venari gratiam. Porrò nec illorum cogitationes in medium profert, quia nimirum haud ex malitia, sed ex dictorum ignorantia profluebant, sed solummodo solutionem infert, omnium se abscõdita nosse demonstrans. Illud autem, quid existis in desertum vt videretis, ob tempus dixit, quo Ioannes populum baptizabat. *Arundinem* verò *quæ à vento agitatur,* hominem dicit, qui summa facilitate leuitateque ob inconstantiam circumagitur, & modò hæc modò illa loquitur, ac nusquàm sibi constat. Illud verò, *Mollibus vestibus amictum,* in deliciis viuentes significat. Verùm Ioannes (inquit) nec pridem velut arundo fuit circumactus, nec in deliciis vixit, nec postea eiusmodi factus est vnquam. Id enim arguit eremus, id clamat amictus, id carcer testatur. Si enim mollia, holoséricáve gestare maluisset, vel in delicis ac luxu vitam agere, vel tanquam arundo circumagi libuisset, nullatenus eremum incoluisset, nunquam in carcerem coniectus fuisset. Non igitur eiusmodi Ioannes, sed Propheta, & excellentior Propheta, quòd Christo venturo fuerit propinquior. *Mitto,* enim inquit, *Angelum meum ante faciem tuam,* hoc est tibi Mala.3. proximum. Quemadmodum enim qui Regis vehiculo proximiores incedunt, cæteris clariores existunt, ita & Ioannes Christi aduentui propinquior exortus, vel hinc excellere demonstratur. Porrò illud. *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista,* significat, non peperisse mulierem illo maiorem. Et sufficit quidem ad præstantiam Ioannis astruendam, vel hæc ipsa tantùm Domini sententia, si verò velit quispiam etiam à rebus ipsis illam cognoscere, voluat animo illius mensam, consuetudinémque, ac mentis sublimitatem. Perinde namque in terris atque in cœlis agebat, naturæque necessitatibus superior effectus, nouam quampiam ac peregrinam virtutis viam incedebat, in hymnis, canticis, ac precibus, tempus omne traducens. Ad hæc nulli se vnquam hominum consuetudine iungens, continuo solius Dei fruebatur alloquio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Neque enim quenquam nouerat conseruorum, nec rursus ipse ab eorum aliquo conspectus fuit. Non lecto, non tecto, non foro, non alia quapiam humana re vsus est vnquam. Et mitis simul erat & vehemens. Quandoquidem suis cum Discipulis mira colloqui lenitate, populo autem Iudæorum insigni quadam animi fortitudine respondere, Regem verò summa cum libertate, atque constantia redarguere, ac propterea, Nullus inter natos mulierum surrexit maior Ioanne Baptista. Cuius autem rei gratia addidit. *Qui autem minor est in regno cœlorum, maior illo est?* Ne videlicet encomiorum excellentia, quibus illum fuerat prosecutus, absurditatem aliquam pateret audientibus, cùm Christo Ioannem Iudæi omnifariam præferrēt. Minorem autem se ipsum vocat, ætate scilicet, ac multorum opinione, nam & voracem Christum & vinolentum appellabant. Hæc autem dixit, non quòd Ioanni comparatus esset maior (absit enim hoc) incomparabiliter namque erat illo maior, verùm ex dispensatione, multorum imbecillitati huiuscemodi verbis condescendit. Dicens autem, *A diebus Ioannis Baptistæ vsque ad hunc diem regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Impellit iam ipsos atque hinc cogit ad fidem. Neque enim destitisset (inquit) Prophetæ nisi aduenissem ego. Quod enim ego sum, hinc patet omnino, quòd *Prophetæ omnes vsque ad Ioannem* prophetauerunt, quódque quàm plurimi quotidie fidem meam arripiunt. Quid verò sibi vult, quod ait. *Ipse est Helias ille, qui venturus erat?* Quoniam ambo, Ioannes videlicet, & Helias idem sortiti sunt ministerium, præcursores effecti ambo, iccirco eos æquè coniunxit. Nam quemadmodum Ioannes primi illius aduentus præcursor est ordinatus, ita & Helias secundi destinabitur. Non dixit autem simpliciter, hic est Helias, sed, *Si vultis recipere*, hoc est, si candida animi æquitate vtriusque gesta perpenditis. Deinde ostendens multa illis opus esse prudentia, simul atque dixit. Hic est Helias ille, qui venturus erat, adiecit, *Qui habet aures ad audiendum, audiat.* Quæ sanè ænigmata proponebat, vt illos ad se interrogandum prouocaret. Qui si neque sic excitabantur, multò magis profectò neglexissent, si clara omnia, ac manifesta dixisset. Dicens autem *Cui assimilabo generationem hanc?* per hæc manifestè declarauit se, scilicet & Ioānem contrariis quibusdam ad eos itineribus aduenisse. Atque idem fecimus (inquit) quod venatores, si quando animal quodpiam captu admodū difficile atque sagax, cui per duas vias in retia sit incidendum, insequuntur, viarum alteram quilibet arripiens, alter alteri contrarius proficiscitur, quò in alterum omnino trusum animal impingat. Nimirum si bonum esse ieiunium Iudæi arbitrabātur, oportebat vt Ioanni crederent, ipsúmque susciperent, atque iis fidem quæ ab illo dicebantur, adhiberent, qui Christo testimonium perhibebat, sicque demum in illius fidem, fidem inquam Iesu Christi Dei ac Domini nostri pedibus irent. Si autē graue illis ieiunium videbatur, atque molestum, nempe opus erat Domino Iesu parere, illíque credere contrariam ingredienti viam, sicut illi dicebant, comedonem illum, ac vini potorem appellantes. Vtraque enim via ad regnum credentes ingressi fuissent. Verumtamen & ipse Dominus noster Iesus Christus asperam, ac multis refertam laboribus, vitam ducebat, quadraginta dies ieiunans, ac noctes, Iudæorúmque ciuitates circumiens, ac docens, nec habens vbi caput reclinaret. Præterea Ioannes quidem nihil amplius ostendit, præter vitæ sanctimoniam, ac institutum, signum autem nullum edidit: Dominus autem noster Christus signorum & miraculorum testimonio fulciebatur. *Et iustificata est sapientia à filiis suis.* Hoc est, tametsi Iudæi minimè crediderunt, nunquam tamen illum incusare possunt. Omnia enim quæ ad ipsum spectabant, præstitit, ita vt impudentissimis quoque, nec vmbram quidem ingratæ perfidæque ambiguitatis relinquat. Si autem exemplis vilibus vtitur atque absonis, cuiusmodi, *Tibia cecinimus vobis, & non saltastis*, ne mireris, ad audientium enim imbecillitatem disserebat. Cuius autem rei gratia, *Cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ fuerant plurimæ virtutes eius, quòd non pœnituissent?* Vt discamus videlicet non natura eos eiusmodi fuisse, malos atque incredulos, sed malò illorum proposito, atque delectu. Siquidem à Bethsaida quinque prodierunt Apostoli, Philippus, scilicet, ac illa duo Apostolici ordinis Coryphæorum paria. His porrò addit & Sodoma, nec id quidem ociose admodum, inquit enim *Tolerabilius erit Sodomis in die iudicij*, quàm vobis, sed accusationem amplificans, quòd maxima illorum prauitatis probatio sit, cùm non solùm præsentibus, verùm & iis, qui olim fuere mali, peiores ipsi, ac vitiosiores appareant. Sed neque hîc orationem sistit, verùm & maiorem illis timorem incutit, vndique illos conuertere studens, tùm illos miserans, tùm etiam terrefaciens. Dicens porrò. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quòd occultaueris hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelaueris ea paruulis.* Confiteor tibi hoc loco pro eo quod est, Gratias tibi ago, posuit. Quam verò ob rem? Quia videlicet quæ sapientes (inquit) ignorarunt, hæc paruuli cognouere. Paruulos verò Apostolos vocat. Illud autem, *Sic fuit bona voluntas apud te*, significat sic tibi placuit. Cur autem à sapientibus absconditā fuerunt? Quoniam sicut ait Paulus, propriam iustitiam quærentes constituere, iustitiæ Dei non fuerunt subditi. Rom. 10. Neque enim cùm dicit, & reuelaueris, rem totam Dei esse affirmat, verùm & susciepientium probitatis, atque candoris. Quemadmodum, & cùm Rom. 1. Paulus ait. Tradidit illos in reprobam mentem, & excæcauit sensus illorum, non ipsum Deum hæc asserit operatum, sed illosmet, qui eius rei causam præbuere. Cùm autem Christum dicentem audimus, *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, nihil humanum suspicemur, hac enim vsus est dicendi forma, ne duos ingenitos Deos putaremus. Nam quòd ipse & genitus simul sit, ac omnium Dominus, è multis patet locis, & ex his potissimum, quæ subdit. *Et nemo* (inquit) *nouit Filium, nisi Pater, neque Patrem quisquam nouit, nisi Filius.* Quod autem dicit tale est. Non modò sum omnium Dominus, sed & aliud quippiam longè sublimius longéque præstantius habeo, nosse scilicet Patrem, & eiusdem cum illo esse substantiæ. Et non cuicunque mihi iniunctum fuerit, nec cuicunque imperatum, sed cuicunque voluero, tanquam Filius, reuelo Patrem. Dicens autem, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego refocillabo vos*, ostendit se omnes aduocare, non hunc vel illum, sed prorsus vniuersos, qui in curis, qui in laboribus, qui in peccatis sunt, huiusmodi enim sunt qui laborant, & onerati sunt. Non vt pœnas (inquit) à vobis repetam, verùm vt à peccatis soluam. Et non dixit, vt seruem vos tantùm, sed quod multo maius, vt in omni vos (inquit) securitate, ac tranquillitate constituam. Et ne terreamini (inquit) neque effugiatis, *Iugum* audientes, *suaue* enim est: neque timeatis, quod *onus* dixerim, quoniam *leue* est. Tametsi enim in superioribus dixit, angustam esse portam, & strictam viam, segnibus, ac languidis id dixit. Quoniam siquis; quæ dicta sunt, perfecerit, leue onus erit. Perficit autem si humilis fuerit, si mitis, si modestus.

modestus. Hæc est enim totius Philosophiæ mater, & non tantùm aliis est vtilis, sed & sibi ipsi ante omnes requiem parat. *Inuenietis* enim (inquit) *requiem animabus vestris.* Atque hunc in modum (inquit) antequam futura contingant, in præsenti retributionem tribuo, ac victoriæ iam præmium præbeo. Seipsum porrò in exemplum ponit, ac in medium profert dicens, *Discite à me quòd mitis sim & humilis corde*, orationem suam acceptabiliorem reddens: vt scilicet ex ipso discamus, quàm ingens bonum sit ipsa humilitas.

CAPVT XII.

IN *illo tempore ibat Iesus Sabbatis per segetes.* Cùm sciret Dominus, tanquam vniuersarum rerum præcognitor, quid sui essent acturi Discipuli, ob id ipsum per segetes illos agebat. Quoniam autem Sabbatum soluere animus erat, data occasione id facit. Nunquam verò absque causa illud soluit, sed rationabiles præbet occasiones, quò & legem cessare faciat, & Iudæos, siquidem intelligere velint, minimè lædat. Id quod & hoc loco facit, naturæ necessitatem, nempe famem illis obiiciens. Admirari porrò opus est discipulorum tolerantiam, qui nullam corporearum rerum curam habentes, verum neglectim sibi atque obiter carnis mensam ponentes, continua cum fame pugnabant, & neque sic à Christo discedebant. Nisi enim inediæ famísque stimulante labore pressi fuissent, nunquam id omnino fecissent. Cur autem quando spicas quidem vellebant Apostoli, non vehementer admodum Pharisæi excanduere, tametsi erat id mentis eorum duriciei magis consentaneum: quando autem aridam sanauit hominis manum, tunc tanta immanitate sæuierunt, vt etiam de ipsius nece consilium inierint? Quoniam ibi quidem nihil magnum, ac generosum actum est illi, ac propterea non admodum valde tumultuati sunt: hic autem, quoniam viderunt quosdam ob id miraculi seruatos, iccirco & ferocierunt, & turbati sunt, adeo humanæ salutis erant inimici. Adducit autem ipsum Dauid in medium, qui propositionis panes comedit, quòd maxima apud eos omnes Prophetæ huius esset opinio. Nullam verò Regiæ dignitatis mentionem facit, cū Dauid nominat: ne scilicet, quòd ab ipso generis ducebat originem, sublimia de semet sentire videretur. Quod si nec ipse Dauid Sabbatum soluit, profectò maius erat quod fecit. Haud enim æquale erat diem Sabbati transgredi, & sacram illam mensam contingere, quam nulli, nisi Sacerdotibus solis contrectare fas erat. Atqui sæpenumero Sabbatum solutum fuit, quinimò, & ob circuncisionem, & ob alia plura opera continuè soluebatur. Id quod & in Hiericho factum videre est. Quod autem fecit Dauid, semel duntaxat fecit, idque naturæ necessitate adactus, propterea, & venia dignus fuit ipse, & ij qui cum illo erant. Siquis autem dicat, non esse propterea expostulationem soluere, alium quempiam in medium adducere, qui eadem impune peccarit, assentiar & ego istuc ipsum, nulli nanque clàm est. Sciendum tamen est, legem fieri facinoris patrociniū, cum qui admisit, nullius criminis accusatur. Ostendit præterea nec peccatum esse, quod ab illis est gestū. Si enim sacerdotes (inquit) in templo sabbatum prophanant, & culpa vacant, vbi & sine causa est solutio, multò magis vbi causa solutionem induxit. Propterea (inquit) *Si sciretis, quid sit, Misericordiam volo & nō sacrificium, nequaquàm condemnassetis insontes.* Quibus sanè verbis & ignorantiam illis exprobrat scripturarum, & quòd inculpabiles essent discipuli à scriptura concludit. Postremo & aliam quo- Mar. 2. que causam subinfert, dicens. *Nam dominus est & sabbati filius hominis.* Quod quidem de seipso dixit, tametsi Marcus de communi hominum natura dictū affirmat. Sabbatum enim (inquit) propter hominem factum est, nō homo propter sabbatū. *Et progressus illinc venit in synagogam illorum. Et ecce homo erat manum habens aridā. Et interrogabant illum dicentes, licet ne sabbatis curare?* Quoniā sceleśti illi atque impuri, ipsum tandē ad hominis sanitatē omnino peruenturū intelligebant, iccirco sua illū studebant interrogatione preuenire, sperātes hoc pacto præstando salutis munere ipsum remouere, sin minus, ipsius accusandi calūniandique ansam arripere. Ipse autem insigniter benignus mansuetudinē suam animíque modestiam vbique demonstrans, illorúmque inhumanitatē omnibus æquè declarans, hominem in medium statuit. Curvero id? Vt illos scilicet ad hominis commiserationem prouocaret. Vbi autē neque sic inflexi sunt, tunc cōtristatus est, inquit, atque illis ob eorum cordis duricié iratus, ait: *Quis erit ex vobis homo qui habebit ouē vnam, & si ea inciderit sabbatis in foueam, nonne apprehēdet illam & eriget?* Hoc nimirum paradigmate concludens, nullam eos impudentiæ suæ, quam prætexant, excusationem habere, qui illum vicissim præstitæ sanitatis accusent. *Tunc dicit homini, extende manum tuam, & extēdit. Et restituta est sana sicut altera.* Illi autem nulla affecti iniuria *egressi, cæperunt consilium aduersus eum, quomodo illum perderent.* Adeò grande malū inuidia est. At ille mitis ac māsuetus, *vbi nouisset, fecesset illinc, secutaq; sunt eum turbæ multæ*, illum maximè suspicientes. Pharisæi autem à sua ipsorū malitia non recessere. Ob inauditā verò illorum insaniā, & prophetā Esaiam in mediū adducit Euangelista, qui hæc ipsa longè antè prædixerat. *Ecce* (inquit) *filius meus quem elegi, dilectus meus, in quo sibi bene cōplacuit anima mea. Ponam spiritum meū super illū, & iudiciū Gentibus annunciabit. Non contendet neque clamabit, neque audiet quispiam in plateis vocem eius &c.* Quibus nimirum verbis, illius mansuetudinem, atque ineffabilem potestatem laudibus euexit, magnámque ac latam Gētibus ianuam reserasse illum asseuerauit, ac ea quibus Iudæi premendi erant, mala prædixit. Ad hæc quantus sit illius cum Patre consensus ostendit. Cùm enim ait. Quem elegi, concordiam cum Patre declarat. Cùm verò, iudiciū Gētibus annunciabit, vocationē Gentiū insinuat. Cùm autem, non contēdet, ait, neque clamabit, mansuetudinem illius indicat atque clementiam. Porrò, *Arundinē comminutā non confringet*, potētiam ipsius atque virtutē, simúlque Iudæorum imbecillitatem designat. Poterat enim illos facilè velut arundinem confringere. *Et linum* (inquit) *fumigans non extinguet*, accensum illorum furorem hîc ponit ob oculos, Christíque potestatem talem fuisse ac tantam significat, vt omniū facillimè destruere illos potuerit & extinguere. Vnde & plurima ipsius mansuetudo declaratur atque benignitas. Illud autē, *Donec eiiciat ad victoriam iudicium suū*, declarat, cùm sua omnia complerit, & iustificationes suæ victoriam adeptæ fuerint, tunc profectò vltionē illum adducturum, & omnimodā prorsus atque exactā vltionē. Tunc enim grauia illos comprehendēt. Cæterùm non sic desistet dispensatio, sumpto duntaxat perfidorum supplicio, sed & vniuersum quoque terrarum orbem attrahet ad sese, iccirco & subintulit. *Et in nomine illius Gentes sperabunt.* Et vt nouerimus voluntate etiam Patris hoc esse gestum, in initio id Propheta confirmauit dicens. Dilectus meus, in quo sibi bene complacuit anima mea. Qui enim dilectus est, & hæc ipsa ex diligentis sententia facere certus erat. *Tunc adductus est ad eum Dæmoniacus, cæcus ac mutus.* Grandis profectò huius Dæmonis malitia. Vtrunque hominis aditum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

per quem crediturus videbatur, visum videlicet atque auditum obstruxerat, vtrunque tamẽ Christus aperuit. Cuius autem rei gratia cùm alibi ipsum accusassent, quòd in Beelzebub Dæmonia eiicerent, tunc quidem illos non increpuit, occasionem illis ac spatiũ præbens, quò suam & ex signis potestatẽ, & ex doctrina magnificentiam intelligerent, in præsenti autem adeo increpat? Nimirum quò suam illis deitatem patefaciat, dum prius quidem cordium ipsorum arcana in mediũ profert. Deinde verò, dum mira Dæmones facilitate propellit. Attamẽ & increpationem ipsam cum sua illa genuina lenitate facit, nos videlicet instruens, vt erga inimicos mites simus atque suaues, licet eiusmodi in nos oblatrant, quæ nobis conscij non sumus, quæque nulla prorsus ratione nituntur. Respondet autem eis non à scripturis argumenta sumens, quibus illi nullatenus vacabant, imò verò prauè interpretari studebant, verum ab iis quæ communiter obtingunt. Inquit enim. *Omne regnũ diuisum aduersus seſe, non ſtabit. Et omnis ciuitas aut* B *domus diuiſa aduerſus ſeipſam, celerius diſſoluetur.* Haud enim æquè externa bella, ac intestina conficiunt ac labefactant. Regni autem meminit, quod nihil regno potẽtius sit in terris, veruntamen & ipsum deperit, seditionibus disparatum. *Et ſi ſatanas ſatanam eiicit.* Non dixit. Si satanas Dæmones eiicit, sed satanam, quò summam inter illos concordiam demõstraret. *Aduerſus ſeipſum* (inquit) *diuiſus eſt.* Si autem diuisus, ergo imbecillior factus est atque destructus. Quòd si destructus, quónam modo poterit alterum eiicere? *Si autem ego* (inquit) *in Beelzebub eiicio dæmonia, filij veſtri in quo eiiciunt?* De Apostolis hæc dicit. Non dixit autem, Discipuli mei, neque Apostoli, sed filij vestri, vt si quidem velint, ad eandem quam illi adepti sunt nobilitatem conscẽdere, plurimã hinc capiãt occasionem. Si autem ingrato fuerint animo, in suáque vitiositate perstiterint, nullam præterea impudentiæ suæ excusationem obtendere valeant. *Propterea ipſi* (inquit) *iudices veſtri erunt.* Cùm ex vobismet C (inquit) prodierint Apostoli, sintque eandem sectati legem ac disciplinam, attamen meis illi quidem sint sermonibus persuasi, mihique obediant, vos autem cõtra insurgatis ac repugnetis, haud dubium quin sit futurum, vt ab eis condemnemini. Dicens autem. *Peruenit ad vos regnum Dei*, de suo primo dicit aduentu, simúlque, ipsis ostendit, debere eos exultare atque gaudere, quòd magna illa atque ineffabilia bona aduenerint, quæ à Prophetis olim fuerant decantata. Ipsi autem contrarium omnino factitabant, vtpote qui non modò eiusmodi non comprobabant, sed & calumniis prementes, nullius omnino roboris causas comminiscebantur. Nam ego quidem (inquit) Spiritu dei eiicio Dæmonia, quod profectò maximæ virtutis, nec cuiusuis omnino gratiæ opus est, vos autẽ per ea quæ passim obloquimini, contra vestram salutem arma sumitis. *Aut quomodo poteſt aliquis intrare domum potentis, & vaſa eius diripere, niſi prius liget potentem, & tũc domum illius di-* D *ripiet.* Hoc est, non solùm Satanas satanam non eiicit, sed nec cuipiam illum eiicere licet vllatenus, nisi prius illum superauerit. Adeò enim (inquit) absum vt ope vlla auxiliõve diaboli vtar, vt continuum aduersus illum bellum geram, ac expugnatum vinciã. Atq; huius certè rei indicium est, quòd vasa illius diripio, id est fugo Dæmones, & vniuersum orbem ab errore libero, eiúsque præstigiaturas dissoluo, ac omneis eius artes atque conatus inutiles prorsus atque inanes reddo. Nó dixit autem rapiet, sed *diripiet*, quò facinoris potestatem indicaret. Fortẽ verò ipsum appellat, non quòd natura is sit (absit enim hoc) sed eam, quam antea exercebat, tyrannidem, è nostra ipsorum negligentia at-

que ignauia partam patefaciens. Dicens præterea, *Qui non eſt mecum: contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit:* de ipso diabolo ac dæmonibus hæc etiam loquitur. Nam ego quidem (inquit) vniuersos ad Deum adducere, ac virtutem edocere, cœlorúmque regnum æquè omnibus annunciare desidero: diabolus autem ac Dæmones his omnino contraria moliuntur. Quónam igitur pacto qui mecum non colligit, nec mecum est, mihi opitulatur ac fauet? Atqui non modò non opitulatur, imò vero & omnia mea dispergere ac dissipare desiderat. Hæc autem omnia dicit, quò maximas inter se ac diabolum inimicitias esse demonstret. Quid verò est. *Omne peccatum atque blaſphemia remittetur hominibus, at blaſphemia in ſpiritum nõ remittetur hominibus?* Iã plurima (inquit) contra me estis oblocuti, méque planum ac Deo contrarium appellastis, hæc igitur omnia vobis remitto, nec eorũ à vobis pœnas exigo. Esto autẽ, vt me ob hanc, qua contegor, assumptã carnem offendatis, qui fit, vt & in Spiritum sanctũ peccetis? Nunquid & de illo dicere habetis, & illũ quoque vos ignorare? Iccirco & hîc & in futuro pœnas luetis. Quæ etenim contra me (inquit) ante crucis passionem blasphemastis, & ipsum præterea crucis impium facinus vobis dimitto, ob infidelitatem verò solam condemnabimini. *Qui autem dixerit aduerſus Spiritum ſanctum non remittetur ei neque in præſenti ſæculo neque in futuro.* Si enim vt asseritis) inquit) me ignoratis, nũquid & illud ignoratis, dæmonum videlicet expulsus, variásque languentum curationes sancti Spiritus esse operationes? Quod autem dicit huiusmodi est. Digna (inquit) pœnitentia, quæcunque aduersum me vel sanctum Spiritum peccaueritis, condonat atque detergit. Si verò pœnitentiam nõ egeritis, iis quidem, quæ ante Crucem gesseritis aduersum me, in præsenti sæculo haudquaquam paria referetis, sed in futuro tantùm: iis autem, quæ in sanctum fueritis Spiritum conuiciati, nisi pœnitentiam egeritis, digna prorsus cum in præsenti tũ in futuro sæculo supplicia dabitis. Nõnulli siquidem hominum & hîc & in futuro puniũtur, sicut Sodomitæ & hi ipsi, quibus de loquimur, Iudæi. Qui & in præsenti sæculo pœnas dedere, quando scilicet intolerabilia illa, capta ipsorum Vrbe, perpessi sunt, & in futuro fæuissima expectant genera tormentorum. Alij autem in futuro dũtaxat pœnas pendunt, vt diues ille epulo, qui ignibus aduritur, nec vnius quidem aquæ guttæ dominus. Alij verò in præsenti tantùm, quemadmodum is, qui apud Corinthios est fornicatus. Alij postremò neque hîc neque in futuro, sicut Apostoli ac Prophetæ, sicut etiam & Iob ille beatus. Quæ etenim hîc mala perpessi sunt, non punitionis siue supplicij, sed agonum atque luctarum gratia sunt illis illata, vt orbi clariores illucescerent. Dicens porrò, *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem putrem, & fructum eius putrem.* Confundit illos hîc rursus, ac pudorem incutit. Nihil verò non facit, vt eos ad emendationis vitæ tramitem reducat. Quod autẽ dicit tale est. Nullus (inquit) vestrum vnquàm dixit, malum esse omnino opus, Dæmones propellere, atque ab his homines vindicare. Tametsi enim erãt maximè impudentes, nequaquã tamen id dicere quibant. Cũ igitur opera nõ carperẽt, sed ipsorum authorem Christum calumniarentur, Vos (inquit) contra rerum consequentiam facitis. Quandoquidem arboris discrimen elucet è fructu, non item fructus ex arbore. Vos autem contrarium facitis. Si enim fructus arbor est causa, fructus verò index arboris, consequens omnino est, vt vel dæmonum expulsionem crimineminí, me ipsum, qui hanc operor criminantes, vel eam comprobantes, & me eius authorem haud

Gen.19.

Luc.16.

1.Cor.5.

haud maledictis incessatis, verùm laudibus prosequamini. *Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui cùm mali ſitis?* Progeniem viperarum illos appellat, quia de maioribus suis nimium profectò gloriabantur, animósque tollebant. Propterea igitur ab Abraæ cognatione illos abscindit, ac eiusdem moris progenitoribus adiungit, ostenditque eos à malis huiusmodi maioribus ortos, malo quoque ingenio esse præditos, mala loquentes. *Siquidem ex abundãtia cordis os loquitur.* Declarat autem, & hîc rursus suam Deitatem occulta quęlibet peruidentẽ, docétque eos nõ modò verborũ, sed & malarũ quoque cogitationum pœnas esse daturum, séque eas vtpote Deũ nosse. Ad hæc asserit licere etiam hominibus illas dignoscere, cùm natura id cõsequatur, vt intus ebulliẽte malignitate, verba foris per os effundantur. Cùm igitur hominẽ audiueris mala effutiẽtem, ne tantam solummodo inesse illi prauitatem suspicere, quantam verba sonant, verùm lógè maiorem, quo deriuantur, fontem esse coniecta. Quæ enim verba proferuntur, ab interna procul dubio abundantia prodeũt. Et ne putaueris (inquit) hoc prauis sceleſtísque hominibus tantùm accidere, nam & bonis quoque id ipsum vsu venit, imò verò, & multò magis. Quandoquidem maiorem in corde virtutem continent, quàm verba sonent exterius. *Bonus* (inquit) *homo ex bono theſauro emittit bona, & malus homo ex malo theſauro emittit mala.* Thesaurũ dicit, quo abundantiam significet. Dicens autem, *Dico autem vobis, quòd de quocunque verbo otioſo quod locuti fuerint homines, reddituri ſunt rationem in die iudicij.* Otiosum verbum dicit, quod mendaciis nititur, quod calumniam ingerit, quod risum mouet, quòd denique ab re prorsus effertur. De huiusmodi (inquit) reddet hominum quilibet rationem in die iudicij. *Ex ſermonibus enim tuis iuſtificaberis & ex ſermonibus tuis condemnaberis.* Quod sanè mite iudicium arguit, omníque odio, ac inuidia carens. Non enim ex iis, quæ alius (inquit) quispiam de te dixerit, verùm ex iis quæ tumet locutus C fueris, iudex sentẽtiam feret. Quapropter dilecti omne studium adhibeamus, vt non solùm ipsi otiosum vllum verbum non proferamus, verũ de Dei mandatis continuè sermocinemur, studentes, quæ ad nostrarum conferunt animarum salutem, sedulo consulere inuicem ac admonere. Veríssima etenim est Dei, ac Domini nostri Iesu Christi iusta enunciatio, esse nos videlicet ab eo, ex dictis nostris, sententiam excepturos. Mirans porrò Euãgelista impudentissimam Scribarum, ac Pharisæorum mentem, (inquit) *Tunc reſponderunt quidam ex Scribis, & Phariſæis dicentes, Magiſter volumus à te ſignum videre.* Apposuit autem illud Tunc, propterea quòd post tot tantáque signa, ac si nullum factum esset signũ, dicant. Volumus abs te signum videre. Hoc autem dicebant, vt eum rursus carpant, atque suggillent. Quia enim & semel & bis, ac multifariam ipsorum suffrænarat ora, verbísque silentium imposuerat, se rursus ad sigD na conuertunt. Ipse verò, quando asperè quidem illi interrogabant, ac conuiciis incessebant, modestè admodum, ac mitius differebat. Quando autem adulabantur, contumelioſè maximáque cum vehementia respondebat, ostendens vtroque se ipsum affectu superiorem. Et quemadmodum tunc ira non excanduit, ita & in præsenti assentatiunculis se non esse delinitum manifestat. Est autem operæpretium & contumeliam ipsam intueri, qua ipsos aggreditur. Neque enim simplex omnino est obiurgatio, sed euidentissimam malignitatis ipsorum demonstrationem continere probatur. Quid enim ait? *Generatio praua & adultera ſignum quærit.* Quod dicit tale est. Ingrato (inquit) inimicóque semper animo maiores vestri erga benefícos extitere, quemadmodum & vos ipsi nunc estis, benéque affecti, peiores semper effecti sunt, quòd profectò extremæ vitiositatis est. Adulteram verò vocauit, tum priorem, tum præsentem declarans perfidiam tam maiorum eorum, quàm ipsorum propriam: illorum quidem, quòd à Deo descíscentes ad Dæmonas confugerunt: horum autem, quòd præsentem ipsum susciperenoluerunt. Dicens autem. *Et ſignum non dabitur illi, niſi ſignum Ionæ Prophetæ.* Iam de resurrectione sermonis præludia facit, atque ipsam à figura confirmat. Quid igitur? Nónne petenti datum est signum? Reuera, non autem vt ipsos excitaret, atque attraheret, iam enim ipsos obcalluisse nouerat, verùm vt cæteros emendaret. *Quemadmodum enim fuit Ionas* (inquit) *in ventre ceti tribus diebus, ac tribus noctibus: ſic erit & filius* Ion.3. *hominis in corde terræ tribus diebus, ac tribus noctibus.* Cor terræ sepulchrum dixit. *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione hac.* Quam ob rẽ Niniuitæ Iudæos condemnabunt? Quoniam ille quidem seruus, hic autẽ dominus. Ille ex ceto prodiit, hic de morte surrexit. Ille subuersionem prædicauit, hic verò regnum annunciauit. Ad hæc illi quidem barbari, hi autem inter innumeros enutriti Prophetas. Et illi absque signis crediderunt, hi autem plurima conspicati miracula in infidelitate perstitere. *Regina Auſtri ſurget in iudicio cum ge-* 3.Reg.10. *neratione hac & condemnabit eam.* Hoc priore maius omnino est. Nam Ionas quidem ad illos profectus est, Regina autem Austri non expectauit, vt ad se Solomon accederet, sed ipsa vltro Solomonem adiuit, & mulier, & barbara, & tanta locorũ intercapedine seiuncta. Nõ instantium minarum terrore perculsa, nec mortem verita, sed solo sapientium verborum amore pellecta. *Et ecce plus quàm Solomon hoc loco.* Ibi enim mulier ad Solomonem perrexit, hîc autẽ ego (inquit) dominus. Et Solomon quidem de arboribus, ac lignis scitè disserebat, quòd sanè nihil præcipuum vtilitatis scientibus afferre valet, ego autem de ineffabilibus rebus, ac horrendis C omnino mysteriis verba facio. Dicens autem, *Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine, perambulat per arentia loca quærens requiem, & non inuenit, tunc dicit. Reuertar in domum meam vnde exiui.* Manifestè declarat non in futuro duntaxat sæculo, sed etiam in præsenti grauiora Iudæos supplicia esse daturum. Quod autem dicit tale est. Quẽadmodum (inquit) qui Dæmonio vexantur, postquàm ægrotatione illa semel sunt liberati, si desidia postmodum, ac negligentia corrumpantur, grauiora ad sese attrahunt mala, habéntque deteríus, sic & vobis, omnino continget. Etenim Dæmonio olim detinebamini, quãdo Idola venerantes filios vestros Dæmoniis mactabatis, multam præ vobis ferentes insaniam, neque sic tamen vos dereliqui, sed per Prophetas, pérque memet illum cieci Dæmonem, ac rursus aduenì, purgatiores vos reddere desiderans. At quoniam animaduertere non vultis, verùm in maiores nequitiæ scopulos, vltro impingitis, cùm Domini cædem inhiare longè maius sit atque grauius, quàm Prophetas occidere, propterea grauiora vos supplicia manent omnino, quàm ea fuerint, quæ in Babylone, & in Ægypto ac sub Antiocho passi estis. Nam ea quæ sub Vespasiano, ac Tito illis mala contigere, longè his grauiora fæuioráque fuerunt. *Adhuc autem loquente illo ad turbas, ecce mater & fratres eius ſtabant foris, quærentes ei loqui.* Non autem, quòd suam ipsius matrem erubescceret, nec ab ea se genitum negaret, ait. *Quæ eſt mater mea?* Si enim erubuisset, nullatenus ex matre illa processisset, homo factus: neque in cruce pendens, illam discipulo omnium longè amantissimo commendasset. Verùm id dixit ostendere volens, omnia sine virtute

Universidad de Deusto
Biblioteca

prorsus esse vana atque superflua, illúmque qui eam exercuerit, suum & fratrem, & sororem simul, ac matrem esse. Opus est autem non ipsa tantum verba disquirere, quæ mediocrem continent increpationem, sed quis nam etiam sit, qui increpat, intueri, nimirum, quòd non purus sit homo, sed vnigenitus Dei filius. Quorsum verò huiusmodi vsus est increpatione? Profectò cupiens tyrannicum illum, quem tanquam mulier, mater patiebatur, inanis gloriæ affectum abolere. Volebat enim ipsa populo demonstrare potestatem se in filium, ac authoritatem habere. Quandoquidem oportebat vt & ipsa auditorium ingressa, vnà cum turbis filium audiret: sin minus, donec sermonem absolueret, expectare. Quòd sanè ipsum, & de ipsius fratribus est sentiẽdum. Non tamen renuncianti sibi respondit. Abi, dic matri meæ, se meam non esse matrem, sed ad nunciantem sermonem dirigit dicens: *Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei?* Quin & aliud quid his verbis, præterea quæ dicta sunt insinuat, videlicet ne illi, aut alij quilibet cognatione freti, virtutem aspernentur.

CAPVT XIII.

IN *die verò illo egressus Iesus è domo, sedit iuxta mare.* Cuius rei gratia iuxta mare sedit docens, & nauim ingressus est? Nimirum volens summa cum diligentia turbas docere, nullúmque à tergo sinere, sed vniuersos è vultus sui regione intueri. Cur verò nunc quidem in parabolis disputat, quando autem in monte docuit non sic? Quia tunc quidem simplex aderat turba, nunc autem plerique & Scribæ & Pharisæi conuenerant. De quo autem dicit: *Exiit qui seminabat ad seminandum?* De se ipso videlicet. Vnde verò exiit, quãdo omnia implet, ac vbique præsens est? Non sanè loco, sed habitu, ac œconomia quadam, qua nobis per carnis susceptionem propinquior est effectus. *Et cùm seminaret, alia quidem ceciderunt iuxta viam.* Non dixit, proiecisse satorem semen iuxta viam, sed semen cecidisse, quartámque illius solummodo partem fuisse seruatam, sed neque parem omnino fructum produxisse, sed multum fuisse spicarum discrimen. Hæc autem dicebat omni se indicans abundantia, ac animi candore differere, perindéque se facere, ac qui terram seminat, qui serendo campum non discernit excipientem, sed simpliciter ac indifferenter semina iacit. Hunc in modum & ipse. Non enim diuitem, non pauperem non sapientem, non rudem, non desidem, non industrium, non strenuum, non ignauum vllatenus discernit, sed omnibus doctrinam suam candidè impertit, parteis suas complens omnifariam, tametsi futura illum non fugiebant. Quî autem factum est vt maior pars seminis sit deperdita? Non profectò serentis, sed excipientis soli culpa, hoc est reluctantis animæ vitio id euenit. Illud autem animaduertendum videtur, non vnam esse tantum perditionis viam, sed diuersas, atque eas multo inter se dissitas interuallo. Porrò qui secus viam, desides sunt, sedentariíque ac indiligẽtes. Qui autem in petricosa, imbecilliores sunt tantum atque debiles. Haud enim æquale est nullis omnino vexationibus, nullísque concussionibus impetitam arescere doctrinã, atquè collabi variis subditam tentationibus, atque obnoxiam. At qui in spinas, longè his omnibus venia digniores existunt. Quocirca nequid horum patiamur, summa animi propensione, iugique memoria quæ dicũtur obducamus. Si enim illa diabolus rapit, nos tamẽ præstare possumus ne rapiantur. Si enata arescunt semina, non propter æstum id contingit. Non enim dicit æstibus exaruisse semina, sed quòd radicem non haberẽt.

A Si spinis obruta dispereunt, quæ dicuntur, non spinarum profectò, sed corum qui illas succrescere permittunt, vitio suffocantur. Licet etenim nobis, modò velimus, vitiosum huiusmodi sentium germen ne suboriatur inhibere, diuitiísque in vsus vti necessarios. Iccirco non dixit, sæculum sed *cura sæculi*, neque diuitiæ, sed *deceptio diuitiarum* sermonem suffocat. Non igitur rebus, sed menti prorsus corruptæ, culpam omnem attribuamus. Quam verò ob rem Apostoli Domino dicunt, *Quare in parabolis loqueris turbis?* Quia beneuolè admodum erga ipsas afficiebantur. Nam & post hæc dicunt, Dimitte turbas. & rursus. Nosti illos offensum fuisse? Quæ scilicet omnia ex abundanti in eos dilectione dicebant. Illud autem. *Vobis datum est nosse mysteria regni* Infr. 14.
B *cælorum, illis autem non datum est*, ideo dixit, quia sponte Infr. 15.
credere Iudæi nolentes, omnium semet malorum causam efficiunt. Sancti nanque Apostoli vltronei crediderunt. Haud enim necessitatem (inquit) vllam, vel doctrinæ attributionem quampiam, temerè, vtque contigerit factam, introduco: Siquidem nec liberum tollo arbitrium. Dicens autem, *Quisquis enim habet, dabitur illi, & reddetur abundantior, quisquis autem non habet, etiam id quod videtur habere, tolletur ab eo.* His verbis indicauit ci, qui promptam egregiámque voluntatem, ac propẽsum animi studium habuerit, vel omnia quæ ex Deo sunt, fore præstanda, cum verò qui his caruerit, nec studium omne suũ adhibuerit, nec quæ ex Deo sunt, fuerit amplexatus, præterea nec exquisierit, imò verò & aspernatus fuerit, ac duxerit parui, ex omnibus omnino excisurum. Pulchrè autem dixit, etiam id quod videtur habere, neque enim id ipsum habet. Quid porrò est, *Quia videntes non vident, & audientes non audiunt?* Nimirum quia cum Dæmones propelli videant, In Beelzebub dæmoniorum principe eiicere me dæmonia dicũt, cum venisse me audiant, vt ad Deũ doctrina mea ipsos adducam, esse me nullatenus à Deo loquitantur. Cur
C autem & prophetam in medium adducit, consona sibi decernentem atque dicentem. *Auribus audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non cernetis. Incrassatũ est enim cor populi huius?* Nequis videlicet fortè putaret, quæ ab eo dicta fuerant, nudam omnino esse accusationem. Illud autem, *Nequando conuertantur, & sanem illos,* intẽtam illorum malitiam significat, ac studiosam auersionem. His tamen verbis ipsos attrahit, ostẽdens prorsus fieri posse, vt modò illos pœnituerit, omnino seruẽtur, séque non ad gloriam suam, sed ad illorum salutem omnia facere. Dicens porrò, *Vestri verò beati sunt oculi, quia vident, & aures vestræ, quia audiunt*, non corporeum hunc intuitum, sed mentis oculos dicit esse beatos. Iudæi etenim & hi ipsi erãt, eisdem innutriti oraculis, sed nihil eis obfuit prophetia, quòd bona liberáque voluntate ac mente prediti essent. Ideóque & addidit. *Multi Prophetæ ac iusti desiderauerunt videre, quæ videtis, & non viderunt: & audire, quæ auditis, & non audierunt.* Ad-
D uentum videlicet meum (inquit) ipsa hæc miracula, vocem, atque doctrinam. Illi etenim fide tantummodo conspexere, hi autem & ipsis oculis. *Vos igitur audite,* (inquit) *parabolam seminantis.* Enarrauítque eis quæ à nobis in superioribus dudum dicta fuere de pecuniis ac paupertate, ostendens quanta ex eis pernicies, quantáve ex illa proueniat vtilitas. Subintulítque diuersos virtutis modos ac rationes. Nam cùm esset benignissimus non vnam ad eam tantùm viam demonstrauit, nec dixit, nisi quis centuplum reddiderit, explodetur, verùm & si quis sexagecuplum protulerit, seruabitur. Et neque hic solus, sed & qui trigecuplum ediderit, omnino salutem assequetur. Id porrò facit iccirco, vt salutis viam nobis facilem constituat. Est autem

autem centuplum virginitas ac paupertas vnà cum cæ-
A teris virtutibus. Sexagecuplum verò honorabile coniugium atque modestum, quod cum Christo substantias partitur. At trigecuplum honorabile similiter coniugium atque modestum, quod Christo tertiam bonorum suorum partem impertit, reliquis nimirum omnibus dominicis seruatis præceptis. Et hæc quidem parabola in his versatur, at ea quæ sequitur de conciliabulis differit hæreticorum. *Simile factum est* (inquit) *regnum cælorum homini seminanti bonum semen in agro suo, sed dormientibus hominibus venit illius inimicus, & seminauit zizania inter triticum, abiitque.* Zizania vocat hæreticorum cœtus. Quemadmodum enim zizanium frumento simillimum est, ita & error maximas veritatis præ se fert similitudines. Dicens autem, Dormiẽtibus hominibus, haud profectò paruum hinc periculũ sacerdotibus imminere demonstrat, nõ solùm autem sacerdotibus, sed & omni populo. Ad hæc ostẽdit errorem semper con-
B sequi veritatem. Sicut enim postquàm seminatum est triticum, mox & zizaniorum noxium semẽ inspersum est: ita & post prophetas, falsi exsurrexere prophetæ, & post Apostolos, falsi Apostoli, & post Christum, Antichristus. Nisi enim prius videat diabolus quid imitandum sibi, quibúsve sit insidiandum, nec aggreditur quidem, nec etiam nouit. Et quídnam (inquies) hi differunt dormiẽtes, ab iis, qui per viam, iuxta quam semen ecciditsignificantur? Multum profectò. Quoniam ibi quidem confestim rapuit diabolus, nec radices mittere permisit, hîc autem maiori arte indiguit atque conatu. Hæc autem locutus est Christus quò nobis continuè vigilandum esse doceret. Licèt enim (inquit) illam effugeris fraudem, adhuc supereſt & altera fraus. Nam quemadmodum ibi alij per viam, alij per petram, alij per spinas, ita & hîc per somnum nonnulli pereunt. Continua ergo custodia nobis est opus. Eapropter & dicebat. Qui perseuerauerit in finem, hic saluus erit.
C *Cùm autem germinasset herba,* (inquit) *& fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania.* Semper enim in initio hæretici abdunt sese, vbi autem maiorem sumpserint audaciam, permiseritque illos quispiam loqui, tum verò hæreseos suæ venenum audacter effundunt. Inimicum porrò hominem, diabolum appellat, ob eas quas in homines struit, excipulas. Ipsius enim insultus omnis atque conatus, contra nos quidem est, at causa qua nos impetit atque diuexat, non ex impugnatione nostra ducit originem, verùm ex eo quo in Deũ afficitur, odio proficiscitur. Vnde apertissimè patet, maiori erga nos cumulo dilectionis affici Deum, quàm erga nosmet ipsi afficiamur. Cur autem non antea seminauit zizania, sed satis ritè completis? Profectò vt agricolæ studium simul atque laborem deperderet, ita hostiliter in Deum affectus omnia faciebat. *Accedentes autem serui patrisfamiliás dixerunt illi. Domine nonne bonum semen seminaras in tuo agro?* Quam ob rem quod gestum fuerat
D nunciantes seruos introducit, iam iámque festinantes, vt zizania euellant, tametsi incõsideratè admodum loquuntur? Quò videlicet illorum erga sata sollicitudinem patefaciat, qua, vt interim morbum eximerent, solummodo premebantur. Nec suo hi tamen iudicio fidunt, sed domini sententiam præstolantur. Prohibet autem dominus. Neque enim oportet hæreticum interficere. Id nanque indicat. *Vis igitur abeamus & colligamus ea?* Si enim morte plecterentur hæretici, atrox profectò, & irreconciliabile bellum vniuersõ terrarum orbi foret inferendum. Quid verò sibi vult. *Ne dum colligitis zizania, eradicetis simul cum illis & triticum?* Nimirum, vel quia si arma (inquit) in illos cœperitis, necessum omnino fuerit vt dum hæreticos interficitis, multos etiam sanctorum gladiis impetatis. Vel quia verisimile est, vt multi ab ipsis zizaniis conuertantur, ac fiant triticum. Si igitur anticipantes, ipsos eradicueritis, iis qui triticum futuri sunt, omnino perniciem inferetis. Non autem prohibet dominus, quò minus impudentem hæreticorum audaciam suffrænemus, simul & refringamus, verùm ne vita prorsus exigamus. Cuius autem rei gratia (inquit) *In tempore messis dicam messoribus, Colligite primum zizania?* Cur ita primùm zizania? Ne videlicet ipsi messores timeant, tanquam vnà cum zizaniis & triticum secum adducturi. Consideranda porrò est & Domini mansuetudo ac lenitas, nam expectat zizaniorum cõuersionem, fortasse enim (inquit) in tritici naturam commutabũtur. Si autem ad finem vsque zizania permanserint, tunc (inquit) dicam messoribus, *Colligite, & colligate in fasciculos ad comburendum ea.* Id quod eorum indicat æternum supplicium. Messores verò Angelos dicit. *Aliam parabolam propo-*
B *suit eis, dicens. Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod acceptum homo seminauit in agro suo.* Grano sinapis cœlorum regnum assimilauit, quia sicut paruum habet semẽ id genus holus, vbi autem creuerit, cæteris omnibus fit maius holeribus, ita & in Euangelij prædicatione factum est. Erant enim Apostoli cæteris hominibus imbecilliores inferiorésque, attamen quòd ipsis eximia quædam inesset virtus, vbique terrarum Euangelij prædicatio & diuulgata est atque producta. Quare autem alibi quidem, messem iam instare asserit, vt cùm ait, At- Ioan. 4.
tollite oculos, & videte regiones, quoniam albæ sunt iam ad messem. Et rursus, Messis quidem multa, ope- Suprà 9.
rarij autem pauci. hîc autem alia significatione messem appellauit? Quoniam interdum quidem audientium obedientiam, messem dicit, nunc autem sæculi cõsummationem, illam appellat. Rursus, cùm alibi dixerit, Ioan. 4.
Alius est qui seminat, & alius qui metit, cur hîc satorem se esse dixit? Illud profectò de Apostolis ac Prophetis dixit, quandoquidem ipse erat, qui per eos vel tunc seminabat. Porrò videre est etiam vbi & messem, & semen idem dicit, ad aliud, atque aliud singula referens. Quod sanè tunc dicit, quando auditionis fructum inquirit. *Aliam parabolam dixit illis. Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondidit in farinæ satis tribus donec fermentaretur totum.* Huius sanè parabolæ scopus hic est. Quemadmodum magnam farinæ vim, tametsi modicum fermentum in suas ipsius conuertit vires, ita & vos (inquit) mei Discipuli vniuersum orbem (licèt admodum pauci) ad veritatis cognitionẽ conuertetis. Et sicut fermentum totam tunc conspersionem fermentat, cùm farinæ admixtum fuerit (hoc enim significat abscondidit) hunc in modum & vos, vbi vos impugnantibus adglutinati fueritis, atque vniti, tunc illis insigniter longè præstabitis. Et quemadmodum ibi occultitur quidem farina fermentum, sed nõ deperit, imò verò sensim in suam ipsius naturã, massam farinæ transmutat, sic & in hac Euangelij prædi-
D catione omnino continget. In tribus autem satis farinæ, dicens, magnam farinæ copiam compræhẽdit. Solet enim huiusmodi numerum Scriptura pro multitudine accipere. Cæterùm nemo miretur, si de cœlorum regno verba faciens, de grano sinapis, & de fermẽto meminit. Apud enim eos differebat, qui & inexpertes erant rerum & idiotæ, quíque huiuscemodi rebus adduci necesse habebant. Ita nanque simplices erant atque supini, vt postmodum quoque multa huiusmodi rerũ interpretatione indiguerint. Quam verò ob rem Prophetam in medium profert Euangelista, qui de parabolis longè ante præcinuit atque ait. *Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mũdi?* Psal. 77.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vt scilicet ostenderet, nihil noui vel locutum, vel molitum fuisse dominum nostrum & Deum Iesum Christum. Loquebatur autem eis in parabolis, vt ad se interrogandum illos alliceret. Quoniam tamen nullus ex eis ipsum interrogauit, *dimissis turbis venit in domum. Et accesserunt ad illum Discipuli eius, dicentes, Dic nobis parabolam zizaniorum agri.* Cuius rei gratia Apostoli nūc cum fiducia & accedunt illum & scisciantur, quandoquidem alicubi, quid cognoscere cupientes, ipsum interrogare timuerunt, nunc verò tanta cum fiducia interrogant? Nimirum, quia sibi iam dictum ab eo audierant. Vobis datum est nosse mysteria. Seorsum autē interrogant, non profectò multitudini inuidentes, sed domini legem seruantes, qui dixerat, Illis autem datum non est. Cur nam verò fermenti parabola, ac sinapis omissa, de zizaniorum tantummodò parabola scisciantur? Quoniam illas quidem tāquam manifestiores pertransierunt, hanc autem, vt quæ affinitatem quandam cum ea, quæ de semine prædicta est, & maius quid illa portendat, multásque præ se ferat minas, exponendam sibi proponūt. Iccirco nec ipsos arguit, sed enucleatius explicat, quæ dicta fuerant, se ipsum rerum omnium & iudicem & dominum demonstrans. Considerāda, porrò est ipsius ineffabilis benignitas humanitásq;, quámque is sit ab inferendis suppliciis alienus. Quando enim seminat, per seipsum seminat. Quando autem punit, per alios vtique punit. Et de seminante quidem dicit, *Qui seminat bonum semen, est filius hominis.* De punientibus autem, *Messores verò Angeli sunt. Sicut igitur colliguntur zizania & igni comburuntur, sic erit in consumatione sæculi huius. Mittet filius hominis Angelos suos, & colliget de regno illius omnia offendicula, & eos qui patrant iniquitatem, ac mittent illos in caminum ignis ardentem. Ibi erit ploratus, & stridor dentium. Iusti verò* (inquit) *fulgebunt vt sol in regno patris sui.* Quod sanè dixit, non quòd eo tantùm modo fulgere debeant, sed quòd nihil aliud, hoc fulgentius astro ipsi nouerimus, ea propter ab iis quæ nobis sunt notiora, similitudinem ducit. Qui autē alibi quidem dicitur, iustos prius esse rapiēdos, in præsenti autem, vbi in supplicia peccatores trusi fuerint, tū demum iustos splendorem emissuros? Veniēte quidem Christo domino, in eius occursum tunc iusti rapientur primi, at post eius aduentum, æternis suppliciis peccatoribus addictis, tunc in cœlorum regnum iusti abibunt. Quia enim illos opus est in cœlo versari, ipse autem in terra vniuersum genus hominum iudicaturus aduenier, lata contra peccatores sententia, quasi rex quispiam, vnà cum suis surgens amicis, ad beatam illam requiem eos traducet. Vides duplex esse supplicium peccatoribus, alterum quo perpetuo cremabūtur igni, alterum quo ab illa excident gloria. Cur autem digressis turbis, etiam Discipulis loquitur in parabolis? Quoniam sapientiores adcò ex præcedētibus iam facti fuerant, vt deinceps intelligere valerent. Propterea & post parabolas dicit eis, Intellexistis hæc omnia? At illi dixerunt ei, Etiam domine. Ita cum aliis bonis, & hoc etiam priores illæ parabolæ præstiterunt, vt perspicientiores discipulos reddiderint. Quid autem significat thesauri, margaritæque parabola, quæ est huiusmodi, *Simile est* (inquit) *regnum cœlorum thesauro abscondito in agro,* & quæ sequuntur. Et rursus. *Simile est regnum cœlorum homini negociatori quærenti pulchras margaritas?* Profectò oportere Euangelij prædicationem in primis curare, eáque nihil antiquius habere. Quemadmodum autem grani sinapis, & fermenti parabolæ, paruā quandam inter sese differentiam habent, ita & hoc loco thesauri, ac margaritæ parabolæ. Et ille quidem fermenti, ac sinapis ad prædicationis vim ostendendam, quæ

Sup. eo.

Infrà eo.

A vniuersum omnino orbem erat supergressura, dictæ fuerunt, hæ autem illius magnificentiam, ac preciositatem indicant. Protenditur enim velut sinapis, & ceu fermentum superat, preciosa porrò est vt margarita, & infinitam sicut thesaurus præbet opulentiam. Ad hæc & illud ostendit, non tantùm oportere omnibus aliis exutos, solius prædicationis studiis inhærere, verùm & magno id cum gaudio præstare opus esse, facultates calcare, vt qui sciamus quæstuosissimam id mercaturam esse, non damnum, hoc enim indicat cùm ait. *Et præ gaudio, quod habet de eo, abit, & omnia quæcunque habet, vendit, & emit agrum illum.* Abscondita igitur quidem est in mundo prædicatio, in prædicatione verò bonorum omnium summa. Nisi vendideris vniuersa, non emes. Nisi eiusmodi animum habueris anxium, ac curiosè quærentem non inuenies. Nec solùm autem ab his est temperatiis abstinendum, sed & iugiter vigilandum. Quoniam verò vna est veritas, & non multiplex, propterea inquit, *Cùm inuenisset vnam preciosam margaritam.* Et quemadmodum, qui margaritam habet, ipse quidem se diuitem nouit, cæteros verò id latet omnino, cùm sæpè occlusam ipsam manu contineat, nec enim est corporea quæpiā moles, ita profectò, & in Euangelij prædicatione contingit. Qui enim illi adhærent, eámque possident, opulentissimos se non ignorāt. Infideles autem thesauri huius magnitudinem non capientes, nostras omnino diuitias non intelligunt. *Iterū simile est regnum cœlorum verriculo iacto in mare, & ex omni genere contrahenti.* Sciendum est huiusmodi parabolā, ab ea, quæ de zizaniis est, omnino differre, quòd ibi nonnulli ob hæresim pereant, quique ante illam seminibus denotantur, quòd Dei verbo animum non appulerint: hi autem ob flagitiosam omnino vitam depereunt, qui certè omnibus miseriores existunt, vtpote qui veritatis cognitionem adepti, ac in piscatorum illapsi retia, nec sic quidem seruari potuerint. Et quam nam ob causam alibi quidem ait, seipsum sicut pastor separat, separaturū, hic autem, Angelos id facturos affirmat, quòd sanè ipsum & in zizaniorum parabola asserit? Quoniam modò quidem ipsis crassius pressiúsque loquitur, modò autem subtilius, atque sublimius. Neq; verò simpliciter dixit. *Mala autem foras abiecerūt,* ne quis ignorantiam periculo carere propterea putaret, quòd discere nolit, verùm addidit: *Et mittent eos in caminum ignis, vbi est fletus & stridor dentium.* Per hæc immensi illius doloris grauitatem declarans. Præterea animaduertendum est quot perditionis viæ sint. Prima nanque petrarum, secunda spinarum, tertia viæ, quarta zizaniorum, quinta sagenæ. Non incongruè igitur spatiosam esse viam dixit, quæ abducit in exitium, multósque esse qui per illam ingrediuntur. *Propterea omnis Scriba doctus ad regnum cœlorum similis est homini patrifamiliàs, qui depromit è thesauro suo noua, & vetera.* Scribam, illum appellat, qui iugi diuinarum scripturarum lectione, veræ scientiæ veteris, ac nouæ scripturæ thesaurum in semetipso recondidit. Qui igitur diuinarum scripturarum sunt imperiti, nūquàm profectò fuerint patres familiàs, qui nec á se ipsis habent, nec ab aliis accipiunt: imò verò alios aspernantes, sub ignorantiæ fame contabescūt. Neque hi duntaxat, verùm etiam hæretici huius sunt beatitudinis expertes. Quod autem è suis depromunt thesauris noua & vetera, de veteri illos ac noua Scriptura differere, atque docere significat. Audiamus igitur quicunque scripturarum lectionem aspernamur, quantam faciamus iacturam, quantámve sustineamus inopiam. Quando enim rectum aliquod vitæ institutum ipsis operibus aggrediemur, qui leges ipsas quibus viuendum est prorsus ignoramus? Atqui diuites

diuites quidem, vestes suas ne tineis corrodantur frequenter excutiunt: nos verò cum tineis grauiorem pestem, ipsam nempe obliuionem, animam nostram vitiantem videamus, ad libros, quibus anima & excolitur, & honestatur, nullatenus accedimus. *Et factum est vt cū finisset Iesus parabolas has, digrederetur illinc.* Cur dixit parabolas has? Quia videlicet & alias dicturus erat. Quare autem illinc digressus est? Vt qui cuperet vbique Euāgelicum seminare sermonem. *Et cùm venisset* (inquit) *in patriam suam docebat eos in synagoga illorum.* Quam nam illius patriam modò appellat? Nazareth videlicet. In Capernaum etenim signa edidit, vt suprà dictum est, in hac autem edere omisit, ob eorū scilicet infidelitatem, ne in maiorem illos inuidiam inflammaret, néve oblatè protensam incredulitatem, acrius postmodum damnaret. Doctrinam verò illis proponit nihilo, quàm signa minus admirationis continentem, hi autem omnino dementes, cùm eos oporteret illius verborum vim simul ac maiestatem suspicere, stuporéque perfundi, ipsum contrà deprimunt, ac vilificiunt, quòd eo videretur patre progenitus. *Nonne hic est* (inquiunt) *ille fabri filius?* Et quidem cùm plurima hac de re priscorum temporum haberent exempla, nosséntque ex obscuris ignobilibúsque parentibus generosos nonnunquam filios procreari. Quandoquidem & Dauid ille, vilis cuiuspiā agricolæ Iesse scilicet extitit filius. Amos quoque propheta caprarij filius, & ipse caprarius. Et Moses ille legislator, longè illo inferiorem sortitus est patrem. Cùm igitur ob id quàm maximè venerari illū ac admirari deberent, quòd huiusmodi ortus parentibus talia loqueretur (manifestum nanque erat, non humanæ id esse diligentiæ, sed diuinæ gratiæ) hinc potissimum fastuosè despicantur, ac nihili ducunt. Porrò in Synagogis assiduè versabatur, nam & hìc in Synagoga illorum docebat, ne si iugiter in eremo moraretur, tanquam cæterorum hominum consortia fugiētem simul ac impugnantem accusarent. Et stupebāt quidem illius sapientiam, at præ inuidia credere aufugiebāt, propterea & Christus summa cùm lenitate dixit illis. *Non est propheta honoris expers nisi in patria sua & domo sua.* Quod ait in domo sua, propter fratres suos dicit. Quam verò ob rem tametsi pauca, signa tamen in patria sua edidit? Ne videlicet illi dicerent, Medice cura te ipsum: ad hæc ne tanquàm hostem illum ac inimicum existimarent, vt qui suos ciues, ac domesticos reiiceret ac paruipenderet, ne denique causarentur ac dicerent. Si & hic signa patrata fuissent, & nos certè credidissemus. Ea propter igitur & signa fecit, & à signis abstinuit: illud quidem, vt suas partes expleret, hoc autem, ne maioribus criminibus obnoxios sæuius condemnaret.

1. Reg. 16. Am. 1. Exo. 2.

CAPVT XIIII.

In illo tempore audiuit Herodes Tetrarcha famam Iesu & dixit pueris suis. Hic est Ioannes ille Baptista, ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes agunt in illo. Non quidem fortuitò dixit, In illo tempore, verùm vt fastuosam Tyranni elationem intelligeremus, quòd non sub Euangelicæ prædicationis initium, rumorem qui de illo circunferebatur, sed longo post tempore perceperit. Huiusmodi sunt enim, qui in principatibus versantur. Nam cùm insolentiæ plurimum habeant, tardissimè ea perdiscunt, quòd parui admodum illa faciant. Tetrarcham verò illum appellat, quoniam Herodes Rex, huius pater, qui pueros Bethlehemiticos trucidauit, olim defunctus fuerat. Intuendum porrò, quanta sit virtus. Nam & Ioannem iam defunctum extimuit, & A nimia captus formidine de resurrectione philosophatur. Ideò enim dicebat: Hic est Ioannes, quem ego interfeci. Neque verò coram multitudine, præ timore hæc loquebatur, sed coram seruis suis. Quare autem non principaliter, sed quidem obiter historiam de Ioanne narrat Euangelista? Quoniam omnis illius scopus erat, ac studium, Christi opera describere. Nec aliud quippiam extra id propositum, qui Euangelia conscripsere, faciebant, nisi quod in re esset eiusmodi, atque ad id omnino conduceret. Proinde nec huius modò Matthæus historiæ mentionem fecisset, nisi propter Christum. Quapropter ipsam enarrans inquit: *Herodes enim cæperat Ioannem, & vinxerat, ac posuerat in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui. Dicebat enim ei Ioannes, Non licet tibi habere eam.* Nihil verò hac de re Herodiadem, sed Herodem ipsum alloquebatur, quòd is magis authoritate valeret, ac esset potior. Est autem aduertere operæprecium quo- B modo accusationem ipsam minus molestam faciat, vt magis historiam narrare, quàm accusationem intendere videatur. *Cùm autem celebrarentur* (inquit) *Herodis natalia, saltabat filia Herodiadis in medio & placuit Herodi.* Duplex profectò crimen, & quòd saltauit, & quòd placuit, & ita placuit, vt cædem pro mercede acceperit. Quando enim ipsum oportebat Deo gratias agere, quò ipsa eum die in lucem inuexisset, tum vel maximè iniquissimum illud facinus impudenter aggreditur. Quando vinctum soluere par erat, tunc cædem vinculis adiecit. Audiatis quicunque in nuptiis indecora huiusmodi turpiter agi patimini, qui saltatrices fœminas, ac turpi gesticulatione lasciuientes in conuiuia ducitis, communem fœminarum sexum dehonestantes. *Et indoluit Rex. Attamen propter iusiurandum & simul accumbentes iussit dari.* Cur verò indoluit Herodes, vbi Herodias caput petiit præcursoris? Quòd videlicet eiusmodi virtus sit, vt & à facinorosis ac prauis etiam hominibus, & admiratione & laudibus digna prorsus habeatur. In lance autem sibi dari caput petit, quia nimirum linguam illam silētem videre animo gestiebat. Neque enim eius illas redargutiones duntaxat vitare cupiebat, sed & insultare, & conuiciando iacenti exprobrare, animus erat. Passus est autem Deus omnia hæc, nec supernè aliquid vibrauit fulgur, quò impudentissima illa fœminarum attacta cremaretur: neque terram dissici præcepit, quò scelestum conuiuium illud suo absorberet hiatu, iis plurimum solatij relinquens, qui postea iniuriam aliquam essent perpessuri. *Id cùm audisset Iesus, secessit illinc in naui ad desertum locum seorsum.* Quánam gratia, & quando Ioannes traditus fuit, & quando interfectus, & quando audierunt Iudæi, plures illum discipulos facere, secedit? Quoniam volebat interim quàm plura gerere humano more, cùm nondum tempus appetisset, quò diuinitatem suam clarius denudaret. Propter- Luc. 9. ea & discipulis mandabat, ne cuiquam hominum dicerent, quòd ipse esset Christus. Id enim post resurrectionem suam fieri manifestum volebat. Vnde & in Iudæos ipsos, qui interim infideles permanserunt, haudquaquam grauem se atque seuerum, imò verò indulgētissimum præbuit. Intuendū verò quo nam pacto Ioannis discipuli Christo se deinceps familiares fecerint, eúmque sibi conciliarint. Ipsi enim fuere, qui occisum Christo Ioannem nunciarunt. Ex eo enim omnes ad illum confugere. Ita non modicam post magistri mortem sunt vtilitatem, & ab iis assecuti, quæ olim sibi ab eo mira fuerant dispēsatione respōsa. Cur autem priusquam illi magistri mortem sibi nunciassent, non inde secessit, præsertim cùm singula vel antequam illi nun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ciarent, optimè nosset? Nimirum vt dispensationis veritatem in omnibus demonstraret. Eam enim volebat non solùm aspectu, sed rebus ipsis atque operibus credi. Norat enim quàm optimè diaboli dolos atque cõmenta, scelestúmque illum nihil non facturũ, quò dispensationis, hoc est incarnationis mysterium auferre posset atque subuertere. Hac igitur gratia secessit Christus. Secessit autem non in ciuitatem quampiam, sed in desertum locum & in naui, quò illum nemo consequeretur. At turbæ, neque sic abscedunt, sed inhærentes illi atque affixæ sequuntur, nullo vel Ioannis cæde timore perculsæ. Eiusmodi vires desiderium habet atque dilectio, sic expugnãtur his omnia ac propellũtur mala. Iccirco & confestim sui sunt amoris vicem consecutæ, nã *sanauit infirmos illorum*. Neque verò fidem ab illis hoc loco exigit, quoniam sectatu suo, dimissione vrbium, diligenti illius inquisitione, constantíque apud illum, vel ipsa cogente fame, perseuerantia, satis supérque suam ipsorum fidem testabantur. Porrò cùm illos esset cibaturus, non vltrò id agit, sed eius rei precatores expectat, ne prior in miracula insilire, sed rogatus ea facere videatur. Nullus autem è turba Christum accedens, de seipsis eum est allocutus, quia profectò reuerebantur ipsum mirum in modum, præque assiduitatis desiderio, inediam ipsam súsque déque ferebant. Sed neque illius discipuli ipsum conuenientes, dicunt, Ciba illos, quòd adhuc essent imperfectiores. Sed quid dixerunt? *Desertus est locus, & hora iam præteriit. Dimitte turbas, vt abeant in vicos, & emãt sibi cibaria*. Si enim post huiusmodi miraculum, id etiam obliti sunt, & post sublatas fragmẽtorum sportas, de pane ipsum dicere putarunt, quando phariſæorum doctrinam, fermẽtum appellauit, longè magis huiusmodi signum nondum experti, nihil tale suspicati fuissent. Quare autem non dixit, Ego dabo illis quod edant, sed, *Date illis vos?* Quoniam adhuc tanquàm homini adhærebant. Ea propter & dicunt: *Non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces*. Erat enim obduratum cor eorum, quòd adhuc humi repebant. Tum verò diuinitatem suam in medium profert, aitque, *Afferte mihi eos huc*. Licèt enim desertus sit locus, adsum ego tamen, qui vniuersum terrarum orbem pasco. Licèt hora præterierit, at vobiscum loquitur, qui nullis vsquam temporibus subiicitur. Tametsi autem Ioannes hordeaceos illos fuisse panes asserit, non quidem superfluè ac otiosè id dicit, sed superbum deliciarum luxum calcare nos instruens. Qua verò de causa in cœlum oculos sustulit, ac benedixit? Vt se videlicet à patre esse monstraret, simúlque & nos edoceret, vt non prius mensam attingamus, quàm ei gratias egerimus, qui nobis alimenta suppeditat. Non facit autem ex non extantibus panes, sed ex subiectis: Marcionis hinc atque Manichæi ora, creationem ab illo disparantium, oppilãs, tum etiam ostendens, & visilia ipsa omnia, sua esse opera ac creaturas, séque ipsum illum esse qui dixit, Educant aquæ animas reptilium viuentium. Vniuersale porrò munus singulis confert, tantam pascens hominũ turbam, ne plerique eorum solummodò fiant beneficiorum spectatores, quibus cæteri recuperata sanitate fuerunt affecti (ob id nanque conuenerãt) sed vt & ipsi diuini muneris largitate fruantur. In eremum autem illos agit, quò supra modũ fieret miraculũ minus suspectum, nullúsque putaret è proximis villis aut vicis quicquàm ad illius multitudinis mensam illatũ fuisse. Ideóque & elapsæ horæ, non modo loci facit mentionem. Hinc porrò discimus Christi discipulorum philosophiã, qui cùm duodecim essent, quinque tantummodo panes, ac duos pisces habebant, ita vel in necessariis ipsis superflua sibi ac negle-

Ioan. 6.

Gen. 1.

ctui erant eorporea, spiritualibus duntaxat inhærentibus. Sed neque pauca illa retinere conati sunt, imò verò & illa postulati, libentissimè tradiderunt. Vnde & edocemur oportere nos, vel si pauca habeamus, ea tamen egentibus elargiri. Dabat verò per discipulos suos, in hoc ipsos honorans, nec solùm honorans, verùm etiam, ne transacti huiusce miraculi vllatenus obliuiscerentur, cui manus suæ testimonium reddidissent. *Iussit* autem *turbis vt discumberent super gramina*, ad philosophiam illos instituens. Nec enim corpora solùm reficere, sed & animas instruere volebat. Et ab ipso igitur loco, & quòd non plures, vel panes, vel pisces oblati sunt, & quòd singulis eadem sunt apposita, factáque communia, nihílque aliud vltra prębitum, humilitatem simul atque modestiam illos, dilectionémque, ac mutuum affectum, vtque omnia communia facerent, edocebat. Supereſſe autem fecit non quidem panes integros, verùm fragmenta, tum vt absentes quoque rem gestam cognoscerent, tùm etiã ne quis phantasiã quãdam id fuisse suspicaretur. *Duodecim* verò *cophinos sustulerunt*, vt & Iudas quoque suum portaret. Et quidem poterat Christus turbarum suo imperio famem extinguere, verùm illius potestatem discipuli nequaquam intellexissent. Sic igitur ipsum turbæ hinc mirum in modũ sunt admiratæ, Regémque illum facere voluerunt, cum in aliis signis nihil tale vnquã molitę fuerint. Mulierum præterea meminit, ac puerorum, ad eorum maximum encomiũ, quòd imbecilliores natura, viæ laborẽ, illius fruendi desiderio, nihil fecerint. *Et statim coegit Iesus discipulos suos intrare in nauim*. Cuius rei gratia statim facto miraculo discipulos compulit, vt nauim conscenderẽt, ac se præcederẽt in ripam vlteriorẽ? Profectò vt nobis suaderet, ne vnquam à multitudine gloriã aucupemur, neque turbas post nos trahamus. Siquidem cùm maiora quæpiam patrabat, vnà cum discipulis à multitudine facessere solitus erat. Coëgit autem dixit, miram discipulorum assiduitatem simul, & quàm difficulter ab illo diuellerentur, insinuans. Et turbæ quidem occasione, discipulos amandasse visus fuit, verùm id egit, quòd vellet ipse in montem solus ascendere. Quod ideo fecit, quò nos admoneret, non semper apud multitudinem nobis esse versandum, neque rursus semper fugiendum, sed alterum, prout expedierit, opportunúmve fuerit, permutanter agendum. Quandoquidem bona interdum est singularitas solitudóque, cùm Deus præsertim orandus est nobis. Nam & imperturbationis est mater, & quies, & portus, quæ tumultus omnes à nobis longè propellit. *Ceterùm nauis iam in medio maris erat, & afflictabatur à fluctibus, nam ventus erat aduersus*. Cur nã prius quidẽ, cùm sæua maris tempestate discipuli iactarentur, illis adfuit, nuncverò nequaquã? Vt profectò illis tunc facilè solamen impenderet atque opem, nunc autem vt ad maiorem illos tolerantiam inducat. Nam leniter quidem, ac paulatim illorum animos ad sublimiora formabat. Propterea & in medio mari tempestatem excitari permittit, vt nulla possent ex parte sperare salutem. Sinit prętereа illos totam noctẽ marinis fluctibus afflictari, cùm illorum excitans corda, tum vehementius illis sui desiderium iniiciens. Simul etiam & nos instruens, ne ingruentium malorum solutionem citò quæramus, imò verò in quæ inciderimus aduersa, generoso constantíque animo perferamus. *Quarta autem noctis vigilia abiit ad illos Iesus*. Et quando se iri liberatum sperabant, tunc rursus accreuit timor. *Vbi audiſsent* (enim inquit) *eum discipuli super mare ambulantem*, adeò turbati sunt, vt etiam exclamauerint. Ad tempestatis nanque terrorem, & aspectus terror accessit, haud illo minor. Ideóque nec tenebras

nebras soluit Iesus, nec se ipse subita manifestatione patefecit, in huiusmodi quod dixi, terrorum perseuerantia illos exercens, ac durans, atque ad tolerantiam instituẽs. Quo autem magis eiusce sollicitudinis angor intẽdebatur, eo gratius acceptiúsque illius præsentiam susceperunt. Vbi enim dixit, *Fidite, ego sum, ne terreamini*, his confestim verbis, omnem ipsorum formidinem soluit, fecitque confidere. *Respondens autem illi Petrus dixit: Domine si tu es, iubeto me venire ad te super aquas*. Cur non dixit, Iubeto me ambulare super aquas, sed ad te venire? Quoniam ostentationis erat illud, hoc autem duntaxat amoris. Nemo enim perinde Dominũ Christum, ac ipse diligebat. Ideò & mirè auebat, vt prope illum citius esse posset. Permisit autem Christus vt ad se veniret, quòd norat, si ei dixisset, nõ potes, rursus illum, vt qui erat omnium feruentissimus, cõtradicturum. Ea propter à rebus ipsis suadet, vt in posterum modestius se gerat. Qui enim quod maius erat, deuicit, hoc est, qui adhuc vigente timore, in formidolosum ausus est mare descendere, vi ventorum, quod sanè minus est, nõ mari ipso superatus expauit. Idque cùm prope Christum iam esset. Ita nihil prodest, loco proximũ esse Christo, si fide non adsis. Non imperauit autem ventis vt quiescerent, sed ipse *Extenta manu apprehendit eum*, potirentur honoribus, vnde plurimum sibi insolẽtiæ nimirum, quòd & illius fide ad id opus esset. Quãdoquidem cùm fides nos atque dilectio deficit, etiam Dei in nos beneficia præpediuntur. Ostendens igitur haudquaquam ventorũ, atque conflictu, sed modica illius fide, demersionem illam fuisse causatam, inquit: *Cur hæsitasti, parum fidens?* Ni fides ergo fluctuasset, factáque fuisset imbecillior, etiam ventis facilè restitissent. Iccirco & postquàm illum apprehendit, ventum similiter spirare permisit, apertè declarans, nihil illum lædere potuisse, si firma fides ac stabilis constitisset. *Porro qui in naui erant accesserunt ad eum*. Et antea quidem dixere: Qualis est hic, quia vẽti quoque & mare obediunt illi. In præsenti autem non sic, sed, *Verè* (inquiunt) *Dei filius es*. Ecce quomodo ad sublimiora paulatim omnes adduxit. Vnde nec, quemadmodum prius, illum adierũt, in suas illum domo trahentes, ac manus tactum, vel imperia eius ore edita ambientes, verùm longè sublimius, altioréque philosophia, ac fide maiori curationem petunt, obsecrantes, *vt tantùm tangerent fimbriam vestimenti ipsius*. Quapropter, *& quotquot tetigerunt salui facti sunt*. Volens Euangelista monstrare longo post tempore in terram Gennesareth Christum rediisse, ait. *Et cùm agnouissent illum viri loci illius, emiserunt nuncios in totam vndique finitimam regionem illam, & attulerunt illi omnes malè habentes*. Nec sic tamen temporis diuturnitas illorum fidem vllatenus dissoluit, imò & maiorem reddidit, & pristino in vigore conseruauit.

Caput xv.

TVNC *accedunt ad Iesum Hierosolymitani Scribæ, & Phariſæi*, Cuius rei gratia & ciuitatis mentionem facit? Quoniam per tribus omnes erant disseminati. Verùm qui Hierosolymas, matricem videlicet vrbem, incolebant, cæteros omnes sceleribus anteibant, vt qui maioribus vindicabant, & fastus. Designat etiam tempus Euangelista, cùm ait. *Tunc*, vt immensam illorum improbitatem aperiat. Qui cùm ægrotos viderint solo fimbriæ tactu curatos, neque sic à sua vllatenus malitia destiterunt. Interrogantes porrò non legis Mosi transgressionem obiiciunt, sed Seniorum traditionis, in suam nimirum ipsorúmque condemnationem. Tametsi enim Moses multo cum terrore mandarat, ac minis, ne quid verbis legis ipsius vel adderent vel adimerẽt, plurima tamen ipsi addiderunt, ac innouarunt. Ex quibus & hoc erat, ne illotis videlicet manibus cibum caperẽt, calicésque, ac vasa ænea subinde, séque ipsos abluerẽt. Quod sanè faciebãt, formidabiliores plebi esse volentes, tanquam & ipsi Legum latores. Id porrò ad tantùm malitiæ deuenit, vt præceptiunculas quidem suas, mira seueritate seruarent, ipsius autem Dei mandata, & transgrederentur, simul & abrogarent. Propterea autem hac de re ipsum interrogant, quòd illum cuperent in iram concitare, vt siquidem Seniores contemneret, postmodũ accusarent. Illotis verò manibus Apostoli comedebant, quòd certè id minus studiosè curarẽt, sed tanquam superfluum omnino negligerent, vt qui seriis necessariísque intenti, nullam haberent legem, lotis ne an illotis manibus vescerentur, sed alterum pro temporis opportunitate facerẽt. Qui enim necessaria plerunque alimenta negligebant, qui magno poterant studio, huiusmodi constitutiunculas affectare? Non dicit autem Christus Apostolos non rectè facere, qui eiusmodi maiorum instituta transgrederentur, ne impudentiores audacioréque criminatores efficeret. Nec rursus, quæ ab Apostolis fiebant, improbat, ne Seniorum legem approbare videretur. Nec item Seniores damnat, tanquam iniquos, atque exleges, ne quasi conuiciatorem ipsum, atque iniurium accusarent. Verùm cum videatur criminantes obiurgare, seniores tamen incessit, qui hæc ceu legalia sanciuerunt, tametsi nullam de ipsis mentionẽ facit. Respõdens enim (inquit) dixit eis. *Quare & vos transgredimini præceptũ Dei propter traditionem vestrã? Nam Deus dixit, Honora patrẽ & matrẽ, & qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Quicunque dixerit patri, aut matri, Quicquid doni à me profecturum erat, id in tuũ vertitur cõmodum. Et non honorabit patrem suum aut matrem suam. Et irritum fecistis præceptum Dei propter traditionem vestram*. Quid sibi vult, Quicunque dixerit patri aut matri, quicquid doni à me profecturum erat, id in tuum vertitur commodum, & non honorabit patrem suum? Instituerant adolescentes, vt pietatis specie parentes aspernarentur. Vt si quis videlicet filio dixisset. Da mihi, quam habes, ouem, vel vitulum, vel aliquid huiusmodi, parenti filius responderet, Quòd à me in vtilitatem tuam petis pater, iam dono Deo dicatum est, nec illud sumere potes. Duplexque hinc malum fiebat. Nam nec Deo id offerebant, & parentes oblationis nomine defraudabant. Parentes quidem, velut Dei gratia, Deum verò, parentum occasione afficientes contumelia. Quapropter & Prophetam in medium adducit, qui illorum improbitatem lõgè antè prædixit, quòd videlicet contemptis Dei mandatis, doctrinas, ac mandata hominum edocerent. Iccirco confusis illis ad turbas orationem vertit, legem rogans. *Non quod ingreditur os* (inquit) *impurat hominem, sed quod egreditur ex ore*. Neque verò simpliciter aduocat turbas, sed & attentiores facit. *Audite enim* (inquit) *& intelligite*, hoc est animaduertite, atque animos erigite, lõgéque magis me, quàm istos audite, qui legem ob proprias traditiones intempestiuè soluunt. Cur verò dicentibus Apostolis, *Nosti Phariſæos audito sermone isto offensos fuisse?* ille dixit, *Omittite illos*, cùm alibi dixisse appareat, sed ne offendamus illos? Quia nimirum norat, quando essent scandala contemnenda, & quando non contemnenda. Dicens autem, *Duces sunt cæci cæcorum*, multitudinem ab illis abiugauit, quæ propter eos in perditionis barathrum festinabat. Propterea, & subintulit. *Cæcus autem si cæco dux fuerit, ambo in foueam cadent*. Sciendum verò est non solùm Phariſæos, ob id offensos, verùm & Apostolos

Esa. 29.

Universidad de Deusto
Biblioteca

solùm Pharisæos, ob id offensos, verùm & Apostolos nonnihil fuisse commotos. At quoniam id de se ipsis confiteri verebantur, de aliis veluti narrantes, quid sibi hoc vellet, cognoscere cupiebant. Quòd autem ita sit, audiamus quid ad hæc feruentissimus ille, & vbique cæteros antecertens Petrus, dicat, accedens. *Dissere nobis* (inquit) *parabolam istam*, latentem animo tumultum detegens. Propterea, & increpat illum Dominus dicés. *Adhuc & vos intelligentia caretis?* Interpretatur tamen illis parabolam, dicens. *Quicquid ingreditur in os, in alvum abit, & in secessum eiicitur. At ea quæ proficiscuntur ex ore, ex ipso corde egrediuntur, & illa impurum reddunt hominem.* Probat quę dicta sunt, à communi ipsa natura, iuxta Iudaicam depressionem adhuc loquens. Nam & legislator tanto dimittit tempore, quanto intus in aluo maneat: at vbi egressum fuerit, non ita ampliùs. Vesperi namque lauari ac mundum esse iubet, concoctionis digestionisque tempus examinans atque dimetiens. Quæ autem cordis sunt (inquit) intus manẽt, & egressa, non modo manentia, impurum reddunt hominem. Id præterea & nos obseruare oportet, sicut & dominus Christus, scandalorum tempus videlicet occasionémque, ne intelligentiæ prorsus expertes simus, animaduerteréque vt cùm quidam rationabiliter scandalizantur, nos etiam ipsos quàm citius emendemus: cùm autem temerè, nullâque ratione offenduntur, etiam ipsi pro nihilo id ducamus. *Et digressus illinc Iesus, secessit in partes Tyri & Sidonis.* Cuius rei gratia secessit in partes Tyri & Sidonis? Vt postquam ciborum obseruatione Iudæos absoluerat, etiam Gentibus ianuam, recto iam ordine progressus, aperiret. Et antea quidem discipulis
Suprà 10. Marc. 7. mandarat dicens. In viam Gentium ne abieritis, nec prædicaueritis, ipse autem nunc abit, non tãquàm prædicaturus. Id quod & Marcus insinuans ait: Et occultauit se ipsum, & nõ potuit latere. Nam quemadmodum rerum exigebat consequentia, ne ad Gentes primùm proficisceretur, ita sanè illius erat indignum humanitate sponte accedentes amouere. Si enim fugientes sunt expetendi, multò magis expetentes amplexandi. Considerandum verò quàm omni beneficio digna sit hæc mulier. Nam quia seipsam putabat indignam, iccirco non ausa fuit Hierosolymam proficisci. Nisi enim hoc de ipsa sensisset, dubio procul illuc accurrisset. Quod profectò tum ex præsenti liquet instantia, tum etiam quòd fines suos egressa est clamans. Quidam autem & allegoricè hoc ipsum enarrantes, dicunt, simul atque ex Iudæa Christus exiuit, tunc ipsum adire ausam fuisse Ecclesiã, & ipsam à finibus suis egressam. Obliuiscere
Psal. 44. enim ait, populum tuum, & domum patris tui. Ambo enim & Christus & mulier fines suos egressi fuerant, sicque mutuò congredi potuerunt. *Et ecce mulier Chananæa.* Chananæam illam vocauit, vt ostẽderet ex quibus gentibus oriunda, iniquissimis nempe, quam sincera fide prędita esset. Nec dicit, Miserere filiæ meę, quòd illa præ morbo iaceret sensu carẽs, sed *Miserere mei*, quæ D mille malis afflictor, morbúmque intelligens, non minus ac filia mea, doloribus insaniens, animi excrucior. *Is verò non respondit ei verbum.* Et quánam gratia cum adeò clamaret mulier, primò quidem non respondit ei quicquam, & cùm illi postea responsum dedit, eiusmodi dedit, quòd facilè illam ad extremam animi desponsionem redigere valuisset. *Non sum missus* (inquit) *nisi ad oues perditas domus Israël.* Et item, *Non est bonum sumere panem filiorum & obiicere catellis?* Ob ea nimirum omnia, quæ dicturam ipse nouerat, vt illius philosophia omnibus patefaceret. Nec enim volebat, vt tanta mulieris virtus omnino lateret. Non igitur his in eam vsus est verbis, vt contumelia illam probróque afficeret, sed A vt eius animo reconditum thesaurum in lucem ageret. Nisi enim quod petebatur, præstare libuisset, nullatenus postmodum præstitisset. Consideranda porrò est vnà cum ipsius fide, & humilitas. Nam ipse quidem Iudæos, filios appellauit: illa autem nequaquam hac voce contenta, etiam dominos nuncupauit, tantùm aberat, vt aliorũ laudibus vreretur atque mœreret. Et illa quidem sic, Christus verò illius fidem attestatus, *Fiat* (inquit) *tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.* Tantùm valuit orationis assiduitas. Quod enim Apostoli efficere non potuerunt, dicentes, *Dimitte illam*, ipsa perfecit. Quandoquidem mauult Deus nostris ipsorum, qui rei ac sontes sumus, quàm aliorum pro nobismet precibus exorari. Quamuis enim maiore Apostoli potiebãtur fiducia apud Christum, maximam tamen mulier hæc constantiam præ se tulit. *Et progressus illinc Iesus venit iuxta mare Galilææ, & conscenso monte sedebat illic. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, ducentes secum claudos, cæcos,* B *mutos, mutilos, & alios multos. Et abiecerunt eos ad pedes Iesu, & sanauit eos.* Cur mulieris quidem Chananææ precibus, tam longa mora Christus annuit, languidis autem, qui in montem ad eum conscenderunt, munus confestim sanitatis est elargitus? Non profectò quòd muliere meliores existerent, siquidem feruẽtiore quàm illi fide, ipsa pollebat, sed vt infidelium Iudæorum ora obsepiat, omnémque illis adimat excusationis prætextum. Quò enim quis maioribus fuerit beneficiis affectus, eò se grauiori supplicio facit obnoxium, si ingratus existat, nolítque honoris beneficentia fieri melior. Ea propter & diuites qui mali fuerint, lõgè quàm pauperes durius plectentur, quòd nec in summa rerum copia, in pauperes fuerint humaniores. Neque verò mihi obiecceris, feciſſe illos eleemosynas. Nisi enim pro rerũ suarum opulentia fecerint, nullo pacto vel sic supplicia euadent. Nec enim ex eorum quæ impenduntur mensura, sed ex animi largitate eleemosyna definitur. Quòd C si qui facultatibus suis in pauperes impertiuntur, nisi pro diuitiarum suarum merito id agant, supplicia luunt, multò magis qui auaritiæ morbo laborant, cumulandísque semper pecuniis inhiant, iis erunt obnoxij. Præ- Suprà 5.
cepit namque Dominus noster Christus, vt abundaret iustitia nostra plusquàm Scribarum & Pharisæorum, id est, vt plura quàm sint decumæ tribuamus. *Iesus autem vocatis ad se discipulis suis dixit. Miseret me turbæ.* Quid sibi vult quòd superius quidem discipuli Christo dixere, Dimitte turbas, in præsenti autem nihil dicunt, tribus præsertim iam diebus elapsis? Quòd nimirum vel meliores effecti iam essent, vel quòd ipsam cernerent turbam, nimia nequaquàm inedia confici. Nam glorificabant Deum in iis, quæ miraculosè fiebant ab eo. Cur autem benignissimus dominus, non prima vel secunda die, sed tertia tandem, misericordiæ suæ viscera illis aperuit? Quoniam verisimile erat omnino, eos aliquid in sui secum alimoniam habere. Quibus profectò consumptis, id præstitit Dominus, quò prius indigentia pressi, maiore animi propẽsione beneficium amplexarentur. Ostendens autem quàm maximè illos à suis abesse domiciliis, nihílque eis vltra fuisse reliqui, *ne deficiant*, ait, *in via.* Quánam verò de causa, si ieiunos illos dimittere noluit, miraculum non operatur, sed discipulos compellat? Vt hac scilicet interrogatione simul & responsione discipulos reddat attentiores, suámque ipsi fidem ostendant, prioríque quinque panum miraculi memores, accedant, dicántque domino, vt panes iterum procrearet. Verùm neque sic interrogationis Dominicæ causam intellexere, sed adhuc humi serpũt, cophinorum obliti. At qui multa fecit, quò prius illud miraculum memoria retinerent. Primùm quidẽ, quòd eius

eius rei ministros tunc illosmet facit: deinde, quòd di- A
stribuendos in turbã panes eis porrexit: præterea, quòd fragmẽtorum cophinos sustulere. Porrò sicut & prius, ita & in præsenti solitudinis inferunt mẽtionem, quod sanè ex animi imbecillitate faciebant. *Vnde nobis* (inquiunt) *in solitudine panes tam multi?* Ipsum quoque miraculum omni & hoc loco suspicione carebat, ne quis, quòd antea dixi, dicere posset, è proximo quopiam vico vel villa, panes illum comparasse. Cur autem nunc de septem panibus Apostoli idem non dicunt, quòd antea de quinque dixerunt, Et hæc quid sunt inter tam multos? Quia videlicet & si minus perfectè, ad sublimitatis fastigium conscenderant, attamen ad celsiora paulatim proficiebant. Et hæc præterea ipsorum consideranda est philosophia, quomodo ventris omnino cura superiores erant, nullámque de struenda mensa curam facere docebantur. Cùm enim in solitudine essent, ac triduum ibi iam fecissent, septem solummodo panes habebãt. Quid porrò significat, quòd in quin- B
que panum miraculo, tametsi quinquies mille viri erãt, præter mulieres ac pueros, duodecim tamen fragmentorum cophini superfuerunt, in hoc autem, cum quater mille essent viri, ac septem panes, septem solummodo sportæ superarunt? Nimirum vel quòd sportæ cophinis maiores existerẽt, vel certè ne rursus miraculi similitudo atque parilitas, alterius obliuionem eis induceret. Ea propter huiusmodi discrimine ipsorum memoriam excitat, vt alternis patrato miraculo neutrius obliuiscerentur. Præterea & in hoc ineffabilem virtutem suam, simul & potestatis facilitatem ostendit, qua sibi omnimodis liceat huiusmodi miracula sè peragere. Neque enim exiguæ admodum virtutis erat, in vtrísque numerum seruare, vt neque plura neque pauciora fuerint reliquiarum fragmenta. *Et dimissis turbis conscendit nauim, venítque in fines Magdala.* Post editum miraculum iccirco statim dimissa turba secessit, quò tyrannidis suspicionem omnem declinaret. Non autem pedibus, C
sed nauigio, ne ipsum turbæ consequerentur. Quærebant enim illum regem facere.

Caput xvi.

Et *aggressi Pharisæi vnà cum Sadducæis tentantes rogabant eum, vt signum è cœlo ostenderet sibi.* Quódnam verò signum nunc sibi è cœlo monstrari quærunt? Profectò vel vt Solem sisteret, vel Lunæ cursum frænaret, vel fulmina intorqueret, vel aërem immutaret, vel aliud quid huiusmodi faceret. Quæ autem illis ipse respondit: *Faciem* videlicet *cæli scitis diiudicare, signa verò temporum non potestis*, hoc significans. Quemadmodum (inquit) in cœlo, aliud quidem tempestatis, aliud autem serenitatis est signum, nullúsque tempestatis indicio cognito, trãquillitatem inquirit, nec in tranquillitate, tẽpestatem reformidat, ita & in me ipso cogitare necesse est. Aliud est enim, huius aduentus mei D
tempus, aliud futuri. Nunc vobis est opus iis, quæ modò miracula fiunt, animum intendere, quæ verò in cœlo tunc signa fient, illi nimirum tempori reseruantur. Nunc quasi medicus aduenio, tunc quasi iudex adero. Hypocritas porrò & in præsenti illos appellat, quia aliud quidem ore promebant, aliud autem corde eçlabãt. Non enim quò fidem amplecterentur, sed quò ipsum reprehenderent, signa quærebant. Nam dedisset profectò signum quod petebatur. Qui enim mulieri Chananææ dixit. Non est bonum dare, & postea dedit, longè magis his dedisset. Et qui maiora dedit, nempe qui peccata soluit, qui mortuos excitauit, qui dæmones propulit, omniáque alia gessit, neque tamen per hæc il- A
lis eximia persuasit, quónam pacto per hæc minora persuasisset? Minora siquidem præ illis hęc sunt, Solem videlicet occulere, Lunam quasi fræno compescere, fulmina intorquere. Illorum præterea durities consideranda videtur, qua adeò obcalluerant, vt dicente sibi Christo Domino, nullum eis aliud præter Ionæ Prophetæ signum iri datum, non interrogarent, quid nam id esset quod diceretur. Verùm, sicut iam diximus, non discendi auiditate sed tentandi gratia, ista faciebant. Ideóque *Relictis illis, abiit.* Quam verò ob rem dixit Dominus Apostolis. *Videte & cauete à fermento Pharisæorum*, & non dixit, Cauete à doctrina eorum? Quoniam volebat patrata illis signa in memoriam reducere. Norat enim illa iam eis excidisse, tametsi duo extiterant. Dico autem quinque, ac septem panum superabundantiam. Et quidem si eos simpliciter increpuisset, nulla id ratione niti videbatur, at occasione ab eis sumpta, cùm sic demum redarguit, illorúmque cogitationes in medium agit, acceptabiliorem reddit criminationem. B
Quid autem cogitabant? Se videlicet panes non sumpsisse. Adhuc enim de Iudaicis purificationibus, ac ciborum obseruantiis animo percellebantur. Quorum gratia vehementius illos aggreditur dicens. *Quid cogitatis intra vos ipsos ô parum fidentes, quod panes non sumpseritis? Nondum intelligitis neque memoria tenetis quinque illos panes, cùm homines essent quinquies mille, & quot cophinos sustuleritis, neque septem illos panes cùm essent quater mille, & quot sportas acceperitis?* Vidisti vehementem expostulationem? Neque enim alibi tanta illos acrimonia increpuisse videtur. Totum autẽ id fecit, vt omnem illos ciborum opinionem rursus exueret. Non enim vbique bona est mansuetudo. Nam sicut illis magna apud se vti libertate cõcedebat, ita & increpabat, vtrinque illorum salutem sua dispensatione pertractans. Operepretium verò est aduertere, statim post increpationem, plurimam illius mansuetudinem: tanquam enim illatam increpationem excusans, quinque illorum ac C
septem panum eis memoriam refricuit. Iccirco autem, & eorum qui manducarunt & reliquiarum numerum ponit, vt & præterita simul in memoriam reduceret, & in futurum illos redderet attẽtiores. In tantùm præterea hæc increpatio valuit, qua veluti somno pressas illorum mentes excitauit, vt cùm post increpationem hoc solùm Christus addidisset. *Qui sit, vt non intelligatis me non de pane dixisse vobis?* statim intellexerint de doctrina illum sibi Pharisæorum ac Sadducæorum dixisse, cùm id tamẽ minus illis fuisset interpretatus. Vnde scire nos oportet quot hæc ipsa increpatio bona protulerit. Primùm quidem à Iudaicis illos obseruationibus abduxit, deinde cùm desides essent, attentiores reddidit, præterea à fidei paruitate defendit: vt nullo vnquam pauore consternarentur, si quando pauciores sibi panes habere visi fuerint, neque inediæ malum vlla sollicitudine curent, sed temporaria hæc vniuersa negligant atque despiciant. Cur verò ait. *Cùm venisset autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi?* Quoniam est & altera Cæsarea, quæ cognominatur Stratonis. In hac ergo & non in illa Christus suos discipulos interrogauit dicens: *Quem me dicunt homines esse, filium illum hominis?* Longè illos ab Iudæis abducit, vt ab omni mentis sollicitudine liberi, magna cum fiducia dicerent, quæ sentirent. Ideóque in hac, & non in illa Cæsarea illos interrogauit. Non statim autem illos de sua ipsorum, sed de multorum sententia scisciatur, vt illorum exposita opinione, postmodum interrogati ad sublimiorem subueherentur intelligentiam, nec in eam sentiendi vilitatem, quam cæteri sequebantur, ipsi conciderent. Hac etenim gratia non in ipso prædicationis initio id

Universidad de Deusto
Biblioteca

illos interrogauit, sed vbi quàm plurima coram eis signa patrauit, multáque ac sublimia illis dogmata disseruit, ac diuinitatis suæ, vniúsque cum Patre æqualitatis multa præbuit argumenta, tunc demum illis hanc obiicit quæstionem. Et non dixit. Quem me dicunt esse Scribæ & Pharisæi, licèt & illi persæpe ipsum conuenerint ac fuerint allocuti: sed, quem me dicunt esse homines, multitudinis videlicet opinionem incorruptam exquirēs. Tam & si enim erat longè quàm par esset depressior, attamen ab omni malitia procul aberat, qua Pharisæorum mentes erant quàm maximè refertæ. Filium verò hominis seipsum dixit, valde cupiens humanitatis suæ dispensationem indubitatam reddi. Quemadmodum & alibi sæpissimè factitat. Simul igitur atque Apostoli falsam variámque vulgi opinionem exposuêre, tunc & ipsos interrogat: *Vos autem quem me dicitis esse?* Statímque ante omnes Petrus ille Apostolorum os, vbique feruens, discipulorúmque Coryphæus præsilit, & anteuertit, dicens. *Tu es Christus ille filius Dei viuentis. Et respondens Iesus dixit ei. Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.* Cur autem Christus illum beatificat? Quia profectò non sicut ij, qui in nauigio erāt, neque sicut Nathanaël, ipsum Dei filium dixit, tanquàm vnum è multis, sed verum ac genuinum Patris filium, vtpote ex ipsius substantia genitum confessus est. Cur verò Patrem fuisse ostēdit Christus, qui Petro ista reuelauerit? Ne quis scilicet quòd vehemēti ipsum Petrus amore prosequeretur, illius verba amicitiæ assentationisque gratia prolata suspicaretur, imò verò diuinam esse sentētiam crederent vniuersi, quæ dicta sunt. Cuius autem rei gratia ipse semet palàm non definit atque demonstrat, neque dicit. Ego sum Christus, sed per interrogationem id astruit, ad huiusmodi confessionem discipulos inducens? Quia profectò & ipsum magis ita decebat, erátque magis frugiferum, & illi ad dictorum fidem hoc pacto facilius alliciebantur. Ea propter & Christus dixit illi. Quoniam patrem meum annunciasti, ego quoque & eum qui te genuit nomino. Et sicut tu Ionę filius es, sic & ego Patris illius mei sum Filius, eiusdémque cum Patre substantiæ. *Et super hanc petram*, hoc est super hanc fidem & confessionem. Quibus etiam verbis creditum multitudinem innuit. Ad hæc illius mētis sensum erigit, & Ecclesiæ pastorem constituit, portásque inferi nihil aduersus illam valituras affirmat. Si autem aduersus Ecclesiam (inquit) non prævalebunt, longè minus aduersum me. Cur autem dixit. *Et tibi dabo?* Nimirum Pater (inquit) tibi dedit, vt me cognosceres, ego autem tibi dabo claues regni cœlorum, per hoc honoris ac potestatis parilitatem cum patre demonstrans. Neque enim dixit, rogabo patrem, vt det, sed ego dabo tibi. *Tunc præcepit discipulis suis, ne cui dicerent, quòd ipse esset Iesus Christus.* Quánam gratia id illis præcepit? Certè quod nosset turbam id temporis minus constāter id creditura, Si enim ipsi illi Apostoli post ea scandalizati sunt, quid vulgi cætera multitudo perpessa foret? *Ex eo tempore cœpit Iesus indicare discipulis suis, quod oporteret ipsum abire Hierosolymam, & multa pati à senioribus.* Ex eo inquit tempore, ex quónam? Vbi animis eorum videlicet hanc sententiam infixit, vbi vocandarum gentium principium introduxit. Sed neque sic intellexerunt. Nam longè melius esse arbitrabātur, si ipse non moreretur. Qua de re turbatis aliis animóque perplexis, rursus nullibi non feruens ille Petrus, solus de his audet verba facere. Et neque liberè nullóque respectu, sed seorsum illum abducens, hoc est à reliquis illum discipulis abgregans, ait. *Propitius tibi esto Domine, nequaquam erit tibi hoc.* Cur autem, qui & reuelatione dignatus est, simul & beatificationem consecutus, tam citò cecidit atque offensus est, vt ipsam passionem extimuerit? Quòd profectò nihil sibi de ea fuerat reuelatum. Vnde vel hinc intelligimus, non ex se ipso illum, sed ex Patris reuelatione illa locutum. Illud verò quod ait. *Non sapis ea quæ sunt Dei, sed ea quæ sunt hominum.* Indicat humanis Petrum terrenísque rem ipsam cogitationibus metitum, turpe admodum id Christo futurum æstimauisse. Obiurgans autem illum Christus, passionis suæ præpedimentum ex diaboli esse consilio demonstrauit. Post Petri autem increpationem volens Euangelista, & Petri verborum absurditatem, & prouenturam ex passione vtilitatem ostendere non simpliciter quæ à Christo dicta fuere subiungit, verùm addidit. Tunc, ita dicens. *Tunc Iesus dixit discipulis suis. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Est autem quòd dicit huiusmodi. Tu mihi ô Petre dixisti, inquit, Propitius tibi esto Domine, nequaquam erit tibi hoc. Ego autem dico tibi, non solùm si me prohibueris, ac passionem meam ægrè tuleris, id tibi exitio ac extremæ perniciei futurum, sed neutiquam te salutem adepturum, nisi & tu ad mortem semper fueris paratissimus. Quid est autē, Si quis vult? Non vi (inquit) adigo quenquam neque extorqueo, sed vnicuique liberum suæ mentis imperium derelinquo. Neque de Apostolis tantùm hæc dixit, sed commune hoc vniuerso terrarum orbi placitum proposuit. Hoc namque significat si quis vult. Siue (inquit) mulier siue vir, siue gerens imperium, siue ferens hāc viam ingrediatur. Quid porrò est abnegare semetipsum? Perinde atque si quis alium quempiam abnegauerit, licèt eum virgis cædi, licèt vinculis astringi, licèt in mortem impingi conspiciat, non adest, non auxiliatur, non flectitur, nullúmque commiserationis sentit affectum, vtpote qui semel illum sit auersatus. Sic profectò & nos vult Dominus omnem corporis nostri curam negligere, vt quamuis illud veritatis inimici diuerberēt, quamuis diuexent, quamuis fatigent, vel aliud quid hostiliter inferant, nihil omnino ei parcamus. Vitæ siquidem æternæ hæreditatem præstolamur. Illud autem, Tollat crucem suam, quatenus semetipsum abnegare sit opus manifestè declarat. Ne enim autumemus oportere nos vsque ad contumelias solùm atque plagas nosmet abnegare, vsque ad mortem (ait) & mortem quàm maximè opprobriosam. Id namque per crucem significatur. Quòd verò ait, & sequatur me, indicat esse nonnullos inuenire, qui huiusmodi patiantur, nec ipsum tamen sequuntur, quia profectò non propter ipsum illa patiuntur. Siquidem & latrones & reliqui facinorosi omnes multa grauia, vt plurimùm perpetiuntur. Iccirco causam subinfert, vt propter illum omnia sustineamus. Præterea & hoc significat, Christum sequi, vt non solùm in persecutionibus fortitudinem retineamus, verùm etiam & sobrietatem atque modestiam, omnémque prorsus philosophiam ostendamus. *Qui enim voluerit animam suam seruare, perdet eam.* De salute quæ non conducit verba facit, atque à periculis effugium, perditionem appellauit, quemadmodum & in periculis eius causa susceptis perditionem, salutem nominauit, hic enim (inquit) inueniet eam in vitam æternam. Si enim vel vniuersum terrarum orbem huiusmodi lucratus fuerit, quid (oro) amplius hinc illi adiicietur? Quemadmodum enim si quis seruos suos, opiparas inter mensas deliciosè agentes, conspiciat, se verò ipsum extremis malis inuolutum, inedia confici, nihil certè propterea lucratur, quod ipse sit Dominus: identidem & de anima cogitādum est, cùm intento deliciis voluptatibúsque corpore, ac ob inexhaustam diuitiarum sitim, nouis

nouis semper lucris insatiabiliter inhiante, extremam ipsa perditionem expectet. *Quid enim* (inquit) *dabit homo, cuius permutatione redimat animam suam?* Nam pecuniæ vel id genus alterius rei, qui fortè iacturam fecerit, par pari hostimētum dare potest. At qui fecerit animæ suæ, aliud non habet, quòd dare possit. Verùm sit rex licèt, ipsiúsque orbis imperium habeat, nunquàm tamen vel vnam emere animam, quamuis impendat vniuersa, valuerit. Quapropter cæteris omnibus omissis, ad vnam oro hanc ipsam excolendam, nostrum omne studium conuertamus. *Venturus est enim filius hominis in gloria Patris sui, & tunc reddet vnicuique iuxta facta ipsius.* Gloriam Patris transformationem appellauit, cum qua venturus erat, quámque illis etiam erat ostensurus, quatenus eis videre corporeis oculis licuit.

CAPVT XVII.

ET *post dies sex assumit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & subducit illos in montem excelsum seorsum, transformatúsque est coram illis.* Alius Euangelista, post dies octo, dicit. Nusquam verò sibi contraria dixerunt ita locuti, imò & valde consona. Nam alter quidem & eam, qua hæc locutus est Christus, diem, & eam, qua subduxit eos in montem. Alter verò intermedias tantùm numerauit. Cuius autem rei gratia tres istos tantùm assumit? Nimirum quòd essent hi cæteris excellentiores. Et Petrus quidem, quòd Christum valde diligeret, iccirco præstabat, Ioannes autem quòd à Christo insigniter diligeretur. Iacobus verò ob id quòd cùm fratre responsi dedit dicens. Possumus bibere calicem. Neque ob hanc duntaxat vocem, sed etiam ob ea, quæ præstitit opera, tum alia, tum ea quæ perfecit, vt dixerat. Adeo enim acer erat grauísque Iudęis, vt & Herodes summum illis præstare beneficium putarit, vbi illum interfecit. Porrò neque illos confestim in montem subducit Christus, sed post sex dies, neque rursus, subducendorum sibi nomina edicit, sed indefinitè tantùm. Sunt quidam hîc stantes (inquit) qui non gustabunt mortem, donec viderint filium hominis venientem in regno suo, ne cæteri videlicet Apostoli id, tanquam neglecti, molestè ferrent. Propterea autem id prædixit, vt eo dierum numero ac intercapedine, eius rei desiderio, vehementer accensi discipuli, vigilāti anxióque animo postmodum accederent. Qua verò de causa Mosen & Heliam in medium adducit? Primò quidem quia è turba alij quidem illum Heliam, alij autem Hieremiam, alij verò vnum è Prophetarum numero esse dicebant, propterea Prophetarum éximios producit, vt vel hinc, quid inter seruos ac dominum intersit, intelligant. Deinde quia continuè illum Iudæi tanquam legis transgressorem accusabant, vt ostendat (si modo aduertere ij voluissent) nullatenus à Mose iri permissum, vt quam legem dedit, ab eo concúlcaretur, vt illi putabant, qui nec astitisset illi quidem vllo pacto, nec obedisset. Heliam verò, qui pro Dei gloria zelauit, nunquam illi vel obsecuturum vel adfuturum, si Deo contrarius extitisset, seipsum Deum asserens, si non esset. Tertiò, vt discant tum mortis, tum vitæ illum habere potestatem, essęque superorum ac inferiorum dominum. Ea propter & iam mortuum Mosen, & qui nondum id passus est Heliam, in medium agit. Quartò, vt crucis gloriam patefaciat, simúlque Petrum ac reliquos, qui auditam expauerant passionem confoletur, illorúmque mentes ad sublimiora pertrahat. Nam loquebantur (inquit) Moses & Helias de gloria, quam completurus erat in Hierusalem. Hoc est de passione ac cruce. Sic enim (gloriam videlicet) semper eam appellant. Non solùm autem prędictis de causis ipsos produxit, sed & quia dixerat, Si quis vult post me venire, tollat crucem suam, ac sequatur me, eos, qui pro Dei sanctionibus millies mortem obiissent, adducit. Siquidem horum vterque cum suæ animæ iacturam fecerunt, illam inuenêre, aduersus tyrannos vterque magna cum libertate locuti. Alter quidem aduersus Ægyptium, alter verò aduersus Achaab. Sunt præterea & aliæ huius rei causæ quam ob prolixitatem prætereo, quas si quis industrius fuerit inquisitor, prorsus omnes facilè deprehendet. Cur autem dixit Petrus, *Bonum est nos hîc esse?* Quia nimirum audierat oportere Christum Hierosolymam vt pateretur abire, cùm adhuc eius rei formidine teneretur, tremebūdus huiuscemodi loquebatur. Nam cùm montem, longúmque secessum, ac solitudinem vidisset, illum optabat ibi perpetuò manere, propterеáque & tabernaculorum meminit. Quin & hoc secum voluebat animo, dicēs. Moses quippe hîc adest, & Helias. Moses inquam, qui caligine ingressus, cùm Deo collocutus. Helias, qui in monte de cœlo ignem detraxit. Ideóque nullius timore percellemur, si hîc manserimus. Hoc autem dicebat, vtpote Christi feruentissimus amator. Licèt enim ipsa eius verborum series minus exactè constaret, multò tamen is feruore repletus, mirum in modum Christi amore flagrabat. Tametsi quid diceret ignorabat, quemadmodum Lucas ait. Illud autem, Grauati erant somno, indicat, magnam in illos capitis grauedinem decidisse, quæ sanè ab illa visione prouenerat. Quemædmodum enim nimio ex fulgore intuentium oculi tenebrescunt, ita & illorum tunc accidit oculis. Haud enim tunc nox erat, sed dies, diuiníque splendoris intolerabilis exuberantia, oculorum imbecillitatem grauabat. *Adhuc illo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos, & ecce vox è nube, dicens, Hic est filius meus dilectus.* Cur vocem è nube Pater emittit? Quoniam sic semper videtur Deus. Nubes enim (inquit) & caligo in circuitu eius. Et rursus. Qui posuit nubem ascensum suum. Et, Nubes susceptit eum ab oculis eorum. Et, Sicut filius hominis veniens in nubibus. Vt igitur crederēt ab ipso Deo vocem emissam, iccirco è nube facta fuit. Nubes autem ipsa lucida erat, quia non terrorem incutere, sed doctrinam sumministrare volebat. Quando enim minas intentat, tunc profectò tenebrosam ostendit, quemadmodum in Sina. Quare autem vox ipsa facta est, simul atque Moses & Helias digressi sunt? Quò scilicet liqueret, non de illorum altero, sed de Christo tantùm id dictum fuisse. Non vnum verò Christum nubes illa cōtexit, sed prorsus omnes, ne vocem illam emississe, fuisset Christus ipse putatus. Dilectum porrò filium, illum appellat propter Petrum. Quod autem dicit huiusmodi est. Licèt illum ô Petre immenso prosequaris amore, non æquè tamen ac genitor ipsum diligis. Si igitur à me (inquit) diligitur, quid audita passione turbaris ac expauescis? Nam & æqualis est mihi per omnia, & eiusdem penitus voluntatis. *In quo mihi bene complacitum est*, Hoc est in quo requiesco, qui mihi placet, quod illum mihi in omnibus absolutissimè adæquauerim. *Ipsum audite.* Id est quamuis cruci velut affigi ne contradicas, ne oblucteris. Quam verò ob rem cùm antea vox in Iordane facta fuisset, copiosáque hominū adesset multitudo. Et rursus postea, quando tonitruum factum fuisse dicebant, nullus omnino in faciem cecidit, nunc verò in monte, hoc ipsum exterriti, perpessi sunt? Quia hîc profectò & solitudo, & altitudo, & silentium ingens erat. Accedebat & transformatio horroris plena, & lux immodica, ac latissima etiam nubes. Quæ sanè omnia in adeò grauem illos animi angorem coniecerāt, vt in terram col-

Luc. 9.
Infrà 20.
Suprà 16.
Luc. 9.
Suprà 16.
Exod. 19. 3. Reg. 18.
Psal. 96.
Psal. 15.
Act. 1.
Dan. 7.
Ioan. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lapsi protinus adorarent. *Et cùm descenderent de monte, præcepit illis Iesus dicens, Nemini dixeritis visionem hanc, donec filius hominis è mortuis resurgat.* Cur illis id præcepit? Quoniam quò maiora de ipso diuulgabantur, eò tunc multis erant creditu difficiliora. Non autem iussit, ne cui omnino vnquam dicerent, sed tantùm, donec à mortuis ipse resurgeret. Quia profectò tanquam futurorum præscius, post resurrectionem suam nequaquam offensum iri vel Apostolos vel plurimos è turba norat, hos quidem qui Spiritu sancto dignati essent, illos autem qui signa conspicerent, quæ per Apostolos patrarentur. *Et interrogauerunt eum discipuli sui dicentes. Cur igitur Scribæ dicunt, quòd Heliam oporteat venire prius?* Et vnde hoc didicerant Scribæ? Inualuerat quippe rumor hic, circumferebatúrque, quemadmodum & de Christo, non tamen (vt par erat) ab illis interpretatus. Nam scripturæ diuinæ duos Christi aduentus asserunt, alterum quidem iam factum, alterum verò futurum. Quos declarãs Paulus aiebat, Apparuit gratia Dei. Et rursus. Tit.2. Eod. B Expectantes beatam spem, & apparitionem gloriæ magni Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi. Prophetæ quoque vtriusque faciunt mentionem, posterioris præcursorem futurum asserentes Heliam, cuius priorem Ioannes præcucurrit, quem & Heliam Christus appellat. Non quòd profectò Helias esset, sed quòd Heliæ ministerium gesserit. Scribæ igitur hos confundentes aduentus ac inuertentes, posterioris tantùm ad plebem memoriam refricabant, dicentes: Si Christus hic esset, præuenisset vtique Helias. *Iesus autem respondens dixit illis. Helias quidem veniet prius, & restituet omnia.* Quæ omnia? Quæ videlicet Propheta, inquit, Malachias. Mittam enim vobis (inquit) Heliam Thesbiten, qui restituet cor patris ad filium. Qua enim patres Apostolorũ Iudæi erant, restituet (inquit) dogmatis filiorum eorum, hoc est Apostolorum, patrum corda, hoc est Iudæorum generis mentem, vt Christi fidem complectatur. Ne (inquit) omnes funditus pereant, iccirco secundùm ipse aduẽtum præueniet. *Dico autem vobis quod Helias iam venit, & non agnouerunt eum, sed fecerunt in eo, quæcunque voluerunt. Sic & filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt discipuli, quòd de Ioanne Baptista dixisset ipsis.* Enimverò ad intelligẽdum acutiores, atque ad ea quæ dicebantur propensiores iam facti fuerant. Vnde autem id intellexêre discipuli? Videlicet quòd illis iam prædixerat, Ipse est Helias qui venturus est. Cæterùm nemo turbetur, nec putet aliquo sermonem errore confundi, si modò quidem venturum, modò verò iam venisse illum affirmat. Vtrunque enim verissimè dixit. Quandoquidem cùm ait, Helias quidem veniet, & restituet omnia, ipsummet designat Heliam, futurámque Iudæorum conuersionem. Cùm verò venisse illum asserit, ex ministerij similitudine ipsum Ioãnem, Heliam appellat. Ideóque subiunxit, Iam venit, & non agnouerunt eum, sed fecerunt in eo quæcunque voluerunt. Quænam? Nimirum in carcerem conuitiis impetiue- D runt, morte damnarunt, caput lance portarunt. Opportunè verò iam de passione sua mentionem facit, tum ex Ioannis passione plurimùm illis consolationis concilians (inquit enim *Sic & filius hominis passurus est ab eis*) tum magna confestim miracula patrans. Est siquidem frequenter inuenire, quicunque diligentius obseruarint, vbicunque de passione sua verba fecerit, & ante & post aliquid illum statim miraculosè perfecisse. *Et cùm venissent ad turbam, accessit ad eum homo quidam flectens illi genua, & dicens. Domine miserere filij mei, quoniam lunaticus est, & miserè affligitur. Nam sæpe cadit in ignẽ & sæpe in aquam. Et obtuli eum discipulis tuis, nec potuerunt eum sanare.* Malac. 4. Marc.9. Valde infirmus fide fuisse videtur lunatici huius pater. Primùm quidem, quia Christus dixit, omnia possibilia etiam credenti. Deinde quia is qui accessit homo, succurre (ait) incredulitati meæ. Et rursum, Si quid potes (inquit) subueni. Sed fortè dicet quis. Si hominis incredulitas causa fuit, ne dæmon exiret, cur discipulis id vertit vitio? Quò videlicet ostendat posse illos, vel iis incredulis, qui adduxerint sua ipsorum sola fide curare frequenter. Quemadmodum enim accedentium fides vel à minoribus sæpe curationem accipere valuit, quod in Cornelio accidit, ita & in Act.10. edendis miraculis facientium sæpe sat fuit virtus, licèt minus crediderunt accedentes, quòd in Helisæo factũ 4.Reg.13. nouimus, qui nullo credente mortuum suscitauit. Notandum verò non omnes prorsus hac in re fide nutasse discipulos, nam Apostolici ordinis columnæ illinc aberant. Cur verò dixit, *O natio incredula atque peruersa?* Quoniam incredulus homo hic in turba ipsum contra discipulos adiuit, vt qui filium suum sanare non quissent, his Christus voluit verbis ab huiusmodi illos criminatione vendicare. Nec in ipsum solùm, ne illum conturbet, sed in omnes prorsum Iudæos, incredulitatis crimen accusat. Verisimile est enim plurimos è præsentibus offensum fuisse. Dicens autem, *Quousque tandem ero vobiscum, vsque quo patiar vos?* Rursus ostendit iucundam sibi gratámque fore mortem nec sibi grauem omnino videri crucis affixionem, sed Iudæorum consuetudinem dolere. Et interrogauit patrem illius, quantum temporis esset quod hoc accidit ei, vt melioribus ipsius animum spebus attolleret. Discerpi autem permittit puerum, non ad ostentationem profectò. Siquidem cùm accurrentem turbam vidisset, increpuit spiritum. Sed & hoc ipsum propter patrem facit, vt cùm perstrepentem, magnósque sola vocatione tumultus cientem spiritum conspiceret, vel sic ad futuri miraculi fidem perduceretur. Dixit autem illi. Illud si potes Marc.9. credere, omnia possibilia credenti, rursus in illum crimen impingens. quoniam (inquit) tanta est virtus mea C atque facultas, vt si vel ipse, vt par est, credideris, & filium ipsum tuum, & alios multos posthac sis curaturus. Considerandum porrò nobis est, non solummodo illum à dæmone vexatum liberasse Dominũ, sed quantam ex quo illum dæmon adortus est prouidentiam, vtpote benignissimus erga eum ostenderit. Si enim sic affectus ipsius prouidentia frui destitisset, periisset olim procul dubio. Nam & in ignem illum (inquit) abiecit frequenter, & in aquam. Qui ergo huiusmodi in illum faciebat dæmon, omnino & illum interfeciſſet, ni tanta concitum insania Deus ipse veluti fræno dæmonem compescuisset. Id quidem & nudis illis contigisset, qui in desertis morabantur, séque ipsos lapidibus concidebant. Neque verò vllatenus moueamur, si lunaticus est dictus. Patris enim dæmoniaci hæc vox est. Quòd si & Euangelista multos narrat Dominum lunaticos curauisse, de multorum suspicione, sic illos appellat. Nam dæmones in huius elementi delationem, quos inuaserint homines, iuxta illius cursus modò aggrediuntur, modò remittunt: nõ quòd luna id vsquam efficiat, (absit enim) sed quòd illi id dolosè faciant, quò elemento huic facilius detrahere valeãt. Iccirco & falsa hæc suborta est, atque inualuit apud insipientes opinio, sícque decepti homines, huiusmodi appellare dæmones consueuere. quod omnino à veritate plurimum abest. *Tunc accedentes discipuli ad Iesum seorsum, dixerunt. Quare nos non potuimus eicere illum?* Anxij videlicet ac timentes, ne qua fortè culpa sua, creditam sibi gratiam ac pietatem perdidisset. Contra immundos etenim dæmones potestatem acceperant. Ipse autem dixit eis, *Si habeatis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, demigra hinc illuc, &*

illuc, & demigrabit. De fide hìc signorum dicit. Sinapis A autem meminit, immensam virtutem suam declarans. Licet enim magnitudine parua esse videatur, at virtute cæteris est seminibus vehementior. Ostẽdens igitur vel quid minimum sincerę fidei ingẽtia posse, sinapis mentionem facit. Neque hìc duntaxat restitit, sed & montem apposuit, vlteriúsque est etiam progressus. *Neque quicquam* (inquit) *impossibile erit vobis.* Si quis autem dicat. Et vbi nam montes transtulerunt Apostoli? Is illud nouerit, multò illos maiora præstitisse. Mille enim mortuos excitarunt. Haud verò æquale est montem transponere, & digressam à corpore animam reuocare. Atqui nonnulli post eos sanctorum, longè illis inferiores, & montes etiam, re postulante, trãstulisse dicuntur. Verisimile autem est, & hoc ipsum ab Apostolis gestũ fuisse, & non scriptum. quãdoquidem non omnia quæ illi miraculosè gesserunt, literis fuêre mandata. Dicens autem, *Hoc genus non egreditur, nisi per deprecationem & ieiunium*, de vniuersis id ait dæmonibus, non de iis tan- B tùm, qui lunatici putantur. enimuero impossibile est, vt qui delicias sectatur, voluptuosámque viuit vitam, ab hac vsquam insania liberetur. Maximè enim qui huiusmodi ægrotat morbo, ieiunio opus habet. Quoniam quidem plurimam gignit ieiunium philosophiam, angelósque ex hominibus reddit, atque incorporeis virtutibus. Dæmonibus inquam, congredi homines facit. Sed non per se ipsum id præstat ieiunium, sed & oratione est opus, orationéque admodum intẽta, & eleemosyna. Ne autem Apostoli Christo dicerent, Quare in Galilæa, continuè moram trahimus? iccirco, cùm ibi versarentur, dixit illis. *Futurum est vt filius hominis, tradatur in manus hominum, & occident eum, & tertio die resurget.* Etenim illius passionem audientes, nec verbum quidem illam Hierosolymorum videre volebant. Vnde *& mœrore affecti sunt*, nec simpliciter affecti sunt, sed & *vehementer*. Quod sanè patiebantur, quia illorum omnino verborum vim ignorabant, quemadmodum Marcus C Marc.9. inquit: Neque enim nouerant quid nam mors hæc esset, quámque infinita esset bona paritura tòti mundo, neque rursus quid nam resurrectio foret. Verùm cùm id ignorarent, ideo & ad mortis mentionem contristabantur, maiorémque in modum magistrum retinere studebant, quòd illum vehementer amarẽt. *Cùm autem venissent in oppidum Capernaum, accesserunt qui didrachma solent accipere, ad Petrum.* Cuius rei gratia ad Christum accedere non sunt ausi, sed Petrum adière, neque id acriter admodum ac furenter, sed moderantius? Neque enim criminandi, sed interrogãdi gratia hæc dixerunt. *Magister* (inquiunt) *vester, num soluit didrachma?* Quoniam & si de illo minus quàm par erat adhuc sentiebãt, sed veluti nudum hominem suspicabantur, nonnihil tamen obseruantię atque honoris illi impendebant, ob eam quam sibi iam miraculis authoritatem comparârat. Quid verò est didrachmum hoc? Quando Ægyptiorum primogenita Deus interfecit, Leuiticam tunc D Num.3. tribum eorum loco assumpsit. Quoniam autem minor erat huius Tribus numerus, quàm Iudæorum primogenita, pro iis qui ad numerum deficiebant siclum afferri iussit. Ex eo igitur mos inualuit, vt primogeniti quíque huiusmodi tributum penderent. Quoniam ergo primogenitus erat Christus, & Petrus quoque discipulorum primus esse videbatur, ipsum nõ Christum conueniunt. Quandoquidem (vt mihi quidem videtur) in vnaquaque ciuitatum id tributum exigebant. Propterea & in ipsius patria hoc est in Capernaum ipsum aggrediuntur. Hæc enim Christi patria putabatur. Nihil autem Christo hac de re Petrus retulit prior, quòd de ea loqui quicquam erubesceret. Iccirco mitis Dominus, quem nulla fugere, ipsum præueniens ait. *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributa aut censum, à filiis suis an ab alienis?* Quod dicit, tale est. Liber quidem ego sum atque immunis à præstando censu. Si enim reges terræ à filiis suis non accipiunt, sed ab iis quos regunt imperio, longè magis liberum me ab hac repetitione esse oportet, qui non terreni cuiusquam regis, sed cælorum regis filius sum, & rex. Iubet porrò in ore piscis inuentum staterem pro se ac illo dari, ne cùm illi, tum ipse Petrus vllatenus offenderentur. Non enim reddit vt debitor, sed vt infirmitatis illorum consultor optimus. Nec tamen tributum pendere deprecatur, nec simpliciter dari iubet, sed simul atque se nõ huiusmodi tributorum legi obnoxium ostendit, tum demum pendi mandauit. *Verùm ne simus* (inquit) *illis offendiculo.* Alibi autem illorum scandalum nihili pendit, cùm scilicet de cibis disputaret, erudiens nos vt temporum opportunitates obseruemus, quibus scandala curare, quibúsve contemnere opus sit, quando videlicet B nihil aduersus pietatem facit quod gestum est. Alioqui & tributum pendere, & nihil non facere, quò pietas illæsa seruetur, omnino præcipimur. Non soluit autem ex recõditis apud se, vt vel hinc vniuersorum se Deum, marísque ditionem habere demonstret. Tametsi enim cùm olim illud increpuit, húncque ipsum Petrum super eius vndas ascendere præcepit, itidem ostenderat, idipsum tamen & nunc æquè mirabili modo declarauit. Neque enim parum fuit, ex altissimis profundis illis, emersurum piscem prædixisse, qui primus hamum hausurus, ac vnde tributum solueretur, esset præsiturus, illiúsque imperium tanquam in marina abyssum illam demersum hamum, ferentem ore staterem piscem extraxisse, sed diuinæ prorsus ac ineffabilis virtutis opus. *Et da illum pro me* (inquit) *& te*, tum quòd & ipse primogenitus esset, tum etiam quò ipsum honoraret.

CAPVT XVIII.

IN illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes. Quisnam maximus est in regno cælorum? Cur ait, in illa hora? Quia nimirum humanum quid tunc passi sunt, cùm Petro honorem præ cæteris haberi vidissent. Nam & alter è duobus (Iacobum dico & Ioannem) primogenitus erat, nec tamen quid tale pro ipsis vnquam fecit. Veriti ergo quo premebantur affectum palàm confiteri, non quidem apertè dicunt, Cur Petrum nobis præfers? Cur ipse maior est nobis? Verùm confusè sciscitantur, quis esset maximus. Quãdo enim tres sibi præferri conspexere, nihil tale perpessi sunt: at cùm ad vnum duntaxat delatus est honor, tunc indoluere profectò. Sed neque ob id solummodò, sed & quia claues acceperat, & quia beatificatus est, & quia multò liberius ac familiarius Christo colloqui insuerat. At *Iesus accersitum ad se puerũ, statuit in medio illorum, & dixit. Amen dico vobis, Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut pueri, non intrabitis in regnum cælorum.* Quod sanè indicat oportere vnumquenque semet cæteris humiliorem præstare. Nam inuidiæ inanisque gloriæ affectu puerulus omnino est alienus, purúsque ac simplex, primas ambire nec nouit: & licèt vel contumeliis vel verberibus impetatur, non molestè id accipit: nec si honoribus cumuletur aut laudibus, propterea insolescit aut inflatur. In medio autem illum statuit: volens vel ipso pueruli aspectu, ipsos conuertere. Animaduertendum porrò quomodo ad naturalia nos virtutis opera euocat, ostendens posse nos libero delectu illa perficere. Illud autem quod ait. *Et qui receperit vnum puellum talem in nomine meo, me recipit*, hoc est. Non solùm (inquit) vo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bis, si eiusmodi efficiamini, mercedem comparaueritis, A sed etiam si & alios id genus propter me fueritis honore prosecuti, huius vestri in eos honoris gratia, regnum vobis recipio vicem. Pueros enim hoc loco simplices homines, miniméque fallaces appellat, qui se ad hanc propter Deum humilitatem depresserunt, abiecti, negléctique à plerisque ac contemptitij. Et quod valde mirandum, me (inquit) recipit, qui huiusmodi receperit. Quemadmodum autem honorem illis regnúmque recepit, qui tales honorarint, ita & supplicium iis qui scandalizauerint, hoc est dehonestarint, cõtumeliáque vnum ex istis affecerint, adiudicauit: *vt mola* (inquit) *asinaria suspendatur in collum eius, ac demergatur in profundum maris. Expedit* autem ei appositum, ostendés grauius hoc ipso supplicium manere, qui eiusmodi fuerint. *Væ mundo ab scandalis*, inquit. *Necesse est enim vt veniant scandala, verumtamen væ homini per quem scãdalum venit.* Cur miserantis vocem, Væ scilicet, apposuit? Quò nimirum illorum animos excitaret, ac sollicitos vigilantésque B redderet. Ex multa quippe lenitate atque clementia id agit, suam in illos beneuolentiam declarãs. Non enim indignationis, sed correctionis gratia hæc loquebatur, vt vel fletu ipso ac prædictione illos conciliaret. Quandoquidem multi, qui nullam è consiliis vtilitatem sunt consecuti, fletibus resipuere. Quòd si necesse est vt veniant scandala, qui potis est ea vitare? quoniam licèt dixerit, necesse est vt veniat, non tamen spontaneam liberi tollit arbitrij volũtatem, nec quòd cuipiam rerum necessitati humanam vitam subiiciat, ita locutus est, sed quæ à facinorosis erant hominibus euentura, prædicit. Scandala vocans, rectę viæ impedimenta confusionésque. Non igitur ipsius prædictio inducit scandala (absit enim hoc) nec quia prædixit, iccirco eueniunt, sed quia futura erant omnino, propterea tãquam omnium præscius, illa prædixit. Dicens autem, *Quòd si manus tua vel pes tuus, vel oculus tuus tibi fuerit obstaculo, &c.* Nequaquam de ipsius corporis membris id dicit, (absit enim) C sed de amicis atque affinibus, quos vti nostra duxerimus membra. Id quod & superius dixit. Nihil enim æquè pernicioſum est & noxium, ac prauorum hominũ consuetudo ipsa atque conuictus. Quæ enim necessitas nequit, amicitia plerunque vel in perniciem vel in vtilitatem valet. Iccirco vehementi quapiam acrimonia, noxios à nobis præcipit resecandos. *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis.* Quinam hi sunt pusilli, quos minimè contemnendos denunciat? Pauperes nimirum atque ignoti, qui nec vel esse à plerisque putantur. Non enim de iis qui verè paruuli sunt ætate verba faciet. Quemadmodum enim noxios sceleſtósque vitare optimum est, ita profectò suaues atque modestos, hospitésque ac pauperes honorare, lucrum est maximum. Dicẽs autem *Angeli eorum in cœlis.* His innuit verbis nostrum quemlibet, Angelum habere. Porrò videre faciem Patris, nihil aliud profectò quàm Angelorum fiduciam maximam, honorémque præcipuum, quibus An- D geli potiuntur insinuat. Illud verò, *Venit enim filius hominis saluum facere quòd perierat.* Et quam subdit centum ouium parabola, significat, oportere nos maximam eorum fratrum, qui tenues admodum atque abiecti putantur, curam habere. Quocirca & Patrem in medium profert, qui hæc ipsa velit, cùm ait. *Sic non est voluntas coram Patre vestro vt pereat vnus de pusillis istis.* Admonet porrò ne vllum ferrarium etiam fabrum dicamus, siue calceorum sutorem, siue agricolam, ideóque despiciendum ducamus. Et ne id quoquo modo patiamur, opus est intueri, quot nos, vt modesti simus, nósque in fratrum curam interseramus, persuasionibus cohortetur. Statuit in medio puerum & ait, efficiamini sicut pueri. Et quicunque susceperit puerum talem, me suscipit. Qui autem offenderit, supplicia dabit. Nec contentus molæ parabola, Væ etiam addidit, quique nobis offendiculo fuerint, manuum nobis licèt vel oculorum loco sint, iussit abscindere. Ab Angelorum præterea, quibus eorum fuit cura demandata, qui tenues abiectique fratres nulliúsque putãtur precij, dignitate persuasit. A sua item passione, cùm enim ait. Venit filius hominis saluũ facere quod perierat, crucem mortémque portendit. Rursus à Patris voluntate, quòd nec illi videatur, vt ex his vel vnus pereat. Ab ipsa postremò communi cõsuetudine, quòd pastor saluis scilicet dimissis ouibus, erraticam quàm studiosissimè requirit. Et vbi inuenerit, mirum in modum gaudet super ea, summoperéque de illius salute, ac inuentione lætatur. Si ergo Deus ipse inuento ita gaudet paruulo, qui fieri poterit, vt qui Deo dilectissima contemnimus, extrema supplicia non luamus? Verùm (inquies) tenuis est frater atque abiectus. Atqui propterea ad illius salutem nihil nobis reliqui facere, par est quàm maximè. Ne igitur huiusmodi abiectorum animas vllatenus negligamus, ob id enim vniuersa hæc dicta fuere. Porrò qui cœlum ingredi cupit, sicut puer efficiatur, superbiámque omnem conculcet ac fastum, propellendísque semper scandalis inuigilet, ipsúmque, Væ, vitare studeat, vllum nemini præbẽs offendiculum. Ad hęc de proximi salute laboret, ac curam gerat, summóque mane domum prodiens, hunc vnum mentis habeat scopum, vt fratrem aliquem animæ periculo, quod diabolica immissione hominibus obiici consueuit, eripiat. Neque enim duntaxat oportet, vt quisque suæ tantùm saluti consulat, & contentus sua sit negligens alienæ, hoc etenim pacto & suæ perniciem affert. Verùm decet vt & stantibus egregiam quandam ac promptam animi voluntatem inseramus, & iacentes sursum erigamus. *Si autem peccauerit in te frater tuus, vade & argue illum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum, si autem non audierit, assume tecum adhuc vnum vel duos.* Cur inter duos solummodo, eum videlicet qui intulit, & cum qui passus iniuriam est, redargutionẽ fieri iubet? Ne videlicet multitudinis testimonio grauior reddatur accusatio, factúsque ille improbior, incorrigibilis perseueret. Quod verò ait, si te audierit, significat, si seipsum condemnarit, si se peccasse crediderit. Non dixit autẽ. Si persuasus fuerit abs te, lucratus est ipse se ipsum solum, sed, Tu lucratus es, hoc est, & tu ipse iacturam effugisti. Nã vterque huius rei gratia eam faciunt, alter quidem fratris, alter verò salutis proprię. Non mittit autem cum qui intulit, ad eum qui illatam iniuriam pertulit, sed hũc ad illum. Quoniam qui intulit, non facilè ad satisfactionem, rubore ac verecundia suffusus accederet, propterea ad illum hunc reducit. Nec id quidem simpliciter, sed vt illum reparet, ac factum corrigat. Nec ait, conuiciare, vel increpa, aut pœnas poscito, sed, Argue (inquit) hoc est in memoriam illi peccatum reducito, quæque ab eo passus fueris enarrato. Qui si pertinax, tuis verbis persuaderi noluerit, Adhibe (inquit) tecum vnũ vel duos. Quò enim ipse impudentior fuerit atque improbior, eò nos oportet ad illius emendationem sollicitius accingi, non ad iram, indignationémve conuerti. Si autem adhuc insanabilis durúsque perstiterit, *Dic* (inquit) *Ecclesiæ*, hoc est, pluribus. Quòd si nec illos audiuerit, *sit tibi velut ethnicus & publicanus.* Et hoc porrò considerandum videtur, quomodo publicanum vbique in exemplum summæ vitiositatis ponit. Nam & alibi ait. Nónne & publicani idem faciunt? Et rursus. Publicani præcedent eos in regnum Dei, hoc est qui vehementer vbique damnantur. Audiant qui iniustis semper

semper quæstibus insidẽt, nec vnquam interquiescunt, A inexplebili cogendarum diuitiarum siti laborãtes. Cur autem huiusmodi morigerum ac contumacem cum publicanis adiudicauit? Quò scilicet affectum iniuria consolaretur. Neque verò id solummodo est illi supplicium, quòd scilicet persuaderi noluerit, sed & quòd Dominus subdat. *Amen* quippe (inquit) *dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata in cœlo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta in cœlo.* Non de Ecclesiæ præsulibus hæc dicit, sed de eo ipso qui peccantem in se fratrem reconciliaturus adhibuit, cuius, si impersuasibilẽ ligauerit, vincula indissolubilia manẽt. Quippe qui præsenti illum punitione, & futuro supplicio colligarit. Hæc autem iccirco minatus est, ne omnino contingãt, sed cum ab Ecclesia propelli, tum in cœlo vinculis alligari formidans, fiat & ipse mitior ac tractabilior: *Rursus dico vobis, quòd si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo qui est in cœlis.* De quibus hæc dixit? De præcla- B ris profectò virtute viris, de iis qui Angelicam viuunt vitam. Nimirum vniuersa, quæ ad vtilitatem petierint, summa concordia ac dilectione in proximum affecti, proculdubio consequenter. *Vbi enim fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio illorum.* Vt propter me (inquit) mutuò diligentes, non propter vllam temporalium rerum occasionem vniti sint, cum illis ero vtique, si & alioqui virtute polluerint. *Tunc accedens Petrus ad eum*, visus sibi magnum quid dicere, ait, *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & remittam ei? Num vsque septies?* Quod dicit tale est. Quia illi quidem, qui reconciliari renuit, terminum constituisti dicens. Si tibi velut ethnicus & publicanus, huic autem, qui redargutionem admittit ac resipiscit facti pœnitens, quoties remittam ei? Num sat est septies? Quid igitur Christus suauis ille ac benignus? *Non dico tibi* (ait) *vsque septies, sed vsque septuagies septies.* Quibus sanè verbis, nullum hac in re numerum omnino posuit, sed indefinitè pro- C tulit, ac continuò id faciendum significauit. Quemad-
Hier. 13. modum & millies infinitè designat. Et, sterilis peperit septem, id est multos, scriptura dicit. Huius rei gratia & parabolam apposuit eius qui decem millia talentorum debebat, ostendens, tam etsi peccata omnia continuè proximo indulgemus, quò tamen aquæ gutta ad immensum collata pelagus inferior apparet, eò, imò verò & longè magis, infinitam illam Dei bonitatem, qua ipsi iudicandi, meritáque peccatorum luituri pœnas indigemus, misericordiam, quam ipsi præstamus excedere. Nam quantum centum denarij à decem talentorum millibus distant, tantum imò verò & plus multo, quæ in hominem, ab iis quæ in Deum peccantur, longè absunt. Liquet porrò id ex personarum differentia. Nam ipsi quidem in tremẽdum peccamus Deum, qui maxima nobis bona gratificatur. Homo autem in hominem similibus affectibus obnoxium, qui nulla vel admodum pauca quædam in illum beneficia cõtulerit, pror- D sus admittit. Quandoquidem cùm non essemus ipse nos fecit, visiliáque hæc omnia propter nos est operatus. Dedit porrò baptismum remissionem peccatorum donantem, supplicij liberationem fecit, regni hæreditatem ac infinitum bonorum aceruum, iis qui vbique viuifica eius mandata seruarint, indulgentissimè recepit. Pro his igitur vniuersis, quónam erga ipsum modo affici nos oportet? Putas si quotidie, pro eo qui nos hunc in modum dilexit, obeamus, posse vnquam nos condigna referre, imò verò minimam debiti portiunculam rependere? Nullo pacto. Hæc igitur omnia cogitantes, decémque millia talentorum, nostra videlicet ipsorum peccata, animo volutantes, vel pauca illa ac vilia proximis remittere studeamus. Siquidem de his, quæ nobis credita fuere, præceptis, reddenda nobis ratio erit, & nunquam poterimus vniuersa complecti, quæ ipsi gesserimus, propterea facilem nobis atque expeditam ad huiusmodi rationem reddẽdam, viam obtulit Deus, quæ vniuersa nobis delicta queat obliterare. Ea inquam est, vt præteritarũ omnino iniuriarum obliuiscamur, ipsi virtutem summo studio persequentes. *Et cùm cæpisset rationem conferre, oblatus est ei vnus qui debebat ei decem millia talentorum. Cùm autem is non esset soluendo, iussit eum Dominus venundari & vxorem eius & liberos.* Cur verò id? Quoniam & ipsa eius erat ancilla, & serui, liberi. Non ex crudelitate autem id facit, sed ex incredibili in eum cura. Volebat enim illum huiusmodi terrere minis, quò ad sibi supplicandum ne venderetur, excitaret. Nam si ex inhumanitate feciſſet, nunquam profectò eius postea petitionibus annuisset. Nequaquam verò ante collatam id fecit rationem, quòd nimirum vellet ostendere, à quanto illum debito liberaret, vt hinc erga conseruum mitior redderetur. Si enim cognita sui debiti magnitudine ac summa domini sui indulgentię largitate, adeò instituit conseruum suffocãs: ni eadem sibi contigiſſent, quónam prolapsus non fuisset crudelitatis? Ad hæc quò & ille ad huiusmodi remissionem aliquid contulisse videretur, id fecit. Haud enim volebat suum solummodo id esse donum, sed & illius quoque petitionis, ne incoronatus abscederet. Iccirco & huc vsque probè se gessit ac comiter, confessus debitum, & redditurum se id pollicitus, gratus est visus, & procidens, & rogãs, & suamet delicta condemnans, & beneficij amplitudinem intelligens. At quæ postmodum secuta sunt, iis quæ præcesserant, prorsus indigna fuere. Cùm tenuisset enim ipse conseruum suum, non multo pòst tempore, sed statim, ob oculos adhuc collatum sibi beneficium habens, nec etiam verba ipsa, quibus salutem adeptus est, omnino reueritus. (Nam iis & hîc vsus est verbis, dicens. *Esto patiens erga me, & omnia reddam tibi*) satisfactionem repetens suffocabat. Id faciens quod nec hominibus quidem, nedum Deo probatum fuit. Quocirca & eam rem valde indoluerunt. At benignus Dominus ac mitis, & cum sceleſto seruo iudicio cõtendit, & causam dicit, ac tum demum supplicio addixit. Audiamus igitur & nos, & horreamus, nullúsque nostrum iniurias reminiscatur illatas. Propterea enim subintulit. *Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis suo quisque fratri de cordibus vestris delicta eorum.* Non dicit pater vester hoc loco, sed, pater meus: quia profectò misericordissimi patris vocari filius omnino is est indignus, qui ita fuerit sceleſtus, vt & homines oderit, & iniuriarum memoriam retinuerit. Duo igitur hîc requirit, vt & nostra ipsorum peccata damnemus, & aliena remittamus, nec id simpliciter, ore tantùm, sed intimo cordis affectu faciamus.

CAPVT XIX.

ET factum est vbi consummasset Iesus sermones hos, demigrauit à Galilæa, & venit in fines Iudææ trans Iordanem. Et secutæ sunt illũ turbæ multæ, & sanauit eos ibi. Cuius rei gratia cõtinuè in Galilæa versabatur Dominus & nõ in Iudæa? Ob Iudæorũ videlicet inuidiam. Nũc autem in eam iam sese recipit, quòd passionis tempus appropinquaret. Nõ tamen Hierosolymã interim ascendit, sed in Iudęæ finibus immoratur. Haud verò semper doctrinæ sermonive, nec rursum signis ac miraculis edendis incumbit, sed modò hoc, modò illud vicissim præstat, adhærentium sibi atque sequentium saluti vã-

Universidad de Deusto
Biblioteca

riè consulens, vt è signis videlicet, dignus, cuius verbis fides adhiberetur, magister appareret, ac è doctrina lucrum è miraculis profluens mirum in modum augeretur. Quò sanè ad ipsius Dei cognitionem vtrinque perducerentur. Prætercurrunt autem Euangelistæ eorum qui curabantur cœtus hominum integros, singulósque nominatim recensere, sed vno duntaxat verbo id faciunt ꝛ iactantiam prorsus omnem auersandam innuentes, simúlque edocentes, vt semper humiliter sentiamus. *Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum & dicentes ei. Licétne homini dimittere vxorem suam qualibet ex causa* ? Quánam gratia interrogatus, non statim respondit, Non licet ? Ne scilicet tumultum illi cierent ac turbarentur. Interrogant autem insidiosè, vt siquidem dixisset, omnino licere, quæ ab eo olim dicta fuere, illi obiicerent, eíque dicerent, Cur igitur pugnantia dixti ? Si verò ea quæ superius iam dixerat, iterum asseruisset, legem illi Mosis opponerent. Iccirco autem neque hic dicit, Quid me tentatis hypocritæ ? Vt cum potestate sua & suauitatem ostendat. Neque enim semper tacet, ne animi ipsorum prauitatem se latere putent, nec item arguit semper, vt omnia nobis æquo animo ac placidè semper ferenda demonstret. Quid porrò est, *Masculum & fœminam creauit eos* ? Ex vna (inquit) radice prodierunt, ac in vnum sunt corpus coagmentati. *Erunt enim* (inquit) *duo in carnem vnam. Et quod Deus copulauit, homo ne separet.* Hoc autem dixit omnino prohibens ne quis qualibet ex causa suam dimittat vxorem. Proferentibus autem illis in medium legis Mosaïcæ sanctionem, ad ipsorum cordis duritiem id Mosen decreuisse respondit, cupiens vel hinc illos conuertere. Quod verò ait, *Ab initio nō fuit sic*, hoc est, Deus (inquit) rebus ipsis ab initio nobis his pugnantia sanxit, quæ modò vos geritis. Quocirca summa iam authoritate statuit, dicens. *Quicunque repudiauerit vxorem suam nisi ob stuprum, & aliam duxerit, is committit adulterium. Et qui repudiatam duxerit, is adulterium committit.* Quam verò ob rem. *Dicunt ei discipuli eius. Si ad istum modum habet causa hominis cum vxore, non expedit contrahere matrimonium?* Quia nimirum turbati fuerant, simulátque mulierem omni malitia plenam esse retinendam, simul & tam immitem belluam domi continuè habendam audierunt. Quid porrò significat, Si ad istum modum habet causa hominis cum vxore? Vel, si ideo coniuncti sunt, vt vnum sint, Vel, si licèt causam vir habeat, contra legem agit tamen propterea vxorem eiiciens. Longè etenim leuius est contra ipsius naturæ cupiditates, contráque se ipsum pugnare, quàm contra improbam morosámque mulierem. Non respondit autem Christus, profectò id esse leuius, ne id legem esse putarent, verùm addidit, *Non omnes capaces sunt huius dicti, sed ij quibus datum est.* Quibus sanè verbis ipsam extulit virginitatem ac commendauit, præcipuúmque quid esset ostendit. Hac illos ratione attrahens & exhortans, vt virginitatem potius continentiámque deligerent. Quia enim de virginitate sermo, grauis admodum atque durus esse videbatur, legis necessitate, qua ne malæ mulieres dimittantur est cautum, cupiditatem illius virginitatis ingessit. Quòd verò huiusmodi possit seruari virtus ostendere volens, tria eunuchorum genera ponit, dicens, *Sunt eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt. Et sunt eunuchi, qui facti sunt eunuchi ab hominibus. Et sunt eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cœlorum.* Quod autem dicit, tale est. Perpende (ait) si à natura id tibi contigisset, id est si eunuchus natus fuisses, vel si ab hominibus, qui eiusmodi soleant inferre contumelias, sic factus fuisses, quid nam faceres, qui coniugij voluptate priuatus, nullam inde mercedem consequereris ? Proinde gratias (inquit) nunc age Deo, quòd cum mercede ac spe coronæ id viuis, quòd sine vllo nimirum præmio, tum illi qui sic nati sunt, tum, qui ab hominibus exsecti, viuunt, imò verò & longè facilius, qui cùm præmiorum spe, tum beneficti conscientia, propensiore id animo contendas, nec ita cupiditatum fluctibus quatiare. Haud enim sic ipsius membri exsectio, quemadmodum rationis frænum, eiusmodi cupidinum excrescentes nouit fluctus supprimere, tranquilitatémque reducere, imò verò sola id præstat ratio. Propter ea igitur eunuchos illius modi in medium adduxit, vt in virginitate ac continentia agentes, promptiores efficeret. Nisi enim id voluisset astruere, quid illa eunuchorum duo genera protulisset? Dicens autem, Qui se ipsos castrauerunt, non membrorum dicit abscissionem, (absit hoc enim) sed prauarum cogitationum ablationem atque interitum. Nam qui membrum exscindit, is homicidis par audet facinus, ansámque iis præbet qui Dei optimi opificium calumniis premunt, ac Manichæorum ora recludit. Quandoquidem ipsa membrorum exsectio, diabolicæ fraudis est opus, Satanæque commentum, vt diuino id hominum genus operi detrahant, vt eiusmodi animal vitient atque deuastent, vt nō voluntati iam, sed membrorum naturæ vniuersa tribuentes, eorum plerique ita licenter ac pro arbitrio peccent, vti noxa soluti, duplicitérque rationale hoc lædant animal, tum ipsius membra mutilantes, tum quam habent ad bona voluntatis propensionem reprimentes. Quam profectò legem diabolus ipse sanciuit. Quapropter oro atque obsecro, vt hanc diuinæ legis transgressionem iniquitatémque fugiatis. Præter enim ea quæ dicta sunt, nec sic quidem efferæ mitigantur cupiditates, sed longè potius vehemētiores fiunt ac grauiores. Aliunde namque quòd in nobis est sperma scaturiginis suæ fontem habet, aliundéque prorumpit. Quidam etenim à cerebro, quidam vero à lumbis œstrum illum gigni profluéreque contendunt. Ego autem nequaquam aliunde quàm à mentis intemperantia, atque libidine, cogitationúmque neglectu id fieri dixerim, atque adeò menti sobriæ modestæque naturales ipsi motus nullum afferunt detrimentum. Volens porrò ipsos reddere promptiores, *Qui potest* (inquit) *capere, capiat.* Quibus sanè verbis & virtutis huius excellentiam demonstrauit, & rem ipsam pro ineffabili sua benignitate atque clementia in legis necessitatem nullatenus redegit. Tunc autem id dixit, vbi illam esse omnino possibilem declarauit, quo ad eam capessendam ipsa animi contentio maiorem in modum excitaretur. At si liberæ voluntatis id opus est (inquies) quo modo sub initium dixit, Non omnes capaces sunt huius dicti, sed iis quibus datum est? Vt scilicet edoceremur, magnum omnino id esse certamen, non autem vt necessitate coactam attributionem quampiam suspicaremur. Enimuero id omnibus datum est, quicunque voluerint. Præterea iccirco id dixit, quo demonstraret, superiore illi auxiliatione quàm maximè opus esse, qui huiusmodi luctationis caueam ingressus fuerit. Quam profectò qui voluerit assequetur. Consueuit enim Dominus hac vti dicendi formula, vbicunque sublime quippiam atque egregium affert. Quemadmodum cùm ait. Vobis datum est nosse mysteria regni Dei. Quòd autem hoc verum sit, hinc prorsus liquet. Si enim huiusmodi virtutis adeptio, superni tantùm est muneris, nihilque ad eam, qui in virginitate agunt vllatenus conferunt, supersluè profectò illis cœlorum regnum repromisit, frustráque illos à cæteris

Infrà 22.

Deut. 24.

distinxit

distinxit eunuchis. Intuendum porrò est quomodo aliorum damnis atque malitia, lucrantur alij atque proficiunt. Nam Pharisæi quidem, nihil ex illius verbis consecuti (neque enim vt discerent interrogabant) sic abiere. Discipuli autem hinc lucrum quàm maximum reportarunt. *Tunc oblati sunt ei pueri, vt manus illis imponeret, & oraret. Discipuli autem increpabant eos.* Cur autem discipuli pueros arcebant ? Nimirum ob elationem. Ipse verò ad modestiam illos reuocans, atque omnem huius mundi fastum calcare docens, & amplectitur illos, & in vlnas accipit, ac regnum talibus pollicetur. Qui autem sunt hi tales? Qui scilicet vnà cum prudentia mitibus pollent moribus ac indeprauatis. Idem enim profectò viuere est angelicum, omnibus videlicet esse nudum affectibus, purúmque vt paruuli anima est. Siquidem huiusmodi nec in eos, qui se læserint inimicitias seruat, sed tanquam ad amicos ad illos accedit, nec vltra necessitatem quippiam requirit, sed quatenus sugendis tantùm exsatietur mamillis. Ad hæc non fragilibus hisce rebus tristatur, aut earum iacturam dolet, sicut & nos, nec ad venustorū corporum afficitur pulchritudinē, quapropter & meritò dixit. *Talium est enim regnum cœlorum.* Vt quod illi per ætatem possident, id nos proprio delectu præstemus. *Et ecce vnus accedens ait illi: Magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* Quidam hunc iuuenem qui ad Christum accessit, versutiæ ac improbitatis insimulant. Ego verò auarum quidem illum ac pecuniarum seruum nequaquam inficias iuerim, talem enim ipsum arguit Christus, subdolum autem haud asseuerarim. Propterea quòd & Marcus hanc, de ipso suspicionem abstulit dicens. Accurrit, ac genua flexit illi, & interrogabat eum. Et paulo pòst. Intuitus illum Iesus, dilexit eum. Verùm magna profectò ac vehemēs pecuniarum tyrannis. Quod sanè hinc patet. Nam licèt alioqui simus virtute præclari, vniuersa tamen nobis bona diuitiarum appetentiam curáque corrumpit. Quánam igitur gratia Christus sic ei respondit dicens, *Nullus bonus*? Quia nimirum ceu nudum hominem vnúmve è pluribus, ac Iudæorum magistrum quempiam illum adiuit. Iccirco & ipse velut homo illi respondet. Neque verò hęc dicens, semet bonitatis facit exsortem. Non enim dixit, non sum bonus, sed nullus est bonus, hoc est nullus hominum. Quibus etiam verbis, nec ipsum genus hominum bonitate priuat, verùm diuinæ bonitatis comparatione bonum asserit esse neminem. Propterea & addidit, *Nisi vnus, nempe Deus.* Quandoquidem & superius cùm dixit, Vos cùm sitis mali, nostis dona bona dare filiis vestris, non vniuersum genus hominum malitiæ accersiuit, sed humanę bonitati diuinam composuit. Quid autem (inquies) vtilitatis hinc amplius accedebat, quòd eiusmodi roganti responsum dedit? Quia sic nimirum ad altiora illum paulatim euexit, docuítque ab omni procul ostentatione recedendum. Præterea, & à terrenis illum abduxit, affixítque Deo, futura illi duntaxat attendenda suadens, quærendúmque verè bonum illud, eíque honorem deferendum. Nam & cùm ait, Ne magistrum vocaueritis in terra, cùm ad sui distinctionem id dixit, tum vt discant, quæ prima sit omnium rerum origo. Vnde autem liquet non tentandi animo illum accessisse? Quia si sic fuisset, aperuisset illud omnino Euāgelista. Id quòd & in legisperito & in aliis fecit. Si autem id silentio ipse texisset, nequaquam illum Christus latere passus fuisset, sed vel manifesta illum increpatione, vel occultius insinuasset, ne & decepisse & latuisse visus fuisset. Ad hæc si tentādi gratia accessisset, nullo pacto ob ea quæ audiit, tristis abiisset. Quòd certè tentantium Pharisæorum nullus est vnquam passus, imò vero suffrænati ora irritatiores fiebant, quòd huic minimè contigit, sed tristis abiit. Quod non paruum extitit signum, non insidiosa illum ac subdola mente, sed admodum imbecilliore Dominum adiisse, æternæ quoque vitæ se desiderio tangi patefecit, verùm alio quopiam affectu destineri. Nam cùm alij quidem tentandi, alij autem recuperandæ vel suæ vel alienæ sanitatis gratia Christum conuenirent, ipse hic æternæ illius vitæ cupiditate illectus & cōuenit & allocutus est. Pinguis enim & vber erat terra, sed ipsum semen veprium densitate suffocabatur. Vbi enim audiuit, *Serua mandata*, non quidem tentando, respondit, *Quæ?* Sed putans alia quædam esse vitæ mandata præter ipsa legalia. Id quòd vehementem hominis cupiditatem arguit. Cùm ergo Christus legis mandata recitasset, *Hæc* (inquit ille) *omnia seruaui à iuuentute mea.* Nec finem hic rogandi fecit, sed rursus interrogat, *Quid adhuc mihi deest?* Quod sanè & ipsum nimiam hominis auiditatē insinuat. Nec paruum id fuit omnino, quòd sibi adhuc non nihil adesse autumabat, ad ea scilicet nanciscenda, quæ ille mirum auebat in modum. Cuius autem rei gratia prius illi brabium Christus ostendit, dicens, *Si vis perfectus esse*, & postea labores agonésque subintulit, *Vende*, inquiens, *quæ habes, & da pauperibus.* Et rursus præmium adiicit, *Et habebis thesaurum in cœlo, & sequere me?* Quò scilicet in singulis quicquid huiusmodi admonitionem onerosam reddere videbatur, obtegeret, atque hunc in modum illum attraheret. Propterea & ingentem illi mercedem ostendit. Plura enim se daturum recepit, quàm quæ dare iubebat, nec solùm plura, sed eo etiam maiora, quo terra cœlum præstat & eo plura. Thesaurum verò dixit, retributionis affluētiam liberalitatémque declarans, simul etiam & præmij perennitatem direptioni minus obnoxiam. Non igitur sat est pecunias duntaxat aspernari, sed & educādis incumbere pauperibus, atque in primis sequi Christum oportet, hoc est, paratum esse quotidie ad mortem vsque, operibúsque ea omnia præstare, quæ ab ipso præcipiuntur. *Cùm audisset autem adolescens eum sermonem, abiit tristis.* Quam ob rem? Ob eam videlicet quam Euāgelista describit. *Erat enim* (inquit) *habens possessiones multas.* Non enim æquè afficiuntur, quibus exiguæ adsunt opes, nec magni census, ac ij qui in bonorum facultatúmque ingenti copia immerguntur. Vehementior namque in his habēdi cupiditas excitatur. Quod semper dicere haud intermittam, pecuniarum videlicet accessione, maiorem concitari diuitiarum ardorem. Considerandum porrò est, quanta huius affectus vis fuerit. Cùm enim ingenti lætitia, vehemētíque auiditate is Christum adiisset, simul atque pecuniam ab eo proiicere iussus fuit, adeo illius suffudit mētem, ac minus reddidit obsecundantem, vt nihil ad ea responderit, sed tacens, mœstóque ac deiecto discesserit animo. Iesus autem, Quàm difficulter (ait) diuites intrabunt in regnum cœlorum, non diuitias profectò damnans, sed illarum affectus, quibus plerunque obnoxij existunt, qui illas possident. Si autem dives difficulter, longè magis auarus, alienorúmque vsurpator. Nam si sua non elargiri, ad regnum est impedimento, perpende quāto sibi cumulo attrahat ignem, qui aliena diripit. Quare autem discipulis omnino pauperibus, nihilque possidentibus ait: *Amen dico vobis, dives difficilè intrabit in regnum cœlorum?* Quò scilicet admoneret, ne paupertatis eos suæ puderet. Progrediens verò id prorsus impossibile, & valde quidem, cameli atque aciculæ comparatione demonstrat dicens. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem ingredi in regnum Dei.* Non vulgarem quampiam asserens diuitibus reconditam esse mercedem, qui & philosophari

Infrà 23.

Marc. 10.

Marc. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

valeant, capropter & Dei ipsius id opus esse ait, vt qui A hoc sit egregiè præstaturus, ampliore gratia opus habere demonstret. Fit autem id possibile, si pecunias abieceris, si nihili feceris facultates, si à turpi hac cupiditate desciueris, si Deum rogaris, vt in hisce honestis certaminibus tibi opem ferat & adsit, per quæ futuræ illius vitæ hæres efficiare. Cur autem discipuli, qui extrema laborabant inopia sic expauerunt, atque interrogant. *Quis ergo potest saluus fieri?* Quòd videlicet hominum salutem indolerent. Iam enim erga vniuersos paterno vehementíque afficiebantur amore, Magistrorúmque sibi viscera iam vendicarant, atque ob sententiæ huius acrimoniam vniuerso terrarum orbi metuebant. Ipse autem Iesus miti illo suo ac iucundo aspectu eos intuitus, cõceptum animo mœrorem soluit, ac repulit mœstitudinem, dicens. *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Ipsam Dei potestatem in medium adducens, suppetias illis occurrentem, qui spontè velint ab huiuscemodi peste diuelli, atque eam B multa deprecatione ac constanti prece implorarint. Nullus ergo iam dicat, qui fieri potest, quod ita est impossibile? Quáve ratione qui semel habendi cupiditate summersus iacet, sese facilè receperit ac emerserit? Nam si superflua rescindere, rerúmque aspernari copiam auspicetur, hunc in modum profectò, & vlterius progredietur, & faciliori iam huius agonis stadium cursu transmittet. Nequaquam verò rem omnem simul aggrediare, ne arduum tibi repente id videatur, verùm sensim ac paulatim has cõscende scalas, quæ ad cœlum vsque perduc untur. Hæc igitur omnia animo versantes pestilentem diuitiarum amorem proiiciamus. Hæ enim tenebris animam obducunt, eámque vacuam & turpem reddunt ac decolorem. *Tunc respondens Petrus dixit illi. Ecce nos reliquimus omnia.* Quoniam quidem Dominus dixerat diuiti, Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, ne quis dicat pauperum. Quid ergo? Et si ni- C hil habeo, nec vllæ suppetunt facultates, qui possum esse perfectus? Interrogat Petrus, & ait. Ecce nos reliquimus omnia. Atqui & Petrus pauper erat, vt & tu pauper, discas nulla te in re ob id esse deteriorem, si modo promptam miniméque supinam habueris voluntatem. Quòd autem pro vniuerso terrarum orbe non pro se ipso tantùm hanc illi interrogationem fecerit Petrus, patet omnino. Nam qui cœlorum iam claues acceperat, de semet profectò iam confidebat. Quid porrò significat, *Sedebitis & vos super sedes duodecim*? Corregnabitis scilicet, ac illius gloriæ participio fruemini. Neque enim veram sedes istæ sessionem significant, cùm ipse sit solus & sessurus & iudicaturus, sed supremum honorem illum ac ineffabilem gloriam, sedium vocabulo declarauit. *Iudicantes duodecim tribus Israël.* Hoc est condemnantes. Neque enim iudices sessuri sunt ipsi. Cur autem non dixit, Iudicantes Gentes vel terrarum orbem, sed tribus Israël? Quia videlicet eis- D dem Iudæi atque Apostoli legibus ac moribus vitæque institutis fuerant enutriti. Dicturi autem Iudæi fuerant, ideo se Christo credere non potuisse, quòd lex præcepta illius admitti prohiberet. Quos certè, his in medium adductis, qui & ipsam seruarunt legem, & fidem complexi sunt, per quam merito condemnabit. Propterea iudicantes dixit, pro eo quod est condemnantes. Dicens autem, *Et omnis qui reliquerit vxorem.* Non propterea dicit, vt coniugia dirimantur, sed quod de anima dixit, qui perdiderit animam suam mea causa, inueniet eam, non vt nosipsos interficiamus id dixit, verùm vt pietatem cæteris omnibus antiquiorem habeamus, idipsum & de vxore ac fratribus modò ait. Ad hæc & persecutiones his verbis subindicat. Quia enim quàm plurimi à parentibus filij, plerique ab vxoribus mariti ad impietatem trahebantur, cùm hæc (inquit) contenderint, nec vxorum iam, nec parentum habendi sunt loco. Sed quemadmodum Paulus ait. Si 1.Cor.7. autem incredulus discedit, discedat. Illud autem. *Centuplum accipiet & vitæ æternæ sortietur hæreditatem*, Omnino fore credendum est. Nam & multis id contigit, quemadmodum & de Apostolis scriptum est. Qui enim arundinem, scisáque retia, ac vilissima nescio quæ alia reliquerunt, eorum qui credidere substantiis, imò verò & eorum corporibus, summa vsi potestate fuerunt. Illud autem: *Multi autem primi erunt nouissimi, & nouissimi primi*, indefinitè posuit, ac cùm de aliis multis, tum de incredulis dictum Pharisæis est sentiendum. Quemadmodum & superius dixit. Multi venturi sunt, & accumbent cùm Abraam & Isaac & Iacob, filij verò regni eiicientur extra. Verbum autem illud. Nouissimi, B omnimodam à cœlorum regno exclusionem, non inferioris cuiuspiam in illo loci mansionem significat.

Caput xx.

Nam *simile est regnum cœlorum homini patrifamiliâs, qui exiit primo statim diluculo ad conducendos operarios in vineam suam.* Vineam dicit Dei iussiones ac mandata: operandi verò tempus, præsentem hanc vitam: operarios autem, qui differenter ad ipsius Dei peragenda mandata vocantur. Qui verò circa tertiam, sextam, ac nonam horam, ij sunt qui diuersis in ætatibus accesserunt, probíque sunt habiti. Nemo autem qui nonnullos in huiusmodi parabola & inuidisse, & conquestum fuisse audiat, sic omnino rem habere putet, nam parabolicè totum id dicitur. Non opus est autem quæ in parabolis dicuntur, ad verbum vniuersa rimari, sed vbi parabolæ scopum nouerimus cuius effecta est C gratia, illum decerpere, quem sequamur, nihilque vltra curiosius indagare. Nullus enim erit omnino, qui in illo cœlorum regno huiusmodi causetur, aut expostulet. Absit enim hoc. Omnis namque indignationis atque liuoris prorsus est expers locus ille. Nam si in hac vita sancti viri animas suas pro peccatoribus impendunt, longè magis cùm æternis illis bonis eos frui conspexerint, gaudio replebuntur, sibiipsis illorum bona putantes. Cæterùm huc omnis hæc parabola tendit, vt illos promptiores efficiat, qui ad extremã prolapsi senectutem, facti sunt per pœnitentiã meliores. Ne quid se minus habiturum quoquomodo vel leuiter suspicentur, aut iis se inferiores existiment, qui ab ipso puerili æuo certarint. Imò verò tantùm se honoris adepturum confidant, vt & inuidiam cæteris excitare sit potis. Id quod & nos persæpe facimus, cùm alicui dicimus, Impegit ille mihi dicam, quòd tanto te honore affecerim. Cùm tamen nullus ea de re nobiscum expostularit, nullúsque illi detrahere interim voluerit, verùm sit animus, duntaxat hoc vnum ostẽdere, quo ille dignatus est honoris excellentiam. Cur autem non omnes statim conduxit? Nimirum quòd ad ipsum pertinuit, vniuersos simul conduxit. Quia verò non omnes pariter obtemperarunt, huiusmodi differentiam, ipsa vocatorum voluntas est operata. Ipse enim ceu omnium præcognitor & præscius, ob idipsum, alios quidem primo statim diluculo, alios autem tertia, alios sexta, alios nona, alios vndecima vocat hora, quando scilicet parere habent. Ita & Paulum ipse quidem à principio vocare voluisset, quoniam autem tunc eum ad fidem non adduxisset, eo potissimum tempore vocare sibi placuit, quo ipsum nouerat crediturum. Ita & latronem quoque vocauit.

Potuisset

Potuisset enim profectò & antea ipsum vocare, verùm A ille nõ paruisset. Si enim Paulus ille ab initio non obedisset, longè minus & latro. Quòd si hi dixisse referunt, *Nemo nos conduxit.* Maximè quidem, quòd dixi, opus non est, singulum in parabolis verbum curiosè rimari. Præterea non paterfamiliâs, sed illi hæc dixerint. Non redarguit autem eos, ne in desperationem coniiciat, sed facilius eos alliciat. Nam quòd omnes, quantùm in ipso fuit à prima statim hora vocarit, ipsa etiam parabola testatur, prima illum luce asserens ad conducẽdos exisse operarios. Quòd autem & ad eos, qui ab ineunte ætate laborant, & ad illos, qui in senecta ætate virtutem tardius amplectuntur, hæc dicta sit parabola, patet omnino. Ad illos quidem ne fatiscant néve circa vndecimam vocatos horam cõuiciis incessant, ad hos autem, vt discant licere sibi vel breuissimo tẽporis spatio vniuersa recuperare. Cur autem huiusmodi vsus est parabola? Quia nimirum de proiiciendis pecuniis, ac vniuersis opibus despiciendis differebat. Id porrò ma- B gna simul contentione, ac egregia quadam animi propensione indigebat. Quapropter charitatis flammam accendit, ac strenuitatem mentibus addidit, ostendens posse omnino fieri, vt qui vel nouissimus accesserit, pro integra tamen die mercedem accipiat. Quod tamen ipsum non dicit, ne rursus ob id in desidiam prolabãtur. Totum porrò negotium suæ benignitatis esse demonstrat, qua nimirum fit vt nec illi à regno prorsus excidãt, & ineffabilia bona adipiscatur. Hoc igitur est quod hac parabola Dominus astruere voluit. Quòd si addit, *Sic nouissimi erunt primi, & primi nouissimi. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Non est profecto mirãdum. Non enim à parabola id concludens dicit. Sed quemadmodum hoc (inquit) contigit, ita & illud continget. Neque enim hic facti sunt primi nouissimi, sed præter omnium spem atque expectationem omnes eandem accepere mercedem. Et sicut id insperatò cõtigit, prio- C ribúsque facti sunt posteriores æquales, sic & quod ma- ius est & admirabilius hoc loco continget, vt prioribus fiant nouissimi potiores, idest vt ab illa sint gloria decisuri, facti nouissimi. Id porrò tùm Iudæos qui priores vocati sunt, nec credidere, tùm eos omnes qui sub initium inclaruere virtutibus, postmodum autem vitæ negligentia prolapsi sunt retro, tum etiam illos qui à vitiositate resipuerunt, multósque superauere virtutibus, latenter insinuat. Videmus enim & fide & vitæ institutis huiusmodi fieri mutationes. Quocirca magnum obsecro studium adhibeamus, vt & fidem rectam seruemus, & optimum vitæ institutum ostendamus. Nisi enim fidei congruentem duxerimus vitam, extrema dubio procul supplicia luemus. Quemadmodum & qui spiritalem cibum manducarũt, & spiritalem potum biberũt, qui postmodum tamen in deserto prostrati sunt.

1.Cor.11. Et qui dæmones eiecerunt, ac etiam prophetarunt, postea autem suppliciis sunt addicti. Sciendum præterea est huiusmodi parabolas, virginum videlicet, sagenæ, D spinarum, arborísque fructum non ferentis, quæ ab operibus proficiscitur, virtutem requirere. Et de dogmatis quidem rarius disputat, quòd nullo ad ea labore sit opus, de recta autem vita sæpius, imò verò semper atque vbique differit. *Et ascendens Iesus Hierosolyma, assumpsit duodecim discipulos suos secretò in via.* Ascensurus Hierosolyma à Galilæa profectus, non repente id facit, sed vbi signa edidit quàm plurima, Pharisæorúmque obstruxit ora, ac discipulos de paupertate, de virginitate, de humilitate, de premiis quæ hîc eos manerent, de futura remuneratione est allocutus, tunc demum ad vrbem proficiscitur. Ac inter eundum, de sua rursus passione verba facit. Continuè autem de hac ipsa apud eos differit, quò illorum mentes crebritate suggestionis exerceat, & quem de ipsa animi mœrorem concipiebant, assidua commemoratione præcidat. Seorsos autem alloquitur, quòd non oporteret huiusmodi sermonem in vulgus effundi, nec publicè prædicari. Nihil enim propterea proueniebat vtilitatis. Et in prædicationis quidem exordio, de morte duntaxat mentionem fecit, at postquam longa illam meditatione & exercitio cognouere, tum demum & alia adiecit. Tradendum se gentibus asserens, illudendum, ac flagellãdum, præterea autem & resurrectionem prædicens. Non hęc autem in principio dixit, ne qua illorum animos turbatione percelleret. Nec item sub ipsum passionis articulum, ne propterea turbarentur, sed vbi potentiæ suæ specimen cœperunt euidentissimum, ingentésque fecerat æternæ vitæ pollicitationes, tũc de his sermonem introduxit. *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo.* Cur filij Zebedæi ipsum adeuntes de primo illum consessu sunt allocuti? Quoniam sicut ait Euangelista, propè Hieroso- Marc. 10. lymam erant, putabántque ipsius regnum iamiam appetere, hæc ideo postulabant, quòd illud in ianuis esse arbitrarentur, sæcularéque ac terrenum quoddam regnum mente voluebant, séque eorum quæ petebant compotes factos, nulla se prorsus sperabant tristia vel aduersa subituros. Si autem Euangelista hic matrem ipsorum hæc asserit postulasse, tanquàm sit vtrumque factum dixit. Matrem enim vnà secum assumpsere, quò petitioni suæ illius præsentia vires adiungerent, Christúmque facilius inflecterent, exorarẽntque petita. Ipsi enim soli accedere verebantur. Quod autem eis respõdit: *Potestis bibere poculum, quod ipse bibo?* Pericula extrema mala, necésque significat. Non dixit autem, potestis iugulari, vestrúmque sanguinem effundere? Sed bibere poculum, quod ipse bibo, vt ipsos videlicet attraheret, ipsáque sui communicatione promptiores efficeret. Id ipsum porrò & baptismum appellat, cùm addit. *Et baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Magnam vniuerso orbi è futura passione sua profluxuram expiationem ostendens. Seorsum autem ab aliis discipulis seductum illum id postularunt, quòd rubore simul ac verecundia tenerentur, tanquam humanum quid perpessi. Simul etiam ne cæteris id condiscipulis innotesceret. Interrogat porrò eos, *Quid vultis?* Non profectò nescius, sed vt illos respondere compellat, & vlcus subaperire faciat, quò sic demum adhiheat medicinam. Dicentibus autem illis: *Vt vnus à dextris, alter verò sedeat à sinistris.* Ipse respondens, ait illis, *Nescitis quid petitis.* Hoc est, nihil spiritale petitis. Qui si de superna gloria postulassent, neque sic rursus nouerant, quid petebant. Quàm scilicet id mirabile foret, quàm magnum, quàm longo etiam interuallo, vel ipsas supernas virtutes excedat. Vrgebántque dicentes, *Dic.* Propterea autem primi illius subsellij consessum petebãt, quia D dicentem illum audierant, sedebitis super sedes duodecim. Nec id ipsum præterea intelligentes quod dicunt, respondent, *Possumus.* Expectantes enim petitæ sessionis compotes se futurum, id dixere. Vbi igitur illis ingentia prædixisset bona, dicens: *Bibetis, & baptizabimini*, hoc est, eadem quæ & ego patiemini, subintulit. *Sedere autem ad dexteram meam & ad sinistram, non est meum dare, sed quibus paratum est à Patre meo.* Quibus sanè verbis duæ nobis quæstiones à plurimis proponuntur. Quarum prior, num alicui sit paratum ad illius sedere dexteram. Altera verò, num vniuersorum Dominus id illis præstare nequeat, quibus paratum est: quid igitur est quod dicit? Si quod prius est soluerimus, patebit certè inquirentibus & alterum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nullus profectò à dextris eius, vel à sinistris sedebit. A Omnibus enim inaccessibilis est sedes illa, non tãtùm (inquam) Apostolis, sed & supernis illis virtutibus vniuersis. Id namque tanquam vnigeniti filij præcipuum munus Paulus posuit dicens. Ad quem autem Angelorum dixit vnquam, sede à dextris meis? Et de Angelis quidem dicit, Qui facit Angelos suos spiritus. Ad filiũ autem, thronus tuus Deus in sæculum sæculi. Dixit verò, sedere autem ad dexteram meam & ad sinistram, non est meum dare: non quod alij quidam sint concessuri (absit) sed ad interrogantium mentem sermonem conuertit, illorum se sensibus accommodans. Neque enim de sublimi illo throno, & ad Patris dexterã sessione quicquam omnino norant. Quandoquidem & lõgè his inferiora illorum quotidie auribus infusa ignorabant. Verùm hoc vnum illi quærebant, vt scilicet primas potirentur, atque apud ipsum cæteris honoratiores existerent. Vt autem quod ait, Non est meum dare, sed quibus paratum est, clarius fiat, exemplo id expendamus. Proponamus certaminum esse munerariũ quẽpiam, ac multos, eósque optimos, athletas in huiusmodi agonem descendisse, tùm duos quosdam ingressos athletas qui munerario singulari familiaritate deuincti, dicant, Fac nos, oramus, corona donari, vocéque præconia declarari victores. Idque dicant, sola illius necessitudine ac beneuolentia freti. Illum verò eis respondere, Non est meum id dare, sed quibus labore sudoréque paratum est. Num igitur ipsum quasi id præstare non valentem condemnabimus? Minime. Quin imò & viri iustitiam suspiciemus, & nullum eius personarum delectum maximis laudibus efferemus. Quemadmodum igitur munerarium illum nequaquam impotentem diceremus, qui nequeat coronam sic petentibus elargiri, sed potius integerrimum prædicaremus, qui nolit agonis legem corrumpere, nec iustitię seriem interturbare: Ita & Christum id dixisse asseueramus, quò illos vndique compelleret, vt post Dei gratiam, omnem suæ salutis ac claritudinis spem, in rectis, quæ ipsi præstiterint, operibus collocent. Ideo enim dixit, sed quibus paratũ est. Quid enim, inquit? si cæteri vobisipsis meliores visi fuerint? Quid si maiora præstiterint? Neque verò quia discipuli mei estis, vllatenus autumetis, eo vos primatu ac præsidentia potiturum, nisi eiusmodi electione digni fueritis. Nã quòd totius huius rei ipse sit Dominus, inde nimirum patet, quia omne is habet iudicium. Ita enim dixit Petro, Ego dabo tibi claues regni cœlorum. Et Paulus hoc ipsum indicans, Quòd supereſt (inquit) reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus, & omnibus qui dilexerũt apparitionem suam. Christi verò apparitio iam facta est. Quòd autẽ nemo sit Paulum præcessurus, nulli non patet. Si autem subobscurius hæc à Domino dicta fuere, non est quòd miremur, mira namque dispensatione sic illos à se amãdauit, ne frustra ac temerè de huiusmodi præfecturis, ad quas humanis quibusdam sic ducebantur affectibus, sollicitarẽtur, néve vllo cos mœrore cõficeret. Quæ videlicet ambo hac sermonis obscuritate cõpleuit. *Tunc* (inquit) *indignati sunt decem de duobus fratribus.* Tunc istud, quando significat? Quando redarguit illos Iesus, filios inquam Zebedæi. Siquidem ipsi decem animi se angebant, magistri tamen sententiam expectabãt. Vnde patet, quàm essent etiam tum omnes admodum imperfectiores, cùm videlicet duo contra decem insurgerent, & decem duobus adeò subinuiderent. Non opus autem hæc ipsa nunc solùm attendere, sed inenarrabilem illam sublimitatem, quàm postmodum sunt consecuti, animo volutare. Cur autem ait Euangelista, *Iesus autẽ vocauit eos ad se?* Quia profectò duo illi ab ipsis seseB decem abiunxerant, propiúsque Christum cõstiterant, ac de semet solis lõga decem intercapedine dissitis, loquebantur. Cùm ergo turbatos illos sensisset Iesus, liuore indignationéque turgidos illorum animos, priusquam alloqueretur eiusmodi attractione compressit ac mitigauit, dixítque eis. *Scitis quod principes Gentium dominentur illis, & qui magni sunt, potestatem exercent in eas.* Gentium principibus commemoratis, ethnicorum hominum moris esse ostendit, primas appetere. Quia igitur tyrannica res est, ambitiosa principatus affectatio, eximiósque interim transuersos agit viros, propterea vehementiore indiget ictu, vt & Gẽtium scilicet comparatione, laborantes, huiusmodi affectu, illorum animos feriat, acrioribus eos sermonibus incessens. Neque enim gentilibus similia nostra sunt. Nam apud eos (inquit.) Qui principatum gerunt, dominatum quidem ac tyrannidem in illos exercent, apud me autẽ qui fuerit omnium postremus, erit primus. Non simpliciter autem ista præcepit, verùm ex iis quæ fecit, & passus est, euidens verborũ suorum præbuit experimentum. Cùm enim supernarum esset Dominus potestatum, factus est homo, spernique ac contumeliis passus affici, ipsam quoque mortem spontè subire dignatus est. Id enim significat. *Sicut filius hominis non venit vt sibi ministraretur, sed vt ipse ministraret, daréque animam suam redemptionem pro multis. Et egredientibus illis ab Hiericho, secuta est eum turba multa. Et ecce duo cæci sedentes iuxta viam, cùm audissent quòd Iesus transiret, clamauerunt, dicentes. Domine, miserere nostri, fili Dauid. Turba autem increpabat eos, vt tacerent.* Quare permittebãt Christus, vt turbæ cæcis hisce silentium indicerẽt? Vt scilicet ipsorum animi propensio maiorem in modum dignosceretur, vniuersíque disceremus, quàm digni forent, qui medelam consequerentur. Quocirca nec illos (quòd in plerísque solebat) interrogat, an crederent, quòd ipsorum clamor ac deprecatio satis supérque fidem illorum omnibus patefaceret. Porrò & illud hinc discimus, posse nos, quamuis admodum viles atque abiecti simus, modò studiosè ad Deum accedamus etiam per nosipsos adipisci, quæ petierimus. Quemadmodum & cæci hi. Nullius etenim Apostolorũ patrocinio freti, quinimò quàm plurimos nacti, qui sua precantum ora retruderent, superatis tamen omnibus ad dominum Iesum peruenire valuerũt. Et nos igitur hos imitemur, tametsi Deus petita largiri differt, tametsi quàm plurimi prohibent, inceptis tamẽ precibus ne desistamus. Hoc etenim pacto Deum ipsum nobis quàm maximè conciliamus. Cuius autem rei gratia ipsos interrogauit dicens. *Quid vultis vt faciã vobis?* Ne qui videlicet arbitraretur, alia petentibus illũ alia præstitisse. Quandoquidem is mos vbique seruatus est illi, vt eorum prius qui sanabantur, virtutem retexerit, ac omnibus declaratit, & tùm demum curationem adhibuerit. Tùm vt cæteros quoque ad eos imitandum prouocaret, tùm vt sanitatis munere quàm meritò donatos ostenderet. Quemadmodum & in muliere illa Chananæa, & in centurione, & in ea quæ sanguinis fluxum patiebatur fecisse est manifestum. Imò verò admiranda mulier hæc etiam Domini interrogationem præuenit, nec tamen vel sic illam præteriit, verùm post præstitam illi sanitatem manifestam fecit. Ita semper fuit illi cordi accedentium ad se fidem virtutémque patefacere. Quod & in præsenti facit. Propterea illis quæ vellent dicentibus, misericordia motus tetigit eos, ac videndi actutum præstitit facultatem. Illi autem & ante curationem animi sui constantiam, & post muneris adeptionem, eiusdem gratitudinem atque cãdorem præ se tulerunt. Nam *secuti sunt eum.*

Heb. 1.

Suprà 16 2. Tim. 4.

CAP.

CAPVT XXI.

ET *cùm appropinquassent Hierosolymis, & venissent Bethphage ad montem oliuarũ.* Quamobrem cùm sæpius quidem antea Hierosolymam Dominus ascenderit, nunquam tamen eo cum splendore ac claritate, sicut in præsentiarum, ascendit? Quoniam tunc quidem erãt dispensationis præludia, ipse verò non admodum celebris erat, nec passionis tempus instabat. Vnde & indifferenter cum illis versabatur, magis seipsum occultans. Nam tunc quidem nec ipse ita admirationi fuisset, & illos ad maiorem animi excandescẽtiam facilius concitasset. At vbi & suæ ipsius potẽtiæ specimen satis supérque præbuerat, & crux erat in ianuis, clarius iam ac manifestius omnia facit, quæ illis forent euentura demonstrans. Notãdum verò quot ab eo mirabilia fiant, quótve prophetiæ compleantur. Prædixit alligatam asinam inuenturos, prohibiturúmque neminem, imò re cognita quemlibet taciturum. Quod sanè haud exiguum fuit miraculũ, quòd sibi scilicet alioqui incognitos neque visos, sua benignè ac patienter per discipulos præsertim suadeat elargiri. Neque enim paruum fuisse putemus quod gestum est. Magnum etenim fuit atque mirum, vt pauperes & agricolæ, quæ sua sunt præberent. Implebat porrò & Prophetiam tum verbis ipsis, tum rebus. Et rebus quidem quòd super asinam sederet. Quod profectò immundarum gentium vocationem præfigurabat, ipsúmque portendebat in eorum qui crediderint cordibus requieturũ. Ad hæc & ideo super asina sedit, quò nobis philosophię modum præscriberet. Verbis autem, quòd ea sessione illam Zachariæ prophetiam impleret, qua olim prædixerat regem super asina consessurum. Quare autem non de equo vel mulo, sed de asino prophetauit? quò nos videlicet vbique modestè agere, modestéque de nobis sentire instrueremur. Quia enim cõtingit imbecilliores nonnullos indigere iumentis, & in hac re modum constituit, ostendens non opus esse vel equis vel mulis ferri sublimes, sed vti asino, nihilque vlterius inquirere, sed vbique intra necessitatis fines cohiberi, luxúmque omnem ac magnificentiam auersari. Non enim solummodò veritatis dogmata plantauit Christus, sed & hominum vitam dirigebat, regulas nobis vbique necessitatis extremæ præfigens. Propterea & pauperrimam habuit matrem, & in spelæo gignitur, & in præsepi collocatur, & ordeaceos panes apponit, quósque pro tempore ex ipso foro discipulos emere iubet, lectúmque sibi ac recubitum parat in gramine, vilésque induit vestes. Domum præterea nullam habuit, cúmque sibi foret de loco ad locum migrandum, pedibus iter agebat, ac ita agebat, vt & lassesceret, sedénsque non puluinar ambiebat, sed in ipsa terræ superficie quiescebat. Mœrori quoque terminum posuit quatenus lamẽtari res postulat, vt leniter lachrymemur, vbíque regulas, quemadmodum dixi, terminósque constituens, quousque nobis progrediendum foret, nec vltra amplius. Porrò pullus Ecclesiam nouúmque populum significat, tunc quidem immundum, at postquam super eo dominus sedit Iesus, redditum omnino mundum. Quòd autem discipuli iumenta soluunt, indicat per illos fuisse Gentes adductas. Siquidem per Apostolos & Iudæi & Gẽtes seruati sumus. Quòd verò asina pullum sequitur, probitatem nostram ad zelum Iudæos, vt in Christum crederent, prouocasse significat. Vbi enim Christus super Gentibus sedit, tunc & illi ad fidẽ quàm maximè zelantes accesserunt. Id quod & Paulus declarans aiebat. Excœcatio ex parte Israëli accidit, donec plenitudo Gentium aduenerit, & sic totus Israël saluus

Zach. 9.

Rom. 11.

erit. Quòd præterea nullus restitit Apostolis, quo minus iumenta abducerẽt, ipsius rei facilitatem designat, qua scilicet Gentes ipsas Apostoli ad saluatoris nostri Dei cognitionem erant adducturi, nullo eorum prohibẽte quin crederẽt, à quibus antea vincti detinebãtur. Cur autem super nudo non sedit pullo, sed super Apostolorum vestimentis? Quoniam adducto pullo Gentium videlicet populo vniuersa iam Apostoli effusè largiuntur. Quemadmodum & Paulus dicebat: Ego verò libentissimè impendam, & expendar pro animabus vestris. Nõ resilit autem pullus nec reluctatur, tametsi erat indomitus, verùm placidè modestéque fertur, quia nimirum & hoc futuri erat prophetia qua Gentium obedientia, repentináque ad moderatioris vitæ disciplinam mutatio declarabatur. Quæ sanè omnia verbum illud quo dicitur, *Soluite & adducite mihi.* Fecit, vt iam & inordinata ad ordinem, & immunda ad mundities sint redacta. Quare autem cùm totiam Christus mirabilia patrasset, nunquam tamen illum sic Iudæi sunt admirati? Propter suam videlicet vilitatem ac deiectionem. Cùm enim cõcurrentem vidissent turbam, subito stupore perculuntur. *Commota est enim* (inquit) *vniuersa ciuitas, dicens, quis est hic?* Ita quando magnum quid de eo dicere putati sunt, tunc potissimum vilis illorum mens fuit ac humi repens, Iesum à Nazareth Galilææ & Prophetam illum dicentes. Christus autem Dominus hæc ita faciebat, nequaquam omnino pompam ostentaret, quin imò, quod dixi, tum vt prophetiam perficeret, edocerétque philosophiam, tum etiam vt discipulis sua ipsius passione mœrore confectis, aliquod solamen impenderet, dum ostendit haud inuitum se ad passionem tendere. Considerandа autem videtur & Prophetarum diligentia, quo modo singula quæque prædixerunt. Partim namque à Dauid, partim a Zacharia hæc præcantata fuere. Eadem porrò & nos faciamus, quæ ipsi fecerunt Apostoli. Quánam enim venia digni fuerimus, cum eorum quidam, cui insessurus erat asinæ vestimenta circumponerent, quidam verò gradientis asinæ, pedibus, substernerent, nos autem nudum ipsum videtes, iusíque haud nosipsos, sed è reconditis aliquid impendere, neque sic, liberales existimus? Et illi quidem & præcedebant illum & sequebantur, nos verò & accedentem ad nos Dominũ & deprecantem repellimus, & frustratoriis dilationibus obturbamus, ac maledictis incessimus. Quibus igitur cruciatibus hæc digna, quibus suppliciis? Accedit ad te indigens Dominus, & neque supplicantem audire sustines, verum increpas, & obiurgas. At filios fortasse respicis, illísque metuis egestatem, ac horum gratia eleemosynam dare detrectas? Atqui & ipsi ad huiusmodi sunt lucra formandi. Deum illis relinque debitorem, qui & præsentia simul & futura gratificatur. *Et intrauit Iesus in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo mensásque colybistarum, & cathedras vendentium columbas euertit.* De eiectione hac, quam Christum fecisse Matthæus narrat, & Ioannes similiter meminit. Sed is quidem in Euangelij exordio, hic autem circa finem factam describit. Vnde consequens est, bis illam diuersísque tẽporibus à Domino factam fuisse. Quod tum à tempore ipso, tum à responsione percipi potest. Nam apud Ioannem in ipso Pascha, apud Matthæum verò longè antè Christus in templum venisse dicitur. Id verò maiorem arguit Iudæorum accusationem, quòd cùm semel ac bis ab eo fuissent eiecti, perseuerabant nihilominus templo ad quæstum abutentes, ac Deo illũ aduersarium dicentes. Cùm hinc potius & illius potestatẽ, & quo Patrẽ prosequebatur, honorẽ intelligere debuissent. Nã & signa patrarat quàm plurima, & re-

Ioan. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus ipsis consona verba videbant, & neque sic persua- A
debantur, imò verò vehementius excandescebant.
(*Accesserunt*, enim, *ad eum cæci & claudi in templo & sanauit eos*) neque rursus clamantem Prophetam audientes conuertebantur, qui olim pueros fore ipsum præter ætatis tẽpus prædicaturos asseruit. Ex ore enim (inquit) infantium & lactentium perfecisti laudem. In Iudæos porrò cauponantes accusantem illos Esaiam in mediũ
Esa.56. adduxit, qui ait. *Domus mea, domus deprecationis vocabitur.* Cuius autem rei gratia Principes sacerdotum ac scribæ de clamantibus pueris Christo dixere, *Audis quid isti dicunt?* Quòd nimirum inuidia suffocaretur. Tanquàm enim Deo pueri illi canebant. Quocirca & ipse quia Principes sacerdotum manifestis reluctabantur, acriore in eos vsus est correctionis forma, dicens. *Nunquàm*
Psal. 8. *legistis: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?* Pulchrè autem dixit, ex ore, non enim ex eorum mẽte prodibãt huiusmodi, sed ipsius virtute qui illorum linguam ad ea verba mouebat. Præterea & hoc ipsum B
figura Gentium fuit, quæ ingenti prius balbutie laborantes, toto postmodum corde, fidéque perfecta, repente quàm maximè sonuerunt. Accessit porrò hinc & Apostolis haud paruum solamen. Ne enim cunctabundi hæsitarent, quónam modo, cùm essent Idiotæ, Euangelicæ prædicationis delegatum possent munus obire: hoc videlicet puerorum exemplo vniuersus animi illorum depulsus est angor, nihilque amplius dubietatis relictum, quin & ipsis dicendi facultatem esset ille daturus, qui pueruros fecerat in suis laudibus ita diser-
tos. *Et relictis illis exiit è ciuitate in Bethaniam, & diuersatus est illic.* Quòd sane ideo fecit, quò furoris illorum magnitudo flaccesceret, minúsque turbarentur inuidia succensi. *Manè autem reuertens in ciuitatem, esuriit.* Quomodo manè esuriit? Quia nimirum sic affici carnem suam permisit. *Et cùm vidisset sici arborem vnam in via, venit ad eam, & nihil inuenit in ea, nisi folia tantùm. Et ait illi. Ne posthac ex te fructus nascatur in æternum.* Quare au- C
tem execratus est ficum? Ob discipulos profectò, quo magis ipsi confiderent. Quia enim vbique ac semper beneficia præstans, nullum adhuc supplicio affecerat, erátque opus seueræ virtutis suæ argumentum præberi, vt tam discipuli quàm Iudæi omnes intelligerent, posse illum & crucifigentes se arefacere, non in hominem profectò id placuit demonstrare, sed in arborem vltionis suæ potentiam exeruit. Cùm autem in loca, vel in arbores, vel in ea quæ rationis sunt prorsus expertia huiusmodi fiunt, noli curiosius exquirere, nec dicas, qui nam iustè ficus exaruit, si ficorum tempus non erat? Id enim dicere extremi fuerit deliramenti. Quin potius miraculum suspice, huiusmodíque signa edentem admirare. Nam & in summersis porcis illis iustitiæ rationem disquirentes multi, similia sunt oblocuti, quibus profectò hac in re minus est attendendum. Siquidem & porci illi, animantes erant irra- D
tionales, quemadmodum & arbor illa inanimata. Quidam porrò dicunt, Synagogam Iudæorum, vt quæ infidelis existeret, per hanc ficum fuisse significatam, quam velut infructuosam Christus cõdemnarit. Quod certè nequaquam est verum. Hoc autem modo huiusmodi res, hoc est ipsius execrationis causa, descripta fuit, quò scilicet, sicut & superius dixit, ipsius patefieret vis puniendi. Neque enim Christus ignorabat, quando nam fructus illius tempus adesset. Propterea & discipuli maiorem sunt in modum id admirati, tãetsi quàm plurima iam signa, & quidem longè maiora patrata fuerant. Verùm ob id huius rei miraculo quàm maximè commoti sunt, vt qui certissimi iam facti essent, posse illum & inferre supplicia. Non in alia autem arbore, sed in ficu id fecit, vt quia omnium est hæc arbor humidissima, vel hinc quòd fecerat signum, mirabilius appareret. Vt verò demonstret propter Apostolos, vt dixi id factum fuisse, quò eos ad confidentiam instituret, ne inimicorum insidias pauidi reformidarent, inquit eis. *Amen dico vobis si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solùm hoc quod accidit ficui facietis, verùm etiam si monti huic dixeritis tolle te, & proiice te in mare, fiet.* Et alia multo plura facietis fide ac precibus confidentes. Cur autem, *Accesserunt ad eum in templo docentem principes sacerdotum & seniores populi, dicentes, Qua authoritate hæc facis?* Nimirum quòd cuperent illius doctrinam interrumpere. Quoniam autem ipsius miraculis detrahere non valebant, factæ in templo cauponantium correctionis interrogant. Idipsum & apud Ioannem licèt non eisdem verbis, eadé tamen mente fecisse videntur. Quapropter & hinc patet, illud, alio gestum fuisse tempore quã hoc quo vendentes at-
Ioan. 2. que ementes templo exegit. Et ibi quidem respondis- se narratur, destruite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud. Hîc autem ad consilij eos inopiam perplexitatémque redegit dicens. Baptismus Ioannis vnde erat, è cœlo, an ex hominibus? Quid est autem, qua authoritate? Non habens (inquiunt) præceptoriam dignitatem, nec vllis ad sacerdotium suffragiis ascitus, quomodo tãtam præ te tulisti authoritatẽ? Et profectò cũ eiicerentur, non id dicere præsumpserunt, simul autem atque ipsum docentem conspexere, tunc instant, atque expostulãt, saluti audientiũ inuidentes. Quã nam porrò habet sermonis consequentiam, quòd Christus illos contrà interrogauit, dicens. *Baptismus Ioannis vnde erat, è cœlo, an ex hominibus?* Maximè profectò. Nam si è cœlo dixissent. Cur ergo, respondisset, non credidistis ei? Si enim Ioanni credidissent, citra impedimentũ omnino nossent, qua ipse hæc faceret authoritate. De ipso enim ille dixit, Non sum dignus soluere corrigiam cal-
Ioan. 1. ciamẽti eius. Et ecce agnus ille Dei qui tollit peccatum
Ioan. 3. mundi. Et, Hic est filius Dei. Et qui è supernis venit,
Sup. 3. supra omnes est. Et, cuius ventilabrum in manu ipsius. At vbi facinorosi illi dolosè se ignorare respondent, non dixit. Nec ego noui, sed, *Nec ego dico vobis, qua authoritate hæc faciam.* Si enim ignorabant, doctrina illis erat opus, at quia dolosè agebãt, per quàm merito nihil eis respondit. Cur autẽ non dixerunt ex hominibus esse Ioãnis baptismum? Quoniam timebant (inquit) turbam. Sic erant moribus deprauati, ac vbique ipsius Dei contẽptores, omniáque propter homines faciebãt. Nã & ipsum quidem Ioãnem nõ quòd viri virtutem vererẽtur, sed propter turbas solũmodo metuebãt, Christo autem credere propter homines recusabant. Vnde potissimum vniuersa illorum mala prodibant. Quid verò significant hi duo filij, de quibus Christus agit in præsenti, dicens. *Homo habebat duos filios. Et accedens ad priorem dixit. Fili, vade hodie operare in vineam meã:* Gentium videlicet populum ac Iudæorum. Nam Gẽtes quidem, quæ nec obedientiam spoponderant, nec legem audierant, ipsis obedientiam operibus præstiterunt. Iudęi autem qui omnia se facturos, quæ Deus iniunxerit, fuere polliciti, operibus tamen minimè perfecerũt. Propterea igitur quò suimet ipsorum condemnãtes efficiat, ab ipsismet sententiam elicit. Id quod & in sequenti vineę parabola facit. Vbi autem non intelligentes quæ dicebantur, sententiam simpliciter protulere, priorem dicentes patris feciſse voluntatem, tum demum quod parabola obducebatur, in lucem profert, dicens: *Publicani & meretrices præcedunt vos in regnum Dei.* Quòd ipsi quidem Ioanni crediderint, vos autem, nequaquam. *Venit enim ad vos*, inquit, & non ad illos.

Quod

Quod sanè duplex est illis crimen. *Per viam* (inquit) *iu-* A
stitiæ. Hoc est, non habetis quod ipsum accusetis, quòd negligens quispiam fuerit, frugíque nullius. Quinimò & vita illi erat irreprehensibilis, & vestram ipsorum salutem magnoperè curabat. Quódque grauioris est culpæ, nec quidem postea quàm publicani ac meretrices ei crediderunt, id est à vitiis se subduxerunt, vos credidistis. Oportebat enim vel ante illos credidisse. Id quòd omni vos venia priuat, simúlque est & illorum maxima laus, & vestri criminis amplificatio. Illud autem, præcedunt, non tanquam hi sequantur, est dictum ac regno post eos digni habeantur, si sic permanserint, sed quòd & consequẽdi spem habeant, si modò credere non detrectent. Id autem dicebat, quò illos ad æmulationem prouocaret, vt vel sic fidem amplecterẽtur. Nihil enim æquè ac æmulatio excitat rudiores. Propterea igitur & semper dicit. Multi autem nouissimi erunt primi, & primi nouissimi. *Aliam parabolam audite. Homo quidam erat paterfamiliàs, qui plãtauit vineam.* Hominem patrem- B
familiàs, Deum ac Patrem dicit. Vineam autem & sepem, & torcular, & turrim, legem quam dedit, ac ciuitatem quam erexit, templúmque quod ędificauit. Agricolas verò Iudæos. Nam simul atque ex Ægypto egressi sunt, prædicta omnia in ipsos Deus est operatus, prouidentiæ suæ magnitudinem ostendens. Nihil autem imperfectum, sed perfectè admodum atque exactè omnia executus paruum quid eis faciẽdum dereliquit, vt scilicet, & diligentiam adhiberent, & quæ sibi data fuerant, conseruarent. Illud autem, *Peregrè profectus est*, ingẽtem illius longanimitatem insinuat, qua non semper peccantibus è vestigio supplicia infert. *Cùm autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas vt acciperent fructum ipsius.* Qui autem ij sunt, qui missi sunt serui? Prophetæ, nimirum. Quemnam fructum acciperent? Obedientiam videlicet, hoc est mandatorum obseruationem. Agricolæ autem non modò non habentes reddere, quin & obnoxij, etiam illorum san- C
guine manus fœdauerunt. Propterea autem & secundos misit ac tertios, vt mittentis quidem benignitas ac patientia, agricolarum verò proteruia atque malignitas palàm fieret. *Nouissimè autem misit ad eos filium suum.* Non autem misit illum primò, sed post seruos, vt eorum quæ in illos fecerant, pœnitentia ducti, dimissò que ibi, hoc est in seruorum cæde, omni furore aduentantem filium vererentur. Quod verò ait, *Verebuntur fortasse filium meum*, non quasi ignorans dixit. Absit hoc enim, sed peccati molem volens omni nudam excusatione demonstrare. Misit enim, haudquaquam illum ignorans ab eis interficiendum. Dicens autem verebuntur, quæ præstare debuissent ait. Nam omni illum reuerentia ac verecundia suscipere opus erat. Licèt enim in seruos perfidi atque ingrati fuissent, par tamen erat, vt filij dignitatem vererentur. Verùm illi sontem illam suam atque improbam consuetudinem non depoſuerunt, sed D
multa impietate ac insipiẽtia circumfusi, *Occidamus eum* (inquiunt) *& nostra erit hæreditas.* Vbi autem decernunt illum interficere? Extra vineam scilicet. Vnde animaduertendum quomodo & locum quoque ipsum prædicit, vbi erat cruce plectendus. Iccirco autem illorum improbitatem per parabolam enarrat, vt ipsimet sententiam ferant, séque ipsos ipsi condemnent. Dicentes enim. *Mali cùm sint, malè perdet illos, & vineam suam locabit aliis agricolis*, nihil aliud dicunt, quàm, nos sumus qui hoc pati debemus. Dicens porrò Iesus, *Nunquàm legistis in scripturis, lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Lapidem se ipsum appellat, ædificantes autem Iudæorum magistros. Reprobauerunt
Ioan. 9. verò illum, cùm dicerent. Hic non est ex Deo. Et, hic seduxit turbas, & cùm illum Samaritanum appellarent. A
Factus est autem in caput anguli, quòd & mentes, quæ Luc. 7. Luc. 8.
antea erant longè dissitæ, simul atque fidem susceperc, & eos qui credidere Iudæos, in vnum cõsociauit, tametsi magno prius interuallo distabant. Id autem, *A Domino factum est istud, & est mirabile oculis nostris*, declarat, hoc nequaquam fuisse Deo contrarium, quin imò valde probatum atque omnium oculis admirandum, plenúmque stuporis. Cùm verò ait, *Et qui ceciderit super lapidem istum confringetur, super quem verò ceciderit conteret eum*, binas hîc ponit perditionis vias. Alteram quidem ab offensione, id est à scandalo quod passi sunt Iudæi, prouenientem (id enim indicat super lapidem cadere.) Alteram verò à captiuitate, calamitatéque ac pernicie, quam sunt experti. Quam etiam manifestè declararat, dicens, conteret eum. Quibus præterea verbis, & resurrectionem suam subindicat. *Et cùm audissent Principes ac Pharisæi parabolas eius, cognouerunt quòd de se diceret, & quærentes illum tenere, timuerunt turbas, quoniam tanquam prophetam eum habebant.* Ita illos & auaritiæ amor, & præsentium cupiditas penitus excæcarat, vt neque sententiam ipsi suam verentes, credere vellent, imò verò ipsum tenere potius niterentur. Nihil enim ita præcipitem agit hominem, atque à futuris bonis abducit, quẽadmodum si caducis hiſce rebus animum affigat.

CAPVT XXII.

ET *respondens Iesus, iterum dixit eis per parabolas, dicens. Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et emisit seruos suos, vt vocarent inuitatos ad nuptias.* Quæ hanc præcedit parabola, quæ ante crucem futura erant occultius indicauit: hæc autem, quæ fuerant resurrectionem consecutura, significat. Vt vel hinc pateat ineffabilis illa Dei benignitas atque clementia, quòd eos qui grauissimas pendere debebãt C
pœnas, ob eam videlicet quam ausi fuerant cædem, nũc vocat ad nuptias. Nuptiæ autem propterea dictæ sunt quòd alacritatis plurimum, nihil verò tristitiæ, nihil habeant austeritatis, imò verò spiritalis gaudij plenitudine redundent. Iccirco & sponsum, illum Ioannes appellat. Cur verò inuitatos dicit? Quoniam non nuper
Ioan. 5. ac recens inuitauit, sed ante multum tempus. Quòd sanè, crimen illorum mirum in modum amplificat. Quãdo autem antea vocati sunt? Per omnes scilicet Prophetas. Prandium porrò & tauri atque altilia, magnificentiam, delitias, omnigenúmque ciborum apparatum significant. Sed neque id eos conuertit, sed agros ac mercaturas huiusmodi lætitiæ præferunt. Quid autem hinc discimus? Nempe vt, ea licèt quibus distinemur fuerint necessaria, omnibus tamen rebus spiritualia præponamus. Quósnam verò seruos contumeliis affectos occiderunt? Apostolos videlicet. Nam hi post Domini resurrectionem Iudæis euangelizarunt. *Rex autem cùm audisset, iratus est, & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.* Quibus profectò verbis quæ sub Vespasiano ac Tito contigere, significantur. Et quoniam Filio non credentes, Patrem exacerbarunt, ipse in eos vltus est mortem. Nec statim interempto Christo facta est Iudæorum expugnatio, sed post quadraginta annorum spatium, quo Dei longanimitas omnibus patefieret. Vbi videlicet Stephanum lapidarunt, vbi Iacobum interfecerunt, vbi Apostolos omnes maximis affecere contumeliis. Quid porrò sibi vult, *Qui inuitati erant, non fuerunt digni?* Nimirum, nec inuitare quidem illos (inquit) opus erat. Sed ne vllus eis impudentiæ suæ excusationis prætextus relinqueretur, tametsi illorum norat incredulitatem, ad ipsos tamen

Universidad de Deusto
Biblioteca

prior mísit, & illorum obstruens ora, & nos instruens, vt ipsi officium omne nostrum impleamus, alter alterũ admonentes, quamuis inde nulli debeat emolumenti quippiam prouenire. *Ite ergo ad exitus viarum.* Ex viarũ exitibus gentes ab apostolis vocantur ad nuptias, quandoquidem non in via, sed extra omnem viæ rectitudinem versabantur. Vestis porrò nuptialis, recta est vita. Neque enim oportet de sola fide præsumere, quando & quòd vocatus es atque purgatus, diuini extitit muneris. Vt autem vocatus quispiam indutúsque mundiciem, sic se purum seruet, hoc iam ad vocatorum diligentiam pertinet. Quia igitur non quòd dignus esses, sed sola fuisti gratia vocatus, oportebat & te gratiam rependere, nec tantam post susceptum honorem improbitatem præ te ferre. Siquidem sæua manet pœna socordes. Quemadmodum enim Iudæi, quia non venerunt, iniuria inuitantem affecisse narrantur, ita & tu si vita impurus recubueris. Est enim sordidis amictum vestibus intrare, cũ turpis vitę sordibus accedere. Vnde & obmutuisse dicitur, qui veste nuptiali vestitus non fuerat. Animaduertendum verò est non prius illum, quámuis res ipsa admodum pateat, inferre supplicium, quàm is qui perperam egit, sententiam ferat. Propterea enim damnatus est, quòd nihil ei ad contradicendum suppeteret. Vnde iam ad supplicia trahitur, quæ finem ignorãt. *Mittite eum* (inquit) *in tenebras exteriores.* Neque verò tenebras, audientes, hoc vno tantùm supplicio illum plecti putemus, vt in obscurum quendam locum detrudatur, sed vbi est *Fletus, & stridor dẽtium.* Quod sanè dolores insinuat intolerandos. Audiamus quicunque horrendorum effecti mysteriorum participes, illísque immaculatis dignati nuptiis, sordidis animam nostram actibus amicimus. Audiamus vnde potissimum vocati simus, à triuiis nempe ac compitis, cùm essemus claudi ac cœci animo. Quod profectò corporea mutilatione est longè grauius. Vereamur eius qui nos vocauit benignitatem, nullúsque nostrum in vestium squalore persistat, sed vnusquisque animæ suæ stolam satagat exornare, in cuius (oro) cultum sedulitatis plurimũ impendamus. *Tunc abeuntes Pharisæi consilium cæperunt, vt illaquearent eum in sermone.* Cur addidit, tunc? Quòd nimirum ostenderet, illorum improbitatem vlterius protendi. Quando enim omnium maximè compungi, quando benignitatem admirari, quãdo futurorum expectationis pauore percelli oportebat, tunc aliam aggrediuntur viam, vt hac illum in periculum iniiciant. Quia enim detinere illum non poterant, turbarum ipsi timore detenti, publici ipsum maleficij reum, principibúsque obnoxium facere moliuntur. Nam quòd sub Romanorum ditionem trãsierant res eorum, erántque iam eorum tributarij, iccirco missis illum discipulis de eiusmodi solutione percontantur. Quòd autem antea vidissent Theudam & Iudam defectionem meditatos, hac mortem obiisse de causa, his & ipsum quoque verbis, in eiusmodi suspitionem coniicere nitebantur. Iccirco vnà cùm suis discipulis & milites Herodis miserunt, quò duplex vtrobique præcipitium pararent, vbique laqueos tendentes, vt illum vtrinque caperent. Vt si quidem pro Herodianis responderet, ipsi criminarẽtur, si verò pro ipsis, illi accusarent. Et quidem didrachmum soluerat, verùm id illos latebat. Cùm igitur alterutro ipsum laqueo se capturum sperarent, cupiebant tamen auidius, vt contra Herodianos quidpiam diceret. Vnde & discipulos mittũt, vt sua ad hoc illum præsentia impellant, quò veluti tyrannidos affectatorem præsidi puniendum traderẽt. Præsentibus porrò turbis interrogant, quò plurimorum testimonio res magis inclaresçat. Quid ergo dicunt? *Magister, scimus quòd verax sis.* Quomodo igitur antea & impostorem illum dicebatis, ac turbarum seductorem? Verùm illi ommia faciebant, quæ ab insidioso vafróque sibi animo suggererentur. Id verò dixerunt, sperantes ipsum, huiuscemodi mollitum blandiloquẽtia, ac adulatione flexum, iri persuasum, vt aduersus eas, quæ tunc vigebant leges, quicquàm diceret. Cùm verò subdunt, *Nec curas quenquàm, nec respicis personam hominum*, Herodem ac Cæsarem subostendunt. Neque dicunt, Dic nobis quid bonum sit, quídve cõducat, *sed quid tibi videtur*, & id ipsum subdolè admodum atque versutè. Ipse autem & vehementiore illis acrimonia respondet, ac ora illorum obturat, eorum in medium productis arcanis. Hæc autem faciebat, illorum malitiam reprimens, ne amplius eiusmodi illum aggressionibus in suarum animarum perniciem adorirentur. Postulat autem numisma census, quo nimirum illorum ore sententiam ferat, ipsósque decernere faciat, licere censum dari Cæsari, quod Christo claram omnino manifestámque victoriam afferebat. Neque enim ignorans interrogat. *Cuius est imago hæc atque inscriptio?* Sed quòd vellet per eorum illos responsionem obnoxios efficere. Quocirca & subdit. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari:* non enim est hoc dare, sed reddere. Quod & ab imagine ipsa, & ab inscriptione patet omnino. Ne verò dicerent, hominibus ergo nos subiicis? Addidit. *Et quæ sunt Dei, Deo.* Licet enim & hominibus quæ illorum sunt, reddere, & Deo dare, quæ à nobis Deo debentur. Propterea & Paulus ait, Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vestigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorẽ. Operæprecium verò est animaduertere, ea illum dicere esse reddenda Cæsari, quæ pietati nihil officiunt. Alioqui quod pietatem religionémque lædit, non iam Cæsaris, sed diaboli tributum est, atque vectigal. Porrò his auditis obticuerunt simul, & eius sapientiam sunt admirati. Quandoquidem euidẽs suæ deitatis argumentum eis præbuerat, tum cordis eorum secreta denudãs, tum citra figmentum vllum illorum ora suffrænans. Illi autem neque sic credidere, sed *illo omisso, abierunt. In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem.* Non temere dixit Euangelista, in illo die, sed illorum amentiam demiratus, ipsum adnotat. In quo enim die Pharisæorum nequitiam arguit atque confudit, oportebat profectò esse illos admodum timidiores, minúsque audaces, verùm illi in ea potissimum impudentius simul & pertinacius illum adoriuntur. Qui sunt autem hi Sadducæi? Alia quædam à Pharisæis, Iudæorum factio, eísque longè inferior, quæ asserit non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum. Et rectè quidem hi nihil de resurrectione dicunt, sed sermonem quendam cõfingunt, rémque minimè factam componunt, putantes ad consilij inopiam illum redigere, studentéque hæc ambo subuertere, & resurrectionem videlicet esse, & talem resurrectionem. Atque hi quidem sicut & Pharisæi, manſuetè accedũt, quæstionem suam proponentes. Septem videlicet fratres succidua morte deletos vnam habuisse vxorem. In resurrectione verò percontari se, cuiusnam ex illis futura sit vxor. Christus autem & illorum arcana patefacit, & futuram omnino resurrectionem asseuerat, non eiusmodi autem qualem ipsi suspicarentur. Quid autem est, *Sicut Angeli Dei sunt in cælo?* Nequaquam (inquit) quia vxores non ducunt, iccirco sunt Angeli, sed quia sicut Angeli sunt, iccirco non ducunt. Quibus profectò verbis resurrectionis excellentiam demonstrat. Illud autem, *Non est Deus mortuorum, sed viuentium*, hoc significat. Haud enim sum (inquit) non existentium Deus, vel eorum qui funditus interiere, nec sunt vltra resurrecturi. Nõ enim dixit eram,

eram, sed sum existentium Deus atque viuẽtium. Quẽadmodum Adam, tametsi viuebat, à die tamen qua de vetito ligno comedit, prolata sententia mortuus erat, ita & Abraam, Isaac, & Iacob, etsi mortui erant, resurrectionis tamen promissione viuebant. Porrò Sadducęi quidem victi secedũt, incorrupta verò simplex multitudo fructum cõsequitur. *Cùm audissent* (enim inquit) *turbæ, stupuerunt de doctrina eius. Pharisæi autem cùm audissent quòd silentium imposuisset Sadducæis, conuenerunt in vnum. Et interrogauit eum vnus ex eis legis doctor quispiam tentans eum. Magister quod est mandatum magnum in lege?* Cuius nam rei gratia Matthæus quidem hunc legis doctorem ait, tentando Christum interrogasse, Marcus verò contra. Cùm vidisset enim (inquit) Iesus cordatè illum respondisse, dixit illi. Haud longè abes à regno Dei? Nulla profectò discrepantia inter sese pugnant Euangelistæ, cùm ista dicunt, quinimò maxima inter eos consonantia conuenit. Principiò enim, legis iste doctor tentando interrogauit, verùm à Christi responsione vtilitatem consecutus, iure laudatus est. Neque enim sub initium eum laudauit, sed vbi respondit, proximi dilectionẽ vniuersis holocaustomatis præstare, tum verò audiit, haud longè abes à regno Dei. Nam vilia quæque atque abiecta despiciebat, sabbatum inquam ac reliqua id genus, virtutis verò principium, dilectionem videlicet, quódnam id demum sit intellexit, nec tamen sic absoluta ipsum laude prosecutus est, sed imperfectiore admodum ac suis numeris inexpleta. Nam dicens, haud longè abes, distantem adhuc illum ostendit, quò ad vlteriora niteretur. Producunt verò atque præmittunt legis peritum quærentem Pharisæi, non discere, sed tentare cupientes. Quia enim primum hoc erat in lege mandatum, Diliges dominum Deum tuum, sperantes aliquam sibi Christum carpendi occasionem præbiturum, ob ipsius scilicet mandati correctionem, propterea quòd & se ipsum Deum demonstraret, hunc in modum interrogationem proferunt. Porrò Christus ostendere volens nullum in eis esse vestigium charitatis, quin imò eos inuidia contabescere, amaritudinísque vbique zelo ferri, respondens ait, *Diliges dominum Deum tuum.* Et rursus, *Diliges proximũ tuum sicut teipsum.* Hac videlicet responsione illis fermè dicens: Ipsi contra vosmet interrogatis, qui hoc ipsum dilectionis bonum à vobis longè repulsistis. Simile autem primo mãdato, secundum vocauit, quoniam hoc illud præcurrit, & ab illo rursus adiuuatur. Qui diligit me (inquit) mandata mea seruabit. Mandata verò eius, eorúmque caput, post Dei dilectionem, dilectio est proximi. Iure igitur optimo ait, *In his duobus mandatis vniuersa lex & prophetæ pendent. Congregatis autem Pharisæis*, quare *interrogauit eos Iesus, dicens. Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est?* Quò videlicet ipsos latenter inducat, vt se Deum confiteantur. Quoniam autem vera de ipso nequaquam responderunt, sed nudum esse hominem illum asseuerarunt, dicentes esse filium Dauid, propterea falsam illorum opinionem volens euertere, ipsum Dauid inducit, qui & Dominum illum, & genuinum patris filium, ac Patri coæqualem, in Spiritu sancto attestatur dicens: *Dixit Dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Inimicorum verò fecit mentionem, vt vel sic eos perterrefaciens, ad vitæ rectitudinem reduceret. His tamen auditis nihil respõderunt. Neque enim eorum quicquam, quæ illos præstare necessum erat, discere cupiebant. Ita verò lætalibus certísque fuerant ictibus impetiti, vt nequaquam ausi fuerint eum amplius adoriri. *Nemo* (enim inquit) *ausus fuit ex eo die eum amplius interrogare.* Id verò non modicum in lucrum turbis cessit. Propterea ad eas modò, lupis videlicet abdicatis, ac eorum depulsis insidiis, sermonem conuertit. Neque enim illi inanis gloriæ affectu, graui profectò multicipitíque detenti, quicquam acquirere satagebant. Quare oro atque obsecro, hunc fugiamus affectum, soliúsque diuinæ gloriæ amantes efficiamur.

CAPVT XXIII.

TVNC *Iesus, locutus est ad turbas & ad discipulos suos.* Tunc istud, quando significat? Quando videlicet Pharisæorum ora compressit. Quoniam autem à vitæ illos rectitudine, fide dignos efficere nequibat, id à cathedra, Mosíque successione facit. Omnia autem quæcunque dixerint, seruare eos iubet, non autem quæ ad cibos ac sacrificia, cæteráque id genus spectant. Qui enim fieri poterat, vt de iis diceret, quæ superius abolerat? Sed omnia (inquit) quibus mores hominum diriguntur, ac ad meliorem conuertuntur frugem, quæque nouæ legis congruunt institutis, nec item homines amplius legis antiquæ iugo deprimi patiuntur. Cur verò non à lege gratiæ, sed à Mosis authoritate ista decernit? Quòd adhuc videlicet esset intempestiuum ante crucis mysterium ipsa tractare. Tametsi præterea & aliud quid his verbis mihi dispẽsare videtur. Nam quia illos erat criminaturus ne apud imperitos quoſque atque rudes, eiusmodi illorum affectare principatum, vel simultate quapiam ad hæc dicenda moueri videretur, hoc in primis resecat, séque ipsum omni prorsus suspicione liberũ reddit, & tum demum criminationis principium facit. Cùm verò & eos qui tunc audiebant, & futuros omnes qui postmodum erant audituri, corrigẽdi animo alloqueretur, id abundè admodum iubet, quod omnium maximè ad salutem conducit. Ne quis videlicet magistros aspernetur, neque in sacerdotes insurgat, tametsi corruptissimam viuunt vitam. Quin potius quæcunque dixerint, turbis imperat facienda. Non enim sua, sed quæ Dei sunt, dicunt. Id porrò agit, vt illis quidem maius iudicium præparet, audientibus autem nullam inobedientiæ suæ excusationem derelinquat. Ne quis enim diceret. Vitiosus malus est doctor, ideò segnis ego sum atque piger. Et hanc submouet occasionem. Quam verò ob rem ipsos pluribus obiurgat, longioríque oratione vtitur? Nimirum quò turbas præmoneat, ne in eadem & ipsi recidant. Neque enim simile est quippiam interdicere, & lapsos ostendere, quemadmodũ nec æquè simile opportuna suggerere, & qui ea rectè fecerint, in medium adducere. Iccirco præueniẽs, ait, *Secundùm opera verò eorum nolite facere.* Ne enim putarent, quòd essent audiendi, propterea esse & imitandos, huiusmodi correctionis vsus est forma, illúmque quo affici videbantur honorem, reprehensionem facit. Quid enim eo fuerit doctore miserius, cuius cùm auditores vitam attẽdunt & imitantur, corrumpuntur prorsus ac pereunt? Qui igitur illis videbatur esse honos, in eorum maximam cædit accusationem, cùm eiusmodi vitæ genus ducere videantur, vt qui fuerint imitati, vitiẽtur. Illud autem, *Dicunt enim & non faciunt*, triplicem eorum damnationem indicat. Primam quidem quòd legem transgrediantur. Secundam verò quòd cùm alios emendare debeant, ipsi claudicent, doctorum interim honorem retinentes. Tertiam autem, quòd in doctorum nimirum gradu iniquè agentes, maximè omnium auditores labefaciant. Quid verò est, *Colligant autem onera grauia, difficiliáque portatu, & imponunt in humeros hominum, cæterum digito suo nolunt ea mouere?* Plurimam scilicet illos atque exactissimam, ab iis quos regunt viuendi diligentiam, citra vllam omnino veniam

Universidad de Deusto
Biblioteca

exigere, significat, cùm sibimet interim maximam permittant impunitatem, nimiúmque concedant. Atqui optimum decet principem prorsus contrà affici, vt nimirum in iis quæ ad ipsum spectant, nulla omnino venia vtatur, difficilémque se præbeat iudicem: erga subiectos autem, in condonandis maleficiis facillimum atque suauem. Hi autem verbotenus philosophantes inexorabiles nimium erant atque graues, vtpote doctrinę illius inexperti, quæ rebus ipsius atque exẽplo discipulis commendatur. Non autem dixit, nequeunt, sed nolunt: neque rursus, ea portare, sed digito ea mouere, id quod maiorem in modum illorum auget expostulationem. Et hæc quidem de illorum crudelitate, atque socordia dixit: de ingenti autem, quo trahebantur honoris studio, nunc ait, *Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua & magnificãt fimbrias palliorum suorum.* Phylacteria porrò sunt parui quidam libelli. Nam quia Dei beneficiorum facillimè obliuiscebantur, ideo paruis quibusdam libellis, sua Deus signa inscribi, eorúmque manibus appendi mandarat. Eapropter & ait: Et erunt immota ante oculos tuos. Quos videlicet phylacteria nuncupabant. Fimbriæ autem, hyacinthinum significant filum. Id enim illis Deus tanquam pueris faciendum mandauit, vt vestium oræ, quæ ad talos est, eiusmodi filum assuerent. Quod vbi attenderent, Dei præceptorum recordarentur. Hanc fimbriam appellabant. Ostendit igitur, eos non magnarum profectò rerum ac seriarum gloria laborare, cùm nullius præclari facinoris conscij, huiuscemodi cura tangi minimè possent, sed vilium omnino atque paruarum gloriam mendicarent, ligacula, vnde huiusmodi libelli dependebant, dilatantes, ac fimbrias magnificantes. Id quod extremæ erat dementiæ gloriæque inanis. Num quæso hoc erat rectè factum, opúsque virtutis? Aut quid inde vtilitatis accedebat, si qui huiusmodi lata phylacteria circunferebant, fimbriásque magnificas, quam illa præstabant intuentibus vtilitatem aspernabantur? Præceperat hoc ipse Deus, quò videlicet iugem virtutum eius ac mirabilium memoriam retinerent. Nec in his solùm iniquè agebant, verùm & dum amabant *primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus, Rabbi.* Hæc tametsi leuia quæpiam putantur ac minima, magnorum tamen malorum causa, cùm apud omnes homines, tum vel maximè apud doctores existunt. Quemadmodum enim homo vbicunque fuerit, à cæteris distat animantibus, ita & doctorem oportet, siue loquatur, siue taceat, siue prãdeat, siue aliud quid faciat, & incessu ipso & habitu cæteris hominibus prorsus excellere. Hæc verò dicebat, quò cautiores redderet turbas, ne in ea ipsa impingerent. Vnde & subdidit. *Vos autem nolite vocari Rabbi, vnus est enim Magister vester, nempe Christus*, hoc est, ne magisterij sedem arripere ambiatis, quinimò hanc inuiti conscendite, quoniam fratres estis, quemadmodum & Paulus ait. Quis enim est Paulus, quis autem Apollo, quis verò Cephas, nisi ministri? Non dixit, Magistri. Dicens autem, *Et patrem nolite vocare vobis super terram*, non vt neminem omnino patrem vocent, ait, sed vt nouerint quem propriè patrem vocari oporteat, nempè Deum. Sicut enim qui magistrum agit, nequaquam principaliter est magister, ita nec pater. Ipse enim Deus, omnium tam magistrorum quàm patrum causa est. Hunc in modum & illud est intelligendum, *Nec vocemini, Magistri.* Cùm igitur grauem inanis gloriæ morbum discipulorum mentibus prohibuisset, qua is foret etiam ratione vitandus edocuit, per humilitatem videlicet. Id enim significat, *Qui maior est vestrum, erit minister vester*, &, *Qui se humiliauerit, exaltabitur.* Nihil enim humilitati modestiæque comparari potest. Vnde non solùm primas ambire illos, prohibet, sed extrema sectari iubet. *Væ autem vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarũ.* Hinciam ob ventris ingluuiẽ Scribas suggillat ac Pharisæos, quódque grauius est, quòd non in diuitum, sed in viduarum domibus gulę suæ voracitatem exsatiarẽt, illarúmque paupertem conterebant, cui auxilio esse ac suppetias ire par erat. Neque enim simpliciter comedebant, sed abligurìebant prorsus. Cuius etiam voracitatis modus admodum grauior erat, *prætextu* (inquit) *longæ precationis.* Quicunque etenim mali quippiam admittit, proculdubio supplicio dignus existit: at qui à pietate peccandi sumit occasionem, huiusmodique simulatione ad improbitatem vtitur, lõgè grauioris pœnæ reus efficitur. Dicens autem, *Quia clauditis regnum cœlorum ante homines, vos enim non intratis, nec intrantes sinitis intrare:* magnam vel hinc ipsorum accusationem ostendit. Si enim in regnum cœlorum nolle intrare, vitio vertitur: qui alios prohibent, qua venia digni fuerint? Quid autem est, intrantes? Paratos scilicet, ac intrare volentes. Quomodo autem obsistebant? Pestilentioribus nimirum exemplis suis, dum nihil boni agerẽt. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia circumitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum. Et cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo magis quàm vos estis.* Nõ propterea (inquit) vllatenus ei parcitis, quòd ipsum post innumeros labores vix attraxeritis. Cùm omnino consueuerimus, quæ maiore sunt nobis patta labore, maiore etiam tueri parsimonia. Illos autem neque hoc moderatiores effecit, ita vt vel vnum attraherent. Vbi enim desides magistros discipulus viderit atque solutos, & ipse peior efficitur atque ignauior. Filium verò gehennæ, ipsum per se gehennam indicat. Duplo verò magis, dixit, vt & illis timorem incuteret, & istos grauius incesseret, quòd improbitatis essent magistri. *Væ vobis duces cæci.* In ipsorum amentiam inuehitur, stultos eos appellans, quòd maiora iuberent mandata contemni. Atqui superius contraria dixit, illos scilicet onera portatu difficilia colligare. Verùm vtrunque hi faciebant, ac ideo faciebant, quò multitudinis obedientiam deciperent, ac vitiarent. Quid verò est, *Decimatis mentham & anethum & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam ac fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere?* Hæc (inquit) meritò facere oportuit, vbi decima est, quid nocet eleemosynam dare? At non veluti legem seruantes, facere oportet. Neque enim ipse sic ait. Propterea hîc quidẽ, hæc (inquit) oportuit facere, vbi autem de mundis atque immundis disserit, nusquàm id apponit, verùm distinguit, exteriorémque munditiem, interiorem consequi necessariò demonstrat. At contrà nequaquàm. Quæ enim benignitatis ratione fiebant, ea multipharìam prætermittit, tum ob id ipsum quòd benignè fierent, tum quòd adhuc tempus palàm ac manifestè legis sanctionum abrogandarum non appetisset. Quæ verò ad corporeas mundationes spectabãt, ea manifestius euertit. Ea propter de eleemosyna quidem dicit, hæc oportuit facere, & illa non omittere: de purgationibus autem non item. Verùm, *purgatis* (inquit) *exteriorem poculi patinæq; partem, cæterùm intus plena sunt rapina & intemperantia. Pharisæe cæce, purga prius quod est intra poculum & patinam, vt & exteriores horũ partes puræ reddantur.* A re certa minimèque dubia, nempe à calice & patina sumpsit argumentum. *Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Culicem appellat corporeas purgationes, quòd paruæ sint ac momenti nullius. Camelum verò, animæ mũditiem quæ virtus est. Magna etenim est atque sublimis.

Exod.13. Deut.11.

1.Cor.3.

mis. Ostendens per hoc nullam ex corporearum purgationum contemptu prouenire iacturam, maxima verò supplicia contrà iis imminere, qui nulla purgationis animæ cura tanguntur. Cuiusmodi illi erant, culicem excolantes, camelum autem glutientes. Hoc autem dixit, ostendens & ante ipsius gratiæ aduentum corporeas huiusmodi purgationes nullius extitisse precij, nec magno, admodum studio custoditas, sed animæ purgationem in primis habitam. Quòd si hę ante gratiam negligebantur, longè magis vbi sublimia accessere mandata, inutiles sunt effectæ, nec eas vltra sectari opus est vllum. Semper porrò atque vbique periculosa est improbitas, præsertim verò cùm se putat correctione nullatenus indigere, at tum vel maximè pernicìosa est, cùm & ad aliorum correctionem se sufficere posse confidit. Quod declarans Christus, duces illos cœcos appellat. Nam si extremæ calamitatis est atque miseriæ, si cœcus se non putet duce quopiam indigere, cùm aliorum dux esse contendit, in quæ non agat præcipitia, quos duxerit? Hæc autem dicebat, illorum ingens inanis gloriæ studium his omnibus subindicans, & vehementem huius morbi rabiem subaperiens. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum.* Sepulchra illos dealbata vocans, illorum nimirum honoris studium suggillat. Ad hæc & omnium malorũ causam addit, cùm hypocritas illos appellat. Quod sanè illorum perditionis est fundamentum. Non simpliciter autem albario illita eos sepulchra vocauit, verùm plenos asseruit hypocrisi & iniquitate. Quod significat foris quidem illos videri speciosos, at eorum animos omni vitiorum genere esse repletos. Cuiusmodi & nunc plurimi inueniuntur, qui mundiciei quidem exterioris maximam curam gerunt, animæ verò decoris omnino nullam. Quinimò vermibus ac sanie, indicibilique graueolentia, cupiditatibus inquàm absurdis atque improbis, animam replent. Dicens autem, *Quia ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum.* Non quòd re ipsa ædificarent, id dixit, sed vt illorũ traduceret mentem. Nam iis quæ dicebant, suos vtique patres condemnabant. *Si fuissemus*, aiebant, *in diebus patrum nostrorum, non fuissemus socij eorum in sanguine Prophetarum*, cùm ipsi peiora admitterent. Porrò id faciebant non Prophetarum atque iustorum qui occisi fuerant, honoris gratia, sed potius quò illorum cædes omnibus innotescerent, nequando tanti facinoris atque audaciæ memoria deperiret. Et cuius nam rei gratia illos condemnat, vt eorum filios, qui Prophetas interemere? Quódnam enim est crimen homicidæ filium esse, si paternæ voluntati dissentias? Nullum certè. Vnde liquet, iccirco, illum hanc causam protulisse in eos, vt hinc nequitiæ cognationem insinuaret. Propterea & subdidit, *Serpentes, progenies viperarum*, tanquàm diceret: Quemadmodum viperarum filij veneni pernicie parentibus, ita & vos patribus vestris cædis auiditate similes estis, improborum parentum improbi filij. Quod verò ait, *Vos quoque implete mensuram patrum vestrorum*, non profectò imperans ait, sed quod futurum erat prædicens, hoc est suam ipsius cædem: simúlque ostendens, illos esse maiora moliturum. Illi etenim Prophetas occiderunt, hi verò Prophetarum dominum: quapropter & addit, *Quomodo effugietis iudicium gehennæ*, illos imitantes, qui eiusmodi sunt ausi perpetrare facinora? Dixit autem id, quò maximum illis timorem incuteret. De quibus verò ait, *Ecce ego mitto ad vos Prophetas & sapientes & Scribas?* De ipsis nimirum Apostolis atque discipulis. Multi enim ex eis prophetiæ spiritu claruerunt, quorum nonnullos occiderunt ac flagellarunt, & de ciuitate in ciuitatem sunt persecuti. *A sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ.* Opportunè autem illis in memoriam Abel illum reducit, quòd scilicet propter inuidiam & ille cæsus fuit. Simul etiam ne dicere (inquit) possitis, ignorare vos quæ ille fuerit passus, qui hũc interemit, Cain. Nunquid enim post commissa Deus conticuit? Nunquid non grauissimo interfectorem supplicio affecit? An rursus minus audistis, quæ patres vestri perpessi sunt, qui Prophetas occidere? Hæc autem dicebat, quo ipsos maiorẽ in modum perterrefaceret, qui audirent extremis se affectum iri suppliciis, si similia illis auderent. Qui & ipsi postmodum improbitatis suæ dedere pœnas. Volens autem eorum augere terrorem ait: *Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.* Hoc est in caput vestrum vniuersa conuertam, acerbiorémque faciam vltionem. Nam qui multos peccantes vidit, nec illorum exemplo prudentior est effectus, quinimò eadem & ipse rursus admittit, nec solùm eadem, sed & illis longè grauiora, longè etiam illis grauiora dignus est supplicia luere. Et hoc est quod alibi ipse Deus ait. Reddens peccata parentum in filios, in tertiam & quartam generationem, his qui me oderunt. Non quòd alienorum facinorum dent alij pœnas, verùm quòd qui plurimorum, qui peccarint ac propterea plexi fuerint, exemplo non euaserint meliores, sed eadem admiserint, par sit omnino, vt & illorum ipsi supplicia patiantur. Quis autem iste est Zacharias? Alij quidem hunc, Ioannis patrem esse affirmant, alij verò Prophetarum vnum, nonnulli autem binominem quendam alium sacerdotem, quem & Iodaë scriptura vocat. Nos autem illud animaduertamus, duplex videlicet fuisse facinus illud. Non enim sanctos duntaxat viros, sed & in loco sancto, necabant. Hæc autem dicens non solùm illos exterrebat, sed & discipulos consolabatur, ostendens & eos qui ante illos iusti fuere, eiusmodi fuisse perpessos. Cur autẽ ad ciuitatem ipsam sermonem conuertit, dicens: *Hierusalem, Hierusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt?* Quòd nimirum vellet audientes vel hac ratione monere. Miserantis autem atque dolentis formam ostendẽs, propterea nominis reduplicationem apposuit, simul etiam & valde diligentis. Tanquàm enim ad dilectam loquitur, semper quidem amatam, sed amantis contemptricem, ac propterea pœnas daturam. Satisfactionem deinceps supplicia illaturus adducit, simúlque & cædiũ eius facit mentionem, ostendere volens se nequaquàm vel sic ab eius amore desciuisse. Id nãque declarat quod subdit. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas.* Semper enim peccando passim seipsos disseminabant. Declarat autem suum erga illos amorem huius auis similitudine, nam præ cæteris hæc auibus pullos suos vehementius amat. Sed *noluistis* (inquit) illud autem. *Ecce relinquitur vobis domus vestra deserta.* Significat ipsius ope atque auxilio priuandam omnino. Quod verò ait, *Nequaquàm me videbitis posthac*, de eo quod vsque ad passionem intercessit, tempore locutus est. Illud autem, *Donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini*, futuram secundi aduentus sui diem significat. Vniuersi enim tunc illum adorabunt. Verùm nihil inde in sui excusationem proficient. Quemadmodum & qui prauæ conuersationis tunc pœnitentia ducentur. Quapropter quousque tempus est, operemur bonum. Sicut enim illis hæc nosse, nihil iam tunc proderit, ita & nos nihil ex sera illa scelerum nostrorum pœnitentia, tunc consequemur.

2.Par.24.

Exod.20.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XXIIII.

ET egressus Iesus discedebat à templo, & accesserunt discipuli eius, vt ostenderent ei structuras templi. Cuius rei gratia accesserunt discipuli templi pulchritudinem illi ostendentes? Profectò quia dixerat, relinquitur vobis domus vestra deserta. Iccirco ceu admirantes, num tanta foret pulchritudo, ac materiæ sumptuositas ineffabilisque structuræ varietas demolienda penitus ac dissipanda, molem templi demonstrant. Ipse autem nō iam de solitudine tantùm verba facit, sed futuram omnino destructionem prænunciat dicens: *Non relinquetur lapis super lapidem.* Quomodo igitur permansit, inquies? Et quidnam id demum est? Neque enim sic huiusmodi contigit prænunciatio. Aut enim omnimodam solitudinem indicans, ista locutus est, aut de illo tantùm loco in quo erat, dum hæc aiebat, Non relinquetur hic lapis super lapidem. Quædam enim illius templi partes vsque ad fundamēta sunt penitus demolitæ. *Sedente autem eo in monte Oliuarum, accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes. Dic nobis, quādo hæc erunt, & quod signum aduentus tui & consummationis sæculi?* Cur secretò accesserunt? Quoniam de magnis profundisque rebus erant interrogaturi. Quandoquidem aduentus eius diem iccirco nosse cupiebant, quòd futuram illam gloriam, immensum bonorum cumulum allaturam, videre maximè omnium auerent. Atque hæc duo illum interrogant. Alterum, quando hæc erunt, hoc est templi huius excidium atque subuersio: alterum, quod signum aduentus tui. Ipse autem quòd bona solummodò somniarent, quæ sibi citò occursura sperabant, iccirco rursus eis difficiliora prædicit, suspensos illos atque sollicitos reddens, duplicique ratione vigilare præcipiens: ne scilicet aut fictitiis impostorum fucis decipiantur, aut tyrannica ingruentium malorum vi opprimantur. Duplex enim (ait) futurum est bellum, alterum vobis ab impostoribus, alterum ab hostibus imminebit. Bella autem dicens ea profectò quæ Hierosolymis, non ea quæ alibi terrarum sunt gesta significat. Quid enim illorum eos cura tangeret? Quoniam igitur hæc illos fuerant plurimum turbatura, ea propter vniuersa prædicit. Fames præterea, ac pestilentias, & terræmotus futuros affirmat, vt qui sit ipse quoque contra Iudæos dimicaturus. Quibus etiam verbis insurgere bella se permissurum ostendit. Dixit autem, *Ne turbemini:* ne tantos malorum defluxus audientes, euangelicam prædicationem parui pendendam putarent. Erunt enim turbationes (inquit) atque tumultus, mea autem nullus dimouebit oracula. Quoniam autem autumabant discipuli, vnà cum Hierosolymorum euersione, & ipsam sæculi consummationem fore, & hanc eorum opinionem emendans, ait, *Sed nondum est finis.* Porrò quod ait, *Consurget enim gens contra gentem, & regnum contra regnū,* de Iudaicorum malorum origine dixit. Quòd autem addidit, *Tunc tradent vos in afflictionem,* opportunè iam illorum aduersa interserit, quæ à communibus Iudæorum pressuris consolationem cōtinet: nec ab his duntaxat, sed & ab eo quod addidit, *Propter nomē meum.* Quod sanè, cæteráque omnia illuc vsque, *Et tunc veniet cōsummatio,* de Hierosolymorum subuersione locutus fuit. Si quis autem ambigens dicat: Et vnde liquet fuisse ante Hierosolymorum expugnationem in vniuerso orbe Euangelium prædicatum? Audiat quid Paulus dicit, In Rom. 10. omnē terram exiuit sonus eorum. Et rursus, Nec dimo- Coloss. 1. uemini à spe Euangelij, quod audistis, quod prædicatū est apud vniuersam creaturam, quæ sub cœlo est. Húncque ipsum videre est Paulum ab Hierosolymis ad Hispaniam vsque currentem. Quod si vnus tàm magnam orbis complexus est partem, perpendamus quid à reliquis fuerit gestum Apostolis. Rursus & ipse idem Apostolus de Euangelio, ait, Quod fructificat & crescit in omni creatura, quæ sub cœlo est. Quid verò sibi vult, *In testimonium omnibus gentibus?* Quòd prædicatum quidem fuerit vbique, at non vbique creditum. Iccirco in redargutionem ac reprehensionem non credentium cedet. Nam qui crediderint, incredulos arguent & cōdemnabunt. Quam verò ob rem postquam Euangelium in vniuerso orbe fuerit prædicatum, Hierosolyma subuertetur? Ne scilicet vllam excusationis vmbram ingrati Iudæi prætexere habeant. Qui enim virtutem eius vbique locorum effulsisse, breuissimóque temporis spatio vniuersum ad se terrarum orbem traxisse viderunt, quam habere veniam poterunt, qui in sua cerebrosi perfidia improbitatéque permanserint? *Cùm ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta.* Abominationem, eius appellauit statuam, qui tunc vrbis expugnationem fecit. Desolationis autem dixit, quia & templum ipsum & vrbem desolauit. Dicens autem. Cùm videritis, nonnullis eorum adhuc viuentibus ista futura significat. *Tunc* (inquit) *qui in Iudæa sunt, fugient ad montes.* Quid sibi vult istud, Tunc? Nimirum simul atque desolationis abominationem viderint stantem in loco sancto. Non solùm autem id de viri simulacro dixit, verùm etiam & de armatis militibus. Fugiant verò (inquit) vt qui nullam iam salutis spem habeant, quemadmodum in prioribus habuere bellis. Nulla enim tunc erit, pro vt antea contigit, in meliora mutatio. Quandoquidem satis omnino (inquit) fuerit, si quis vel nudo corpore seruetur. Propterea & eos qui in tectis fuerint, in domum intrare non permittit, vt tollant vestes suas, incuitabilia mala declarans, infinitámque calamitatem. In quam qui inciderit, omnino perire necesse sit. Ea propter etiam *& qui in agro* addidit, neque huc reuertatur ad tollendam vestem. Si enim iis qui intus fuerint est fugiendum, longè minus qui extra fuerint intrò confugere debent. *Væ autem prægnantibus & lactātibus.* Illis quidem, quòd sint imbelles, nec aufugere facilè possint ventris onere pressæ, his autem, quòd pio infantium affectus vinculo retineantur, nec valeant vnà secum seruare lactentem. Nam & pecunias abiicere, & vestes recuperare facillimum, quæ verò natura duce parantur, quî poterit quispiam effugere? Quî fiet leuior vterum ferens? Quî lactans mulier, lactentem quem genuerit, contemnere quiuerit? Cur autem dixit, *Orate ne fuga vestra fiat hyeme, neque sabbato:* Hyeme quidem dixit, ob temporis difficultatem, Sabbato autem, ob legis ipsius authoritatem. Quia ergo (inquit) fuga opus erit, ac fuga velocissima, sabbato autem fugere non audebitis propter legem, hyeme verò propter difficultatem, iccirco vobis orandum. Vnde manifestum est ad Iudæos hæc illum verba fecisse, & de iis quæ illis impendebant pressuris fuisse locutum. Neque enim Apostoli sabbatum seruare debebant, nec ibi futuri erant, cùm Vespasianus vrbem inuasit. Quandoquidem eorum plerique desiderati fuerant. Si quis autem adhuc viuebat, in aliis mundi partibus versabatur. Quod autem ait, *Erit enim tunc afflictio magna, qualis non fuit ab initio, neque fiet.* Nullus putet exaggerationis id gratia dictum fuisse: verùm ad Iosephi volumen accedat, eorúmque discat, quæ dicta sunt veritatem. Neque enim quispiam de eo dicere habet, fuisse hominem Christianum, ideóque tragœdiam illam amplificasse, vt quæ hîc dicuntur, confirmaret. Quandoquidem Iudæus erat, & Iudæorum feruentissimus æmulator, vel post Christi aduentum. Quid igitur ait? Omnem (inquit)

quit) tragœdiam calamitates illæ superarunt, nec eiusmodi vnquam bellum Iudæorum gētem inuasit. Adeò enim fames inualuit, vt ipsis matribus natorum deuoratio maximè sit expetita, ac propterea inter se bella concierent, multósque iam mortuos, per medios ventres dispertirent. Porrò quàm decentissimè illis contigit hic malorum cumulus, non modò superiorum, sed etiam posteriorum temporum ærumnas excedentium. Siquidem nec vllus vnquam mortalium id facinus aggredi fuisset ausus, vt vniuersæ creaturæ Dominum neci destinaret. Quid est autem, *Nisi decurtati fuissent dies illi?* Si diutius (inquit) Romanorum prælia contra vrbem durauerint, vniuersi similiter Iudæi interirent: (Omnem enim carnem hoc loco, Iudaicam tantùm dicit) Simúlque & qui intus & qui foris vrbem erant, trucidati fuissent. Non enim eos tantum qui in Iudæa erāt oppugnabant Romani, verum & vbique terrarū dispalatos, nimio in eos inauditóque odio, propellebant ac insectabantur. Verū *propter electos* (inquit) *decurtabuntur dies illi.* Electos dicit fideles, qui in ipsorum medio concluſi erant. Ne enim Iudæi dicerent, in hæc se mala propter Euangelij prædicationē & Christi cultum incidisse, ostendit non modò huiusœmodi illis pressurarum causam non præstitisse fideles, sed nisi ibi adfuissent, vniuersos omnino fuisse conficiendos. Nam si diutius bellum protēdi permisisset Deus, nullæ prorsus Iudæorum reliquiæ remanssissent. Verùm ne vnà cum infidelibus Iudæis, qui ex eis iam fuerant fideles effecti interirent, citius diremit pugnā, eíque bello finem imposuit. Propterea ergo inquit, Sed propter electos decurtabuntur dies illi. Animaduertenda porrò est Spiritus sancti mira dispensatio. Nā horū nihil omnino Ioannes scripsit Apostolus; ne ab ipsa rerū gestarū historia scribere videretur. Nam longum post captiuitatem tempus superauit. Verùm qui ante huiusmodi captiuitatem Apostoli defuncti sunt & Euangelistę, qui nihil horum conspexere, Hierosolymorum excidium conscribunt, vt vndique prædicationis vis latius effulgeret. Postquam verò quæ Hierosolymam contingebant, absoluit, ad secundum iam aduentum suum orationem conuertit. Discipulisque suis signa prænunciat, non tantum autem illis, sed etiam nobis, nostrisque posteris conducentia. *Tunc* (inquit) *si quis vobis dixerit: Ecce hîc Christus aut illic, nolite credere.* De isto, Tunc, quod hîc est appositum scire opus est, quod & frequentius dixi, nō temporis consequentiæ esse illorum, quæ huic aduerbio præcedunt. Nam vbi præcedentium connexionem vel consequentiam significare voluit, statim, adiunxit. At non sic hoc loco, sed duntaxat, Tunc, apposuit, non de iis quæ præcedentia statim fuerāt subsecutura locutus, verum illud quo hæc fieri debebant, tempus insinuans. Sic etiam Sup. 3. cum dicit Euangelista, In diebus illis accedit Ioannes Baptista, non tempus continuo subsecutum designat, sed illud quod post multos affuit annos, quóve illa sunt facta, quæ ipse dicturus erat. Quandoquidem vbi de Christi natiuitate, magorumque aduentu, ac ipsius Herodis interitu verba fecit, statim subiungit, In diebus illis accedit Ioannes Baptista. Atqui triginta interceserunt anni. Verum scripturæ mos est, huiusmodi vti narrationis formula, quam & hoc loco seruauit. Prætermissa namque vniuersa temporis intercapedine, quæ à captiuitate Hierosolymorū vsque ad totius orbis consummationis initia futura erat, subintulit, Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hîc Christus, aut illic, nolite credere. Interim illos à loco tutos reddit, priuata quædam futuri aduentus sui signa prædicens, impostorúmque argumenta denudans. Haud enim quemadmodum in priore aduentu, in Bethleem, inque paruo orbis angulo, ita & tunc (inquit) conspectus fuerit, verum manifestè, ac sub omnium prospectu, vt res nuncio minimè opus sit habitura. Neque verò id paruum est signum manifesti aduentus sui. Considerandum porrò est, quomodo hîc nullam belli facit mentionem. Non enim de aduentu suo, sed de iis, qui deceptionibus ac impostoris fideles fuerant aggressuri, disceptat. Qui enim Apostolorum tempore fuerunt quam plurimis imponebant. (Venient enim ait, multósque seducent) qui verò secundum eius præcedent aduentum, qui & prioribus illis erunt longè pestilentiores, *dabunt* (inquit) *signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi.* Ostendit ergo nonnullos etiam ministraturos Antichristo. Dicit autem de eo & Apostolus. Cuius 2. Thes. 2. erit aduentus secundum operationem Satanæ cum omni potentia, & signis, ac prodigiis mendacibus. *Ecce* (inquit) *prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere.* Non dixit, ite ad eum, & nolite credere, sed, nolite exire, multa enim tunc regnabit deceptio, propterea & signa deceptionis fient. Et ipsius quidem Antichristi aduentum in loco quodam futurum dicit, suum verò *tanquam fulgur* (inquit) *quod ab Oriente exit, & apparet vsque in Occidentē.* Quod dicit tale est. Fulgur ita raptim emicat, vt nullum præcone aut nuncio opus habeat. Verùm & iis qui in domibus vel cubiculis sedent per vniuersum terræ orbem, in minimo temporis momento monstratur, ita erit aduentus ille, vbique pariter præ nimio ipsius gloriæ fulgore resplendēs. Et aliud præterea signum dicit, *Vbicunque enim,* ait, *fuerit cadauer, illic congregabuntur & Aquilæ.* Hoc est Angelorum multitudo ac martyrum, sanctorúmque omnium cum Christo cōueniet. *Statim autem post afflictionem dierum illorum, Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum.* Quorumnam dierum afflictionem dicit? Antichristi videlicet ac Pseudoprophetarum. Erit enim tunc afflictio magna, cum tot simul futuri sint impostores, at non in longum temporis spacium protendetur. Si enim Iudaicum illud bellum propter electos decurtatum fuit, longè magis propter eos ipsos, qui consummationis tempore viuentes fuerint, huiusmodi tentatio contrahetur. quapropter non dixit post tribulationem solummodo, sed Statim addidit. Simul enim ferè omnia fient. Nam exortis pseudoprophetis ac pseudochristis, omniáq; perturbantibus, mox ipse Dominus aderit. Haud enim modica tunc perturbatio peruadet orbem. In ipso autem eius aduentu, & creatura ipsa trāsformabitur. Nam Sol obtenebrescet, non quidem è medio sublatus, sed ipsius aduentus fulgore deuictus. *Et stellæ decident,* Quòd nullis iam, non existente nocte, vsibus sint futuræ. *Et virtutes cælorum commouebuntur,* quòd tantam videant rerum fieri mutationem. Nam si quando astra facta fuere, ita exhoruerunt ac miratæ sunt, qui poterit fieri, vt non maiorem in modum extimescant, vniuersa cernentes immutari, suósque conseruos actæ vitæ reddere rationem, terrarúmque orbem vniuersum tribunali astare tremēdo, ac omnes qui ab Adam ad aduentum vsque illum exorti sunt, eorum quæ gesserint, reposci rationem. *Et tunc apparebit signum filij hominis in cælo.* De quonam signo dicit? De cruce nimirum, quæ ipso erit Sole splendidior. Nam ille quidem obducetur tenebris & occultabitur, hæc autem coruscabit & apparebit, quòd solaribus sit radiis splendidius effulsura. Quam verò ob rem apparebit? Quò maiorem in modum Iudæorum impudentia reprimatur. Crucem enim in sui iustificationem secum habens, ad iudicium illud veniet Christus, non vulnera tantummodo, sed & opprobriosissimum mortis suæ genus ostentans. *Et tunc plangēt omnes tribus terræ.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nulla enim accusatione iam opus erit. Cur autem conspecta cruce plãgent? Profectò quòd illum cruci affixerint, quem oportebat adorare. Quoniam autem de cruce fecerat mentionem, ne putarent Apostoli triste quid rursus, aut amarum tunc occursurum, subiunxit dicens. *Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute & gloria multa*, non in cruce. Veniet autem in nube quemadmodum & fuit assumptus. *Et mittet Angelos suos cum tuba voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cælis vsque ad terminos eorũ.* Consideremus dilecti suppliciorum rigidam seueritatem, & quæ impios tormenta manent. Nam & ab electis separabuntur, & gehennę incendiis adiicientur. Et quánam gratia per Angelos vocat electos, cum ipse tam manifestus adueniat? Vt nimirum vel sic illos honoret. Siquidem vbi resurrexerint, ab Angelis congregabuntur, & congregatos rapient nubes. Hæc autem omnia in momento ac puncto temporis fient. Non autẽ sursum manens eos vocat, sed ipse in tuba descendit. Ad quid autem tubæ ac sonitus? Ad excitationem videlicet, ad lætitiam, ad exhibendum rerũ stuporem, ad dolorem eorum qui relinquuntur exprimendum. Hei mihi à die illa terribili. Et quidem magis oporteret gaudere nos, cùm hæc audimus, sed contrà mœrore conficimur, sumúsque subtristes, tetricóque vultu ac demissis oculis incedimus. Aut solus ego hęc patior, vos autem hæc audientes gaudetis? Enimuerò cũ hæc dicũtur, horror me quidam inuadit, amarissimęq; doleo, ac ex imo corde suspiria trahere non desisto. Nihil enim bonorum illorum ad me, sed aut cum fatuis virginibus illis, aut cũ eo qui talentum, quod acceperat, fodit in terram, aut cum improbo seruo damnari me manet. Huius rei gratia profundo lacrymas. A quanta gloria pelli, à quanta bonorum spe excidere debemus: idque perpetuò, quòd laboris aliquantulum detrectemus. Quamuis enim labor multus esset, & lex admodũ grauis, vel sic quidem oportebat nihil non facere, nihil non pati. Cæterùm excusationẽ quampiam habere videbantur multis segnes, frigidã quidem illam atque infirmam. Videbantur verò prætexere præceptorũ immensitatem, laboris magnitudinem, diuturnitatem temporis, onus importabile. Nunc autem nihil huiusmodi obtendere est. Super omnia porrò non minus quàm gehenna, tunc nos diuexabit, cũ ob breuissimum temporis spatium, modicúmque sudorem cœlum nos, ineffabiliáque illa bona perdidisse viderimus. Etenim & tempus breue est, & modicus labor, & tamen torpemus, ac supini sumus. In terra decertas, ô dilecte, & in cœlo corona tibi seruatur, duobus curris diebus, & in sæculis non senescentibus brabia capis. In corpore corruptioni luctaris obnoxio, & in incorruptibili honoraris. Cuius autem rei gratia ficus similitudinem apposuit, dicens, *Ab arbore autem fici discite parabolam, cũ iam ramus eius tener fuerit, & folia fuerint enata, scitis, quòd propè sit æstas?* Quoniam discipuli quo præsertim tempore aduentus eius dies ipse futurus esset inquirebãt, non solùm similitudine, sed & consequenti oratione id declarauit dicens, *Scitote quòd propè sit in foribus.* Hinc autẽ & aliud quid prædicit, æstatem videlicet spiritualem, tranquillitatémque iustis hominibus post huius vitæ tempestatem, illo die futuram, peccatoribus autẽ contrà, tempestatem, post æstatem denunciat. Id quod per ea quæ sequuntur significauit, diem illam asserens deliciosẽ eis ac lasciuè agentibus superuenturam. Non solùm autem hac ratione, huiusmodi posuit ficus similitudinem, vt interiectum tẽporis spatium designaret (poterat enim & aliter id ipsum astruere) verùm vt vel hinc sermonem comprobaret, sic omnino euenturum, quemadmodum & hoc necessarió euenit. Vbicunque enim, quod omnino futurum est, voluerit indicare, naturales in medium necessitates agit. Id quod & Apostolus ipsius imitator facit sæpenumero. Sic enim & de resurrectione disputans ait, Nisi granum frumenti deiectum in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si verò mortuũ fuerit, multum fructum affert. De qua autem generatione dixit, *Non præteribit generatio hæc, donec omnia ista fiant?* Non profectò de iis, qui tunc viuebant, ait, sed de fidelibus. Nouit enim generationem non à temporum consequentia designare solummodo, sed & moribus, & ratione religionis ac cõuersationis. Veluti cùm ait, Hæc est generatio quærentium Dominum. Quòd autem ait, hoc est. Reuera contingent hæc omnia, & fidelium generatio perdurabit, nullo prædictarum rerum turbine concussa. Quin imò & Hierosolyma destruetur, & plerique Iudæorum interibunt: hanc autem generationem nihil omnino superabit, non fames, non pestis, non terræmotus, non bellorum tumultus, nõ pseudochristi, non pseudoprophetæ, non impostores, non traditores, non scandalizantes, non falsi fratres, non alia quæpiã huiusmodi tentatio. Facilius enim (inquit) stabilia hæc atque immobilia destruentur (id enim significat, *Cælum & terra præteribunt*) quàm verborum meorum quidpiam intercidat. Id enim est, *Verba autem mea non præteribũt.* Cur verò elementa hæc in medium protulit? Tum vt Ecclesiam cœlo terráque præstantiorem ostenderet, tũ etiam vt opificem se atque Dominum, vniuersíque rectorem significaret, ineffabilémque virtutem suam patefaceret. *De die autem illo & hora nemo scit, ne Angeli quidem cœlorum, nec ipse filius, nisi solus pater.* Dicens, ne angeli quidem, illorum obstruxit ora, ne discere quærerent, quæ illi ignorarent. Dicens autem nec ipse filius, non solùm inquirere, sed & cogitationes huiusmodi admittere prohibuit. Quòd autem id hac ratione dixerit, hinc oportet aduerti, quòd & post resurrectionem, vehementius eos repressit, qui eos vidisset hac de re curiosius inuestigantes. Et nunc quidem multa atque insolita signa dixit, tunc autem apertè atque simpliciter, Non est vestrum (inquit) nosse tempora, vel articulos temporum. Ne autem dicerent neglectos se atque reiectos, qui huius rei cognitione ab eo dignati non fuerint, (valde quippe illos honorare volebat, nec celare quidpiam) propterea soli patri suo huius rei scientiam adscribit. Et formidabilem rem ipsam faciens, & illorum responsioni superuacaneam curiositatem obiiciens. Quòd si ita non est, sed ignorat, quando iam sciet? Num vnà nobiscum? Et quis vnquam hoc diceret? Et patrem quidem optimè ac manifestè nouit, & ita manifestè sicut & ille filium, diem autem illum non nouit? Ad hæc, Spiritus quidem rimatur etiam profunda Dei, filius autem nec iudicij nouit articulum? At quomodo quidem iudicare oporteat nouit, singulorúmque arcana ipsum non fugiunt, quod autem hac re longè est humilius, hoc ignorabit? Quomodo autem si omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, Diem illum ignorauit? Qui enim sæcula fecit, profectò fecit & tempora. Si autem tempora, & illam omnino diem. Quomodo ergo quam fecit ignorat? Quapropter cùm omnia dixisset, temporáque ac temporum articulos indicasset, & ad eas vsq; fores adduxisset, Prope enim est (inquit) in foribus, diem illam silentio texit. Nam si diem illum atque horam inquiris, nullatenus à me audies, (inquit) sin verò temporum articulos atque principia, nihil non aperiam, vniuersa tibi quàm exactissimè recensens. Quòd enim dies illa non me lateat, pluribus (inquit) ostendi, temporum spacia euenturáque omnia prædixi, quantum etiam ab hoc tempore, ad illum vsque diem intercedat, aperui, (id enim ficus illius parabola declarauit) ac demum ad ipsa perduxi vestibula. Si autem minus fores aperio, id in tuam quoque vtilitatẽ facio. Dicens autem, *Sicut erant in diebus Noë edentes & bibentes*, repentinum ac inexpectatum fore aduentum suum his verbis ostendit. Quod & Paulus quoque indicat dicens. Cùm enim dixerint pax, & tuta omnia, tunc repentinus eis imminet interitus, sicut dolor partus mulieri prægnanti. Si autem delitiæ atque lasciuia, quomodo afflictio? Dixit enim, post afflictionem dierum illorum. At deliciæ quidem insensatis erunt, afflictio autem atque mœstitia iustis. Vnde liquet vbi venerit Antichristus, in scelestis hominibus, atque iis qui salutem suam desperarint, omnigenam turpium voluptatum auctum iri lasciuiam. Quemadmodum namque cùm fabricaretur arca, non credebant (inquit) verùm iacebat quidem in medio ob omnium oculos futurorum malorum prænuncia. At illi eam conspicientes, perinde ac triste nihil instaret, ita lasciuiebant. Hunc in modum & nunc. Apparebit quidem Antichristus, post quem consummatio suppliciáque ac pœnæ illæ intolerabiles subsequentur. Qui autem suis immersi sceleribus detenti fuerint, futurorum malorum nullatenus timore tangentur. *Tunc duo* (inquit) *erunt in agro, vnus assumitur, & alter relinquitur*, Agrum quidem appellauit mundum. Assumitur autem, qui seruatur: relinquitur, qui damnatur. *Duæ molentes in mola, vna assumitur, & altera relinquitur.* Molentes, illos appellauit qui in paupertate degunt. Lucas autem & duo in lecto futuros ait, quibus sanè diuites significantur. Hinc ergo discimus pauperes & diuites, seruos ac dominos & assumi pariter & relinqui. Sicut & in veteri scriptura dicitur: A sedente in throno, vsque ad captiuam quę in mola est. Et quoniam dixerat difficile seruari diuites, ostendit hoc loco, neque eos omnino perire, neque pauperes omnes seruari, imò verò ex ambobus & seruari scilicet & perire. Porrò aduentus ille noctu futurus esse mihi videtur, id quod & Lucas affirmat. Vnde manifestum prorsus est, nosse illum omnia quàm exactissimè. Dicens autem, *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit*, significauit, se propterea diem & horam sui aduentus non edixisse, quòd vellet ipsos continuè esse sollicitos. Quid verò significat, *Si sciisset paterfamilias qua hora fur venturus fuisset, vigilasset vtique, nec permisisset perfodi domum suam?* Si plerique hominum (inquit) scirent, quando sunt potissimum morituri, ea prorsus hora pœnitere studerent. Ne igitur illo duntaxat tempore, sed per totam vitam magno studio satagerent, nec sæculi consummationem, nec vniuscuiusque mortem prædicit, quòd velit nos semper illam expectare, sempérque esse sobrios ac vigilantes. Simul etiam & negligentiores cõfundit, quòd maius circa diuitias studium adhibeãt, qui furem expectant, quàm hi circa suæ ipsorũ animæ salutem. Dicẽs porrò, *Quisnam est fidelis seruus & prudens?* non certè ignorans ait, sed, vt quod rarum est ac multo dignum honore, demonstret. Hunc etiam in modũ ipsi Adam locutus est dicens, Vbi es? non autem ex ignorantia, verùm vt illum ad peccati satisfactionem adduceret. Et de Sodomis ideo dixit, Descendens videbo, si iuxta clamorem suum qui venit ad me perfecerint, sin autem non est ita, vt sciam. Quò nos instrueret, vt non de re quapiam priùs sententiam feramus, quàm illam diligẽtius discusserimus. Per Prophetam autem iccirco ait, Si fortè audiãt, & si fortè intelligãt, ne apud imperitos ac rudes, id prædixisse, inobedientiam necessariò videatur inducere. In Euãgelio autem dixit, Verebũtur fortasse filium meum, vt ostenderet debuisse illos id facere, ac filium reuereri. Fidelem

A porrò seruum beatificat dicens. *Beatus ille seruus quem cùm venerit dominus eius inuenerit sic facientem.* Et sanè per quã meritò, veluti prudẽtem ac studiosum. Hoc autem non de pecuniis tantùm est dictum, sed de verbo etiam ac ministerio, omníque prorsus dispensatione, quam vnusquisque susceperit commẽdatam. Præterea hæc parabola ad eos quoque aptari potest, qui Rempublicam gerunt & administrant. Oportet enim eorum vnumquenque ad cõmunem vtilitatem cõferre quæ sua sunt, siue sapiẽtiam, siue principatum, siue diuitias, siue aliud quodcunque, non ad conseruorum detrimentum, suíquemetipsius perniciem. Quocirca ab eo vtrunque requirit, prudentiam videlicet atque fidem. Ex incõsiderantia siquidem atque amẽtia, peccata fiunt. Fidelem igitur ipsum appellat, quòd nihil de domini sui substãtia defraudauerit, nihil temerè ac frustrà cõsumpserit. Prudentem verò, quòd sibi credita, opportunè nouerit dispensare. Quandoquidem vtraque nobis opus est re, ne scilicet quæ Domini sunt defraudemus, & credita opportunè dispensemus. Si autem horum alterum desit, tanquam terra obruerimus, condemnabimur. Nam si quispiam fidelis fuerit, vt non furetur, disperdat autem, & in minimè necessarios absumat vsus, magnum profectò id crimen est. Sin verò rursus optimè dispẽsare norit, defraudet autem, sibíque accumulet, non quælibet hæc culpa est, sed prorsus maxima. Audite quicunque sensiles opes has atque pecunias possidetis. Haud enim solis hæc doctoribus, sed etiam diuitibus loquebatur. Vtrisque enim creditæ sunt diuitiæ. Necessariores quidem doctoribus, vobis autem inferiores. Nisi ergo animi vestri gratitudinem atque candorem ostenderitis, (aliena enim non vestra largimini) quænam vobis suppetet excusatio? Quid verò significat, *Super omnia bona sua constituet eum*? Nimirum beatitudinem illam, ineffabilémque dignitatem, ac cœlorum regnum, ipse cœlorum rex illi rependet. Malum verò seruum qui dixerit, *Cunctatur Dominus meus venire, cœperítque percutere cõseruos, imò edere & bibere cum ebriis*, in extrema atque intoleranda supplicia ablegabit. Si autem qui dixerit, Cunctatur dominus meus, adeò punietur: qui illũ omnino non expectat, quid non patietur? Cæterùm non supplicia duntaxat illi reposita consideremus, sed & illud caueamus, ne & ipsi eadem imprudẽter agamus. Huic etenim sunt adsimiles qui diuitias habent, nec illas affatim indigentibus largiuntur. Est nempe vnusquisque suarum ipsius pecuniarum dispẽsator, non minus quàm qui Ecclesiarum opes administrant. Quemadmodum ergo illis haudquaquam licet, quæ ab aliquibus erogãda pauperibus impenduntur, temerè nullóque delectu dispergere, quòd in pauperum alimenta collata sint, ita nec quisquam quæ sua sunt. Tametsi enim quis paternam accepit hæreditatem, vel ipse sibi quicquam proprio sudore parauit, vel quomodolibet quid sibi vendicauit, neque sic omnino id propriè suum est, sed Dei sunt vniuersa. Poterat enim Deus tibi ea omnia auferre, Verùm abstinet, quòd vnumquenque velit suæ in pauperes liberalitatis esse dominum. Quapropter studeamus omni cum gaudio, ac animi propensione ex iis quæ possidemus in pauperes largiter disseminare.

CAPVT XXV.

VNC *assimilabitur regnum cœlorum decem virginibus, quæ sumptis lampadibus suis exierunt in occursum sponso.* Præsens hæc decem virginum parabola, & quæ consequitur, eorum qui talenta acceperunt, prior ei quæ de fideli agit & ingrato seruo, qui rem domini sui absumpserat, omnino sunt similes. Quatuor nanque sunt omnes eadem de re nos diuersimodè

Universidad de Deusto
Biblioteca

admonentes, vt omnem videlicet diligentiam in præ-
standis eleemosynis adhibeamus, sempérque ac vbique
pro virili studeamus proximum iuuare. Quãdoquidem
aliter seruari non licet. At in prioribus quidem para-
bolis de fideli seruo atque ingrato, de omni generaliter v-
tilitate dicit, quã in proximum conferri oportet, in hac
autem de virginibus de ea priuatim eleemosyna disse-
rit, quæ pecuniis præstatur. Idque longè quàm in præ-
cedenti parabola vehementius. Ibi enim in conseruos
percutientem ac temulentum, dominique sui substan-
tiam dissipantem simul atque perdẽtem animaduertit,
hic autem etiam non iuuantem, nec in indigentes affa-
tim facultates suas exhaurientem supplicio afficit. Ha-
bebãt enim & fatuæ virgines oleum, at non admodum
affluenter, iccirco & pœnas luunt. Quánam verò gratia
non simpliciter sub qualicunque, sed sub harum virgi-
num persona huiusmodi parabolã proponit? Nimirum
quia de virginitate sublimius quiddam superius disp-
tarat, dicens. Sunt Eunuchi qui seipsos castrauerunt B
propter regnum cœlorum. Et, qui potest capere capiat,
plurimósque hominum norat ingentia de hac ipsa vir-
ginitate sentire. Quãdoquidem res est natura sublimis.
Quod inde videlicet liquet, quòd in veteri testamento
nec à priscis illis seruata est viris, & in nouo, sub nulla
legis necessitate mandatur. Non enim id imperauit, sed
liberæ audientium voluntati permisit. Vnde & Paulus,
de virginibus (inquit) præceptum domini non habeo.
Laudo (inquit) eum, qui virginitatem seruarit, at qui
noluerit, nequaquam cogo, neque præceptum id fa-
cio. Quoniam igitur grande erat negotium, plurimí-
que fiebat à multis, ne fortè quispiam hac seruata, tan-
quam vniuersa perfecerit, omnino desideat, cæterás-
que virtutes aspernetur, huiusmodi parabolam propo-
suit ad persuadendum appositissimam, virginitatem
ipsam, quamuis cæteris omnibus fulciatur, eleemosy-
næ autem fructibus careat, cum scortatoribus abiicien-
dam. Et iure quidem optimo. Nam illi quidem cor- C
porum, hi autem pecuniarum amore superantur. Haud
verò est pecuniarum amori par, corporum amor, imò
& acrior & vehementior. Quò quis igitur ab imbecil-
liore deuincitur, eò minus venia, si vincatur, dignus
existit. Propterea sanè & fatuas illas appellat, quòd vi-
delicet difficiliorem laborem susceperint & ob facilio-
rem, vniuersa perdiderint. Considerandum verò est,
si hunc in modum è cœlorum regno virginitas, quæ e-
leemosynæ largitatem non habuerit, proiicitur, quid
sit illis futurum, qui neque hanc neque illam generosè
possident. Quid autem significant lampades? Profectò
ipsius virginitatis munus, ac sanctimoniæ puritatem:
oleum autem, benignitatem, eleemosynam, ac in pau-
peres opem. Sponsi verò cunctatio, futuram regni cœ-
lorum aduentus dilationem. Dormitio, mortem. Porrò
factus ad mediam noctem clamor, futuram in nocte re-
surrectionem in voce Archangeli, quemadmodum
2. Thes. 4. Paulus inquit. Quid verò tubæ clangent? Nimirum, D
Sponsus venit. Quòd autem fatuæ oleum petierunt, nec
tamen à prudentibus accepere, significat nullum, si nos
opera defecerint, ibi nobis posse patrocinari, vel opem
ferre. Non quia id iustorum volet nullus, cùm nihil sit
eis condolentius, nihil humanius, sed quia non poterit.
Vnde & prudentes ad impossibilitatẽ confugere. Quid
autem sibi vult, *Ite, & Emite, & dum irent?* In parabola
nimirum persistit, ipsam contexens. Quibus sanè indi-
cat, nihil omnino vos ibi lucraturum, nec supplicia e-
uasurum vlla, licet vbi hinc abierimus, misericordes si-
mus atque benigni, sicut & virginibus his sat omnino
non fuit, propensa miserendi voluntas. Quoniam non
hîc ad vendentes abierunt, hoc est non hîc, sed ibi mi-
sericordiã exercuere. Qui enim oleũ vendunt, pauperes A
sunt. Vbi verò vendunt? Hic solũmodò. Iccirco in præ-
senti vita nõ in futura quærẽdi sunt. Magna siquidẽ no-
bis ab illis negociatio prouenit. Hic igitur oleum con-
gregemus, vt ibi nobis vtile sit, cùm tẽpus nos aduoca-
rit. Non enim congregãdi tẽpus illud est, sed hoc. Non
igitur frustra facultates insumamus in delitias inanẽsq;
glorias, multo enim nobis ibi opus est oleo. Ideo *quæ*
paratæ erant intrauerunt cum eo. Illæ autẽ, quæ meritò fa-
tuæ sunt appellatæ (Nihil enim magis fatuũ, quàm hîc
locupletari, ac vberiores cõsectari quęstus) à sponso ex-
clusæ fuerũt, postque multos labores illos, post sudores
infinitos, & intolerábilem pugnam illã, ac trophęa, quæ
de ipsius naturæ rabie deuicta, gloriãtes exerexerãt, omni-
no confusæ, ac lãpadibus earum extinctis, demissis vul-
tibus abiere. Nihil enim virginitate obscurius, quæ olei
abundantiam non habet. Quòd si hũc in modũ actum
est his, lõgè magis, quæ cõnubio iunctæ sunt, id patien-
tur, quæ eleemosynam strenuè non exercuerint. Illud
autem, *Non noui vos*, nihil aliud est, quàm in gehennam
ac intolerábiles digredimini cruciatus. Imò verò & i-
psa gehenna, hoc verbum est longè grauius, cùm illud
ipse Angelorum Dominus dicat. Subiunxit autem *Vi-*
gilate itaque, quia nescitis diem neque horã, qua filius hominis
veniet. Vtilem nobis esse demõstrans ab hac vita exitus
ignorantiam. Vbi igitur sunt, qui per totã vitam segnitie
torpent, & quando à nobis reprehenduntur, dicunt, o-
mnia se mortis tempore pauperibus relicturũ. Audiant
verba hæc, & corrigantur, quandoquidẽ sub exitus sui
hora, multi hinc abiere, qui repentè rapti, nihil suis in-
iungere permissi sunt, eorũ quæ cogitabant. Et hæc qui-
dem virginum parabola, de ea quæ pecuniis perficitur
eleemosyna dicta fuit, quæ autem sequitur talentorum,
illos perstringit, qui nec pecuniis, nec verbo, nec patro-
cinio, nec alio quouis modo proximũ iuuare studẽt, sed
vniuersa recondũt. Cur autẽ hæc parabola regẽ, illa au-
tem virginum, Spõsum introducit? Vt discamus quan-
ta Christus beneuolentia virginibus conciliatur, quæ e-
leemosynas affatim largiuntur, facultatésque suas pau-
peribus distribuunt. Id nanque & virginitas est. Quem-
admodum & Paulus ait. Innupta curat ea, quæ sunt do- 1. Cor. 7.
mini. Et rursus, Vt quod honestum ac decorum est, se-
quamini, & adhæreatis domino absque vlla distractio-
ne. Dicit autem. *Sicut enim homo quidam peregre proficis-*
cens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et huic qui-
dem dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum, v-
nicuique secundum propriam facultatem, & profectus est sta-
tim. Vt discamus ipsius longanimitatem. Insuper & in-
termedium consummationis tempus indicans, id ait.
Quia verò omnes nos operarij sumus, ad omnes verba
facit, ad eos qui gerunt imperium, & qui ferunt, ad do-
minos & seruos, ad sapientes ac rudes. Talẽta autẽ sunt
ipsa vniuscuiusque facultas, quã à Deo accepit siue in
pecuniis siue in doctrina, siue in alia quauis huiusmodi
re. Dicẽtes autem, alius quidem, *Quinque talenta tradi-*
disti mihi, alius autem, *Duo*, animi sui candorem gratitu-
dinémque demonstrant, eíque plurimam rependunt
gratiam, quòd ab ipso operandi occasionem sumpse-
rint, totum illi imputantes. Illud autem, *Intra in gau-*
dium Domini tui, declarat vniuersam illos adepturum
beatitudinem. Et hi quidem serui fideles, qui tradita
sibi talenta conduplicarunt, egere & gratias: at ma-
lus ille seruus, non modò sortem non duplicauit, sed &
insimulationem adiunxit, dicens. *Noueram te quòd homo*
durus es, metens vbi non seminasti, & inde congregãs vbi non
sparsisti. Tale quiddam malitia est, tenebris rationẽ ob-
ducit, ac quem semel à recta via deflexerit, in prærupta
postmodum præcipitia totum impellit, Dicens autem,

Serue male ac pigér, horribilem præ se fert indignatio-
nem. *Oportuit ergo te committere argentum meum mensariis,*
& veniens ego recepissem vtique quod meum est cum vsura.
Hoc est oportuit te dixisse, admonuisse, consuluisse. Ar-
gentum autem vocat, verenda eloquia. Mensarios au-
tem, audientes. Vsuram verò non solùm quæ per audi-
tionem commissa sunt, sed & operum ostensionem. Et
in corporalibus quidem diuitiis id omnino fieri prohi-
bet, facientésque condemnat, in spiritalibus autem, i-
pse se spondet vsuras recepturum. *Tollite itaque ab eo ta-*
lentum, & date ei qui habet decem talenta. Iubet auferri ta-
lentum, hoc est gratiam, ab eo, & habenti dari: per hæc
ostendens eum, qui doctrinæ gratiam habet, nec ea ad
aliorum vtilitatem vtitur, ipsam quoque gratiam amis-
surum. Et post sententiam acri scilicet accusatione ple-
nam (*inutilem* enim *seruum*, illum appellauit) in cruci-
tus intolerabiles ablegauit. Qui autem doctrinæ gratia
in proximi vtilitatem sedulò vti satagit, maiorem sibi
comparat gratiæ largitatem. Audiamus igitur verba B
hæc dilecti, & donec tempus adest, nostram assiduè sa-
lutem operemur, copiosúmque nostris in lampadibus
oleum sumamus, & in quod, talentum, id est gratiam
accepimus, studiosè vtamur, proximos nostros impigrè
admonentes, atque ad bonum cohortantes, nósque eo-
rum tutores assertorésque omni diligentia exhibea-
mus. Si enim in pigritia otióve hîc vixerimus, nullus ibi
profectò nostri vel innumera fluentium miserebitur.
Cùm autem venerit filius hominis in gloria sua, & omnes san-
cti Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem gloriæ suæ. Quo-
niam in priore aduentu, in ignominia, cõuiciis, ac con-
tumeliis venit filius Dei, ac noster verus Deus, propter-
ea nunc ait. In gloria sua, hoc est in secundo aduentu
suo. Præterea quòd crucis tempus iam propè erat, quæ
res opprobriosissima videbatur, ob oculos ideò iudi-
cium illud adducit, vniuersúmque orbem coram se si-
stit, atque ipsos etiam cœlos ostendit euacuatos. O-
mnes enim sancti Angeli erũt cum eo inquit. Cur nam? C
Quò scilicet tunc testentur & ipsi, quanta suo minister-
rio, cùm à Domino ad salutem hominum multimodè
mitterentur, obierint. Et vndique dies ille horroris fu-
turus est plenus. *Et congregabuntur* (inquit) *ante eum o-*
mnes gentes, hoc est vniuersa hominum natura. *Et sepa-*
rabit eos alteros ab alteris, sicut pastor segregat oues ab hœdis.
In præsenti nanque non separati, sed permixti sunt o-
mnes, tunc autem, exactissima separatio fiet. *Et statuet*
quidem oues à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Ab eorum
interim constitutione illos distinguit, ac manifestos fa-
cit. Deinde & ab ipsis appellationibus, singulorum mo-
res declarat, hos quidem, hœdos, illos autem, oues ap-
pellans, vt horum quidem sterilitatem (nullus enim ab
hœdis fructus capitur) illorum autem quæstuosissimam
fœcunditatem ostendat. Quando quidem huber ab o-
uibus fructus proficiscitur, tum lanæ, tum lactis, tum e-
tiam & fœtus, quibus profectò caret hœdorum genus.
Verùm irrationales quidem animantes, & fœcundita- D
tem & sterilitatem ab ipsa natura habent, illi autem à
voluntate sua. Et propterea eorum alij quidem puniun-
tur, alij verò coronantur. Non priùs autem illos suppli-
ciis addicit, quàm cum eis iure agat. Quapropter ipsis
astantibus crimina obiicit, dicens, *Esuriui & non dedistis*
mihi cibum, &c. Hi autem mansuetè respondent, at nihil
inde proficiunt. Et meritò quidem. Quòd rem, quæ
tantopere sibi est cordi, ita neglexerint. Nam & prisci
Prophetæ illi, ac posteriores id sonuere, Misericordiam
scilicet volo, & non sacrificium. Et legis lator ipse, cùm
verbis tum rebus ad hoc semper est adhortatus, & ipsa
etiam natura hoc nos edocuit. Considerandum verò
est, non vnum illos aut duo tantùm, sed vniuersa pror-

sus contempsisse mandata. Nam non modò esurien- A
tem non cibarunt, nec nudum operuerunt, sed neque,
quod leuius erat atque facilius, infirmum visitarunt. A-
nimaduertenda porrò mandatorum facilitas. Haud e-
nim ait, In carcere eram, & nõ me absoluistis, infirmus,
& non me erexistis, sed *non visitastis me*, & *non venistis ad*
me. Cuius autem rei gratia, & fratres & minimos appel-
lat pauperes? Nimirum quòd humiles, quòd mendici,
quòd abiecti sint, iccirco & fratres. Huiusmodi nanque
vel maximè sibi fratres asciscit, obscuros scilicet, incog-
nitósque ac contemptitios. Monachos duntaxat di-
co, quique montes incolunt, sed fidelium quempiam,
etiam sæcularem. Cuius, si famescat, nudúsve, aut pere-
grinus existat, curam omnem habendam desiderat. Ba-
ptismus enim, immaculatorúmque communio my-
steriorum, fratrem effecit. Cæterum prius qui hæc perfe-
cere, collaudat & prædicat, quò vel hinc sententiæ iu-
stitiam ostendat. *Venite*, inquiens, *benedicti patris mei, hæ-*
reditate regnum paratum vobis ab exordio mundi. Quibus
bonis huiusmodi nomen æquiparari potest, esse bene-
dictus, & ab ipso patre benedictus. Ad hæc ne rei illi
dicerent, non habuisse se in quos bonum operarentur,
propterea à conseruorum illos operibus condemnat.
Quemadmodum & fatuas virgines, à prudentibus vir-
ginibus, & temulentum seruum, à fideli seruo, & qui ta-
lentum suffodit acceptum, ab iis qui sortem conduplí-
carunt, & peccantium quemlibet, ab iis qui rectè vixe-
rint omnino confundit. Siquidem diuitibus diuites, &
pauperibus pauperes componere consueuit. Non dixit
autem, Accipite paratum vobis regnum, sed, *hæreditate*,
quò ostenderet excellentem gratiæ largitatem. Veluti
propria enim (inquit) veluti paterna, veluti vestra, veluti
vobis à principio debita, sic ipsa vobis hæreditate. An-
tea enim quàm nati essetis, hæc à me vobis parata con-
stitutáque fuere, quòd eiusmodi vos fore cognoram.
Cõsideremus porrò pro quibus rebus tanta recipiunt,
nempè pro veste, pro tecto, pro pane, pro aqua frigida,
pro visitatione decumbentis, pro carceris ingressu. Illis
autem cùm ait, *Discedite à me maledicti*, non addidit, Pa-
tris mei. Haud enim Pater illis maledixit, sed propria
opera. Neque *in ignem æternum* paratum vobis, dixit,
sed, *Diabolo & Angelis suis.* Nam regnum quidem cœlo-
rum (inquit) paraui vobis: ignem autem non vobis, sed
Diabolo & Angelis eius. At quoniam in illum ipsi vos
vltro iecistis, quòd nolueritis esurientem pascere, si-
tientem potare, nudum operire, nec ægrotum visitare,
vobis ipsis damnationis huiusce causam imputate. Ti-
meamus dilecti hæc audientes, taliúmque ac tantorum
bonorum apparatum, intolerabilísque ac æterni illius
cruciatus damnationem mente voluentes, studeamus
syncera, misericordíque largitate, æternorum ineffabi-
liúmque illorum bonorum hæredes fieri, & ea, quæ fi-
nem ignorant, vitare tormenta. Tametsi enim nobis i-
psis peccata nequaquam ignoscimus, neque sic nos o-
portet erga alios misericordiam negligere. Cùm autem
plurimis simus peccatis obnoxij, per multas eleemosy-
nas ea aboleamus. Curemúsque in primis cæteras am-
plecti virtutes, ne in sola confidentes eleemosyna, nos
ipsos delitiis, temulentiæ, scortationibus, auaritiæ, iniu-
riarum memoriæ, inuidiæ, detractioníque, ac cæteris id
genus vitiis addicamus. Quandoquidem quæ à sanctis
edocemur Euangeliis, omniáque alia seruare iussi fui-
mus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XXVI.

ET *factum est cùm cõsummasset Iesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis. Scitis quòd post biduum Pascha fit, & filius hominis traditur vt crucifigatur.* Tempestiuè rursus de passione disserit, quoniam quidem de cœlorum regno, atque futura retributione, æternóque supplicio verba fecerat, tanquam diceret. Quid propter huiuscemodi temporarias trepidatis, horretisque afflictiones, cum ciusmodi vos bona maneant atque gaudia? Porro & Paschæ facit mentionem, quò ipsis antiqua in Ægypto præstita beneficia in memoriam reducat, simúlque declaret, & quod nunc per Crucem mysterium geritur, diem esse festum atque solemnẽ, quod in orbis terrarum salutem peragebatur. Dicens autem, *Tunc congregati sunt principes sacerdotum*, Iudaicarum rerum dissolutionem iam incæpisse demonstrat. Nam Moses quidem vnum duntaxat sacerdotum principem B esse mandauit, quo mortuo, tũc alterum creari. At tunc multi erant sacerdotum principes, nam annui creabantur. Luc. 1. Id quod Euãgelista Lucas declarat, cum de Zacharia loquitur, ipsum de vice Abiæ fuisse describens. Eos igitur hoc loco principes sacerdotum appellat, qui de principibus sacerdotum erant. Notanda porrò est indicibilis Iudaicarum rerum deprauatio atque corruptio. Iniquissimũ nempè facinus aggressuri, ad sacerdotum principem conueniunt. Siquidem, *in atrium* (inquit) *principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas* cõgregati sunt, ab eo quærẽtes iniqui facinoris potestatem, à quo prohiberi opus fuerat. Quod autem iniere consilium? Vt scilicet dominum suum *dolo caperent, & occiderent*. Magno enim populi timore tenebantur, atque ideo vt dies festus elaberetur, expectabant. *Dicebant enim. Non in die festo, ne tumultus fiat in populo*. Haud enim ipsum Deum vel diuina verebantur, sed humana semper. Attamen nimio postmodum furore succensi, inuento proditore, C rursus sententiam immutarunt. *Cùm autem esset Iesus in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier, habens alabastrum vnguenti pretiosi*. Hæc mulier, quæ dominum vnxit vnguento, vna quidem atque eadem apud omnes Euangelistas esse videtur. At reuera non est. Verùm apud tres quidem Euangelistas, vna atque eadem esse apparet, apud Ioannem verò, non item, sed altera quædam mirabilis, nempè ipsa Lazari soror. Porro Simonis lepræ meminit Euangelista dicens, *In domo Simonis leprosi*, vt ostendat cuius rei fiducia, mulier Christum adierit. Quia enim lepra, valde quidem immunda res est, atque execranda videtur, viderat autem Iesum hominem curauisse, (neque enim aliter ad leprosum diuertisset) atque ab ipso postmodum hospitio fuisse susceptum, plurimùm confidit, & animæ suæ immundiciem ab eo facillimè posse detergi. Ad hæc Bethaniæ quoque facit mentionem, vt discamus sponte illum ad passionem venire. Nam qui antea ab illis D fide, & anima prorsus contrita id gestum fuit. Quã verò aufugerat, nunc quando omnium maximè illorum exarsit inuidia, tunc propius accedit, ad stadia ferè quindecim. Qua de re patet & priorem illum eius recessum, summæ fuisse dispensationis. Cur autem mulier hæc antea non accessit, sed post alias mulieres, Samaritanam scilicet, Chananæam, Hæmorroissam, ac nonnullas alias? Nimirum quòd hæc suam ipsius impudicitiam, turpitudinem, ac vitam sceleste actam intelligeret, nec auderet propius accedere, imò subuereretur, ac detrectaret accessum. Neque publicè illum, sed priuatim adiuit, in domo videlicet. Cúmque cæteræ omnes, corporeæ illum curationis gratia adiuissent, sola hæc ad sanitatem animæ nanciscendam adiuit (neque A enim vllo corporis morbo tenebatur,) vt vel hinc quilibet possit illam admirari. Capillis autem suis tersit, quia non ceu nudo homini id exhibebat officij, sed veluti maiori cuidam, ac supra hominem excellentiori. Ea propter & quod in toto corpore est honorabilius membrum, Christi pedibus summittebat, suũ inquam ipsius caput. *Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes. Ad quid perditio hæc?* Cur nam indignati sunt? Vnde ipsis hæc pauperum cogitatio suborta est? Quòd videlicet audissent magistrum de eleemosyna plurima locutum, ac dixisse, misericordiã se malle, quàm sacrificium. Hinc enim secum ratiocinabantur ac cogitabãt. Si holocautomata non admittit, nec ptisicum cultum illum, sicut eleemosynam, longè minus vnguenti huius effusionem probabit. Attulit autem ei vnguentum, quia & Iacob ille titulum Deo inunxit, & in sacrificiis oleum adhiberi mos erat, & sacerdotes vnguento illinebantur. Passus est autem super caput suum vnguentum effundi, mirum in modum mulieri condescẽdens. Quandoquidem multa cum pietate ac indicibili studio ad eum venit. Nam si homo fieri, ac gestari vtero, lactéque nutriri non detrectauit, multò magis id non fuisset auersatus. Dicentes autem Apostoli, poterat hoc vendi plus quàm trecentis denariis, his verbis munificentiam quoque mulieris ostendunt, quantum in huiusmodi vnguentum expendisset. Criminantes verò discipulos increpuit, & id quidem iure, neque enim debebat mulier pro tanto affligi studio & conturbari. Dicens autem, *Quid molesti estis mulieri?* His verbis eos docet, nequaquam sub ipsa initia, ab imbecillioribus sublimiora esse petenda. Siquidem iam sublimes animo, atque ad eleemosynam proniores erant discipuli. Ad hæc monet ne interim suppullulantem obtundant fidem, imò verò foueant atque enutriant, vt coalescat. Simul etiam & nos instruit, vt quandocunque boni aliquid à quopiam fieri conspicimus, tametsi non admodum sit C exactè, boni tamen id consulamus, atque ad vlteriora prouehamus, nec in cuiuslibet rei exordio omnem prorsus diligentiam expetamus. Dicens autem, *Ad sepeliendum me fecit*, &, *Me verò non semper habetis*, rursus passionis suæ memoriam studuit discipulis renouare. Addidit porrò, *Vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo*, exitum ad Gentes prænuncians, ac de morte sua solamen discipulis afferens, quòd tanto post crucem splendore, sit virtus eius effulsura, vt vbique terrarum sit Euangelij prædicatio diffundenda. Simul etiã & solatium & laudem mulieri apposuit. Quod autẽ de ea dicit, huiusmodi est. Nullus eam propterea reprehendat. Ego enim adeò absum, vt eam, quasi perperam egerit, condemnẽ, vel ei vitio vertã id ab ea non rectè gestum, vt nec latere quoquo modo huiusmodi præclarũ facinus sim passurus, sed totus sit orbis cogniturus, quæ in domo hac atque in occulto hæc ipsa perfecerit. Siquidem à mente admodum pia, feruentíque

Ioanne electi fuerant. erant enim & alij discipuli. Con- A In medium agamus fornicationis delictum, perpendamúsque quàm multiplex punitionum discrimen ex diuinis scripturis inueniatur. Fornicatus est quispiam ante legem, alio quodammodo punitur. Quod & Paulus ostendit dicens. Quicunque enim sine lege peccaue- Rom. 2. runt, sine lege quoque peribunt. Fornicatus est alter post legem, grauiora patietur, quicunque enim in lege peccauerunt (inquit) per legem iudicabuntur. Fornicatus est sacerdos quispiam, addidit hîc quidpiam ob dignitatem delicto, maximámque luit pœnam. Vnde aliæ quidem necabantur scortatrices, filiæ verò sacerdotum comburebãtur. Quòd abundè voluerit legislator indicare, quanta sacerdotem lapsum supplicia maneant. Nam si à sacerdotis filia maiorem reposcit pœnam, quòd sit filia sacerdotis, longè magis ab eo qui eiusmodi fungitur dignitate. Passa vim est mulier, immunis est à supplicio. Fornicata est diues quæpiam, & altera pauper. Rursus & hîc discrimen. Idque Dauid il- B le declarat, qui vehementiùs accusabatur. Fornicatus est quispiam post Christi aduentum, si absque baptismo decesserit, prædictis omnibus grauiores luet pœnas. Fornicatus est post baptismum, hîc iam nullum peccato solamen relinquitur. Fornicatus est quis sacerdotio fungens, lapsus hic omnium maximè malorũ verticem tenet. *Primo autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes, Vbi vis paremus tibi ad edendum Pascha?* Primum azymorum diem, illum dicit qui azyma præcedebat. Consueuerant enim ab ipsa semper vespera diem numerare. Illius ergo meminit in cuius vespera Pascha immolari debebat. Quinta enim sabbati ipsum adiere discipuli. Et Matthæus quidem, hunc, primum azymorũ, id est, qui azyma præcedebat, diem appellat, tempus ipsum, quo accesserũt, insinuans, alius autẽ Euangelista sic ait. Venerat autem dies azymorum, in qua necesse erat immolari Pascha. Quod enim ait, venerat, significat, prope erat, atque in ianuis, illius videli- C cet vesperæ memoriam faciens. Incipiebant enim à vespera, propterea & Euangelistarũ quilibet, addit, quando immolabatur Pascha. Interrogant autem vbi foret Pascha parandum, quòd nullum ipse haberet hospitium, nullã domum. Perficit verò Pascha, ostendens se non esse legi contrarium. Porrò ad ignotum hominem discipulos mittit, volens eos vel hinc intelligere, se potuisse (si placuisset) passionem non ferre. Nam qui hominis mentem persuasit, vt ipsos susciperet, ídque verbis tantùm, id quod & de asina fecit, quid non & de se crucifigentibus fecisset, si voluisset? Ego autem non hoc solùm admiror, quòd ignotus ipsum homo susceperit, verùm quòd perpetuã sibi simultatem, ac irreconciliabile bellum sperans propterea à Iudæis imminere, eiusmodi neglexerit inimicitias. Signum autem eis dedit, cũ ait, Vas aquæ testaceum portãtem, quòd locum Discipuli ignorarent. Dicens porrò, *Tempus meum prope* D *est*, simul quidem discipulis passionis suæ memoriam suggerit, quò crebritate prædictionis exerciti, futura meditarentur, simul etiam & illis ipsis, hospitíque, ac omnibus, quod crebrius quidem dixi, Iudæis, non inuitum se ad passionem venire demonstrat. Addit autem, *cum discipulis meis*, quò sufficiẽs fieret apparatus. Cur autem edentibus illis, de proditione verba facit? Quo nimirum & à tempore, & à mensa ipsius proditoris immerobitatem ostendat. Nam & ipse ibi aderat, veneratque mysteriis ac præparationi communicaturus. Qui tunc, vel si immanis quæpiam bestia fuisset, mitior fieri tanta benignitate debuisset. Nam & ante cœnam, illius etiam pedes abluit Dominus. Non dixit autẽ, Ille me proditurus est, sed *vnus vestrũ*, parcẽs & in hoc proditori, vt latenti rursus indulgeret resipiscẽdi facultatẽ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Maluitque prorsus omnibus terrorem ac mœstitiam ingerere, quàm salutis illi viam præcludere. Cæterum cuiusmodi putas intolerabilis luctus sanctum illum inuasit chorum? Vnde & vnusquisque maximo cum dolore dicebat, *Num ego sum Domine?* Quapropter volens illos hac animi turbatione ac mœstitudine liberare (erat enim mœrore propemodum exanimati) intincta illum panis offula retexit, non illos hac re tantùm eiusmodi animi angore leuare volens, sed etiam quòd, tacta proditoris conscientia, cuperet illum ad pœnitudinem commoueri. Quia enim id sæpius audiens incorrigibilis perseuerabat, vt qui mala boni consuleret, iámque dedoluerat, volens ipsum acrius ferire, signo illum iam certiore demonstrat. Cuius autem rei gratia manum proditor cum ipso intingebat? Præ nimia nimirum sua impudentia, neque enim vltra, Magistrum reuerebatur. Christus autem huc vsque condescendebat, quòd conuertere illum atque attrahere, vt illi magis afficeretur, optaret, fierétque interim nobis patientiæ forma. Subiunxit autem, *Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo*, quò Discipulos confirmaret, ne imbecillitati ascriberent mortis suæ facinus. Siquidem iis, quæ superius dixit, voluntariam se ostendit mortem excipere. Simul etiam, quò & proditorem corrigeret. Licet is postmodum tametsi audierat, *Væ autem homini illi per quem filius hominis proditur*, nõ modò non est correctus, sed & summæ impudentiæ verba locutus est dicere, *Num ego sum Rabbi?* Qui enim sibi ipsi tanti mali conscius erat, non erubuit eum etiã interrogare. Dicens autem Dominus, *Tu dixisti*, suam ipsius ineffabilem lenitatem ostendit. Licuisset enim illi dicere, O sceleste, ac omnium impurissime, detestande, atque prophane, tam longum tempus id mali parturiens, qui à me digressus, conuenta firmasti satanica, argentum pactus accipere, quin & à me redargutus, adhuc audes interrogare? At nihil horum dixit. Sed quid? Tu dixisti, fines nobis ac regulas malorum tolerantiæ fingens. Cæterum nemo dicat. Si scriptum erat, Christum hæc fuisse passurum, cur Iudas, qui scripta compleuit, reprehenditur? Quia profectò nõ eo id animo, sed facinorosa voluntate perfecit. Vbique enim cuiuslibet mentis scopus est attendendus. Quare autem non à principio Iudas interrogauit, Num is esset? Quia videlicet, Vnus vestrum, Christus dixerat, latere se putauit. Vbi autem se manifestum vidit, tũc Magistri mansuetudinem aspernatus, tanquam ipsum non redarguerit, interrogare non erubuit. Rabbi autem ipsum appellauit, ob nimiam impudẽtiam atque improbitatem. Tale enim quippiam auaritia est, fatuos & amẽtes reddit, canésque pro hominibus, imò verò, & canibus etiam peiores, & Dæmones ex canibus, attonitósque facit, animíque vecordes, quos semel inuaserit, cuiusmodi & Iudas effectus fuit. Quomodo autem Matthæus quidem, cæterísque Euangelistæ, simul atque Iudas proditionem instituit, captum à Diabolo fuisse aiunt, Ioannes autem post offulam, in illum Satanam introisse affirmat? Profectò & Ioannes ipse id superius dixerat. Et cœna (inquiens) facta, cum Diabolus iam misisset in cor Iudæ Simonis Iscariotæ, vt proderet eum. Post offulam autem iccirco in illum Satanam ingressum fuisse dicit, quia non repente, nec sub vno temporis momento hominem Diabolus ingreditur, sed multa prius pericula facit. Id quod & in Iuda fecit. Vbi enim cum à principio explorauit, sensímque percussit, postquam aptum sibi in ipsius corde receptaculũ vidit, tum demum in illum totus illapsus est, planéque illum deuicit. Cur autem quando Pascha comedebãt, præter legem comedebãt? Neque enim comedẽtibus recumbere licebat. Verùm cùm Pascha comederent, nequaquam recumbebant, sed postquam illud comederunt, iam ad cœnandum recubuerunt. Quod autem Euãgelista dicit, Desiderio desideraui hoc Pascha comedere vobiscum, significat hoc anno, quando videlicet orbi terrarum futura est salus, mysteriáque tradenda sunt, & tristia per mortem dissoluẽda, adeo illi crux erat in votis, adeo mortem nõ deprecabatur. Quam verò ob rem sub ipsius Paschæ tempus atque horam, nec alio quouis die, acceptum panem fregit, peregítque mysteria? Quò videlicet vndique discereremus, ipsum veterem quoque legem tulisse, & quæ in illa sunt horum gratia fuisse adumbrata, propterea tunc potissimum figura veritatem inducit. Vespera autem, completionis temporum indiciũ erat, quod scilicet ad ipsum iam finem res peruenissent. Gratias porro agit, nos edocens, quonã pacto mysterium sit huiusmodi peragendum, simúlque ostendẽs, sponte se sua ad passionem properare. Ad hęc & nos instruens, vt quæcunque patimur, ea semper cum gratiarũ actione patiamur. Post comestionem præterea legalis Paschæ, noui Testamenti mysteriũ tradit dicens, *Accipite, comedite, Hoc est corpus meum*. Quin nimirũ legalia iam dissolui atque desinere, veterúmque præcidi solemnitatum caput, atque ad aliam illos nouæ legis mẽsam horroris plenam transire opus erat. Nequaquã verò turbati sunt, cùm dicentem audirent, Hoc est corpus meum, quòd multa iam & magna de hac ipsa re apud eos antea disseruisset. Quemadmodũ pluribus in locis Ioãnes ait. Asserit porrò passionis causam, remissionem esse peccatorum. Sanguinem autem noui testamẽti appellat, tanquam nouum testamẽtum continẽtem. Quemadmodũ enim vetus illud oues ac vitulos habebat, itidem & nouum, sanguinem habet Dominicum. Quibus præterea verbis se ipsum etiam moriturum ostẽdit, iccirco & testamenti mentionẽ facit. Meminit præterea & veteris, quòd & illud per sanguinem fuerit dedicatum. Rursus autẽ mortis suæ causam dicit, *qui pro multis*, inquiens, *effunditur in remissionem peccatorũ*. Quid autem docet, cùm ait, *Hoc facite in mei recordationẽ?* Sicut enim (inquit) in eorum miraculorũ recordationẽ, quæ in Ægypto facta sunt, illud faciebatis, eodẽ modo & hoc in mei recordationẽ facite. Sanguis ille in primogenitorum salutẽ fuit effusus, hic in peccatorũ remissionem. Et quemadmodũ Moses hoc vobis aiebat, memoriale sempiternũ, sic & ipse hoc (ait) facite in mei recordationem, donec veniã. Pascha enim trado, per quod volo spirituales vos facere. Bibit autẽ & ipse ex eo, ne illi hoc audientes, dicerẽt, Quid igitur, Sanguinẽ bibimus, & carnẽ comedimus? ac ideo turbarẽtur. Nam & quãdo superius de his verba mouit, multi vel ob ipsa verba scãdalizati sũt. Ne igitur & tũc idem paterẽtur, primus ipse id fecit, ad mysteriorũ cõmunionẽ trãquillo animo illos alliciẽs. Hac ergo ratione suum & ipse sanguinẽ bibit. *Dico autẽ vobis: Nõ bibam posthac ex hoc fructu vitis vsque in diẽ illũ, cũ illud bibã vobiscum nouũ in regno patris mei.* Regnũ patris resurrectionẽ suam dicit: Fructũ verò vitis, vinũ. Hoc igitur ait, Nõ bibã ex hoc vino posthac, quoad ex mortuis resurrexero. Huius verò rei gratia post resurrectionẽ ex eo bibit, ne rudiores quiq; phãtasiam quãdam, resurrectionẽ esse putarẽt. Vnde & Apostoli id genus hominibus resurrectionẽ persuadere volẽtes, dicebãt, Qui manducauimus & bibimus cũ eo, postquã resurrexit à mortuis. Vobiscum, porrò ait, quò scilicet ipsi huius rei testes esse possitis, qui hãc & oculis & rebus optimè cõpertam habueritis. Nouũ, verò, hoc est, Peregrino quopiã inauditoq; modo. Neq; enim corpus habẽs passibile, Bibã (inquit) illud, sed immortale, nulliq; obnoxiũ corruptioni, aut alimoniæ indigũ. Cur autẽ nõ aquã bibit, sed vinũ? Quòd profectò vellet perniciosissimã quãdam hæresim radicitus

Luc. 22.

Ioan. 13.

radicitus euellere. Quia enim sunt quidam, qui aqua in mysteriis vtũtur, propterea quòd quando mysteria tradidit, & quãdo resurrexit, nudã absq; mysteriis mensã apponens, vsus est vino. Idque declarauit dicẽs, ex hoc fructu vitis. Vitis enim vinũ, non aquam profert. Quod verò ait, *Et cum hymnum dixissent*, ad nostram eruditionem dictum fuit. Audiãt ergo quicunque tãquam porci comedentes, imprudẽter ac stulte à sensili mẽsa absque vlla gratiarum actione vel hymno consurgunt. Audiãt qui extremam rursus mysteriorum precem nõ expectãt, quæ sanè illius est symbolum. Gratias ergo egit, prius quàm discipulis daret, vt & nos ante cibũ gratias prius agamus. Gratias egit postea, hymnúmque dixit, vt & nos itidem faciamus. Exit autem in mõtem, manifestum se faciens, quò facilius comprehendi quiret, ne se celare videretur. Studuit enim ad locũ ipsi Iudæ optimè notum cõcedere. *Tunc dicit illis Iesus, Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem & dispergentur oues gregis.* Prophetiam subiungit, tum vt illis ad ea quæ scripta sunt, animum esse conuertẽdum persuadeat, tum vt Prophetas omnia ab initio prædixisse, quæ in ipsa fuerant passione euentura, significet. Nõ autem tristia duntaxat, sed & resurrectionem suam dicit, nec in remotam quampiam iubet illos abire regionem, sed in eãdem, in qua & crucifixus fuit, & in eisdem penè locis apparet. Ideo autẽ *Præcedam vos in Galilæam* dixit, vt à Iudęorum timore liberati, crederent apparẽti. Propterea & ibi apparuit. Cùm verò debuisset Petrus, vbi audiuit, Omnes vos scãdalum patiemini mea causa, precari ac dicere, Auxiliare nobis, ne abscindamur, ipse contrà, sibi magis fidit & ait. *Et si omnes scãdalizati fuerint in te, ego tamen nunquam scandalizabor.* Quia ergo ad pertinaciam quandam, animíque præfractionẽ sensim prolapsus fuisset (oportebat enim ipsum & Christo & Prophetę credere) iccirco permisit Dominus, vt caderet, vt è lapsu illũ instrueret, maiorem verbis dominicis esse fidem adhibẽdam, quàm proprię cõscientiæ. Quin & cæteri & ipsius negatione, humana simul imbecillitate, ac Dei virtute comperta, nõ modicè profecerunt. Quàm verò fuerit in eo vehemẽs pertinacię affectus, hinc profectò liquet. Nõ enim prioribus cõtentus audentiis, Prophetæ ac Christo contradixisse acquieuit, sed cùm postmodũ Christus diceret, *Ter me negabis, respondit: Etiam si oportuerit me mori tecum, neutiquam te negabo.* Tametsi enim præ nimio hęc & genuino in Christum amore dicebat, non tamen procul à temeritate loquebatur, veluti nimium sibi ipsi fidẽs. Propterea & Deus sua ipsum ope nudauit, humanæ naturæ valorem refellens. Animaduertendum verò nullo modo hominis voluntatem sufficere, nisi superna iuuetur ope, quemadmodum in Petro didicimus, nec rursus quicquam nos proficere, superno licet patrocinio fultos, ni volũtas adsit. Id quod ex Iuda percepimus. Licet enim plurimum Christi auxilio iuuaretur, nihil tamen inde profecit, quia & suam renuit adhibere volũtatem. Ideo enim & illum miseratus, ait, Væ homini illi. Et rursus illum deterrẽs. Bonum (inquit) erat ei, si natus nõ fuisset. Cõfudítque illum intinctam illi offulam porrigẽs, quò scelestam illam exueret mẽtem. Adeo autem ipsius improbitas obcalluerat, vt & mysteriis communicans, inemendabilis permãserit. Quod & Ioannes declarãs ait, Et post offulam ingressus est in illum Satanas. Nõ quòd horrendum Domini corpus diabolus aspernaretur, sed impudẽtiam proditoris iam irrideret. Quamobrem vehemẽter obsecro, ne totum velitis in Deum proiicere, ipsíque dormire. Neque rursus frugi vitam agentes, totum vos propriis perficere laboribus autumetis. Neque enim supinius nos ac negligentiùs iacere vult Deus, & ideo nequaquam totum ipse perficit. Nec rursus arroganter viuere ac iactabundè, & ideo totum nobis non permittit, sed vtriusque rei sublatis incommodis, vtilia nobis ac necessaria gratificatur. Qua etiã ratione & Apostolorũ Coriphæum cadere permisit, quò scilicet & cõpesceret insolentem, humiliorem efficiens, & ad maiorem induceret dilectionem. *Tũc venit Iesus cum illis in villam quæ dicitur Getsemane.* Quoniã mos illi erat seorsum à discipulis orare, quod sanè faciebat, vt nos doceret, plurimam esse in precibus quietem, trãquillitatémque parandam, huius rei gratia dixit eis, *Sedete hic donec vadam & orem illic.* Tres autem assumit & nõ omnes, ne omnino laberentur. Hos verò, vt qui gloriæ suæ fuerãt spectatores. Nõ frustra autem in Petrum maxime inuehitur, vbi post orationẽ venit, & reperit illos dormientes, verùm quòd illum acrius pungere voluerit, quia dixerat, Etiã si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Quoniam autem similiter & omnes discipuli dixerunt, etiã ad omnes orationem cõuertit, illorum perstringẽs imbecillitatẽ. Qui enim cum eo mori volebãt, nec cum eo quidem mœrente, simul mœrere poterãt, vigilantes sed graui pressi somno dormiebant. Cuius autẽ rei gratia orat? Ne scilicet res ipsa hypocrisis quædam esse videatur. Defluunt autẽ & sudores, eadem rursus de causa, ne hæretici dicere possent, huiusmodi illũ animi angorem simulasse. Propterea & sudores, veluti sanguinis guttæ, & Angelus confortãs illũ, & mille timoris indicia apparuere, ne quis diceret huiusmodi fuisse figmenta. Dicẽs ergo, *Si possibile est trãseat*, humanitatem suam ostendit. Dicens autem, *Verumtamen nõ sicut ego volo, sed sicut tu*, admirabilem quandam fortitudinis ac philosophiæ sublimitatem, docens Deum ipsum, vel renitente natura, sequendum. Quia enim rudibus atque amentibus faciem tantùm ostendere non sat est, & verba quoque adiunxit. Quia verò nec verba solummodo sufficiunt, sed rebus ipsis est opus, & has verbis adhibuit, vt & qui valde sunt contentiosi, verum illum hominem, vereque mortuum, omnino credant. Si enim cum hæc ita sint, à nonnullis tamen adhuc id minus creditur, longè magis, si non extitissent. Hanc ob rem adeò & ex his quæ loquitur, & quæ patitur, dispensationis veritatem ostendit. Non abs re autem addidit, *vigilate mecum*, tanquàm diceret, non potuisti vigilare mecum, & pro me animam pones? Et modò quidem Petrum, modò autem vniuersos alloquitur. Quid verò est, *Orate ne intretis in tentationem?* Admonet, ne contumaci præfractóve animo simus, sed potius eo depresso, humiliter sentiamus, ipsi Deo omnia committentes. Tametsi enim vultis (ait) mortem contemnere, attamen non poteritis, quousque Deus manũ porrigat. Carnalis etenim sensus absterret. Porrò in secunda ac tertia oratione, *fiat* (inquit) *voluntas tua*, ostendens se Dei voluntati optimè consonum, essęque hanc vbique sequendam ac requirendam. Orauit autem tertiò, confirmans se verè hominem factum fuisse. Quod enim secundò fit ac tertiò maiorem in modum in scripturis sanctis indicat veritatem. Cæterùm altera vice ad eos venit, vt ipsos redargueret, quòd adeò essent mœrore sopiti, vt nec præsentiam quidem illius sentirent. Non expergefacit autem, nec rursus increpat, ne territos terreat, sed iterum abiit & orauit. Reuersúsque ait, *Dormite & requiescite.* Atqui tunc maximè omniũ vigilare opus erat. Verùm ostendens nec instantium quidem malorum aspectum illos esse laturum, quinimò fugam arrepturum, præque mœstitudine ab se desciturum, neque eorum rursus sibi fore opus auxilio, sed oportere se omnino tradi, his maximè vsus est verbis. *In manus* autem, ait *peccatorum*, quò mẽtes illorum erigat, vt hoc improbitatis illorum opus

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse intelligant, nõ autem quòd ipse vlli sit peccato obnoxius. Quid porrò hinc nos docet cum ait: *Surgite, eamus, ecce appropinquauit qui me tradit?* Nimirum antè se nouisse vẽturum proditorem. Et non modò illum nõ fugit, sed & vltro ad illum accurrit. Vt per hoc illos erudiat, nõ necessitatis omnino, aut infirmitatis fuisse rem hanc, sed ineffabilis cuiusdam diuinæ dispensationis opus. *Cum gladiis* (inquit) *& fustibus missi à principibus sacerdotum & senioribus populi*, illorum improbitatem notans, quòd eiusmodi essent illorum instrumenta. *Is verò qui tradebat eum, dedit illis signũ.* Quia sæpius ab eis Christus circunuẽtus, per illorum mediũ pertransierat, cùm id minus animaduertissent. Dedit porrò osculũ, de Magistri lenitate confisus. Quod omnium maximè & ad illum confundendũ, & omni prorsus venia priuandum fuit oppidò sufficiens. Quod adeò mitem ac lenẽ proderet præceptorem. Verùm ô facinorosissimã animam, quid excogitauit? Quid ausa est? Quibus tũc oculis Magistrum intuebatur? Quo demum ore osculũ tulit? Ipse autem & osculari se passus est, & se ipsum illis sponte tradidit. Quandoquidem & quod aliàs fecit, etiam tũc agere potuit, si ex illorum medio elabi placuisset. *Et manus iniecerunt in eum, & ceperunt eum*, ipsa nocte qua Pascha comederant, ita furore atque insania ferebantur. *Dixítque illi Iesus. Amice*, vt vel hinc ipsum conuerteret, *ad quid ades?* Quia non amoris intuitu, sed mẽtis improbitate istud agis. *Et ecce vnus ex iis qui erant cum Iesu extendens manũ exemit gladium suũ.* Quis hic vnus est, qui auriculam amputauit? Ioãnes ait fuisse Petrũ, eius nanque feruore dignum fuit facinus. Vnde autem habebat gladium? Nimirum à cœna atque mensa tũc iam exierant. Verisimile enim est & gladios ibi fuisse propter agnũ. Discipulos autẽ cùm quosdam aduersus eum vẽturos audissent, ob idipsum nonnullos ex eis, secum in auxiliũ gladios accepisse, tanquã pro Magistro pugnaturos. Quod sanè illorũ animus tantum erat. Iccirco & increpatur Petrus gladio vsus, & vehementi quidem C comminatione. Non tamen permisit Christus vllũ fieri detrimentum, nã seruum illico sanauit, lenitatémque suam atque potentiam, magni huius ostensione miraculi, declarauit. Ad hæc & magnum Discipuli amorem ac mansuetudinẽ patefecit. Nam alterum quidem ex amoris pietate, alterum verò gladij videlicet in vaginam conuersionem, ex obediẽtia fecit. Cuius autem rei gratia dixit, *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribũt?* Quò scilicet discipulorum animos, insidiantium supplicio consolaretur. *An putas quòd non possim nunc rogare patrem meum, & exhibebit mihi plus quàm duodecim legiones Angelorum?* Non dixi possum ego illos omnes perdere, sed rogare patrem meum, quoniã fide dignior hoc dicens erat, quàm illud. Nondum enim congruam de illo opinionem habebant. Et paulo ante quidem dixerat. Tristis est anima mea vsque ad mortem. Et, Pater transeat à me calix iste. Ingẽnsque in eo animi angor apparuit, atq; sudor, fuítque ab Angelo corroboratus. Quoniã igitur multa humanitatis indicia præ se tulerat, credibilia dicere visus non fuisset, si dixisset, An putatis, nõ posse me nũc illos perdere? Duodecim porro legiones dixit Angelorum, ad illorũ timorem ac imbecillitatem sermonem effingens. Etenim pauore erãt semimortui. 4. Reg. 19. Nam si Angelorum vnus cẽtum octoginta quinque armatorum hominum millia occidit, quid duodecim legionibus opus est aduersus mille homines? *Quomodo ergo* (ait) *implebuntur scripturæ Prophetarum?* Vel hinc illos absterrẽs. Si enim illis (inquit) visum fuit, vt ego patiar, quid vos cõtra pugnatis? Cùm igitur hæc discipulis dixisset, ad eos iam qui ad se venerant capiendum, sermonem conuertit, dicens. *Quid vobis gladiis ac fustibus opus fuit, vt aduersum me, qui semper apud vos eram huiusmodi armis veniretis? Nunquid ego latro sum? Nónne quotidie in tẽplo sedebam docẽs, & non me cepistis?* Per hæc illis ostendens non potuisse illos, vel nunc ipsum tenere, ni sua id sponte permisisset. Qui enim tenere nõ voluerunt, quẽ præ manibus semper habebãt, nec superare, quem in sui ipsorũ medio apprehenderãt, qui fieri poterat, vt ipsum tunc aggrederentur ac caperẽt, ni voluisset? Neque verò miracula exponit, quæ in illos fuerat operatus, sed doctrinam tãtùm, ne iactare se videretur. Dicit præterea & illis, *vt complerẽtur scripturæ Prophetarũ*, ad extremã vsque horam omnem illorũ auferens excusationẽ. Qui enim seipsum tradidit, vt Prophetis responderet, quomodo his cõtraria docebat, quemadmodum oblatrantes Iudæi criminabantur? *Tũc discipuli omnes relicto eo fugerunt.* Quando? Quando nimirum nullam iam effugij spem esse viderunt, sua se illis spõte tradenti, dicẽtíque id secundum scripturas omnino fieri. Quando enim ab B eis tentus est, manebant interim, fore sperantes, vt illos effugeret. At vbi eiusmodi verbis turbas est allocutus, tunc aufugêre. *Abduxerunt* autẽ *illum ad Caipham*, quòd is tunc esset sacerdotum princeps, omnésque eò cõuenissent, vt sacerdotum Principum consilio, cuncta gererentur. Adeò in hoc ipsum pernoctare illi ac vigilare. Neque enim illi tunc Pascha comederunt, sed die altero. Ita vt & in hoc præ nimia illius occidẽdi cupiditate, legẽ soluerint. Cùm enim dixisset Ioannes, Erat autem Ioan. 18. mane, subintulit, & ipsi nõ introierunt in prætorium, ne contaminarẽtur, sed vt ederẽt Pascha. Nequaquam verò Christus Paschæ tẽpus est prætergressus, qui vespere comedit, sed illi omnium audacissimi, ac mille legum conculcatores. Quia enim insano quodam furore succensi erãt, vt qui illum interficere sæpius conati essent, nec tamen vnquam valuerãt, cùm ipsum tunc inspera tò apprehẽdissent, distulerũt Legirupæ & Pascha comedere, vt sanguinariam animi sui cupiditatẽ exsatiarẽt. *Nouissimè autẽ venerũt duo falsi testes & dixerunt.* Quibus C autem argumentis falsi testes fuisse probantur, qui contra Christum dicebãt testimonia? Nimirum ex ipsis eorum verbis. Nam dicebãt, *Hic dixit, Possum destruere templum Dei, & in triduo ædificare illud.* Neque enim ipse sic dixit, sed, Soluite templum hoc. Nec item de tẽplo illo, sed de suo corpore dixit. Tacebat autem à principe sacerdotũ interrogatus, quòd omnis esset superuacanea excusatio atque inutilis, nullo videlicet audiẽte, quandoquidem figura quidẽ iudicij duntaxat erat illa, re autem vera latronum apparatus. Cæterùm vbi adiuratus fuit, iccirco respondit. *Tu dixisti. Verumtamen dico vobis, à modò videbitis filium hominis sedentẽ à dextris virtutis, & venientem in nubibus cæli*, vt omnem eorũ tolleret excusationis prætextum. Quia & ad extremum vsque diem, se Christũ esse, à dextrísque Patris sessurum, ac orbis iudicem venturum edocuit. *Discidit* porrò *vestimenta sua princeps Sacerdotum dicẽs, Blasphemauit*, atrociorem videD licet faciens accusationẽ, Christíque dictũ, ceu nephas, & grande piaculum esse demonstrans. Vnde quasi certissimis criminibus, & manifesta blasphemia in iudiciũ prouocat dicẽs, *Quid vobis videtur?* Quia igitur optimè norãt, si res in quæstionem, ac exactam venisset cognitionem, ab omni eum crimine iri liberatũ (arguit enim illum filium esse Dei) ipsimet illum condemnant, auditoréque præoccupant dicẽtes, *Vos audistis blasphemiam eius*, quasi ipsos adigentes, vt tãquam cõtra blasphemũ, sententiam ferrent. Iccirco & tulerunt & illi, dicentes, *Reus est mortis.* Quapropter non solùm ipsi tanquam de iudicato eo statuerunt, sed etiam vt Pilatus in eum sentẽtiam diceret curauerunt, ipsi nimirum accusantes, ipsi damnantes, ipsi sententiam ferentes, omnium tunc ipsi officia

officia gerẽtes. Quam verò ob rem sabbata in medium A non protulere? Quoniam de his illorũ sæpius ora compresserat, præsertim cùm ex iis, quæ tunc dicebãtur, damnare eum vellent. Porrò ipsum occultè nõ interfecerunt, quòd nimirum cuperẽt, celebré ipsius opinionem infamem reddere. Supererant enim adhuc quàm plurimi, qui ipsum admirabãtur ac stupebãt. Iccirco studuerunt vt publicè & sub omnium oculos necaretur. At secus quàm volebãt accidit. Hũc enim in modum splendidiùs effulsit. Nã quòd potestatẽ haberent per se ipsos illum occidendi, audi quid Pilatus dicat. Accipite eum Ioan. 19. vos, & secundum legem vestram iudicate eum. *Tũc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum cæciderũt.* Cur illum occisuri, eius in faciem expuerũt, multáque id genus in eum cõtumeliosè gesserunt? Quòd essent profectò moribus mirum in modum infrænibus atque proteruis. Et tanquàm inuẽta multo tãdem venatu fera quapiam, sic suam in eum rabiem ostendebãt, ingẽtem id sibi solennitatẽ existimantes. Admirandum porrò est, quàm sint B Discipuli veritatis amatores, quãtáve diligẽtia, quę opprobriosíssima videbãtur, enarrent, nihil eorum erubescentes. Quin imò summã id esse gloriã, vt reuera erat, arbitrati, orbis videlicet terrarũ Dominũ eiusmodi pro nobis passum, sustinuisse. Id quod & illius ineffabilem affectum atque curam, & illorũ nulla venia dignam improbitatem apertè demõstrat. Enimuerò cõtumeliosíssimas incutiebãt plagas, colaphis illũ alapísque cædentes, quibus & sputorũ quoque ludibria addebant, verba rursus iurgiorum plena effutiebãt. Nam quia eum plerique Prophetã nuncupabãt. *Prophetiza nobis*, inquiunt, Marc. 14. *Propheta, quis est qui te percussit?* Alius autem Euangelista illos dicit, eius faciẽ priùs obuelasse, ac demũ huiusce modi in illũ ingessisse, tãquam infamem quẽdam, nulliúsque frugis hominẽ, medium suscepissent. Nec liberi solummodo, sed & serui hęc in eum tũc temulenter debacchabantur. *Petrus verò sedebat foris in atrio.* Cur Matthæus quidẽ ait Christũ Petro dixisse. Antè quam gal- C lus cãtet, ter me negabis. Marcus autem cum semel Petrus negasset, tunc primò asserit cantasse gallũ, cùm verò tertiò, tũc illum secũdò? Quánam ergo ratione vtra- Vbi sup. que vera hęc esse possunt? Hac nimirum, & quàm verissima. Nã quoniam in vna vice, & ter, & quater cantare gallus assolet, insinuãs Marcus, nec cantãtis voce Petrũ fuisse coërcitum, nec ad memoriam reuocatũ, id dixit. Quod sanè vtrunque verum esse demõstrat. Priùs enim quàm vnam cantandi vicem, gallus absoluisset, ter ille negarat. Ita autem erat stupidus, præque timore semimortuus, vt nõ modò negarit, sed neque à seipso Christi verborũ fuerit recordatus, præsertim cùm gallus cãtasset, donec Magistri aspectus, vox illi factus fuit. Id Luc. 22. quod Lucas declarãs ait, Et cõuersus Dominus intuitus est Petrum. *Et egressus foras, fleuit amarè.* Nõ enim audebat palàm & sub omniũ oculos id facere, ne lacrymis proderetur, deprehenderetúrque illius esse Discipulus.

Caput xxvii.

MANE *autẽ facto, cõsilium inierunt omnes Principes Sacerdotũ, & seniores populi aduersus Iesum, vt eum morti traderẽt. Et vinctũ eum adduxerunt & tradiderũt Pontio Pilato Præsidi.* Cuiusnam autẽ rei gratia ad Pilatũ illum adducunt? Quò scilicet ipse illũ interficeret. Nam illi id non fecerunt, tum quòd essent Pascha comesturi, tametsi præter legem (vt dictum est) tum etiã ob alias causas, quas antè præmisimus. Considerãdum porrò, quomodo res ipsa eò redacta est, vt in die solemnitatis ageretur. Sic enim priscis fuerat tẽporibus prefiguratũ. *Tũc videns Iudas, qui eum tradiderat, quòd damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argẽteos.* Retulit autem, quòd nequiret ferientis conscientiæ stimulos vltra perferre. Verùm id fecisse illum oportebat priùs quàm peccatũ perficeret, iam enim ad extremũ res ipsa venerat. Nam illum iam prodiderat. Attamen neque tũc quidem vtiliter. Nã pœnituisse quidẽ, argenteósque proiicere, nec Iudaicum vereri populum, omnino probandum: at suffocare semet, id demum nulla dignũ venia est, sed maligni dæmonis iniquum facinus. Exegit enim illũ, vt sibi, antequam perfectè pœniteret, mortem consciscceret, ne ex pœnitudine illa fructum omnino vllum referret. Turpissimó que mortis genere omnibúsque manifesto, illum occidit, qui suasit, vt se laqueo strãgularet. Audite auari omnes, audite inquam atque perpẽdite, quidnam ille fuerit passus. Quomodo & pecuniã perdidit, & peccatum admisit, & animę iacturã fecit. Id genus namque auaritiæ lucra. Alios etenim & hic prorsus, & in futuro perdit, sicut & Iudæ obtigit. Alios verò in futuro solùm æternis illis suppliciis addicit. Quod autẽ Principes Sacerdotum & seniores dixerunt, *Tu videris*, maximè illorum crimen adauget. Si quidem & audacię & iniquitati videntur attestari. Vnde & condemnant illum. Qui sub passionis tempus præ furoris temulentia Satanicis ausibus abstinere noluerunt. In eorum namque situm erat arbitrio, iudicatum absoluere, siquidem Christum maluissent. Neque verò hac de re solummodo damnãtur, sed etiã quòd pecuniã noluerint in corbonã proiicere. Quia enim nõ ignorabãt, cædem se hominis emisse, iccirco id non egêre. Sed *emerunt ex illis agrũ in sepulturam peregrinorum*, benefactum è cæde parãtes. Qui profectò ager contra eos est testimonium ac tuba clarius, eorum cædem, huius agri nomen vniuersis æquè denunciat. Nõ simpliciter autem id faciunt, sed cõsilio priùs inito, ne quis ab eiusmodi facinore esset immunis, sed omnes prorsus obnoxij tenerẽtur. Cõsiderandum porrò quomodo multis antè sæculis, de huius etiã agri emptione prophetia prædixerit. Et non solùm Apostolos, sed & Prophetas contumeliosíssima quæque studiosè narrasse. Cæterùm quòd scirent Pilatum nullam legalium habere rationem, vt publicorum criminum, affectatæque tyrannidis Christũ accersérent, turbas subornauêre. Ea propter dicit illi Pilatus. *Tu es rex Iudæorum?* Nihil enim non moliebantur atque miscebant, vt illum in mortem coniicerent. Ipse autem respondens, *Tu dicis*, Regem se esse professus est, sed cœlestem regem. Quod alibi quo- Ioan. 18. que eidem clariùs dixit, Regnum meum nõ est ex hoc mundo. Cur autem his similia in sui defensionem haud quaquam protulit dicens: Et tributum videlicet persolui, atque aliis persoluendum mandaui, & quãdo me regem constituere voluerunt, aufugi? Quia profectò corruptum erat illorum iudicium, ac libenter eiusmodi & occulebant & depraubãt. Propterea & paucissima respondet, & tacet. Paucissima quidem, ne quis perpetuo silentio contumacem illum suspicaretur. Tacet autem, D quòd se nullis eos verbis persuasurum certò sciret. Meritò autem, tacẽte illo Præses admirabatur quòd tãtam præ se ferret mãsuetudinem, magísque taceret, qui mille diluẽdorum haberet criminum argumẽta. Quoniam autem ipsorum obiectis satisfacere, ac liberari summoperè cupiebat, ideo illi dixit: *Nõ audis quàm multa hi aduersum te dicunt testimonia?* At quoniã neque sic respondit, & aliud quidpiam excogitauit, vt vel hac ratione illum eriperet. Nisi enim (inquit) vultis illũ quasi insontem dimittere, saltem ceu reum, solennitati gratificemini. Mos enim erat eis, vt in solennitatum qualibet, facinorosum quempiã peterent, atque à Præside acceptum dimitterent. Est vero hìc videre inuersum ordinẽ. Nam Princeps potiùs populum petit, vt accipiant atque di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mittãt. Et tamen neque sic mitiores fiunt, sed efferatio- A
res effecti præ inuidia, maiorem in modum debacchantur. *Sedẽte autem illo pro tribunali misit ad eum vxor eius, dicens. Nihil tibi cum iusto illo.* Cuius rei gratia non Pilatus somnium vidit, sed eius vxor? Vel certè quòd eo dignior esset, vel quòd si vidisset ille, haud æquè ab omnibus fuisset creditum, vel profectò nõ edixisset. Iccirco mira dispensatione mulier vidit, vt omnibus innotesceret. Neque verò simpliciter videt, sed & multa patitur, vt cõdolens vxori maritus ad cædem tardior redderetur. Nec item ipsa eius temporis opportunitas parum quid ad rem faciebat, eadẽ namque ipsa nocte mulier vexata fuit. *Habebat autẽ tunc vinctum insignẽ, qui dicebatur Barrabas.* Cur nõ simpliciter Euangelista inquit Pilatum habuisse latronem, sed insignem latronem? Ne eis vel vmbram quidẽ excusationis relinquat. Qui sceleribus celebrem, innumeris inquinatum homicidiis, vniuersi orbis Seruatori prætulerint, populúmque corruperint, vt sibi latronem dimitti postularẽt. Ita & populi deceptio- B
nis supplicia luẽt extrema. *Dixit illis Pilatus. Quid igitur faciam Iesu qui dicitur Christus?* Volens illos rursum facta eis petendi facultate cõuertere, vt vel sic pudore suffusi, ipsum potius peterent quàm latronem, eorúmque liberalitati totũ penitus abscriberetur. Nihil enim eũ peccasse dicens, cõtentiosiores omnino reddebat, rogans verò vt ipsum & sua humanitate seruarẽt, citra omnem persuadebat contradictionem. Illi autem vel sic, magis clamabant, *Crucifigatur. Vidẽs autẽ Pilatus quòd nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua manus abluit coram populo.* Tametsi autẽ lauit manus, séque innocentem esse dicebat, mollis tamen parúmque virilis animi fuit illa permissio, ignauissiméque id admodũ gessit. Oportebat enim nullatenus illum eis tradere, quin potius
Act. 21. eripere. Quemadmodum postea & Tribunus Paulum. Quãdoquidem & tunc quoque seditio ac tumultus factus est plurimus, attamẽ ille generosè restitit vniuersis, hic autẽ temerè trãsuersus agitur. Ea propter nec ipsum C
culpæ prorsus expertem asserit Christus, dũ ait: Qui me tradidit tibi maius peccatum habet. Maledixerunt porro Iudęi nõ tantùm sibiipsis, sed & ad filios imprecationem huiusmodi protraxere dicẽtes, *Sãguis eius super nos & super filios nostros*, ob nimiam profectò, qua vexabantur, insaniam. Attamen benignus Dominus quamuis & aduersus se ipsos, & aduersus filios, tã multa insania furerent, nõ huiusmodi illorum sententiã cõprobauit, sed
Sup. eod. ex his atque eorum cæteris, qui pœnitentiã egerunt, fidémque fuere cõplexi, & susceperit, & innumeris dignatus est bonis. Nã & Paulus ex ipsis fuit, & illa corũ millia, qui Hierosolymis credidere. Vides enim (inquit Paulo Iacobus) frater, quot millia sunt Iudæorum qui crediderũt. Si autẽ quidam reluctati sunt, sibi ipsis supplicia imputent. *Tunc dimisit illis Barrabam, Iesum autem flagellatum tradidit, vt crucifigeretur.* Cur autẽ flagellauit, ac postmodum tradidit? Vel quasi sontem ac iudicatũ, vel formã aliquam ex legis iudicio afferre volens. Pro- D
inde, vt iã dictũ est, magis eum oportebat instare vsque in finem, probationésque & argumenta eorum, quæ illi ab Iudæis obiiciebãtur, studiosè disquirere. *Tũc milites Præsidis suscipientes Iesum in prætorio, cõgregauerunt ad eum vniuersam cohortem.* Conuiciabantur milites ac insultabant, vel Iudæis gratificantes, vel suis deprauatis vtentes moribus. Multigenis autem contumeliis ipsum afficiebãt. Nam in diuinum caput illud modò quidem colaphos impingebãt, modò autem spinea corona dehonestabant, modò verò arundine percutiebant, viri execrabiles atq; scelesti. Et non caput duntaxat, sed & vniuersum corpus illud sanctissimum contumeliis est affectum. Nã facies quidẽ sputis oppletur, maxillæ palmis
tunduntur, reliquum corpus flagellis atteritur, chlamydis amictu dehonestatur, effícta adoratione ridetur, manus illæ arundine, quam sceptri tenendam loco dederant, dedecorãtur, os etiam ipsum aceti potione exasperatur. Et tanquam verentes ne quid cõtumeliæ opprobriive omittere viderentur, omnia in ipsum facinorosi illi ludibriorũ genera exercere conantur. Cùm igitur huiusmodi pro nobis passus sit Christus, qua nos ratione tutabimur, si contumeliis moueamur illatis? *Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimenta eius*, id in eum agẽtes quod de maximè vilibus ac nullius pretij sontibus, neminémque habentibus, fieri consueuit. Atqui nec in latrones, tale quid, sed in Christũ solummodo gesserunt. Cur verò ipsum, medium latronũ crucifixere? Vt illorũ videlicet prauę existimationi famęq; cõmunicaret. Acetum autẽ dederunt ei bibere, ad maiorem profectò contumeliam atque iniuriam. In cruce verò pendentem illum aspicientes exprobrãt, vt publicè ante omnium oculos scõmata iactarent in eum, volẽtes seductorem illum declarare, illius resurrectionem veriti, quam ob id minimè credi facerent. Dicebãt autem. *Alios seruauit, se ipsum non potest seruare.* Prioribus hinc signis detrahere conãtes. Quoniam autem inscriptus, ac super caput ipsius positus erat huiusmodi Titulus, *Hic est Rex Iudæorum*, volentes ostendere ipsum non esse Regem Israël, ideo subsannantes vociferabãtur. *Si Rex Israël est, descẽdat nunc de cruce. Idipsum autem & latrones qui crucifixi erãt cum eo, exprobrabant ei.* Quomodo ergo Lucas ait alterum è latronibus blasphemantem, ab Luc. 23.
altero fuisse increpitũ, Matthæus verò vtrumque Christo fuisse conuiciatum cõmemorat? Vtrũque profectò factum est. Prius quidẽ exprobrabãt ambo, at postmodum nequaquam. Ne quis enim id ex cõposito factum suspicaretur, nec fuisse latronẽ, qui latro fuerat, ex ipsa nobis cõtumelia etiã in cruce & latro is fuisse & inimicus, sed repente cõuersus ostenditur. *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt.* Vt omnes orbis incolæ, tunc vbique terrarũ diem intelligerent, quando factæ sunt tenebræ. Id verò accidit, vt scilicet terrerentur, cõpungerentur, crederent. Nã ira planè diuina, tenebræ illæ factæ sunt, propter facinorosos videlicet illorũ ausus. Quòd enim non eclipsis fuerit, sed ira quædam ac indignatio, hinc profectò patuit. Tres enim horas tenebræ perstitẽre, eclipsis autem breuissimo fit temporis spatio. Id quod optimè norunt, qui spectauerunt. Nã & nostra hac ætate contigit. Non tamen admirati sunt, nec Deum illũ, vel post tenebras, esse putarunt, quòd ingẽti desidia ac improbitate tenerentur, longa impietatis cõsuetudine deuincti. Fortassis autẽ vel eclipsi, vel alia quapiam naturali cõsequentia id accidisse putarunt, vnde & post tot tantáque miracula adhuc cõtumelias ingerebãt, incessebántque conuiciis. Posthæc etiã & loquitur, vt eũ adhuc viuere intelligant, ab eóque credãt tenebras fuisse factas, ac ea ratione probiores euaderent. Illud porrò
Eli, Eli lama sabachthani, Hebraica vox est. Hac verò vsus est voce, vt ipsis fieret manifestũ, Patrẽ ab eo ad extremum vsque spiritum, iis, quæ loquitur, honorari. Simúlque illã, quam cum Patre cõcordiam habet, ostendit. sed cõsideremus & hìc illorum petulãtiam, proteruitatem, demẽtiam. Putauerunt enim (inquit) vt quem vocabat, esset Helias, ipsúmque confestim aceto potarunt. Cur autem, *Cum clamasset iterum emisit spiritum?* Vt
nimirum ostẽderet, sua hęc potestate fieri quemadmo- Ioan. 10.
dum & dicebat. Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Marcus verò ait admiratum fuisse Pilatum, quòd iam mor- Marc. 15.
tuus esset. Sed & Centurio ob id vel maximè credidit, quòd sua fuisset mortuus potestate. Nonnulli porrò asserunt

serunt extare Cẽturionis huius martyrium, ita postmo- A
dum in fide viriliter egit. Cæterùm hæc vox templi velum discidit, monumẽtáque patefecit. Scissum verò est velum, quoniã futuræ tẽpli desolationis, atque ad maiora rerum mutationis sublimioráque erat prophetia, quod accidit. Præterea & virtutis eis demonstratio, vox illa fuit, quòd corpore in cruce suspenso, mortuos excitarit. Sciendum verò est huius rei figuram fuisse quòd
4. Reg. 13. sub Helisæo gestum fuit. Nam cum corpus quoddam mortuum, ipsius defuncti corpus tetigisset, viuũ surrexit. Vt enim facilius hoc crederetur, illud est gestũ. Signum porrò illud, quod superiùs petẽtibus se daturum recepit, dicens: Generatio praua atque adultera signum quærit. Et signum nõ dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ, Crucem designat & mortem sepulturámque & resurrectionem. Rursúmque alibi crucis virtutem signi-
Ioan. 8. ficans dicebat. Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quòd ego sum. Quod autem dicit tale est. Cùm me (inquit) crucifixeritis, ac me deuicisse putaue- B
ritis, tunc maximè omnium potẽtiam meã intelligetis. Postquàm enim ille crucifixus fuit, ciuitas periit, Iudaica quierũt, ciuilísque ipsorum disciplina atque libertas excidit: at prædicatio floruit, & ad extremos vsque orbis terrarum fines protensus est Euangelij sermo. Terra porrò ac maria, frequentiáque simul loca incolis atque vacua, ipsius potentiam prædicant atque virtutem. Cuius autem rei gratia, *Petræ scissæ sunt, & terra mota?* Vt per hoc intelligerẽt, eum quoque & diffringere illos & discindere potuisse. Nam qui petras scidit, ac terrarũ concussit orbem, multo magis hæc in eos, si placuisset, agere potuisset. At noluit, sed in elementa omnem conuertens irã, ex sua illos benignitate seruare cupiebat. Opus est autem intueri quanta simul signa dedit, alia quidem è cœlo, alia autem super terram, alia verò in ipso tẽplo. Quid verò his signis sibi voluit? Nimirum indignationem suam declarauit, peruia iam futura mõstrauit, quæ
antea fuerant inaccessa aperienda, atque ad vera Sãcto- C
rum sancta res deinceps trãsferendas indicauit. *Et multa corpora Sãctorum qui dormierant, surrexerunt, & egressi è monumẽtis post resurrectionem eius, venerunt in sanctã ciuitatem, & apparuerunt multis.* Ne putaretur phãtasma esse quod gestum fuerat. Quamobrem autem & de mulieribus quæ ipsum secutę fuerant meminit? Vt maximã scilicet illarum assiduitatem aperiat. Nam & vsque ad pericula illum sequuntur ac necem, multámque præ se ferunt animi firmitudinem. Quando enim Discipuli fugiunt, hæ perseuerant indefessę. Quæ autem hìc dicitur *Maria Iacobi*, Mater videlicet eius erat. *Cùm autem vespera facta esset, venit homo diues ab Arimathæa, nomine Ioseph.* Quis iste Ioseph? Qui prius quidem occultabatur, nunc autem post Christi mortem, tam arduum aggressus est facinus. Neque enim obscurus erat quispiã atque ignobilis, sed è consilio vnus, & valde insignis. Vnde illius fortitudinem maximè admirari par est. Morti enim se- D
ipsum exposuit, ac vniuersorũ in se odium cõcitauit, ob summum, quo Christo afficiebatur, amorem. Cúmque Christi corpus petere fuisset ausus, non priùs destitit, quàm obtinuit. Nec solùm quia accepit, nec quia honorificè sepeliuit, illius amoris vis ac fortitudo mõstratur, sed & quòd in monumento suo nouo posuit. Non autẽ id temerè, sed diuina prorsus dispẽsatione gestum fuit, vt in nouo fuerit conditum monumẽto, sed ne vlla omnino suspicio gigneretur, vt alter pro Christo resurrexerit. Cuius autẽ rei gratia *Maria Magdalene & altera Maria*, diutius assident? Quia nimirũ nõdum quicquam magnum aut sublime de eo, vt par erat, animo cõceperant. Iccirco & vngueta tulerũt, & ad illius sepulchrum perseuerabant, vt siquidem Iudęorũ furor deferbuisset, abeuntes vngerẽt illum. Quod & ipsum magni in illum amoris simul & pietatis, fortitudinísque ac in pecuniis liberalitatis, quæ vsque ad mortem præstitere, fuit indicium. Imitemur igitur & nos viri huiusmodi mulieres, nec in tẽtationibus versantem Iesum vllatenus deseramus. Etenim illæ & in mortuum illũ tãta expenderunt, & animas exposuerunt. Nos autẽ (rursus enim eadẽ repetam) nec esurientẽ pascimus, vt par est, nec nudũ vestimus. Atqui si ipsum illum videretis, vestrúm quilibet facultates suas omnes erogaret. Verùm & nunc ipse is est, ipse se illum esse dixit. *Postera autẽ die, quæ sequitur Parasceuen.* Quoniã credi oportebat & illũ fuisse mortuũ, & sepulchro cõditũ, & resurrexisse, hęc omnia ipsi præstãt inimici, ac vbiq; seipsam fraus trãsfigit, veritatique patrocinatur inuita. Ecce enim quòd Principes Sacerdotũ ac Pharisęi Pilatũ petierint, vt sepulchrũ obsignaretur, citra vllã iã omnino cõtradictionẽ, vniuersis euidẽs resurrectionis probatio declarata fuit. Impostorem autẽ illum vocãt, ob nimiam feritatẽ suam, quia nec eo mortuo irã exuerãt, sed priori adhuc detinebãtur insania. Nõ permisit autẽ milites solos Pilatus sepulchrum obsignare, quoniã cognitis quæ in Christi morte cõtigerãt, nihil vltra eis opem ferre volebat. Verùm in eorum liberationẽ id patitur, & ait: Vos vt lubet obsignate, ne alios culpare possitis. Nã si soli milites obsignassent, dicere potuissent, tametsi dictu absurda, mendacia huiusmodi. Milites scilicet Discipuli permisisse, vt corpus suffurarẽtur, cupiẽtes resurrectionis sermonẽ omnino cõfingere. Nũc autẽ cùm ipsimet obsignarint, nihil omnino tale dicere, nihil prætexere habent vllo pacto.

CAPVT XXVIII.

VESPERA *autem Sabbatorum quæ lucescit in vnam Sabbatorũ.* Illud profectò sciendum, Dominũ nostrũ ac Deũ citò ex mortuis resurrexisse. Quam verò ob rem? Ne videlicet dicerẽt illum fuisse mentitũ, nec verè surrexisse, sed ab aliis clanculum fuisse subreptum. Cita namque resurrectio culpari non poterat, at tardior, suspitione non carebat. Nisi enim tunc sedentibus adhuc illis ac custodientibus, sed post diem tertium digressis, surrexisset, potuissent aliquid, tametsi insipienter obloquì & contradicere. Propterea igitur præuenit, ac citò surrexit, dum sederẽt illi, & custodirẽt, ne vllã omnino excusationis occasionem haberẽt. *Et ecce terræmotus factus est magnus, Angelus enim Domini descendit de cœlo?* Quãdo autem descẽdit Angelus, antè ne an post resurrectionem? post resurrectionem profectò. Cuius autem rei gratia venit, ac lapidẽ sustulit? Propter mulieres videlicet. Vt quia ipsæ in sepulchro positum fuisse certò sciebãt, dum vident rursus illud corpore vacuum, verè illum crederẽt surrexisse. Factus est autem terræmotus, partim quidem ob milites, vt & ipsi stupescerẽt, & ab ipsis testimonium redderetur, partim autem vt mulieres exsurgerent ac expergefierent. Nam accesserant vt officium vnctionis Christo exhiberent, & hæc noctu fiebãt, verisimiléque est etiam illas obdormisse. Dixit autem, *Nolite timere*: vt dispulso priùs ab eis timore, de Resurrectione postmodum verba faceret. Dicẽs verò, *vos*, plurimo illas honore prosequitur. Nõ enim (inquit) vobis vlla ratione timendũ, sed iis omnino, qui crucifixerunt: quandoquidẽ illos extrema manent supplicia, nisi resipuerint. Splendidam porrò atque alacrem illis speciem ostendit, tanquã lætum faustúmque nuncium apportans. Non erubescit autem crucifixum illum appellare, quoniam hoc nimirum est bonorũ omnium summa atque principium. Addidit præterea, *sicut dixit*, vt, si mihi (inquit) diffiditis, illius vobis verborum in mẽtem

veniat, neque mihi fidem abrogetis. Aliunde etiam illis huius rei fidem facit, dicens, *Venite, videte locum vbi positus erat Dominus.* Hac igitur de causa lapidem deuoluit, vt & hinc maximum resurrectionis capiãt experimentum. Facit autem vt & Apostolis id nuncient, quòd omnium maximè ad fidem eas inducit. Bene autẽ dixit, *Præcedet vos in Galilæam*, omni illas molestia, omníque periculo liberans, ne vllius rei timore, fides turbaretur. *Et digressæ celeriter à monumento cum timore & gaudio magno, currebant.* Quare autem cum timore & gaudio magno? Quòd stupẽdam omnino rem vidissent ac inauditam. Sepulchrum videlicet vacuum, in quo illum priùs positum inspexerant. Iccirco ad videndum locum illas adduxit, vt vtriusque rei & sepulchri scilicet & resurrectionis testes existerent. Optimè enim nouerãt à nullo fuisse militum sublatum, qui tot ibi assiduè consederãt, nisi sua sponte surrexisset. Propterea & gaudẽt, & admirantur, atque huius tantæ perseuerantię hanc accipiunt vicem, vt priores illum & videant, & non modò quæ sibi dicta, sed etiam & quæ visa, Discipulis annuncient. Proinde & ipse *occurrit illis, dicẽs, Auete. Illæ autem accesserunt & tenuerunt pedes eius.* Præ nimia quadam lætitia & gaudio. Permisit autem id Iesus, vt ipso tactu perfectam resurrectionis caperent certitudinem. Disiicit porrò ab eis & ipse timorem, ad fidem illis maiorem in modum aditum patefaciens. Et per eas, quemadmodũ & Angelus, Discipulis id annũciat. Porrò quòd factus sit terræmotus omnésque milites perterrefecerit, propterea que relicto sepulchro in ciuitatem venerint, ac rem gestam renũciauerint, resurrectionis veritas hinc rursus elucet, inimicorúmque testimonio pronunciata confirmatur. Tametsi enim illi omnium stultissimi *copiosam pecuniam dedere militibus*, quò Discipulos eius noctu venisse dicerẽt, illiúsque corpus fuisse suffuratos, arguuntur tamen ridiculosissimorum commentorum confictores. Erant enim hæc dictu absurda nimium. Quomodo enim homines pauperes ac idiotæ, nec in publico vel videri vel versari audentes, id vnquam agere potuissent? Nónne erat sigillũ sepulchro inditum? Nónne tot custodes & milites & Iudæi iuxta considebant? Nónne hoc ipsum suspicabantur, ac anxiè cogitabant, propterea que vigilabant, ac solliciti erant? Et quid opus est omnia recenfere, cùm infinita sint, quæ valeant & in hoc illorum insipientiam exprimere, quæ Diuus hic Ioannes Chrysostomus minutissimè persequitur? Nos verò præ multitudine pertransiuimus. Quòd autem dicunt, *Et si hoc auditũ fuerit à Præside, nos persuadebimus ei, & securos vos faciemus.* Omnes prorsus fuisse deprauatos arguit atque corruptos, & Pilatum quoque. Nã & ipse militibus credidit. *At illi accepta pecunia fecerunt, sicut erãt edocti. Et diuulgatus est hic sermo apud Iudæos vsque in hodiernũ diem.* Nam & ipsi id credidêre. Nihil autẽ admiremur, si mi- A lites illi pecuniis victi fuere. Si enim in Discipulo tantum virium suarum specimẽ præbuere, multo magis id genus hominibus. *Vndecim autẽ Discipuli abierunt in Galilæam in montem vbi constituerat illis Iesus.* Omnium postremam hanc vicem fuisse puto, quæ in Galilæa contigit, qua Christus se illis conspiciendum præbuit, quando illos ad baptizandum misit. Quòd si quidam dubitauere, vel hinc rursus admirari nos oportet eorum veritatem, quomodo hæc ad extremum vsque diem, imperfectionem suam abscõdunt. Attamen & hi ea visione confirmati fuerunt. Dicẽs autem, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*, rursus more hominum ac depressiùs illos alloqui videtur: nondum enim Spiritum illum sanctum acceperant, qui sublimiores illos effecit. Illud autem, *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomen Patris & Filij & Spiritus sancti, docentes illos seruare omnia quæcũque præcepi vobis.* Significat partim quidem de dogmatis, partim autem de mandatis illis præ- B cepisse. Et de Iudæis quidem nullam facit mentionem, nec quæ gesta sunt, illis in medium adducit, nec Petro negationem exprobrat, nec aliorũ cuipiam fugam improperat. Iubet autem vt in vniuersum terrarum orbem disseminentur, cõmissa illis breui doctrina, nempe quæ solo baptismate perficitur, vt singulos doceant, seruare non hæc aut illa, sed omnia quæcunque mãdaui vobis (inquit.) Dicens porrò, *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad cõsummationem sæculi*, suam ipsius authoritatem ostendit. Non cum ipsis autem duntaxat, his se verbis futurum declarat, sed & cum omnibus qui post eos fuerant crediturí. Neque enim profectò vsque ad consummationem sæculi, Apostoli fuerant superaturi, sed tãquam vnum corpus fideles alloquitur. Neque verò mihi (inquit) rerum difficultatẽ obiiciatis. Ego vobiscum sum, qui omnia reddo quàm facillima. Renouat autem illis & consummationis sæculi memoriam, quò maiorem in modum illos attrahat, ne præsentium solummodo difficultatem attendant, sed & futurorum bonorum magnitudinem, quæ finem ignorant, sedulò contemplentur. Nam aduersa quidem (inquit) quæ in præsenti vita sustinueritis, dissoluentur. Quãdoquidem & sæculum ipsum ad consummationem veniet. Iucunda autem quibus procul dubio perfruemini, immortalia perseuerant. Quemadmodum superiùs sæpenumero diximus. Hũc in modum cùm instituisset, simul & erexisset illorum animos, etiam illius diei memoria, illos emisit. Dies enim illa, sicut iis, qui in bonis viuunt operibus, est desiderabilis, ita & iis qui in peccatis agunt, formidabilis, sicuti reis omnino ac sontibus. Ea propter igitur æternis perfrui contendamus, gratia & misericordia & benignitate Patris & Filij & Spiritus sancti veri Dei nostri, cui gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Tomi secundi finis.

Parisiis excudebat Dionysius Duvallius,
impensis Societatis Parisiensis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca